Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXX
F
28

XXX
F
28.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONSVLTATIONVM,
E T
RESPONSIONVM
MEDICINALIVM
CENTVRIÆ QVATVOR.

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

CONSVLTATIONVM
ET
RESPONSIONVM
MEDICINALIVM
Centuriæ Quatuor
RAYMVNDI IO: FORTIS
VERONENSIS
In Prima Sede Pat. Pract. Ord. Profitentis
ILLVSTRISS. ATQ; EXCELLENTISS.
SAPIENTISS. VIRIS
Huius Archigymnasii Patauini
MODERATORIBVS
D.



PATAVII, MDCLXIX.
Typis Matthæi Bolzetta de Cadorinis, Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMI ATQVE EXCELLENTISSIMI SENATORES.

AEquum non eſſet, Ampliſsimi, atque Sapientiſsimi Heroes, quod hic Liber, non ingenij mei magis, quàm veſtræ humanitatis opus, ſub alijs, quàm ſub veſtris prodiret auſpicijs: Vos enim, ſumma benignitate, ad hanc ſupremam Practicæ Medicinæ ſedem me dudum euexiſtis, dignumq; reddidiſtis, vt frequenter à Principibus exteris, frequentiſſimè à Venetis ad Medicas Conſultationes, & Curationes accerſerer. Verùm quoniam tardus ad eoſdem ſæpè meus euadit acceſſus; atque in poſterum longiora itinera iam declinans haud concedere poterit ætas: ideo à me habitas Conſultationes, & Reſponſiones Medicinales, huc illuc tranſmiſſas, ac diſperſas, Amicorum conſilio, atque tandem Patrono imperante, in vnum recolligendas curaui, typiſque committi permiſi, vt, me quoque abſente, quod vtile fuerit, in ægrotantium auxilium quiſque depromere poſſit. Et ſicut imbecillitati meæ iam robur addidit iudicium veſtrum, ita hoc opus Nominibus immortalibus inſcriptum, tanta audax tutela, publicum iudicium minimè pertimeſcet. Hoc igitur, Principes Præſtantiſſimi, benignè excipite, tanquam vberes veſtri Viridarij fructus: ſiqui-


dem

dem omnium bonorum, à celeberrimo hoc Archigymnaſio emanantium, Auctores vos eſtis, utpote qui à Sereniſſimæ, atque æternæ Reipublicæ Senatu ex Sapientioribus electi, Profeſſoribus omnibus animos additis, & Patauinum hoc Lycæum, nulli Europæ ſecundum, in perpetuum huius Reip. decus extructum, regia liberalitate fouetis. Ita D. O. M. per ſæcula Vos Mecœnates conſeruet, ſicque mea vota ſecundet, dum æternum ipſe viuam

Perenni, & Immortali
Nomini Veſtro

Ex Muſæo noſtro Pat.
Die 17 Nouembr. 1664.

Addictiſs, & Obſequentiſs,
Raymundus Io: Fortis Veron,
& Ciuis Ferrarienſis.



Digitized by Google

AMPLISSIMIS
ATQVE
SAPIENTISSIMIS
SENATORIBVS,
Rei Literariæ, & Patauini Lycęi Moderatoribus.

ANTONIVS PERA.

O', Quibus Euganeæ commiſſa eſt cura Palęſtræ,
Flos Procerum, & Venetę Nomina prima Togæ;

Aonidum quos turba colit, Patauinaque quorum
Tuta ſub imperio creſcere Pallas amat;

Cernitis auſpicijs victurum in ſęcula veſtris
. Prodit vt in lucem nobile mentis Opus?

Hoc vulgat veſtri RAYMVNDVS grande Lycæi
Lumen, Apollineæ primus & Artis honos.

Ederet vt Medicas in publica commoda curas,
Ocia feciſtis, ingeniumque Viro,

Vos ergo Auctores veneretur muneris, atque
Acceptum Vobis debeat Orbis Opus.

Lectori Beneuolo.

MAneo in vocatione, nec falcem in alienam meſſem mitto: Veterum campos, Græcorum, Latinorum, & Arabum ſemper colui, ſeui, & Recentiorum grauiſſimorum ope, propriiſque obſeruationibus ſaginaui; ſicque ſementem foui, vt tandem ſinceram ſegetem in publicum vſum adſeruandam inde colligere poſſem, quæ ſicut Solis virtute ab inquinante Zizania fuit præſeruata, ita in horreo meo repoſitam ab alienis iniurijs, & à beſtiolis quibuſdam aculeo potius, quàm dente rodentibus tueri, atq; cuſtodire potis fui. Huius puri tritici vtiliorem farinæ partem in hiſce Conſultationibus, & Reſponſionibus Medicinalibus modò diſtribuo, quarum aliquas ſcriptas fuiſſe ſcias, antequam ſanguinis Circulationi ſubſcripſerim, tum quia plurimorum Anatomes Profeſſorum, Scriptorumque diſcordia, duce quineriam autopſia ipſa, magno mihi argumento erat, veritatem adhuc latere: tum quia earum rerum parum ſemper ſolicitus fui, quas Dogmaticæ Doctrinæ, & Methodicæ Praxi (cui ſemper ſtudui, & nunc potiſſimum ſcribo) nihil addere, nihil detrahere, nihil prorſus immutare cognoui.

Ægrotantium nomina addere, indecorum ſemper putaui, ſiquidem morboſas Religioſorum, Magnatum, ac Principum affectiones Mundo palam facere prorſus dedecet. Benignè accipe, Lector, fœlixque fruere; dum ego interim breui Recentiorum excogitata, atque inuenta forſan non inutiliter tibi conſiderabo. Vale.

b NOI

NOI REFORMATORI
DELLO STVDIO DI PADOVA.

HAuendo veduto, per Fede del Padre Inquiſitore di Padoua, nel Libro intitolato CONSVLTATIONVM, ET RESPONSIONVM MEDICINALIVM CENTVRIÆ QVATVOR, compoſto da Raimondo Zanforte, publico Profeſſore di Medicina in Padoua, non eſſerui coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente, per atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo licenza à Mattio Bolzetta dei Cadorini di poterlo ſtampare, oſſeruando gl'Ordini, &c.

Dat. à 4. Febraro 1668.

{ ALVISE CONTARINI CAV. PROC. REF.
{ ANDREA PISANI PROC. REF.
{

Angelo Nicoloſi Segr.

IN-

INDEX
CONSVLTATIONVM, ET RESPONSIONVM MEDICINALIVM.

CENTVRIA I.

I.	AD Animum Cerebri Principatum petentem.	pag. 1
II.	Capitis Vulnus.	pag. 4
III.	Tinea.	6
IV.	Affectus Cruſtaceus cum Catarrho.	7
V.	Puſtula in Capite cum Hypochondriaco Affectu.	9
VI.	Capillorum Deſluvium.	10
VII.	Cephalæa.	12
VIII.	Cephalicus Dolor.	15
IX.	Capitis Dolor, & Puſtula in Oculo.	16
X.	Hemicrania Periodica.	18
XI.	Hemicrania.	20
XII.	Vertigo.	21
XIII.	Vertigo Tenebricoſa.	25
XIV.	Vertigo incipiens.	27
XV.	Vertiginoſus Affectus.	28
XVI.	Vertigo, & Torpor.	28
XVII.	Vertigo, Suffuſio, Surditas, Arthritis, &c.	30
XVIII.	Phrenitis eſſentialis.	32
XIX.	Mania.	36
XX.	Canis Rabidi Morſus.	38
XXI.	Hydrophobia.	40
XXII.	Hydrophobia imminens.	40
XXIII.	Melancholia cum Mania.	42
XXIV.	Melancholia.	44
XXV.	Melancholia, & Epilepſia.	45
XXVI.	Melancholia Hypochondriaca, & vocis læſio.	47
XXVII.	Vigilia morboſa, ſeu Pervigilium.	48

b 2 XXVIII.

Digitized by Google

I N D E X.

XXVIII.	*Lethargus.*	*Pag.* 51
XXIX.	*Coma Somnolentum.*	54
XXX.	*Coma Vigil*	56
XXXI.	*Comatoſus Affectus.*	58
XXXII.	*Carus*	59
XXXIII.	*Caroticus, & Vertiginoſus Affectus.*	61
XXXIV.	*Catalepſis.*	63
XXXV.	*Memoria imminuta.*	65
XXXVI.	*Memoria amiſſa, & Stultitia.*	67
XXXVII.	*Apoplexia.*	69
XXXVIII.	*Incubus.*	73
XXXIX.	*Epilepſia, & totius Corporis Torpor.*	75
XL.	*Epilepſia.*	78
XLI.	*Epilepſia.*	80
XLII.	*Epilepſia ab Vtero, Ventriculo, & Hypochondrijs.*	81
XLIII.	*Epilepſia ab Vtero.*	83
XLIV.	*Epilepſia ex imminutis Menſibus.*	85
XLV.	*Epilepſia ab Hypochondrijs.*	86
XLVI.	*Epileptici, & Hyſterici Affectus.*	88
XLVII.	*Epileptici Affectus.*	91
XLVIII.	*Epileptici, & Conuulſiui Affectus, cum Melancholia Hypochondriaca.*	94
XLIX.	*Præſeruatio ab Epilepſia.*	96
L.	*Conuulſio Epiſthotonos.*	97
LI.	*Motus Conuulſiui.*	99
LII.	*Dolores pungentes Muſculorum. Motus conuulſiui Crurum. Fæcum, & Vrinæ modò Excretio inuoluntaria, modò Retentio. Penis Flacciditas.*	102
LIII.	*Colli Diſtorſio.*	103
LIV.	*Paralyſis.*	105
LV.	*Paralyſis.*	106
LVI.	*Pareſis, & Dolores Articulares.*	107
LVII.	*Appendix ad Pareſin.*	108
LVIII.	*Paraplegia. Memoria læſio, motus conuulſiui, & Exolutiones.*	109
LIX.	*Crurum imbecillitas, & Tremor.*	111
LX.	*Torpor Crurum. Venus Ignaua. Vertigo incipiens. Melancholia Hypochondriaca.*	113
LXI.	*Torpor Brachij, & Cruris.*	116
LXII.	*Torpor, & Stupor.*	118
LXIII.	*Stupor, & Torpor.*	123
LXIV.	*Stupor, & Torpor Infernarum partium.*	125
LXV.	*Stupor, Torpor, & Rancedo.*	126
LXVI.	*Torpor, & Stupor, Gonorrhæa, & Phimoſis.*	128
LXVII.	*Catarrhalis Deſtillatio.*	130
LXVIII.	*Catarrhalis Deſtillatio.*	132
LXIX.	*Catarrhalis Deſtillatio.*	134
LXX.	*Deſtillatio ſalſa, & Muliebre Profluuium.*	136
LXXI.	*Deſtillationes catarrhales ad varias partes.*	138
LXXII	*Pro eadem.*	141
LXXIII.	*Catarrhalis deſtillatio, & Viſcerum Dyſcraſia*	143
LXXIV.	*Ophthalmia.*	144
LXXV.	*Ophthalmia cum maculis.*	145
LXXVI.	*Ophthalmia, & imminuta Viſio.*	147
LXXVII.	*Ophthalmia Præſeruatio.*	148
LXXVIII.	*Suffuſio.*	149

L XXIX.

INDEX.

LXXIX. *Suffuſio incipiens.* 150
LXXX. *Viſus Laſio.* 152
LXXXI. *Viſus Laſio.* 153
LXXXII. *Suffuſio Incipiens.* 154
LXXXIII. *Suffuſio progreſſa.* 156
LXXXIV. *Mydriaſis, & Suffuſio.* 157
LXXXV. *Suffuſio cum Ophthalmia, & Linguæ Stupore.* 159
LXXXVI. *Viſus Laſio.* 160
LXXXVII. *Epiphora.* 162
LXXXVIII. *Surditas.* 164
LXXXIX. *Surditas.* 165
XC. *Vlcus Auris.* 166
XCI. *Parotis.* 168
XCII. *Hæmorrhagia Narium.* 169
XCIII. *Narium Hæmorrhagia.* 171
XCIV. *Ozæna.* 172
XCV. *Eryſipelas in Facie.* 174
XCVI. *Rubedo, & Cruſta in Facie.* 176
XCVII. *Oris Tortura.* 177
XCVIII. *Pro eodem. Conſultatio altera.* 179
XCIX. *Dentium Mobilitas.* 181
C. *Guſtus, & Olfactus Depravatio, cum inappetentia, & totius Spontaneæ Laſſitudine.* 182

Centuria II.

I. *Loquela depravata.* 187
II. *Conſultatio Altera.* 188
III. *Vocis laſio.* 191
IV. *Raucedo.* 193
V. *Anginoſus affectus.* 294
VI. *Angina.* 196
VII. *Spirandi difficultas.* 198
VIII. *Spirandi difficultas.* 201
IX. *Spirandi difficultas.* 202
X. *Aſthma.* 203
XI. *Spirandi difficultas, & alij Affectus.* 205
XII. *Deſtillatio ad pectus.* 206
XIII. *Deſtillatio ad Pectus.* 208
XIV. *Deſtillatio ſalſa ad Pectus, cum Tuſſi.* 210
XV. *Reiectio Sanguinis à Pulmonibus.* 213
XVI. *Sanguinis excretio per os.* 216
XVII. *Sputum Sanguinis.* 217
XVIII. *Catarrhalis deſtillatio, & imminens Phthiſis.* 219
XIX. *Catarrhalis fluxio, atque Pulmonum Vlcus.* 221
XX. *Catarrhalis deſtillatio. Sputum Sanguinis.* 223
XXI. *Sanguinis excretio. Catarrhalis deſtillatio. Et Spirandi difficultas.* 225
XXII. *Sanguinis excretio per os, cum deſtillatione.* 227
XXIII. *Hæmoptyſis.* 229

INDEX.

XXIV.	Sputum Sanguinis.	230
XXV.	Sanguinis excretio à Pulmonibus.	231
XXVI.	Sputum Sanguinis.	233
XXVII.	Hæmoptoicus.	234
XXVIII.	Sanguinis excretio per os.	236
XXIX.	Sanguinis Reiectio à Pulmonibus.	238
XXX.	Sanguinis ſputum.	239
XXXI.	Phthiſis.	241
XXXII.	Sputum ſanguinis.	242
XXXIII.	Phthiſis ex Hypochondriorum Tumore.	246
XXXIV.	Phthiſis.	247
XXXV.	Phthiſis ex ſuppurata Pleuritide.	248
XXXVI.	Apertio cadaueris.	249
XXXVII.	Sputum purulentum ſine Phthiſi.	250
XXXVIII.	Sputa purulenta ſine Tabe.	251
XXXIX.	Pleuritis.	253
XL.	Peripneumonia.	255
XLI.	Empyema.	258
XLII.	Empyema.	260
XLIII.	Empyema, & Febris duplex Tertiana Continua.	261
XLIV.	Ad Ampliſs. & Præſtantiſs. Senatorem. De ſanguinis transfuſione Reſponſum. Ex Cordis Præſtantia excogitata, & confutata Sanguinis Transfuſio.	263
XLV.	Cordis Palpitatio.	268
XLVI.	Motus tremulus cordis, ſiue illegitima Palpitatio.	271
XLVII.	Cordis Palpitatio.	273
XLVIII.	Cordis Palpitatio, cum Melancholia.	274
XLIX.	Syncope.	276
L.	Pulſus intermittens.	278
LI.	De vena aperienda in Febribus bilioſis.	280
LII.	Febris Amphimerina.	281
LIII.	Febris Catarrhalis à Pulmonibus.	282
LIV.	Febris Catarrhalis à Pulmonibus, Sputum Sanguinis, & Quartana.	284
LV.	Erratica Febris.	285
LVI.	Duplex Quartana.	287
LVII.	Dubitationi reſponſum.	288
LVIII.	Febris longa, cum Hecticæ ſuſpicione.	290
LIX.	Febris Chronica.	291
LX.	Febres annuæ, cum Deſtillatione Catarrhali.	293
LXI.	Febris quinque annorum, cum Hepatis Tumore Scirrhoſo.	294
LXII.	Febris alba in Virgine.	296
LXIII.	Hectica ſecundi gradus, & femoris Luxatio.	298
LXIV.	Pro eodem. Conſultatio Altera.	299
LXV.	Hectica incipiens.	301
LXVI.	Chyloſis, ſiue de modo Chylificandi Reſponſum.	302
LXVII.	Ad Amicum de Dolore Reſponſum.	305
LXVIII.	Cardialgia Legitima.	308
XXIX.	Cardialgia Spuria.	311
LXX.	Ventriculi anxietas, & Dolor à cibo.	312
LXXI.	Pro Sereniſſimo infante Congrua viuendi ratio.	312
LXXII.	Inappetentia.	316
LXXIII.	Canina Fames.	318

LXXIV.

INDEX.

LXXIV.	*Bulimos.*	320
LXXV.	*Sitis morboſa.*	322
LXXIV.	Pica In *Gravida.*	324
LXXVII.	*Ventriculi imbecillitas, & Arthritis.*	326
LXXVIII.	*Dyſpepſia cum* V*omitu ciborum.*	327
LXXIX.	*Dyſpepſia ad acidum.*	329
LXXX.	*Vomitus quotidianus.*	331
LXXXI.	*Vomitus Sanguinis.*	333
LXXXII.	*Singultus.*	335
LXXXIII.	*Cholera humida.*	337
LXXXIV.	*Cholera ſicca.*	339
LXXXV.	*Affectus Ructuoſus.*	341
LXXXVI.	Ventriculi *inflammatio.*	343
LXXXVII.	*Tumor inſignis Ventriculi Oedematoſus.*	345
LXXXVIII.	*Tumor Pylori.*	346
LXXXIX.	*Tumor Pylori.*	348
XC.	Lienteria.	849
XCI.	*Cœliaca Paſſio.*	351
XCII.	C*olica Paſſio frigida.*	353
XCIII.	*Colica* P*aſſio Calida.*	356
XCIV.	*Iliaca Paſſio.*	358
XCV.	L*umbrici.*	361
XCVI.	*Dyſenteria.*	364
XCVII.	*Teneſmus.*	368
XCVIII.	*Dolor* H*æmorrhoidalis.*	370
XCIX.	*Hæmorrhoidalis Fluxus.*	371
C.	H*æmorrhoides num ex toto ſupprimendæ.*	373

Centuria III.

I.	*Affectus Hypochondriacus legitimus.*	377
II.	*Hyppochondriaca Affectio.*	379
III.	*Affectio Hypochondriaca.*	380
IV.	*Hypochondriacus Affectus.*	381
V.	*Hypochondriaca Affectio.*	382
VI.	*Hypochondriaca Affectio.*	383
VII.	*Affectio Hypochondriaca.*	385
VIII	*Hypochondriaca affectio:*	386
IX.	*Affectio Hypochondriaca.*	388
X.	*Dolores Hypochondriaci.*	389
XI.	C*ruciatus immanes Melancholici.*	390
XII.	*Melancholia Hypochondriaca.*	392
XIII.	*Melancholia Hypochondriaca.*	394
XIV.	*Meelancholia Hypochondriaca.*	396
XV.	*Melancholia* H*ypochondriaca.*	397
XVI.	*Melancholia* H*ypochondriaca.*	399
XVII.	*Melancholia Hypochondriaca.*	401
XVIII.	*Melancholia Hypochondriaca.*	402
XIX.	*Melancholia Hypochondriaca.*	403
XX.	*Melancholia Hypochondriaca.*	406
XXI.	M*elancholia* H*ypochondriaca, cum* M*ania.*	408
XXII.	*Melancholia Hypochondriaca ab* V*tero.*	410

XXIII.

INDEX.

XXIII:	*Melancholia Hypochondriaca.*	412
XXIV.	*Melancholia* Hypochondriaca.	414
XXV.	*Melancholia Hypochondriaca.*	416
XXVI.	*Melancholia Hypochondriaca.*	417
XXVII.	*Melancholia* Hypochondriaca.	419
XXVIII.	*Melancholia Hypochondriaca, cum nigrorum excretione.*	421
XXIX.	*Melancholia, & varij Affectus Hypochondriaci.*	423
XXX.	*Melancholia Hypochondriaca cum Vertigine.*	427
XXXI.	*Affectio Melancholica, & Hypochondriaca, cum* Vertigine.	429
XXXII.	*Melancholia Hypochondriaca, & Catarrhalis Deſtillatio.*	430
XXXIII.	*Melancholia* Hypochondriaca. *& Fluxio Catarrhalis.*	432
XXXIV.	*Melancholia Hypochondriaca, & Aſthma.*	434
XXXV.	*Melancholia Hypochondriaca, & Abortus.*	435
XXXVI.	*Meſenterij obſtructio, & Iecoris Scirrhoſus Tumor.*	436
XXXVII.	*Meſenterij, & Meſocoli Abſceſſus.*	437
XXXVII.	Lienis *obſtructiones.*	438
XXXIX	Lienis *inflammatio.*	440
XL.	*Tumor ſcirrhoſus Lienis.*	442
XLI.	*Lienis ſcirrhus.*	444
XLII.	*Puer* Lienoſus. *Conſultatio Prima.*	446
XLIII.	*Pro eodem. Conſultatio Secunda.*	448
XLVI.	Lienoſus *Infans.*	450
XLV.	*Tumor Scirrhoſus* Lienis.	452
XLVI.	*Tumor Lienis.*	453
XLVII.	*Tumor inſignis Lienis.*	454
XLVIII.	*Pro eadem.* Conſultatio *Secunda.*	456
XLIX.	*Pro eadem. Conſultatio Tertia.*	457
L.	Hepatis *obſtructio.*	458
LI.	Iecoris *obſtructiones.*	459
LII.	*Dolor Hepatis* Periodicus.	461
LIII.	Iecoris *Obſtructio. Siniſtra partis Torpor. Difficilis reſpiratio.*	463
LIV.	Icteritia.	466
LV.	*Hepatis obſtructiones cum icteritia.*	468
LVI.	*Icteritia, cum Doloribus* Hypochondriorum.	469
LVII.	Iecoris *inflammatio.*	471
LVIII.	Iecoris *obſtructiones, & Tumor durus.*	473
LIX.	*Tumor Hepatis Scirrhoſus.*	475
LX.	*Tumores* V*iſcerum Naturalium* Scirrhoſi.	477
LXI.	*Fluxus Hepaticus* Legitimus.	479
LXII.	*Fluxus* Hepaticus *Spurius.*	481
LXIII.	Cachexia *ex Fluxu Hemorrhoidali, cum Auris Tinnitu.*	483
LXIV.	Cachexia *Principium. Nephritici, & Hyſterici Affectus.*	486
LXV.	Cachexia, *cum Menſium* Imminutione.	488
LXVI.	*Malus corporis habitus, cum Hypochondriaca Affectione.*	490
LXVII.	Cachexia *incipiens, cum Reſpirandi Difficultate.*	491
LXVIII.	Cachexia, *& Hydropis Principium.*	493
XXIX.	*Aſcites.*	495
LXX.	Tympanias.	498
LXXI.	*Tympanites.*	500
LXXII.	*Anaſarca.*	501
LXXIII.	*Anaſarca.*	503
LXXIV.	*Hydrops cum Orthopnœa.*	505
LXXV.	*Hydrops omnis Generis.*	506

LXXVI.

INDEX.

LXXVI.	*Atrophia in Puero.*	507
LXXVII.	*Atrophia in Hypochondriaco.*	508
LXXVIII.	*Atrophia, & Febricula.*	510
LXXIX.	Frigidus *Maraſmus.* Conſultatio *Prima.*	511
LXXX.	*Pro eodem.* Conſultatio *Secunda.*	513
LXXXI.	*Pro eodem.* Conſultatio *Tertia.*	514
LXXXII.	*Pro eodem.* Conſultatio *Quarta.*	515
LXXXIII.	*Pro eodem.* Conſultatio *Quinta.*	516
LXXXIV.	*Macies ex intemperie ſicca Ventriculi, &* Hypochondriaca *Affectio.*	517
LXXXV.	*Pro eodem Principe. Conſultatio Altera.*	521
LXXXVI.	Macies, *cum ſeroſitatibus, ex Viſcerum* Calore:	524
LXXXVII.	*Macies, Vigilia, & Arenula.*	527
LXXXVIII.	*Arenoſa diſpoſitio.*	531
LXXXIX.	Calculoſa, *& Hypochondriaca Affectio.*	533
XC.	*Nephritis, cum* Hypochondriaca *Affectione.*	535
XCI.	*Renum Calculus.*	537
XCII.	*Pro* Calculoſo.	538
XCIII.	Calculus *fixus in renibus.*	540
XCIV.	*Nephritici Dolores.*	541
XCV.	*Nephriticus Dolor.*	542
XCVI.	*Renum* Calculus.	544
XCVII.	Præſervatio *à Renum* Calculo.	546
XCVIII.	Præſervatio *à* Renum Calculo.	547
XCIX.	*Renum inflammatio.*	549
C.	*Renum* Ulcus.	550

Centuria IV.

I.	*Diabetes.*	553
II.	*Vrina ſuppreſſio ſupra* Veſicam.	556
III.	Vrina *ſanguinea.*	557
IV.	*Mictio ſanguinea.*	558
V.	*Vrina difficultas.*	560
VI.	Vrina *ardor, ac difficultas.*	562
VII.	*Vrina ardor.*	563
VIII.	*Stranguria, & Dyſuria cum* Carnoſitate.	565
IX.	Vrina Vitiata.	566
X.	*Stranguria.*	568
XI.	Mictio *Vitiata.*	569
XII.	Veſicæ Calculus.	571
XIII.	*Veſica* Calculus.	572
XIV.	*Veſica* Calculus.	575
XV.	Veſicæ Calculus, *cum* Iſchiade.	577
XVI.	Præſervatio *à* Veſicæ Calculo.	580
XVII.	Veſicæ *inflammatio.*	581
XVIII.	Veſicæ Vlcus.	582
XIX.	Veſicæ *Vlcus.*	584
XX.	*Penis Flacciditas.*	585
XXI.	Ignavia *ad Venerem.*	588
XXII.	Penis *difficilis erectio, Arenularum Mictio, &* Imminuta Viſio.	590
XXIII.	*Vaſorum ſeminalium Imbecillitas.*	592

XXIV.

INDEX.

XXIV.	*Gonorrhæa Gallica.*	598
XXV.	*Gonorrhæa illegitima.*	596
XXVI.	*Gonorrhæa ſpuria.*	598
XXVII.	*Gonorrhæa ſpuria.*	600
XXVIII.	*Gonorrhæa ſpuria, cum Macie Totius.*	601
XXIX.	*Lues Gallica.*	602
XXX.	*Vlcus gula Gallicum.*	604
XXXI.	*Gallica lues, & ſpirandi difficultas.*	606
XXXII.	*Gallica lues, Et Affectio Hypochondriaca.*	607
XXXIII.	*Gallica lues in calculoſo.*	609
XXXIV.	*Dolores articulares Gallici.*	610
XXXV.	*Deſtillatio Gallica, & Dolores Articulorum.*	611
XXXVI.	*Pro eodem Conſultatio Secunda.*	613
XXXVII.	*Profluvium Menſium.*	614
XXXVIII.	*Menſium Periodicum Profluvium.*	616
XXXIX.	Muliebre *Profluvium.*	617
XL.	*Muliebre Profluvium.*	619
XLI.	*Muliebre Profluvium.*	620
XLII.	*Muliebra profluvium, cum vteri Ardore.*	622
XLIII.	*Menſium ſtillicidium, & muliebre profluvium.*	623
XLIV.	*Menſium ſtillicidium, cum Herpete.*	625
XLV.	*Hyſterica Affectio, ex Suppreſſis* Menſtruis.	627
XLVI.	*Hyſterica affectio, cum Hypochondriaca.*	628
XLVII.	*Hyſterici affectus, ſterilitas, cum Melancholia* Hypochondriaca.	630
XLVIII.	*Hyſterica, & Hypochondriaca Affectio.*	633
XLIX.	Hyſterici *dolores, cum diabetica diſpoſitione.*	633
L.	*Pro eadem Conſultatio Secunda.*	637
LI.	*Virgineus morbus, ſeu febris alba, cum ſupppreſſione Menſium.*	638
LII.	*Sterilitas.*	640
LIII.	*Sterilitas.*	641
LIV.	*Sterilitas, & deſtillatio ſalſa.*	643
LV.	*Sterilitas ad tempus.*	645
LVI.	*Infæcunditas.*	646
LVII.	*Infæcunditas, & alia ſymptomata.*	649
LVIII.	*Dubium de infæcunditate.*	651
LIX.	*Abortus, & Partus non Vitales.*	652
LX.	*Abortus.*	654
LXI.	*Ad abortum pracauendum.*	656
LXII.	*Vteri ſcirrhus.*	657
LXIII.	*Tumor ſcirrhoſus* Vteri.	658
LXIV.	Cancer *vteri.*	661
LXV.	*Pro eadem Conſultatio Secunda.*	663
LXVI.	*Arthritis.*	665
LXVII.	*Arthritis.*	667
LXVIII.	*Dolores articulares, macies, & alij Affectus.*	670
LXIX.	*Arthritis, & alij Affectus.*	672
LXX.	*Arthritis, &* Hyſterica *Paſſiones.*	674
LXXI.	*Dolores arthritici, &* Podagrici.	675
LXXII.	*Podagrici dolores.*	676
LXXIII.	*Podagra.*	678
LXXIV.	*Podagra.*	681
LXXV.	Podagra.	683
LXXVI.	Podagra.	685

INDEX.

LXXVII.	*Podagrici Dolores.*	pag. 687
LXXVIII.	*Podagra, cum Nephritide.*	689
LXXIX.	*Podagra, & Iſchiadicus Dolor.*	691
LXXX.	*Iſchias.*	692
LXXXI.	*De Podagra quæſita.*	694
LXXXII.	*Scabies ſicca, Hypochondriaca, & Stranguria.*	696
LXXXIII.	*Scabies cum Febricula.*	698
LXXXIV.	*Pſora.*	700
LXXXV.	*Cancer Mamillæ ſine exulceratione.*	702
LXXXVI.	*Cancer in Mamilla.*	704
LXXXVII.	*Luxatio cubiti.*	706
LXXXVIII.	*Spinæ ad anteriora contorſio.*	707
LXXXIX.	*Ramex incipiens.*	708
XC.	*Abſceſſus Muſculorum abdominis.*	709
XCI.	*Vlcera Herpetica Gallica.*	710
XCII.	*Herpes exedens.*	711
XCIII.	*Herpes exedens in Crure.*	713
XCIV.	*Varices ex ſanguine Melancholico.*	715
XCV.	*Varices ex ſanguine crudo.*	717
XCVI.	*Cruris Tumor Oedematoſus.*	718
XCVII.	*Plaga in Crure.*	720
XCVIII.	*Plaga in Pede*	721
XCIX.	*Quæſitum de Defuncto ex Sclopi Vulnere.*	722
C.	*De Syrupo Roſato Solutivo contra Septalium.*	723

FINIS.

ERRA-

Digitized by Google

Errata ita Corriges.

Pag. 31	Lin. 24	hebdomodam	Lege	hebdomadam
33	20	valdà		valdè
35	41	ſepius		ſæpius
43	37	grad.		gran.
	55	multis		multi
45	16	Caitis		Capitis
58	21	Pleuritidem		Phrenitidem
72	8	temperanti		temperamenti
102	37	ipſæ		ipſe
105	13	ſpiritum		ſpirituum
118	6	lentiſcho		lentiſco
132	47	vniuerſi		vniuerſo
161	57	eſolui		reſolui
182	42	facillimè		facillimè
185	6	fic		fit
199	16	Et vena brachii, ex potius		Ex vena brachii, & potius
209	11	vnicas		vncias
239	56	ſecutæ		ſecutas
249	33	ex phthiſi vlcere		phthiſi ex vlcere
298	38	facultates		facultate
	40	motu		motus
302	27	ſciſcitari		ſciſcitaris
382	38	ttium		tribus
384	13	aut puſtulis		ac puſtulis
390	37	Arbitrro		Arbitror
398	3	quandodoque		quandoque
414	9	cotdi		cordis
422	14	d		ad
448	35	melancholica		melancholia
443	28	Aſplenij, ſcolopendrij		Splenij, ſcolopendrij, & ſic alibi
507	6	Elleb.		Helleb.
576	25	Vlnariæ		Vrinariæ
578	43	præſeruatiuam		præſeruatiua
600	26	enarratis ex		ex enarratis
620	33	profluuim		profluuium
623	27	addictus		addicta
651	11	menſem		menſe
653	45	præſcribendendum		præſcribendum.
700	9	iudicant		indicant

CON-

CONSVLTATIONVM ET RESPONSIONVM MEDIC. CENTVRIA I.

RAYMVNDI IO: FORTIS VERONENSIS.

Ad Amicum Cerebri Principatum petentem.

CAPITIS præſtantia, non ex ſolo nomine, ſed ex ſitu quoque, figura, compoſitione, ac regimine depromitur. Et quidem, ſi nomen attendatur, dicitur vniuerſi corporis Caput; quod ſcilicet quid cæteris membris præſtantius, atque dignius ſonat; quippe, ſi ſitum ſpectemus, in ſublimi collocatum eſt; ſi figuram, ſphæricam, cœleſtem ſcilicet; ſi compoſitionem, admirandam certè, diuinique operis compendium; demum, ſi regimen expendamus, Microcoſmi principatum obtinere, non ſecus, ac Deus in Macrocoſmo, confitebimur; in ipſo enim præſtantiſſimum, ac nobiliſſimum viſcus, Cerebrum reperitur, in quo tanquam in propria, ac præcipua ſede Anima reſidet rationalis, atque immortalis, Diuinitatis imago. Huius autem nobiliſſimæ partis conſeruatio, quantum interſit humanæ vitæ, facilè patefaciam; paucisque oſtendam, Cordi non æquari ſolùm, ſed dignitate præcellere; teque Lector humaniſſime, atque doctiſſime, Iudicem appello.

Cerebrum itaque, inſtrumentum ad vitam præſtantiſſimum, ſi Gal[a]. audiamus, eſt Animalis pars princeps, qua duplex munus anima præſtat; vnum, nobiliores ſuas functiones, principeſque exercendo, Imaginationem ſcilicet, Ratiocinationem, Memoriam, Cogitationem, Senſumque Communem; alterum, toti corpori Senſum, & Motum, mediante ſpiritu animali, per neruos, communicando; ſicque Cerebrum, dictante Gal[b]: eſt Domicilium, & Organum, tum Principum, tum non Principum Animæ facultatum; ideò Cerebro, hominem per intellectum ab animali; atque per ſenſum, ac motum, animal à plantis diſtingui facilè demonſtrabo.

a 7 de Plac. 5.

b 1 Progn. 6.

Et primò quidem in Cerebro, tanquam in proprio domicilio, ſedem obtinet Senſus communis, omnium ſenſoriorum princeps, cuius vis, atque facultas, pro accommoda-

ti organi determinata conſtitutione, atque ſtructura, certaque, ac varia proportione; in alios quinque Senſus exteriores elongatur; atque diſtribuitur, qui veluti riuuli ab ipſo, tanquam à fonte emanant; vnde eſt centrum, in quo omnes vniuntur ſpecies ſenſibiles, à miniſtris ſenſibus allatæ, iuſtuſque Iudex ipſarum differentias conſtituit, omneſque illorum actiones diligenter obſeruat.

At non ſentiendi tantùm, verùm & voluntatiè mouendi proprium inſtrumentum, Cerebrum diximus; in ipſo enim neruorum radicatio eſt, & ab ipſo, ad totum corpus, eorundem propagatio, qui cum Græcis, ſecum vehunt animalem hanc facultatem, ad nutum voluntatis operantem; adeo vt ſenſum non ſolùm, ſed motum quoque Cerebrum cæteris partibus omnibus ſuppeditet, atque communicet, per partem medullarem, ſola irradiatione; non ſecus, ac Sol, qui lucido ſuorum radiorum iubare totum Orbem illuſtrat. Cum Arabibus verò, Motrix, atque Senſitiua Facultas, à ſpiritibus animalibus, ad vniuerſum corpus, per neruos, defertur. Vtcunque verò ſit, & irradiatio, cum Græcis, & ſpiritus animales, cum Arabibus, à Cerebro proficiſcuntur, & mediantibus neruis, in totum diffunduntur, qui nerui, ſenſus, & motus inſtrumenta, mediata ſaltem, triplicem habent & ipſi cum Cerebro ſubſtantiam; medullam ſcil. quæ ab ipſiuſmet cerebri ſubſtantia; mediam, quæ à pia meninge; & exteriorem, quæ à dura deriuatur; quæ tamen non eadem, quæ in Cerebro permanet; quia nerui omnes ſunt cerebro duriores, ob actiones ab ipſis obeundas; & ideo proprietates ſubſtantiarum, facultatum quoque proprietates immutare declarauit Galenus [c]. Hinc fit, vt Cerebri quoque ſubſtantia, a qua nerui deriuantur, durior in poſteriori; mollior verò in anteriori parte reperiatur, quoniam & nerui alij duri, alij molles requirebantur; duri quidem, ut ad motum; molles uerò, ut ad ſenſum aptiores forent, etenim ſenſus in paſſione, motus in actione conſiſtit; mollities enim impedit actionem, motionem nempe, tenſione perficiendam; durities verò hebetem reddit ſenſum ipſum, quia huius cauſa ſenſibile, nec tam citò, nec adeo perfectè, & exactè in organum agit, ipſumque alterat, ſuique ipſius ſpeciem in illud imprimit: quæ omnia acutè conſiderabat Galen [d]. Atque adeò tres apparent naturæ ſcopi in neruorum diſtributione. Primus quidem, & principalis, vt ſenſibilibus partibus ſenſum impertiret; ſecundus, vt mobilibus motum; tertius, vt partes omnes moleſta perciperent.

c 8. de Vſu Part. 6.

d 15. de Vſu Part. 1. & 8. 6.

Dixi, quod ſcopus primus, & principalis naturæ fuit ſenſus diſtributio, quoniam per ſenſum. Animal à Vegetabilibus, Plantiſue diſtinguitur, perinde ac eſſe Animalis in Cerebro conſiſtat; docuit enim Philoſophus 3. de Anima, quod ſenſus Tactus, præ cæteris omnibus, ad vitam maximè neceſſarius eſt; ſiquidem per ipſum, Animalia, moleſta, ac ſibi ipſis detrimentum inferentia, & corpus labefactantia perſentiunt, ac procul expellunt, vitamque propriam tuentur; vnde fit, vt deſtructo ipſo Tactu, deſtruatur & ipſum animal, nec alterum ſine altero dari poſſit; conſtituitur enim in eſſe Animal per ſenſum potiſſimum Tactus; atqui Tactus, per neruos, à Cerebro prouenit; ergò à Cerebro quoque, tanquam à fonte Tactus, pendet ipſius animalis eſſe. Quod quoniam de Corde aſſerere, aut concludere minimè poſſumus, ideo Cerebrum cordi non æquari ſolùm, verùm & dignitate præcellere omninò aſſerendum.

Nec me latet, Cerebrum ad ſuas operationes obeundas, vtque ſubiectis animalis partibus eaſdem impertiat, vitalibus egere Spiritibus, qui quoniam fabricantur in corde, cor ideo videatur operationum cerebri quodammodo principium eſſe: Hæc enim obiectio facile diluitur, ſi dicamus, Iecur, imo & Ventriculum hac ratione principatum obtinere, quoniam in ijs partibus materia pro ſpiritibus generandis præparatur, nimirum chylus, & ſanguis; quod aſſerere ridiculum foret; ita enim & alimentum, antequam ingeratur, dici poſſet noſtrarum operationum auctor, atque principium.

Sed melius, ſi reſpirationem à Cerebro manantem conſideremus, ut pote ad uitam omninò neceſſariam, Cerebrum Cordi uices rependere uidebimus, atque illi par eſſe hoc officio, affirmabimus. Sicut enim Cerebrum, Spiritus animales producere, ſine vitalibus à corde tranſmiſſis minimè poteſt; ita neque cor vitales ſine reſpiratione, quæ quoniam à cerebro mediantibus neruis, ad muſculos thoracis propagatis, perficitur (unde uidemus Apoplecticos, ob inſignem Cerebri læſionem, reſpiratione priuari, & citò interire) ideo liquidò apparet non minus cerebro cor, quàm corde cerebrum, pro uita animalis indigere. Quam ob cauſam credendum, Ariſtotelem aſſeruiſſe, cordis calorem à cerebri frigiditate moderari, mediante ſcil. reſpiratione, quæ à cerebro prouenit.

Sed

Digitized by Google

Sed quod maximum, per Intellectum, cuius ſedem Cerebrum dicimus, diſtinguitur homo, Animalium perfectiſſimum, à cæteris Animalibus, vtpote in quo eſt principium Facultatis hominem gubernantis; vnde Gal.[e] aſſerebat, contra Chryſippum, Cerebrum ipſum humani corporis imperium obtinere, non Cor: ſicut enim natura Cerebro imperium, ita Cordi obſequium demandauit. Cor etenim, vt ait ipſe, Iraſcibilis Facultatis eſt domicilium, cuius actio propria Ira eſt; quæ adaucta, atque deprauata euadit in Excandeſcentiam, tuncque afficitur cor præter naturam vltionem appetens eius, quod offendiſſe ſibi viſum ſit, niſi inſurgens Cerebrum cordi imperet, vt inuicta conſtantia, ijs, quæ ratio iuſſerit, obtemperet. Quare, dicebat Gal. *Neque nos, o bone Chryſippe, id infitiamur, Cor partem quidem eſſe præcipuam; ſed abſolutè, & ſimpliciter præcipuam omnino negamus.* Hinc & diuinus Plato in Timæo, teſtatum reliquit, *Caput eſſe membrum corporis diuiniſſimum, cui totum corpus ſubeſſe, & parere iuſſerunt. Caput enim,* dicebat, *ratione Cerebri, Animæ diuinæ, & immortalis eſt ſedes.* Pariter & diuinus noſter Senex de Morb. Sacro prodidit; *Lætitias, riſus, & luſus ex cerebro pendere, ſicut & ſapere, & intelligere; ſed ex eodem, hominem & inſanire, & delirare.* Et licet Ariſtoteles, ſedem Animæ in corde reponat, quod & nos ſano modo cum Hipp: concedimus aſſerente, quod, *Mens hominis in ſiniſtro cordis ventriculo poſita eſt, & reliquæ animæ imperat;* nihilominus animæ operationes à cerebro immediatè proficiſcuntur, & per cerebrum manifeſtantur. Et profectò, licèt ita ratiocinari poſſimus, quod ſcil. prudentia in probo ſanguine conſiſtit; probus autem, & purus redditur ſanguis à Corde; ergo prudentia pendet à corde; in Cerebro tamen, tanquam in Organo proprio, perficitur, & exercetur; non ſecus, ac in epiſtomijs muſicalis Organi concentus, ſiue harmonia celebratur, dum à follibus vento repletis, aer iiſdem ſubminiſtratur; quod elegantiſſimè exemplo demonſtrat Hipp.[f] dicens. *Prudentia in animo eſt; animus verò ſedem habet in cerebro, & ſapientiam ipſi cerebro exhibet aer;* Mox ſubdit; *Cerebro à bile corrupto, corrumpitur quoque hominis prudentia; nam quanto tempore quieuerit cerebrum, tanto etiam homo ſapit.* Hæc Hipp. Quorum omnium cauſam, & rationem reddere difficile non fuerit: etenim perfectio, quæ ad intelligentiam, & ratiocinationem requiritur, in mediocri temperatura conſtituta eſt, quæ ideo in corde, vtpote calidiſſimo, & feruidiſſimo exerceri non poterat, ſicut exercetur in Cerebro, in quo ſpiritus animalis, ex vitali quidem genitus, ſed à cerebri frigiditate contemperatus, ac moderatus reperitur, miſtus cum proprio ipſiuſmet ſubſtantiæ cerebri calido inſito, à quo principes omnes actiones, mediante ſpiritu obeuntur, quæ, eodem æſtuante, deprauantur, vt quotidiana experientia teſtatur, noſque docet ipſe Gal.[g]

Agit igitur Anima, iuxtà Cerebri propriæ ſubſtantiæ temperiem; vnde Gal.[h] dicebat. *Cerebrum, non ſecundum compoſitionem, aut compoſitionis varietatem, ad intelligendum concurrit; ſed ſecundum corporis, quod cogitat, atque intelligit, bonam temperiem,* mox ſubdit. *Bonitas enim, ac perfectio intellectus, qualitati potius ſpiritus animalis, ex cerebri propria ſubſtantia emanantis, quam multitudini attribuenda eſt.* Ex quibus omnibus patet, Cerebri temperiem, ad principes, & non principes operationes edendas, ſibi principatum vindicare; ſecundo loco, eiuſdem ſubſtantiæ mollitiem, atque duritiem; ita aſſerente Gal. tum 8. de Vſu. Part. 13. tum in Arte ipſa Medicinali.

Sed quomodo, & in qua Cerebri parte principes operationes exerceantur, parumper expendendum. Intellectus igitur, ſicut ſecundum ſui eſſentiam, reſpectu corporis organici, quod informat, eſt Actus primus; ita reſpectu operationis circa obiecta intelligibilia, Potentia eſt; vnde Anima intellectiua, ſecundum hanc operationem, Intellectus Poſſibilis, forma formarum, & locus ſpecierum intelligibilium receptiuus appellari ſolet; vt propterea ipſius Intellectus natura, adinſtar materiæ primæ, nulla alia ſit, niſi, quæ ſit in pura potentia ad omnia intelligibilia, vt voluit Philoſophus[i]: quemadmodum enim materia prima, quæ ad omne genus formarum, tanquam ad proprium receptibile perfectiuum, obtinet potentiam, omni caret affectione, omni forma, tum ſubſtantiali, tum accidentali, vnde definita fuit in Metaphyſicis, quod ſit, *Nec Quid, nec Quale, nec Quantum, nec vllum aliorum entium, verum potentia eiuſmodi omnia;* ita & Intellectus Poſſibilis, omni ſpecie intelligibili caret, nec vllam in ſui eſſentia includit; cum tamen omnium ſpecierum intelligibilium ſit receptiuus; ratione quarum à Philoſopho,[k] forma formarum appellatus fuit, cum in potentia ſe habeat ad actum ſecundum, nimirum ad operationes, & ad recipienda intelligibilia omnia; vnde dicebat idem tex. 5. quod nihil eſt actu eorum, nullumque eſſe obtinet, antequam intelligat, ſed in ſtatu imperfectionis reperitur; perfectionem autem acquirit,

[e] 3. De Placit. 5.
[f] Lib. de Morb. Sac. 17.
[g] 3. de Loc. Aff. 7.
[h] 8. de Vſu Part. 13
[i] 3. de Anima 7.
[k] 3. de Anima 18.

dum recipiendo; & intelligendo rem aliquam, fit res illa; vt propterea, dum ipſe ſingula intelligit, ſingula quoque fieri dicatur; hinc dicitur Intellectus Poſſibilis, cum poſſit omnia intelligere, omniaque fieri, quod eſt intellectus eſſentiale, atque inſeparabile attributum; Intellectio autem eſt receptio ſpeciei à phantaſmate productæ; & tandiu durat ipſa intellectio, quandiu præſens eſt in ipſo Intellectu Poſſibili ſpecies producta ab illuſtrato phantaſmate agente in Intellectum Poſſibilem; agit autem, & producit ſpeciem ſibi ſimilem, quandiu obijcitur ab ipſa Phantaſia illuſtratum phantaſma ab Intellectu Agente, cuius tale munus eſt.

Et quoniam ita oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari; ideo præter Ratiocinatricem, Imaginatrice quoque, & Memoratrice Facultate opus fuit, ad intellectionem abſoluendam. Quæ tres facultates, tres partes in cerebro loco diſtinctas obtinere debuerunt, quicquid plerique ſentiant; id enim nos docet Gal[l]. ſed præterea ratio id nobis omnino ſuadet. Etenim primò, ex propria ſpecie ſubſtantiæ, propria procedit actio; cum potentia cognoſcitiua, non ſit conſeruatiua, nec conſeruatiua ſit cognoſcitiua; idcirco, non potuit eadem temperies ſubſtantiæ cerebri ſimul ad cognoſcendum, & conſeruandum apta eſſe: conſeruatio enim ſicciorem; cognitio verò humidiorem cerebri ſubſtantiam postulat; & ideo à Gal[m]. pars Cerebri poſterior durior, ac proinde ſiccior; anterior verò mollior, atque humidior obſeruatur; eò quod ſcilic. in parte poſtica conſeruantur ſpecies, & imagines, tanquam in aperto libro impreſſę; Phantaſia verò in antica parte eaſdem ſeruatas imaginatur, & phantaſma producit, ac Intellectui Poſſibili offert; quod interim phantaſma à lumine Intellectus Agentis illuſtratum, ad actum ſecundum intelligendi reducitur, & actuatur intellectio.

l 1. In Primum Prorrh. 27.

m 8. de Vſu Par. 6.

Sed præterea confirmatur locorum neceſſaria diſtinctio; quoniam non potuit idem organum inſeruire cognitioni, & conſeruationi ſpecierum; quia non poteſt potentia cognoſcitiua habere ſpeciem præſentem, quin ipſam cognoſcat; at impoſſibile eſt plura actu cognoſcere; non enim poteſt imaginatiua plura ſimul imaginari, ſicut nec intellectus plura actu intelligere; ſiquidem ipſe, rem intelligens, fit res ipſa; impoſſibile autem eſt, Intellectum fieri ſimul diuerſas res. Quod ſi locus idem, & idem organum vtrique Facultati inſeruiret, vtique ſequeretur hoc impoſſibile, quod Intellectus ſimul plura intelligeret, pluraque fieret; quod volens euitare natura, ſicut officia cognoſcendi, & conſeruandi diſtinxit; ita vnicuique proprium locum aſſignauit.

Ex iam dictis, puto ſatis, ſuperque conſtare, quod ſicut immediatè à Cerebro, non à Corde, per Tactum, diſtinguitur à Vegetabilibus Animal; ita ab eodem, per Intellectum, diſtinguitur à brutis homo; quæ attributa cum cordi concedi minimè poſſint, ideo cerebrum cordi non æquari ſolùm, verùm dignitate præſtare cenſendum, ac proinde eidem cordi principatum concedere æquum non eſſe, concludendum reſtat.

CAPITIS VVLNVS.

MVlier quadragenaria, ſatis carnoſa, & plethotica ex loco mediocriter alto decedens, & ſummum caput, verſus Occiput, ſuper lapidem cuiuſdam portæ, non admodum acutum allidens, vulnus ſibi inflixit longum digiti ferè longitudine, profundum, ita ut tamen ad pericranium non perueniat. Ab hoc caſu ſtatim ſurrexit quidem mulier, ſed omnium rerum inſcia; & ſcalam aſcendit, brachijs tamen, & coxis ex contuſione nigreſactis. Tertia die eidem ſuperuenit febris, cum dolore, non ſolùm vulneris, verum & partium capiti circumpoſitarum. Modò ſtatim accerſitis Medicis Phyſicis, quæ ad eoſdem ſpectant, examinata fuere.

Vulnus, quod conſpicitur in hac Nob. Patiente, eſt continui [a] ſolutio, cæſim, & contuſim facta in capite, ex caſu ab alto, & colliſione vehementi in rem [b] duram externam, vt eſt lapis.

a 2. de Conſt. Ab. Med 6.

b 6. de Cauſ. Mor. Vlt.

Capur autem eſt pars affecta; ſed quoniam plures idem continet, nimirum cu-

Digitized by Google

tem, membranam carnoſam, pericranium, cranium, duram matrem, & piam matrem, uenas, arterias, neruos, & ipſam cerebri ſubſtantiam; ideò ſtatuo læſionem præſentem non pertranſire membranam carnoſam, vel ipſo ſenſu iudice. Sed quoniam vulnus huiuſmodi inflictum fuit non ſolum cum inciſione, verum etiam cum contuſione, ideo in hoc caſu dubitari poteſt de occulta fractura.

Aquapendens cranij fracturæ ſigna proponit, quæ quoniam non adſunt; ideò nec fracturam adeſſe ſperandum; vomitus enim bilioſus aut alterius materiæ ſequutus nō eſt poſt caſum; ſecundò, nec obcæcatio; tertiò, nec obmuteſcentia; quartò, nec ſanguis per nares aut aures effluxit; quintò non iacuit in terra, vt dormiens; ſed ex ſe ſurrexit; & tandem abſque vlla vertigine ſcalam aſcendit. Huiuſmodi autem ſigna, licet non ſint perpetuò concomitantia cranij fracturam, vel venæ alicuius intra cranium, (frangitur enim aliquando, ſed rarò ſine ipſis, tuncque Medici, vel exercitatiſſimi decipi ſolent) attamen ſæpiſſime, ſi non omnia, aliqua ſaltem obſeruantur; Cum autem horum nullum in præſenti caſu apparuerit, ſimplex eſſe huiuſmodi vulnus, ſine cranij, aliarumue internarum partium læſione, abundè ſatis nos aſſerere poſſe mihi videtur. Nec obſtat febris, quæ ſuperuenit; nulla namque ferè inflammatio eandem ſubterfugere poteſt; cum humor iam fluxus, dum concoquitur, fiat pus, quod dum fit, accidunt febres ex dolore magis, quam eodem pure iam confecto.

Quod ſi res ſic ſe habet, ſanitatem futuram polliceri poſſumus; cùm morbus eſſe ſoleat periculoſus [c], vel ob partis affectæ preſtantiam; vel ob affectus magnitudinem; vel quia malignam quandam habeat naturam, quæ omnia cum abſint à caſu præſenti, & periculum abeſſe ſignificatur. Verum tamen eſt, quod ubi adeſt contuſio, nunquam abeſſe debeat ſuſpicio; adeò ut curatio non ſine magna cautione ſit ſemper inſtituenda.

c 4. Meth. 6.

Indicatio vnica eſt, nimirum Vnio; Eſt autem opus naturæ, quod tamen vt ab ipſa perficiatur, ſex [d] auxilia à Medico ſunt præſtanda. Primò ſiſtendus ſanguis. Secūdò inflammatio inhibenda. Tertiò, labia ad mutuum contactum adducenda. Quartò adducta conſeruanda. Quintò, cuſtodienda, ne quid illis intercidat. Et tandem ſubſtantia vulneratæ partis ſalubris conſeruanda. Horū ferè omnes ſcopi à Chirurgo erunt ordine adimplendi.

d Art. Medic. 90. & Celſus Lib. 5. 26.

Noſtrum autem erit, inflammationem, & humorum confluxum ad partem affectam prohibere, reuellendo, repellendo, intercipiendo, euacuando, deriuando.

In Chirurgia, principale remedium eſt venæ ſectio; nam primò prohibet generationem calidorum humorum, refrigerando iecur; ſecundò inhibet humorum iam genitorum fluxionem ipſos euacuando; tertiò reuellit à loco vulnerato. Quare citiſſimè, & prima die eſt ſanguis mittendus, etiam [e] non exhibito leniente. Quantitas erit ad ℥ viij; In huiuſmodi enim caſibus, non plenitudo, ſed magnitudo vulneris, & virium robur conſiderantur; ita vt ſi vulnus eſſet magnum, & in parte principe, cum virium robore, libram excedere neceſſe fuerit. Laudantur etiam reliqua genera reuulſionum, vt frictiones, balnea; omiſſis interim cucurbitulis, veſicantibus, vinculis, inunctionibus calidis, cum vulnus non ſit tanti faciendum.

e Celſus & 4. Meth. 6.

In Pharmacia, miſſo ſanguine, ſtatim leniens propinandum refrigerans, & nihil agitans, quod mirè præſtat Caſſia cum Tamar. Inde refrigerantia, & aliquo pacto adſtringentia debent eſſe alterantia, vt Iulep. Roſ. Viol. Syr. de ſucco Lim., de acid. Cit. de Cich. ſimpl. de end. cum diluto decoct. cich. acet. end. viol. roſ. plantag. hord. & ſem. Cit.

Dum his inſiſtimus, clyſteribus frequentioribus erit vtendum, ad reuulſionem; ſemper enim reuellendum, quouſque durat timor inflammationis, cuius quinto [f] die apparet vigor, atque eius futura magnitudo, quæ ſeptimo die ut plurimum terminatur; licet aliquando protrahatur, dum mitius eſt vulnus, pars affecta frigidior, vt natura ægri, & tempus hybernum, ſi corpus non ſit plethoricum, nec febre affligatur. In caſu itaque præſenti, ſeptimo die terminandam ſperamus.

f Celſ. Lib. 5.

Vſus purgantium, licet his caſibus non improbetur à Gal[g]. in hoc tamen noſtro omitti poteſt, tum ob febrem; tum quia tempus eſt æſtiuum, quo difficiles purgationes; tum etiam quia non adeſt adeo præceps humorum confluxus ad partem.

g 4. Meth. 6. ex Hipp. Lib. de Vic

Victus ſit tenuis, refrigerans, incraſſans, vaſa conſtringens, & vrinam mouens. A vino [h] abſtinendum; auget enim inflammationem, dum humores calefacit, attenuat, & fundit. Somnus ſit moderatus. Motus capitis vitandus; ita vt omnis capitis operatio quieſcat. Animi affectiones pariter euitandæ, præſertim ira. Quæ ſatis præſenti huic affectui curando.

h 4. Meth. Vl.

T I N E A.

NObiliſs. Matrona 36. annum agens, temperamenti calidi, & humidi, boni habitus, prolifica, cui ſemper menſtruæ purgationes ſtatutis temporibus opportunè prodierunt, iam duobus abhinc annis immoderato fluxu ſanguinis hemorrhoidali correpta fuit; quo iterum menſe ſubſequenti repetente, de totius corporis imbecillitate conqueri cępit. Medica præſtita fuere auxilia, pro eodem ſiſtendo, & nihilominus tribus interpoſitis menſibus recurrit, ſicque integro anno bis etiam per menſem; quate non ad munera domeſtica ſolum, verùm etiam ad motum ipſum impotens facta eſt; cùm tamen, ſi ope medica ſiſtatur, palpitationes, tremores, hypochondriorum rugitus inſurgant; quinimò, dum ex toto, aut arte, aut ſponte intercipiebatur, & capitis inflammationes, & febres ſuccedebant. Quibus tamen non obſtantibus, ſumma prudentia à Medicis fluxus iam dictus hemorrhoidalis elapſq; anno fuit ex toto ſuppreſſus. Sed interim cruſtæ in capite effloruerunt ſiccæ, & cineritij coloris, quæ poſt ſcalptum, obſcutam rubedinem in cute præſeferunt, & rurſus, quam citiſſimè expullulant. Vires interim inſtaurantur Nob. Patienti quæ, de agendis, vt ab hoc affectu cruſtaceo liberetur, & incolumis inpoſterum degat, ad Oracula Patauina confugit.

Nobiliſſima Mulier, à naturæ primordijs, totius temperamentum calidum, & humidum nacta, inculpata ſanitate ſemper vitam prolificam duxit, conſuetis menſtrualibus gaudens purgationibus, vſque ad 35. circiter annum, quo immoderato hemorrohidali fluxu corripi cępit ob melancholici, ac ſeroſi ſanguinis prouentum, ex adaucto calore; vnde hemorrhoides, ætate conſiſtentibus accidere dicebat Hippocrat. [a], ſicut & melancholias; *fiunt* [b] *enim*, inquit, *quando natura venas ſedis recludens, atrum humorem ſanguini permiſtum excernit; vt in cruribus Varices; & ideò, ſi tempeſtiuè fiant, non ſunt t. g. p. n. fiunt autem tempeſtiuè*, dicebat Gal [c]. *quando id quod contriſtat, excernitur*. Quoniam vero in hac Patiente, non modo id, quod contriſtat, verùm & ab eo, vtilis etiam copia ſanguinis effluxerat; ideò non mirum, ſi cum totius corporis imbecillitate, ad conſuetas functiones obeundas, inhabilitas, ac impotentia ſubſequuta fuerit. Et quoniam melancholici ſanguinis noua productio nunquàm inhibita fuit, hinc eidem naturæ hoc onus ſtatutis quibuſdam temporibus deponendum, per eandem partem, incubuit; quam euacuationem cordis palpitationes, tremores, rugitus, & hypochondriorum affectus, omnia, ſymptomata melancholici humoris propria, præcedere ſolebant: quinimò, ſi aut diminutè, aut tardius ſuccedebat, capitis quoque inflammationes, cum febre accedebant. Et quia integer iam præterijt annus, quo omninò ſuppreſſa eſt iam dicta hæmorrhoidalis euacuatio, ex melancholici humoris ad caput metaſtaſi, non ſecus ac, qui varicibus [d] deliteſcentibus, calui fiunt; & rurſus, iiſdem magis apparentibus, capillati euadunt; inductæ in eodem ſunt cruſtæ, ſiccæ, & cineritiæ, exuſti humoris, cum aliqua forſan ſalſæ pituitæ, & craſſę portione, indicia; quibus accedit quoq; color in denudata cute ad obſcuram rubedinem vergens, cum iugi, & perenni, poſt earum ablationem, aliarum noua ſobole; vnde Tineæ nomen ſibi vindicare ſolent.

a 3. Aph. 30.
b De Atra Bile 4.
c De Symp. Diff. 6.
d 6. Aph. Tex. Co. 34

Quæ, vt tollantur, quod influit, inhibendum; & abſumendum, ac digerendum, quod iam influxit; Id autem exequemur; ſi Primò totum corpus euacuetur. Secundò caput. Tertiò nouæ materiæ aduſtæ regeneratio prohibeatur; & tandem materia coniuncta affectum fouens, attenuetur, detergatur, atque reſoluatur.

Quod aſſequi licet difficile, impoſſibile tamen non eſt; quia cutis denudata quodammodo rubra eſt, quæ [e] defricata, rubicundior quinetiam euadere poſſet.

Præſeruatio verò dubia redditur, ſine nouo ſanguinis hæmorrhoidalis irritamento; qui tamen rurſus prouocatus nouæ virium imbecillitatis, quinimò, & Cachexiæ, & Hydropis timorem incutiet. Hinc Hipp. [f] *Sanguifluis venis laborantibus, neque morbus lateralis, neque pulmonarius, neque Phagedæna, neque inflammatiuncula, neque Therminti fortaſſe, neque lepra, neque Aphtæ adueniunt*. Quod ſi, hac euacuatione gaudentibus, *Medela importunè adhibita fuerit, talibus non tardè capti ſiunt, & perniciosè, ſicut & alij abſceſſus, aut fiſtulæ*. Gal [g]. autem in Comm. ait, quod, *Tunc medela importuna eſt, quando neque venas per circuitus ſcindunt, neque purgationibus, neque exercitationibus vtuntur; neque vnam apertam relinquunt*. Qua de re in hac

e 1. Per Loc. 2.
f 3. in 6. Epid 37.
g 3. In 6. Ep. 38.

Patien-

Patiente, ità decernendum iudico; non eſſe nimirum euacuationem hæmorrhoidalem rurſus prouocandam, tum quia hæc antiqua non eſt, tum quia, ut ait Gal[h]. *Non eſt aſſuefaciendum euacuationi per hæmorrhoidas, vt quæ periculoſam habeat vtramque immoderantiam, ſiue ſupra modum excernatur, ſiue ex toto ſupprimatur*; & præterea, quia copioſe per uterum expurgatur; ſed purgationibus, & ſanguinis miſſionibus, bis in anno, præuertendam eſſe, maioraque mala præcauenda. h 4. Aph. Com. 25.

Sic in Chirurgico ſonte, primùm ſanguinis miſſionem ex iecoraria dextera laudo, ſed tempore ab vtraque purgatione æquè diſtanti; qui, ſi valdè niger appareat, repetatur ex altero brachio, aut ſi menſtrua parcè procedant, ex ſaphena, euacuatione hæmorrhoidali omiſſa. Cauteria quam maximè neceſſaria, in coxa, ob exuſtum humorem; in brachio verò, ob ſalſam pituitam. Capitis ſcarificationes nullo modo, ſuo tempore erunt negligendæ, poſt dropacem, ſeu picationem. Pro totius autem, & capitis expurgatione, medicamentis ab Eruditiſs. Viro propoſitis omnino ſubſcribo. Verùm in ſecunda præparatione, ſuccis depur. libentius, quam ſyrupis vterer; inde pilulis capitalibus, ter, aut quater quarto quoque die repetitis, diebus intermediis, ſuccis iiſdem in iure cichoraceis alterato exhibitis. Decoctum quoque valde profuturum cenſeo, ex ſalſa, ſantalis, & pauco viſco quercino, in aqua cich. deſtill. paratum, cui ſingulo die præmittatur puluis viperinus, ad gr. xv. vel xx. in quorum vſu ſaltem 30. diebus perſiſtat, à quibus ſucci depur. in vſum ducantur. Lac aſininum quoque validiſſimum eſt aduerſus melancholicum humorem remedium; & exuſtis humoribus in capite exiſtentibus, vtile magis, quàm capiti noxium futurum ſperarem; copioſum tamen ſerum ſuſpectum haberem, cùm omnes inutiles humiditates in venoſo genere tandem aut aceſcant, aut ſalſæ fiant.

Topica iam propoſita in vſu erunt, quorum vis non parum ab oleaginoſis refrangi ſolet. Lixiuio itaque pro capitis lotione addatur acetum, & alteretur beta cum radicibus, abrotano, agrim. abſinth. beton. ſcabioſa, ſabina, centaurea, & vtroque helleboro. Loto capite, dropax, indeque ſcarificationes ſequantur; & poſtea hoc empl. aut vng. pluries à nobis expertum. ℞. lithargyri arg. ℥ j tuthiæ præp. £. 5. calcis viuæ ʒ. ij. fl. ſulph. ʒ i. æris viridis, pulu. ſclopetarij an. ℈. 5. baccarum lauri ʒ. ij. 5. gallarum ʒ j. m. pulueriz. omnia ſubtiliſſimè, acetique, & olei myrtini an. q. ſuf. addatur, & ad formam vnguenti redigatur; cui additur oleum ad doloris remiſſionem.

In victus ratione, iam dictis omnibus accommodanda, duo peculiaria occurrunt mihi recenſenda, vſus ſcil. conſ. roſ. ſemper à prandio; & ſingulo menſe extractum mechoac. ad gr. xv. cum ℨ. ſ. elect. lenit. In reliquis omnibus prudentiſs. directioni Excellentiſs. Viri præſentis ſe committat, vt omnia pro voto ſuccedant.

IV,

AFFECTVS CRVSTACEVS cum Catarrho.

SAPIENTISS. VIR.

PRæteritorum affectuum querelas, virtutis tuæ præcellentis ope, Vir Præclatiſs. ſatis repreſſas, ſuis ad me litteris teſtatus eſt Illuſtriſ. D.N. qui medicis tuis præſcriptis præſidijs, adeo ſe leuatum profitetur, ut æſtate, autūno, ac tota ſerè hyeme præteritis, optimam, & à paſſionibus cōſuetis ſerè immunem obtinuerit valetudinem; deſtillatione nimirum intercepta, ſedata tuſſi, uomitibus ſuppreſſis, & quod caput eſt, roboratis, pluſquam antea uiribus; quo nomine Dominationi tuæ Illuſtriſs. arctiſſimo obſequii nexu obſtrictum ſe confitetur, & meritò, hoc uno Catone contentus, certa ſalutis ſpe, Pythiam iterum conſulturus accedit. Currentis enim Quadrageſimæ initio, Catarrhalis defluxus à capite ad os repentè impetum fecit, expulitque per ſuturas excrementa craſſiora, cruſtas, ut aliàs, excitantia, nondum debellatæ in capitæ diſcraſiæ, nondum morboſi fontis exſiccati argumenta certiora. Quocirca ad uberrimum armamentarium tuum medicum, arcanaque conſilij tui, ac ſelectiora præſidia iterum confugit,

ea exoptans, & efflagitans, quibus eneruatum iam hoſtem proſequi, conculcare, & è corporis finibus feliciter eliminare valeat, atque tandem integra ſanitate frui poſſit.

Quantùm autem interſit, Illuſtriſs. Domine, incolumitati huius Præſtantiſſimi Viri operam nauare, hoc vnum tibi dixiſſe ſufficiat, quod in Aula ab omnibus adamatur, eſtq; ipſi Principi charus ob eius ingenij præſtantem vim; cui proinde ſæpèſæpius, ardua, ac grauiora negotia committuntur. Verum ne, eximia humanitas tua, in noſtrum Patientem toties effuſa, vlteriori ſuadela erubeſcat; ſit idcirco horum terminus, interminata perenni mea erga te obſeruantia.

N. N.

Præclariſsime, & Eruditiſs. Vir.

TAnti facio tuam in Arte præſtantiam, Vir Eruditiſſime, vt malim, qualem me prędicas, à te æſtimari, quàm eſſe. Vtcunque verò ſe res habeat, & Tibi gratulor, & mihi gaudeo, quod tantus Vir tibi amore coniunctus, à tot ſymptomatibus, atque morbis olim diuexatus leuamen non exiguum, ex noſtris pręſcriptis fuerit conſecutus; neque formidandas leues huiuſmodi recidiuas, iam tuæ prudentiæ notiſſimum arbitror, ob altas radices iam dictorum malorum. Caput enim, & per ſympathiam, ac potiſſimum idiopathiam, calida, & humida intemperie affectum iam conſiderauimus, cuius intemperiei reliquiæ nouam materiæ catarrhalis portionem produxerunt, quæ vtpotè minus cruda, non adeò præcipitauit in pulmones, ſed craſſior, & magis quam antea concocta, partim ad os delapſa, partim per ſuturas ad capitis circunferentiam detruſa, cruſtas rurſus excitauit, accedente non leui fomite, ex conſenſu totius venoſi generis, ſeroſitatibus bilioſis, atque cruditatibus ſcatentis, tum in iecore, tum in ventriculo genitis, & in caput tranſmiſsis.

Quæ omnia ad nihilum prorſus redigere, quam arduum ſit, tibi Viro in Arte verſatiſſimo, iam notiſſimum eſt, cùm ſint congenita, & inueterata; non enim ſunt ex illis affectibus, *qui connutriti in ſenecta relinquunt* [a]. Non tamen deſperandum exiſtimo, cùm magna ex parte, medicis præſidijs iam ceſſerint; & ex Artis obſeruatione, quæ adminiſtrata iuuant, repetita ſanent.

[a] 5. in 6. Epid. 6.

Itaque Paſchate ſtatim elapſo, primò leuiter primæ viæ expientur. Secundò, venoſum genus depuretur. Tertiò, caput expurgetur. Quartò, illud idem exſiccetur, & vno eodemque tempore ventriculus roboretur; ac tandem iecoris, & venarum feruor contemperetur.

Pro quibus explendis, primarum viarum expiationem lenientibus, & præparantibus ſine diluto, perficiendam exiſtimo, & ſecundam ulteriorem præparationem ſuccis depur. cich. malu. agrim. in decoct. congrua eſſe moliendàm, pręmiſſo ſemper iulapio acet. in quorum præparantium intermedio ſpatio, venarum ſedalium reſeratio ex vſu maxime fuerit. Ab his, toto expurgato, ad capitis expurgationem deueniendum pil. coch. & aur. addita ʒ ſ. Merc. dulcif. quibus ſuperbibat aquam hordeaceam copioſam. Eædem pil. ter, quaterue repetantur, quarto quoque die; intermedijs verò diebus præbeantur ſucci depur. cichor. fumar. beton. ℥ iij. in decoct. hepatica, & cephalica; & errhinis tandem eiuſdem capitis perfecta exinanitio procuranda; vt mox quartam intentionem aggrediamur, decocto exſiccante quidem, verùm non calefaciente, minimeque fundente, quod parabitur in aqua deſtillata cich. beton. ex radic. chinæ, roſarum, ligno roriſmar. & ſantalis albis; cui pręmittatur puluis viperinus ſimplex, ſine ambra, & moſcho, atque aliis ingredientibus. Quibus aſſumptis ſummo mane, ſatis coopertus quieſcat, & dormiat Illuſtriſs. ſi poſſibile fuerit, etiam citrà ſudorem; in cuius vſu perſeueret ad 30. ſaltem dies. Verùm decimo quoque die, pilularum moderatam doſin aſſumat, neceſſe eſt; & tandem ad viſcerum calorem contemperandum, deueniat ad ſuccũ cich. depur. ad ℥ iij. quotidie in iure pullæ, ſoncho, & hepatica alterato, per xx. ſaltem dies aſſumendum.

Interim topica cruſtis debellandis non omittenda, qualia eſſe poterunt aqua è ſucco aurantio-

rantio-

Digitized by Google

rantiorũ deſtillatâ, in cuius qualibet libra,diſſoluatur Mercurius ſublim.dulc.ad ℥ j.& ſpongiola in eadem madefacta, cruſtæ attingantur. Seruabit autem congruam victus rationem, aliàs præſcriptam. Quæ, vt Viro Illuſtriſs. ſalutaria contingant,D. O. M. enixè precamur, vt Principi Sereniſs. maius, maiuſque emolumentum, tibique ex perfecta eiuſdem ſalute ſolatium ſit. Me verò tibi multum debere profitebor ſemper, quod adeo tibi carum amicum, meæ tenuitati commendatum volueris. Vale.

V.

PVSTVLÆ IN CAPITE, cum Hypochondriaco Affectu.

AD Virum genitorem quod ſpectat, ſi de illis affectionibus, quæ ventrem ſuperiorem, ac medium infeſtare ſolent, ſit ſermo, eas non admodum ſibi infeſtas,præterita hyeme, licet Auſtrina, & pluuioſa, fuiſſe ſcribit: remiſſæ enim catarrhales defluxiones fuere, neque ſolitis comitatę febriculis; caput tamen cruſtis, aliàs perpeſſis, iterum fœdatur; & inferior uenter copioſiſſimos gignit, & emitrit flatus. Hypochondria, vel ex leuiſſima calefaciente cauſa, æſtuant, & moleſtiam inferunt; & quod obſeruatu dignum, quoties vel nimio motu, vel ambientis rigore, anhelitus difficultatem anteà paſſus eſt, meiendi quoque excitatus pruritus fuit, quo poſt mictum illicò leuatus eſt. An ijdem flatus,ad veſicam depulſi, incuſandi? Adauctas autem corporis vires prædicat, quibus vnà cum imploratis auxiliis, virtutis tuæ propriis, fore ut retundere ſaltem, ni contundere poſſit enarrata mala, ſperat.

Hypochondriacus affectus, & puſtulæ cruſtaceæ, adhuenum in capite pullulantes, ſunt affectus in Illuſtriſſimo Viro vigentes, tùm quoniam nondùm capitis intemperies ſatis fuit emendarà, tùm,quoniam hypochondriacus affectus, cruditates congerere, & hæmatoſin imperfectam reddere nunquam deſinit, cùm ventriculi imbecillitatem, iecoriſque feruorem ſupponat; caput verò à toto venoſo genere,[a] prauos ſuccos ſuſcipiat, qui prauam quoque eiuſdem nutritionem efficiunt; ſicque duplici nomine læditur, & eſſentialiter à propria intemperie, & per conſenſum à tota maſſa ſanguinea. a 2. de D ff. F. b. 11.

Quare, hypochondriacæ affectioni incumbendo, capiti quoque non exiguum leuamen afferemus: etenim niſi cauſam eſſentialem, hac ætate, auferre poſſimus, eandem ſaltem forſan remittere nobis dabitur.

In quem finem, primarum viarum præcedat expiatio; mox ſequatur maſſæ ſanguineæ depuratio; inde iecoris, & hypochondriorum æſtus commoderatio; & ventriculi, atque capitis cauta corroboratio.

Ex Pharmacia, deſumenda Lenientia, Pręparantia, Purgantia, iecoris, & venarum calorem Contemperantia, & partes affectas Roborantia, non omiſſis affectum cruſtaceum ſpectantibus.

Leniens ſit caſs.cum lenit.& tart., vel potio ex manna clarif. Primum præparans, vt in præcedenti præſcripta purgatione, ſit iulap. acet. ad ℥ iij, & ab eo,alterum ex ſupraſcriptis medicamentis. Pariter vlterior procuretur præparatio, præſcriptis ſuccis depur.cich. borrag. cum tart.vitriol., in decoct.præſcripta,malu. viol. meliſſæ, agrimon. beton. A quibus ſeptem, aut octo tranſactis diebus, exhibeatur purgans præſcriptum, ex pil. de tribus, cum caſſia; vel ex infuſ.Agar.& Rhab.cum manna clarif. quibus ſuperbibat ſerum, aut aquam hordeac. vt antea.His peractis, capitis aliqua quoque eſt tentanda expurgatio, pil. aureis, & aggreg. vt etiam totius ratio habeatur, quibus ſuperbibat pariter ſerum, aut aquam Noccrianam. Quæ pil. tribus ſaltem vicibus, quarto quoque die ſunt repetendæ, exhibita, diebus intermediis, ſucc.depur. cich. borrag. beton. an. ℥ j in decoct. iam pręſcripta; atque interim, dùm è lecto ſurgit, poſt pectinationem, errhino aliquo caput expurgandum, parato ex puluere maioranæ ireos, & nigellæ an.

Indè ad iecoris, & venarum calorem contemperandum, per xv. aut xx. dies, aſſumat ſuccos depur. borrag. & ſonci, in præſcripta decoct. cich. end. maluæ, hepaticæ, & bugloſſi; in quorum intermedio,& ſiue aſſumat pil. præſcriptas aggreg.& de tribus, cum flo-

Digitized by Google

te caſs. quibus ſuperbibat aquam Nocerianam.

Tandem aliqua roboratio viſceribus, & capiti erit conciliandа, vſu conſeruæ roſar. à prandio, cui quandoque, ventriculi ratione, addantur ſalis abſinthij gr. x. aut xij; ratione vero capitis, vtatur conſerua de floribus beton. cum aliquot gutt. quintæ eſſentiæ roriſmarini reformata, ſub ingreſſum lecti aſſumenda. Omittatur autem vinum in menſa medicatum, cuius vice, illinantur frequenter ſutura coronalis, nares, & tempora ſummo digito, quinta eſſentia roriſmarini intincto.

Cruſtas quod attinet, illinantur vng. roſ. cum litharg. reſot. quibus ablatis, attingatur locus oleo Saturni, quo ſæpè toto anno cruſtarum veſtigia erunt inungenda.

Quibus congrua victus ratio, aliàs à nobis propoſita erit addenda.

VI.

CAPILLORVM DEFLVVIVM.

Com: Illuſtriſs. Iuuenis, temperamenti, tum ſecundum totum, tum ſecundum caput, calidi, & humidi, boni habitus, martialibus exercitijs deditus, cùm pro Sereniſſima Repub. ad Regni Cretenſis tutelam ſe contuliſſet, ibique vina meraciora potaſſet, & ſalſamentis, imo alimentis ferè omnibus ſalitis, & aſſaris vſus eſſet, altero tranſacto anno, ſcabie totius corporis infectus eſt, cum moleſtiſſimo pruritu; ad quam expellendam, quadam inunctione ſibi indicata vſus eſt, nulla prægreſſa totius prouidentia; quare ſcabies quidē exſiccata, & ferè ex toto ablata fuit; verùm capitis doloribus corripi cępit, qui tactu exaſperabantur, & eroſionis ſenſum præſeferebant, diuq; magis, quam noctu affligebant; vnde ab Imperantibus venia impetrata, domum reuerſus, de alio ſymptomate ſibi maximè moleſto, Capillorum nimirum Defluuio conqueri cœpit, non ſolùm in ſyncipite, verùm & in alijs omnibus capitis partibus, imo & ſupercilijs maniſeſto, poſtquam ſc. è reliquo corpore, pili antea omnino effluxiſſent. Quare modo Patauium ſe contulit, vt de agendis, pro ſalute conſulat.

Tùm pręterita, tùm præſentia mala Illuſtriſs. hunc Iuuenem moleſtantia, vnicam habuiſſe cauſam maniſeſtiſſimum eſt, ſanguinis nimirum vitium, ex potu vini meracioris, & potiſſimum ſalitorum diuturno vſu, in toto contractum, cuius pars acrior, & acidior, ad cutem vniuerſam à natura detruſa, impetigine non ſolùm, verùm & ſcabie totum corpus infecit; vnde ab eodem, corrupto pilis alimento, à toto effluxerunt, ſeruatis ſolum capillis, piliſque genarum, & ſuperciliorum, qui, vtpote vtiles, magis quoque à natura cuſtodiuntur. Verùm, quoniam ab inunctione, impuro ſanguini iter ad exteriora fuit interceptum; ideò idem ſuperiora petens, & copia, & praua qualitate continuum ſoluendo, capitis dolores corroſiuos excitauit, & quidem extra cranium, cùm ad tactum exacerbentur; præterea ab eodem vitiatur capillorum alimentum [a], & ideo neceſſario defluunt: non enim concurrit in noſtro caſu ſiccitas, ſiue alimenti inopia, ſed euidens eiuſdem corruptio; vnde non minus decidunt ab occipite, atque temporibus, quam à ſyncipite [b], quod prius denudatur ex ſiccitate, ob cerebri, eo loco, à cranio diſtantiam. A toto verò prius, quàm à capite defluxerunt; quoniam, ſicut [c] ſtirpium, quæ ex terra naſcuntur, quædam Agricolæ induſtria coluntur, vtpote humano vſui vtiles, quæ ideo conſeruantur; aliæ verò per accidens ortæ, quarum nulla cura habetur, facilius propterea, atq; celerius exſiccantur; ita pilorum alij, capilli ſcil. & qui ſupercilia, atque genas exornant, quorum ipſa natura Agricola veluti eſt, tanquam vtiliores diutius præſeruantur; reliqui verò vniuerſi corporis inutiliores, atque ideò neglecti dimittuntur; licet tandem, vi humorum, copia & praua qualitate peccantium, caputque petentium, & capillorum, & pilorum vtilium defluuium, eadem natura permittere coacta fuerit.

Affectus certè non negligendus, non ſolum, quia turpitudinem inducat; ſed multo magis, quia acres humores dolorem excitantes, & pericranium mordicantes, progreſſu temporis, cranium quoque carioſum reddere poſſint. Quare curatio ſtatim ineunda, ſpe fore, vt Illuſtriſs. Iuuenis à doloribus liberetur, & rurſus capillatus fiat. Nam licet dicat Gal [d],

Quia

a 14 Meth. 18.

b 3. In 6. Epid. 1.

c Primo per Loc. 1.

d 6. Aph. Com. 34.

Quis neſcit Caluitium eſſe paſſionem incurabilem? Intelligendus attamen, præſente Alopecia, & Ophiaſi.

Intentiones autem Medicæ ſunt. Primò [e] vniuerſam maſſam ſanguineam depurare, primas vias priùs euacuando, totum corpus, & inde caput electiuè purgandò, & cutis capitis poroſitates, nec nimis laxando, nec nimis denſando. Quibus indicationibus vt ſatisfiat. [e Primo per loca 2.]

A fonte Chirurgico, repetita depromenda eſt ſanguinis miſſio ex vtroque brachio; vitium enim in ſanguine eſt, dum peccat ſubſtantia, qualitate, necnon quantitate. Reliqua vero ex hoc fonte adminiſtranda, inferius ordine executiuo erunt proponenda.

In fonte Pharmaceutico, ſtatim validiora purgantia vſurpari poſſe videntur, ſi Gal[f]. audiamus; quem, quoniam Capillorum defluuium, vnica die, valido medicamento purgante exhibito, ſanauit, Medici illius æui odio proſequuti ſunt; nihilominus lenientia nobis nota, ignota illi tunc temporis fuere; præterquam quod forſan affectus ille non adeo altas egerat radices, vt præſens hic. Quare tutius fuerit humorum præparationem præmittere, exhibito prius leniente primas vias defęcante, ex ſyr. roſ. ſol. & de Polyp, vel ex Lenit. & Tart. Deinde primum præparans erit, Decoct. Cich. Borrag. Bugl. Meliſs. Scab. Beton. cum ſyr. Acet. & de Pom. Tranſactis verò quinque, aut ſex diebus, expurgentur præparati humores, Elect. Lenit. & Diacath. vel ſupraſcripta Potione. Inde ad vlteriora præparantia deueniendum, vt ℞. ſyr. de Pom. de Fum. de Beton. Viol. ſimp. an. ℥. ſ. Decoct. Cich. Borrag. Bugl. Meliſs. Fumar. Malu. Beton. ℥ v. m. pro ſyr. & ſic pro alijs octo, aut decem; quibus ſuccedat talis expurgatio. ℞. Elect. Lenit. Diacath. Diaph. an. ʒ iij. m. f. b. Vel ℞. Rhab. opt. Myrob. Cheb. Foliot. ſennæ rec. mundat. an. ʒ ij. Cinnam. integ. ʒ i. Aq. Agrim. q. ſ. m. f inf. per noctem, & f. forti expr. colat. adde ſyr. roſ. ſol. ℥ v. m. f. p. cui ſuperbibat ſerum Aſin. aut Capr. depur. ad lib. ij. vel iij. pro libitu. [f De Purg Med. Fac. 5]

His peractis, venoſum genus, nondum ſatis defæcatum, Decoct. Epith. Meſ. tribus vicibus, alternis diebus exhibita deplebitur, aut Extr. Veratri Nigri, ad ʒ ſ. cum Caſſia; quibus omnibus ſempet ſerum iam dictum erit addendum. Diebus autem intermediis, aſſumantur ſucci depur. Cich. Borrag. Fumar. ad ℥ iij. in decoct. ſupra deſcripta, vel ſaltem ſerum dep. ad lib. 1. ſ.

Tandem caput erit expurgandum, Pilul. Coch. cum Helleb. præpar. additis Aur. & Aggreg. an. ʒ. ſ. quibus pariter ſerum ſuperbibendum. Nec aliqua Errhina caputpurgia erunt omittenda, ex lacte cum Diagrydio parata; vel ex Pulu. Maior. Nigel. & Ireos.

Expurgato toto, & capite, ad Topica deueniendum, quæ capillorum ortum accelerare valeant, cum iam ferè ex toto defluxerint; & primò quidem Caput abluatur lixiuio dulci, ex cinere ligni Iuniperi, & Abrotani parato; deinde ſæpè attingatur ſpongia imbuta Aq. ſtill. ex apibus cum ſuis alueolis, & melle. Veſpere verò, caput idem illinatur linimento ex melle, Lad. & pulu. Apum confecto; mox matutino tempore, caput abluatur decoct. Abrot. Marrub. Lapat. Capill. Ven. Agrim. Flor. Roriſmar. vt ſubinde ſpongia Aq. iam dicta imbuta caput & facies attingatur; atque ita procedendum, ſi non quotidie, ſaltem alternis diebus, caput illinendo Veſperi, abluendo manè, & tota die crebrò madefaciendo.

Addendo his omnibus congruam victus rationem, abſtinendo à ſalitis, ab acribus, à vaporoſis, Vinis meracioribus. Sub ingreſſum lecti, in vſum ducat Conſ. Viol. & ſingula hebdomada Pil. Capit. aſſumat; ita enim & purus reddetur ſanguis, & probum habitum ſibi comparabit, atque capillorum decorem recuperabit.

Digitized by Google

CEPHALÆA.

NObiliſs. Virgo Veſtalis 20. annum agens, tempetamenti ſecundum totum calidi, & humidi; capitis verò calidioris, & humidioris, habitu corporis potius obeſo, & capite paruo, atque excrementis redundante; doloribuſque, ab ineunte ætate, obnoxio, quorum ratione, cauteria duo in coxa, & brachio, quinque ab hinc annis, geſtat inuſta; cùm elapſo anno clauſtra ingredi, & ſacram veſtem induere decreuiſſet, ambo cauteria primò ſuppreſſit; à quibus dolores capitis, antehac quidem frequentes, frequentiores non ſolùm, ſed adeò quoque acuti facti ſunt, vt Patiens, nec lucem, nec vocem, nec vllum, vèl exiguum ſtrepitum perferre poſſit, atque in tenebricoſo cubiculo ferè ſemper degere cogatur. Dolor totum caput occupat, neque tactu exaſperatur, ſed internas partes affligit, & ad radices oculorum protenditur, cum diſtenſione, & grauitate, ac in ſomnum propenſione, quanquam non ſine difficultate eundem capiat, ob doloris vehementiam, qui ſpirantibus Auſtris, augmentum ſuſcipere ſolet. Menſtrua conſueta rectè procedunt, licet toto anno elapſo corpus parum, aut nihil exercuerit, ſed in cella ſedentariam vitam, & ferè ſemper etiam decubitu duxerit. Varia medicamenta, tùm intrinſecùs, tùm extrinſecùs, quin & valida etiam purgantia incaſſum adhibita fuere. Modò, ipſius Nobiliſs. Parentes, pro eiuſdem ſalute, ad nos confugiunt, quærentes, num ipſam Viro nubere, pro meliori valetudine neceſſe fuerit; nondum enim ſacris mancipata, & addicta fuit.

Dolor totius capitis, Veſtalem Nobiliſs. truculenter affligens, Cephalæa ſpeciatim appellandus; quem Tral.[a] *Affectum grauem, & vehementer dolorificum*. Aretæus[b], *diuturnum, ægrèque ſanabilem*. Paulus[c], *perſeuerantem capitis affectum*. Oribaſius[d], *inueteratum, & ſolutu difficilem*. Colſus[e], *Acutum, & peſtiferum morbum*. atque Auic.[f] *Ouum, paſſionem nimirum fixam, & chronicam nuncuparunt*. Hanc doloris ſpeciem Gal[g]. conſiderans, ita deſcripſit. *Cephalæa eſt dolor totius capitis diuturnus, ęgreque ſolubilis; qui à parua occaſione, vehementes habet exacerbationes, adeo vt neque ſtrepitum, neque vocem violentam, neque luminis ſplendorem, neque motum tolerare poſſit Pat. ſed tranquillitatem, & obſcurum cubiculum quærat; idque ob doloris vehementiam; quippe nonnulli, veluti malleo ſe percuti arbitrantur; alÿ, caput contundi, diſtendiq; ſentiunt; nec paucis ad oculorum quoque radices dolor extenditur.*

Sicut autem caput eſt pars affecta, ita ſecundum partes internas, intra cranium ſcilicet exiſtentes, affectum eſſe nobis demonſtrat dolor, qui ad tactum non exaſperatur; quique non ad[h] oculos ſolum, ſed ad radices vſque eorundem porrigitur, à quibus, veluti germina deducuntur. Et licet ſæpè per conſenſum à ventriculo contingere ſoleat, ſiuè a flaua[k] bile in eodem exiſtente, ſiue à viſcidis[l] humoribus, ſiue ex inedia[m]; ſępiſſimè verò in Mulieribus, ab utero[i]; in hac tamen virgine, cui menſtrua ſtatis temporibus, ſatiſque profluunt, nec vllum retenti, aut corrupti ſeminis indicium nobis ſignificatum, nullamque de ventriculo, aliauè parte lęſa querelam accepimus; ideò Caput, non quidem per conſenſum, ſed eſſentialiter affectum eſſe cenſemus; quod nobis adhuc magis confirmat doloris frequentia, perſeuerantia, & facilis à leui quaque cauſa eiuſdem exacerbatio, atque tandem omnino demonſtrat capitis intemperies humida, [o] excrementorum proinde feraciſſima; necnon mala eiuſdem conformatio: ſicut enim magna[p] capita rarò bona; ita parua ſemper mala, quale eſt caput Nob. Virginis, reſpectu molis totius corporis. Cùm tamen calor, & dolor ſint duæ cauſæ quammaximè attrahentes, non inficiamur, à toto quoque repleto, excrementorum portionem aliquam attrahi poſſe.

Cauſa huiuſce doloris immediata eſt quidem continui ſolutio, quæ in caſu noſtro, à calida, & humida capitis intemperie procedit, cum copioſę, & excrementitię materiæ præſentia, vnde flantibus Auſtris inualeſcit; vt contingebat cuidam ex Gal[q]. ſodalibus, qui ſummo mane adhuc decumbens flantem ventum agnoſcebat. Etenim quod calor continuum ſoluere poſſit, habemus ex eodem Gal.[r] cum Hippocr. humidum verò, licèt Gal.[ſ] aſſeruerit, ſine violentia corpus attingere; copia[t] tamen extendendo, continuum ſoluit, & dolorem infert, vt in caſu noſtro, quo caput excrementorum ferax perpendimus,

a Lib. 1. cap. 11.
b 1. De Diut. Aff. 2.
c 3. De re Med. 5.
d 4. De loc. Affect. 2.
e 4. De Re Med. 2.
f Pr. 3. Tr. 2. Cap. 35.
g 3. de Loc. Aff. 5. & 2. Per Loca 2.
h Fernel. deceptus.
i 3. de Loc. Affect. 9.
k 3. De Loc. Affect. 7.
l 2. Per Loc. 1.
m 6. De Sanit. Tu. 9.
n 1. in 6. Epid. 1.
o Att. Med. Cap. 17.
p 1. in 6. Epid. 3.
q Ad Piſ. 11.
r 3. de Fract. Tex. Com. 14.
ſ 1. De Sympt. Cau. 6.
t 2. Per Loc. 1.

mus, & ideò ab ineunte ætate doloribus obnoxium; quę cum magna ex parte per cauteria prius excernerentur, & minuerentur, mox iiſdem ſuppreſsis, in capite præter conſuetudinem retenta, copia vaſa diſtendentia, & calore membranas pungentia, cephalicum dolorem excitant, cum quadam in ſomnum propenſione, ratione materiæ catarrhalis copia grauantis; quem tamen ægre capere poteſt, tum ob calorem, tum ob ipſum dolorem.

Affectus quidem grauiſſimus; occupat enim partem principem. Et licet Gal[u]. dixerit, quod ex ſe lethalis non ſit; vndè ſubdebat, quod ob capitis dolorem [x] vehementem nemo vnquam mortuus eſt, aut ſe ipſum occidit, vt quibuſdam contigit coli dolore vexatis; quodque minus periclitantur ægri, ex dolore capitis, quam ex dolore aurium, & oculorum; nihilominus periculo non vacat, quando diuturnus eſt; perducit enim ad Apoplexiam, [z] Epilepſiam, vel cęcitatem. Ideo Aret[a]. doloris capitis finem mortiferum appellabat, monebatque, exiguos quoque dolores non eſſe ſpernendos.

u 2. Per Loc. 2
x 2. Per Loc. 1.
z in Coac. num. 2
a 1 De Diut. Affec. 2.

Medela igitur, non ad minorationem, vt hucuſque factum, ſed ad eradicationem adhibenda eſt; licèt id nos prorſus aſſequi poſſe dubitemus, cum malum altas, naturales ſcil. habeat radices, capitis nimirum intemperiem ab ortu contractam; quam quidem nos remittere, at omnino permutare ſoli Dij poſſunt, vt dicebat Aretęus.

Curatiuæ itaque intentiones deſumendæ à dolore, à doloris cauſa, & a propria capitis conſtitutione.

Dolor [b] nihil indicat, cùm auferatur ad ablationem cauſæ.

Cauſa indicat contraria remedia; ad eius enim ablationem [c], aufertur dolor.

Capitis verò diſpoſitio indicat, quæ valent tonum proprium capitis ſeruare, & morboſas affectiones fugare.

b 12. Meth. 1.
c 5. Simpl. 19.

Quarè, primò præmiſſa primarum viarum expiatione, & totius expurgatione; ſecundò caput erit purgandum. Tertiò humida eiuſdem intemperies corrigenda. Et tandem cephalicis appropriatis roborandum, doloris mitigatione non neglecta; dolor ſiquidem & ipſe curationem, in tribus potiſſimum caſibus, indicat. Primò, dùm porrigit occaſionem nouo morbo superuenturo, nouam materiam ad caput attrahendo; natura [d] enim concurrit ſanguine, & ſpiritu in ſubſidium partis dolentis, tanquam ſuppetias illi allatura. Secundò dum ſubit rationem cauſæ; attrahendo enim nouos ad caput humores, ſibi ipſi augmentum accerſit; cum dolor [e], & calor ſint duæ potiſſimæ cauſæ attrahentes. Tertiò, dùm vires ab eo proſternuntur. Quod autem à vehementiſſimis doloribus fieri aſſeruit ipſe Galen. [f] & quotidiana experientia confirmat. Et quamuis rarò in capitis dolore, ad narcotica [g] ſit deueniendum, minuſque, quando à cauſa frigida, aut materia pituitoſa procedit; [h] *ſatius tamen eſt, longiori tempore curari, quam breui viriliter mori: crudelis enim hominis officium facit Medicus ille, qui vna cum morbo, vitam quoque homini aufert*, monente Gal.

d 2. De Diff. Feb. Vlt.
e Ibidem.
f 12. Meth. 1. & Prim. Progn. 31.
g 2. Per Loc. 1.
h 12. Meth. 1.

In fonte itaque Chirurgico, omnium primò conſideranda ſanguinis miſſio. Quare iubet Gal [i]. ſtatim conſiderandum eſſe, vtrum purgatione, an ſanguinis miſſione ſit opus; quoniàm in cauſa frigida, ſanguinis miſſione opus non eſt. At in noſtro caſu, quoniam calor, vna cum materia pituitoſa, ad dolorem excitandum concurrit; & præterea, quia iuuenis eſt Nobiliſs. Pat. & propterea ſanguine abundans; ideò cum eod. Gal[k]. ſanguis erit educendus, imò cũ Hipp[l]. dicente. *Vt dolorem ſedes, ſanguinem de venis detrahito.* Non tamen educendus vſque ad animi deliquium, vt in vehementiſſimis doloribus præſcribit Hipp[m]. & palàm iubet Gal. primò, quoniam in nullo capitis dolore, tuta eſſe poteſt huiuſmodi ſanguinis euacuatio, cum cerebrum ſit pars frigida; ex ea namque Apoplexiam minatur Auic[n]. Sed præterea, in caſu noſtro, adeſt præſentia materiæ pituitoſæ, calore omnino egentis, vt attenuetur, incidatur, concoquatur, ſenſibiliter educatur, & inſenſibiliter diſcutiatur, ac reſoluatur; parcè igitur educendus, tempore æquè diſtanti ab vtraque menſtrua purgatione ex cephalica, à Gal. quoque nominatim vſurpata.

i 2. Per Loc. 3.
K 2. Per Loc. 2. & De Sang. Miſſ. 15. & 16.
l De Loc. in Hom. 49.
m 1. Aph. Tex. Com. 23.
n Pr. 3. Tract. 5. Cap. 12.

Repellentia hic locum non habent, quia dolor eſt eſſentialis. Et licet aliquam tenuioris excrementi portionem caput à toto ſuſcipere poſſit; maius tamen damnum conſtringendo, & reſolutionem inhibendo, quam emolumentum repellendo, afferre poſſent. Parum quoque proderunt reuellentia; quanquam frequentes pedum lotiones, aqua calente ante cibum, & totius graues, & aſperæ frictiones ex vſu eſſe poſſint. Deriuationes verò nullo modo omittendæ; & ideò cauterium vnum ſaltem, brachio inurendum cenſeo, vt conſueta reuocetur materiæ peccantis euacuatio. Topicis tandem apponendis, capitis

ton-

tonſura laudatur à Scribonio, reprobata licet à Celſo, vtpote quæ, ex vna quidem parte, poros aperit, ex alia verò cutem denſat; maius tamen commodum eſt incommodo, vt conſi- Locis cit. derabat Aretæus. Pro topico, totius, & capitis expurgatione prægreſſa, Gal. vtebatur oleo rutaceo, & vino; Tral. & Paul. Opobalſamo; Oribaſius decoquit cum oleo ſerpyllum, aut pulegium; Aetius rutaceo addit euphorbium; Celſus vtebatur aqua marina, vel ſalſa, in qua lauri folia decocta fuerint.

In pertinaci verò capitis dolore, à materia pituitoſa, Gal. p rubificantia, nos ſinapiſmos præſcribimus, omiſſis inuſtionibus ab Hipp. q propoſitis; quibus ſetaceum nos ſubſtituere ſolemus; ſicut & terebrationibus ab Aretæo propoſitis, quæ non niſi cranio carie perforato conueniunt, vt conſulit Hipp. r.

p 2. Per Loc. 2. q 2. de Morb. 22. r 2. de Morb. 24.

A Pharmacia deſumenda Lenientia, Præparantia, Purgantia, intemperiem capitis humidam Corrigentia, & à Proprietate iuuantia.

Lenientia, vt mel. roſ. ſol, manna clarif. cum aq. cinnam. momento. elect. lenit. cum modico hieræ.

Præparãs ſit, ex oxym. ſimp. cum melle roſ. Deinde idem, cum ſyr. de beton. de ſtœch. in decoct. cichorac. additis beton. hyſſopo, pulegio, ſtœch. vel in aqua cich. beton. & maioranæ. Quibus, habita aliqua caloris ratione, ſyrup. loco, miſceantur ſucci depur. cichor. & beton. potiſſimum hoc Veris tempore.

Purgantia ſint diaph. cum lenit. & hiera. Vel inf. agat. rhab. & ſennæ, cum melle roſ. & manna; quibus ſuperbibat mulſam dilutam copioſam, ex aqua hord. paratam.

Validiora præparantia, ſecundo loco exhibenda, erunt oxym. comp. ſyrup. de beton. comp. de hyſſopo, aut de praſsio, cum decoct. cich. bortag. end. beton. hyſſopi, praſsij, hederæ; vel in aqua ſtill. verbenæ, atque beton.

Purgantia validiora erunt, hiera tuta Alex. cum diaphœ. Vel cum Hippocr. ſ veratrum. Nobis extract. veratri, vel pil. coch. cum helleb. præp. placent; quibus addatur quoque portio aggreg. & aurear.

ſ 2. De Morb. 15.

Toto euacuato, caput expurgabitur, vel iam dictis pil. repetitis. Vel pil. capitalibus, à præclariſs. Rudio deſcriptis; quas tamen ipſe à Veck. deſumpſit, hic verò à Paracelſo; quæ certe efficaciſs. ſunt, & ita parantur. ℞. colocynt. ʒ vi, agar. opt. diagryd. helleb. nig. præp. turbith. an. ʒ. iiij, aloes. ℥. l. Diarrh. Abb. ℥. ſ. m. exceptis ſpeciebus, contundantur, & infund. ad ſolem, in aqua vitæ opt. per viij dies. Interim infundantur quoque ſpecies in aqua vitæ, per iiij; facta verò vtriuſq; expreſsione, abiecta fæce, colat. ponatur in alembico vitreo, in quo, ſeparata per deſtillationem humiditate, remanebit materia denſa, vt mel, ex qua fit maſſa, cuius doſis a ℈ i, ad ʒ. ſ. Sequenti verò die ab expurgatione, theriacam exhibere ex vſu fuerit.

Interim caput expurgandum quoque per Erthina, ex nigella, maiorana, iride, & tabaco parata. Pariter per Maſticatoria, ex ſtaphiſagria, gingibere, pyretro, maſtiche, ſaccharo, & cera reformata.

Humida intemperies corrigenda venit, internis, & externis.

Interna poſſunt eſſe decoctum cum ſudore. Aquæ Thermales ſulphureæ. Magna antidota, & Conſeruæ capitales.

In hoc tamen grauiori, & confirmato dolore, decoctum cum ſudore erit præferendum, parandum ex Guaiaco, Viſco querc. ligno ror. mar. & rad. verbenæ rec. ſudor autem in hypocauſto prolicianır; caput enim, præter cæteras corporis partes, ſudore eget. Paretur verò ſecunda aqua, pro potu conſueto, addito in fine decoct. fruſtulo cinnam. integri, & colaturæ ſaccharo, ad libitum Patientis.

Interim Clyſteres acriores in vſu ſint, & decimo quoque die, præbeantur pil. iam dictæ, quibus addi quoque poterunt grana Mercurij dulcis. In huius autem vſu perſiſtat ad 40. dies, cum victu tamen attenuante quidem, verùm non adeo tenui.

Abſoluto ſudore, conſeruæ capitales non ſunt omittendæ, æſtate proxima; ſicut nec antidota magna, ventura hyeme. Conſeruæ eſſe poterunt è floribus roris marini, ſalu. beton. Acorus conditus, & anni tempeſtate frigida, Confect. Anacardina.

Extrinſecus quoque, ſuturæ, & nares inungendæ, ſummo digito intincto oleo ladani, quinta eſſentia roriſmarini, oleo iuniperino. Inſpergantur quinetiam capiti pulueres exſiccantes, ex oſsibus ſepiarum, agar. beton. roſis, & caryoph. prius in aqua roſ. maceratis, & exſiccatis. A proprietate iuuantia ſunt Naſturtium torrefactum, cum aceto. Sic Verbenaca contuſa, cum ſerpyllo, & oleo, vel aceto. Nos vtimur, cum Aetio, ſtœchade cocta,

de cocta,

Digitized by Google

de coċta cum mulſa, & appoſita. Pariter ocymo tuſo, vel mentha viridi cum aceto.

Victus ratio tenuis non conuenit in hoc affectu diuturno, vt malè ſentit Aretæus, & ante ipſum Celſus; verùm ſit attenuans, ex Cardano. Vinum album, paucum, tenue, concedatur, pro attenuatione, & reſolutione pituitoſæ materiæ, cum Paulo, & Tral. in quem finem metacius, tanquam generoſum remedium proponit Gal[c]. in dolore capitis ex craſſitie ſanguinis, & materiæ frigiditate. c 6. in 6. Epid. 5. Neque clauſtra deſerat, tùm quia lubens in iiſdem degit, tùm quia augmenti doloris cauſa, in ſuppreſſam conſuetam per cauteria materiæ euacuationem, non autem in vitam clauſtralem referenda eſt. Corpus tamen magis exerceat, remittente dolore; & alacriter viuat, ſpe futuræ ſalutis, quam Deus eidem largiri dignetur.

VIII.

CEPHALICVS DOLOR.

EGregius Iuuenis, temperamenti totius, & iecoris calidi, & ſicci, ſiccique capitis, & mediocris habitus, qui duodecim abhinc annis Lue Gallica infectus eſt; cui tamen ſtatim medela præſtita fuit, decocto Alexipharmaco, cum ſudore, cuius ope, ſecuto tempore incolumis ſemper vixit; tandem, ob Patris obitum, domeſticis negotijs incumbere coactus, de Ventriculi anxietate, & inflatione, hypochondriorum rugitibus, Ptyaliſmo, & alui ſtypticitate, quatuor abhinc annis conqueri cæpit, atque de rebus proprijs, præter conſuetudinem, ſollicitus eſſe, & de earum euentu, etiam citra cauſam timere; quibus vigiliæ moleſtæ, & ab his, immanis capitis dolor acceſſit, cui nos, cùm ab antiqua Venerea lue ſolùm pendere arbitraremur, conſueta Alexipharmaca adhibuimus; hæc tamē noſtram fruſtrata ſunt opem; quia dolor adhuc, cum duris eminentiis, cito tamen euaneſcentibus, cæteraque ſymptomata perſiſtunt. Quare ad te, Præclariſs. Vir, magna fiducia confugit, vt aptioribus, ac efficacioribus remediis eius ſaluti conſulas.

Cephalicum dolorem, quo tribus abhinc annis, cum vigilijs moleſtis, diuexatur Egregius hic Iuuenis, Gallicam agnoſcere cauſam, ab aliquibus artem medicam exercentibus iudicatum fuit; eò quod duodecim abhinc annis Gallicam luem contraxerit, licet ab eadem medicis auxilijs benè habuerit, & nouem continuos annos, ſanus, & omnino à qualibet moleſtia immunis degerit. Quibus ideo ego non adeò facilè aſſentior, qui cauſam huiuſce contumacis affectionis in humorem, quinimò in affectum melancholicum, potius, quàm in gallicum, referendam cenſeo; poſtquàm enim Iuuenis iſte proprium ſtatum meditari, & præſentem conditionem ad meliorem frugem reducere tentauerit, à ventriculo naturalem calorem diſtrahendo, cruditates in hypochondrijs congeſſit; à quibus obſtructiones exortæ, quæ exiguo temporis proceſſu, à iecoris, & hypochondriorum calore exſiccatę, terreæque redditæ, mineram melancholicam in hypochondriis firmarunt; vnde anxius, atque ſollicitus de rebus proprijs, magis quàm par eſſet, euadere cæpit, & moroſus, ex Hipp[a]. obſcurus, melancholicus ſcil. factus eſt. Quoniam verò ab a 3. in 3. Ep. 82. hypochondrijs, ſiccæ exhalationes attollūtur in caput, hinc facilè à ſiccitate potiùs, quàm a ſpirituum agitatione vigiliæ excitantur; quibus perſeuerantibus, caput, quod ab initio ſympathicè lædebatur, in idiopathicam paulatim affectionem neceſſariò delapſum eſt. Quare vtroque modo, in præſenti hoc affici exiſtimo, & proptereà imbecille redditum, portionem quidem aliquam crudæ, & catarrhalis materiæ, ſed multò magis melancholicæ, cum eiuſdem intemperies ad ſiccum inclinet, coaceruare credendum eſt; vnde dolores non nihil grauantes, & magis diſtendentes, corrodentes, & lancinantes procedunt, ſimulq; moleſtæ, atque contumaces vigiliæ. Neque huic ſententiæ obſtant, tumores in capite quandoque extuberantes, & gummatum figuram repræſentantes; etenim ſi gummatoſam naturam, & gallicam conditionem obtinuiſſent, non adeò citò, & facile euanuiſſent, quod accidit, quia à vaporoſa, ſiue ſeroſa materia melancholica eleuabantur.

His igitur moleſtijs vt leuetur, & tandem vindicetur Pat. Illuſt. aduerſus affectum melancholicum pugnandum eſſe reor, quibuſdam hoc anni tempore autumnali, pluribus verò, & validioribus, Vere venturo adminiſtrandis. Et primò quidem vias primas expiando. Secundò,

cundò, obſtructiones imminuendo. Tertiò, melancholici humoris portionem, tùm à toto, tùm à capite expurgando; ac tandem anodynis dolores demulcendi, & ſimul ſomnus conciliandus.

Pro quibus explendis, à fonte Chirurgico vnica depromenda, ex venis ſedalibus, ſanguinis eductio. Cauterium in coxa dextera, ſi geſtat, ſeruetur, ſin minus, inuratur. Frequentes pedum lotiones calentes, ante prandium adhibeantur, & à cœna tepentes, ex aqua, lactuca, violis, nenuph. & capir. papau. alterata.

Pro primarum viarum exinanitione, primum leniens ſit caſsia, cum lenit. & tart. aut pot. ex manna clarif. Inde præparans, per hebdomadam ſit, ℞. iulap. acet. aq. tot. citri an. ℥. ij. m. ſ. p. mox repetatur ſupraſcriptum leniens, cui ſuperbibat ſeri capr. lib. ij. poſtmodum repetantur præparantia aperientia, quæ eſſe poterunt. ℞. aq. de ſucco cich. borrag. agrim. an. ℥ iij. tart. vitriol. gr. x. m. pro vno, & ſic pro alijs, x. diebus. A quibus, ℞. flor. caſs. rec. extr. ʒ vi. extracti veratri ℈ i. extracti ſennæ ʒ j. m. f. b. & hora tranſacta, ſuperbibat ſeri depur. lib. ij. tribus verò horis ab aſſumpto ſero, prandeat.

Hinc autem ad humorem melancholicum, caput obſidentem, expurgandum erit accedendum, quod validè præſtare poterunt, pil. magiſtr. Paracelſi, à me aliàs præſcriptæ, quæ radic. helleborinam, colocynth. diagryd. turbit. & aloen continent; quarum doſis, ab vno ſcrupulo ad ʒ ſ. Aſſumuntur autem media nocte, ante, & poſt quas, ſomnus permittitur; ſed ſummo mane bibat Pat. ſeri capr. aut aq. Nocer. lib. ij. Ter autem ſunt repetendæ, quarto, aut quinto quoque die; intermediis verò, aſſumet ſucci depur. cich. & beton. an. ℥. j. in decoct. cich. borrag. maluæ fumar. beton.

Quibus peractis, ad lactis aſinini vſum deueniat Pat. ab ℥ v. incipiendo, cum ſemi cochleari ſacchari fini, & aſcendendo vſque ad x, cum integro cochleari eiuſdem; quod aſſumatur ſtatim [b] mulctum; in cuius vſu perſeueret ad 40. vel 50. dies; verum decimo quoq; die, deuoret Pat. crem. tart. ℥ j. in iure cort. citri alterato diſſoluti. Interim ſub ingreſſum lecti, aſſumat cochlear conſeruæ roſar. violar. aut nymphææ. Quinetiam paretur panis Martius, qui pro ſingula libra amygd. & ſacchari, admittat ℥ ij. ſem. pap. albi. cum amygd. & ſaccharo contuſorum; cuius doſis erit ad ℥ ij. ſtatim à cœna, bis, vel ter per hebdomadam.

Iam dictis omnibus congrua addatur viuendi ratio, abſtinendo ab omnibus calidis, vaporoſis, à ſtuphis, ſiue hypocauſtis, a diuturna mora prope ignem, ab aceto, præſertim in cœna, vinis item generoſis. Somnus diurnus nocturnum ſuppleat. Corpus elato, non demiſſo capite exerceatur. Animi intenſas applicationes euitet, atque paſſiones arceat. Alacriori, atque forti animo viuat, certa ſpe fore, vt Vere venturo omnino priſtinæ ſanitati reſtituatur.

IX.

CAPITIS DOLOR, ET Puſtula in oculo.

MVlier Nobiliſſima trigenaria, temperamenti calidi, & ſicci, gracilis habitus, ex menſtruis imminutis, viginti abhinc menſibus, dexteri oculi dolore affligitur, quem præceſſit guttæ ſanguinis in eundem defluxus; qui dolor, poſt adhibita remedia, ad caput etiam protenſus eſt, & exaſperatur potiſſimum menſtrua purgatione imminente. Varia adminiſtrata fuere medicamenta, eaque validiora; quæ tamen parùm, aut nihil expurgarunt. Interim macula alba, ſub pupilla effloruit, quæ paulatim craſſeſcens, viſum omnino abſtulit, licet eadem, admota aqua, vitriolo cyprio tincta, quoties vſus poſcebat, ſquamulæ ſpecie decidente, viſus clarior factus ſit, nondum tamen diſtinctè obiecta recipiens; acceſſit præterea ſcabies vniuerſalis, quæ expurgatione contemperante, Vere peracta, omnino ceſſit, ſuperſtite tamen dolore capitis, cum ſenſibili frigida fluxione ad oculum, & quatuor abhinc menſibus, cum abſoluta menſtruorum ſuppreſſione.

Nobiliſs. hanc Mulierem, Ophtalmia primò correptam fuiſſe ſupponimus, poſtquam ſan-

Digitized by Google

ſanguinis guttula ſine dolore in oculum confluxit. Et quoniam huiuſmodi affectio non fit, niſi repleto capire, eidē hæc repletio [a] contigit à mēſibus imminutis, facta ſanguinis ab vtero ad caput metaſtaſi, quæ ſemper maius augmentum ſuſcepit; vnde maior ſemper capitis dolor, pro menſium diminutionis incremento, factus eſt. Hic autem dolor non circa pericranium extra, ſed circà meninges, intra cranium affligit, vt nobis relatum fuit; & ideo ad radices [b] oculorum perueniſſe credendum; prout externus, [c] ad orbem tantùm ipſius oculi protenditur; cùm autē continuus factus ſit, caput eſſentiali læſione laborare ſupponendum. Doloris occaſione, catarrhalis quoque materia in oculum decubuit, cuius portio corneæ adhæreſcens, ibique concreta, puſtulam quandam albam, non modò ſub prima, verùm & ſub ſecunda eiuſdem lamina excitauit, quæ eiuſdem diaphaneitatem obſcurando, viſionem impediuit; exſiccante verò medicamento admoto, tenacitatem amittens, & denſior, atque ſiccior reddita, excidit; à capite tamen ſemper noua materia ſuggeritur; atque ita, menſtrua purgatione omnino ſuppreſſa, & oculi affectus, & dolor capitis affligere nunquam deſinunt: credendum autem eſt, menſium ſuppreſſionem, à ſanguine calidiori, craſſo, & ſicciore, potius quam à frigidiori, viſcido, & lento prouenire, ſi iecoris, & totius temperamentum calidum, & humidum ſpectemus, & eundem ſanguinem extractum expendamus; iecoris feruorem, & hypochondriorum æſtum, & ſiccitatem abundè atteſtāte fruſtrata, imo nulla euacuatione à medicamentis etiam validioribus, ſequuta; ſicut hoc idem confirmat vniuerſalis ſcabies totius corporis. Et licet materia fluens vltimò ad oculum, à Patiente frigida percipiatur, mirum non videbitur perpendenti, à diuturno capitis dolore, calore innato eiuſdem tandem labefactato, frigidam proinde intemperiem illud acquiſiuiſſe.

a j. Aph. Com. 11.
b Ibidem & j. de Loc. Aff. 9.
c Fern.

Ex iam dictis autem affectibus, corneę cicatrix expoliri, & nonnihil attenuari quidem poterit, at non omnino deleri. Capitis dolor curatu difficilis, tùm quia eſſentialis, tùm quia continuò à toto fouetur, ob menſtruorum ſuppreſſionem, quæ non adeo facile auferri poterit, cum paulatim incraſſato, & areſacto ſanguini ſucceſſerit, & quartum menſē iam attigerit; quæ Hipp. decreto, ſi ſextum menſem exceſſerit, inſanabilis iudicatur. Augetur difficultas, ab anni tempore, necnon à contra indicantibus. Exſiccantia ſiquidem, & potius calefacientia dolor capitis exigit; humectantia verò, & potius refrigerantia, aperientia tamen, menſium ſuppreſſio. Attamen, quia Pat. iuuenis eſt, & à Medicis Excellentiſs. hactenus rectè curata, ſperanda ſalus; quæ ſedulò, & omni ope tentanda, antequam ex diuturno capitis dolore, ad perfectam cæcitatem, aliumue deteriorem [d] affectum deducatur.

d in Coac. 2.

Medici itaque intentiones erunt. Primò totum euacuare. Secundò materiam ad caput confluentem diuertere, reuellentibus, aperientibus, & menſes mouentibus. Tertiò caput expurgare. Quartò intemperiem auferre. Et oculum tandem humectando detergere; obſeruando tamen, in medicamentorum adminiſtratione, quod à medicamentis lenientibus, copioſior ſemper ſequitur euacuatio; atque ideo, potiſſimum poſt purgantia, ſemper humectantia propinentur.

Repetita autem ſanguinis miſſio conueniet quam maximè, ex venis ſuperioribus, inter vtrumque tempus, facta dierum computatione; ex inferioribus verò, tempore quo menſtrua erumpere ſolebant. Frequentes pedum lotiones, ex aqua calente, prout & cucurbitulę ſiccę, pudendorum inunctiones, & alia, de quibus infra, erunt ex vſu; potiſſimum cauterium coxæ, aut cruri inurendum.

Interim repetita expurgatione, totum euacuandum, cholagogis potius, & melanagogis, quam phlegmagogis; & alterantibus contemperantibus, & humectantibus potius, quàm valde calefacientibus, & exſiccantibus. Deinde caput pil. aureis, cochijs, & aggreg. expurgandum, necnon lenioribus maſticatorijs; errhina namque ſuſpecta ſunt.

His peractis, à Medico conſiderandum, num dolori capitis calefacientibus, & exſiccantibus, an menſtruis ſuppreſſis, tanquam cauſæ euidentiſſimæ fouenti, ſit incumbendum; vtrique enim eodem tempore ſimul mederi non poſſumus. Sed quoniam oculi læſio, & capitis dolor à ſuppreſſione menſium, durationem, & perſeuerantiam agnoſcunt, ideo primo loco menſtrua prouocanda; ſecundo doloris capitis cura habenda. Quare per decem dies, Patienti præbeatur talis bolus. ℞. extr. de rhab. ℈. j. tart. vitriol. ℈. ſ. m. f. b. unus, & aur. cui ſurperbibat cyathum aq. agrim. & cich. Interim clyſteribus molliotibus, ex decoct. mercurial. & maluar. aluus lubrica ſeruetur. Tranſactis decem diebus, præ-

Digitized by Google

beatur bolus hic. ℞. trochiſc. de myrrha ℈. j. ſalis artemiſiæ, gr. x. terebinth. q. ſ. m. f. b. unus, & aur. cui ſuperbibat cyathum aq. capil. Ven. deſtill. idque per alios decem dies: deinde, præbeatur idem bolus, cui ſuperbibat cyathum aq. capil. Ven. & artemiſiæ, cui inſtillentur gutt. v. ol. ſabinæ, vel addantur ℥ ij. aq. ſabinæ deſtill. quorum exhibitioni inſiſtendum ad 20. dies. Verùm toto hoc tempore, inſeſſiones omninò neceſſariæ forent, ad craſſos aduſtos humores liquandos, viaſque laxandas, & aperiendas, quæ omni meliori modo, in cubiculo clauſo, erunt parandæ ex aqua dulci alterata folijs malu. mercur. capill. Vener. calament. mont. radic. althææ, lil. alb. & fœnugræco, per tubulum recipienda. Statim verò ab inſeſſu, inungantur copioſius pudenda ol. lil. alb. cum aromatibus; neque ad calidiora deueniendum.

Poſt hæc, tempore licet hyemali, decoctum quotidianum inſtitui poterit ſine ſudore, quod & caput exſiccare, nec tamen vias uteri occludere valeat. Parabitur autem ex ſalſa, viſco quercino legitimo, ligno roriſmarini; cui præmittatur bolus ex terebinth. noſtra, cum ſale artemiſię paratus; in cuius vſu pergere poterit ſupra 30. dies, conſueta victus ratione ſeruata, excepto vino; eſt enim interdicendum, toto fere morbi decurſu, cuius loco, aqua ſecunda uti debebit, quæ ſuauior erit paranda.

Topica morbo dicata non proponimus, vt ſetaceum, inuſtiones, & huiuſmodi alia, ob capitis dolorem, cui cum à pluribus partibus inferioribus ſit fomes; ideo grauiſſima incommoda afferrent.

A cœna, conſeruæ ex vſu eſſe poterunt, è floribus beton. aliquando & roriſmarini; quandoque & roſarum.

Oculus abluatur aq. hord. maluis, euphragia, & fęnugræc. alterata, in qua ſacchari portio fuerit diſſoluta; & tandem tuthiæ momentum.

Et victus ratio iam propoſitis omnibus ſit proportionata. Quæ omnia ſalutaria, à D. O. M. enixè precamur.

X.

HEMICRANIA PERIODICA.

NOb. Mulier 26. annum agens, temperamenti totius, potius ad calidum, & ſiccum vergentis, hepatis calidioris, mediocris habitus, boni tamen, & ſubroſei coloris, quæ ſuperioribus annis, conuenienti menſtrua purgatione ſtatis temporibus fruebatur, luem gallicam contraxit, à qua, vt liberaretur, validas purgationes admiſit, & decoctum alexipharmacum, cum ſudore ſumpſit; a quibus optime ſemper habuit, niſi quod duobus ſolùm abhinc annis, menſtrua ipſi imminuta ſunt, & quolibet menſe plures dies remorata; hinc dolor in læua capitis parte ſucceſſit, frequenter pungitiuus, uno eodemque tempore paulatim adauctus, qui inuadere ſolet potiſſimum à prandio, augeri ab exercitio, & perdurare vſque in ſequentem Auroram, cum ſenſu caliditatis, & inſigni feruore, non ſolùm in ſiniſtra capitis parte, verùm & in toto, imò etiam in uniuerſo corpore, ſine tamen externi doloris moleſtia; cui nonnunquam accedit aliquis tremor. Modo de agendis conſulit, ut ab huiuſmodi dolore, & inſigni calore vindicetur.

a 2. Per Loc. 3.
b 3. De Loc. Aff. 9.

Dolor capitis, de quo Nob. Mulier, duobus abhinc annis conqueritur, & qui dimidiam potiſſimum, ſiniſtram ſcil. capitis partem occupat, Hemicranicus [a] propriè nominari meretur; quoniam tamen continuus non eſt, ſed periodicus, [b] caput ipſum non eſſentialiter, ſed per conſenſum, & potius ſecundum meninges, quam pericranium, aut membranam carnoſam affici omninò credendum, quia dolorem tactu Patiens non percipit.

Cauſa in capite continuum ſoluens, & dolorem inferens, ab infernis partibus ad caput elata, calida eſt, vt doloris ſpecies, ſæpe pungitiui, & feruoris ſenſus à Patiente perceptus atteſtari poſſunt. Pars autem mandans, meo iudicio, eſt totum venoſum genus, craſſo, & aduſto ſanguine inquinatum, per vterum, ut opus fuerat, non expurgato, ac defęcato, qui vtpote craſſus, uteri venas obſtruens, ſibimet ipſi vias occluſit; idque, quoniam Patientis

Iecur naturâ feruidũ, à tabo gallico feruidius, ab alexipharmaco feruidiſſimum redditũ fuit; unde præcalidi non ſolùm, verùm & exuſti ſanguinis generatio neceſſariò ſecuta eſt; à quo craſſi, & fuliginoſi eleuati vapores, melancholicæ, atque hyſtericæ naturæ, per venas, & arterias, capitis partem internam petentes, ut pote craſſi, non adeò facilè diſſolui poſſunt; diuturni proinde doloris cauſa; augentur autem plurimùm à cibo, & exercitio: ab hoc, quia ſanguis uniuerſus ex motibus incaleſcere ſolet: ab illo verò, quia calor ad cibum cõcoquendum, ad interna reuocatus intenſior fit; quare mirum non eſt, ſi ab iiſdem vaporibus, nonnunquam puncto neruorum, & motus principio, contingant deprauati motus; tremores ſcil. vel motus conuulſiui.

Affectus quidem valde moleſtus; læditur enim pars, totius corporis Caput nuncupata; qui ſi diù perſeueret, vigilias, cruditates, indeq; nutritiones vitiatas inducere ſolet; à quibus affectus modo ſympathicus, tunc idiopathicus fieri poſſet; quare curatio, & extirpatio eiuſdem procuranda; licet eandem non adeò facilem futuram putemus, tùm quoniam annuus eſt dolor, tùm quia uteri obſtructiones, quæ tanquam cauſa ſine qua non, in hoc caſu concurrunt, difficulter remoueri poterunt; necnon propter partis diſtantiam, & earundem ſiccam, & firmam ſedem. Attamen anni temporis, ætatis, & morbi cauſæ congruentia[c] conſiderata, ſperanda ſalus, Medicis ſcopis ſatisfaciendo.

c 2 Aph. 34.

Qui erunt, primas vias expiare; maſſam ſanguineam ab impuritate defœcare; uteri obſtructiones aperire; & Iecoris, atque venarum calidam intemperiem corrigere; necnon caput tandem roborare.

Pro quibus explendis, ſanguis ab utroque brachio, obſeruatione à Gal. præſcripta, ratione quantitatis, eſt educendus, tẽpore à menſtruis purgationibus æque diſtanti; & denum ex ſiniſtro pede ſub finem menſium adhuc fluentium. De Cauterio coxæ inurendo, in hac Iuuene verba non facio.

Ex Pharmacia reliqua depromenda medica auxilia, Euacuantia, Præparantia, Purgantia, Aperientia, Intemperiem corrigentia, & Caput roborantia.

Leniens erit ſyr. roſ. ſol. cum manna clarif. vel flos caſs. cum crem. tart. quibus ſuperbibat ius, hordeo, vel malua alteratum. Prima præparatio inſtituatur ſolo iulap. acetoſo cort. cit. aromatiz. ad ℥ iij, per quatuor, aut quinque dies; mox reperatur ſupraſcriptum medicamentum, cum iure. Secunda præparatio fiet ſuccis herb. depur. potius, quam ſaccharatis dulcibus. Sic conuenire poterunt ſuccus depur. cich. borrag. end. malu. acet. viol. nenuph. & beton. & ſeptem, vel octo poſt diebus, præbeatur purgans ex infuſione rhab. & ſennæ. ad ʒ ij. in ſero, addito ſyr. roſ. ſol. & de polyp. vel Elect. de ſucco roſar. cum caſſia; quibus ſuperbibat Pat. ſerum depur. ad lib. ii.

His peractis, ſi ſanguis extractus ater, & craſſus fuerit, bis ſaltem præberi poterit decoct. Epith. Meſ. ſyr. roſ. ſolut. temperata ad ℥. iij an. ſuperbibendo ſer. depur. ad lib. ij. duobus verò intermediis diebus, exhibendo ſuccos depur. cich. borrag. viol. & beton. ad ℥ iiij. in ſupraſcripta decoctione. Tertia verò vice, exhibeantur pilulæ capitales Rudij, ſiue Paracelſi ad ʒ ſ. quinque horis ante cibum, exhibito ab illis ſero; componuntur autem huiuſmodi pilulæ Venetijs, in Officina, ad ſignum Sancti Vitalis & Patauii, ad ſignum Sirenis.

Mox ad uterùm deobſtruentia deueniendum; in quem finem, inſtituatur talis quotidiana potio. ℞. aq. ſtillat. capill. Ven. artemiſiæ an. ℥ v. ſpir. tart. ℈. ſ. ol. ſabinæ gutt. ij. m. f. potio, quotidie, per quindecim dies aſſumenda. Quo tempore, inſeſſus ad umbilicum vſque in aq. dulci, fol. mal. viol. capil. Ven. artem. & calamenthi alterata, parari poterunt; ſicut poſthęc, balneum aquæ dulcis toti corpori, alteratæ fol. mal. viol. nymphęæ, lactucæ, horis veſpertinis adminiſtrandum. Atque interim mane pergat Pat. in uſu ſuccorum depur. & clarif. cich. vel, ad amaritudinem euitandam, endiuiæ, ſonci, & borrag. ad ℥ iij. in iure cichorac. alterato, addita violaria, & hepatica. Hæc verò tùm interna, tùm externa, ad Iecoris, ſanguinis, & venarum calidam intemperiem corrigendam.

Dum pręſcripta adminiſtrantur, aliqua capitis roboratio omittenda non eſt, ſuauioribus tamen. Sic quotidie ſtatim à cibo, comedat conſeruam roſar. vel ſolam, uel cum Diarrhod. miſtam; ſub ingreſſum verò lecti, aſumat conſeruã modò è florib. beton. modo uiolarum.

Quibus omnibus addenda uictus ratio, proportione reſpondens, refrigerans, humectans, non uaporoſa, niſi refrigerans fuerit. Caueat à motibus uehementibus pomeridianis, & animi perturbationes arceat. Quę omnia Patienti ſalutaria precor.

XI.

HEMICRANIA.

Dolorem capitis hemicranicum, quo triginta abhinc diebus Illuſtriſs. & Excellentiſſimus Pat. diuexatur, & nos, cum Excellentiſſimo Viro, eſſentialem modò redditum eſſe, vtpote continuum, cenſemus; qui cum primò ab hypochondrijs, & forſan etiam à toto, magnum habuerit conſenſum, ab iiſdem, & in preſentia foueri exiſtimamus. Ad hunc verò dolorem caput diſponi potuit à facili repletione, ob calidam, & humidam naturalem intemperiem, nec non ob eiuſdem imbecillitatem, à magnis negotiis, aſſiduis curis, & cogitationibus contractam; vndè ab hypochondriis potiſſimum, melancholicos, craſſos, & fuliginoſos vapores ſuſcipere potuit, imò & eiuſdem generis humores à toto, qui partium ſentientium continuum [a] ſoluentes, dolorem excitare facili negotio valuerunt. Et quoniam humidum [b], & ſiccum, ſine violentia corpus attingunt; ideo dolores vehementes [c], vel à caliditate, vel à frigiditate fieri à Medicinæ Principibus ſancitum fuit; in noſtro autem caſu, liceat nobis frigiditatem excludere, cùm caput Excellentiſſimi Viri, vltra modum excalefactum obſeruetur, atque calida potius, in actiuis, ſit eius intemperies, & excrementa concocta ſatis illi profluant, ac tandèm, quià conſenſus, à feruentibus hypochondrijs, & viſceribus præcalidis, & à toto nullo modo frigidus cenſendus eſt; præterquam quod, & doloris qualitas pungens, frigidam cauſam non admittit. Quoniam verò ſub veſperam exacerbatur [d], atrabilarem cauſam prodit, quam & ſiniſtra pars affecta, necnon quartanariæ grauiores exacerbationes confirmant; ſicut primariam mineram, circà viſcera naturalia deliteſcere demonſtrat agitatio illa humorum, & caloris concentratio ab aſſumpto cibo, ob quam vapores ad caput eleuantur, dolorem ipſum tunc temporis exaſperantes.

a 3. de Fract. 34.
b 1. de Sym. Cauſ. 6.
c Aet. Tet. 2. Ser. 2. Cap 45.
d 1. in 6. Epid. 15.

Quæ iam dicta omnia, licet veritati conſentanea videantur; de qualitate tamen Celtica non parùm dubitandum, quia dolor nec corroſiuus, nec fixus, & firmus in parte determinata hæret; cùm alioquin melancholici humoris indicia, tumores, atqne decubitus, celticis non abſimiles, ſæpe obſeruentur; Hoc itaque dubio ancipites prius ad cauſas manifeſtas medicis auxilijs auferendas deuenire ſuademur, ne fortè committatur error peior priori, quibus nihil iuuantibus, mox aduerſus occultas curationem dirigemus.

Et ideo cura regularis, cauſam auferentibus, prout anodynis, & narcoticis quoque coacta inſtituenda. Etenim, licet hic affectus ex ſe lethalis non ſit, moleſtiſſimus tamen maiora mala poteſt inuehere.

Igitur medicæ intentiones erunt, hypochondria, & totum euacuare; humores, atque vapores aſcendentes reuellere; in capite contentos expurgare; intemperies auferre; & caput roborare.

Et quoniam horum plurima prudentiſſimè executioni mandata fuere; ideò iam peractis inhærentes, qnæ nobis è re uiſa fuerint medica præſidia præſcribemus. Itaque Clyſteres in primis acres in vſum ducendi erunt; Et ad ſanguinis miſſionem quod attinet, cum bis è venis extractus fuerit, cucurbitulis tertia vice educi poſſe credimus, dorſo primùm applicitis; & tandem magna in occipite inciſa. Pedum lotiones calentes interim bis per diem, ante cibum adhibendę; & tandèm tuſa in fronte vena efficaciſſimum fuerit topicum remedium ex Hipp. & Gal [e]. cæterorumque Medicinæ Principum decreto in eſſentialibus, & confirmatis capitis doloribus, cui nos, cùm artifices peritos habeamus, atteriotomiam [f] ſubſtituere ſolemus.

e 5. Aph. 69.
f Paræus.

Antequam tamen ad hanc localem operationem deueniamus, caput erit omninò à cacochymia expurgandum pil. aur. aggreg. cum gr. mercur. dulcif. tribus vicibus, quarto quoque die, exhibendis ſub mediam noctem more Tralliani, vt caput facilius expurgetur; ſummo verò mane, præbeatur ſer. depur. atq. intermedijs diebus, propinentur ſucci depur. cich. borrag. beton, in decoct. hepatica, & capitali. Interim & per errhina caput ipſum expurga-

Digitized by Google

purgabitur puluere maior. ireos, & tabaci, vel infuſ. roſat. cum diagridio. Fomenta quoque magna ſpongia, prius tamen capillis inciſis, adhiberi poterunt; quæ & liquandi, & reſoluendi facultate polleanr; atque ideò parentur ex lixiuio dulci alterato roſis, maluis, chamęm. melil. ſaluia, beton, roremat, ſem. lini, & fœnugr. quo calido ſpongia magna imbuta, & expreſſa caput foueatur; mox puluceres capitales aſpergantur ex oſſibus ſepiarum, cornu cerui, beton. ſtœchade, & roremarino parati, Quo tempore conuenire poterunt ſucci depur. malu. & bugloſſi; imò & ſerum depur. Neque mirum videatur in Arte peritis, ſi vſum lactis Aſinini, imò & caprini quam maximè profuturum ſperemus; addito potiſſimum balneo vniuerſali aquæ dulcis, maluis, violis, nenuph. & lactuca alteratæ.

Interim à proprietate iuuantia nullo modo omittenda; inter quæ eminet aqua verbenæ, cum ſpiritu vitrioli, ſub cœnam hauſta. Sed quoniam, dùm cauſa doloris expugnatur, dolores ſunt demulcendi, & ſomnus conciliandus; ideo in hunc finem duo proponimus ſelectiora, & eximia remedia ſimulq; faciliora, & innoxia; alterum eſt clyſter ex lacte uaccino, cum phil. Rom. recen. ℥ j. paratus, & quocunque tempore, ſed potiſſimum à cœna injectus, qui tamen ſupta duas, aut tres horas detineri non debet, ſed arte, ſi non ſponte euocari; is enim dolorem tota nocte demulcebit, & ſomnum ſuauem conciliabit. Alterum remedium eſt, quod ſi fortè fortuna cauterium geſtet Excellentiſſimus Pat. pila rotunda ex opio, aut ladano nepent. paretur, & illi indatur, ibique per tres, aut quatuor horas detineatur, mox extrahatur, & piſum conſuetum reponatur; idem enim effectus ex eo obſeruabitur.

Quibus omnibus congrua viuendi ratio addatur, contemperans, & mediocriter tenuis, atque extenuans; A vino omnino abſtineat, cuius vice, aliqua ſuauis aqua, non tamen vaporoſa inſtituatur.

XII.

VERTIGO.

Reuerendiſſimus Presbyter, Abbas annum 30. agens, temperamenti totius & iecoris, calidi, & ſicci, præhumidi capitis, frigidi ventriculi, mediocris habitus, ſtudiis deditus qualibet hora, vèl ſtatim à cibo; prætereà paulò edacior, cùm licet temperans, appetentia tamen uigeat; multis abhinc annis, ſæpe doloribus capitis obnoxius fuit, quibus, liberatus eſt uomitibus nonnumquam frequentibus heterogeneæ materiæ crudæ, & acidæ, nonnumquam catarrhalis, & mucoſi excrementi, per nares euacuatione, eidem tamen ſemper conſueta. Quamobrem fuit à nobis expurgatus, & ratione imbecilli uentriculi, decoctum in iure palumbi è turre ex china, & lentiſco, præſcriptum; à quo uentriculus quidem melius habere uiſus eſt, ceſſante ſcil. vomitu; caput tamen magis, quàm antea grauari cœpit, & ſpiritus animales, uiſorij potiſſimum adeò confundi, atque perturbari, ut pedibus uix ſtare poſſit, cum obiecta, non ſolùm ipſi tremere, ut antea, uerùm, & in gyrum uerti uideantur, continuò quidem, ſed potiſſimum ieiuno uentriculo, ac magis, dum caput, & totum mouere tentat, quàm dum quieſcit. Cùm autem affectus inualeſcat, adeo ut ſcipioni inniti cogatur, ne procidat; ideo opem tuam, Vir Præclariſs. inuocat, ut ſanitati reſtituatur.

Affectum, Abbatem Reuerendiſs. diuexantem, uertiginoſum eſſe, & nos cum Viris Excellentiſs. confirmamus, ſic à uertendo dictum; cùm ita affectis, non ſolùm obiecta omnia, uerùm & proprium [a] corpus circonuolui, & in gyrum moueri uideatur; vnde à ſymptomate [b] nomen deſumpſit. Huius autem duæ ſpecies à pleriſq; aſſignari ſolent, quas gradus potius appellare proprium magis, cùm ſymptomata augeantur, uno ab altero originem trahente; primò namque obiecta ſibi tremere uidebantur, qui primus fuit uertiginis gradus; de quo quidèm nihil Hipp. nihilque Gal. ſed hunc innuit Auic. [c] & expreſſit Aetius [d] Titubationis titulo, ſiuè Trepidationis, non Vertiginis. Progreſſus uerò ad ſecundum gradum, imò ad ueram uertiginem, Dinos à Gal. appellatus eſt, quaſi dixerit, circun-

a Prima 5. Tract. 5. Cap. 1.
b 6. De Sanit. Tu. 12.
c Pr. 3. Tr. 5. Cap. 4.
d Tetr. 2. Ser. 2. cap. 7
e 4. Acut. Com. 41.

Digitized by Google

[f 4. Aph. Com. 17.] circunuolutionem, quæ inualeſcens magis, Scotodinos euaderet, hoc eſt, tenebricoſa circunuolutio; quam ita expreſſit f Gal. *Scotodinos, ideſt tenebricoſa vertigo eſt, quando res conſpectæ ſimul videntur circunuolui, & ſenſus videtur repente deſtrui, cùm ægrotus tenebras ſibi circunfundi opinatur.* Secundo igitur gradu vertiginis laborat Reuerendiſs. Pat. qui licet ſcipione fulciri cogatur, ob metum caſus, non tamen tenebricoſa vertigo hæc eſt; quod exemplo ab externis deſumpto, oſtendit Gal. [g 3. de Loc Aff. 8.] g. *Si quis enim ſanus crebrò circunuoluatur, etiamſi mox quieſcat, aliquo tamen temporis ſpatio, obiecta ſibi videntur in gyrum commota*; ob quam commotionem vix pedibus ſtare poteſt ſanus, adeo ut alicui rei ſe applicare quærat, donec motus ille in gyrum quieſcat; ita contingit Reuer. in hoc ſecundo gradu vertiginis; nititur enim, ad tutelam, ob metum procidendi, abſque tenebrarum præſentia.

[h 4. Acut. Com. 42.] Prouenit autem hic affectus, ab inordinato h motu ſpirituum animalium, tanquam à cauſa immediata. Commoueutur autem ſpititus, in caſu noſtro, à cauſis internis; non enim præceſſerunt ictus caluariæ, importuna purgatio, auſtrina conſtitutio, aſpectus obiectorum ex alto, vel circunrotantium, agitatio corporis proprij in gyrum, vectio in curru, vel naui; à quibus omnibus commoueri in gyrum ſpiritus ſolent. Sed reuera in Reuerendiſs. Abb. commouentur à vaporibus, non ſine humoris præſentia in capite ipſo. Vapores autem, partim à ventriculo eleuantur, partim in ipſo capite generantur. Sic dicebat [i 4. Acut. Com. 42.] Gal. i *Vertigo fit, ob inordinatam ſpiritus flatuoſi motionem, qui vel in capite localem habet generationem; vel furſum ex infernis partibus fertur.* Qui magis etiam ad rem noſtram, ita loquutus [k 3. de Loc Aff. 8.] eſt. k *Vertigo fit interdum, cerebro, primigenio affectu laborante; interdum vero ori ventriculi conſentit.* Hæc autem utroque modo fit. Quare eſt affectus, tùm eſſentialis, tùm per conſenſum factus; eſſentialis quidem, quia catarrhalis materia in capite reſidet, cerebro ipſo humida intemperie affecto, ideòque valdè excrementitio, vtpotè per nares expurgari ſolito, & nihilominus doloribus obnoxio. Ab hac autem materia vapores eleuati, & viſorijs ſpiritibus immiſti, rectum eorundem motum confundunt, adeò ut recti ad oculos peruenire nequeant, ſicque ſpiritibus in gyrum commotis, in gyrum quoque obiecta commoueri videantur; idque magis capite commoto, quàm quieſcente; quia ut conſidera- [l 6. Probl. 4] bat l & Ariſt. quieſcenti, humor vniuerſus vnum in locum ſe colligit; mouenti autem, ſe æque expandit. Ex illo verò motu, ſpiritus in gyrum, non recta via ad oculos perueniunt, ſicque vertigo excitatur. Suſcipit tamen frequenter caput ipſum vapores à ven- [m Art. Medic. 63.] triculo malè coquente, multumque m appetente frigiditatis indicio, quam aciditas ipſa, & à calidis medicamentis allatum ventriculo iuuamentum confirmant; cuius calor à ſtudijs intenſioribus, vèl ipſo concoctionis tempore, magis magiſque depauperatus, crudítates adauxit, quæ licet minori copia, quàm ante decocti uſum ſe prodant, retentæ tamen, ex vomitu ſedato à ventriculi corroboratione, malum augere potuerunt, cùm ab iiſdem maior vaporum copia ad caput eleuetur, idque potiſſimum ieiuno ventriculo, quoniam tunc temporis calor non agens in cibum, cruditates iam congeſtas agitat, à quarum commotione facilior poſtmodum fit vaporum eleuatio, qui ſpiritibus animalibus permiſti, vertiginem excitant.

[n 2. Meteor. Cap. 9] Verùm, cur non alio, quàm circulari motu, ſpiritus animales à vaporibus mouentur? Quæſito ſatisfacere poſſumus, cum Ariſt. n, qui dum quærit, cur aliqua, quæ in aere generantur, vertiginoſo motu moueantur? Reſpondet; quoniam vapores, vtpote leues, & quodammodo calidi, imo exhalationis naturæ participes ſurſum aſcendunt; cum verò ad mediam aeris regionem peruenerint, denſantur frigore, & graues fiunt, undè neceſſariò deſcendunt; ſed quoniam propriam naturam leuem adhuc retinent, ideò in media diſpoſitione, inter leuitatem, & grauitatem, ſurſum & deorſum medij conſiſtunt; cum verò quieſcere non poſſint, in gyrum moueri coguntur. Ita ſpiritus animales, à vaporibus commoti, utpotè calidi, & leues, ſurſum aſcendunt; dum autem ad cerebrum peruenerint, illius frigiditate denſati, graues facti deſcendunt; atque ita dum à calore attenuantur, & à cerebri frigiditate denſantur, nullo ex duobus motibus vincente, ſequitur circularis; cum ſcil. quieſcere nequeant, & uapores exitum quærentes, ſemper in motu parietibus adhæreant.

Affectus hic licet ex ſui natura periculo vacare videatur, per accidens tamen lethalis euadere poteſt; cùm procidendo ex alto, vel in aquam, mori, & ſuffocari poſsit ipſe Pat. Præterquam quod moleſtiſſimus euadit Reuerendiſs. in præſens, cùm ad propria obeunda negotia domo egredi nequeat. Addamus cum Gal. quod in apoplexiã, & facilius in epilep- [o 3. Aph. Com. 17.] ſiam, hac iuuenili ætate migrare poteſt; ait enim, *Quod o Vertigo ſit maximum malum, quid di-*

cere

cere oportet? proxima enim eſt morbis comitialibus, & apoplexijs; Ilingos enim eſt tenebricoſa vertigo, quæ Apoplexiam, & Epilepſiam præcedit.

Medela itaque Reuerendiſs. Pat. ſtatim adhibenda, præſertim hoc verno tempore adminiculante; quæ conſtabit ex Curatiuis, & Præſeruatiuis medicis intentionibus. Quibus, primò ventriculus, cum primis vijs exinaniendus. Secundò, totum; deinde caput expurgandum. Tertiò, aſcendentes vapores à capite reuellendi, & in capite diſcutiendi. Quartò, humida capitis intemperies corrigenda. Quintò caput, & uentriculus roborandus. Et tandem à proprietate iuuantia adminiſtranda.

Et quidem in fonte Chirurgico, primo conſideranda ſanguinis miſſio, num conueniat, necnè, ne incidamus in errorem Archigenis, vno, eodemque modo vertigines omnes curantis, non ſine Galeni p admiratione. Monet enim ipſe, quod in uertiginis curatione, prius ſit uidendum q. *Quid in illis aceruetur; nonnullis enim bilis amara, alijs atra, alijs pituita, & alijs ſanguis redundat.* Et ideò præter rationem à nonnullis damnatur omnino ſanguinis miſſio, eo quod Gal. nuſquam eam propoſuerit; ſi quidem Lib. de Sang. Miſſ. hæc expreſſa habet uerba r. *Vertiginoſis, & vt in ſumma dicam, magno quopiam morbo correptis, poſt habitam virium, atque ætatis rationem, miſſio ſanguinis conuenit.* Quod ſi alij dicant, ſanguinis miſſionem, loco citato, eum propoſuiſſe, non pro curatione, ſed pro præſeruatione, negandum id prorſus fuerit; cum pro præſeruatione, ſanguinis miſſionem propoſuerit Cap. 19. dicens ſ. *Comitialibus, & vertiginibus obnoxijs, ex crure ſanguinem euacuabis.* Notanda autem illa uerba, ſuperius, *correptis*, inferius, *obnoxiis*. Sed antè Gal. ipſe Hipp. ſanguinis miſſionem præſcripſit, dicens. t *Prodeſt, ſi ſanguis de naribus fuerit detractus, aut à vena in fronte.* Educatur itaque ex iecoraria dextera, aut mediana, ea quantitate, quam indicabit u qualitas ſanguinis exeuntis; peccat enim hic, ſi non ut cauſa principalis, ſaltem ut adiuuans, cum & ſanguis, & iecur ferueant, unde facilior in caput euaporatio. Quare ſi fuerit opus, ratione reuulſionis, ex hæmorrhoidibus, parce tamen, educendus erit, altera uice.

p 3. de Loc. Aff. 4.
q de Sang. Miſſ. Cap. 7
r De Sang. Miſſ. Cap. x
ſ De Sang. Miſſ. cap. 19
t De Aff. num. 2.
u 1. ad Glauc. 11. & 3. de Loc. Aff. 7.

Et quamuis arteriotomia, in contumaci uertigine, proponatur a Gal. x in noſtro tamen caſu locum non habet; quia uertigo non fit à feruido ſanguine, in arterijs contento, ut notauit Rhaſis; preterea Gal. & ipſe monuit, y quod nonnulli ab hoc præſidio auxilium petierunt, licet non omnes obtinuerint.

x De Sang. Miſſ. 22. & 6. de ſan. t. 9.
y 3. De Loc. Aff. 8.

Reuulſioni inſeruire quoque poterunt cucurbitulæ ſiccæ, infernis partibus admotæ; prout lotiones pedum quotidianæ; quinimò, & ſinapiſmi; Clyſteres acres; acria ſuppoſitoria. Cauterium quoque coxæ inuſtum quam maximè prodeſſe poterit, reuellendo; ſicut alterum in brachio, deriuando, ut ſetaceum euitetur.

A Pharmaceutico depromenda Lenientia, Præparantia, Purgantia, Vapores diſcutientia, Intemperiem, præſertim, capitis, ſed & ventriculi, Corrigentia, vtramque partem Corroborantia, & à proprietate iuuantia.

Pro Leniente, conſideratur primò vomitus, qui non adeo facilè admitti ſolet, niſi afficiatur ventriculus, & naturalis adſit ad eundem propenſio, ut in caſu noſtro. Prouocetur itaque Diaſato Fern. in iure carnis diſſoluto; quod ſi præſtò non ſit, præbeatur oxym. in iure raphano, & ſem. citri alterato. Clyſter quoque ſecundo loco inijciatur, ex decoct. betæ. malu. mercur. chamæm. rutæ; additis melle roſ. ſol. ol. chamæmel. oui vitello, & ſale. Medicamentum verò ita paretur. ℞. elect. lenir. ℥ j. hieræ picræ ʒ j. m. f. b. In potu. ℞. mel. roſ. ſol. ℥ iiij mannæ elect. ℥ ij. aq. cinnam. e flotib. citri an. q. ſ. m. f. p. cui ſuperbibat mulſæ dilutæ lib. ij.

Præparans primum ſit. ℞. mel. roſ. ſimpl. ℥ ij. oxym. ſimpl. ℥. j. aq. cinnam. ℥. ſ. m. pro ſyr. & ſic pro alijs quinque.

Primum purgans erit huiuſmodi. ℞. hieræ picræ Gal. ʒ. j. ſ. crem. tar. ʒ. ii. elect. lenit. ℥. j. m. f. b. Vel potio talis. ℞. mellis roſ. ſol. mannæ clarif. an. ℥ iij. aq. flor. cit. q. ſ. m. f. p. ſed duabus horis ante potionem, ſumat Reuerendiſs. Pat. bolos, ex ʒ i. hieræ picræ, cum melle roſ. reformatos. Hiera verò diacolocynth. à medicinæ Principibus propoſita, in ſecundis purgationibus locum habebit.

Hoc tempore, ſemel, aut bis aqua Tettuciana exhibenda, cum vehiculo mellis roſati ſolutiui.

Præparans ſecundo loco, ſit hoc. ℞. decoct. cich. borrag. beton. meliſſæ, abſinthij, aut menthæ, card. Sancti, ſaluiæ, chamæpit. ℥ vj. ſyr. de beton. comp. de ſtœchade, an. ℥ ſ. oxym. ſimpl. ℥ i. m. pro ſyr. & ſic pro alijs.

Pur-

Digitized by Google

Purgandi præparati humores, hoc modo. ℞. pil. coch. præp. ʒ i. aggreg. maſtic. an. ℈ i. troch. alhandal gr. v. m. ref. pil. & aurentur, quinque horis ante cibum, vel circa noctis medium aſſumendæ.

Capiti expurgando bis, aut ter eædem pil. 4. quoque die repeti poterunt; Diebus verò intermedijs, aſſumatur decoct. cichorac. ſaluiæ, & maioranæ, cum ſuccis depur. cich. borrag. & beton. & interim capitis expurgatio errhinis etiã, & maſticat. ſolicitanda. Errhinum poterit eſſe huiuſmodi. ℞. pulu. maioranæ, ireos an. ʒ ij, nigellæ, tabaci an. ʒ j m. ieiuno ventre, per nares attrahendum. Maſticat. verò ℞. maſtich. elect. ℥ ſ. ſem. carui, pulu. gingib. pyretri an. ʒ j nucis moſch. ʒ ſ. ceræ q. ſ. m. f. glob. quos ſi recuſet R. Pat. in ore ſaltem detineat fruſtulum nucis moſchatæ, vel cinnam. vel caryoph. vel cubebas; ita enim vapores quoque in capite hærentes diſcutientur, ſi potiſſimum addantur externa, cuiuſmodi erit Balſamum cephalicum, ità paratum. ℞. ol. nucis moſch. expreſs. ʒ j. ol. ſtillat. maioranæ, caryoph. an. gutt. vi. ambræ griſeæ gr. v. moſchi gr. iij. m. à quo, nares digitis emungantur, & ſutura coronalis, quinta eſſentia roriſmarini, ſummo digito illinatur. Toto, & capite ſic expurgatis, capitis humida intemperies corrigenda, & ventriculi quoque ratio habenda; in quem finem, nihil efficacius, atque tutius in arte decoctis cum ſudoribus; Aq. namque thermales ſulphureæ, à Viris Excellentiſs. propoſitæ, vt euaporantes, & caput implentes, poſthabendæ; ſicut & decoctum ſine ſudore, à Reuerendiſs. Pat. experitum, admitti non poteſt: quotidie enim caput magis impleret, & intemperiem adaugeret, liquando, atque fundendo humores in roto redundantes; qui fuſi, ſi ſudoribus non educantur, ſurſum petunt, caput implent, & in eodem morantur; unde ex vſu decocti ſine ſudore, caput ſemper in deterius labi obſeruamus.

Paretur itaq; decoctum, quod tamen ſudor in hypocauſto ex capite ſubſequatur. ℞. guajaci rec. & oleoſi, viſci querc. veri, lentiſci è Chio an. ℥ i. ligni roriſmarini ℥. ſ. aq. ſtillat. cich. beton. lil. conual. aut pęoniæ an. lib. i. m. f. inf. per horas 24. deinde bul. ad conſumpt. dimidij, & colat. ſeruetur pro duabus vicibus, matutino tempore, hora vna ante ingreſſum hypocauſti ſumenda: cui præmittatur huiuſmodi bol. ℞. ſalis theriac. pulu. viperini an. ℈. ſ. electri albi gr. v. ſucci maioranæ q. ſ. m. ref. b. & aur. Pro potu autem conſueto, reſiduo addantur aqu. fontis lib. xii. & bul. ad conſumpt. tertiæ, addendo ſub finem, cinnam. fruſtulum, & colat. ſacch. fin. ad libitum. In huius uſu perſiſtat ad 30. vel 40. dies. Atque interim Clyſteres actiores inijciantur, & decimo quoque die, potio ex manna clariſ. ad aquam educendam, præbeatur.

Abſoluto ſudore, caput, & ventriculum roborare poterunt conſeruæ è floribus roriſmarini, ſaluiæ, beton. calendulæ, additis ſpeciebus aromatici roſ. diarrh. Abb. Confectio ex ol. de cort. citri, & quinta eſſentia roriſmarini. Exter. caput lauari poterit lixiuio ex cinere ficuum, alterato maiorana, origano, ſaluia, beton. agarico. Stillicidium autem ab Excell. Viris propoſitum, ex aquis ſulphureis Aponenſibus, ſicut pro præſeruatione probarur, ita pro curatione ſuſpectum habetur, vt quod poſſit ſpiritibus motum addere. Pulueres exſiccantes interim inſpergendi, ex ligno carioſo, oſſibus ſepiarum crematis, cornu C. vſto, radice Iridis, maiorana, & roſis parati.

A proprietate tandem iuuans, egregium remedium, omnium Profeſſorum Medicinam facientium conſenſu, eſt ſtercus Pauonis, abſque ulla præparatione, ad ʒ j. in aliqua conſerua inſcio Patienti oblatum. Sicut quoque ſemen carui, prius in vino aromat. maceratum, mox exſiccatum, & pulueriz. ad ʒ. i. in aqua pęoniæ, aut lil. conuallium exhibitum.

Victus rationem quod attinet, Vitandus aſpectus rotarum, fluminum, conſpectus locorum profundorum ab alto. Degat potius in cubiculo non adeo luminoſo. Fugiat aerem auſtrinum, nebuloſum. Caueat a lactariis, flatulentis, acribus, cæteriſque vaporoſis. Vinum in præſens interdicatur, cuius loco, bibat aquam citro, vel cinnam. & ſaccharo alteratam. Pro præſeruatione verò, paretur vinum roremarino, & lentiſco medicatum. Somnus vitetur pomeridianus. Exercitium ſit moderatum, & ante cibum. Aluus lubrica ſeruetur; quæ niſi ſponte ſoluatur, arte ſolicitetur, pil. maſtich. cum magiſt. mechoac. bis in Menſe. Sit rara venus, aut impreſens omittatur; & animi perturbationes, cæterique motus eiuſdem arceantur. Quæ tum pro curatione, tum pro præſeruatione, dicta ſatis.

VER-

XIII.

VERTIGO TENEBRICOSA.

Vir 56. annum agens, ſecundum totum ſatis benè temperatus, capit is tamen calidi, & in exceſſu humidi, grauiſſimis capitis doloribus multis abhinc annis obnoxius, nec non podagricis, anno præteriro Naui iter faciens hyemali tempore, oris tortura correptus fuit, 15 tamen dierum ſpatio ſanata. Modò tertius agitur annus, quo Vertigine frequenter, & ferè indeſinenter, cum capitis dolore grauatiuo, & quaſi continuo detinetur; quibus accedunt ſtupor quidam, tinnitus auris ſiniſtræ, & aliquando ſurditas. Nec auxilia medica, & potiſſimum decoctum, per 24. dies adminiſtratum, quidquam profuerunt; imo vertigo, quæ antea ſimplex erat, tenebricoſa reddita eſt, adeo vt, niſi alicuius auxilio, aut ipſe manibus parieti, aut alicui rei ſtabili admotis fulciretur, procideret; tuncque deſinere ſolet affectus, & ſæpè in ſudorem copioſum vniuerſalem. Modò medicum auxilium poſtulat.

Affectionem poſtremam, qua affligitur Nob. iſte Patiens, Vertiginoſam eſſe, nulli dubium eſſe poteſt; quæ ſicuti primò Dinos [a], ſiue ſimplex vertigo; ita tandem Scotodinos, hoc eſt tenebricoſa facta eſt; fitque, dum ſpiritus inordinatè moti à vaporoſa materia, circumrotationem inducunt, prout vapor flatulentus valdè craſſus tenebras etiam excitat. Et quia craſſo vapori additur etiam celer admodum circunuolutio, ſpirituum influxus ab illo celeri circulari motu ad neruos impeditur, vnde procidit. Hæc autem vaporoſa materia à minera pituitoſa eleuatur, in capite tum producta, tum hærente: eſſentialiter namque humida intemperie affectum eſſe, ſatis ſignificant dolor capitis grauans ferè continuus [b], operationum ſtupiditas, auris ſiniſtræ tinnitus, & aliquando ſubſurditas; ac tandem tortura oris, quæ à pituitoſa materia in capite genita, & ad neruos tranſmiſſa, ortum duxit, dum ab eadem, nerui ipſi, aut ex repletione eiuſdem lateris, Conuulſione; aut ex laxitate oppoſiti, Paralyſi affecti fuerunt. Et quia ſub acceſſionis finem ſudor erumpere ſolet, ſignificat nobis alterutrum duorum, aut utrumq; facultatem videlicet valdè vexatam, & flatulentæ materiæ concretæ reſolutionem. Cùm autem iſtæ acceſſiones vertiginoſæ diuerterentur forſan à podagricis inſultibus, à capite ad articulos materia tranſmiſſa; iiſdem modo, aut intermiſſis, aut rarioribus, ac proinde eadem retenta in capite materia, Vertigines, & frequentiores, & moleſtiores inuadunt.

a 4. Acut 42.

b 3. De Loc. Aff. 8

Affectus certe, qui licet non niſi per accidens periculoſus ſit; quia tamen Epilepſiam, & in hoc caſu facilè Apoplexiam [c] prænunciare poteſt, magni faciendus eſt, & quamprimùm curandus. Huius autem medela diuidtur in Præſeruatiuam, & Curatiuam. Hæc in acceſſione; illa verò extra acceſſionem.

c 3. Aph. Com. 17.

Atque ita in acceſſione opportuna erunt flatus diſcutientia, ſpiritus Inſtaurantia, Reuellentibus, & Intercipientibus parum profuturis, cum affectus ſit eſſentialis; nec negligēda vitæ cuſtodia, ne forſan aliquo præcipiti caſu periclitetur. Paretur itaque pomum, aut pila odorata, manibus tractanda, & odoranda. ℞. Lad. puri ℥ ij. ſtyrac. calam. ʒ. i. Beniu. ℈ i. ol. deſtil. Caryoph. Macis an. gut. iij. Galliæ moſc. ℈ i. m. ref. pila olfacienda. Vel paretur balſamum cephalicum, naribus admouendum. ℞. Ol. nucis moſc. expreſs. ℥ j. ol. deſtill. maior. Caryophil. an. gut. vi. Ambræ griſ. gr. v. Moſchi gr. iij. m. f. balſamum, quo illiniantur nares. Proderit quoque vinum in ore detentum, album, & generoſum, moſcho alteratum; & acceſſione perſeuerante, ſternutamento excitato puluu. Nigellæ, & Tabaci, flatulenta materia diſcutienda.

Extra acceſſionem conuenit curatio præſeruatiua, in qua mediciæ intentiones erunt, totum euacuare, Secundò, caput, Tertiò, frigidam capitis intemperiem corrigere, & idem roborare. Et tandem, aliqua alexiphatmaca, & a proprietate iuuantia adhibere.

Si de Chirugicis auxiliis verba faciamus pro huius affectus curatione, parum, aut nihil prodeſſe poteſt ſanguinis miſſio, cum affectus frigidus ſit; undè Gal. Lib. de Sang. Miſſ. [d] in Scotomaticis curandis, obſeruandum eſſe monet peccantem humorem, & expurgandum,

d Cap. 10

niſi ex æquo omnes adaucti fuerint; & ideo inuehitur aduerſus Archigenem, quòd in curanda Vertigine hanc obſeruationem neglexerit. Verùm quoniam huius Patientis totius habitus probus deſcribitur, & forſan ſanguis in toto, humidos vapores ad caput transmittendo, affectum fouere poſſet; ideo permitti poteſt aliqua, ſed parca ſanguinis miſſio, ex hæmorrhoidalibus quinetiam uenis repetenda; Cauterium brachio omnino inurendũ, nec alterum coxę erit præter rationem; ſicut non omittendæ frequentes pedum lotiones ante cibum; nam licet affectus ſit eſſentialis, non poteſt tamen non habere aliquem conſenſum etiam à partibus inferioribus.

A Pharmaceutico fonte reliqua ſunt depromenda remedia, Lenitia, Præparantia, Purgantia, intemperiem Corrigentia, caput Roborantia, & à Proprietate iuuantia. Lenientia ſint Lenit. cum hiera; uel mel roſ. ſol. cum man. & momento aquæ Cinnamomi. Prima præparantia ſint mel. roſ. ſim. & oxymel. ſine diluto. Primum purgans fuerit ſupradictum medicamentum. Secundum præparans decoct. beton. ſtœchad. borrag. meliſſ. card. ſanct. ſaluiæ, chamæpit. cum ſyr. de beton. comp. de ſtœchad. & oxymel. ſim. mox purgans ſuccedat Elect. Lenit. cum Diaph. uel ſyr. & mel roſ. ſol. cum eodem elect. Hac ſecuta totius expurgatione, Caput quoque expurgari debet, internis, & externis. Sic quarto quoque die, tribus vicibus, aſſumet has pil. ℞. pil. coch. præpar. ʒ i. Aggreg. ℈ i. m. ref. pil. & aur. diebus uerò intermedijs caput pariter expurgetur aliquo naſario, ita parato. ℞. pulu. maior. Ireos, an. ʒ ii. nigel. rabac. an. ʒ i. m. & attrahatur per nares; uel maſticatorijs ita paratis. ℞. maſt. elect. ℥ ſ. ſem. carui, pulu. zingib. pyret. an. ʒ i. nucis moſc. ʒ ſ. Ceræ q. ſ. m. fiant globuli ad maſticandum.

Toto, & capite expurgatis, humida cerebri intemperies auferenda; quod nullo alio medico auxilio, quàm decocto cum ſudoribus, facilius, & ſecurius prꝗſtari poterit; & licet ab aſſumpto decocto nullum auxilium reportarit Patiens, id factum cenſeo, quia non ſudauit; liquati namque humores ab ipſo decocto feruntur in caput, vnde magis magiſque grauatur, quod ſuccedentibus ſudoribus euenire non ſolet; paretur itaque decoctum tale. ℞. Ligni Guaia. raſp. Viſci querc. veri, Ligni Buxi an. ℥ i. Lig. roriſm. ℥ ſ. ſaſſafras ʒ ii. Aq. beton. lib. ij. Aq. peoniæ, lil. conual. an. lib. i. m. f. inf. per horas 24. deinde bull. lento igne, aperto vaſe, ad conſumpt. dimidij, & colat. ſeruetur pro tribus vicibus, cui præmitti poterit bolus. ℞. ſalis Theriac. pulu. viper. an. ℈. ſ. Electri albi, Caſtor. an. gr. v. ſucci maior. q. ſ. m. ref. b. i. & aur. In huius uſu cum ſudore perſeueret Patiens ſupra 30. dies, & ſingula hebdomada repetantur pil. Cochiæ. Poſt hæc, interna, & externa roborantia, & caput firmantia ſunt adhibenda, in quem finem Conſ. ex uſu eſſe maximè poſſent, ſaluiæ, roriſmar. beton. Lauend. Verùm quoniam tempus hybernum aderit, commodus erit uſus Theriacæ. In ore quoque detineat rotulas ex quinta eſſentia roriſmar. paratas; ſicut extrinſecus, balſamum cephalicum ſuperius propoſitum, naribus, & temporibus illitum optimum erit; & ſi anni tempus permitteret, ſtillicidia ex aquis ſulphureis opportuniſſima cenſerem. Nec aliqua à proprietate iuuantia ſpernenda ſunt, inter quæ intrinſecus prærogatiuam habet ſtercus Pauonis maris, ſine ulla præparatione, ad ʒ i. exhibitum, prout extrinſecus Ol. Buxi, & ſuccini naribus, & futuræ coronali illinitum.

Victus ratio iam dictis proportione reſpondeat; in qua caueat ab aere Auſtrino, & nubiloſo, à cibis flatulentis, acribus, vaporoſis. Vinum non ſit generoſum, ſed lignis buxi, ac roriſmar. medicatum. Somnus vitetur pomeridianus; exercitium ſit moderatum, & ante cibum. Aluus lubrica ſeruetur aliqua pilula Maſtic. cum Magiſt. mechoac. Venus omnino omittatur; & animi perturbationes, cæterique motus, non ſolùm interni, ſed externi quoque, vt fluminum, aut obiectorum circumrotantium arceantur; quæ omnia ſalutaria enixe precamur.

XIV.

VERTIGO INCIPIENS.

VErtiginoſa affectio, qua tribus vicibus Illuſtriſ. atque Reuerendiſ. Antiſtes tertio quoque die poſtremò fuit captus, num ſimplex, an tenebricoſa fuerit, Dinos ſcilicet, an Scotodinos non ſatis percipio; vtcunque tamen, inordinatum motum [a] ſpirituum animalium, cauſam immediatam habuiſſe pro certo habendum, à cauſa interna excitatum, quam, materiam vaporoſam, non humoroſam, aut ſolam capitis intemperiem fuiſſe credendum, illamque non eſſentialitet in capite genitam, ſed ab inferna aliqua corporis parte, vel à toto ad caput tranſmiſſam; alioquin vertigo diuturniori tempore perduraſſet, & præceſſiſſet aliqua capitis grauitas, nullaque de infernis partibus querela fuiſſet prægreſſa. De parte verò mandante dubitari poteſt; & primò quidem de Ventriculo, cum leuis admodum eiuſdem percepta fuerit læſio, nec ſemper acceſſionem præceſſerit ouorum, cum butyto vſus. Adhuc tamen magis de toto dubitari poteſt, ex nuper ſuppreſſis hæmorthoidibus; nam licet, id frequenter obſeruauerit Aretæus [b], & confirmauerit experientia; ſanguinis tamen indigentia id prohiberi potuiſſe prudentiſſimè ſtatutum fuit; & ideò rationabiliùs erir aſſerere flatulentam illam materiam ab aliqua cruditate in ventriculo commorante, fuiſſe eleuatam; frequentiſſima namque aſſignatur à Gal [c]. in Vertigine huiuſmodi Sympathia; eruditatis antem prouentum, ſi non ſemper, ab obiecto improportionato, ab imbecillirare ſaltem natiui caloris Ventriculi enatum arbitror, quam præteritum ſanguinis profluuium, tùm cæteris viſceribus, tum vniuerſo corpori, potiſſimum verò ventriculo exangui, inducere potuit.

Malum hoc nihili faciendum eſſet, niſi caput Illuſtriſ. Viri antehac, & in præſens eſſentiales alios affectus pateretur; quod ſicut facilè ſuſcipit, facilius quoque perſeuerante affectione, eandem retinere diutius poſſet, & maiora mala minari. Verùm quia recens eſt affectus, exiguo tempore durans, non eſſentialis in capite, atque ſtatim congrua auxilia adhibita fuere, ideò de futura præſeruatione non eſt quod dubitemus; leuiter ventriculum euacuando, & quammaximè eundem roborando.

Et quoad euacuantia, aloetica arceātur; utpotè quæ, ſicut extrinſecus admota claudunt orificia venatum; ità intrinſecus aſſumpta eadem aperiant, vt experientia confirmauit. Quare aptiſſimus fuerit vſus aliquando mellis roſ. ſimpl. ad vnc. iij. cum tantillo aquæ cinnam. vel præbeatur mulſæ cyathus cum cremore tart. Pro roboratione verò ventriculi, nil abſinthio iàm adhibito præſtantius, vt quod viſceribus omnibus, & toti quammaximè prodeſſe poſſit, cui grana ſalis menthæ addi poterunt. Sic rotulæ propoſitæ ex polline ſaſſafras cum gutt. olei de córtic. citri, ſaccharo diſſoluto cum aqua cinnam. flatus commodè diſcutere poterunt; grana item maſtic. integra à cœna deuorata euaporationes in caput intercipient, vel conſ. roſarum cum puluere eiuſdem; illa de betonica non omiſſa. De extrinſecis parùm curandum, præter ſola lauacra pedum aliquando ante cœnam. Victusque tatio congrua cum cœna parca ſeruanda. Quæ, ut reliqua omnia prudentiſſimi Viri directioni tutiſſimę committenda, cui ſanitatem, & Neſtoreos auguror annos.

[a] 4. Acut. Com. 42.

[b] Lib. 1. Cap. 3.

[c] 3. De Loc. Aff.

XV.

VERTIGINOSVS AFFECTVS.

MAturè, Vir Clariſſime, conſiderauimus ſtatum, ſiue affectum Vertiginoſum, de quo conqueritur dominatio tua Excel. non ſine aliqua capitis grauitate, & crurum imbecillitate; quæ omnia in altera hac valetudine tua augmentum ſuſceperunt. Sicuti autem tecum conuenimus circa affectus ideam, atque eſſentiam, ita diſcrepamus circa cauſas; cùm nos ſupponamus, & pro certo habeamus cauſam huius affectus multò magis melancholicam eſſe, quàm pituitoſam, adeò ut neruoſa ſubſtantia, aut potiùs muſculoſa, tendinoſaue, ſeroſitatibus melancholicis imbuta, ſuboriantur, & tremores, & torpores, ſiuè ad motum imbecillitas; ſicut ab eleuatis in caput vaporibus, ſiuè exhalationibus, præſertim ab hypochondriis, ſed & à toto, ſpiritus viſiuos confundentibus facili negotio vertiginoſi motus ſequuntur.

Non eſt tamen ſpernendus, ſiue negligendus hic rerum ſtatus, ne vlterius progreſſus in veram Vertiginem faceſcat, vel peiora mala ſoboleſcant; namque, a *In morbis melancholicis, ad hæc periculoſi decubitus, Apoplexiam, corporis Torporem, vel Cæcitatem ſignificant.*

a 6. Aph. 56.

Idcirco approbamus ſanguinis miſſionem, primò ex venis ſuperioribus, mox ex ſedalibus. Cauterium quoque Coxæ inuſtum opportuniſſimum fuerit. Præterea purgationi, à te præſcriptæ omninò ſubſcribimus, habita ſemper humoris, & ſeroſitatis melancholicę ratione. Nobis inſuper magnopere arridet vſus ſuccorum depur. cichor. & borrag. ſaltem ad xx. dies; ſed interea ſingula hebdomada aſſumantur Pilulæ coch. cum Helleboro præp. additis aggreg. & maſtichinis; quibus ſuperbibatur ſerum, aut Aqua Noceriana. Quod ſi iam dictis affectus non cedat, proxima aduentante Canicula, eadem aqua Noceræ proficua eſſe poterit, tribus, aut quatuor primis diebus deiectoria, mox diuretica, addendo ſpir. vitr. philoſ. vel ſpir. tartari rectificatum; in cuius vſu perſeuerari poterit xv. aut xx. continuos dies. A quibus, Capiti aliqua corroboratio conciliandà uſu conſeruæ è flor. beton. borrag. roriſmar. & quandoque roſarum. Neque omittatur familiare ſibi medicamentum leniens. Et frequanter aliqua hirudine venis ſedalibus applicita, ſpontanea ex iiſdem proliciatur euacuatio.

Hiſqne omnibus congrua victus ratio, tuæ ſummæ Prudentiæ notiſſima addatur; dum me tibi totum voueo.

XVI.

VERTIGO, ET TORPOR.

ET nos iuxtà Viri Excel. ſententiam confirmamus, Patientem Illuſt. duobus abhinc annis Capitis imbecillitate cum grauedine laborare, quæ à percuſſione augmentum ſuſcepit, quadam ſenſus ignauia, & torpore cum delatione in ſomnum, crurum imbecillitate, & motus trepidatione ſuccedentibus; quæ Vertiginis primum gradum apud Aetium[a], & Auicenn[b]. conſtituunt; hic tamen ſemper magis inualeſcens, non ſolùm ad ſecundum, cum obiectorum externorum circunuolutione; verùm & ad tertium tenebricoſum progreſſum fecit, cùm Pat. etiam in terram ceciderit[c]. Hic autem tertius gradus vertiginoſus plures perſeuerauit dies, cui aliquis torpor quoque acceſſit, ad ſemiparalyſin tamen non perueniens.

a Tetr. 2. Ser. 2. C. 7.
b 1. 3. Tr. 5. Cap. 4.
c 4. Acut. 42. & 4. Aph. Co. 17.

Et

Et ſicuti cauſam primæ trepidationis, & capitis imbecillitatis, in capite ipſo eſſentialem fuiſſe credimus, ob intemperiem naturalem eiuſdem frigidam, & humidam, nec non ob caloris naturalis imbecillitatem, vndè deficiunt quodammodò ſpiritus animales; ità Vertigo vera, & præſertim tenebricoſa, fomitem non exiguum à ventriculo ſuſcepit, data præſertim occaſione à motu in rheda, nec non à corporis, & capitis inclinatione ad flores colligendos; ex quibus caput, & natura, & ex accidenti imbecille redditum, facilè à ventriculo craſſam euaporationem admiſit, quæ viſoriis ſpiritibus commiſta, inordinatum motum in iiſdem excitauit; qui meteorizantes, & à facultate expultrice magis concitati, nec adeò facilè reſoluti, exitum quærentes, celeri motu lateraliter circunmoueri cogebantur, unde ſuborta eſt illa obiectorum circunuolutio; prout ab eorundem denſitate, & tenebræ, & viſus priuatio, hoc eſt tenebricoſa vertigo; quæ tandem ſimplex euaſit, iiſdem vaporibus natura, & ope medica attenuatis. Verùm quoniam nulla pars [d] noſtri corporis æque, ac os ventriculi, adeò exquiſito ſenſu pollet, nec adeò facilè in conſenſum trahit vtrumque principium, nimirum Cor, & Cerebrum ob neruorum copiam, ex quibus contextum eſt; hinc facilè Cor, vnà cum cerebro, in conſenſum tractum fuit; unde Vertigini ſyncope quoque, ſiue potius lipothymia adiecta eſt, ſudoribus quidem frigidis manantibus, non tamen cum præcipiti virium caſu, & omnimoda ſenſuum, & facultatum omnium abolitione.

d 1. De Symp. Cau. 7.

Statum autem huius Illuſt. Patientis in meliorem redigi poſſe ſperandum foret, nouo malo potiſſimum non pullulante; prout certè metuendum ab ætate, & naturali capitis temperamento, cum acquiſita imbecillitate; quippè Vertigo Epilepſiæ [e] in iuuenibus proxima eſt, ſicut in ſenibus, Apoplexiæ. Attamen quoniam totius temperamentum laudabile eſt, ſi cautè viuere fuerit contentus, vt ætas quoque eiuſdem poſtulat, ſpes aliqua foret, addita quoque ope medica, vt à præſentibus affectibus vindicaretur.

e 3. Aph. Com. 17.

In quem finem totum euacuandum. Secundò caput. Tertiò frigida, & humida eiuſdem & ventriculi intemperies corrigenda; & utraque pars roboranda; non omiſſis quibuſdam à proprietate iuuantibus.

Quæ ut impleantur, in fonte Chirurgico, ſicut aptiſſima fuit hæmorrhoidalis euacuatio; ità utilia maxime erunt duo cauteria, in læuo brachio, & coxa dextera; nec parùm quoque conferre poterunt quotidianæ crurum lotiones, ante cibum.

A fonte Pharmaceutico accommodata humorum euacuatio, atque præparatio deprompta fuit; quibus abſolutis, ſtatim ad aquas Tettucianas erit deueniendum, tribus diebus cum uehiculo mel. roſ. ſolut. propinandas. Indè ad capitis expurgationem aſcendendum, pil. cochijs, aureis, & maſtichin. tribus uicibus, tertio, aut quarto quoque die repetendis; diebus intermedijs ſyr. capitales exhibendo, matutinis interim horis, leuioribus errhinis vſurpatis ex maiorana, ireos, & nigella paratis; niſi tamen ſpirituum agitatio ex his metuatur; tunc enim maſticatoria ſubſtituenda eſſent. His peractis, Capitis, & Ventriculi exſiccatio aliqua procuranda, decoctum inſtituendo cum ſudore, ne materia ab eodem liquata feratur in caput. Hoc autem parari poterit ex ligno Guaiaco, Viſco querc. Lentiſco, & Roremar. ſiue Saſſafras, in aquis ſtillat. beton. cum aliqua portione etiam aq. pæoniæ, & lil. conual. cui præmitti poterit bolus ex ſale theriac. Electro albo, & modico Caſtor. reformatus cum maioranæ ſucco. At ſi ſudorem renuat Pat. Illuſtriſs. abſtinendum erit à decocto adeo liquante, & illi ſubſtituendum aliud ex ligno roriſmar. buxi, & lentiſci, cum aquis iam dictis, addita deſtillata, ex capil. Ven. ut diureticum, non diaphoreticum reddatur; in quam rem præmitti quoque debebit terebinth. cypria, aqua betonicæ lota, quinque, aut ſex additis caſtorei granis.

Poſt hæc, in vſum ducat conſeruas ex flor. ſaluiæ, roriſm. beton. præſertim à cibo; ſicut à proprietate prodeſſe poterunt ſem. carui, prius in vino macerata, deindè in puluerem redacta, & à ſemidrachma, ad drachmam integram mane in aqua Pæoniæ exhibita; pariter ſemina aquileiæ ſaccharo incruſtata, & ieiuno ventriculo aſſumpta. Valdè quinetiam utiles rotulæ, ſiuè confectiones ex quinta eſſent. roriſm. paratæ, noctu in ore detentæ; qua eadem quinta eſſentia mane, & ſub ingreſſum lecti, emungantur nares, & illinatur ſutura coronalis, vt euitetur ol. ſuccini, aut buxi, inſuauis odoris. Proderit etiam in matutina pectinatione abſterſio capitis ſpongia, prius madefacta vino maluatico, in quo macerata fuerint aromata, nimirum caryoph. cinnam. & nux moſchata, moxque exſiccata.

Quibus omnibus congrua addatur victus ratio; adeò ut fugiat aſpectum rerum, quæ in gyrum mouentur, vt & fluminum, & rhedæ motum. Vitet cibos flatulentos, acres, vapo-

roſos

roſos, mordaces. Vinum ſit mediocre, ligno buxi, & roriſm. medicatum. Somnus diurnus euitetur, aut ſaltem ſit breuis, & capite elato. Exercitium probatur, ſed ante cibum. Aluus lubrica ſeruetur, quæ ſi ſponte non reſpondeat, arte ſolicitetur pil. aliqua maſtic. addito ℈.ſ.magiſt.mechoac.bis per menſem ſumenda. Omittatur omninò coitus, & alacriter, ac confidenti animo viuat. Quæ pro ſalute huius Illuſt.Pat.in confirmationem eorum quæ & adducta, & adminiſtrata à ſumma prudentia Viri Excel.fuere, ſufficiant.

XVII.

VERTIGO, SVFFVSIO, Surditas, Arthritis &c.

OFfertur nobis curanda, & conſideranda Nobiliſſima Virgo annum 28. agens, temperamenti ſecundum totum, ad calidum, & humidum naturæ vergentis, habitus potius gracilis, roſei coloris, melancholica, & religioſis meditationibus admodum intenta, caput intemperie humida, & calida, necnon mala conformatione à natura ſortita; quæ ſemper à menſtruis primò erumpentibus parcius expurgata, vtpote quæ venas exiles habeat, hepar autem calidius, & imbecilliorem ventriculum, à ſeptimo ſuæ ætatis anno, vſque ad hoc tempus malè habuit. Primas autem, & grauiores læſiones præſentire cępit in capite, grauitati obnoxio, mox & deſtillationibus laborante, à quibus noxa primum quidem oculis, mox articulis coxæ, inde auribus, & tandem genu communicata eſt; quæ omnia, nihil proficientibus expurgationibus à Medicis adminiſtratis, tantum augmentum ſuſceperunt, ut oculus dexter, humida materia in totam pupillam effuſa, omninò viſum amiſerit, eademque aliò delapſa coxæ articulo claudicationem induxerit, obſtruendo auri dexteræ ſurditatem attulerit, in genu tumorem durum, liberum motum impedientem inuexerit; & tandem, in oculo ſiniſtro eandem, licet minorem perturbationem, & in aure ſiniſtra, auditus diminutionē, cum perenni tinnitu, effecerit; accedentibus etiam in genu doloribus. Præterea circunuolutiones obiectorum uiſibilium ipſi oberrant, adeo vt aliquando ex circunuolutione in terram procideret, niſi ab aſſiſtente detineretur, aut proximo adminiculo fulciretur: cæterùm in ſomnum ſemper prolabitur, potiſſimum verò nocte.

Morborum, & ſymptomatum Iliade, nobilē hanc Patientem conflictari omninò palàm eſt, quæ omnia à capite malè conformato, tanquam ab equo Troiano proueniunt; ſiquidem catarrhalis materia ad oculos, nec ſolum inter corneam, & cryſtallinum, ſed ad neruream quoque, & pupillam ipſam decubuit, vnde non modò Hypochyma, ab Arabibus Cataracta, uerùm etiam eiuſdem perfectam perturbationem intulit, viſumque in oculo dextero abſtulit, ſicut in ſiniſtro eundem valdè labefactauit. Verùm quoniam eadem materia ad aurem dextram ſe inſinuauit, integram obſtructionem produxit, & abſolutam ſurditatem intulit; ſicut in aure ſiniſtra, ſemiobſtructione, eundem auditum diminutum reddidit. Sed quoniam materia hæc abundè genita fuit, ideò natura cerebrum, ut partē principem, exonerando, ad articulum coxæ maximam eiuſdem portionem depoſuit, quæ ligamentum eiuſdem laxando, ſemiluxationem, & claudicationem neceſſariò induxit; prout aliqua ſui parte confluens ad genu, tumorem arthriticum in eo excitauit. Quoniam uerò, ut diximus, caput naturaliter eſt malè temperatum, vtpote calidum, & humidum[a], ideoque deſtillationibus maximè obnoxium, & male conformatum, undè Hippocrates[b] dicebat *Paruum, & acutum caput habentes, ſunt eadem parte dolentes*; Præterea, cùm nobiliſſima Patiens continuis meditationibus matutini temporis inclementiſſimo aeri ſeſe exponendo, & forſan etiam alijs erratis in uiuendi ratione, capitis intemperiem ſemper adauxerit, mirum videri non debet, ſi ex copioſiori humida materia genita, partim ad genu tranſmiſſa, dolorem, & tumorem in eodem produxerit; partim verò in capite detenta, propenſionem in ſomnum præter naturam; flatibuſq; ex eadem eleua-

a Art.Medic. 19.

b 1. in 6. Epid. 3.

eleuatis, & in auribus tinnitus, & in anteriori cerebri ventriculo, ſpecierum uiſibilium inordinatus motus, indeque vertigo oborta fuerit. Quæ omnia, non ſolùm ab imbecillitate viſcerum naturalium, verùm & à naturali imminuta menſtrua purgatione non exiguum fomitem ſuſceperunt.

In quorũ ſubſidium multa quidem proponi poſſunt, ſed nulla ferè ſpe, tum quia affectus iam conſummati ſunt, tum quia tempus præſens hybernum non admittit medendi modum, qui horum augmentum citò ſiſtere poſſit; attamen quia nos, & præſentes affectus conſiderare, & imminentibus proſpicere tenemur; cùm Hippoc. in Coacis, & alibi [c] moneat, Aurium tinnitum cum vertigine iunctum, aut comitialem, aut attonitum morbum prænunciare; debemus totis viribus, etiam hoc inopportuno tempore, medicis auxilijs iam dictos imminentes affectus, & cæcitatem præuertere. c 3. Aph. 17.

Ideo ſtatim primæ viæ expiandæ; totum, quantum fieri poteſt, euacuandum; caput expurgandum, & in eiuſdem expurgatione diutius inſiſtendum; vapores diſcutiendi, & omni ſtudio à capite reuellendi; tandemque caput corroborandum, & partibus peculiariter affectis proprijs remedijs opitulandum, ex quibus alia hoc tempore, alia futuro Vere præſtanda.

De Sanguinis miſſione nil habeo in præſens, quod dicam; ſunt enim affectus omnes frigidi, qui valido calore naturali pro diſcutione egent; præterea quia anni tempus reclamat; quanquam vſus cucurbitularum ſine ſcarificatione dorſo peropportunus erit, ſicut & frictiones, & dorſo, & lateri non affecto; Lotiones quinetiam ex vſu fuerint, ſicut cauterium coxæ non affectæ inuſtum.

Ceſſantibus vero menſtruis purgationibus, quæ iam inſtant, propinari poterit potio ex manna clarificata ad ℥ vj. mox exhiberi præparans ex iulapio acetoſo, alterato corticibus citri, aut momento cinnam. ad ℥ ij. quotidie per hebdomodam: expurgando deinde materiam eandem potione clarificata, additis infuſioni conſuetæ Agar. troch. ʒ ij. & Rhabarb. electi ʒ j. ſ. Reiterabitur præparatio decoctione cich. borrag. endiu. beton. ſthœcad. ſaluiæ, cum oxymel, & ſyr. de beton. & expurgabitur rurſus Diacathol. & Diaphæn. cum ſyr. roſ. ſol. aut in bolo cum caſſia. Poſt hæc ex vſu eſſe poterunt pilulæ cochiæ præpar. cum gran. troch. alhandal, & portiuncula pilul. maſtich. tali pacto. ℞. Pilul. coch. præparat. ℈ ij. maſtich. ℈ j. troch. alhand. caſtorei an. gr. vj. vel pilul. arthrit. ℈ j. m. f. Pil. & aur. quæ aſſumantur circa dimidiam noctem, peracto primo ſomno, à quibus dormire non deſiſtat; mane verò aſſumat libram iuris hordei, vel maluarum, ne ſiccitatem viſceribus pilulæ inducant; quas tamen Aromatarius parabit recentes, ad vſum qualibet hebdomoda.

Interim caput etiam per nares, & os expurgandum fuerit; quamquam errhina, fortia præſertim, in affectibus oculorum, & vertigine Hipp [d]. ſuſpecta videantur; Quare maſticatoria potius eligenda, parata ex maſtich. ſtaphyſagria, pyrethro, & cera. Pulueres etiam capiti inſpergendi ex oſſibus ſepiarum, cornu cerui, agarico, roſis, & floribus roriſmarini, aut ex caryoph. in aqua roſacea maceratis, & poſtea exſiccatis; diebus verò mediis, inter pilularum vſum poterit aſſumere conſeruam ex floribus roriſmarini, betonicæ, maioranæ, additis ſpeciebus aromat. roſ. Et quia ad capitis exſiccationem validiſſimis remedijs locus non eſt; opus enim foret decocto guaiaci, chinæ, ligni buxi, & lentiſci, cum ſudore, huius vice parabitur vinum medicatum guaiaco, lentiſco, buxo, & ligno roriſmarini ad ℥ ſ. an. pro qualibet ſitula, quo vſque ad Veris tempus vtatur; atq; tunc circa iam dicta valida præſidia conſiliũ in arena capiendum fuerit. Interim oculi abluantur vino albo tenui, in quo lamina cupri, aut æris ignita fuerit extincta, quod tepidum admoueatur. In aures introducatur turunda bombycina imbuta oleo amygdalarum amararum, in quo cuminum ebullierit, aut fel taurinum fuerit diſſolutum; quæ ab Oribaſio, & Dioſcoride, non ſine experientia noſtra, approbantur quam maximè. d de Loc. in Hom. 1.

Quibus omnibus erit addenda congrua victus ratio. Aerem tum matutinum, tum veſpertinum, & inclementem euitando; abſtinendo omnino ab omnibus lactarijs, paſtillis, & conchiliis, aut cortice munitis piſcibus; à carne ſuilla, bubula, ab omnibus caput petentibus, vt ſunt allium, cæpa, amygdalæ dulces, nuces, piſtacia, oliuæ, lactuca. Caueat item à leguminibus, à vinis generoſis, & ab vſu aromatum. Abſtineat à ſomno diurno. Aluum lubricam ſeruet prunis Damaſcenis, infuſione ſennæ; & vehementes meditationes, quantum fieri poteſt, fugiat, & alacriter viuat.

Hæc raptim ſcripta egent maturo iudicio Excell. Viri, vt Nobiliſs. Patienti aliquam frugem afferre poſſint, quam à Summo Medicorum Medico enixè illi auguror.

PHRE-

XVIII.

PHRENITIS ESSENTIALIS.

EGregius Iuuenis 35. annum agens, temperamenti ſecundum totum; & iecur calidi, & ſicci, negotiis impensè deditus; & ideo vigilijs valdè obnoxius, liberè viuens, potiſſimum in meri potu, cùm Venetijs æſtiuo tempore Patauium migraſſet in Naui tecta, & cum ſodalibus, ac commenſalibus mero plurimùm indulſiſſet, nocte ſequenti ſæuiſſimo capitis dolore, atque acuta febre correptus fuit, cum ſiti moleſtiſſima, vigilijs, vel ſomnis ſaltem turbatis, cum clamoribus; à quibus inſueta temeritate loqui cępit. Tertia autem die reſpiratio magna, & rara, pulſuſque minores, atque duriores, ſqualentes oculi, necnon venoſi, ſiue ſanguine pleni apparuerunt; & tandem quarta, floccos vellere, feſtucas carpere, & demum non ſolùm verba plurima facere, & nugari, ſed etiam continuò planè delirare incępit, prout & nunc delirat, cùm familiares non diſtinguat, ſeruum fidelem, oeconomum furti accuſet, eodemque tempore abblandiatur, & benè excipiat. Vrina autem tenuis, & decolor, cum tenui nubecula apparuit. Quæ omnia ita ſuccreuerunt, quamuis à medico domeſtico rectè hactenus fuerit curatus, qui ſecunda die leniens, & tertia ex brachio ſanguinem educi iuſſit. Modò in quarta accerſiti, hæc habuimus.

Cùm tria ſint genera delirij, ſub [a] nomine deſipientiæ, tanquam ſub genere contenta, cum febre vnum, Phreneticum ſcil.; duo verò ſine febre, Maniacum, & Melancholicum, Phrenitide modò laborare egregium hunc Iuuenem palam conſtat, ita dicta à [b] Phrene, mente ſcilicet. Hinc cùm Antiquiores obſeruarint, ſepto inflammato, mentem aberrare, hanc in ipſo reſidere ſuſpicati ſunt. Eſt itaque phrenitis [c] mentis alienatio continua, cum febre acuta. Cùm autem mens alienari, ac deprauari poſſit, quoad imaginationem, ut in Theophilo [d] medico, qui ex principiis falſis veram concluſionem deducebat; vel ſecundò quoad rationem, ut in illo, qui [e] Romæ Lanifici puerum poſt vaſa per feneſtras proiecit, & ex principijs veris falſam deducebat concluſionem; vel tertiò quoad memoriã, ut contigit Athenis Peſte à Thucidide deſcripta [f] apud Gal. quam memoriæ deprauationem, vel circa tempus, vel circa locum, vel circa perſonam credidit [g] Valeſius, confirmarunt [h] Fernel. & [i] Capiu. in caſu noſtro, omnes actiones principes deprauari cenſemus, cùm falſa imaginetur, neque ex imaginatis veram inferat concluſionem; ad quarum operationum deprauationem, deprauari quoque memoriam, non contra, neceſſarium exiſtimamus. Hanc verò mentis alienationem vlterius progreſſam credimus, atque adeò planè delirare ęgrum ſtatuimus in hiſtoria: plures enim delirij phrenitici gradus, ab Hipp. diuerſis verbis deſcriptos obſeruamus. Siquidem primum, ac leuiorem ſignificauit, dicens, *Parum delirabat*; vel, *Nugatus eſt*, vel, *Sermones, ac verba fecit*, uel, *Parum mente conſtabat*: aut *Aliquantulum delirabat*, ut de [k] Melidia. Secundũ gradũ grauioris delirij explicuit hoc verbo, *Delirauit*, ut [l] de Herophonte, Epicratis Vxore, & Clazomenio. Tertium gradum ſic expreſſit; *Planè delirauit*, ut de [m] muliere, quæ decumbebat in Littore. Quartum gradum, deterioris delirij ita, *Multum delirauit*; vt de [n] Vxore Dromeadai, & de Philini vxore in Thaſo. Quintum delirij gradum, ſic *Omninò delirauit, Magnopere delirauit*; ut de [o] Philiſco. Poſtremũ autem, omnium intenſiſſimum, prorſuſque lethalem deſcripſit dicens, *Tremulæ, obſcuræ, blandæque & contrectabiles deſipientiæ, valdè phreniticæ, vt Didymarco in Coo obuenit*; hecticas enim, & conſummatas phrenitides ſignificare uoluit Hipp. ut Gal. in Com.

Eſt itaque mentis alienatio in noſtro Par. multum progreſſa; continua enim eſt, ſicut & febris, quia eſſentialis; undè Gal[p]. dicebat, *Niſi febricitet æger, & continuò deliret phreniticus non eſt; in vigoribus enim febrium, deſipientiæ phreniticæ non ſunt*.

Ad hanc autem phrenitidem excitandam, conſpirarunt primò cauſæ omnes antecedentes, tum internæ, tum externæ, ætas [q] iuuenilis, temperamentum totius, & iecoris calidum, & ſiccum, anni tempus æſtiuum, intenſæ applicationes, & ab iis vigiliæ [r]; vndè, *In-*

vigi-

[a] de Com. Cap. 3.
[b] 1. ad Glauc. 3.
[c] 2. in 3. Prorrhet. 1.
[d] De Sympt. Diff. 3.
[e] 4. De Loc. Aff. 2.
[f] 2. de Sympt. ca. vlt.
[g] 3. de Loc Affect. 2. & Art. Med. 2.
[h] 5. Patholog. cap. 8.
[i] Lib. 1. Cap. 12.
[k] 3. in 1. Epid. 31.
[l] 3. in 1. Epid. 20, 22. 27.
[m] 3. in 1. Epid. 30.
[n] 3. in 1. Epid 28. & 21.
[o] 1. in 3. Epid. 18.
[p] 2. de ſymp. Cau.
[q] & 2. in 1. prorrhet. 1.
[q] 3. Aph. 30.
[r] 7. Aph. 8.

vigilia conuulſio, vel deſipientia malum. Præterea tectum nauis à Sole excalefactum, caput accendens, & meraci potus copioſior. Sic *Adoleſcens* [l] *Melibœa, ex nimio potu, & Venere diu excalefactus, decubuit, & phreniticus factus eſt*. Sic [t] *Ex multa potatione, rigor, & deſipientia, malum*. Ac tandem febris acuta, de genere ardentium, cum moleſtiſſima ſiti inuaſit, & phrenitidem, ut cauſa, præceſſit, cuius & cauſa & comes [u] eſſe ſolet. A quibus omnibus cauſa coniuncta, & immediata, necnon continuò fouens introducta fuit, caliditas ſcil. præter naturam in cerebro: eo namque intelligimus, & deliramus. Quæ caliditas intenſa ſit oportet, quia alioquin fieret ſola [x] mobilitas in ſpiritibus, & opinionibus, ut docebat Gal. Hæc autem inducta à calore ſolis, & meri potu, potuit quidem continuum membranarum [y] ſoluendo (cùm cerebrum parum, aut nihil ſentiat) capitis dolorem, vigilias, ſomnoſque turbatos inſerre; verùm ad delirium continuum excitandum, neceſſaria eſt [z] inflammatio membranarum cerebri; imò præter hanc requiritur humor bilioſus in cerebro redundans, & in eodem commotus, atque diſcurrens; vnde Gal. dicebat, [a] quod *Bilis in cerebro, & eius membranis phrenitidem facit*. & alibi. [b] *Phrenitis fit à bilioſo humore*. Quod deſumpſit ab Hipp. dicente, [c] *Morbus hic fit à bile, cùm mota fuerit*. Subminiſtratur autem cerebro bilioſus humor, à membranarum inflammatione, facta a ſanguine bilioſo, & bilioſum ichorem in idem, per tranſudationem, ac diapedeſin eructante, non ſecus, ac in pleuritide euenit, in qua ſputa cruenta, & bilioſa excernuntur. Quam veritatem omnino aperit, & confirmat Gal. cum Hipp. dum enim Hipp. ipſe, phrenitides confirmatas, & hecticas nobis ob oculos poſuit, dicens, *Tremulæ, obſcura, blandaq; & contrectabiles deſipientia, valdà phrenitica*. Galen. in Comm. ait, id fieri, *Quoniam bilioſus ſuccus non amplius confuſè, & tumultuosè in cerebrum decumbit, ſed indiſſolubiliter permiſtus eſt, vt tinctura in lanis; & ideo, vt hectica, inſolubilis eſt*. Quod verò bilis decumbat in cerebrum, ab inflammatione membranarum, ita expreſſit Gal. idem: [d] *Phrenitis, à bilioſo humore; lethargus à pituitoſo; hic, ex ipſo potius cerebro; illa, ex tenui meninge, & ex ſepto*. Et clarius adhuc; [e] *Phrenitis fit ex inflammatione meningum cerebri, & ſi magna fuerit, etiam muſculorum temporalium*. In cerebro verò, licet aliqua phlogoſis, & calida diſpoſitio, in phrenitide dari poſſit; vera tamen in membranis requiritur inflammatio; ſi enim daretur & in cerebro, longe deterior phrenitide ipſa contingeret affectus, ſub titulo de corruptione cerebri ab Hipp [f]. deſcriptus, de quo dicebat [g]. *Quibus cerebrum ſphacelatum eſt, in tribus diebus pereunt; ſi verò hos effugiant, ſani fiunt*. recedente ſcilicet inflammatione. Sic Aet. & Paul. inflammationi cerebri proprium caput aſſignant, à phrenitide diſtinctum.

[s] 3. in 3. Epid. 87.
[t] 7. Aph. 7.
[u] 2. in 1. Epid. 73.
[x] 2. in 1. Epid. 19.
[y] 3. de Fract. 34.
[z] 2. de Sympt. Cauſ. 7.
[a] 2. in 1. Epid. 73.
[b] 4. de cau. Pulſ. 14.
[c] De Aff. n. 10.
[d] 4. De Cau Pulſ. 14
[e] 4. De Præſag. ex pul. 8.
[f] 2. De Morb. 5.
[g] 7. Aph. 50.

Phrenitis igitur eſſentialis affligit Pat. noſtrum, tum quia nulla præceſſit quetela de alia inferna parte malè affecta, tum quia delitium continuum habet. Et licet continuum videatur, in facta per conſenſum à ſepto; vnde [h] Gal. *Ab aliarum partium conſenſu, nulla delirium perpetuum habet, dempto ſolo ſepto*. ſubdit tamen. *Cuius vitio excitatum delirium, parum à continuo diſtat*. Sed preterea, delirium à ſepto, riſum tumultuoſum ſecum ducere ſolet, vt Tyconi [i], ſepto, in bello vulnerato. In noſtro autem Pat. ſigna præceſſerunt phrenitidem præmonſtrantia, à Gal. propoſita [k], vigiliæ nimirum, ob ſiccitatem in cerebro inductam, ob quam & ſomni turbati, cum clamoribus fiunt [l], ob ſomnia conſpicua; temeritas non conſueta, à membranarum, & cerebri incaleſcentia [m]; reſpiratio magna [n], & rara, dum à copia phantaſmatum occupatus, reſpirare obliuiſcitur, quod ſupplet [o] reſpiratione magna; ſqualentes oculi, propter vigilias; ſanguine turgidi, ob incipientem membranarum inflammationem. Pulſus autem minores, & duriores fiunt, ex membranarum inflammatione; ob duritiem enim arteria non adeò dilatari poteſt; ſicut vrina decolor, atque tenuis, bilioſum humorem, per venas in caput efferri ſignificat; atque tandem floccos auulſit, & feſtucas carpſit, dum ab imaginatione oculi decipiebantur; vndè & Gal [p]. Ardente febre detentus, dum mente quidem ſanus erat, ſed imaginario deprauari incipiebat, exclamabat, *Amici mei, auxilio mihi eſtote, ne phreniticus euadam*.

[h] 5. de Loc Aff. 4.
[i] 3 in 1. Epid.
[k] 5 de Loc. Aff. 4.
[l] 1 Prorrh. 5.
[m] 2. in 6. Epid. 42.
[n] 1. Progn. 24.
[o] 2 de diff. Reſp. 1.
[p] 4. De Loc Aff 2.

Affectus quidem, Phrenitis [q], acutiſſimus, atque periculoſiſſimus; vt proinde nihil certi pronunciare poſſimus, preſertim, cùm adhuc in principio reperiatur, & vſque ad 11. progredi ſoleat; vnde dicebat Gal. quod ſi quinta die inceperit, decima ſeptima indicabitur; ſi 7. inceperit, 20. tantùm; quod forſan ab Hipp. deſumpſit, dicente [r]. *Indicatur hic morbus, breuiſſimus, 7. die, longiſſimus*, 11. Solus ægrotus 4. 3. Epid. deſcriptus 3 die phreniticus defunctus eſt, acutiſſimæ phrenitidis exemplo; qui tamen obiit ex qualitate ſuccorum virulentorum, tanquam ab epoto veneno, non à phrenitide, vt notat Gal. [ſ] Progreſſus itaque attentè obſeruandus; namque ſi pulſibus accedat crebritas modica, mortis pe-

[q] Tral. Lib. 1. C. 13
[r] De Aff. 10.
[ſ] De Pulſ. ad Tyr. 11.

Digitized by Google

t 4. Aph. 72

riculum; ſi verò immodica, mortem proximam prænunciat. Vrinæ ſi fiant albæ, & perſpicuæ, malæ. Vnde dicebat Gal. in Com. *Se nullum Phreniticorum vidiſſe ſaluatum, in quo vrina alba, & perſpicua, ideſt aquoſa apparuiſſet*. Quod idem confirmauit quoque Lib. de Vrinis[u]. Alui quoque albæ deiectiones malæ eſſent, vt[x] Archecrati; ſurſum enim flaua bilis ferebatur, ſcribit Gal. propterea Hipp[y]. *Egeſtiones albæ in Phreniticis, malæ*. Reſpiratio quoque attendenda; ſpiritus namque[z] magnus, & rarus, in toto morbo, & hypochondria palpitantia vtrinque demiſſa phreniridis ſunt notæ, morbo ad exitium ſpectante; in quo ſtatu ſomnus potius[a] delirium excitat; accedit ſtridor[b] dentium, & labiorum, atque totius[c] tremores.

u Cap. 5.
x 1. in 1. Prorrh. 13.
y In Coac.
z 3. in 1. Epid. 2.
a 2. Aph. Com 2.
b 1. Progn. 21.
c In Coac.
d 1. in 3. Epid. 10.
e 2. de Mo- tu Musc. 6.
f 7. Aph. 10
g 6. in 6. Epid. 8.
h De Aff.
i 13. Meth. 8.

Quod ſi ad ſalutem vergat, vel per reſolutionem, vt[d] Pythioni contigit: vel per criſim, & frequenter per hæmorrhagiam narium, & ſudorem, vt contigit ei[e], qui dum Romæ erat, Athenis ſe eſſe credebat. Sed nonnunquam, & per abſceſſum, & per tranſmutationem in alium affectum deſinit. Si per abſceſſum, cerebrum[f] ſphacelatur, & pereunt, niſi pus ad anteriora vergat, & per nares, aut os expurgetur. Si per tranſmutationem, vel in lethargum, de quo Hipp[g]. *Non viliter phrenitis in Lethargum ſe conuertit*. Gal. in Com. *Phrenitis contra tollit veternum*. Vel tranſmutatur in peripneumoniam; de qua Hipp[h]. *Si phrenitis in peripneumoniam tranſit, pauci effugiunt*. Vel mutatur in conuulſionem, exſiccatis nimirum membranis; quod ſuccedit exitiali maximè Phrenitidi, ex Gal[i].

Medicæ itaque intentiones pro hac phrenitide curanda, erunt reliquis inflammationibus communes, ab initio ſcil. repellere, in augmento repellere, & digerere, in ſtatu digerere magis, quàm repellere; in declinatione tandem digerere; quibus addamus, quod ſit reuellendum, & ratione febris refrigerandum, humectandum, & euacuandum; ac tandem ſymptomatibus occurrendum.

k 13 Meth. 21. & Au. 1 3. Tr. 4 C. 3
l L. b. 1. Tr. 3. Cap. 5.
m de Sang. Miss. 11.
n 3. in 6. Epid 9.

Atque omnium primò conuenit ſanguinis miſſio[k] per venam ſectam, omnium Medicinæ Principum, cum Gal. & Auic. conſenſu. Et licet Gentilis, Arculanus, Meſue, Rudius aliter ſentiant; falsò tamen ſuppoſuerunt, phrenitidem à ſola bile fieri. Quem errorem corrigit Auenzoar[l] dicens; *Et ſcias, quod non generatur apoſtema in hoc panniculo, ex vno ſimplici humore, cui etiam alius humor non ſit adiunctus; ſed denominatio fit à maiori*. Rectè igitur ex brachio miſſus fuit, tum ratione refrigerationis, ne ſanguis adeò facile in bilem vertatur; tum ratione reuulſionis, ne adeò præceps ad partem fluat; nulla namque datur[m] reuulſio maior, quàm per ſectam venam. Ex venis ſedalibus repeti poterit, ante ſeptimam; ſicuti tandem in iam facta, ratione deriuationis, ex vena frontis, cum ſit remedium[n] locale. Cucurbitulæ quoq; ſcarificatæ, dorſo prius, ac tandem occipiti, & reuellere à ſyncipite, & deriuare poſſunt. Reliqua omnia reuulſionum genera conueniunt, frictiones, lotiones, ſinapiſmi, imo & veſicantia.

o 3. Simpl. 9.
p 2. per Loc. 1.
q 13. Meth. 1.

Interim adhuc in repellentium uſu perſiſtendum, oxyrrhodino ex roſac. & ſucco citri parato, aceto omiſſo, pace Gal.[o] non adeò bene ab Herodoto edocti, ut ipſe fatetur, dum acetum[p] roſaceo, ad penetrationem addebat in phrenitide. Applicetur autem[q] frigidum, prout hyeme repidum. Et quoniam urgent vigiliæ, ſuccus lactucæ, vel nymphææ adiici poterit, qui alioquin penetrationem impedit. In augmento, aliqua digerentia ex uſu erunt, ita ℞. ol. roſ. omph. ℥ ij. chamæmel. ℥ i. ſucci lim. ℥ i. m.

In ſtatu æquali doſi repellentia, ac digerentia immiſcenda; atque ita in ol. roſ. ſerpyllum, aut pulegium decoquatur; uel. ℞. ol. roſ. compl. chamæmel. an. ℥ ij. ſucci lim. ℥ i. m.

In declinatione, ſolis digerentibus erit vtendum; ſic applicetur ſolum chamæmel. in quo ſerpyllum ebullierit; vel animalia, per medium diſſecta apponantur, vt Columba, Gallina nigra, pulmones adhuc calentes; minus tamen operoſum fuerit fomentum ex decoct. chamæmel. meliloti, origani, pulegii, ſerpylli, ſatureiæ, ſpongia capiti admotum.

r 1 Aph. 22
s 1. Aph 24
t 4. Acut. 32.

A Pharmaceutico deſumenda Euacuantia, Alterantia, & bilioſum humorē Contemperantia. Inter euacuantia, lenientia ſunt vſurpanda, nullo modo purgantia. *Concocta[r] enim medicanda, atque mouenda, non cruda*. Et prætereà.[s] *In acutis morbis rarò, & in principio medicamentis purgantibus vti, & id cum præmeditatione faciendum*. Sed aureum documentum ab Hippoc.[t] traditum, & à Gal. receptum, in omnibus inflammationibus, ad memoriam reuocandum. *Quicunque ea quæ inflammantur, morborum inter initia, medicamento ſoluere conantur, ij non ſolùm ab intenſa, inflammataque parte nihil adimunt, cùm non cedat, nec obſequatur ea quæ cruda adhuc eſt affectio, verùm quoque, & quæ morbo reſiſtentia, ac ſana ſunt, abſumunt, atque colliquant, ductoque ad imbecillitatem corpore, morbus ſuperior euadit, qui vbi corpus vicerit, remedium non habet*.

Leniens itaque ſit medicamentum, differendum tamen poſt ſanguinis miſſionem, præmiſſo leni clyſt. ſit autem ſyr. roſ. violac. ſolut. cum decoct. pulpæ tamarind. vel flos caſs. cum eadem pulp. uel cremor. tart. à quibus, ſi fieri poſſit, propinetur ſer. depur. aut aq. hord. ad lib. ii. ut factum fuit.

Alterantia, & bilem incraſſantia quotidie repetita conuenient quammaximè; vt decoct. cich. end. acet. ſonci, hepaticæ, viol. portul. lactucæ, additis ſucc. depur. acet. & end. Vel ſyr. de ribes, & Viol. Et quoniam ſitis vrgere ſolet, licet eā non ſentiant ægri; ideo ſerum copioſum propinandum, vel aquæ ſtillat. end. acet. cucurbitæ, hord. cum ſyr. de ribes, de granatis, de acido citri, quæ niue quoque refrigerentur; ſiquidem & Aret. frigidam permittit. Denique iam dicta omnia, tum lenientia, tum alterantia, ſuis loco, & tempore repetenda, ſi poſſibile fuerit.

Et Symptomatibus interim occurrendum, quæ eſſe ſolent vigiliæ, motus violenti, ſuppreſſio vrinæ, & alui ſtypticitas.

Somnus igitur conciliandus, cùm ſit delirantium [u] remedium, & ideo Hipp. [x] *Vbi ſomnus delirium ſedat, bonum*; Vnde Gal. dicebat [y] quod, *Sopire, ac ſtupefacere principem facultatem oportet, cerebrum ſupra modum excalfactum refrigerando*; Cauendum tamen, ne narcoticorum incauto vſu ad Lethargum deducatur eger, vt propterea ab Aſclepiade ſomnifera ſupernacanea cenſeantur. A leuioribus itaque, & extrinſecis inchoandum; ſic fiant à cęnà pedum lotiones ex decoct. mal. violar. lactucæ, anethi, ſalicis, cap. pap. albi. Nares, & tempora illinantur lad. Nep. aqua roſ. diſſol. Irrigetur ſutura coronalis ol. nenuph. copioſo ex Rhaſe. Fiant capitis perfuſiones decoct. lactucæ, viol. nenuph. & in pertinaci affectu, radic. mandrag. ſem. iuſquiami, cap. papau. addito lacte vaccino.

u Tral. lib. 1. Cap 13.
x 2. Aph. 2
y 13. Meth. 21.

Intrinſecus emulſ. amygd. dulc. in cibis, & ſem. papau. albi extracta cum aq. lactucæ. Papau. decoct. proponit Celſus. Diacodium Tral. ac tandem Nep. Quercet. theriac. quippe rec. nec phil. Rom. in hoc bilioſiſs. affectu fidendum.

Ad Vrinam verò ciendam, ſolicitetur Pat. veſica comprimatur, titillatio in meatu vrinario excitetur. Pubi fomenta ex decoct. pariet. fœnic. petroſel, radic. aſari in vino albo parata applicanda; vel cataplaſma ex radic. raphani, & pariet. contuſis, additis ol. de ſcorp. aneth. chamæmel. Inunctiones perinæo iiſdem oleis quinetiam adhibendę.

Fæces prouocentur ſuppoſitorio paruo, & aeri repetito, ex troch. alhand. hiera, ſale gemmę, & melle parato.

A proprietate iuuantia non ſunt omittenda. Intrinſecus quidem corallium nigrum ad ℨ i. in aq. roſar. Aqua item ſtillat. ex hirund. iunioribus. Extrinſecus verò ſpuma lactis, Aphrogala dicta, capiti appoſita; Succus Anagallidis, vel Rutæ ſylu.

In viuendi ratione primò de aere dubitatur, num locus obſcurus, an luminoſus phreniticis conueniat; cùm Aſclepiades, ita referente Celſo [z], quem ſequutus fuit Paul. in lumine eſſe detinendos crediderit; Hippocrat [a]. verò in Conclaui obſcuro. Quæſtionem tamen Celſus, & poſt ipſum Aet. & Aret. ſic dirimunt, neutrum perpetuum eſſe dicentes; ſiquidem in tenebris detinendi, qui lucem: in lumine qui tenebras formidant. Ex neutris autem debiles in tenebris, fortes in loco luminoſo ſunt collocandi. Picturæ amoueantur. Et ſepius iis aſſentiendum, quàm repugnandum, vt paulatim mens in melius reuocetur. Cibus ſit refrigerans, humectans, & incraſſans, non valdè nutriens; quia ſcil. inediam ægrè tolerant; bilioſum enim humorem, & animum demulcet ipſe cibus, ex Aret. Vinum omnino denegatum à Gal [b]. concedi videtur ab Hipp [c]. aquoſum, prorſus inodorum, & exiguum in declinatione, vt decidit Tral. Somnus, & quies procuranda. Clyſt. mollioribus ex lacte, butyro, & ſaccharo paratis aluus ſolicitanda, ita permittente ægro. Et amici familiares, non domeſtici, aut cognati aſſiſtant; & de rebus gratis, ac delectabilibus cum eo agant, Quæ omnia, imo pauciora quoque, Deus ſalutaria reddat.

z 3. de Re Med. 18.
a 4. Acut. 48.
b 1. ad Glauc. 13.
c 3. Acut. 41.

XIX.

M A N I A.

OCcurrit curandus Vit Illuſtriſ. 36 annum agens, temperamenti ſecundum totum, & caput ad calidum, & ſiccum vergentis, feruidioris verò iecoris, habitus potius graciliotis, capilliſque ad flauitiem tendentibus; qui pluribus abhinc annis obnoxius hypochondriacæ affectioni, & ideo aquæ potui aſſuetus fuit. Hic antea cogitabundus, & taciturnus erat, modò nimis, hilaris, & loquax; poſt vehemētes ſc. animi paſſiones longè magis adhuc ingraueſcentes, poſtquā in carcerem coniectus fuit, vbi ex timore, & mœrore ob vitæ imminens diſcrimen, ex ira, atque excandeſcentia in ſatellites, eiuſdem cuſtodiæ in codem cubiculo excubantes, & ignem ex carbonibus, hyeme præterita continuò accenſum ſeruantes; ex Antidotis item copioſis, iiſque calidioribus ingeſtis, & inſueto vini vſu repetito, vigil adeò, & iracundus factus eſt, vt integras noctes inſomnes tranſegerit, & conſanguineis valdè impatientem ſe ipſum præbuerit, aliena per interualla loquens, ciboſque ſæpè reſpuens. His per menſes proximè præteritos perdurantibus, tandem ſine veſtibus diu, noctuque degens ſemper ferè vigil, modò vociferans, modò ſubmiſſa voce uerba inconcinna proferens, in Adſtantes ſæuire cepit; vt propterea catena ferrea pedum alterum vinciri Eminentiſ. Præfectus, pietatis ergò, ad tutelam nimirum, tum adſtantium, tum ipſius ægri imperauetit; qua tamen non obſtante, accedentes inuadere tentat, licet incaſſum, eoſque verbis contumelioſis, ſed incompoſitis afficere, ſputiſque conſpurcare non deſinit. Priora autem ſymptomata ſemper grauiora apparent, & nullo lucido interuallo delirat circa obiectorum, & apprehenſionem, & diſcurſum. Modò eiuſdem Nobiliſ. Conſanguinei, de agendis nos conſulunt.

Delirio affici Nobiliſ. Virum, luce clarius eſt, eoque Maniaco, quia cum furore[a], & ſine febre; non autem ſolo melancholico, in quo timor[b], & mœror; neque phrenitico, quod cum febre[c] acuta inuadere ſolet. Et licet ſedem animæ Ariſt[d]. in corde reponat, quod nos etiam cum Hippocr[e]. concedere poſſumus, afferente, quod, *Mens hominis in ſiniſtro Cordis ventriculo poſita eſt, & reliquæ animæ imperat*; ipſius tamen operationes per cerebrum manifeſtantur. Et quamuis prudentia in probo ſanguine conſiſtat; probus autem, & purus reddatur ſanguis à corde, vnde prudentia à corde pendere videatur; attamen in Cerebro, tanquam in Organo proprio manifeſtatur, atque exercetur; hinc diuinus Senex ait[f]; quod *Prudentia in animo eſt; animus verò ſedem habet in Cerebro, & ſapientiam ipſi cerebro exhibet Aer: & ideo, cerebro à bile corrupto, corrumpitur quoque hominis prudentia; nam quanto tempore quieuerit cerebrum, tanto etiam homo ſapit*. Hæc Hipp. Ex quibus facilè elicitur, Illuſtriſ. Patientis, primùm Hypochondriaci, ſanguinem improbum, & impurum à feruida iecoris intemperie fuiſſe genitum, à quo educti ſpititus, fuliginoſi, & craſſi adeò ſint redditi, vt imaginationem obtenebrauerint, & melancholicum affectum, cum timore, & mœrore[g] primò induxerint. Hinc cerebro naturaliter calido, & ſicco, adhuc magis excalefacto, atque exſiccato, vigiliç moleſtæ acceſſerunt; vnde ſpiritibus accenſis, atque agitatis, delirium furioſum, atque Maniacum redditum eſt; & propterea dicebat Philoſophus[h], quod deliria quandoque contingunt, cerebro ſupta modum calido, & ſicco, quia aſcendentem ſanguinem non refrigerat; cui Auic. quoque ſubſcripſit aſſerens, delitia fieri nonnunquam, quia medulla cetebri non ſufficit ad ſanguinis copiam contemperandam. Nec deſunt cauſæ Procatarcticæ, quæ & iecoris, & capitis feruorem naturalem adaugere immoderatius potuerint, ſi animi motus, atque ingentes perturbationes, ſi iram, atque excandeſcentiam, ſi Carbones diutius accenſos, & calida Antidota aſſumpta, & vini antea omiſſum potum, mox repetitum conſideremus; à quibus omnibus, internæ cauſæ mediatæ, & immediatæ huius delirij Maniaci emanarunt.

a 2. in 1. Epid. 59. & 2. de Symp Cau. 7.
b 6. Aph. 23.
c 2. de Symp. cau. 7.
d 2. de Par. An. 4. & 7.
e Lib. de Corde.
f de Morb. Sac. 17.
g 6. Aph. 23. & 3. de Loc. Aff. 7.
h 2 de Par. An. 7.

Affectus quidem curatu difficillimus; etenim totius ſanguinem depurare difficile quidem; ſed intemperies auferre, admodùm laborioſum euadit, quæ & ſi ad habitum[i] redigantur, impoſſibile; tunc enim toto vitæ curriculo delirio detineretur, modò Maniaco, modò

i 7. Aph. Com. 9. & 10.

Digitized by Google

modò Melancholico; præterquamquod breui quoque fato cedere poſset, conſumptis viribus à diuturnis vigilijs, à vehementibus corporis, & animi motibus, & poriſſimum ab inedia, ſi cibos reſpuere perſeueret. Augetur difficultas ſanationis ab ipſa difficultate adminiſtrandi medica auxilia, primò, & præcipuè ex parte Patientis, mox & Adſtantium, quibus modò obiurgationibus, modò blanditijs, modò fraudibus induſtriè vtendum, vt Medicus voti compos fieri poſſit.

Medicæ itaque intentiones erunt, ſanguinem depurare, & contemperare; intemperies iecoris, & capitis corrigere; & ſymptomatibus occurrere.

Atque omnium primò, à ſanguinis miſſione auxilia petenda, quæ copioſa eſſe debet, ita concedentibus Paul.[k] Orib[l]. & Aet.[m]; non tamen in caſu noſtro, ut præſcribunt ijdem, vſq; ad animi deliquiū; cùm vires non modò præſentes, verùm & futuræ proſpiciendæ ſint. k De Re Med. 14.

Itaque lenita aluo, vt infra, primò uena pedis aperienda eſſet; ſed quoniam impoſſibile hoc fore putamus, brachij dexteri vena magis apparens ſecanda fuerit, & ſanguis ad ℥ x. educendus. Tertio die repetatur ſanguinis miſſio, ex brachio ſiniſtro ad ℥ viii. & in progreſſu curationis, ſi reſipiſcar Patiens, aperienda ſaphena pedis dexteri. l R. Synop. 10 m Tetr. 2. Ser. 2. Cap. 11.

In hoc fonte conſideranda Capillorum tonſura neceſſaria, tum vt caput à capillis adeò non calefiat, tum ut refrigerantia, & humectantia medicamenta facilius, & vtilius apponi poſſint. Vt aurem ſomnus concilietur, caput refrigerandum, & humectandum, & motus ſpirituum ſiſtendus; in quem finem bis per diem quotidie illinatur regio ſuturæ coronalis, & temporum copioſo ol. Nenuph. à Rhaſi tantopere commendato.

Ex fonte Pharmaceutico deſumenda Lenientia, Præparantia, Purgantia, intemperies Corrigentia, & caput Roborantia, ac Symptomatibus occurrētia. Inter Lenientia vſurpari poſſent ſyr. roſ. ſol. & de Polyp. vel Caſſ. cum Tamarind. ſuperhauſto ſero depur. At quoniam inſcio Patiente, plura, & ferè omnia medicamenta erunt adhibenda; ideo præbeatur Puluis Griſeus, ex Diagryd. fumo ſulphuris rectificato, à gr. x. ad xx. Et ut primæ viæ expientur, præparentur humores, non quidem Iulapiis, aut ſyr. vt in aliis, ſed Tartaro Vitriol. in aqua ſtill. cich. & agrim. diſſoluto; vel in iure aliquo, prout ferre poterit occaſio. Inter purgantia, facilior erit vſus extract. Mechoac. cum pulu. griſeo, an. ℈ ſ.

At ſi ex miſſo ſanguine melius habeat Patiens, exhiberi poterunt extr. Sennæ, & Polyp. ad ʒ i. cum ℈ ſ. Magiſt. Mechoac. ſuperpræbendo his omnibus ſerum depur. aut Aquā Nocerianam. His peractis, corpus erit humectatione præparandum ad vſum hellebori, vel ſero depur. vel Lacte Aſin. quotidie, matutinis horis, per plures dies propinato; mox Extr. helleb. præbendum, ad ʒ ſ. quod ſi reſpuat, apud nos habetur paratum Arcanum Corallinum, ad gr. v. tantùm exhibēdum, quo æger decipi poterit. Interim omnibus intermedijs, & ſequentibus diebus, Lac quotidie erit, matutino tempore, propinandum, & ſeptimo quoque die purgandum. Interim Vigilijs, & corporis agitationibus occurendum; vigilijs quidem Conſ. viol. vel Nenuph. Emulſ. ſem. papau. alb. extract. cum Aq. Lact. ſyr. de Papau. ad ℥ i. à cœna exhibitis; Panis item Martius, addendo conſueto ex Amygdalis parato ℥ iij. ſem. papau. alb. pro qualibet libra, cuius doſis erit ad ℥ j, uel ij, efficax eſſe ſolet. Motus uerò corporis uiolentos, niſi cohibere ualeant illi, quos timet, aut amat, faſcijs, pro vinculis utendum.

Victus ſit omnino refrigerans, & humectans. A vino perpetuo abſtinendum, & huius loco, aqua ſtillatitia ex borrag. & pomis bibenda. Quæ in præſenti affectu ſufficiant.

CANIS

XX.

CANIS RABIDI MORSVS.

MAttem, & Filium vidi Venetijs, à Cane domeſtico, vno eodemque tempore, dentibus æſtate demorſos. Mater erat 40. annorum, temperamenti calidi, & humidi, pinguis habitus; Puer verò è contra, temperamenti calidi,& ſicci,gracilis,& cacochymi habitus,9 anni non excedens,& malè educatus. Canem igitur domeſticum habebant oſtii cuſtodem, mediocris magnitudinis, qui antea alacris cùm eſſet, & cum puero hùc, atque illùc ludendo diſcurreret, plures ante dies mæſtus, & ſubmiſſo capite ferè ſemper ſolus degebat; cùm autem puer de more illum ad curſum, atque ludum cogeret, pollicem, & indicem dexteræ manus repetito morſu vulnerauit,ad quem Mater accurrens, & manu canem percutere tētans, & ipſa in brachio parum ſupra carpum demorſa eſt. Quamobrem ſtatim mulier, cane intra cubiculum clauſo, Chirurgum accerſiri iuſſit, quo de rabie dubitante, me quoque ſtatim precibus acciuit; qui illico, prandio dimiſſo, vna cum Chirurgo acceſſi, & obſeruaui vulnera, tum in digitis pueri, tum in brachio Matris [a] morſibus conſuetis, & non venenatis ſimilia, multòque minora in puero, quàm in matre; licet ob affectæ partis, & Pat. conditionem, in illo multò periculoſiora.

a le Conſt. Act. Med. 19
b ad Piſ. 16

Canis autem conditionibus ſtatim obſeruatis, rabiei omnino indicia deprehēdi;[b] etenim macilentus, & conſueto graciliot erat, oculis rubicundis, cauda demiſſa, ſpumam ex ore profundens, lingua exerta, veluti bile crocea infecta, hùc, & illùc nullo ordine, & ſine cauſa diſcurrens, inde ſubitò conſiſtens, qui & nos quoque aggreſſus fuiſſet, niſi baculum, quem manu tenebamus, pertimuiſſet. Præterea [c] cibum, & potum auerſabatur, licet anhelans magnam ſitim proderet. Sic certiores facti de rabidis inflictis vulneribus, ſtatim Matris curationem aggreſſi ſumus.

c Paul. 5. de Re Medic. 27.

Et primò intercipiendo, reuocando, & extrahendo venenum. Secundò prohibendo ne ad interiora progrederetur, & per vniuerſum corpus diffunderetur. Tertiò veneni qualitatem Alexipharmacis eſtinguendo.

Statim igitur deligatio ſupra partem affectam facta fuit, adſtringente ſubdito ex pulu. conſtrict. Oui album. & Aqu. roſ. parato; quod & Puero adhibuimus, dum interim Matri medebamur. Inde labia vulneris[d] orbiculariter ſcarificari iuſſi, & mox [e] cucurbitulam magnam cum multa flamma apponi, qua ſanguis ſatis copioſè effluxit; quo panis offam intinctam, & madefactam poſtea alteri cani obtulimus, quam tamen deguſtare noluit, imo ſtatim fugæ ſe dedit. Vulneri tandem prius meraco vino calido abluto, cum Aqua ſit valdè noxia, Empl. apponendum præſcripſi ex Allio, & Cępa contuſis, additis Nuce Iugland. Ruta, Fermento, Sale, Melle, & Theriaca, & quidem omnibus ol. roſac. ſubactis; iam dicta enim omnia præſtò erant. Ita & Paulus apponebat cæpam cum ſale, & rutā in formam Catapl. vel Iuglandes cum cępa, ſale, & melle; & Gal[g]. Theriacam cum pęonia, ut præſentaneum remedium proponit. Et licet Celſus[h], & Dioſc. ut expeditiſſimum auxilium, uſtionem proponant; ad eam tamen non adeò facile deuenio, niſi prima hora inflicti morſus; firmat enim, at progreſſum venenum non adeò reuocat, ut reliqua iam acta; præterquamquod ipſe Celſus uſto vulneri non amplius medicamenta, & exedentia, & attrahentia conuenire docet.

d Paul. 5. de Re Medic. 27.
e Celſ. & Gal.
f Gal. de Vitt. Centaur.
g ad Piſ. 16
h 6. De Re Med. 5.

Interim Canem interfici iuſſi, iecurque ab ipſo extrahi, & vino meraco ablui, ac medicamentum à Gal. [i] deſcriptum parari præſcripſi, de quo ſcribit neminem ſe vidiſſe, qui illo ſit vſus, defunctū, ℞. Picis lib. i. Aceri acerrimi ℥ viii. Opopan. ℥ iij. m. ſ. a. quod pro tenellis corporibus liquari poterit vino, vel ol. roſ. Huic autem addendum iuſſi pul. hepatis[k] eiuſdem canis ad ℥ ſ. vtpote qui poſſit à proprietate, & ſympathia virus caninum ad ſe foras attrahere.

i 11 Simp. & 3. per tenera 5.
k Paul. Ori. b. & Auic.

Puero autem in duobus manus digitis vulnerato, quoniam cucurbitula apponi non

potuit,

tuit, nec ſcarificationes, minuſque vſtionem permittere voluit, hirudines plures circa vulnera applicari iuſſi; deinde Emplaſ. idem apponendum, quod Matri, & vtrique præſcripſi decoct. Alyſſi, & Gentianæ, in Aq. ſtill. Card. ſanct. addita ſemiunc. Aq. Cinnam. & præmiſſo [l] bolo ex Ther. Matri, & ex Mithrid. Puero, reformato cum pulu. terræ ſigil. veræ; pulſus etiam omnes, temporum, manuum, & pedum tertia, aut quarta quaque hora illini præcepi Ol. Magni Ducis, & de Scorp. Matth. ſimul miſtis. Victum conſuetum, ſed boni ſucci commendaui, vino non interdicto. Somnum vſque ad noctem prohibui, & diſcedens Chirurgo veſpertinam, imò & nocturnam viſitationem, nonnumquam & medicamentorum applicationem, & internorum exhibirionem commiſi.

[l] Gal 11. Simpl. & Diof. Paul. Plin. Gal. & Auic.

Die ſequenti, ad viſitationem vnà cum Chirurgo reuerſus inueni, Matrem omnia executioni mandaſſe; nihil autem Puerum; Empl. enim ferè ſtarim auulſit, & abiecit; nec decoct. minuſque bolum aſſumere voluit; ita vt vulnuſcula ferè ex toto ſanata, & parui facienda viderentur; nihilominus, & Matri, & Puero præſcriptum Gal. medicamentum apposuimus, & illi quidem iterum eadem interna; filio verò cyathum Aqu. ſtill. Oxalid, & Card. ſanct. addita vncia Aq. Theriacalis præbuimus.

Interim pro tertia intentione adimplenda, curioſis alijs, & incertis remediis omiſſis, ad verum, atque legitimum a lexipharmacum, tanquam ad ſacram anchoram confugere decreui, ad Pulu. ſcilicet Cancror. fluuiatil. qui ab Arno Florentino fluuio ad nos deferuntur, cuius vera deſcriptio eſt illa Gal. quam eidem tradidit Æſchrion, præceptor eiuſdem Empiricus, hæc ſcil, ℞. Pulu. Cancror. fluuiat. ℥ x. Gentianæ ℥ v. Thuris ℥ i. m. Doſis eſt magnum cochlear, ab initio; at ſi tardè poſt multos dies exhibeatur, ad cochlearia duo. Hunc pulu. pro toto anno paratum detineri præceperam; nunquam verò Cancri vrendi ſunt ante [m] ortum Canis, ſed quando ſol in Leonem tranſierit, Luna decimaoctaua, in patella æris rubri, quem præbebat Gal. ad dies 40.

[m] Gal. ibidem.

Ita vſque ad diem ſeptimam, tum externis, tum internis fuit inſtituta curatio. Poſt ſeptimam verò, Pulu. Cancror. in Aqu. Scorzon. & Card. ſanct. aſſumere cęperunt, & interea, vulnera, vt reliquos morſus etiam non rabidos tractauit expertus Chirurgus; eorum tamen vnionem ſemper inhibendo, & rotunditatem [n] conſeruando, ſupra 40. dies. Sed interim, ſicut in omnibus obtemperans fuit Mater; ita in omnibus deliquit filius, qui primis diebus nullum attrahens topicum admittere voluit; vnde paucis diebus vulnera conſolidata fuere, bolis, & puluere pariter omiſſis. Hunc autem obſeruauit Mater; primis diebus ſitientem, & vltra conſuetudinem, & extra tempus bibentem, qui tamen circa diem 20. à potu abſtinere, atque mæſtus, & taciturnus fieri cępit; 24. aliena loqui, cibum auerſari, ſingultire, & tandem motibus conuulſiuis corripi adeò, vt tandem verè conuulſus, ex ſiccitate 27. obierit.

[n] ad Piſ. 16.

Mater verò 40. diebus pulu. cancror. aſſumpſit, vulnus adapertum ſeruauit ad 50. dies, appoſitis interim frequenter vulneri nucibus iugland. contuſis, quæ poſtmodum Gallinis deglutiendæ proiiciebantur, ex quibus ſicut primis diebus duæ periere; ita poſt ſeptimam ſuperſtites omnes manſerunt, nullius prorſus veneni canini indicio. Ita obſeruauit Gal [o]. duos à Cane rabido demorſos, quorum alter, cui primùm vlcus fuit ſanatum, aquam formidauit, & conuulſus interiit; alter verò, cui diù apertum ſeruatum, ſanatus eſt.

[o] De Sect. Cap. 8.

Digitized by Google

XXI.

HYDROPHOBIA.

AD Ancillam Illuſtriſs. Matronæ Patriciæ inuiſendam, Autumno vocatus, 40. circiter annos natam, formoſam, & boni habitus, eam ſedentem inueni, inculto capite, capillis ſparſis, anhelam, huc, atque illuc ſeſe iactantem, quæ à duabus alijs famulis vix tenebatur, & à Religioſo quodam, exorciſmo expiabatur, dum interim vlulatus ederet, adinſtar Canis; quinimò & mordere tentaret alias famulas, niſi minis, & verberibus ſe ipſas tuerentur. Omnia autem exaſperabantur, quando Aqua benedicta aſpergebatur; quanquam hoc idem eueniebat, aquæ quoque putealis, non benedictæ aſperſione, prout ego ſtatim expertus ſum; imò ſi cyathus aqua plenus eidem offerebatur, magis iactabatur. Præterea conuellebatur, nec quicquam comedebat; omnium verò minimè potum, aut potulenta admittebat. Erat autem illius afflictionis quarta dies; licet & antea potum renuerit. Interrogaui adſtantes, num à cane aliquo unquam demorſa fuiſſet, qui affirmarunt, æſtate proximè præterita à catello Bononienſi domeſtico demorſam fuiſſe, in brachio, iuxta Deltoidem muſculum, vt ego vidi; verùm morſum, vt pote exiguum, abſque vlla curatione ex ſe ſanatum, & facilè cicatrizatum eſſe; catellum tamen in aquam proiectum, & ſuffocatum fuiſſe, quoniam paucis ante diebus, Dominæ quoque digito manus vulnuſculum inflixiſſet, quod tamen ſola proprii oris [a] exuctione, & expuitione ſanatum fuit.

Quibus auditis, & à me conſideratis, iam hydrophobam, mortique proximam miſeram Ancillam pronunciaui [b]; longo enim tempore rabies inducitur, at inualeſcens, repentinam quoque nonnunquam mortem affert, vt eidem contigit; ſiquidem poſt paucas horas, conuulſa è viuis deceſſit.

[a] Aet. Tetr. 2 Ser. 2. Cap. 24.

[b] 3. in 3. Epid. Aeg. 4

XXII.

HYDROPHOBIA IMMINENS.

DIes igitur ſexageſimus iam agitur, ex quo Illuſtriſs. Matrona ab eodem catello fuit in manu ſiniſtra demorſa; cuius ætas quadragenaria eſt, totius, & iecoris temperamentum ad calidum, & ſiccum vergens, gracilior habitus, & fuſcus color, in potu meraciori, de more, delinquens. Vulnus autem à catello inflictum fuit, aliquot diebus ante Ancillæ infortunium, fuitque exiguum; ex quo tamen ſanguinis guttulæ emanarunt ſpontè; quanquam & aliquas ore ſibi ſuxerit Illuſtriſs. Pat. cui propterea ſpatio trium, aut quatuor dierum, idem vulnuſculum, licet neglectum, cicatrizatum fuit.

Modò, cùm infauſtus, atque funeſtus euentus, ex morſu eiuſdem canis, in miſera ancilla fuerit ſequutus, ſciſcitantur à nobis Domeſtici, num uirus caninum in corpore Dominæ adhuc latere poſſit, & ancipites noſtrum implorant auxilium. Quare vnà cum duobus alijs Medicis, ita conſultum fuit.

Inquirendum à nobis non eſt, utrum Matrona Illuſtriſs. hydrophobia correpta ſit; patet enim, imaginationem in ea deprauatam non eſſe, adeò ut & aquam, & liquida omnia fugiat, atque formidet; ſed quæritur, num rabie infecta eſſe poſſit, quæ tamen nondum ad aquæ formidinem peruenerit.

Et quidem, ut partem negatiuam, & fauorabilem magis ſuſtineam, aliqua prælibare,

hoc

Digitized by Google

hoc ſermone mihi liceat. Hydrophobia eſt intemperies ſicca habitualis ſolidarum omnium partium corporis, cum deprauatione imaginationis, inducta à ueneno canino, natura calido, & ſicco. Ita Gal. narrat[a], *Se vidiſſe quendam tranſacto anno, hydrophobiam incurriſſe, cui Medicis omnibus, ſumma in ſolidis animalis partibus ſiccitas eſſe videbatur; quod paulatim fit, & ideo immedicabilior.* Hanc autem intemperiem inducit virus caninum calidum, & ſiccum, de quo dicebat Aetius[b], quod, *Canes natura calidi, & ſicci, per aſtatem ex ambiente noſ aere, aliam caliditatem, ac ſiccitatem aquirunt, & ob immoderatam intemperiem inſaniunt; qua inſania Rabies vocatur.* Et quoniam febre vacat, non phrenitica eſt inſania (& licet febris adeſſe quoque poſſit, non tamen huius affectus propria) prout, quia cum metu, melancholica eſt; in ſe tamen maniam continens, quia cum furore fit, dum in adſtantes morſuri inuehuntur. Sic & Paulus dicebat, quod adeò deſipientes ſunt, vt familiares non cognoſcant; uenenum enim hoc, vtpote atræ bili proximum, ferinum, & maniacum delirium producit; ſcribente Ariſt[d]. quod *Facit hac Rabies furorem.* Deprauatur autem imaginatio, non ratio; Philoſophus enim ille ab Aetio deſcriptus, à cane rabido demorſus, & hydrophobus factus, quia rationem illæſam habebat, cùm canis in balneo ſibi appareret, ſecum locutus, dixit; Quid cani cum balneo? vnde vicit affectionem, & ſanatus fuit, cum intrepidè bibiſſet. Nec quærendum, cur in aqua canem ſe videre putent hydrophobi; rationem enim reddere cuiuſcunque obiecti, circa quod decipiuntur inſani, impoſſibile eſt, niſi dicamus, quod deprauata ſit imaginatio circa illud obiectum, à quo læſi fuerunt, cuius ſpecies, mediante virulentia canina, ad cerebrum defertur, dum hæc eidem calidam, & ſiccam intemperiem inurit.

[a 2. in 1. Prorh. 17.] [b Tetr. 2. Serm. 2. Cap. 24.] [c ad Pil. 16] [d 8 de Hiſt An 22.]

Antequam autem talis alteratio, dicit Gal[e]. *ſolidis corporibus communicetur, in humoribus reperitur; quibus euacuatis, licet & ſolida occupare inceperit, illico ceſſat, & ad naturalem habitum ſolida redeunt.* At ſi completa fuerit affectio, & non amplius in fieri, etiamſi vacuata fuerint, quæ eandem produxerunt humida, nihil facit ad ſanationem, ſed tandem ob nimiam ſiccitatem[f] corrumpitur mentis iudicium, adeò vt, quid ſibi prodeſſe poſſit, non intelligant, ſicque remedium vitando, & aquam metuendo miſerabili morte pereant.

[e 2. in 1. Prorh. 17.] [f Ad Pil. 16]

Quibus præmiſſis, & conſideratis, primò ab illuſtriſ. Matrona aquæ formidinem abeſſe, hydrophobiam ſcilicet, pro certo habendum, non ſolum enim præludia imminentis non adſunt; ſed rabie quoque vacat; imò nec eadem infecti humores fuerunt, quoniam qui vitioſis humoribus ſcatent, & analogiam, ſeu ſymboleitatem, cum hydrophobia habent, citò, imò aliqui ſtatim ab ea corripiuntur, vt conſiderabat Aetius[g]. Quare cum Matrona hæc, temperamenti calidi, & ſicci, gracilis, & melancholici habitus, & cacochyma ſit, & iam à morſu ſexageſimus prætericrit dies, ſumma cum ratione credi poteſt, venenatum non fuiſſe vulnus tunc temporis inflictum, eò quod catellus nondum rabie fuerit infectus, licet ad rabiem pronus; & ſi fortaſſe gradum aliquem rabiei fouiſſet in ſaliua, ſperari poteſt, quod exuctione ſibi ſtatim facta, extractus, & ſimul cum ſputo eiectus fuerit fomes; eadem quippe ſuctione Gentiles à mancipiis ſuis facta vtebâtur[h], quam Chriſtiani omiſerunt, vtpote non adeò tutam.

[g Loc. cit.] [h Aet. loc. cit.]

Verùm quoniam in dubijs tutior pars eſt eligenda; & dum agitur de ſumma rerum, nunquam ſatis cautè agitur; ideo remedia in præſenti rerum ſtatu vſurpare conſultum exiſtimo, vt humores, ſi fortaſſe infecti forent, è corpore educantur; ſtatim[i] enim ſolida ad priſtinum ſtatum reuertentur, quia in fieri adhuc eſt affectio, non in facto eſſe. Secundò humida alteratio in ſolidis inducenda. Tertiò alexipharmacis uirus caninum oppugnandum.

[i 2. in 1 Pror. 17.]

Impoſito itaque Clyſtere, aut medicamento ex ſyr. Roſ. ſol. & de Polyp. præmiſſo, aperienda eſt brachij dexteri uena, ſanguiſque modicè educendus, habita cacochymiæ ratione; quæ ſanguinis miſſio in principio nullo modo conueniret, prout conuenit veneno iam ad humores propagato[k].

[k Capiu. ex Auic.]

Inde aliqua præparantia vtilia quam maximè fuerint, ex Decoct. Bugl. Meliſ. Oxalid. Gent. Zedoar. Dictami albi, Angel. & Vincetox. additis ſyr. de Cort. Cit. de ſucco Bugl. & de Pomis. Quinque verò, aut ſex poſt diebus, purgans, quod validum ſit, erit exhibendum. Ita ſcribit Dioſc. quendam hydrophobiæ proximum, ſumpto Helleboro, conualuiſſe, & Orib. quotidie porrigebat purgans ex Colocyn. ad fabæ quantitatem. Nos præbere poſſumus Elect. Diacath. Diaph. cum conf. Hamech. vel Extr. Helleb. ad ʒ ſ. Caſſiæ immiſtum. Quæ Cholagoga medicamenta conueniunt, cùm caninum uirus exuſtionem contineat, præſertim uerò in hoc temperamento calido, & ſicco, habitu gracili, atque

F caco-

cacochymo. Aliqui ad vſum quoque Antimonij deueniunt, vt quod agitatione, & ualida humorum commotione, ab alto trahere, & educere uenenatos humores ualeat; à quibus tamen omnibus ſerum depur. copioſum eſt ſemper præbendum; quorum etiam repetitus debet eſſet uſus, Nec ullo modo audiendus Rhaſis, qui ualida purgantia, non modò in progreſſu, ſed etiam in principio exhiberi conſulit, contra communem, tum Arabum, tum Græcorum ſententiam.

Tandem Alexipharmaca uirus oppugnantia ſunt diutius quotidie exhibenda. Galenus Alyſſum commendat, Lycium, & Laſerpitij ſuccum Paulus, & Orib. Aetius uiticis ſe-
[i 11 Simp.] men, Auic. præter cætera, Gentianam. Verùm principem locum, non ſolùm apud Gal. i ſed & apud omnes, tum Antiquiores, tum Recentiores tenet Puluis Cancr. fluuiat. quem Æſcrion Empiricus, Gal. præceptor ita parabat; ℞. Pulu. Cancr. fluuiat. ℥ x. Gentianæ ℥ v. Thuris ʒ j. m. cuius doſis erit ad ʒ ij. qui diſſolui poterit in Aq. Card. ſanct. Scorzon. & Tot. Cit. ut ad uenoſum genus peruadat; in cuius uſu perſiſtendum ad 40. dies. Et interim ſedeat Matrona Illuſtriſs. ſub arbore Cornus. & Virgam ſanguinariam manibus tractet; ita enim uenenum caninum intus latens detegitur.

Victus ratio debet eſſe refrigerans, & humectans; licet Paulus uinum dulce, meracum, & uetus concedat; etenim idem Lactis uſum, & lactaria edulia proponit. Quæ in caſu præſenti, dicta ſatis.

XXIII.

MELANCHOLIA CVM MANIA.

IN affectu melancholico continuo, & nonnunquam maniaco, decem ab hinc annis Illuſtriſs. Com. affligente, ab Excellentiſs. Viris apprimè delineato, ſemper imaginatio, ſæpius quoque ratio ſimul deprauatè læſa manifeſtè obſeruatur, ex tot falſis imaginationibus, totque non veris deductis concluſionibus; quod mirum nobis non videtur, non ignorantibus, non plures Proteum formas mutaſſe, quàm melancholici
[a 1. de Loc. Aff. 7. & 6. Aph. 23.] affectus ſint ſpecies, & differentiæ. Dum enim timore, & mœrore a, citra ullam cauſam affectus fuit, & adhuc num afficitur Patiens Illuſtriſs, melancholicum illum vocamus; dum venerea ſectatus eſt, libidine melancholicis familiari, vt vult Ariſt. b arſit; at dum animum ad pugnam, & aduerſus propinquos c con-
[b 30. Prob. 1.] uertit, maniacum eundem nuncupamus; potiſſimum quidem, ſi in ſeipſum aliquando
[c 1. Progn. 28, & 7. Aph 5.] ſæuiſſet, ut coniectare eſt, cùm Illuſtriſs. Conſanguinei, pia cura vinculis, & manicis ferreis, eiuſdem vitæ tutelam commiſerint.

[d Art. Med. c. 13.] Cum Animæ functiones, ab optimo temperamento, & ſpiritibus, d utpote inſtrumento exerceantur; hi autē à ſanguine producantur, hoc vitiato, & ſpiritus, & operationes variari neceſſe omnino eſt. Hinc dicebat Hipp. *Maximè omnium ad prudentiam ſanguinem conferre, quo*
[e 1. de Morb. N. 18.] *à bile, & pituita permutato, prudentia concidit*. Cuius opinionis fuit & Ariſt. Sanguis tamen non eſt ſedes harum functionum; verùm, aut cor, aut cerebrum, aut utrumq;. Cor apud
[f 2. de Part. An. 4.] Ariſtot. f cerebrum apud Gal. g & potiſſimum apud Hipp. apud nos verò, utrumque,
[g 8 De vſu Part. 13. & 7. de Plac. 3.] qui cenſemus, ſedem animæ in corde eſſe, operationes autem ipſius, per cerebrum manifeſtari: cerebrum enim organum eſt, cui ſpiritus à corde ſubminiſtrantur, utpote à quo perficitur, & elaboratur ſanguis h, & à quo emanant ſpiritus, quo proinde corrupto, iidem, & cerebrum labem ducunt, ita ut functiones animales inde deprauari neceſſariò
[h Hipp. de Alim. n. 2.] contingat. Cùm uero in Illuſtriſs. hoc Pat. iecoris calida intemperie donato, ſanguis plus iuſto calidior genitus ſit, neque à diſcraſia affecto corde moderatus, aduſtionem adeptus fuerit, ſpiritus melancholicos progenuit; qui cerebrum petentes, utpote opaci, cum Auerroe; aut nigricantes, cum Gal. deprauatā imaginationem, mentemque aberrantem; imò nonnunquam, nimis excalefacti, eandem furibundam reddiderunt; ſicque melancholiam, ex cineribus; maniam verò ex flammis excitarunt, quæ ſicut initio, per conſenſum ab hypochondrijs orta credi poteſt, ob hypochondriorum querelas, murmura, & flatuo-

ſas

Digitized by Google

ſas affectiones, ita temporis ſpatio in maſſam ſanguineam propagatam fuiſſe, & tandem caput eſſentialiter occupaſſe, ſola continuitas delirij ſatis ſuperque nobis atteſtari poteſt.

Eò iam deuenit affectus iſte, ut medentis manum, ne reſpuat [i] uerendum ſit; iam enim cōfirmatus, & in habitū conuerſus, inſanabilis factus eſt, ſi Tral.[k] Aet.[l], & experientiæ credimus. Non eſt tamen deſerendus Illuſtriſs. Pat. ſaltem, ut à perdurante mania præſeruetur; *inclinante namque morbo*, ait Aretæus [m] *ſtupidi, quieti, & mæſti manent*. quod deſumpſit ab Hipp. [n] *A furore mentis alienatio*, Græcus legit, *Ecſtaſis ſuperueniens, bonum*. Ad quem ſtatum ſi arte deducatur Æger, ut ſcil. nec in ſeipſum, nec in alios unquam ſæuiat, certè fuerit auxilium non parui faciendum.

Hoc verò petendū ab Euacuantibus, Deobſtruentibus, electiuè Purgantibus, maſſam ſcilicet ſanguineam depurantibus, Contemperantibus, ualdè Humectantibus, & cor, caputque Roborantibus, tandemque Symptomatibus occurrentibus.

i De Melane. ex Ruf. & Poſſid.
k Lib. 1. Cap 17.
l Tetr. 2. Ser. 2. C 9.
m Lib. 1 de Diut. Aff. Cap 6.
n 7. Aph. 5

Et quod ad ſanguinem ſpectat, prima uice ſanguis educendus ex pede, ſecunda ex uena media brachij; tandem poſt exactam purgationem, ex venis capitis, aut retrò aures, cum Paulo [o]; aut, quod melius, cum Tral.[p] ex vena frontis; affectus enim eſſentialis eſt. Hirudines applicari poterunt venis ſedalibus, excitandæ potius naturæ ad illam euacuationem, quàm ſanguini copioſo euacuando, idque ſæpius. Cauteria inferius ſupplent vicem abſceſſuum, & Varicum. Balneum aq. dulcis efficax remedium eſt, licet hiſce temporibus non opportunum. Accommodatæ etiam erunt frequentes pedum lotiones, vt & Capitis, ſed cum lacte, mox cum decoct. malu. viol. lactucæ, folior. vitis; & vigiliis vrgentibus, etiam capitum pap. albi. Toti leues frictiones, & inunctiones adhibendæ, ſi corpus gracile ſit.

o 3. de Re Med. 14.
p Lib. 1. Cap. 17.

Pharmaceutica remedia, erunt propoſita ab Excellentiſſimis Viris, primum ſcil. medicamentum, ſyr. roſ. ſol. de polyp. cum elect. lenit. Præp. primum, Decoct. aut aqu. ſtillat. ex propoſitis; cui libenter adderem crem. tart. ℥ ſ. qualiber vice; ſympathia namque quadam mouet, fermentat, & ad ſe trahit acidos ſuccos; vnde Chymici melancholiam aſſatam Tartarum vocant. Purgans, ex infuſ. melanagoga propoſita, cum ſyr. roſ. de polyp. & diacath. cui ſuperbibat ſer. depur. ad ſiccitatem arcendam. Secunda præparatio melius perficietur ſuccis deput. quàm ſyr. ſaccharatis; calorem enim excitant, vtpote dulces, & viſcera inflant. Quare ſucci borrag. cich. fumat. aut agrim. ex vſu eſſe poterunt, in decoct. propoſitis; in quibus pergere debebit, ſaltem per xv. dies, præbendo poſtea purgans, ex infuſ. iam dicta, cum ſyr. de polyp. roſ. ſolut. confect. hamech. & ſerū duabus, aut tribus poſt horis. Hic autem locum habebit decoct. epith. Meſ. ad ℥ iij. ſyr. roſ. ſolut. temperata, cum ſero propoſito, per tres vices. At quoniam melancholici conſtantes tantummodo ſunt in inconſtantia, facilè euenire poſſet, ut hic renuat medicamenta, quo caſu flores Antimonij, ut ſpecificum melancholiæ remedium, à Fonſeca commendatum, & à nobis pluries expertum laudo, ad grad. xv. ſaltem; vel ſemicyathum vini albi tenuis, in quo per noctem infuſa fuerint gr. vj. vitri Antimonij; vt tandem ad vſum hellebori deuenire poſſimus; pro cuius exhibitione ſi Viris Excellent. non videatur corpus ſatis humectatum, per hebdomadam propinari poterit ſer. depur. ad lib. i. ſ. cum ſucco borrag. aut ſer. deſtill. cum emulſ. ſem. melon. Exhibēdum verò extracti forma, incipiendo à ʒ ſ. cum tantillo caſſ. & poſt horā præbendo copiam ſeri præparati; maximè quippe urens helleborus eſt; 4. verò quoque die exhibendum, diebus intermediis, ſerum proprinando; Lac aſininum propoſitum, erit tandem peropportunum; ob ſui namque tenuitatem non auget obſtructiones; quinimò eas humectando, utpote ſiccas, præparat, tollitque. Cordialia interim, ſine moſcho, & ambra, in vſu eſſe debebunt.

Et quoniam ſymptomatibus occurrendum. Ad vigilias, ab opiatis abſtinerem, ſolis contentus Diacodio, & Ptiſana, & emulſ. amygd. dulc. & ſem. pap. in panatellis; & ad ſummum, ſyr. de pap. ad cochlear, ſub ingreſſum lecti, madefaciendo nares, & tempora ladano Quercetani in cochleari aquę roſarum liquato. Murium, & Vermium falſa imaginatio tollenda, aliqua arte, & induſtria; reponantur itaque mures parui, ſemiuiui, & mortui, in cella ſubterranea, profunda ſcilicet, quo die aſſumpturus eſt aliquod purgans; & mox ab euacuatione, ei oſtendantur, ei imponendo, medicamentum fuiſſe ad eum finem, contra mures propinatum; quod etiam agendum de vermibus, qui ſi ex humanis corporibus haberi non poſſint, proijciantur terreni; fraude enim multis ſanati fuere.

Victus ratio iam dictis proportionem ſeruabit. Vinum album tenue concedi poterit, ſi timidus, moeſtus, & quietus maneat; lætificat enim cor hominis; minimè verò, ſi

nimis audax, & ad furorem proximè accedat; tunc enim parari poterit potus ex aqua deſtillata, cum pomis apijs, & fol. borrag. Veſcatur lactariis, fructibus, herbis. Non relinquatur ſolus, neque inter ignotos, neque inter illos, quos reformidat, & in omnibus Sapientiſs. Viris obtemperet, quorum prudenti directioni omnia iam dicta committo.

XXIV.

MELANCHOLIA.

A Natiuitate reportauit Nob. Adoleſcens plures principum partium intemperies, & imbecillitates, quas ſummopere adaugere potuit praua, & ſoluta viuendi ratio; ſiquidem à conſueto meraciori, craſſo, & dulci potu, necnon à craſſorum ciborum vſu, cruditates, indeque obſtructiones, & intemperies in viſceribus contraxit, prauumque, atque omnino impurum ſanguinem genuit, unde cruda, & catarrhalis [a] materia in capite, non ſine aliqua quoque eiuſdem calida, & humida intemperie originem duxit, quæ ad bronchia pulmonis delabens anguſtiam, & aſthmaticam, imò & orthopnoicam reſpirationem iuuexit, quæ tamen medicis auxilijs ceſſit, adeò vt, ſi non ex toto ablata, valdè remiſſa ſaltem ſit. Quare affectus alter, Melancholicus ſcilicet, qui iam ad Maniam vſque perductus erat, maius nobis negotium faceſſit, cùm firmis, atque validis fundamentis nitatur; ſiquidem Patiens, Patre melancholico natus, lienoſis affectibus in pueritia correptus, praua viuendi ratione tantas ſibi aſciuit obſtructiones, vt hypochondriacus omnino euaſerit, accedente quoq; melancholia, quam in toto quoque venoſo genere ſedem habere minimè dubitandum; cùm ſanguis à vena perpetuò niger effluxerit, & quod peius eſt, caput quoque occupauerit, & eſſentialis reddita fuerit; quinimò à ſanguine [b] acriori reddito in Maniam conuerſa, quæ ex cineribus rurſus ad melancholiam tranſijt, ſæpius cum ſtudio, nonnunquam cum riſu, quòd aliquando ſanguis melancholicus ſine exuſtione redundet. Nec mirum, ſi capite non ſolum excalefacto; verùm & exſiccato, vt in hiſce affectibus euenire ſolet, ſpirandi difficultas, ferè ex toto euanuerit.

a 2. de diff. Feb. 21.

b 1. in 3. Epid. 2. & de Flatib 20. c 6. Aph. Com. 52.

Sunt iſti affectus omnes difficilis curationis, tum quia melãcholici, tum quia ab ortu; præſertim cùm Patienti blandiantur Parentes potius, quàm imperent; quod ſi Aſſiſtentes proprio fungantur officio, adeò ut Patiens præceptis Medicis obtemperet, & in neceſſaria curatione perſiſtat, leuamen non exiguum ipſi ſpondere poſſumus; quinimò ex repetitis curationibus, integram etiam ſalutem.

Interim quoniam vrgentiori incumbendum, in melancholicum affectum curationem dirigemus, primas vias euacuando; obſtructiones auferendo; maſſam ſanguineam depurando; caput exinaniendo; intemperies remittendo; & partes affectas roborando.

Pro quarum intentionum executione, ex Chirurgico fonte, ter repetita ſanguinis miſſio depromenda, ex utroque brachio, & ex ſodalibus uenis. Cauteria differenda, & ſi fieri poterit, hac ætate euitanda.

Ex Pharmaceutico, lenientia, præparantia, totum, & caput purgantia, intemperies alterantia, & caput, pulmoneſq; roborantia deſumenda. Sic Potio ex ſyr. roſ. ſol. & de Polyp. cum Aq. flor. Cit. aptiſſima erit; ſicut & Iulap. Acet. ad ℥ iij. cũ Crem. Tart. & Aq. Cinnam. momento, præparantis loco per quinque dies; à quibus propinetur eadem potio, cui ſuperbibat ſerum depur. ad ablutionem. Inde ad vlteriora præparantia, & apetientia erit deueniendum. Quare die ſequenti ſuccos depur. ex Cich. Borrag. & Agrim. ad ℥ iij. in decoct. Cichorac. lupul. & fumar. aſſumet, ſequenti uerò die Rhab. ʒ ſ. cum flot. Caſs. ita vt fiant bol. ij. ſummo mane exhibendi, poſt horam ſumendo decoct. Cichor. Capill. Ven. & Malu. in qua diſſoluantur Tart. Vitriol. gr. viij. mox ſequenti die iterum ſuccos hauriat, & ab his bolos cum Rhab. ſic perſiſtendo alternatim per 20. dies. Quibus tranſactis, præbeatur ſerum depur. ad lib. iiij. vel v. cum uehiculo deiectorio ſyr. roſ. ſol. per quinque continuos dies, quo hypochondriorum calor remittatur, & uentriculi, ac meſen-

ſenterii integrà ablutio ſequatur. Quo tempore, ad uſum lactis Aſin. erit deueniendum, cum Saccharo tamen, vt quod poſſit pertinaciores obſtructiones exſiccatas emollire, & iecoris, atque uenarum feruorem contemperare, abſque capitis noxa, ob breuem eiuſdem in uentriculo moram, utpote ſubſtantiæ tenuiſſimæ, nec butyroſæ, minuſque caſeoſæ. Neque abs re erit uti Balneo aquæ dulcis malu. uiol. lactuc. & nenuph. alteratæ; in quo ſedebit uſque ad coſtas mendoſas, ne pectus ab ipſo laxetur, ac proinde lædatur. Interim à cibo aliqua conſerua conuenire poterit, roſar. à prandio, viol. à cœna; prout manè, ieiuno uentriculo hauſtus alicuius aquæ cordialis, tot. Cit. Scorzon. uel Eec. Sax.

Hiſque omnibus addenda congrua uictus ratio; & ita abſtineat à cibis craſſis, uiſcidis, glutinoſis, & calidioribus. Bibat uinum tenue, nec dulce, nec acerbum, nec generoſum. Fugiat ſolitudinem, & alacri, atque confidenti animo uiuat.

XXV.

MELANCHOLIA, ET EPILEPSIA.

Licet à teneris annis pati cœperit Illuſtriſs. Vir, 45. annum agens, temperamenti ſecundum totum, & caput calidi, & humidi, affectus quoſdam capitis, qui ætate inualeſcēte, melancholici nondū cogniti fuerunt; hiſce tamen poſtremis præteritis annis cum timore [a], & mœrore, melancholiæ characteribus, frequens, non vnius partis tantùm, verùm, & caitis ſtupor [b] quidam ſe prodidit; ita ut omninò melancholicus cenſeri debeat. Cùm autem melancholia ſemper mentis aliquam deprauationem, ſiue manifeſtam [c], ſiue obſcuram importet; hinc factum eſt, ut nonnunquam idem Vir. Illuſtriſs. aliena loquatur, & nonnunquam, quæ non ſunt, imaginetur; & quia melancholici [d] magna ex parte epileptici fiunt, & contra; hinc diuturnus affectus melancholicus in Epilepticas acceſſiones degenerare iam cœpit, licet non legitimas, atque perfectas, ac proinde ab initio abſque ullo motu conuulſiuo, qui ad Epilepſiam legitimam neceſſariò [e] concurrit; ſicut poſtremis exacerbationibus fuit quodammodo obſeruatus; nec id mirum, cùm Celſ. [f] quoque Epilepſiam, modò cum diſtenſione, modò ſine eadem fieri obſeruauerit; cum diſtenſione quidem perfectam, atque legitimam; ſine ea verò imperfectam; prout & legitimam fieri cum principum actionum læſione, & corporis procidentia; non legitimam verò etiam ſine his; vnde vidit Epilepticum non cadentem Marcellus Donatus; ſtantem Beniuenius; ſedentem Dodonæus; curſitantem Eraſtus. Non igitur eſſentialis, & legitima hæc in Viro Illuſtriſ. cenſenda eſt, ſed per conſenſum aliqua ex parte ab hypochondrijs, flatibus plurimis ſępius ſcatentibus, & multò magis à toto venoſo genere, in quo ſanguis redundat ater, melancholicus, & à quo tetri eleuātur vapores ad caput, qui dum in mentem, [g] melancholicum, dum in corpus cerebri, Epilepticum Virum Illuſtriſs. efficiunt, cùm piam matrem exquiſito ſenſu præditam, ventriculos cerebri inueſtientem, acrimonia, & aciditate vellicantes, & irritantes, ad conſtrictionē, ſaltem in principijs, ut in caſu noſtro, in progreſſu verò, ad quaſſationem cogant, atque deducant, unde primò leuis obſtructio, quæ in progreſſu maior euadit; tuncque, & caſus in terram, & functionum principum abolitio, & tandem conuulſiui quoque motus accedunt.

a 6. Aph. 23.
b 6. Aph. 56. & 7. 41. c 3. in 3. Epid. 82.
d Galen. de Loc. Aff. 7.
e 3. De Loc. Aff. 9.
f 3. de Re Med. 23.
g 4. de Loc. Aff. 2.

Sunt Affectus quidem curatu difficillimi, cum melancholia ferè connaturalis ſit, & in habitum [h] conuerſa; Epilepſia uerò ab eadem proueniat; nihilominus ſperandum, ut melancholico humore imminuto, & alterantibus contemperato, Epileptici affectus non ſolùm remitti, uerùm, & ex toto auferri poſſint, cùm eſſentiales non ſint, neque perfecti; prout tales ſine ope medica euadere poſſent, & forſan progreſſu temporis eſſentiales; præterquā quod & melancholicus affectus uires proculdubio acquireret eundo; & ideo, vt præſentem remittamus, & augmento eiuſdem occurramus, hoc anni tempore ad hoc opus idoneo, aliqua pauciora quidem, ſed ſelectiora erunt præſtanda; primò primas uias exſiccando; ſecundò maſſam ſangineam, ab humore melancholico defæcando; tertiò caput quoque expurgando; quartò iecoris, & uenarum intemperiem calidam corrigendò; & tan-

h Tral. lib. 1. cap. 17.

Digitized by Google

tandem partes affectas roborando. Quibus omnibus, ita iubente Illuſtriſs, ordine executiuo ſatisfaciemus.

Et primò quidem aſſumat potionem A, infra deſcriptam, quatuor horis ante cibum; deinde per v. dies, ſummo mane hauriat liquorem B; inde bibat potionem C. & tribus horis ab ipſa, ius tenue hordeo, vel malua alteratum; mox duabus horis ab aſſumpto iure prandeat.

Inde ad ſecundam humorum præparationem, ſanguini defæcando, deueniendum, ſuccis potius, quàm ſyrupis dulcibus, melancholicis parum proficientibus. Quare aſſumat ſuccos, ad ſignum D, in iure alterato cich. borrag. malua, viol. endiuia, hepatica, & beton. in quorum vſu perſiſtat Illuſtriſs. vſque ad ſeptimam diem; uerùm die ſecunda ab vſu dictorum ſuccorum, aperiatur vena iecoraria, aut communis brachij dexteri, educendo ſanguinem ad ℥ viij. à quo, non dimittatur vſus dictorum ſuccorum. Tranſacta ſeptima, aſſumat Illuſt. Pat. potionem E, & tribus horis ab illius aſſumptione, bibat aquam Nocerianam, ad libras duas; duabus verò horis ab eadem prandeat. Inde ad humorem melancholicum electiuè educēdum deuenire debemus, quod egregiè præſtare poterit Extract. Hellebori, caſſia temperatum, ut ad notam F. Interim duobus ſequentibus diebus, aſſumat ſuccos deſcriptos G. in ſupradicta decoctione cichorei, borraginis, meliſſe, endiuiæ, maluarū, betonicæ, pęoniæ, rutæ capprariæ; quo tēpore, hora vna ante prandium, rurſus aperiri poterit vena ſiniſtri brachij magis conſpicua, vt ſanguis ad ſupradictam quantitatem educatur. Quod ſi primus ſanguis eductus non adeò craſſus apparuerit, loco venæ ſuperioris, venæ ſedales reſerati poterunt, idque pluries in anno; inde duobus intermiſſis alijs diebus aſſumat bolos F, quibus duabus tranſactis horis, ſuperbibat ſerum depuratum, vel aquam Nocerianam ad libras ij. & tribus horis ab aſſumpto, ſero, vel aqua, prandeat; deinde aſſumat per duos dies, ſuccos præſcriptos; & rurſus repetat bolos, & duobus ſequētibus diebus, ſuccos eoſdem, vt tertiò accipiat pilulas H. ſuperbibendo ſerum, vel aquam Nocerianam, modo ſupra deſcripto. Sic abſoluatur purgatio, aliquam addendo iecori refrigerationem, & capiti corroborationem, vſu quotidiano, de more, prope prandium, imò prima menſa, iuris tenuis folijs acetoſæ alterati; ab aſſumpto verò cibo, vtendum eſt conſerua roſarum, ſicuti ſub ingreſſum lecti, ex floribus betonicæ, vel liliorum conuallium, vel pęoniæ, vel rutæ caprariæ.

Quibus omnibus victus ratio conueniens addenda, abſtinendo a cibis ſalitis, acribus, aromaticis, calefacientibus, & euaporantibus. A vino quocunque ſaltem per annum abſtinendum, & ab ijs, quæ à proprietate epilepticos motus excitant, & humorem melancholicum adaugent, vt ſunt carnes hœdinæ, bubulæ, leporinæ, coturnices, perdices, qualeæ, tubera, fungi, apium; in reliquis moderatione ſeruata. Quæ omnia Viro Illuſtriſs. ſalutaria a Deo precamur.

Sed quoniam, præſente acceſſione aliquod pręſens remedium familiare, & ſuane in promptu habendum eſt, quo vtatur Illuſtriſs. Patiens, vt vapores facilè, & citò diſcuti poſſint; ideo parata ſit aqua Theriaealis, cum quinta eſſentia roriſmarini; uel aqua pęoniæ, cum ſpiritu vitrioli, & oleo maioranæ, quorum deſcriptio habetur ad ſignum I. Præbeatur autem Illuſtriſs. Patienti, ad cochlear vnum, duabus, aut tribus vicibus, inuadente acceſſione.

A ℞. Syr. Roſ. ſol. de Polyp. an. ℥ iij. Aq. Fl. Cit. parum. m. f. p.
B ℞. Iulap. Acet. Cort. Cit. aromat. ℥ iij. Pro vna vice, & ſic pro alijs.
C ℞. Pot. ex Manna clariſ. ℥ iiij. Syr. de Polyp. ℥ iij. Aq. Fl. Cit. parum m. f. p.
D ℞. Succi dep. Cichor. Botrag. an. ℥ j. ſ. m.
E ℞. Rhab. opt. Fol. Sennæ an. ʒ ij. Cinnam. integ. ʒ j. Aq. Beton. q. ſ. m. f. inf. per noctem, expreſs. verò adde Syr. Roſ. ſol. de Polyp. an. ℥ iij. m. f. p.
F ℞. Extr. Veratri nigri ʒ ſ. Fl. Caſs. rec. ext. ʒ vj. m. f. b.
G ℞. Succi depur. Borrag. Beton. Rutæ Capr. an. ℥ j. m.
H ℞. Pilul. Coch. præp. ℈ ij. de Trib. cum Rhab. Aggreg. an. ℈ j. ſeſotm. pil. & aur.
I ℞. Aq. Theriac. ℥ ij. Quintæ eſſentiæ Rotiſmar. gutt. x. m. Vel ℞. Aq. Pęoniæ ℥ iiij. Spir. Vitr. gutt. vj. Ol. Maioranæ gutt. iij. m.

M E.

XXVI.

MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA, & Vocis læſio.

SIcut Adm. Reuer. Patientem in præſens, & forſan antehac, affectu melancholico, eoque hypochondriaco laborare, & laboraſſe credimus; vt ex deliquiis in ſomno, aurium tinnitibus, corporis laſſitudine abſque occaſione, ſtupore a, leui potiſſimum lateris, cum oris ventrieuli, totiusq; corporis moleſtijs, ab aſſumpto cibo, excedere repletione b, & inflatione, colligere licet; ita vocis læſionem, ſiue defectum, non ab organorum vitio, ſed a deficiente vocis materia prouenisse, cenſemus; prout cordis palpitationem, ab exhalationibus ex hypochondrijs ad cor ipſum eleuatis pariter exoriri credendum; quorum portio caput quoque petens, accenſionem in eodem; & dum non adeò citò reſoluitur, dolores quoque hemicranicos parit.

a 7. Aph. 40.
b 3. de Loc Aff. 7.

Quare, cùm affectus iam dicti, omnes ſympathici, & ex conſenſu ab hypochondrijs excitentur, eorundem fontem tollere, optimam, atque legitimam curationem fore credimus, hypochondria ab excrementis, obſtructionibus, & intemperie vindicando. Quæ licet non adeò facilè præſtituri ſimus vnica expurgatione; attamen ut ad meliorem ſtatum redigatur Adm. Reu. Pat. incunda fuerit hoc anni tempore congrua curatio.

Et primò ſanguinis miſſio utique neceſſaria, ex brachio lateris hypochondrij magis affecti; ſecunda vice ex hæmorrhoidibus; & cauterium coxæ partis laborantis erit inurendum; quod enim geſtat in brachio, parum, aut nihil profuit; quia iam dicti affectus, per conſenſum ab inferioribus partibus, vt diximus, excitantur, atque fouentur.

Ventriculus expurgetur caſs. & lenit. vel ſyr. roſ. & de polyp. Inde præparentur humores iulap. acet. cortic. cit. aromatiz. ad ℥ iij quotidie, per quinque dies; mox repetatur idem medicamentum leniens. Deinde aſſumantur ſucci depur. cich. & borrag. ad ℥ iij in iure alterato end. meliſſa, florib. violar. maluis, & lupulis, in quorum uſu perſiſtat 20. dies; ſed tertio quoque die infundatur tota nocte in eodem iure, dictis herbis alterato, ʒ i. Rhab. opt. uel quarto quoque die ſumat bol. ii. ex ℈ j. Rhab. cum caſs. paratos.

Quibus tranſactis diebus, præbeatur decoct. Epith. Meſ. ad ℥ iij. cum totidem vncijs ſyr. roſ. ſolut. & duabus, uel tribus horis ab aſſumpta potione, ſuperbibat ſer. depur. ad lib. ij.

His peractis, ſyr. Fernel. conuenire poterit, ad ℥ ij. viij. aut x. diebus aſſumendus, in iure maluis, & borragine alterato; & ſi caloris aut ſiccitatis metus obſtet, præbeatur in aqua ſtillat. borraginis, meliſſæ, ad integrum cyathum. Interim æſtate aduentante, per aliquot dies, mane comedat conſeruam ex floribus uiolar. & borrag. & ſuperbibat cyathum aquæ ſtillat. de ſucco borrag. In acceſſione autem palpitationis, aliqua flatus craſſos diſcutientia conuenient; quæ tamen accenſa hypochondria, & uiſcera non irritent magis; qualia erunt cochlear aliquod aq. cinnam. uel rotulæ ex quinta eſſentia roriſmarini, diſſol. ſaccharo cum aqua cinnam. Regio quoque cordis oblini poterit ol. de ſcorpionib. Matth. ſucco citri diſſoluto, ſummo digito.

Quibus omnibus congrua addatur uictus ratio, cauendo à ſalitis, ab aromatibus, flatulentis, à uaporoſis, uino generoſo, ſomno diuturno, nimijs exercitijs, & immoderatis ſtudijs, atque intenſis applicationibus; ut ſicut à præſenti purgatione melius, ita à futuris optimè habeat, quod nos eidem à D. O. M. uouemus.

VIGI-

XXVII.

VIGILIA MORBOSA, ſeu Peruigilium.

SEnator Ampliſſimus, quinquagenarius, temperamenti totius, & maximè iecoris calidi, & ſicci, capitis quidem calidioris, non tamen valdè excrementorum feracis, gracilis hábitus, ad iram pronus, & ad omnes operationes promptiſſimus, ac perſpicaciſſimus; ſtudijs inſuper deditus, atque negotijs magni momenti implicitus, exquiſitiſſimo ſenſu à natura præditus, biliosis affectionibus non raro obnoxius, & antehac breuibus ſomnis contentus; duobus abhinc annis, non ſolùm meridie obdormire, vt ſolebat, omnino deſtitit, verùm & nocte breuiores ducere ſomnos cœpit, adeò vt frequenter noctes ferè, quandoque prorſus inſomnes trahat. Modò ab hoc tædio vindicari, & ab aliquo alio quoque affectu imminenti præſeruari deſiderat.

Somnus autem in eum finem à natura fuit inſtitutus, vt inſtaurentur vires amiſſæ, per ſpirituum conſumptionem; quæ quidem non contingit in facultate naturali, à qua in operatione ipſa, coctione ſcilic. ſpiritus potius generantur, quàm abſumantur; nec in vitali, nam licet ſecundum aliquos, ob cõtinuum motũ cordis, ſpiritus conſumantur; & in ſomno tamen iſte motus exercetur, quietem diuturnam natura in corde nõ tolerante; vnde dicebat [a] Gal. quod *Cor breuibus intermiſſionibus hoc facere videtur; multo namque tempore ad requiem non indiget, ſicut cerebrum, quod in vigilijs ſemper exercetur; in ſomnis verò quieſcit*. Quare ad facultatem Animalem ſomnum ſpectare certiſſimum eſt, & non ad vegetatiuam, quia plantæ neque ſomno, neque vigilia egent; non ad Intellectiuam, quia animalia bruta dormiunt, & vigilant; ad Senſitiuam itaque. Hinc ſomnum eſſe vinculum, ſiue copulam, ſiue immobilitatem ſenſitiuæ partis animalis Ariſt. aſſerebat; & Paul[b] ſomnum virium animalium requiem appellauit; & uigiliã, utpote exercitium, ſomno contrariam eſſe dicebat Fernel. [c] illamque eſſe veluti actum, ſomnum verò actus priuationem; quod ab Ariſt.[d] deſumpſit, ſcribente, ſomnum, & vigiliam eſſe priuationem, & habitum, atque circa idem verſari, vt viſus, & cæcitas circa oculum. Sic cerebrum [e], ut in ſomno quieſcit, ita in vigilia exercetur; & ideo iure Gal. [f] *In vigilia fit ſpiritus, ſanguinis, & caloris ad exteriora latio*. Quare Agrypnia, ſeu peruigilium definiri poterit, quod ſit, Immoderata actio, ſiue exercitium, ob nimiam expanſionem Facultatis Animalis à primo ſenſorio, ad ſenſus externos: Vigiliæ namque ſpectant ad ſenſum communem, ex Ariſt.[g] atque Platone [h]; quibus ſubſcripſit quoque [i] Auerr. ſubdens, quod ſenſus communis eſt primum ſenſorium, quem Galen. *Senſoriorum ſenſorium* appellabat. Cui definitioni adſtipulatus quoque Argenter. ait. Vigiliæ eſſentiam poſitam eſſe in immoderato exercitio, quod in tribus conſiſtere poteſt, qualitate, tempore, & ordine. In qualitate, quando ſunt nimis intenſæ; ordine, quando ſomnus breuis eſt vigilijs interruptus; tempore, quando nimis diuturnæ. Vtcunque tamen ſemper eſt ſymptoma, ſiue motus deprauatus, & præter naturam facultatis animalis, non quidem motricis, vt patet in Noctambulis, ſed ſenſitiuæ, qua ratione vigiliam in ipſo ſentire conſtituit Ariſt.

a 1. de Sympt. Cauſ. 8.
b 5. de Re Med. 97.
c 5. Pathol. 7.
d Cap. de Oppoſitis.
e 1. de Sympt. Cauſ. 8.
f 2. Aph. Com. 1.
g Lib. de Somno, & Vig.
h in Timæo
i 5. Collect.

Verùm licet Ariſt. Somnum, & Vigiliam, ad primum ſenſorium attinere vnà cũ Medicis aſſeruerit; à nobis tamen diſſentit, dum primum ſenſorium, nõ in cerebro, ſed in corde repoſuit; & ſomnum fieri dixit, dum vapores in vigilia ad cerebrum elati, eiuſdem frigore cõcreſcentes, ac proinde grauiores facti, ruſus ad cor deſcendunt, & primum ſenſorium comprimentes, influenti calori effluxum, propagationem, & illuſtrationem impediunt; vnde ſequitur omnium operationum ceſſatio, hoc eſt, ipſe ſomnus; ſicut vigilia fit, quotieſcunque adeò caput caleſit, & exſiccatur, vt humiditatum concretio fieri non poſſit, nec à cerebro ad cor deſcenſus; Galen.[k] verò cenſuit, cerebrum eſſe ſenſorium ſenſoriorum; & ideo ſomnum, & vigiliam in cerebro fieri. Quare pace Ariſt. in Vigilijs morboſis, & ſomnolentis affectibus, ſemper capiti remedia adhibentur. Nec probat Ariſt. in ſomno cor

k 1. de Sympt. Cau. 8. & 3. Aphor. Com. 5.

quie-

quieſcere. Sed præterea exercitium, in vigilia, non conſiſtit in ſola ſpirituum expanſione ad externa ſenſoria; ſed ſecundò, in receptione ſpecierum ſenſibilium, quæ à ſenſibus externis cerebro offeruntur;& tertiò in iudicio obiectorum receptorum, tum propriorum, tum communium, quæ omnia dubio procul in cerebro, non autem in corde fiunt.

Quæ iam enarrata, noſtri caſus, tum cognitionem, tum curationem faciliorem reddere poterunt; ſicut enim nimia ſpirituum expanſio exercitij, & vigiliarum cauſa immediata habetur; ita excitatur eadem à nimia cerebri caliditate, vel ſiccitate. Etenim, [l] *Vt ſomnus fit, refrigerato cerebro; quæ refrigeratio ſi fortis fuerit, humiditati miſta, lethargicas paſſiones facit; ita à contrarijs fit vigilia*. Et quamuis modò [m] caliditatem, modò [n] ſiccitatem propoſuerit ipſe Gal. ſicque viſus fuerit inconſtans; conſtans tamen ſemper fuit; cùm & à caliditate,& à ſiccitate vigilia prouenire poſſit; ideo utramque proponit dicens. [o] *Vigilantiam quidem fieri, tum propter ſiccitatem, tum propter caliditatem primi ſentientis, ideſt cerebri; ſomnum verò à contrarijs, iam aliàs demonſtrauimus*. Siccitatem tamen,ad vigilias producendas primum locum obtinere, cum Aetio [p] credendum; caliditas enim vigilias inducit, ſpiritus agitando: ſiccitas verò diſſipando, humidumque conſumendo; cuius ratione, *Senibus familiares, & proprias eſſe vigilias*, pronunciauit Hip. [q]

l 2. Aph. Com. 1.
m 2 de Loc. Aff. vlt & 3. de Loc. Aff. 5.
n 4. de preſag. ex pull. 7. & 1. in 1. Prorrh. 5
o 2. in 1. Prorrh. 29.
p Tet. 2. Ser. 1. C 60
q 3. Aph. 31

In hoc tamen Præſtantiſs. Senatore, caliditatem magis, quàm ſiccitatem concurrere cenſemus; à calidis enim læditur, mediocri [r] ſomno contentus, nec caluus eſt; quinimò capillis abundat, necdum ſenex eſt; temperamentum verò totius, iecoris,& cordis calidum, biliosorum humorum ideò ferax, à quibus affectus biliosi quoque fiunt; vnde & ipſæ vigiliæ potiſſimum procedunt, vt ex Gal. [ſ] cerebro ſcilicet calefacto, & ſpiritibus agitatis; quæ agitatio quam maximè fouetur à ſtudijs, intentis animi applicationibus, atque ſolicitudinibus; à quibus quendam omnino vigilem redditum,& prorſus immemorem obſeruauit Galen. [t] ipſe. Prætérquamquod, hìc facilè conſpirare quinetiam poſſet vigilandi conſuetudo; nam ſi quis aliqua ſtata hora expergiſci conſueuerit, eadem conſueta, & ferè naturalis euadit, quæ conſuetudo facilè à negotioſis, & exquiſito ſenſu præditis hominibus comparatur.

r Art. Med. 14.
ſ 1. de Symp. Cau. 8.
t 1. de Loc. Aff. 5.

Summa autem cum ratione dicebat Hipp. quod, *Somnus* [u] *& Vigilia, vtraque ſi modum exceſſerint, malum*. Ex diuturna namque vigilia, concoctiones corrumpuntur, ſucci crudi copioſi aceruantur, ſpiritus reſoluuntur, natiuus calor labefactatur, corpus extenuatur, intempeſtiua obrepit ſenectus, & vitæ breuitas; hinc illud. *Aqua edax, Vigilia vorax* [x]. In Comm. Gal. *Vigilia vorax, quia corpus digerit, atque diſſoluit*, quod alibi repetit idem Gal. [y] Et licet aliqui, diù vigilantes, non ſolùm longo tempore, verùm & ſani vixerint, exempla hęc, aut rara, aut non vera habenda; vix enim admitti poteſt [z], Mecœnatem tribus integris annis vigilaſſe,& potiſſimum ſola placida, & leni harmonia [a] liberatũ eſſe; cauſa enim adeò valida, & pertinax leuiſſimo remedio non ceſſiſſet; minus Nizolium [b] Ciceronianum lucubrationum interpretem, decennium vigilaſſe; omnium verò minimè, Matronam [c] Nobilem, 35. annos vitam inſomnem duxiſſe. Quæ ſaltem ſi ut vera admitti placeat, non de interna vigilia, ſed de diuturna ſolùm, nimirum de leui, admodum breui, & interrupto ſomno.

u 2. Aph. 7
x 4. in 6. Epid. 20.
y 12. Meth. 5.
z Vt Plin.
a Vt Seneca & credulus Mercurial.
b Vt Heurnius.
c Vt Montuus.

Curatio per contraria adminiſtranda; vnde ſi à ſola ſiccitate proueniret, ſola alterantia humectantia, tum alimenta, tum medicamenta ſufficerent; ut [d] Lactuca, Lac, & cibi ex lacte parati: emulſ. amygd. dulc. cum ptiſana, & ſacch. ſem. item papau. albi cum ciborum,& vini copia, conſueta largiori.

d 2. de Alim. Fac. 8

Inter medicamenta, Balnea pedum à cœna. Faciei [e] ablutio decoct. ex capit. papau. nigri; & pedum lotiones, ex decoct. lactucæ, violar. nenuph. ſalicis, anethi, & cap. papau. albi. Frequens item eleuatio, atque depreſſio palpebrarum, quod Aet. [f] à Gal. [g] tranſtulit.

Interna eſſe poterunt ſerum depur. Lac capr. Lac ſem. pap. albi, in aqua lactucæ; Syr. de ſem. pap. ab. ℥ i. ad ℥ ii. Quatuor, aùt quinque rotulæ diacodij, in ptiſana diſſolutæ. Granum Ladan. Nep.

e Paul. 1. de Re Med 8. & Aet.
f Tetr. 2. Serm. 1. Cap. 16.
g 1. de Humonb. 29.

Externa erunt, ol. nenuph. abundè illitum; in contumaci verò affectione, capitis lotiones ex lacte vaccino, vel ex decoct. lactucæ, malu. uiolar. cap. pap.

Verùm, quoniam, in caſu noſtro, modicæ ſiccitati immodica iungitur caliditas, cum humoribus calidis; ideo præter alterantia, aliqua quoque præparantia, & euacuantia conuenient.

Euacuantia eſſe poterunt, Syr. roſ. vel viol. ſol. cum decoct. pulpæ tamarind. vel flos caſ. cum eadem pulpa, addito tart. crem. quibus ſuperbibat ſer. depur. ad libras. Præpa-

tantia ſint, Syr. roſ. viol. de nymph. de papau. in decoct. malu: violar, lactucæ, end. hepaticæ, nympheæ. Præparati humores deinde expurgentur iam dictis lenientibus, addito rhab. infuſo; vel caſsiæ elect. de ſucco roſar. à quibus ſeri pariter hauſtus præbeatur.

Minoratis humoribus, Alterantia, & intemperiem iecoris, cordis, capitis, & totius corrigentia, eſſe poterunt ſucci depur. end. violar. lactucæ, in decoct. malu. end. viol. nenuph. portul. Vel aqua ſtillat. end. viol. lactucæ, cum iulap. violac. & Roſ. Vel ſer. depur. Vel Lac, ſed aſininum, vt quod magis refrigeret, licet minus nutriat.

Extrinſecus Balneum vniuerſale, ex aqua dulci, malua, viol. lactuca, nenuph. alterata; quæ & capitis lotioni aptiſſima erit, pap. capit. additis. Efficaciſſima etiam fuerit huiuſmodi inunctio. ℞. ol. nenuph. ℥ i. ſ. mandrag. ℥ ſ. camphoræ gr. iij. opij, croci an. gr. ij. m. ref.

Narcotica quoque iam propoſita, vrgentibus vigiliis cautè ſunt adhibenda, vtpote quæ meatus denſare, & ſpirituum effluuium impedire, ſpiritus eoſdem cogere, eorundem mobilitatem ſiſtere, nec non acutiorem ſenſum obtundere valeant.

A propietate ſomnum conciliare dicunt, Amomum fronti illitum. Sic & lac Porcæ nuper fœtæ. Dens canis, vel ſerpentis exuuiæ capiti ſubditæ, ex Rhaſi.

Victus ratio ſit refrigerans, & humectans. Cubiculum non ſpectet ad meridiem. Silanus ex aqua iuxtà cadat. Muſicalis harmonia procuretur. Lactucam ſine aceto comedat à cęna, vnde Martialis,

Claudere, quæ cænas Lactuca ſolebat Auorum,
Dic mihi cur noſtras inchoet illa dapes?

Panis martius, à cęna comeſtus, additis vnicuique libræ amygd. ℥ ij. ſem. pap. albi. Cyathus quoque vini papauerini, poſtrema cęna epotus. Induſtriè ſomnum conciliabat Gal. dicens [h] *Quos arctè dormire volumus, eatenus vigiles ſeruare debemus, quatenus ſtare, niſi conniuentes non poſſunt: ego enim multis, qui ſe celerius quieti dederant, cum vigilare diutius coegiſſem ſuauem ſomnum conciliaui*. Præterea conſuetudo vigilandi, hora conſueta, ad ſomnum omni conatu conuertenda. Prægreſſum exercitium ad laſſitudinem, [i] ſomnum conciliat. Coitus item moderatus, ex eodem Paulo. Triſtitiæ, & curæ arceantur; ſpiritus enim, & abſumendo, & diuertendo, vigilias inducunt. Lectio à cœna ſomnum conciliare ſolet, non tamen ſemper; & ideo quandoq; vigilem, quandoq; ſomniculoſum hominē reddere dicebat Ariſt. [k] rationem reddens, quod quando corpus frigidis excrementis abundat, dum incipit meditari, & intelligere, dormit; quia actio ſpiritalis ſuperatur à corporeo vapore, frigido, & craſſo, ab incepta meditatione attracto. Atque hinc deducit Gentilis, quod ſomnus ſit indiciū, & effectus hebetis intellectus hominis legentis; dum enim non intelligunt, triſtantur; in triſtitia verò, ſpiritus retrahuntur, ſicque ab opere vacant, & fit ſomnus: quando verò legentes rem intelligunt, lætantur, unde gaudium, in quo fit ſpirituum expanſio, quæ proinde vigiliam neceſſariò conſeruat. Ex quibus colligere licet, quod poſt prandium, & cœnam pleniorem, facilius quilibet ſomno capi poſſit, cùm lecturæ ſe dederit. Hæcque ſufficiant, licet meritis Senatoris Ampliſſimi nunquam ſatis.

h 4. in 6. Epid. 17.
i Paul. & Aet.
k 18. Probl. 7.

XXVIII.

LETHARGVS.

VIr diues annum agens 55, temperamenti totius ad calidum, & maximè humidum vergentis, capitis humidioris, obeſi habitus, delicatè viuens, ventri, gulæ, otio, & ſomno diuturno plurimùm indulgens, antehac capitis deſtillationibus obnoxius, tempore præſertim autumnali, quandoque etjam podagræ cubiti, atque manus; poſt copioſorum æſtate nuper elapſa fructuum niue refrigeratorum, & lactariorum frequentem vſum, tandem autumno pręſenti, nulla ſecuta deſtillatione, nulloque dolore podagrico, de dolore capitis grauatiuo cum delatione in ſomnum, inappetentia, totiuſque corporis laſſitudine conqueri cœpit; imò per quindecim præteritos dies dolor capitis grauans magis magiſque ſemper adeò inualuit, ut modò tandem Pat. prorſus ſomniculoſus factus ſit, cum leui ſebricula, & quandoq; etiam delirans, & obliuioſus. Cùm autem Medicus aſſiſtens minoratiuum medicamẽtum ei exhiberi iuſſiſſet, & ab eo ſanguinẽ quarta die ex brachio detrahi, hic pituita redundãs obſeruatus fuit; cuius ratione oxymel, cum alterantibus præſcripſit; atque tandem duo ueſicantia coxis apponenda. Quibus tamen non obſtantibus, ſomnus adeò excreuit, vt vix reſpondeat interrogatus, oculoſque ſtatim iterum claudat; oſcitat inſuper, hiat, & os apertum detinet, matulę præ manibus obliuiſcitur, alienaq; loquitur; delirium tamen non furioſum, ſed ſatis remiſſum eſt, & hodie, xi. ſcil. febris cum reliquis ſymptomatibus adaucta videtur. Quare nos de agendis conſulit.

Pituitoſi ſanguinis, & catarrhalis [a] excrementi neceſſarium prouentum in hoc egregio Viro ſat nobis præmonſtrare poſſunt ætas inclinans, temperamentum totius humidum, humidum item caput, vita anteacta, ventri, otio, & ſomno indulgens, vſus lactis, & fructuum niue refrigeratorum, podagrici inſultus periodici; prout & nunc illius ſunt indicia, dolor capitis grauans, inappetentia, & quędam etiam veluti ſpontaneæ laſſitudines. Cùm enim præteritis, annis pituitoſo humore copioſo, in hoc Patiente producto, in id conſpirantibus rebus naturalibus, & non naturalibus, corruptus ab eodem ſanguis, ad articulos à natura deponeretur, & partim inſenſibiliter reſolueretur; partim ab euacuantibus medicamentis, tunc temporis à medico præſcriptis, ſenſibiliter euacuaretur, necnon ex inedia quoque, coctione abſumeretur; modo natura iam forte defeſſa, & humori copioſiori, ac tenaciori reddito fortaſſe iam impar, ab eiuſdem depoſitione ceſſauit; unde ille in venis hærens, & magna ſui parte ad caput eleuatus, vaſa diſtendens, & continuũ ſoluens, dolorem grauantem excitauit, & in præſens excitat, cum delatione in ſomnũ; & quia ob crudi ſanguinis præſentiam, totius exinanitio prohibetur, necnon ſuctio, & ab ea ſenſus [b] ſuctionis, ſine quibus ſames dari non poteſt; ideo inappetentia prægreſſa, quæ ſolet alioquin [c] ægritudines prædicere, non ſecus ac [d] ſpontaneæ laſſitudines.

a 2. de Nat. Fac. Vlt.

b 1. de Sym. pt. C. 7

c Art. Med. 81.

d 2. Aph. 5.

Verùm quoniam excrementi pituitoſi apparatus iam in capite ſuccreuit, ob humidam eiuſdem intemperiem, & aſſumpta antehac vaporoſa humida alimenta, vnde dolor grauans pręgreſſus; hic propterea in cerebro putredinem concipiens, ſomnum profundiorem induxit, dum à calore putri liquatus magis magiſque in cerebri ſubſtantiam ſeſe inſinuauit. Sic Gal[e]. dicebat, quod, *Alti ſopores ſine febre ſunt Apoplexia, Caros, & Catochus; at ſi humor putreſcat, additur febris, & fit lethargus*. Quod repetit præterea dicens [f]. *Cum pituita humectauerit, dilueritque cerebrum, fit lethargus*. Hinc letargicæ [g] febres fiunt ex humore pituitoſo in cerebro aceruato. Obliuioſus autem, & amens factus eſt, vt de quibuſdam dicebat Gal. [h] *Non eſt mirum, in cerebro crudis collectis humoribus, comatoſos illos, ſimulque dementes euaſiſſe; comatoſos quidem ſimul ex multitudine, & frigore ſuccorum crudorum; dementes verò, quia putreſcentes acredinem pariebant, & calorem*. Sic & ipſe [i] Hipp. ſcripſit, *Lethargicus nugas gerit, & vbi nugari deſierit, dormit*.

e 13. Meth. 21.

f 1. in 1. Prorrh. 1.

g 3. Aph. Com. 30.

h 3. in 3. Epid. 45.

i 2. de Morb. 70.

At quoniam modò in 11. febris, & reliqua ſymptomata, nimirum ſomni profunditas, atque delirium, cum obliuione, adaucta videntur; & vrinæ, quæ ab initio craſſæ, ac pertur-

batæ crudorum humorum [k] in venis agitationem prodebant, in præſens tenues factæ ſunt, verendum, ne à calore putri in capite attractio, & à toto venoſo genere transmiſſio pituitoſi ſanguinis facta fuerit, qui etiam inflammationis in cerebro ipſo anſam dederit, vnde lethargus,exquiſitus quidē antea,exactè iā exquiſitus euaſerit: Somnus enim morboſus in nobis fieri incipit, cùm pituita copioſa cerebrum irrigat, ac humectat; quæ proinde, quò copioſior fuerit, eò profundior erit ſomnus; quod ſi eadem putredinem ſuſcipiat, fit ſomnus lethargicus; cuius putredini accedente quoq;cerebri inflammatione ex ſanguine pituitoſo, per venas à toto tranſmiſſo, uel in cerebro genito, fit lethargus, non modò exquiſitus; ſed & exactè exquiſitus; quæ tamen inflammatio, rarò in principio, & in fiente; ſed in facto tantùm,& conſūmato lethargo accedere ſolet:ad lethargum enim conſtituendum, ſufficit ſola pituitoſa materia, in capite putreſcens.

Hinc ſibi non contradixit Gal[l]. dum in eodem genere phrenitidem, & lethargum repoſuit;atque phrenitidē [m] in lethargum degenerare probat,dumq,illam à meningum [n] potius; hunc verò à cerebri inflammatione fieri ſcripſit. Nec malè Hipp[o]. & Celſus [p] cum eo aſſeruerunt, Lethargum nonnunquam ad ſuppurationem verti, prout optimè quoque Auic[q]. Lethargum, apoſtema frigidum, & aliàs [r] tumorem pituitoſum appellauit. Et propterea non audiendus [ſ] Auerr. qui eſſentiam lethargi in inflammatione conſtituit, quem ſequuti fuerunt Hollerius, Heurnius, Capiuac. Vgo, & plures alij, de conſummato lethargo loquuti. Ideo,quamuis perpetua lethargi comes [t] ſit ipſa febris; attamen, quoniam adaucta eſt,nouam cauſam, inflammationem ſcilicet, acceſſiſſe iure merito ſuſpicandum; adeò vt duę in vnum conſpirent, febris nimirum lethargica ſimpliciter, & lethargica inflammatoria; quæ cùm non in membranis, ſed in cerebro hæreat, pulſus [s] ideo lethargicorum proprius percipitur, mollis ſcil. vndoſus, magnus, licet vacuus, & [u] intermittens potius, quàm interceptus, refrigeratæ facultatis indicio.

Status itaque huiuſce Pat. eſt periculi plenus; cùm modò in xi. nullum appareat coctionis ſignum, & copioſus ſit in capite, & venis crudorum humorum apparatus; Lethargus inſuper ſit morbus acutus; *Et morbum [x] acutum, acuto morbo ſuperuenire lethale ſit*. Ideo inter periculoſos a Gal[y]. collocatur;quinimò periculoſior cenſetur [z] peripneumonia, & phrenitide [a] lethalior; Phrenitis enim lethargum ſanat; non autem viceuerſa. Cùm autem terminus ſolutionis, ſoleat eſſe ſeptima dies, quæ imminet, cum vrinarum tenuitate, & crudis, atque fœtidis deiectionibus, exigua ſpes ſupereſt,quod per reſolutionem terminari poſſit; aliqua, per abſceſſum poſt aures; nulla verò, per ſuppurationem; cùm enim in puppi [c] potius, quam in prora cerebri fiat iſte affectus, ægrè pus per nares, per os, aut per aures expurgari poterit.

Curatio autem dirigenda aduerſus lethargum, Primò Reuellentibus, & repellentibus. Secundò, Præparantibus, Incidentibus, Attenuantibus, & Detergentibus, moderatè calidis, habita febris ratione. Tertiò,Euacuantibus ſenſibiliter, & inſenſibiliter. Quartò, facultatem ſopitam Excitantibus, Quintò,à Proprietate iuuantibus, Sextò, ſymptomatibus Occurrentibus,

Pro quibus explendis intentionibus, initio, ab Excell.Aſſiſtente ſanguis ex brachio prudentiſſimè fuit eductus, ratione imminentis inflammationis; ob quam repetita quinetiam conueniret [f] ſanguinis miſſio,non obſtante, quod lethargus [b], & peripneumonia ſanguinis fluxum non ament; locutus enim fuit Gal. de criſi per hæmorrhagiam difficili. Nec quicquam facit, quod Meſue eandem omiſerit in lethargo, phrenitidi ſuccedente. Minimè verò, quod Gal[h]. prohibeat ſanguinem, crudis abundantibus ſuccis, in febre Syncopali. Veruntamen, quoniam vires non ſatis conſtant, omiſſa venæ ſectione, ſedales aperiri poterunt, vtpote quæ à capite reuellere, & à toto [i] euacuare poſſunt; ſaphenam enim & Auic. reſerari iubebat. Cucurbitulæ quoque ſiccæ, cum multa flamma,primùm cruribus, coxis, & natibus; tandem & ſpatulis applicandæ: quinimò in caſu noſtro, cucurbitula magna, inter primam, & ſecundam colli uertebram ſcarificari poterit, Actii exemplo; cùm adſit & inflammatio, Cætera omnia genera reuulſionum, ac tandem deriuationum in uſum ducenda; & ideo pedum plantæ ſcilla ſunt perfricandæ, more Tral, Duo alia ueſicantia brachiis apponenda; imò & ſpatulis, & occipiti; namque & ipſi capiti, deraſis capillis, rubificans, ſinapiſmum ſcilicet,admouebat Actius ipſe,

Reuellentia iam ab Excellentiſſimo Adſtante adminiſtrata fuere; necnon repellantia; qualiſcunque [k] enim humor ſit, ſemper repellendus, capite deraſo, vt monet Celſus [l]. Acres clyſteres commendat Aret. non ſolum ad euacuationem; ſed & ad reuulſionem ab

ipſo

k 4. Aph. 70.
l 13. Meth. 21.
m 6. in 6. Epid. 8.
n 4. De cau. Pul. 14
o In Coac. 1.
p 3. de Re Med. 20
q 1. 3. Tr. 5. Cap. 4.
r 3. 3. Tr. 3. Cap. 7.
ſ 1. Collect. 10.
t 11. Simp. Cap. de Calor.
ſ 4. de Præſag. ex Pul 8 & 3. de Præſ. ex Pul. 9.
u 4. de Cauſ. pulſ. 13.
x 1. Acut. 8.
y 3. in 3. Epid. 5.
z 4. de Cau. Pulſ. 15.
a 6. in 6. Epid. vlt.
b 2. de Morb. 61.
c 3. de Morb. 5.
d 3. de Morb. 5.
e Auerr. 3. Collect. 40
f 11. Meth. 21.
g 1. de Criſ. 1.
h 12. Meth. 3.
i 4. de San. Tu. 4.
k 13. Meth. 21.
l Aet. & Paul.

ipſo capite, ideo clyſt. iniiciebat ſalem, nitrum, caſtoreum. **Nos autem huiuſmodi paremus.** ℞. vtriuſque centaur. chamæmeli, ſennæ an. m. ſ. pulpę coloc. in petia lig. ℈ iiij. aq. com. lib. j. ſ. m. bul. ad conſumpt. tertiæ; Colat. verò adde mel. roſ. ſol. ol. chamæmel. an. ℥ iij. hieræ pro clyſt. ʒ ij. ſalis gemmæ ʒ i. m. pro clyſt. Quos ſi non admittat, ſuppoſitoria acria ſubſtituantur hac forma. ℞. troch. alhand. diagrydij an. gr. x. ſal. gemmæ ʒ i. mellis q. ſ. m. f. ſuppoſit. n. ii. parua, cum filo. Optimum erit leniens; ſi reperi poſſit, ex melle roſ. ſol. cum manna. Sicut & præparantia ex decoct. cich. beton. maior. ſaluiæ, & hyſſopi, addito ſaltem oxymel. compoſ. Purgans quoque exhibeatur, ſi poſſibile fuerit; ut pil. de nitro Alex. cum troch. alhand. Vel quod facilius. ℞. troch. alhand. diagr. an. gr. viij. caſtorei gr. v. m. exhibeantur ex cochleari vini albi. Neque admittenda compoſitio Tral. imò & Auic. & Meſ. ex caſt. ℈ ii. & diagr. ℈ i. utpote ualidiſſima, uec proportionata pituitoſo humori; caſtoreum [m] enim etiam in ſoporoſis affectibus cautè exhibendum, nec niſi exigua exiſtente febre. [m 11. Simpl. Cap. de Caſt.]

Inſenſibiliter quoque materia diſcutienda, ac reſoluenda, in augmento decocto in oleo roſ. thymo [n], origano, pulegio, calamento. In ſtatu, addito caſtoreo, vel euphorbio. In declinatione, fricando caput iam deraſum ol. chamęmel. cum nitro, & ſinapi. Sinapiſmos enim apponebat Aet. & Gal [o]. ante ipſum. Interim inſuffletur per nares pulu. nigellæ maior. & ireos. [n 11. Meth. 21.] [o ibidem.]

Quarta intentio eſt, facultatem ſopitam excitare, in tota curatione neceſſaria. Sternutatoria proponit [p] Gal. Conueniunt & ſuffumigia, ex caſtoreo, aſa fœtida, gagate. Valent acclamationes, capillorum euulſiones. Plinius, & Aretæus proponunt crurum verberationes cum vrtica. Gordonius Serrarum, & limarum fragores. Gentilis proponit porcellos arctè ligatos in cubiculo detinendos. Aurelianus monet, proprio nomine frequenter uocandos eſſe Patientes. [p Ibidem.]

Quinta intentio eſt cerebrum roborare; quod præſtare poterunt conſeruæ beton., anthos, ſaluiæ, lauendulæ, maioranæ; & magnæ antidoti. Ex Chymicis, ol. maioranæ, ſerpylli, Quinta eſſentia roriſmarini, Extractum caſtor. ad grana, dilutum in aq. lilior. conual. & omnium maximè extollunt ſulphur Lunæ.

Tandem à proprietate iuuantia non deſpicienda. Et inter interna, caſtoreum præcellit, quo ſolo, uidit Tral. multos lethargo uictos, in potu exhibito, mortem euaſiſſe; de quo Archigenes integrum librum ſcripſit, vt refert [q] Gal. à quo etiam probatur. Extrinſecus Siſymbrium, cum aceto, capiti affuſum. Sed nos experientia compertum non ſemel vidimus, ſatureiam, cum floribus, uino incoctam, & calentem capiti admotam Lethargicos pertinaces excitaſſe. Cor, & oculi Philomelæ alligati, carnem attingentes ſomnum arcent, vt refert Nicolus; prout gemma Hæmatites, ex Alberto. [q 11. Simp. Cap propr.]

Tandem ſymptomatibus ſuperuenientibus occurrendum fuerit, quę ſolent eſſe, facultas ſopita, obliuio, vrinæ, & fæcum retentio, dentium conſtrictio, & extremorum [r] refrigeratio. [r de Inſtr. Odor. 6.]

Facultatem excitāt, præter adducta, Sternutamenta excitata. Pro obliuione, ſunt prouocandi ad reſpondendum. Vrina ſolicitetur paleę fruſtulo fiſtula urinaria irritata, fæcum excretio, acri ſuppoſitorio. Saliua linteolo lineo ex ore detergenda. Cochleari, ſæpè dentes diducendi, & os apertum ſeruandum; ac tandem extrema calefacienda, ut docet Hipp [s].

Victus rationem quod attinet. Aer cubiculi ſit moderatè calidus, odoribus alteratus, ſplendidus, non [t] tenebroſus. Victus medius cum Aretæo, tenuis & attenuans, cum alijs. Condiantur cibi aceto, & cinnam. cauendo ab emulſ. amygd. dulc. à Tral. propoſita. Vinum in declinatione, concedendum. Sic Tral. ubi morbus concoqui cœperit; ita Celſus, & Aet. Sic Hipp [u]. ait. *Vinum album vinoſum poſtea bibendum dato*. Aquoſum caput replet, nec reſoluit; vinoſum verò adiuuat coctionem, & materiæ reſolutionem. Interim potus ſit mulſa, ex aqua hord. parata, & cinnam. condita. Tandem, ad iram frequenter prouocetur æger. Faxit Deus, ut iam dicta omnia abundè ſint à nobis propoſita, atque paucioribus Vir generoſus priſtinæ ſanitati reſtituatur. [s 3. de Morb. n. 5.] [t Ad Traſib. 22. ſic Aret. & Aet.] [u 2. de Morb. 70.]

COMA

XXIX.

COMA SOMNOLENTVM.

NObilis Adoleſcens, 25. annum agens, temperamenti totius, & iecoris, calidi, & humidi, humidioris capitis, & imbecillis ventriculi, ſanguine in toto abundans, ſed ad obeſitatem potius vergens, & antehac pituitóſis uomitibus frequenter obnoxius, hoc anno ex toto ſuppreſſis; poſt errores in meri potibus, & edulijs ex lacte paratis, captus eſt febre magno calore, æſtuque comitata, capitis dolore, rubore faciei, & in ſomnum diuturniori, atque intenſiori delatione; perſeuerauit enim uſque ad hanc quartam diem, prout adhucnum perſeuerat, & augetur, adeò ut continuò dormire cupiat, imò & dormiat; qui tamen, ſi expergeſiat, reſpondet ſomniculoſus, & ſtatim rurſus in ſomnum delabitur. Febris parum, imò nihil remitti videtur; pulſus magnus, frequens, mollis. Vrinæ ad ruborem vergentes, potius ramen tenues. Medicus familiaris accerſitus leniens præſcripſit; & brachii uenam aperiri iuſſit. Veſicantia duo coxis apponi curauit; Præparantibus, & alterantibus uſus eſt. Modò nos de agendis Domeſtici conſulunt.

a 2. De diff. Feb. vlt. & 1 4. Tract. 2. Cap. 44.
b 2. de Criſib, 6.
c 11. Meth. 14.
d 9. Meth. 3

Febrem hanc, Nob. Adoleſcentem, quatuor ab hinc diebus, [a] continuò, & æqualiter diuexantem, continentem eſſe, Synochum ſcil. illamque [b] homotonam, non eſt quod dubitemus; hanc enim oſtendit acceſſionis modus, & confirmant uita anteacta, habitus [c] ſanguine abundans, ætas [d] iuuenilis, temperamentum calidum, & humidum; & præterea rubor faciei, pulſus magnus, frequens, mollis, vrinæque ſubrubræ. At quoniam habitus eius quodammodo ad obeſitatem uergit, licet plurimo ſanguine abundet; ſanguinem tamen quodammodo pituitoſum eſſe, non ſine ratione cenſemus, idque non ſolùm ob aſſumptorum conditionem, ſed multò magis ob capitis naturalem humidam intemperiem, & ventriculi imbecillitatem; dum enim catarrhalis humiditas in uentriculum deſcendit imbecillum, coctiones turbat, indeque iugis cruditatum prouentus, quarum portione à iecoris calore tracta, & à meri potibus in uenas perducta, ſanguis quidem producitur, ſed pituitoſior; quibus addita conſueti pituitoſi vomitus ſuppreſſione, & eiuſdem excrementi ad hepar tranſmiſſione, obſtructiones ſubortæ ſunt; ſicque impedita tranſpiratione, calor putris redditus in ſanguine ipſo corruptelam accendit, & febrem, Synochum quidem, & continentem, ſed tamen ſpuriam excitauit; ſicut enim ſpuria fit Synochus, ex abundantia bilis in ſanguine, *quæ Synochus quodammodo bilioſa* [e] à Gal. nominatur; ita in caſu noſtro, ex pituitoſi excrementi in ſanguine præſentia, Synochus ſpuria, quodammodo pituitoſa dici poteſt.

e 2. de Criſib. 12.

Habet autem ſymptoma ſomnolentum ſibi annexum, quod potius concomitans, quàm ſuperueniens cenſeri, & appellari poteſt; cùm febris ſtatim ab initio, cum capitis dolore, & ad ſomnum delatione inuaſerit, quæ modò ad ſomnum quoq. peruenit; inualeſcente quotidie magis, non ſolùm ad ſomnum delatione; uerùm & ipſo ſomno, quaſi Comatis conditionem excedat; cùm ex Gal. [f] Comatis nomen idem importet, ac delatio in ſomnum. Verùm quoniam Gal. idem aſſerit, [g] quod Hipp. Coma appellare ſolebat Cataphoram, ſiue ſomnolentam, ſiue non ſomnolentam (Coma [h] enim, & Cataphora, à ſymptomate ita dicta, ſynonyma ſunt) ideo & nos, hunc affectum, Coma ſomnolentum appellare poſſumus. Hoc autem lethargicum eſſe credendum, quia cum febre, imò non ſolùm legitimum, quia nunquam in ullo ſtatu febris remittit; uerùm & exactè legitimum eſſe cenſemus; adeò ut non a pituita in cerebro putreſcente, ſed ab inflammatione ędematoſa, ac pituitoſa, [i] in anteriori cerebri parte exiſtente, proueniat; unde anceps quodammodo ſit febris origo; licet eandem nos putridam, & eſſentialem exiſtimemus, ita ut affectus iſte Coma ſomnolentum lethargicum ſit appellandus; prout, ſi febris ſymptomatica eſſet, coincideret cum ipſo lethargo. Non eſt tamen negādum, quinimò aſſerēdum, ad febrem eſſentialē, ſymptomaticam etiam accedere. Atque adeò, ſicut huius affectus Comatoſi cauſa immediata eſt ſemper anguſtia aliqua in cerebro, ob quam ſit, ut ſpiritus animales effundi, ac permeare non poſſint; unde fit imminutus ſenſus, & motus; ita huiuſce anguſtiæ cauſa, in

f Lib. de Comate 1. & 1. in 1. Prorrh. 1.
g De Comate 2.
h 2. Meth. 2.
i 1. in 3. Epid. 7.

noſtro caſu,non eſt ſubſidentia k; quia non præceſſerunt cauſæ, ſpiritus animales, & calidum innatum reſoluentes; neque conniuentia, ob ſolam humiditatem neruos laxantem; febris enim non adeſſet; ſed eſt obſtrutio grauans, vtpote proueniens à copia pituitoſi ſanguinis,ab imbecillitate vẽtriculi,& prægreſſa uictus ratione,nimirum lactis vſu, & ſuppreſſo eiuſdem pituitoſi excrementi uomitu conſueto. In caput verò præhumidum facilè quoque efferri potuit,præſertim à meri potibus conſuetis; ſicque l primò cerebrum molle reddendo, grauando, meatus ſemiobſtruendo, dolorem grauantẽ,& in ſomnum propenſionem inuexit,cui tandem ex inflammatione ab eo excitata, ſomnus quoque Comatoſus iam deſcriptus ſucceſſit.

k 1. in 3. Epid. 7.
l 3. in 3. Epid. 61 & 2. de Loc. Aff. Vlt.

Horum affectuum complicatio, periculum euidens huic Nob. Iuueni minatur; febres enim cum Comate acutæ, atque m malignæ eſſe ſemper conſueuerunt; Coma verò, cùm exactè exquiſitum ſit, & ab incepta inflammatione proueniens, lethale n facilè euadet, niſi ſurditas o accedat, indeque Parotides erumpant; vel quod meliùs, retrocedant humores, & cerebri inflammatio reſoluatur.

m 2. in 1. Prorrh. 42.
n 3 in 3. Epid. 45.
o 1. in 1. Prorrh. 76. 77.

Pro horum affectuum curatione, modicè refrigerandum, humores reuellendi,repellendi, præparandi, euacuandi, diſcutiendi;& tandem caput roborandum,& præ omnibus,continuò facultas excitanda.

Et in Chirurgico fonte, ſi conſideretur ſanguinis miſſio, ex altero brachio repetendam eſſe cenſeo; iuuenis enim eſt, vireſque validæ, & febris continens, cum affectu inflammatorio, in parte principe, additque animos Aetius p, qui narrat, quendam ex hoc morbo, ſubitò ſolo, & copioſo ſanguinis profluuio è naribus liberatum fuiſſe. In progreſſu verò, ita exigente morbo, & permittentibus uiribus, venæ quoque ſedales aperiri poterunt. Cucurbitulas ſcarificatas dorſo, ſcapulis, & occipiti, non parum prodeſſe aſſerit ipſe Gal q. Cataphoricos enim excitant. Et progrediente inflammatione, duo alii phœnigmi, brachiis applicandi. Iam abraſum eſt caput, cui medicamenta præter repellentia, ordine infrà dicendo, erunt admouenda.

p Tetr. 2 Ser. 2. C. 6.
q Lib de Cucurbit.

Et primò, omni arte reuellendi vapores, & humores à capite; in quem finem, Clyſteres potius acres conueniunt, tum vt maior ſequatur à capite reuulſio, tum vt excitetur ſopita facultas. ℞. decoct. malu. betæ, mercurial. chamæm. lib. i. mel. roſ. ſol. olei chamæmel. an. ℥ iij. elect. diaphœn. ℥ ſ. ſalis parum, vitel. oui. m. pro clyſt. Interdum ſuppoſitorium ita paretur. ℞. troch. alhand. ℈ ſ. ſalis gem. ʒ i. hieræ magnæ ℈ i. mel. q. ſ. m. f. ſuppoſ. n. ij. cum filo. Ante ſeptimam, & antequam grauior ſopor obrepat, rurſus pituitoſæ materiæ antecedentis euacuatio erit procuranda potione, utpote familiari, ex melle roſ. & manna calabr. cum tartaro, cui mulſa ſuperepota idonea foret. Præparantia erunt quotidie exhibenda, & in ijs dilutum oxymel. Neque alterantia omittenda, iura ſcilicet cichor. borrag. beton. ſalu. alterata; commodius verò erit alterans, ex aqua ſtillat. cichor. borrag. & beton. paratum. Ex cordialibus, Aqua Excel. Saxoniæ, cum elixir uitæ, bis in die, exhibenda.

Vt autem excitetur Patiens, hora ſaltem, qua cibus, aut medicamenta ſunt præbenda, amoueantur phœnigmi, pedum plantæ perfricentur, & r ſternutamentum excitetur, puluere inſufflato intra nares, ex maiorana, iride, & nigella.

r 13 Meth 21.

Dum iam dicta fiunt, materia in capite attenuanda, & inſenſibiliter reſoluenda, naribus apponendo ſpongiolam aceto imbutam, alterato maiorana, ſaluia, & ſatureia. Oxyrhodino chamæmelinum addendum,in quo folia ſerpylli macerentur. Clyſteres acriores, vel ſuppoſitoria repetendo.

Quibus non obſtantibus, ſi ſomnus perſeueret profundior,tria agenda occurrunt. Primò purgans medicamentum exhibendum, ex pulu. vtpote faciliùs parandum. ℞. troch. alhand. diagrydij an. gr. viij. caſtor. gr. v. m. Secundò cucurbitula magna, & ſicca occipiti applicetur,plurieſque repetatur. Tertiò, ſinapiſmus capiti apponatur, præmiſſo fotu, ſpongia magna tepida, imbuta, & expreſſa decoct. maioran. ſerpylli, ſatureiæ, betonicæ, in vino albo;quibus omnibus ſquilla tandem addi poteſt. Aliqui euphorbium quoque addunt, & caſtoreum. Verùm & inflammationis, & maximè febris ratio habenda, vt nos monet ipſe ſ Gal.

ſ 11. Simpl. cap. de Castor.

Et niſi iam dictis omnibus cedat affectus, deſperata res eſt; tuncque parum, & ſæpè æger nutriendus, pulli inſtaurante, vino albo dulci immiſto,vt ad cibum capiendum prolectetur.

Victus ratio ad tenuitatem incliner, & quodammodo ſit attenuans; acetum ideo

& pri-

& ptiſanæ, & vitellis ouorum in iure diſſolutis, ſemper addendum. Vinumque in declinatione, meliori rerum ſtatu, concedendum foret. Deus verò O. M. omnibus præſit, & ſalutaria reddat.

XXX.

COMA VIGIL.

VIr Nobiliſs. 35. annum agens, temperamenti totius, iecoris, & capitis calidi, & humidi, meri potibus aſſuetus, capitiſque doloribus obnoxius, poſt validum exercitium, Veris tempore, ſub radijs ſolaribus febre correptus fuit, cum horroribus inæqualibus, quos æſtus inſignis fuit ſubſequutus, cum difficili tolerantia, moleſta ſiti, capitis dolore, totiuſque laſſitudine, potius vlceroſa; quæ omnia inde parum remiſſa, tertia die, ſimul cum febre exacerbata fuere. Quare Pat. magis repleto capite, atque ideo facie rubore perfuſa, parumper delirauit, cum quadam in ſomnum delatione; quibus adauctis, ſomnolentus factus, oculis conniuentibus, ſomnum quidem captare videtur, attamen dormire nequit, mox interrogatus iterum excitatur, & reſpondet, inepta loquitur, & agit; nam corpore incompoſito dimouetur, è lecto ſurgit, moxque iterum decumbit, & clauſis oculis ſomnum quærit. Pulſus quoad dimenſionem, mediocriter ſe habent; quoad motum verò, inæquales, & frequentes, cum aliqua celeritate; quoad inſtrumentum, tactu duriores percipiuntur; quæ tamen durities, dum ad ſomnum inclinat, quietuſque manet, laxari videtur. Vrinæ ab initio rubræ, mox flaueſcentes, in præſens verò non valdè coloratæ, & potius tenues apparent. Medicus domeſticus, ſtatim accitus, impoſito clyſtere ſanguinem ex brachii vena detrahi iuſſit; deinde minoratiuum præbuit medicamentum, indeque rurſus ex altero brachio ſanguinis miſſionem repetiit; phœnigmos duos coxis apponi uoluit; alterantia, & præparantia opportuna præſcripſit; nihilominus prope ſeptimam, nullum leuamen, imò febris, atque ſymptomatum augmentum potius obſeruatur. Quare nos, de agendis acturi accerſimur.

Febris, qua premitur Nobiliſs. hic Patiens, de ſynochorum genere cenſenda eſt, ſi primò res præter naturam conſideremus, nimirum æſtum inſignem, & ex eo iactationes, moleſtam ſitim, capitis dolorem, faciei ruborem. Secundò, res nonnaturales, nempè meri potū conſuetum, & validum exercitium ſub radiis ſolaribus peractum. Tertiò & res
a 11. Meth. 14. naturales hanc eandem atteſtari poſſunt, iuuenilis [a] ſcil. ætas, totius, & iecoris tempera-
b 9. Meth. 3. mentum [b] calidum, & humidum. Verùm quoniam febris tertia die exaſperati viſa eſt, cum laſſitudine potius vlceroſa, quàm phlegmonoſa; pulſus aliquam celeritatem, atque duritiem præſeferunt; vrinæ ab initio quidem rubræ, ſed paulò poſt flaueſcentes redditæ ſunt; ideo Synochum hanc, non legitimam, ſed ſpuriam eſſe cenſemus, propter bilem exuberan-
c 2. de Criſib. 12. tem, ex illis videlicet ſynochis, quas quodammodo bilioſas appellabat Gal. [c] quæ inter Synochos, & ardentes medium locum tenere ſolent, vtpote ortæ ex bilioſo ſanguine in venis, cum corde, & faucibus magnum conſenſum habentibus.

Capitis autem affectus, qui poſt continuum dolorem, febri tertia die ſuperuenit, delatio ſcilicet in ſomnum, cum vigiliis, atque delirio, comatoſus dicendus eſt; comatis enim
d De Comate 1. nomen [d] idem ſignificat, ac delatio in ſomnum; quod clariùs expreſſit Gal. idem dicens [e].
e 1. in 3. Epid. 7. *Coma, ideſt Sopor, eſt affectus ille, in quo indicatur propenſio, ac delatio in ſomnum, cum vigilare ægri nequeant, non apertos habentes oculos, ſed conniuentes, vel altis ſomnis, vel tenuibus, vel vigi-*
f De Comate 2. *lijs detineantur*. Ideo & Hipp. ex eodem Gal [f]. Cataphoram ſomnolentam, & non ſomnolentam, Coma appellare conſueuit. Hoc autem Coma Vigil eſt, & non pigrum; dum enim uocatur Patiens, aperit oculos, ſeſe cum impetu, atque violentia mouet, atque delirat; in pigro verò Comate Vigili, Patientes ægrè reſpondent, & ſtatim rurſus oculos claudunt, delirantes.

Cauſa huius affectus poteſt quidem eſſe materia vaporoſa, inæqualiter in cerebro contenta; ſed in caſu noſtro, humoroſa eſt, qua continuus, non autem modò accedens, modò recedens eſt affectus. Inæqualitas autem hæc in cerebro, ſæpè prouenit à miſtione pituitæ

cum

cum bile; vnde tertius emergit affectus, ex phrenitide, & lethargo compoſitus, à Gal.[g] exactè deſcriptus, quem antiquiores Typhomaniam appellabant; attamen in hoc caſu inæqualitas ſit à miſtione ſanguinis [h] cum bile; cùm enim totum venoſum genus ſanguine abundet, ab eodem excalefacto, & putrefacto, vapores primò eleuabantur ad caput à radiis ſolaribus incaleſcens, qui quantitate, & qualitate continuum ſoluentes dolorem excitabant; ſed perſeuerante ebullitione, atque putredine, à bile ſurſum elati, ſua copia aggrauant, comprimunt, anguſtiam inducunt, & in ſomnum delationem; ratione verò bilis, vigilias, & delirium excitant; quæ omnia in anteriori potius, quàm in poſteriori cerebri parte fieri docuit Gal. [i] dicens *Soporoſus fit homo, humectata parte, quæ ſenſuum fons eſt*; Et ita Coma Vigil erit affectus Typhomaniæ, ex phrenitide, & letargo compoſitæ non abſimilis.

g 4. de Cauſ. Pulſ. 15. & de Pulſ. ad Tyr. 11.
h 1. in 2 Prorrh. 1.
i 1 In 3 Epid. 7.

Febris hæc, tempore tertia die ingraueſcens, cæteris continuis periculoſior habenda; imò maligna propter ſuperueniens ſymptoma. Vnde Hipp. [k] *Febres cum Comate, labore, lucis turbulentia, vigilijs, ſudoribus, malignæ.* Coma namque Vigil facilè in phrenitidem ex vſu calefacientium; vel in lethargum ex vſu refrigerantium degenerat. Sic, [l] *nullus Phreniticorum vehementer inſaniuit; ſed alia quadam veternoſa in ſomnum delatione, capite grauati peribant.*

k 2. in 1. Prorrh. 42.
l 3. in 3. Epid. 45.

Pro curatione itaque huiuſce febris, cum Comate vigili, medicæ intentiones erunt, refrigerare, & humectare, præparare, & euacuare, reuellere, repellere, reſoluere, & roborare.

Et in fonte Chirurgico iam bis aptiſſimè detractus fuit ſanguis ex brachiis; modò tranſacta ſeptima, tertia vice educatur ex venis ſedalibus, & tandem, pro deriuatione, cogitandum erit de hirudinibus retro aures applicandis; ante quarum uſum duo alia veſicantia brachiis ſunt apponenda. Cucurbitulæ quoque ſcarificatæ, priùs dorſo, mox ſcapulis, ac tandem occipiti locum habebunt.

Pharmaceutica remedia talia eſſe poterunt. Primò clyſteres ita parentur. ℞. decoct. malu. mercurial. chamæm. lib.i. ſyr. roſ. ſol. ol. chamæm. an. ℥. iij. elect. de ſucco roſ. ʒ iii. uitel. oui, ſalis parum, m. pro clyſter. Oxyrrhodinum ſit huiuſmodi. ℞. ol. roſ. ℥. iij. aceti roſ. ℥. i. m. Diligenter autem obſeruanda ad ſomnum propenſio, vel ad vigilias, & oxyrrhodinum in progreſſu opportunè mutādum ita vt in febris aceſſione ſit magis repellens, in declinatione magis reſoluens; & ita ſepè mutanda oxyrrhodina, pro affectus mutatione, adeò ut ambo in æquilibrio ſeruentur, quouſque ſimul remittantur. Lenientia interim repetenda ex ſyr. roſ. & manna clarif. vel ex flor caſs. cum tart. quibus ſuperbibat aquam Nocerianam, aut hordeaceam, quæ primi quoque alterantis loco eſſe poterit, addito ſyr. vel conſerua de acido citri; ſicut ſecundum alterans erit decoct. cichor. borrag. acet. beton. vel aqua ſtillar. borrag. & beton, addito ſyr. acetoſo.

Cordialia quoque ſemper toto mali progreſſu ſunt exhibenda. Et in ſtatu, magiſque in declinatione, reſoluentia capiti apponenda, infundendo ſerpyllum in oxyrrhodino, applicata quoque ſpongia madefacta, mox expreſſa, in decoct. beton. chamæm. puleg. ſerpyl. ſatureiæ. Spongiola quoque naribus admoueatur aceto madefacta, in quo ſerpyllum fuerit infuſum. Non cedente uerò malo, purgans exhiberi ſolet, extremis enim morbis extrema remedia adhibenda. Sic tendente ad phrenitidem affectu, exhibeatur diagrydium cum caſtoreo; prout ſi ad lethargum, addantur dictis trochiſc. alhand.

Victus ſit ad tenuem inclinans. Ptiſanam, & apomel præbet Aetius. Nos addimus ex pullo inſtaurans, aut oui vitellum. Vinum in declinatione tantùm conuenit, ad humorum concoctionem, ac expulſionem, nec non materiæ in capite reſolutionem. Quę ſatis pro præſenti affectu.

XXXI.

COMATOSVS AFFECTVS.

PErduraſſe febrem in Reuerendiſs. defuncto, qua primò correptus fuit, abſque recidiua credimus, eamque continentem; aut ſi periodica fuerit, ad continentis ſaltem naturam acceſſiſſe (exacerbationes enim, aut nullæ, aut obſcuræ valdè fuere) & ex humorum miſtorum in venis ſupra iecur, corruptione proueniſſe exiſtimamus; calidum enim eius temperamentum, ingenij acumen, ad operationes promptitudo, & alacritas, ac amplitudo venarum abundè id nobis ſignificare potuiſſe mihi videntur; prout neceſſariò aliquam exuſtionem, melancholiæ ſcilicet præſentiam, ſtudia, & frequentes, imò continuæ curæ, potiſſimum hoc temperamento calido, & ſicco; quibus facilè ſucceſſerunt quoque cruditates, ob calorem à ventriculo diſtractum, & auocatum, necnon ſenilem ætatem. Huiuſmodi autem febres, niſi terminentur in ſeptima, acutiſſimos, maximos, & grauiſſimos morbos ſecum ducere ſolent, vt notauit Gal[a], & deſumpſit fortè ab Hipp[b]. dicente. *Quod morbi qui ad febres continentes conſequuntur, ſunt maximè acuti, & accidunt laborioſiſſimi, qui plurima tutela, & exactiſſima curatione egent; & ſi quidem, rectè curante Medico, præ magnitudine morbi ſuperetur æger, medici culpa non eſt.* Hæc Hipp. atque ita, ſymptoma quoque, quod ſuperuenit, febris naturam confirmauit.

a 3. in 1. Epid. 3.
b de Aff. n. 12.

Quale autem fuerit hoc ſymptoma, vt certò ſtatueretur, uberior, verior, & magis diſtincta deſideraretur relatio; quanquam forſan eius naturam, ex tranſmiſſo diſcurſu, ſi non ex ſcheda, elicere nobis dabitur. Er primò quidem, ſi de lethargo loquamur, hic ſomnum profundum[c] annexum habet; pulſum præterea mollem, magnum, & vndoſum[d], nec in huiuſmodi febribus contingere ſolet, niſi tardè, aut poſt pleuritidem, aut nonniſi conſumptis calidis humoribus, uel ſaltem diminutis.

c 2. Aph. 3.
d 4. de Præſ. ex Pulſ. 8.

Verùm neque legitime catalepſis adſunt indicia; duos enim ego toto meæ vitæ curſu Catalepticos vidiſſe memini; quorum alter derepente, xx. alter verò xxvij. rigidi manſerunt, apertis oculis, cùm immobilitate palpebrarum, oculorum, & tòtius corporis; altero tamen ſaluo, altero mortuo. *Fit[e] enim huiuſmodi affectus ab immobilitate ſpirituum animalium, cum duritie neruoſæ ſubſtantiæ proueniente ab intemperie frigidà, & ſicca: hæcque ante febrem paulatim introduci ſolet à vigilijs, ſtudijs, curis, exercitationibus*; non quidē in parte cerebri anteriori, vt falsò in ſcheda habetur; verùm in poſteriori[f], vt etiam habemus ex Aetio.

e 2. Aph. Com 3.
f 4 de Loc. Aff. 2.

Hæc autem eſt ſtupida illa inſania, ex lethargo, & phrenitide conſtans, de qua loquutus Hipp. quam Gal. Typhomaniam[g] appellauit; cum ex ſcheda, cognouerit, & faſſus fuerit æger ſe incidiſſe in febrem, ſomnum, & memoriæ læſionem, quia à Medici præceptis diſceſſerit. Quare credendum prius fuiſſe catalepſin, minus propriam illam, & ſpuriam, quæ Cataphora quoque appellari poteſt; cui cum comate ſomnolento affinitas eſt; cùm Coma de vtraque Cataphora[h] prædicetur, vigili ſcil. & potiſſimum ſomnolenta; & tandem Comate lethargico, Reuerendiſſimum obijſſe.

g 4. de ... Pulſ. 15.
h de Comate. 2.

XXXII.

CARVS.

VIR quinquagenarius, temperamenti totius calidi, & humidi, capitis
humidi, & excrementitij, per nares materiam mucilaginoſam frigi-
dam expurgare aſſuetus, habitus potius ad obeſitatem, quàm ad ple-
thoram vergentis, copioſis meri potibus indulgens, poſtremis hiſce
annis, ob extinctam familiam, uxorem iuuenculam duxit, eamque
fœcundam, quæ proſapiam ab interitu reuocauit. Hic autem multis
abhinc menſibus, de capitis grauitate conqueri cępit, & conſueta mu-
coſæ materiæ per nares expurgatione imminuta. Somniculoſus quo-
que præter conſuetudinē factus eſt, & decubitus valdè amans. Acceſſit
inſuper quædam ignauia ad propria negotia obeunda, & merces expediendas; unde exer-
citio intermiſſo domi ſemper manet, ventri tamen, nec Veneri parcens. Quare tandem
heſterna die, capite grauatus, ſtatim à prandio decubuit, & ſomno ſe tradidit, & adeò qui-
dem profundo, ut uſque in hanc horam matutinam nunquam ſit expergefactus. Et quo-
niam neque expergefieri poteſt; ideo eius vxor, & cognati nos acceſiuerunt; qui Pat. inue-
nimus profundiſſimo ſomno ſepultum, neq; clamoribus, neque vociferationibus reſpon-
dentem; quinimò nec punctum moueri, aut ſentire, ſed oculis clauſis dormire, ſine ſter-
tore, & ſpirandi difficultate, ſine febre, motibus conuulſiuis, & ſine corporis rigidita-
te, cum pulſu magno, & ualido, atque florido faciei colore. Pro quo ita conſultum
fuit.

Profundiſſimus ſomnus, quo prehenſus iacet egregius iſte Mercator, ille eſt, quem Ca-
rum Græci, Soporem, ſiue Veternum Latini, Marcorem Celſus, Gal. Caroticum appel-
lat; de quo Aetius [a] dicebat, quod in Caro, ſomno profundiſſimo detinentur, ita ut, ſi — a Tetr. 2. Ser. 2. C. 5.
pungantur, nec loquantur, nec oculos aperiant; quod deſumpſit à Gal. dicente. [b] *In Caro* — b 2. in 1.
licet ſtimules, ferias, & inclamites, nihil reſpondent, nec expergefiunt. Caroticos autem mu- — Prorrh. 29.
tos [c] nominare conſueuit Hipp. Quare actiones omnes principes vnà cum ſenſu, & motu — c Ibidem.
abolitas eſſe omnino aſſerendum. Et quoniam noſter Patiens obſeruatur ſine [d] ſpirandi — d 4. de Loc. Aff. 2.
difficultate, & ſtertore, ſine [e] febre, motibus [f] conuulſiuis, & ſine corporis [g] rigiditate, — e 13. Meth.
cum pulſu magno, [h] & valido, atque florido faciei colore; ideo ab omnibus conſimilibus — 21.
affectibus facilè diſtingui poteſt. Et primò quidem ab Apoplexia, in qua læditur reſpira- — f 3. de Loc.
tio, & cui Paralyſis ſuccedere ſolet. A lethargo, in quo ſemper febris præſens. A Comate — Aff. 7.
lethargico, in quo non abolentur actiones principes, nec ſenſus, & motus, & quo interro- — g 2. in 1. Prorrh. 56.
gati Par. reſpondent. A Catalepſi, in qua rigent ægri, oculoſque tenent apertos. Ab — h 12. Meth. 5.
Epilepſia, per motus conuulſiuos. A Syncope tandem per aſphyxiam, & totius floridum
colorem.

In hoc affectu, cùm principes omnes actiones, vnà cum ſenſibus, tum internis, tum ex-
ternis, non ſolùm lædantur, ſed prorſus aboleantur, cerebrum ideo neceſſariò affectum
eſſe cenſendum, & quidem magis, ſecundum anteriorem, quàm poſteriorem eiuſdem — i 4. de Loc.
partē; ita Gal. ſcribit quod, [i] *Si tota anterior cerebri pars patitur ſupremum ipſius ventrem ei con-* — Aff. 2.
ſentire neceſſe eſt, atque mentis quoque actiones vitiari; hæcque paſſio Caros vocatur. Afficitur au-
tem cerebrum immediatè, ab inſigni anguſtia ventriculorum anteriorum, & medij; quo-
rū ratione omnium primò tollitur imaginatio; vnde Gal. [k] Carum appellabat Paralyſin — K de Symp. Diff 3.
imaginationis; dum autem auſertur imaginatio, & ratiocinationē quoque, & memoriam
tolli neceſſe eſt; nam niſi offerantur phantaſmata, nec ratiocinari certè, nec memoriæ
quidquā mādare quis poteſt; unde ablatis ſenſibus externis, neceſſariò aufertur imaginatio, — l 2. de Artic. Co. 20
qua ablata, tollitur, & ratio, & memoria. Ideo Gal. dicebat, quod in Caro, non ſolùm
corrumpitur ſenſus, & motus voluntarius; ſed etiam ratiocinatio, & memoria; vnde con-
cludit, [m] Carum eſſe ablationem imaginationis, & diſcurſus, dum ſubdit, *Supremum ventrem* — m 4. de Loc. Aff. 2.
conſentire. Nec obſtat Hiſtoria à Fernel. adducta, de Carotico illo, qui poſt acceſſionem
puncturæ recordatus fuit; fuit enim ille Carus imperfectus, non autem exquiſitus. Angu-

n 2. de Symp. Cau. Vit.
o Ibid. & 7. Aph. 14.
p 2. in 2. Prorrh. 13.
q 4. Acut. 23.

ſtia igitur inſignis, potiſſimum in anteriori, & medio cerebri ventticulis, eſt immediata Cari cauſa, quæ quidem à plurimis mediatis pendere poteſt. Et primò quidem à denſirate [n] ex frigiditate inducta. Secundò, à compreſſione [o], ex mala terebratione, aut ictu. Tertiò, à ſubſidentia, ex ſpirituum [p] reſolutione, vel retractione, in morti proximis, aut doloribus vehementiſſimis. Quartò, ab obſtructione, ut in caſu noſtro; quæ licet aliquando à ſanguine prouenire poſſit, vt Paulus, Aetius, & Auic. ab Hipp [q]. deſumpſerunt; in præſenti tamen, facta eſt obſtructio ab excrementis pituitoſis, ac glutinoſis, tum à cerebro natura perquàm humido genitis; tum in toto venoſo genere quodammodo obeſo, & cruditatibus ſcatente, aceruatis, atque ab otio, cibo multo, & coitu non parum adauctis, necnon à meri potibus facilè ad caput elatis, neque ut antea expurgatis; vnde Gal. dicebat, quod [r]. *Eadem eſt materia cauſans Carum, & cauſans lethargum, at differt ſolùm, quod in lethargo, putreſcit; in Caro non*. Sua ſiquidem mole onerabat ſolùm, & humectabat præteritis menſibus, cerebrum; vnde Pat. conſueto ſomniculoſior factus eſt; ſed tandem adaucta, & in ventriculis cerebri firmata, obſtructionem, & inde inſignem anguſtiam induxit, vnde Carus; à qua tamen anguſtia, licet inſigni, non tollitur reſpiratio, prout in Apoplexia; quoniam vt conſiderabat Doctiſſimus Valeſius [ſ], in Apoplexia, non ſolùm cerebri ventriculi obſtruuntur; ſed obſtruitur quoque ipſa eiuſdem ſubſtantia, quæ cum ſit neruorum radix, & principium proceſſus eorundem, & influxus ſpirituum, mirum non eſt, ſi lædatur reſpiratio; quam opinionem deduxit à Gal. dicente [t]. *Verùm, in ſopore, & morbo comitiali, ventres magis cerebri, corpus minus; In Apoplexia verò, corpus magis pati ſolet*. Et hæc eſt vera ratio, quicquid dicat Auet. de arteriarum obſtructione; ſiue Mercurialis, cum Peripateticis, de cordis à cerebro perfrigeratione.

r 4. de Loc. Aff. 2. & 13. Meth. 21.
ſ 5 Contro. uerſ. 15.
t 4. de Loc. Aff. 2.
u 2. Aph. 3.

Si [u] *ſomnus, atque vigilia, vtraque modum exceſſerint, malum eſt*, Carus peſſimus erit, cùm multùm naturæ modum excedat, eſt enim lethargo profundior, imò profundiſſimus ſopor, qui grauior redditus, in Apoplexiam ferè ſemper degenerare ſolet, ac magis magiſque reſpiratione læſa, in interitum; ſi verò leuior fiat, in affectum Comatoſum declinat. De Apoplexia autem, & interitu, dubitandum in Patiente noſtro; altas quippe, & naturales habet affectus iſte radices, cum crudo, & pituitoſo, tum in capite, tum in toto venoſo genere, apparatu, & natiui caloris imbecillitate. Omnia tamen agenda; nam ſi fortaſſe accederet quoque febris [x], ad pituitoſi humoris attenuationem, atque reſolutionem non parum conferre poſſet.

x 5. Aphor. 5.

Medela autem duplex eſſe debet, Curatiua, modò in acceſſione; & Præſeruatiua, extra acceſſionem

Pro curatione, primò facultas eſt excitanda. Secundò, humorum influxus à capite diuertendus. Tertiò, iam fluxi attenuandi, diſcutiendi, & quoquopacto è capite educendi.

Pro præſeruatione verò, calefaciendum, attenuandum, euacuandum, frigida, & humida capitis intemperies corrigenda; & tandem roborandum. Sed de hac aliàs.

Curatio itaque tentanda, primò facultatem ſopitam excitando ſternutatoriis, puluere per nares inſufflato ex nigella, maiorana, iride, & nicotiana parato. Suffumigium ex barba hircina naribus admoueatur. Nares pariter illinantur oleo de caſtoreo, cum ſucco rutæ. Fiant frictiones aſperæ, ligaturæ arctæ. Facies aſpergatur aceto roſ. cuius guttula angulis oculorum inſtilletur. Sed & ferro ignito occiput tangendum.

Secundò, humorum influxus à capite diuertendus, cucubitulis ſiccis cruribus applicitis; phœnigmis, coxis, brachiiſque appoſitis; acribus repetitis ſuppoſitoriis.

Tertiò, attenuatio, atque diſcuſſio procuranda. Sic nares illinantur theriaca, cum caſtoreo, & aceto ſquillit. vt Platerus. Capiti deraſo apponendum oxyrrhodinum, ex ol. chamæm. & aceto ſquillit. Vel empl [y]. ex ſucco apii, cum aceto forti, addito caſtoreo; ac tandem, ſinapiſmus coronali apponendus; præmiſſis tamen fomentis, ſpongia magna, decoct. imbuta, & expreſſa, ex ſatureia, thymo, calament. origano, pulegio, in vino maluatico. Nec quicquam de ſanguinis miſſione cogitandum in hoc affectu curando, niſi ab interceptione venarum procedat; tunc enim per [z] ſectam venam ſanguis educitur, ut monet Hipp.

y 1. de Symp. Cau. 8.
z 4. Acut. 24.

Hæcq; ſufficiant, cùm plurium remediorum Patiens capax non ſit. Interim aer cubiculi, ad calidum, & ſiccũ vergat, calidis ſuffumigiis alteretur, ſitq; lucidus. Cibus ſit pulli inſtaurans, aromatibus cõditum, Ouorum recentium lutea, aceto diſſoluta. Vinum non offeratur, niſi in declinatione, quia narcoticum. Aluus ſolicitetur ſuppoſitoriis & clyſteribus acribus, ſi iniici poſſint. Quibus nos muneri noſtro ſatisfeciſſe abundè putamus.

CARO-

XXXIII.

CAROTICVS, ET VERTIGINOSVS Affectus.

REuerendiſs. Veſtalem feruidum ſemper habuiſſe iecur, ac proinde calidum ſanguinem, atque tandem conſiſtenti ætate, exuſtum, teſtatur abundè tumor, qui 45. ætatis anno in dextera mamma ſuccreuit, carcinomatoſam naturam redolens, & ideo à refrigerantibus medicamentis imminutus. Verùm quoniam iecoris calida intemperies, in hac Reuerendiſſima Pat. naturalis, ab animi quoque curis non parum adaucta, non adeò facile remitti potuit; hinc accidit, ut deinceps ex fluxionibus calidis, quolibet anno tumores in gula ſuborti fuerint, ſuffocationem minantes; vnde iuremerito cogitatum fuit de validis medicamentis refrigerantibus exhibendis, prout eſt aqua Virginis. Sed quia in expurgatione, quæ neceſſariò præcedere debet, non exigua ſequuta fuit humorum calidorum agitatio; hinc eleuati ad caput copioſi, & craſſi vapores, cerebri ventriculos, anteriores [a] præſertim obſtruentes, & ſpiritibus animalibus effluxum intercipientes, affectum Caroticum, potius, quàm Apoplecticum, minùs Epilepticum excitarunt, ad id forſan vtero quoque conſpirante, cuius ratione occiput quoq; grauatur, cui per ſpinalem medullam ille conſentit, cùm [b] materia oppletus quodammodo coarctatur. Sanguinis verò calidioris in toto præſentiam teſtantur acres illę puncturæ, totam membranam carnoſam capitis percurrentes, & vermiculorum adinſtar motdicantes, ac nonnunquam uſque ad pericranium peruadentes, quas non ſolùm ab euaporationibus; verùm & ſeroſitatibus tum acidis, & melancholicis, tum bilioſis acribus, ad caput elatis, proculdubio prouenire credendum; quibus quãdoque per madorem prodeuntibus, caput quoque meliùs habere videtur. Tandem, quoniam caput quotidie ſemper maiorem imbecillitatem, & iecur, ac ſanguis maiorem efferueſcentiam acquiſiuerunt, ob validum nimis Chinæ decoctum, à quo ventriculi quoque labes potiùs priuatiua ſecuta eſt; ideo capitis mala inualuerunt adeò, ut in præſens, non modò inſigni imbecillitate; verùm & Scotomatico affectu continuò afficiatur, ita ut caput à puluinati eleuari nequeat, minuſque Patiens ſtare poſſit, ſpiritibus agitatis, & [c] inordinatè commotis. Hinc iure ſuſpicari poſſumus, caput modò, non ſolùm ſympathicè à toto, & ab utero; verùm & idiopathicè affectum eſſe, cùm ipſius mala continuo Nob. Pat. excrucient.

[a] 4. de Loc. Aff. 2.
[b] 1. in 6. Ep. 1. & 2.
[c] 4. Acut. Com. 42.

Cui ut ſuccurratur, Medici intentiones eſſe debent, totum euacuare. Secundò, à capite reuellere. Tertiò, iecur, & venoſum genus contemperare. Quartò, materiam in capite hærentem ſenſibiliter, & inſenſibiliter reſoluere. Et tandem caput idem roborare.

Quibus omnibus omnino ſatisfacere perarduum fuerit; cùm hæ mala altas, imò & naturales radices habeant; nihilominus de eorundem diminutione deſperandum non eſt. Auxiliorum propterea materiæ, à fonte Chirurgico, Phatmaceutico, & Diætetico deſumendæ.

Et primò quidem ſanguinis miſſio omninò conuenit, eaque repetita ex pede pro reuulſione; & ex brachio, tum pro deriuatione, tum pro iecoris, & totius venoſi generis refrigeratione. In progreſſu verò, hæmorthoidalis quoque ſanguis eductus non parum prodeſſe poterit. Cauteria, quæ geſtat, aperta ſeruentur. Et toto, atque capite expurgatis, capiti deraſo, rubificantia, ſiue Sinapiſmi apponantur, vt ad ſummam cutem proliciantur humores, qui poſtea ſenſibiliter, & inſenſibiliter euacuari, ac digeri poſſint; & ideo ſub finem lotiones conuenient, ex lixiuio dulci, malu. betonica, & maiorana alterato. Occipiti tandem veſicans applicetur, quod deriuandi quidem, non verò à toto venoſo genere humores attrahendi vim habeat, cuius metu ſetaceum ſuſpectum habemus.

A Pharmacia reliqua ſunt deſumenda medicamenta. Et quoniam ex relatis, totum corpus ab Excellentiſſimo Viro electiuè purgatum eſt; ideo caput quoque non ſemel erit expurgandum; in quem finem, tertio aut quarto quoque die, tribus vicibus, erunt præbendæ

Digitized by Google

hendæ pilulæ Aureæ, & Cochiæ; à quibus, tranſactis duabus, vel tribus horis, ſuperbibat Reuerendiſs. Pat. ſer. capr. aut aſin. depur. ad lib. j. ſ. vel ij. & duabus horis ab aſſumpto ſero, prandeat; diebus verò intermedijs bibat ſeri capr. deſtill. libram, cum conſerua de acido citri; atque capitis expurgatio etiam per nares procuretur, errhino, ex puluere maioranæ, ireos, & nigellæ.

Toro, & capite expurgatis, materia ſeroſa in capite redundans omni arte educenda, & flatulenta reſoluenda; quod vix alio modo obtineri poterit, quàm ſudore in hypocauſto prolecto; licet enim acris, & acida ſit, attamen euacuanda eſt; neque hypocauſti calor iecori, aut capiti officere poterit, quia decoctum ea arte erit concinnatum, ut humores quidem liquare, & ſudorem prouocare; nullo verò modo calorem augere poſſit. Sit itaque huiuſmodi. ℞. ſalſæ parillæ elect. vnc. ſ. Chinæ opt. rad. roſar. an. vnc. ſ. aquæ cich. deſtill. lib. iij. aq. beton. lib. i. m. f. inf. per hor. 24. deinde bull. ad conſumpt. dimidij, & colar. ſeruetur pro tribus vicibus, matutino tempore exhibenda. Deinde. ℞. reſiduum, dempta, & abiecta radice roſar. Aquæ fontis lib. x. m. bull. ad conſumpr. tertiæ, in fine ebullitionis, adde Cinnam. integ. drach. ii. bull. par. & colar. adhuc feruenti addantur ſacchari fini unc. iij. pro potu quotidiano. Hora vna ab aſſumpto decocto, ingrediatur hypocauſtum, & ibi maneat, primis diebus, ad ſudoris prouocationem tantùm, mox ſudet in lecto; in progreſſu verò, nunquam excedat horæ dimidium. Nec victus ratio debet eſſe, valdè tenuis, ſed quotidie, vel caro aſſa, uel oua recentia, uel ptiſana hordeacea concedatur. Perſeueret autem ſupra viginti, & vſque ad triginta dies; ſed decimo quoque die potio man. clariſ. propinetur pro euacuatione.

Quibus peractis, iecoris, hypochondriorum, & viſcerum feruor erit contemperandus, quod ſuccis dep. præſtari poterit, ut. ℞. ſucci dep. end. vnc. ii. borrag. vnc. i. decoct. cich. borrag. end. acet. vnc. v. m. pro ſyrup. quotidiano, matutino tempore ſumendo. Quod ſi reſpuat ſuccos, ſerum capr. depur. exhiberi poterit, vel aq. de ſucco cich. & end. ad lib. i. cum ſyr. de acido citri, uel lim. Conſerua quoque roſar. conuenientiſſima erit; ſicut & è florib. betonicæ ſem. pœoniæ immiſta.

Neque ſpernenda à proprietate iuuantia inter quæ ſal cranii humani optimus eſt in aliqua ex dictis conſeruis; prout præſtantiſſimum omnium ſtercus pauonis pulu. ſine ulla præparatione, quod pariter inſcia Pat. conſeruis, uel è floribus pæoniæ; uel beton. miſceri poterit.

Et quoniam de ventriculi imbecillitate, ſiue concoctionis tarditate conqueritur Pat. licet ventriculus per conſenſum à iecore, & hypochondriis potius, quàm eſſentialiter ſit affectus; nihilominus aliqua eiuſdem corroboratio erit procuranda, quæ tamen iecori officere non poſſit; ideo à prandio, & cœna deglutiat gr. ii. aut iij. maſtic. integra; aut pil. ex ſcrup. i. ſucci abſinthii condenſ. paratam. Quæ omnia, licet inopportuno tempore, autumnali ſcilicet, adminiſtrata, optatum tamen finem conſecutura ſpero, potiſſimum, quòd à ſumma prudentia Viri Excellentiſs. ac peritiſſimi, & dirigi, & moderari poſſint. Ita Deus vota noſtra ſecundet.

CA-

XXXIV.

CATALEPSIS.

Reuerendiſs. P. Abbas, annorum 50. temperamenti calidi, & ſicci, habitus tamen mediocris, & hirſutus, rebus œconomicis ſui cœtus magnoperè addictus, & ideo vigiliis, curis, atque cogitationibus nimium intentus, in febrem quartanam incidit, à qua ſpatio menſium liberatus fuit, ſpontanea ſuperueniente venarum ſedalium copioſa, & repetita euacuatione. Hic tamen paulò poſt febre acuta correptus, curatus fuit à Medico domeſtico congruis remediis, ſanguinis ſcil. ex brachio miſſione; & quoniam dolor capitis, cum vigiliis, vndecima tranſacta die, remiſſa quodammodo febre, non modò perſeuerabat, verùm etiam auctus eſt; ideo ſumma cum ratione venas ſedales aperiri iuſſit; poſt quam tamen ſanguinis eductionem, ſpontè, non aduertente ægro, hic copioſius effluxit, & Patienti Reuerendiſs. vires eripuit, exigua tamen febre relicta. Decimaquarta verò febris die, dum ſedens in lecto cibum capturus eſſet, extempore totus rigidus factus eſt, ſine vllo motu, vlloque ſenſu, apertis palpebris, immotis manentibus oculis, & ore ſubridente. Pulſus erant paulò duriores, illæſa reſpiratio, & tota illa die excrementa retenta fuere. Poſt aliqua verò adminiſtrata remedia oculos mouere iterum cępit, mox & reliqua membra; tandem ad ſe reuerſus aſſeruit ſe nuſquã præteritorum reminiſci, nec vllum in acceſſione cognouiſſe, vidiſſe, aut audiuiſſe; ſicque duos ſequentes tranſegit dies, cum exigua febre; at non leui virium, & capitis imbecillitate. Die verò decimaſeptima febris, & quarta ab acceſſione, rediit idem inſultus, ipſo decumbente, cum iiſdem ſymptomatibus, quorum cauſa rurſus accerſiti de agendis hunc in modum ſumus effati.

Affectus iſte, in quo fit ſubita prehenſio, & occupatio, tum mentis, tum ſenſuum internorum, & externorum, motuſque voluntarii, qua Reuerendiſs. P. rigidus manet, in eo ſtatu, & ſitu, quo prehenſus fuit, apertis, & immotis oculis, ſtatuæ alicuius inſtar; & nec ſentit, nec videt, nec audit, ſola reſpiratione, & pulſu illæſis manentibus, Catalepſis, ſiue Catochus [a] proprius, & exquiſitus erit appellandus; dico proprius, & exquiſitus; nam Catochum improprium, & non exquiſitum nuncupauit Coma vigil Amatus Luſitanus, cum Hipp [b]. necnon doctiſſimus Langius, & Fernel. ipſe cum Aetio [c], & Paulo [d], in quo rigiditas, & inſenſibilitas nunquam obſeruatur, exquiſito Catocho neceſſaria; cùm ipſius eſſentia in tribus [e] conſiſtat, rigiditate corporis, priſtinam figuram ſeruantis; oculis ſemper apertis manentibus; & ſenſuum priuatione. Ita rigidus, calamum adhuc manu tenens, manſit ſtudioſus ille, de quo Fern. ſicuti & Gal [f]. condiſcipulus. Oculis inſuper apertis manent Catocho detenti, ut Gal [g], atque ideo Comate uigili detentus fuit ille, à Paulo deſcriptus, qui oculis clauſis degebat, non autem Catocho; ſicut Comatoſus fuit ille, quem refert Aetius [h], quia punctus membra retraxit; in quo propterea perfecta ſenſus priuatio non adfuit, prout in Catocho exquiſito, ſeu Catalepſi.

Huius affectus cauſa immediata, eſt ſpirituum immobilitas, rigiditati totius corporis iuncta; ob quam differt Catalepſis ab Ecſtaſi, in qua ſpirituum quidem immobilitas, cum ſenſus carentia, non verò cum rigiditate reperitur. Hæc verò cauſa immediata, à variis mediatis procedere poteſt; ſiue à ſola frigiditate, externa tamen, ex ipſo Gal [i]. vt etiam obſeruauit Foreſtus in Militibus illis, per loca niuoſa iter facientibus, congelatis; ſiue à frigiditate [k], & ſiccitate; ſiue à frigida, & ſicca materia, vt Paulus; ſiue à ſanguinea, ut Aetius; ſiue à forti imaginatione, ut Rondeletius; ſiue à materia melancholica, ut Altimarus, Rudius, Maſſaria, Capiuaccius; ſiue tandem à ſanguine multo, & craſſo, replente, ac diſtendente venas, & arterias in poſtica parte Cerebri, vt Hollerius, Nicolus, Mercatus. In caſu verò noſtro cauſa mediata eſt intemperies frigida, & ſicca cerebri, cum materia halituoſa, necnon ſeroſa melancholica, in quam procliuis fuit P. Reuerendiſs. accedentibus inſuper cauſis procatarcticis, intentis nimitum applicationibus, curis, ſolicitudinibus,

vigilijs,

a 4. de Cau. Puls. 16.
b 4. de Morbis.
c Tetr. 2. Ser. 2. C. 4.
d 3. de Re Med. 6.
e de pul. ad Tyr. 11. de Præſag. ex Pulſ. 8.
2. Aph. 3.
f 2. in 1. Prorrh. 56.
g 4. de Loc. Aff. 2.
h Tetr. 2. Ser. 2. C. 4.
i de Diff. Morb. 5.
k 2. Aph. Com. 5.

l Ibidem. vigiliis, prægreſſis febribus, ac tandem copioſa ſanguinis hæmorrhoidalis euacuatione.
Ita Gal l. ſcripſit, quod, *Cauſa immediata Catalepſis eſt immobilitas ſpirituum animalium, cum
duritie neruoſæ ſubſtantiæ, proueniens ab intemperie frigida, & ſicca, facta à vigilijs, curis, ſtudijs,*
m 2. in 1. Prorrh. 56. *exercitationibus, & huiuſmodi alijs.* Vnde narrat hiſtoriam m condiſcipuli ſui, qui ex aſſiduo
diſciplinarum ſtudio catalepſi fuit captus, ſpuria tamen, quia præteritorum recorda-
batur.

A iam dictis igitur cauſis procatarcticis, in hoc Patiente diſpoſito, & antehac quartana
correpto, facilè fuit introducta in Cerebro ſiccitas, cum frigiditate, ſimulque melancho-
n 4. de Loc. Aff. 2. licus ichor, qui in eodem, & præſertim eiuſdem poſtica n parte contentus, replendo, co-
gendo, & exſiccando, ſpiritus immobiles reddit; atque ita ſenſum, ac motum vniuerſi
corporis intercipit, non irradiata per eoſdem motiua, ac ſenſitiua facultate; prout accidit
patientibus Ecſtaſin; vt proinde ad catalepſin neceſſaria ſit quoque rigiditas, atq; durities,
o 5. Simpl. 5. quam non à cauſa congelante o, ſed partim exſiccante, partim replente, in caſu noſtro fieri
credendum; cùm cauſæ neruoſam ſubſtantiam exſiccantes præceſſerint, non ſine exhala-
tionibus, ac ſeroſitatibus melancholicis, (vnde & affectio quarta die recurrit) quæ partes
neruoſas, non ſecundum ſolam medullarem partem, (ita enim fieret Paralyſis) nec ſecun-
dum ſolas membranas, (fieret quippe Conuulſio,) ſed ſecundum totam ſubſtantiam, tum
exſiccando, tum replendo, rigiditatem catalepticā inducunt; à quibus omnibus, excremen-
torum retentionem ſecutam eſſe, quid mirum, iam ſopita facultate?

Affectus Catalepticus eſt ſemper grauis, & ſui natura periculoſiſſimus; cùm nonnun-
quam eadem die, imò & paucis horis iugulet. Et licet à Cælio Aureliano, inter morbos
chronicos reponatur, id ſolùm admittitur ratione diſpoſitionis; acutus quippe eſt, ratione
affectionis. Periculoſior autem præſens eſt, poſt tot cauſas exſiccantes, exinanientes, vireſ-
que proſternentes; & quia morbo acuto ſuperuenit; vnde dicebat Hipp p. *Quæ cum exolu-*
p 3. in 1. Prorrh. 4. *tione fiunt, & Catochæ, & aphonia pernicioſæ ſunt; non ſic, quæ repentè ſanis adueniunt.* Attamen
quia facultas vitalis valida conſeruatur, & acceſſio prima, horarum ſpatio paucis reme-
dijs euanuit, non adeò rebellis cauſæ indicio; idem de præſenti ſperari poteſt, atque etiam
integra ſalus, remediorum medicorum ope.

Et primò quidem, præſens acceſſio remouenda; deinde futura præcauenda. In acceſſio-
ne, vapores, & humores ſpiritus cogentes, & immobiles reddentes, à capite retrahendi;
qui ſunt in capite, diſcutiendi; totum, & caput moderatè calefaciendum, & humectan-
dum.

Atque adeò, ſtatim clyſter acris, omni induſtria, ſicut aliàs, eſt inijciendus, ex decoct.
thymi, epith. ſumar. mercurial. pariet. chamæmel. additis Mel. roſ. ſol. ol. Lil. alb. Oui
vitello, & modico ſale. Nec omittantur reliqua reuulſionum genera, frictiones coxis,
natibus, cruribus, manibus inunctis Ol. Lil. alb. Affigantur Cucurbitulæ ſiccæ, at cum
multa flamma. Sternutamentum excitetur cępa cortice exuta, naribus ſubdita; vel inſuf-
flato puluere maioranæ, ireos, & nigellæ.

Interim illinatur tota ſpina, imò & totum corpus, & caput Ol. Lil. alb. & Seſamin. Ca-
piti fomentum paretur, ex Vino albo, in quo ebullierint beton. ſtœchas, ſaluia, roſmar.
althæa, melil. chamæmel. his enim à prærerita acceſſione euaſit. At non recedente af-
fectu, in balneum Aquæ calidæ foret mittendus; deinde Ol. Lil. alb. cum aromat. totum, &
caput inungendum.

Circa victus rationem, pauca proponenda ſuperſunt; cùm in acceſſione cibus offerri
non poſſit; quæ tamen ſi diutius perduret, odore calidi panis vino aſperſi, & carnis aſſæ
præcalidæ nutriendus fuerit. Præterea clyſteres nutrientes, ex vino quoque parati, forent
inijciendi.

Extra acceſſionem, humores ſunt præparandi, & euacuandi; vapores à capire reuellendi;
& intemperies corrigenda, habita ſemper febris, licet exiguæ, ratione. At quoniam in
hoc caſu, quarto quoque die imminet acceſſio; ideo ſtatim aliquam melancholici humo-
ris minorationem moliri optimum cenſemus, Caſſiam præbendo, cum Extracti Sennæ
ʒ i. cui ſuperbibat Seri Capr. lib. ij. Die verò ſequenti, pro humorum præparatione, ac to-
tius corporis, & capitis humectatione, idem Serum erit repetendum ad lib. ij. addito Iulap.
Viol. ad ℥ ii. & interim aliquod ferculum ex lacte, ouis, & ſaccharo paratum exhibendum.
Die verò acceſſionis, primis horis matutinis, Sinapiſmi duo cruribus apponendi; cibus
verò ſint oua recentia, & lac caprinum, cum panis buccella, omiſſo vino. Quod ſi recur-
reret acceſſio, omnia ſupradicta repetenda; mox ſero depurato præparandi humores,
& clyſteribus educendi.

Sed

Sed tandem, Lac, & Balneum erunt huiuſce affectus propria, & adæquata remedia, non obſtante febre, quæ aut nulla, aut valdè exigua [q] erit. Lac autem copioſum offerendum, nimirum ad libram, cum ſaccharo, vt caput petat, & humectet. Balneum autem ſit Aquæ dulcis, ſed foliis Maluæ, Viol. Salic. & Pariet. alteratæ; qua caput quinetiam irrigetur, & perſeuerante affectu, lacte ipſo lauetur. Interim medicamentum minoratiuum repetendum erit; imò, ſi receſſerit febris, Caſſiæ pil. Cochiar. & Aurear. ſcrupulus addi poterit, præbendo tamen ab his ſerum copioſum, aut etiam, more Hippocratico, plurimum Lac Aſininum. Atque ita humores præparandi, & euacuandi; necnon cerebrum, ac neruoſam ſubſtantiam humectandi indicationibus ſatisfactum fuerit.

q 5. Aph. 65.

Circa victus rationem, obſeruo Galenum [r] Catalepticis, extra acceſſionem, concedere Vinum maluaticum; cuius exemplo, Amatus permittit Creticum, atque plerique aquam inſenſiſſimam putant; quia à frigiditate ſiccitatem ſuperari ſupponunt. Verùm, quoniam in caſu noſtro, contrà ſe res habet, Vinum quidem concedatur; cautè tamen noſtro Patienti Reuerendiſs. ob ſiccitatem, ſitque album, tenue, aquoſum, & potius ſaluia, vel Roremar. medicatum. Quæ pro Reuerendiſs. Patris ſalute, ſatis.

r 3. Sim 19.

XXXV.

MEMORIA IMMINVTA.

NOb. Senex octogenarius, ſecundum totum temperamenti ad calidum, & humidum; ſecundum verò caput, ad calidum & ſiccum vergentis, boni habitus, leuibus tamen, & obſcuris motibus epilepticis, per conſenſum à ventriculo obnoxius, cùm diebus elapſis, quibuſdam Sacris Solemnibus in Tẽplo adfuiſſet, domum repetens ad prandium, proprii domicilii omnino oblitus, quò ſe verteret, neſciebat; ambulabat, diſcurrebat, imò, cum quibuſdam obuiis amicis negotia peragebat, cæterorum omnium incolumi memoria, præterquam ſolius huius obiecti, idque per horæ quadrantem; cùm enim domum quibuſdam coniecturis tenderet, ex tempore eadem illi in mentem venit; quem tamen euentum nulla ſubſequuta eſt capitis grauitas, aut alterius partis querela; à ſtoliditate longiſſimè alienus, more conſueto vitam ſolitariam ducit, prudentiſſimè tamen omnia peragens; niſi quod ſuperioribus diebus, grauiſſimas animi perturbationes paſſus fuit, propter dilectiſſimæ filiæ obitum. Modò huius inſueti affectus cauſam quærit, non quidem ob noxam aliquam ab ipſo allatam, quæ nulla fuit; ſed potius ad auertenda, & præcauenda maiora mala imminentia.

Symptoma itaque in actione animali imminutè læſa, quo captus fuit Illuſtriſs. Senex, memoriam fuiſſe imminutam unicuique patet; quod ſicut non fit, niſi capite affecto, (quatenus ſcil. in ipſo functiones huiuſmodi principes exercentur) ita in caſu præſenti, non eſſentialiter, ſed per conſenſum illud affectum fuiſſe, nobis demonſtrant naturalis capitis temperies, immunitas à qualibet querela, animalium actionum robur, & ſenſus omnes, etiam præter ætatis rationem, vegetiores, & alacriores; tandemque quia affectus eſſentiales non citò adeò fiunt, & ſoluuntur. Conſenſus itaque indagandus non ſolùm, verùm etiam modus, quo contigerit huiuſmodi accidens, eiuſdemque cauſa immediata. Si ergo conſideretur memoria ſecundum ſe, ea certè nil aliud eſt, quàm pura potentia ad recipiendas ſpecies ſenſibiles, quas ubi receperit, non amplius potentia, ſed habitus fit; qui tandem tertiò euadit actus, quoties imaginatio reſumit à memoria obiecta ſine ſenſu. Ideo dicebat Ariſt. [a] *Facultatem memoratricem benè agere, ſi phantaſma recipiat, conſeruet, & iudicet.* Modò in Illuſtriſs. Sene, memoria læſa fuit, non ut potentia, neque ut habitus; ſed ut actus memorandi, quatenus ſcilicet imaginatio non potuit, ob ſibi communicatam læſionem, domicilij ſpeciem iam impreſſam, ab ipſa parte poſtica repetere.

a De Memor. & Reminiſc.

Huius autem impotentiæ cauſa, ut ego reor, in præſentia non eſt referenda, cum Gal. in intemperiem [b] frigidam, quod ipſe frequenter facit, loquens tamen de memoria imminuta permanente; intemperies enim paulatim fiunt, & nonniſi longo tempore recedunt; non

b 3. de Loc Aff. 5.

in perſrigerationem, ex calidi innati paupertate; tunc enim & fatuitas [e] cum obliuione, ſemper iungitur; cùm tamen in præſenti, & functiones principes, & ſenſus omnes adhuc vigeant; minùs in humiditatem, quia repugnat temperamento; & quia præterea adeſſet ſtupor, & torpor, [d] imò ſopor. Reliquum itaque eſt, ut cauſa fuerit, aut humor, aut vapor; excludendus tamen humor, quia citò cauſa diſcuſſa eſt, & citra vllam ſenſibilem euacuationem, nulla capitis grauitate ſuperſtite. Quare vapor, & meo quidem iudicio, melancholicus, [e] ab infernis partibus, & forſan etiam hypochondrijs, ad anteriorem capitis partem cleuatus, ſpiritus animales in eadem agitando, & confundendo proprium ipſorum munus impediit, nempe reſumendi ſpeciem domicilij ab ipſa memoria. Hinc *melancholici*, ex Ariſt. [f] *nec recordantur, nec aliquando recordari poſſunt*, ait ipſe, ob huiuſmodi confuſionem; Ratiocinatio autem, & memoria in cæteris rebus, illęſæ fuerunt; imò, quod mirum, & ipſa imaginatio benę ſe habuit, tum in extrahendo à ſenſibilibus externis; tum in reſumendo à parte ipſa memoratrice, quolibet alio obiecto impreſſo, prętcr hoc ſolum. Similis, ſed leuior affectus quotidie in pluribus conſpici videtur, cùm ratiocinantes alicuius nominis, aut coguominis obliuiſcuntur, cæterorum omnium incolumi memoria; quinimò, quò magis conantur illud ad reminiſcentiam reuocare, aduocatis confeſtim ſpiritibus ad imaginationem, augetur confuſio, & minus ſemper recordantur; qui cùm de illo non amplius cogitant, in mentem illis venit; quod facilius in hoc Patiente contingere potuit, qui & ratione temperamenti, & ratione ætatis, antiquarum rerum melius, quàm recentium recordari poteſt, Non abſimile verò, licet non idem, hoc noſtrum negotium; cùm enim nulla alia res magis, quàm conſuetudo [g] conducat ad memoriam, quæ res quæſo conſueta magis poteſt eſſe, quàm propria habitatio? Ex quo cognoſcitur, quod quò maior eſt à naturali ſtatu receſſus, eò intenſior, & efficacior debet eſſe cauſa. Quam ego hanc fuiſſe, decerno,

Vitam ſolitariam ducit Illuſtriſ. Senex, quam ego melancholiæ pabulum exiſtimo, poſt filiæ dilectæ interitum, cogitabundus adhuc magis factus; & potiſſimum circa illud obiectum; quod quoniam ſeparari non poterat à domicilio ſuo, ideo circa idem, vehemens, & intenſior per multos dies, facta eſt meditatio. Hæc autem, ſicuti moderata facit ad memoriæ conſeruationem, ita immoderatior confundere, & deſtruere poteſt memoriam; idque quoniam ſpiritus animales affatim, & copioſè potiùs irruentęs, quàm concurrentes ad imaginationem, turbidiores, vtpote melancholici ſeſe inuicem agitando, ſemel tandem illud munus præſtare non potuerunt, ad quod illuc erant aduocati; cùm alioquin cæteris, circa alia obiecta rectè fungerentur, quia ad hæc obeunda non ita confertim, & ita auidè concurrebant. Talis verò fuit confuſio in imaginatione circa huiuſmodi obiectum, & mala diſpoſitio, vt quò magis intendebatur imaginatio, vt illud à memoria repeteret, eò magis ſemper augeſceret ſpirituum confuſio, qua ſedata, dum obuium ſeruum ſperabat, optatum obiectum tandem reſumpſit. Hæc autem fuit cauſa, ob quam M. Tullius [h], eloquentiſs. orator cùm coram Pompeio diù propriã ſententiam exponere contendiſſet, & multis diebus, nę dicam menſibus, eã intensè meditatus fuiſſet, dicturus accedens, in illo cętu nullius recordatus eſt, cùm tamen cætera omnia imaginationi promptiſſima, occurrerent, Idem contigit Demoſtheni, Græcæ [i] eloquentiæ Principi, dum apud Philippum Regem, diù meditatam orationem habiturus eſſer, cuius principium nunquam in mentem reuocare potuit; cùm tamen Viris ſummoperè exercitatis, hæc ita eſſent conſueta, vt nobis ipſis ad domeſticos lares reditus. Omitto, ut ab inſtituto noſtro aliena, quamplurima alia exempla memoriæ prorſus deperditæ; ut contigit Georgio Trapezuntio, [k] Romæ eruditiſſimo, qui ob decrepitam ætatem omnium literarum oblitus eſt, Franciſco Barbaro [l], Græcis literis eruditiſſimo, omnium prorſus oblito; Meſſalæ Coruino item Oratori peregregio, qui amiſſa prorſus memoria, tandem mœſtiſſimus biennio poſt obiit. Cælius Caluiſius [m] Sabinus nominis parentum oblitus eſt. Bamba etiam Gothorum Rex, ob venenum aſſumptum, omnino amiſiſſe memoriam fertur. Senenſis [n] quidam, proprij nominis oblitus eſt; prout alter [o] ex morbo omnium literarum; alter [p] ex tecto delapſus, matris, & affinium oblitus. In Athenarũ peſte [q], non ſolùm propinquos, ſed ſeipſos ignorabant. Sed quid opus exemplis? Nonne quotidie videmus, quod ad rem noſtram facit, ex nimia & intenſa meditatione, ſæpiſſimè ſpiritibus animalibus, melancholicis vaporibus coinquinatis, & duas alias functiones principes, vt ratiocinationem, & imaginationem deprauari circa aliquod obiectum particulare, in reliquis omnibus rectè ſe habere, atque vt plurimum, deprauationem contingere circa illud idem obiectum, aut contiguum,

aut

c 3. de Loc. Aff. 7.
d 3. de Loc. Aff. 5. & Paul. 3. de Re Med. 31. & Act. Tetr. 2. ſer. 2 Cap. 23.
e Guainerius.
f Problem. & Actuar. Lib. 2. C. 19
g 1. de Anatom. Adm. 4.
h Plutarchus.
i Sabellic.
k Iouius.
l Rauiſius.
m Seneca.
n Benuenius.
o Vega.
p Plinius.
q de Symp. diff. 3.

aut conſimile, aut familiare? At quoniam memoriam deprauari non poſſe aliquibus viſum fuit, ideo eam, quam pati potuit læſionem, nimirum imminutionem ſuſcepit.

Hæc eſt de huiuſmodi euentu mea ſententia; qui quoniam à cauſa procatarctica, vt dixi, originem duxit, nec diù permanſit, ideo nullum præſagire malum exiſtimo, prout procul dubio contingeret, ſi permanens, & ab intrinſeca r cauſa penderet. Quare neque curatio- r Auicen. Aet. & Gal. Ait. Med. 82.
nem, neque præſeruationem expoſcere mihi videtur, niſi vt Illuſtriſ. Senex, prudenter ſe gerat in ſex rebus non naturalibus; maximè verò in animi accidentibus; & ſi progreſſu temporis, ratione ætatis, memoriæ aliqua contingeret labes, hæc, vt inſanabilis, curanda non foret, cum Aetio, niſi congrua victus ratione.

XXXVI.

MEMORIA AMISSA, ET STVLTITIA.

ILluſtriſ. Vir Patricius, annum ſeptimum ſupra quadrageſimum agens, temperamenti totius, & Iecoris, calidi, & ſicci, pronus ad iram; capitis verò calidi, & humidi, excrementitij, & potius ſomniculoſi, gracilis à diurno morboſo ſtatu redditus, multis ab hinc annis podagricus adeò, ut in præſens omnes articulos podagra nodoſa occupauerit, & ad motum ineptos, ac impotentes reddiderit, quæ & primas colli vertebras ſub nucha, tota elapſa hyeme adeò obſedit, vt & capitis motum in gyrum inhibuerit; tandem diebus proximè præteritis ex tempore ſermocinandi, non autem loquendi vſum amiſit; ita vt verba quidem ex ſe ſignificantia, & conſueta proferret, quæ tamen ſimul compoſita, atque copulata nullum mentis conceptum explicare valerent, quòd verbum aliquod alterius loco ederet; vnde iuncta nihil ſignificarent; quem errorem agnoſcens, cruciabatur, & adſtantes prouocabat, vt ſuam mentem, quam proprijs, & ordinatis verbis exponere non poterat, interpretarentur; cui interpretationi annuebat, aut tenuebat, prout bona, vel mala. Nominis Medicorum, imò nec proprij recordabatur; quæ tamen ſcriptis eidem oblata, & proferebat, & iterum, atque iterum pluries prolata memoriæ mandabat. Interim ratio obſeruata eſt non adeò firma, ſed quodammodo labans, & torpida, non deprauata; etenim ratiocinatio, licet non expreſſa, non errans tamen, ſed ignauiter ſolum, ac torpidè exercebatur. Modò ſpatio quinque dierum, poſt varia adminiſtrata medica auxilia, duo, aut tria verba aliquando ſimul benè copulare cępit, & ratiocinatio paulo firmior, atque promptior videtur. Quare pro meliori ſtatu acquirendo, opem noſtram expoſcit.

Paucis abhinc diebus, principes animæ actiones læſæ liquidò apparent in Illuſtriſ. Vito; quarum tamen læſiones ab inuicem dependent; ſiquidem memoriam eſſe primariò affectã exiſtimamus, eamque non omnino abolitè, nec deprauatè, ſed valdè imminutè; cùm familiarium, medicorum, imò & proprij nominis non recordetur, niſi ſcripta eius oculis offerantur; quia tunc, vt præſentia, reminiſcentia non egent; quorum pariter, vt & aliorum, aliqua tantùm, & pauca recordari poteſt, adeò vt nec bina vocabula ad rem, & ſignificantia combinare valeat. Ad inſignem verò memoriæ læſionem, lædi quoque neceſſariò ratiocinationem, infrà innoteſcet. Cùm autem Memoriæ læſio alicui morbo, aut ſymptomati ſuccedere ſoleat; vt nonnunqeam ſolutæ Apoplexiæ, Peſtilentiæ, ut narrat Thucydides; Acutæ febri, vt Vega; Ictui, & contuſioni, vt obſeruarunt Amatus, Fernel. & Plinius; Terrori, vt Cęl. Aurelian. Veneno exhibito, vt Bambæ Gothorum Regi contigit; Senectuti, vt Barbaro Trapezuntio. Laboribus, & ſtudiis, vt in iuuene obſeruauit Gal ã. ac tan- ã 3. de loc. Aff. 3.
dem in agricola, laboribus, & inediæ; in noſtro Patiente Illuſtriſſimo Podagræ ſucceſſit; cùm enim, non à uenoſo genere tantùm podagræ, & arthritidis materia; uerùm & ab humidiori capite, per ſpinam, & ſpatia ad articulos decumberet, & poſtremò id fieri non potuerit, ob pituitæ uiſciditatem, & inobedientiam potius, quàm facultatis expultricis imbecillitatem, præpeditis ſcilicet uijs ab eadem, ſtatim ſub nucha; elapſis menſibus firmata, ibidemq; craſſefacta; ideo hæc, hyeme præterita, ab humido quidem capite genita, ac prop-

tet impedimentum, hoc veris tempore, ad articulos, vt ſolebat, non tranſmiſſa, ſed in capite retenta, & in poſtica potiſſimum eiuſdem parte cerebro inhærens, ipſum refrigerauit, & humectauit, Virumque Illuſtriſſ. ferè omnino immemorem reddidit; fit enim obliuio, ex

b de Morb Sacr. 14.

Hipp.[b] *Cerebro à pituita perfrigerato*. Quod à Gal. quoque, & à Paulo, reliquiſque Medicinæ Principibus acceptum fuit; cui quidem frigiditati humiditatem eſſe coniunctam, nemo dubitare poteſt, ſi cauſa antecedens, caput excrementitium, & ad ſomnum procliuitas ſimul conſiderentur. Verùm quoniam magna, & inſignis memoriæ læſio, copioſam quoque arguit pituitæ præſentiam; hinc factum eſt, vt ab eadem redundante cerebrum, non in poſtica tantùm, ſed in media quoque ſui parte refrigeratum, ac humefactum ſit; vnde & Ratio

c 3. de loc. Aff. 5.

quoque infirmata eſt, ut iuremerito Gal.[c] dixerit, quod. *Si memoria læſio vehementiùs intendatur, ſimul cum ipſa memoria ratio quoque læditur, & fit ſtultitia*. Hæc autem eſt affectio, quæ non delirantem, & deprauatam, ſed torpidam, & imminutam reddit rationem; vt propterea rationis, ſiue ratiocinationis læſio, memoriæ inſigni læſioni ſucceſſerit.

Status quidem huius Illuſtriſſ. Viri periculi plenus eſt; noua enim materia, capitis intemperie humida affecti neceſſarius prouentus, ſi retineretur, maiora certè mala impenderent, quæ licet medicæ artis ope præuerti poſſint; attamen præſens adeò curatu difficile eſt, vt Galen[d]. aſſerat, *Se nullum Præceptorum vidiſſe, nec apud vllum antiquorum ſcriptum reperiſſe, qui deperditam memoriam reſtituere tentaſſet*; ſubditque[e], quod *Solùm vnum ex ſenioribus Medicis vidit tentaſſe, & nihil profeciſſe*. Nihilominus, cùm in Patiente noſtro Illuſtr. non penitus deperdita ſit, non eſt deſerenda curatio, licet difficilior futura, tum ob totius corporis, & iecoris intemperiem calidam, & ſiccam, tum ob gracilitatem. *Malignam* enim appellabat Gal[f]. *corporis illam conſtitutionem, quæ cùm gracilis ſit, attenuantem tamen, & viuendi, & medendi rationem poſtulat*. Vt igitur imminentia mala præcaueantur, & præſentia imminuantur, atque ſi non ex toto memoria, ratio ſaltem in integrum reſtituatur, aggredienda curatio.

d 3. de Loc. Aff. 3.
e 3. de loc. Aff. 4.
f 6. de San. Tuen. 11.

Quæ perfici debet, primò primas uias, & totum venoſum genus expurgando. Secundò caput. Tertiò hoc ipſum exſiccando. Et tandem aliquod medicamentum à proprietate iuuans præbendo; habita quinetiam feruoris iecoris, & gracilitatis totius ratione.

Quibus omnibus intentionibus ordine executiuo ſatisfaciendum. A principio autem dum iuremerito de imminenti maiori malo dubitarunt Viri Eccell. præſentes, ſanguinem ex hæmorrhoidibus iuſſerunt extrahi, exhibito prius ſoluente medicamento; inſuper & phænigmos quatuor apponi; præterea oxyrrhodinum, alterumque medicamentum ſoluens præſcripſerunt; quibus huius affectus præceps augmentum repreſſerunt. Modò materiæ præparationi inſiſtendum, & eiuſdem minoratio procuranda. In quem finem, iulap. aceroſ. fuit exhibitum, cinnamomo aromatiz. & aqua maioranæ paratum; cui ſuperbibit Illuſtriſſ. Patiens ius borrag. betonica, maiorana, & lil. conual. alteratum; atque interim clyſteres ex decoct. malu. mercurial. ſennæ, & ſyr. roſ. ſol. parari iniiciuntur. Quare præparata materia erit educenda Por. ex man. clarific. addito infuſ. conſuetæ agarico. Mox vlterior præparatio erit inſtituenda, per ſeptem dies, oxymel. ſimpl. modo ſupraſcripto parato, & ſyr. de beton. cum decoct. borrag. meliſ. beton. ſaluiæ in iure parata; quo tempore clyſteres acres tertio, aut quarto quoque die erunt iniiciendi. Verùm fomentum, magna ſpongia calente, priùs imbuta, mox expreſſa, erit nuchæ, & primis vertebris quotidie bis in die apponendum, & repetendum bis, aut ter in hora. Decoctio autem talis erit. ℞. flor. chamæm. anethi, meliloti, an. m. i. rad. altheæ, lil. alb. an. ℥ ii. ſem. lini, fœnugræci, an. ℥ i. aquæ commun. ℔ viii. m. bul. ad conſumpt. tertiæ partis, pro fomento. Ablata ſpongia, pars eadem fricetur manu his oleis inuncta. ℞. ol. lil. alb. cum aromat. ℥ iij. quintæ eſſent. roriſmar. gutt. x. m. cui inunctioni, poſt aſſumptas primas pilulas capitales. infrà præſcribendas, addatur ℥ i. olei de caſtor. & fomento origan. puleg. & calament. Neque de alia ſanguinis miſſione fit mentio, in frigido morbo, & adeò gracili habitu. Rurſus materia præparata poſtmodum expurganda, pot. eadem clarif. additis agarico, & rhabarb. infuſioni conſuetæ, ſuperepota aqua hordei, aut Noceræ, ad euitandam hypochondriorum, & viſcerum exſiccationem.

Expurgato toto, caput quoque accuratiſſimè ſenſibiliter, & inſenſibiliter expurgandum. Sic per duos dies, oxymel ſaluiatum erit exhibendum, cum ſucco depur. beton. & ſaluiæ, aut maioranæ, in iure alterato borrag. betonica, ſaluia, hyſſopo, praſſio, & roremarino. Inde pilulæ capitales Paracelſi, media nocte exhibendæ, ad ʒ ſ. Parantur autem ad Signum S. Vitalis Venetiis; ſummo verò mane, propinetur aliquod contemperans; & rurſus,

Digitized by Google

rurſus, duobus ſequentibus diebus, præbeantur oxymel, & ſucci in decoctione; mox iterum pilulæ, iterumque oxymel, & ſucci; indeque pilulæ tribus vicibus. Dum autem hæc capitis procuratur expurgatio per inferiora, errhinis quoque, & maſticatoriis, vt pulu. maioranæ, & ireos, pro errhino; & maſtiche, cum pulu. fœniculi, gingiberis, atque pyrethri, cum ceræ modico, pro maſticatorio, vtendum. Tandem integra capitis exſiccatio tentanda, vſu decocti capitalis, quod parari poterit ex ſalſa, viſco querc. ligno roriſm. & anacard. in aqua betonicæ, & ſaluiæ; aut, vigente hepatis calore, in aqua cichor. cui præmittatur pulu. viperin. vt humores in toto liquati, non ad caput, ſed ad ambitum corporis ferantur. In cuius vſu, ad 40. dies perſiſtendum; & decimo quoque die, potio clarif. præbenda; non tamen victus adeò tenuis præcipiendus, nec vini aliqua portio deneganda, aqua ſecunda diluti, vt vires ſufficere poſſint. Hoc decocti tempore, abraſo occipiti ſinapiſmus, ita conſulente Paulo [g], erit admouendus, & adminiſtrandus; poſtea confectio anacardina in vſum ducenda, ad ſemidrachmam; & ſemper à cœna aliqua conſerua capitalis præbenda è flor. beton. ſaluiæ, roriſm. Præterea & luculenti profectus eſſe poterit rotula noctu in ore detenta, ex quinta eſſent. roriſm. cum ſacch. aqua cinnam. diſſoluto, parata; vinumque medicatum iam dictis lignis pro menſa parandum.

g 3. de Re Med. C. 11.

Hiſque omnibus congrua erit addenda victus ratio. Vinum dilutum, paucis tranſactis diebus, concedendum. Animi paſſiones relegandæ, & Patiens Illuſtriſs. in ſpem Salutis erigendus, quam à Deo eidem enixè precamur.

XXXVII.

APOPLEXIA.

ILluſtriſsima Iuuenis, annorum 25. temperamenti ſecundum totum ad frigidum, & ſiccum vergentis, capitis humidioris, gracilis habitus, & melancholica, hyemis tempore nuperrimè nupta, poſt menſtruorum per duos menſes ſuppreſſionem, ob quam domeſtici in vtero habere credebant, matutino tempore, decumbens adhuc, incidit in ſubitaneam priuationem ſenſus, & motus totius, cum abolitione functionum omnium animalium, & difficultate reſpirationis, ſine ſtertore, per horas duas circiter perdurante; mox verò parumper excitata, deprehenſa eſt ſine motu, & valdè exiguo ſenſu dexteri brachii, cum oris tortura, abolita loquela, animalium omnium facultatum læſione, ignauia ſcil. quadam, & inſipientia. Eodem tempore ſebris inuaſit, abſque rigore, aut horrore; cuius exacerbationes quotidie, vſque ad 14. obſeruatæ à nobis fuere, hora vigeſima, aut vigeſima prima, cum tertianaria periodo, quia tertio quoque die intenſius febricitauit. Pulſus ab initio fuerunt parui, frequentes, & humiles, quorum prauæ conditiones deteriores ſemper, vſque ad ſeptimam factæ ſunt, & ſeptima prorſus imperceptibiles, cum perfecta aſphyxia, & extremorum frigiditate, ac perfrigeratione continua. Die verò octaua formicantes apparuerunt, à qua vſque ad 14. meliores in dies percipiebantur, cum extremorum incaleſcentia. Interim aphtæ in lingua quamplures ſubortæ cum inflammatione faucium. A 14. verò vſque ad 20. in qua modò verſamur, laudatiores adhuc euaſerunt pulſus, cum minori quoque febris intenſione. Vrinas nunquam obſeruare potuimus. Primis diebus ſomniculoſa fuit, parum intelligebat, cum anhelitu fœtente; poſtremis verò ſatis aptè interrogata annuit, magis expergefacta, nec os adeò fętens fuit. Aluus nunquam ſpontè, ſed ſolum arte æruginoſa primò, mox crocea, bilioſaque excreuit, nec alia ulla ſpontanea euacuatio obſeruata, pręter menſtruam purgationem, primis diebus; benè ſemper alioquin ſe habuit ab oblata. Modò quæritur huius affectus Idea, & cauſa, & peragenda deinceps.

Subitanea priuatio ſenſus, & motus, cum læſione reſpirationis, ob impeditum influxum ſpirituum animalium ad organa, quæ contigit Illuſtriſs. Pat. nil aliud eſſe potuit, quàm Apoplexia, ex omnium Artis Scriptorum [a] conſenſu; quæ à [b] Paulo, imò ab Hippocr. [c] *Sideratio* dicta fuit; à Gal. [d] *Paralyſis totius corporis* nuncupata. Qualis autem fuerit, ex læſione

a De Diff. Symp. 3.
b 3. de Re Med. 18.
c de Glad. 9.
d 2. de Symp. Cauſ. 2.

Digitized by Google

ſione reſpirationis coniicere poſſumus, ſi namque reſpiratio [e] eſt tantùm inæqualis, leuis apoplexia eſt; ſi inæqualis, inordinata, & intercepta, fortis in primo gradu; ſi cum ſtertore, in ſecundo; quæ ſi vix obſeruari poteſt, in tertio gradu fortiſſimo. Cùm autem in præſenti fuerit intercepta reſpiratio, ſine ſtertore, fortis in primo gradu ſtatuenda.

Huius verò cauſa immediata fuit impedita irradiatio, pace Auic. ſpirituum animalium, ad organa ſenſus, & motus. Impedimentum verò, non à ſubſidentia, non à compreſſione, ſed ab obſtructione, [f] & quidem ab humore, [g] tum pituitoſo, ob capitis eius humidam intemperiem, tum melancholico [h], ad quem ipſius natura procliuis eſt; qui humores, licet commoti fuerint à vapore maligno ex vtero, ob retenta menſtrua, ad caput eleuato; non tamen ſanguinem huius apoplexiæ cauſam fuiſſe credendum, prout ſemper fieri credidit Fernel. ſæpiſſimè Hipp. [i] & aliquando Gal. [k] à ſanguine quippe ſi cõtigiſſet, corpus eſſet plethoricum, temperamentum calidum, & humidum, rubicunda facies, tempus Veris: & tandẽ non ſubſecuta fuiſſet paralyſis, vt ſapientiſſimè conſiderabat Petrus Salius, quæ ex [l] Galen. fieri ſolet à natura, materiam à nobiliori parte, cerebro ſcilicet, ad neruos, vt ignobiliorem tranſmittente; cuius partis cognitio indiget anatomica ſcientia, ut inquit Trall [m]. ne, vt vulgus Medicorum, tantùm ſymptomatibus obſiſtamus, [n] Pauſaniæ exemplo. Cùm itaque in caſu noſtro, brachium ſit pars læſa, obſtructio erit circa quintam, & ſextam [o] vertebram, à qua prodeunt nerui, motum brachiis impertientibus; necnon in ſeptima eorundem coniugatione, vnde procedunt linguæ motui dicati; tertiæ quinetiam relaxatis, ob oris torturam; nec vertebræ lumbales ab eadem cauſa omnino immunes fuere, cùm motus cruris, & pedis diminutus ſit, integro licet ſenſu; eo quod exigua portio ſpirituum, ſenſui partium ſufficiat [p], non ſic autem motui. Verùm quoniam non eſt ſecuta integra metaſtaſis, & depoſitio materiæ à capite ad inferiores partes; hinc portio eiuſdem, in cerebro hærens, idem immodicè refrigerauit, & humectauit [q]; vnde ignauia quædam in ratiocinatrice functione, cum memorię diminutione obſeruatur; quæ affectio proprio nomine ſtultitia, & fatuitas non perfecta nominari poteſt, & contingit nonnumquam per abſceſſum [r].

Inuaſit autem alter affectus, à primo omnino ſeiunctus, febris videlicet bilioſa generatim, quæ leuior viſa eſt, tum ob miſcellam crudæ, & melancholicæ materiæ, tum quia malignarum ſebrium hoc proprium eſt; ſpeciatim verò tertiana duplex, non legitima, eſſentialiter continua; quia principia acceſſionum, utpote obſcuriſſima, ſolis medicis innoteſcebant, ſicuti poſtea rigor adſtantibus quoque: ex quo neceſſariò elicitur, in propaginibus venæ cauæ iecoris fuiſſe mineram humorum putreſcentium, qui ſicuti prædominio bilioſi, ita ſubdominio melancholici, & crudi cenſendi; quorum tamen putredo excellentem, malignamque qualitatem obtinuit, quæ cor afficiens, vires diſſoluens, pulſus ab initio paruos, & languidos; mox formicantes, & 7. die, ſenſum noſtrum omnino ſubterfugientes effecit, quod Gal [y]. & omnium conſenſu, eſt primum & pathognomonicum [z] febris malignæ eſſentialis indicium; prout ſecundum ab eo, vrinæ ſubiugales, vt coniectura colligebatur, licet eas perſpicere nunquam datum fuerit. Præterea extremorum frigiditas [a] diuturna, caloris natiui paupertatem, & excrementa merè [b] bilioſa malignitatem ſignificabant; ſicut oris fœtor, inſignem humorum corruptelam. Acceſſerunt inſuper aphtæ in ore, à qualitate putredinoſa corrodente; atque mens labans valdè, & ſomniculoſa, ob narcoticas euaporationes in caput. Quare à quolibet artem callente, febris huiuſmodi maligna iudicabitur, non ſolùm ratione eſſentiæ; ſed etiam aliquo pacto, ratione ſymptomatum; quæ quoniam in eodem gradu malignitatis diù permanere non potuit; cor namque inſignem noxam, à maligna qualitate illatam, diù tolerare nequit; hinc alexiphármacis auxilijs continuò propinatis licet oppugnata, perſtitit tamen, cùm nulla inſignis euacuatio vnquam ſpontè ſecuta fuerit; ea tamen remiſſa obſeruatur, bilioſis, vtpote tenuioribus humoribus inſenſibiliter conſumptis, & à nobis ſenſibiliter euacuatis, cùm craſſiores melancholici, & pituitoſi ſubdominantes, adinſtar lignorum viridium, igneum adhucnum calorem, hoc potiſſimum anni tempore, diuturnum foueant.

Caſus quidem vſquequaque periculi plenus; namque ſi de Apoplexia loquamur, cùm ſit in primo gradu fortitudinis, licet deploratæ ſanationis non videatur, difficillimæ ſaltem fuerit; non enim congruit ætati, ex quo magnus à ſtatu naturali arguitur receſſus. Augetur periculum à maligna febre, quæ quidem, ſicut ab initio potuit ſuo calore liquare materiam in cerebro, & ab apoplectico inſultu liberare Patientem; ita quia maligna, nec cum calore vehementi, potuit etiam diutius durans calori natiuo imbecillitatem, non verò humo-

e 4. Aph. Com. 42.
f 2. de Sympt. Cauſ. 2. & 3. de Loc. Aff 7.
g Ibid.
h 6 Aph. 56.
i 4. Acut. 23
k de Sang. miſſ. 5.
l 4. de loc. Aff. 2.
m Tral. lib. 1. C. 16
n 3. de loc. Aff. 10.
o 1. de Sympt. Cauſ. 5.
p 4 de loc. Aff. 2.
q 3. de Loc. Aff 5.
r 4. de Præſag. ex Pul.
s & 3. de Loc. Aff. 5.
& 1. in 3. Epid. 60.
ſ 2. de Symptom. Cauſ 7.
t deſt. Medic. & 3. Criſ. 4.
u 2. in 1. Epid. 25. & 3. Epid.
x 3. de Cauſ. Pul. vlt.
y 1. in 1. Epid. 25.
z 3. Ep. 74.
a 1. in 1. Epid. Tex. Com. 24.
b Ibid. 25.

humorum in venis reſolutionem afferre; magna namque debuiſſet eſſe febris, ex Hipp [e]. quia debilis ex eodem pernicioſa eſt. Quare hæc diuturnitate (quod prior acutie) vitæ periculum minatur. Quod ſi & præſens periculum effugerit, difficillima tamen fuerit paralyſis; paralyticus ſiquidem Chriſto ſanandus adductus fuit; maximè verò, cùm eius origo ab utero fuerit, eiuſque cauſa ſit parte aliqua melancholica, tempus hybernum, læſa pars dextera, & quidem ſuperior magis, quàm inferior, & quod peius eſt, cerebrum, pars principalis adhuc num affectum ſit, cuius læſio cùm in frigido potiſſimum, nec non in humido conſiſtat, proinde ætati ſenili ſimillima, ut ſuperius prodidit Gal. ſi non impoſſibilis, ſaltem difficillimæ erit ſanationis. Spes itaque dubia, & tenuis in iuuentute ſita eſt, cùm Pat. alioquin benè ſe habeat ad oblata.

e 2. Prorrh. 49. & 2. in 1. Prorr. 50.

Atque ideo omni conatu medico eſt tentanda ſalus, & quidem ordine maximè accommodato. Primò namque febris auferenda, utpote quæ viribus obeſſe, nec paralyſi prodeſſe poſſit; mox contra paralyſin erit pugnandum. Verùm, ob periculum nouæ Apoplexiæ imminentis, hæc præuertenda erat propriis præſidiis, ne recurrens ægram Illuſtriſ. de medio tolleret.

Quare vrgentiori incumbendo, materia, veluti turgens, in principio agitata valido [d] purgante erat euacuanda, iuxta decretum Hipp. ut troch. Alhandal, & diagrydio ſimul commiſtis; deinde ſanguis educendus, ex ſententia [e] eiuſdem, Aręt [f]. & Celſi [g], & quidem ex pede lateris oppoſiti, occaſionis, & cauſæ habita ratione; & niſi uires ob febris malignitatem defeciſſent, ſequenti [h] die ex brachio ſano rurſus eductus prodeſſe potuiſſet. Cucurbitulæ, tum occipiti, ex Aret. Paulo [k], & Aetio applicandæ fuiſſent, tum capiti, ut Fracaſtorius, ſi affectus apoplecticus perſtitiſſet; ſed quia duabus poſt horis ſatis excitata fuit, coxis ratione vteri fuerunt appoſitæ [l]. Sternutamentum ex Hipp [m]. excitatum fuit, & veſicantia quatuor applicita. Aluus deinde ſolicitata rurſus manna in iure diſſoluta.

His primis tribus diebus peractis, mox præparantibus, alterantibus, euacuantibus, & alexipharmacis febri incubuimus, iuſculis ſcil. cichoraceis alteratis, iulap. acet, caſs. cum tart. ſuppoſitoriis, clyſteribus, & aquis cord. Sax. ſcorzon. elixir vitæ, & aqua Ther. lapide item bezoar aliquando exhibito, confectione hyacinth. & huiuſmodi aliis, vſque ad 20. diem; quibus non parum remiſſa febris eſt, & multò magis maligna qualitas.

d 2. de Mor. 21.
e 4. Acut. 24. & 25.
f 1 de Cura Acut 4.
g 3. de Re Med. 27.
h 3. de Re Med. 18.
i 1. de Cura Acut 4.
k 3. de Re Med. 18.
l Tetr. 2 Sermon. 2. Cap. 27.
m 2. de Morb. 21.

Erit itaque in poſterum inſiſtendum profligandæ febri; & primò euacuandæ craſſiori materiæ, ex uſu erit elect. lenit. cum tart. cui, tranſacta 27. adiici poterit rhab. vel pil. de tribus, niſi ob amarorē illas reſpuat Pat. Alterantibus poterunt addi meliſſa, beton. maior. Kalendula, & aliqua quatuor radic. aperientium. Pro præparante vſurpari poterit oxymel. cum ſyr. de ſucco borrag. & poſtremis diebus, etiam de bet. nunquam interim omiſſis cordialibus. Quod ſi tandem inſtauratis uiribus febricula perduraret, paucus ſanguis ex venis ſedalibus extractus, poterit & capiti, & febri non parum prodeſſe; atque tunc progredi poterimus ad aliquod validius purgans, aut infuſ. aut pil. prout ſtatus, & occaſio poſtulabunt.

Quod ſi Deo opitulante ad ſtatum Illuſtriſ. deducatur, quo paralyſis curationem aggredi poſſimus, Scopi medici erunt, totius primò curam habere. Secundò, capitis. Tertio vteri. Quartò partis affectæ.

Et quia totum erit maxima parte exinanitum, non multa circa hoc erunt peragenda, Circa ſecundum, erit inhibenda defluxio à capite ad partem. Quoad tertium, uteri uiæ erunt aperiendæ, eiuſque mala qualitas hyſtericis appropriatis corrigenda. Et tandem neruoſum genus exſiccandum, & roborandum.

In Chirurgico fonte, conſideratur noua ſanguinis miſſio, propoſita ab Aetio [n], ex ſanis magis partibus; à quo non multùm recedit Auic. nec ab iſtis diſſentiunt Tral [o]. & Celſus [p]. Verùm, quia & hi omnes, hanc moderatiſſimam proponunt, & Pat. noſtra exanguis eſt, & antea adhuc fuit eductus; idcirco erit cautè agendum, & in arena conſilium capiendum. Cucurbitulæ reſolutis partibus erunt ſæpius repetendæ, ſiccæ conſilio Paul [q]. Aetii [r], & Celſi [s]. Frictiones quoque vtiles valdè ſunt, ex ſententia Pauli; & Celſi [t], quæ fieri poterunt, manibus inunctis aqua ardenti, cum gutt. quintæ eſſentiæ roriſmarini. Picationes quoque, imò ex Auic. rubificantia ſpinæ utilia. Ego verò vti ſoleo frictionibus eidem, & quidem in hoc caſu, ſuperiorū uertebrarum, ſquilla per medium diſſecta factis, ad cutis ruborem uſque. Clyſteres acriores hic locum quinetiam habebunt.

Ex fonte Pharmaceutico multa elici poſſunt, Lenientia, Præparantia, & Purgantia.

n Tetr. 2. Sermon. 2. Cap. 28.
o Libr. 1. Cap. 16.
p 3. de Re Med. 27.
q 3. de Re Med. 18.
r Tetr. 2. Sermon. 2. Cap. 28.
ſ 3. de Re Med. 27.
t Paul. Ibid & Cel. Ibi.

Verùm

Verùm quia, vt dictum eſt, corpus ſatis expurgatum tunc fuerit, quædam tantummodo principaliora proponam. Sunt autem inter Præparantia, mulſa decocta cum beton. ſaluia, roremarino, herba paralyſi, pœonia, artemiſia; cui admiſceri poterit oxymel ſimplex, ſquill. & tandem ſyr. de Iua. Melicratum quoque Quercet. optimum eſt. Inter
u Ibidem. purgantia pil. de nitro Tral. efficaces ſunt; qui [u] adeò commendat medicamentum diacolo-
x Ibidem. cynthidos, vt aſſerat, nullo alio opus fore. Sic hiera [x] tuta eiuſdem Tral. cui Paul [y]. ad-
y Ibid. dit caſtoreum; illi tamen ſemper immiſcendum aliquod medicamentum contemperans, habita ratione temperanti ipſius Patientis; ideo hieram alijs medicamentis commiſcere, ad eorum penetrationem, abs re non erit. Vſum verò purgantium intercedat non-
z Ad Piſ. 35. nunquam vſus Theriacæ [z]; & interim expurgetur caput pil. cochijs helleboratis, aureis, & fœtidis, commiſcendo ſemper aggreg. & interponendo vſum alicuius contemperantis. Expurgabitur quoque caput errhino ex tabaco, & puluere nucis moſchatæ parato; vel aqua maioranæ, cum pulu. eiuſdem.

Expurgato toto, & capite, diſcutienda erit materia neruis infarcta, vteri quoque ratione habita. Quare ſudor erit arte prouocandus, decocto accommodato ex ſalſa, viſco querc. momento ſaſſafras; additis, ſaluia, kalendula, herba paralyſi, beton. & artemiſia; cui decocto præmitti poterit bol. ex tereb. cum pulu. viperino, aut ſale theriac. & artemiſiæ, idque ad 40. dies.

Dum hæc fiunt, duabus horis ante cęnam, propinari poterit aliquod alexipharmacum; inter quæ potiſſima ſunt, oleum ſuccini in aqua pęoniæ, roriſmarini, ad ℥ iiij. & ex Paracelſo, quinta eſſentia lauendulæ, aut meliſſæ. Extrinſecus animaduertendum, quod ſi
a Ibidem. adſit dolor, noxia ſunt Balnea, & ſudor, ex Celſo [a].

Inunctiones itaque conueniunt, potiſſimum ſpinæ, & nuchæ, necnon ipſius brachij, oleis vulpino, laurino, de caſtoreo, viperino; expertum eſt etiam oleum felis apud Foreſtum; vnguentum quoque ex ſapone, Cratonis. ℞. ſaponis Veneti lib. ſ. ol. de baccis iuniperi ℥ j. pulu. ſem. erucæ ʒ vi. m. Curatur etiam à Damocrate, medicamento ex Iberide, vt refert Gal [b]. à nobis verò, Lutis thermalibus, & Foueis ſulphureis.

b 2. Per Loc. 2. Reſoluta materia, roborantia poſcit pars læſa, cuiuſmodi ſunt, Vinacea; Mirabile quoque ol. ex caryoph. calamo aromat. acoro; ſicut Luta quoque diuæ Helenæ. Intrinſecus confect. ex ol. aniſorum, vel ſaluiæ, cum aqua lauendulæ. Ad linguæ reſolutionem, nux moſchata in ore detenta, dictamus creticus; præſtantiſſimum autem mel anacardinum.

Circa diæteticum fontem, Victus ſit attenuans, ex Orib. & Aet. Cibus ex venationibus, ex Celſo. Alimentis diuretica admiſcenda, cum Aetio. Ius pulli carne viperina nutriti, cum Auenz. Conueniunt columbæ ſyluestres, cerebrum leporis aromatibus conditum. Potus ſit mulſa ſaluiata, aqua cinnam. Tandem vinum medicatum ſaluia, roremar. & ſaſſafras, aut guaiaco. Exercitium, vel eius loco, geſtationes, motiones, concuſſiones, frictiones, ex Celſo. Aluus lubrica ſeruetur his pil. ℞. agar. troch. ℥ ſ. aloes ʒ ij. nucis moſc. cinnam. caryoph. an. ʒ j. m. & cum ſyr. de ſtœch, ref. maſſa. In uſu haberi poſſunt etiam pil. aggreg. Menſtrualis euacuatio omnino fouenda. Atque à curis vacandum, vt monet Celſus. Ita de hoc affectu ſentimus, hæcque à nobis peracta, & peragenda ſunt, niſi meliora ſuggerantur.

INCV-

XXXVIII.

INCVBVS.

VIrgo Nob. 25. annum agens, temperamenti calidi, & humidi, ſpecioſi, atque carnoſi habitus, Patre defuncto, non adeò diuitijs abundans, ſpontè caſtitati, atque pudicitiæ addicta, cum Matre alacri animo vitam ducens, potiuſque cibis, ac potibus, quàm Viro, aut Veneri indulgens, ideoque carnoſior, atq; obeſior facta, decem abhinc menſibus inſomnia pari cœpit, partim iucunda, partim moleſta, & affligentia; ſiquidem ab aliquo Viro, uèl ignoto ſæpè ſe premi ſupina ſomniat, aliquando cum voluptate, etiam uſque ad ſeminis emiſſionem; ſed adeò ponderoſo ſenſu, ut & reſpiratio, & vox, & motus omnino ſibi intercipi videantur, ut reuera accidit; expergeſit enim nonnunquam magno conatu, magnaque anxietate, cum ululatibus, & quidem mœſta, cum madore faciei, & ceruicis grauitate. Nonnunquam etiam ſomniat, ſe non à Viro, ſed ab alio pondere premi, citra ullam delectationem, imò cum labore, & afflictione iam dicta; quod potiſſimum ſibi euenire obſeruauit, quando liberalior fuerit cœna. Tandem Matri hoc incommodum, atque frequentem moleſtiam detegere prudenter decreuit; cuius cauſa cum Medico domeſtico accerſitus ego, vt procul à Viro, & incolumi caſtitate curaretur, ita exorſus ſum.

Affectus, quo multis abhinc menſibus premitur Nob. hæc, & honeſtiſſima Virgo, inter fabuloſos Faunorum fuit à Plinio [a] collocatus; quem tamen nituntur Aetius, & Orib [b]. à fabulis vindicare, ſcribentes eſſe affectum Epilepſię proximum, in quo quæcunque accidunt Epilepticis vigilantibus, patiuntur quinetiam hoc affectu preſſi dormientes. Hunc autem Paulus [c] Ephialtem, ſiue Incubum appellauit; dormientes enim aliqnem ſibi inſilire, ſiue incumbere imaginantur. Aetius verò ait, [d] *Incubus, non Dæmon, ſed magis præludium eſt Comitialis, aut inſaniæ, aut ſiderationis.* Auic. verò [e], quod quidam hunc affectum ſtrangulationem, à ſymptomate nominant. Cæl. Aurel. [f] *Incubus ab incubando; quia ita affecti imaginantur aliquod onus ſibi incumbere.* Fern. quod [g] *Incubus eſt grauis corporis oppreſſio, & nocturna ſuffocatio, reſpirationem impediens, vocemque interrumpens.* Omitto Dæmones Incubos, Mulieres, & Succubos, Viros prementes à D. Auguſtino [h] adductos, vt qui ſupernaturales cauſas habeant, & à caſu noſtro alieni ſint.

Huius affectus cauſa immediata, vt in reliquis, eſt impeditus tranſitus ſpiritus animalis ad organa motus, reſpirationis, & vocis; quoniam nec reſpirationem ducere, nec moueri, nec vocem edere poteſt ipſa Virgo. Cauſa verò mediata tranſitum impediens, non eſt intemperies, quia citò fit, & citò deſinit; nec morbus in ſoluta vnitate, cùm ſine inciſione, contuſione, & dolore fiat. Ergo in mala compoſitione fuerit, nimirum in via; eſt enim obſtructio, potiſſimum in poſteriori cerebri parte, vt facilè conijci poteſt ex læſione motus totius, linguæ, & reſpirationis; quod confirmat quoque Gal [i]. Vnde obſeruatum fuit ab Auic [k]. quod Incubns accidat potiſſimum ſupinè cubantibus; quoniam facilius materia in poſteriori cerebri parte coaceruatur. Ideo nullo modo audiendus Rondeletius, qui partem affectam voluit eſſe venas thoracis; nec Fern. & Platerus cum eo, præcordia aſſignantes; eò quod legerint Paulum aſſerentem, Incubum crapulę deditis eſſe familiarem; totius enim immobilitas, motus principium læſum eſſe neceſſariò ſupponit. Verùm tamen eſt, quod lædi poteſt per conſenſum, & à Ventriculo, in Epulonibus cruditatibus ſcatente, & à Liene ſanguine melancholico referto; ab Vtero item, vel à toto, ſuppreſſis menſtruis, vel conſueta hæmorrhoidali euacuatione; verùm ab Vtero, copioſo potius, quàm corrupto ſemine repleto; cùm à corrupto uterinæ præfocationes potius excitentur.

Et quidem in caſu noſtro; ſicut Cerebrum in poſtica parte præſertim læditur; ita non primariò, ſed ſecundariò, & per conſenſum, tum ab vtero, tum à ventriculo læditur; ab utero quidem ex copioſo ſemine in eodem aceruato, quo Iuuenis iſta formoſa, boni habi-

a Lib. 25 Cap. 4.
b Tetr. 2. Ser. 2. C. 12 & Lib. 8. Synop. Cap. 12.
c 3. de Re Med. 15.
d Tetr. 2. Set 2. C. 12
e 1. 3. Tr. 5. Cap. 5.
f Lib. 2. Tard. paſſ. Cap. 3.
g 5. Path. Cap. 1.
h Lib 15. de Ciuit. Dei 23.
i 4. de Loc Aff. 2.
k 3. 1. doct. 2. Cap 9.

Digitized by Google

tus, & plethorica quammaximè abundat; à ventriculo verò, cum cibis, & potibus delectetur; quorum ratione poſt copioſam cœnam accidere ſolet affectus, ſine Venereis delectationibus; ab his enim partibus vaporoſa materia eleuata, in poſteriori Cerebri ventriculo obſtructionē faciens, tranſitū intercipit ſpiritibus animalibus, & irradianti, ac illuſtranti facultati motrici, vnde ſequitur immobilitas, citò tamen euaneſcens; quoniam materia humoroſa non eſt, ſed vaporoſa, craſſior tamen; ſi enim tenuis eſſet, citò reſolueretur, nec obſtrueret. Ab huius autem vaporoſæ materiæ præſentia deprauatur Imaginatio in ſomno, diuerſo quidem modo, pro diuerſitate vaporis excitantis peculiarem ſpeciem in imaginatione; eadem ratione propemodum, qua in delirio melancholico, in quo variæ, & multiplices obſeruantur ſpecies deprauatæ imaginationis, quarum varietas à vaporum varietate, atque proprietate dependet. Sic quoniam Incubus, in hoc caſu, vt plurimùm fit à vapore, à copia ſeminis eleuato, imaginatur Virgo ſe in actu Venereo, ab homine premi; prout quando à nimis repleto ventriculo exoritur craſſus, ac nebuloſus, grauitatis, atque ponderis tantummodò ſenſum infert eidem imaginationi.

Eſt autem affectus non ſpernendus, præſertim cùm frequenter honeſtiſs. Virginem inuadat; eſt enim Epilepſiæ, vel Apoplexiæ præludium; epilepſiæ quidem, non quia à vapore fuliginoſo, ac melancholico procedat; ſed quia ætatis progreſſu ſemen, vel corruptionē, vel ſaltem calidam, & acrem qualitatem concipere poſſet; & præterea quia ventriculi cerebri, temporis ſpatio, maiorem imbecillitatem, atque laxitatem contrahunt, ſicque facilè, & vapores, & humores admittunt; vnde etiam facilè, & Epilepſiæ, & Apoplexiæ ſuccedere poſſent, in hac Iuuene ſuccis, & copioſo ſanguine redundante. Lethalis enim nonnunquam affectus iſte obſeruatus eſt in pueris, & obeſis derepentè ſuffocatis; prout Aurel. epidemicum, & pernicioſum incubum Romæ graſſantem deſcribit.

[1] Loc. cit. Quam primùm itaque huic malo occurrendum, ut conſulunt Aetius, Paulus, & Orib.[1] Curatione ſcil. vaporem diſcutiendo; & Præſeruatione, eiuſdem regenerationem inhibendo. Id autem præſtabitur, humorem euacuando; Partem mandantem corrigendo; & errorem externum auferrendo.

In acceſſione itaque Virgo leniter à ſomno excitanda, compellatione, vociferatione, vellicatione, corporis frictione, & exſufflatione pulu. in nares ex Iride, & Nigel. parati, ad ſternutamentum excitandum; in quam rem, habeat penes ſe in auxilium cuſtodem famulam.

Pro præſeruatione, præmiſſo leniente, ſanguis erit ex brachio mittendus, tempore æque diſtanti ab vtraque, præterita nimirum, & futura menſtrua purgatione; corpus enim eſt plethoricum, ſanguine, & ſemine abundans. Quod ſi menſtrua non ſatis copioſa fluerent, ſaphena quoque aperienda. Perſeuerante vero affectu pluribus menſibus, repetenda erit ex brachio eadem ſanguinis miſſio. Frequenter ſub ingreſſum lecti adhibeantur partibus infernis frictiones aſperæ, arctæ ligaturæ, & lotiones aqua calente.

A Pharmaceutico fonte deſumenda Lenientia, Præparantia, Purgantia, Diſcutientia, Semen Extinguentia, & à Proprietate iuuantia.

Leniens eſſe poterit, Potio ex Man. clarif. vel Lenit. cum Tart. Præparantia primò erunt Iulap. acet. cum ſyr. de Cort. Cit. ad ℥ iii. ſine diluto quinque diebus, repetito deinde Leniente ſupraſcripto. Præparantia poſtmodum ità præſcribenda. ℞. Decoct. cich. borrag. end. violar. nympheæ, portul. aut plantag. lact. ℥ vj. Succi depur. Pom. dulc. ſucci lim. an. ℥ i. m. pro ſyr. & ſic pro aliis. Vel ℞. Aq. ſtill. nympheæ ℥ iiii. Lactucæ ℥ iii. Conſ. de acido Cir. ſucci lim. an. ℥ i. m. pro ſyr. & ſic pro aliis. In quorum vſu perſiſtendum quindecim ſaltem diebus; atque in horum intermedio, ſicut & in fine, Purgans erit exhibendum huiuſmodi. ℞. Por. ex Man. clarif. ℥ vi. addendo infuſ. conſuetæ Agar. trochiſ. ʒ ii. Rhab. opt. ʒ i. Spicæ gr. vi. & f. p. vel ℞. Fl. Caſſ. rec. ext. ʒ vi. Elect. de ſucco roſ. ʒ ii. Diaphen. ʒ i. m. f. b. quibus ſuperbibat Aq. Nocerianæ lib. ii. Abſoluto autem ſyr. vſu, Pilulæ huiuſmodi exhiberi poterunt, vt capitis quoque ratio aliqua habeatur. ℞. Pil. Aur. Coch. præpar. an. ʒ ſ. Maſtich. ℈ i. m. refor. Pil. cum ſucco rutæ, & aur. quibus pariter ſuperbibat Aq. Nocer. vt ſupra.

Caputpurgiis opus non eſſe videtur in caſu noſtro; cum caput ab vtero, & ventriculo vaporoſam materiam ſuſcipiat; nihilominus, ſi per nares ducatur puluis ex Maior. Iride, & Nigel. paratus, reliquum vaporoſæ materiæ diſcuti, & caput quoque nonnihil roborari poterit.

Interim ſemen extinguentia in vſu diuturno ſint. Sic mane ieiunè comedat Conſ. è Fl. Nymph.

Nymph. Viol. vel ſem. lactucæ ſacch. incruſtata; vel lactucam ſacch. conditam, quibus ſuperbibat cyathum aq. ſtill. Lactucæ, aut ius lactuca alteratum, addito quoque lim. ſucco. Comedat in cœna acetaria, vel ex lactuca, vel ex portulaca, vel ruta hortenſi, vel ex omnibus ſimul miſtis parata, & aceto copioſo condita.

A proprietate iuuare vnanimes omnes Medicinæ Principes aſſerunt, Pęoniæ nigræ fructus, ſi gr. xv. trita deuorentur, & aq. eiuſdem Pęoniæ ſuperbibatur; quod genus remedii à plurimis quoque recentioribus admittitur. À Chymicis commendatur tinct. Corall. Magiſt. Perl. Extrac. Pœoniæ, & Viſci querc.

Inter externa Rad. pęoniæ è collo ſuſpendenda, Corallia rubra, Chryſolithes, Malachites lapides ſiniſtro brachio geſtati; Cucuſa item ex pelle lupina noctu capite geſtata.

Victus ratio debet eſſe conſueto tenuior, attenuans, & flatus diſcutiens; quare omnia flatulenta, & vaporoſa vitentur. Cœna frugalis erit maximum, & potiſſimum remedium, imò, ſi quandoque ab eadem abſtinuerit, paroxyſmum pręcauebit. Potus ſit Vinum album, aquoſum, & cœna claudatur Cydoniato, vel Conſ. Roſar. ſiue Abſint, ſi ventriculus non omnino benè ſe habeat. Vigilet à cœna ſaltem duas horas, & ſupinum decubitum vitet. Se exerceat in rebus domeſticis. Bis in menſe Pil. maſtichinam ſub cœnam aſſumat, & conſueto alacri animo viuat.

XXXIX.

EPILEPSIA, ET TOTIVS Corporis Torpor.

PVer 12 annum agens, à naturæ primordiis caput pręhumidum ſortitus, boni tamen habitus, ſanus vſque ad tertium ætatis annum vixit, à quo motibus conuulſiuis, cum animalium actionum læſione, epileptico ſcilicet inſultu, correptus fuit; & quidem immani adeò, ut illum quatuor integris diebus ferè indeſinenter torſerit, à quibus per ſex menſes linguæ, oculorum, manuum, & pedum impotentia laborauit; melius autē deinceps, at non omninò ſalubriter, ad ſeptimum vſque annum peruenit, quo acceſſio eadem, at non adeò vehemens iterum inuaſit, cum aquoſa, tum per ſuperiora, tum per inferiora euacuatione, cui affectiones ſuperuenientes paucis diebus ex toto receſſerunt, nec amplius uſque ad annum præſentem duodecimum recurrerunt. Modò, licet animales functiones principes, memoriam ſcilicet, & ingenium ſatis vegetes habeat, & pariter naturales, benè enim appetit, & nutritur; attamen membris omnibus, & linguæ potiſſimum motus non adeò agilis, nec expeditus, quinimò quodammodo tardus, & difficilis obſeruatur; totius interim corporis habitu adeò copioſis humiditatibus redundante, ut hyeme vix calefieri poſſit, & æſtate continuò toto corpore mador, & ſudor ſpontaneus diffluat. Quare, ne epileptica acceſſione rurſus corripiatur, vtque à præſenti motus ignauia liberetur, de agendis cōſulit.

Puer ab Epilepſia præſeruādus, & à Torpore vindicandus, atque ſanandus nobis offertur; epilepticæ quippe acceſſionis tertio, & ſeptimo anno certiſſima habuimus indicia, dum motibus conuulſiuis, cum principum actionum læſione exagitatus fuit; quos adeò epilepſiæ proprios exiſtimauit Galenus, vt illam per conuulſionem[a] non perpetuam definierit. Imminutus autem ille motus, torpor; ſicut deficiens ſenſus, ſtupor ab Hipp.[b] nuncupantur. Vt autem Puer cuſtodiri poſſit à nouo epileptico paroxyſmo, eiuſdem cauſa à nobis cognoſcenda, & amouenda eſt. Hanc autem eſſentialiter in capite fuiſſe genitam, caputq; per eſſentiam affectum eſſe cenſendum eſt; tū quia nec aura frigida, & (ut Pelopi placuit) venefica à tibia, aliaue corporis parte eleuata obſeruata fuit, ut Puero[c] 13 annum agenti accidit; nec à ventriculo inedia afflicto, ut Diodoro[d] Grammatico; verùm nulla prægreſſa querela de aliis partibus malè affectis, huic puero noſtro contigit epileptica acceſſio; quæ propterea fieri non potuit à vaporibus putridis, & acribus, ab infernis partibus eleuatis, vt credidit Fernel. & ante eum Ariſt. & Auer. nec à melancholico ſucco, vt Hipp. ſed cum Gal[e]. à pituitoſo humore in humidiſſimo capite genito, & in cerebri ventriculos

a 3. de Loc. Aff 7.
b 3. in 6. Epid. 1.
c 3. de Loc. Aff 7.
d 5 de Loc. Aff. 6. & Aduer. Eraſiſt 9.
e 6. in 6. Epid. 7. & vt Gal. de Hipp. refert 3. de Loc. Aff. 7.

influente, vbi vias ſpiritibus occludẽs, functiones principes, & ſenſum, & motũ oppreſſit, donec à materiæ copia irritato [f] principio neruorum, & ſe ipſum quatiente, quod noxium eſt, excuſſerit, & ventriculos ab impedimento, & infarctu expedierit. Ad huiuſmodi verò affectionem [g], *Cùm in vtero ſæpiſſimè diſponantur pueri, vlceribus in capite, in auribus, & reliquo corpore egent, ad expurgandam pituitam, vt liberi euadant, & ſani degant*. Quo naturæ beneficio deſtitutum fuiſſe puerum hunc, ex relatis credere licet.

[f] 3. de Loc. Aff. 7.
[g] de Morbo ſac. 7.

At quoniam contingit aliquando, vt humor copioſus adeò diſſolui minimè queat; ideò ad neruoſum genus deponitur; hinc epilepſiæ paralyſin ſucceſſiſſe viderunt Eraſtus, & Salius. Quare mirum non ſit, ſi in puero noſtro, à copioſa materia labefactato calore innato, & facultate expultrice debili reddita, materiam hanc ille reſoluere, hęc omnino ad aliquam ſolùm partem excurere nequiuerit, ſed partim in cerebro, partim in ſpina per neruoſum genus tranſfuſa illud humectauerit [h], atque diluerit, & ſui ipſius principio ſimile reddiderit, vnde ad motum imbecillitas, torpor ſcilicet dictarum partium, ſine tamen ſtupore, quia maius robur ad motum, quàm ad ſenſum requiritur. Verùm quia perennis antehac, & nunc etiam eſt pituitoſæ materiæ in capite prouentus, ideo continua quoque ad inferiora defluxio facta eſt; & hinc materiæ aquoſæ in acceſſione, tũ per vomitum, tum per aluum excretio. In præſenti autem præter iam dicta, conſiderandum venit, quod humidæ materiæ non exigua portio per ſpatia defluens, partes muſculoſas perfundens, & laxiores reddens hyeme earundem calorem obruat; æſtate verò ſudores, aut ſaltem continuos madores excitet, ex quo fit, ut ſpiritus animales ad partium motum effuſi, vix excitari poſſint, & actuari; vnde omnium partium motum torpeſcere, neceſſe omnino ſit.

[h] 3. de Sympt. Cau. 1.

Vterq; ſanè affectus magni faciendus; & primò ſi de epileptico loquamur, & licet ante pubertatem [i], mutationem accipere ſoleat, ætatis ratione, & caloris augmento; obſeruandum tamen [k] Hipp. monitum, quod, *Si paſſiones in pueris, nec quadraginta diebus, nec ſeptem menſibus, nec ſeptem annis, nec prope pubertatem finiantur, conſeneſcere conſueſcunt*; Quod ideo noſtram opem medicam ſolicitat, vt præuertatur, & omnino hoc tempore profligetur affectus; quod nos aſſecuturos ſperamus, cùm nouem annorum ſpatio, bis tantùm inuaſerit; nec hucuſque validiora, & propria remedia adminiſtrata fuerint; quibus & torporem auferri poſſe confidimus, antequam ingraueſcat, qui à Gal. modò appellatur *Diſpoſitio* [l] *media inter valetudinem, & abſolutam paralyſin*; modò [m], *leuis quadam paralyſis*; à Rhaſi, *via ad paralyſin*.

[i] 5. Aph. 7.
[k] 3. Aph. 25.
[l] 2. de Sympt. Cau. 2.
[m] 2. de Loc. Aff. 3.

Et licet nos non lateant difficultates, eò quod naturalis ſit eiuſdem cerebri, atque neruorum humidiſſima intemperies, neruoſumque genus, vtpote durum, ſanationis perdifficilis ſit; attamen quoniam hac tenella ætate mollius eſt, natura etiam prope pubertatem adminiculante, curatione modò proponenda, & epilepſiam omnino ceſſuram; & torporem longè remiſſiorem euaſurum, imò ferè ad nihilum redigendum eſſe ſperamus.

Primùm itaque totum corpus expurgetur. Secundò Caput. Tertiò diſcutiatur materia in capite, neruis, & muſculis concluſa. Quartò caput roboretur, ne nouam regeneret materiam. Quintò neruoſum genus moderatè exſiccetur, cum vniuerſo corpore; ac tandem antepileptica in vſum ducantur.

In Chirurgia ſanguinis miſſio hìc locum non habet; quia nullum adeſt indicans, nec permittens. Cauterium brachio ſiniſtro erit omnino inurendum. Expurgatione peracta, cucurbitulas leues, & aſperas frictiones, etiam vſque ad ruborem, torpentibus membris adhibitas laudat Celſus [n].

[n] 3. de Re Med. 27.

A Fonte Pharmaceutico, ſicut ſelectiora, ita pro virili iucundiora ſunt depromenda; cùm ætati aliquid condonandum, ac indulgendum ſit. Prima itaque viarum expiatio procuretur. Manna clarif. ad ℥ v. Vel ℞. elect. lenit. ℥ ſ. extract. mechoacan. gr. x. m. f. b. Humorum verò prima præparatio hæc erit. ℞. mel. roſ. ſimpl. ℥ ii. iulapii acet. ℥ i. m. pro ſyr. & ſic pro quinque aliis. Humores deinde in primis viis præparatos ita expurgare conueniet. ℞. pot. ex manna clarif. ℥ v. additis infuſ. conſuetę agar. troch. ʒ iii. pro potu; Vel ℞. elect. lenit. ℥ ſ. ſpecier. hieræ ſ. ʒ ſ. extr. mechoac. gr. x. m. f. b. Inde ſecunda validior præparatio ſequatur, talis. ℞. oxymel ſimpl. ℥ i. ſyr. de beton. ℥ ſ. decoct. cich. borrag. meliſſæ, agrim. betonicæ, pœoniæ ℥ iiii. m. pro ſyr. & ſic pro aliis ſeptem; quod ſi decoct. reſpuat, ſubſtituantur aquæ ſtillat. beton. & pœoniæ. Ab his autem preparati humores ita expurgentur. ℞. pot. ex manna clarif. ℥ v. addendo infuſ. conſuetæ agar. troch. hermodact. an. ʒ ii. cinnam. ʒ ſ. f. p. Vel ℞. elect. lenit. ʒ iii. diaph. ʒ ii. magiſt. ialappæ gr. v. m. f. b.

At quoniam morbus eſt magnus, & altas radices habet in corpore, paſſim humiditatibus ſcaten-

ſcatente; ideo tertia ineunda præparatio, & expurgatio. Quare. ℞. oxymel ſquillit. ſyr. de beton. comp. da ſtœchade an. ℥ ſ. decoct. borrag. cich. meliſſæ, beton. rutæ capr. pęoniæ, pentaphylli, ſaluiæ ℥ v. m. pro ſyr. & ſic pro alijs ſeptem; à quibus ſi abhorreat, ſubſtituatur ℞. Aq. de ſucco beton. pęoniæ, lil. conuallium an. ℥ i. ſ. oxym. ſquillit. ℥ ſ. ſyr. de ſucco lim. ℥ i. tart. uitr. gr. v. m. pro ſyr. Quam præparationem talis ſequatur expurgatio. ℞. mel. roſ. ℥ iii. decoct. epit. meſ. ℥ ii. m. f. p. Vel ℞. pil. de hiera cum agarico, aggreg. de nitro Alex. an. ℈ i. m. cum ſucco beton. q. ſ. ref. pil. & aur. Vel ℞. elect. lenit. ℥ ſ. extract. ueratri nigri ℈ i. m. f. b. à quibus præbeatur ius hordeo alteratum, uel aqua hordecea.

Toto expurgato, caput quinetiam ualidè [o] expurgādum, triplici pilularum exhibitione, & maſticatoriis. Pilulæ ſint huiuſmodi. ℞. pil. coch. præparat. ℈ ii. maſtic. ℈ i. m. ref. pil. cum ſucco beton. aut rutæ capr. q. ſ. & aur. Hæ uerò tertio, aut quarto quoque die aſſumantur; diebus uerò intermediis præbeantur hi ſyr. ℞. decoct. borrag. meliſſæ beton. rutæ capr. pœoniæ herb. paralyſis ℥ v. ſucci rutæ capr. aut pœoniæ depur. beton. depur. an. ℥ i. m. pro ſyr. uel decoct. ſubſtituantur aquæ de ſuccis rutæ capr. beton. maioranæ, pęoniæ. Quo tempore mane ſputum prouocetur maſticatoriis ita paratis. ℞. maſtich. elect. ʒ. ſ. nucis moſch. pyrethri an. ʒ ſ. ceræ q. ſ. m. f. globuli maſticandi. o de Puero Epileptico.

Hoc tempore corrigenda eſt humidiſſima capitis intemperies, & humida materia, tū in neruoſis, tum in muſculoſis corporis partibus inbibita, ſenſibiliter, & inſenſibiliter reſoluenda, ſudore in hypocauſto ſolicitato, huiuſmodi decocto. ℞. medullæ ligni guaiaci pinguis, viſci quercini veri an. ℥ i. ligni Heraclei, radic. pœoniæ, radic. pentaphylli an. ℥ ſ. aquæ meliſſæ lib. i. ſ. beton. rutæ capr. an. lib. i. m. f. inf. per horas 24. deinde bull. ad conſumpt. dimidii, & colat. ſeruetur pro rribus vicibus, matutinis horis ante ſudorem aſſumenda; cui præmirti poterit bolus huiuſmodi. ℞. cornu cerui philoſophicè præparati ℈ i. viperini pulueris gr. vi. caſtorei gr. iii. ſucci rutæ capr. q. ſ. m. ref. bol. & aur. Pro potu quotidiano ſecunda aqua ita paretur. ℞. reſiduum, aquæ fontis lib. xii. m. bull. ad conſumpt. tertiæ, in fine ebull. addendo cinnam. integri ʒ ii. & facta colat. eidem adhuc calenti infunde ſacchari fini ℥ iiii. pro potu quotidiano tempore ſudoris, ſpatio quadraginta dierum.

Quo tranſacto, pro integra diſcuſſione materiæ neruis, & muſculis impactæ proponi ſolent foucæ ſulphureæ; imò & Balnea ſulphurea; vnde [p] Celſus laudabat natationes in aqua marina; quæ tamen in puero noſtro epilepſiam paſſo valdè ſuſpecta. Quare extrinſecus, abundè fuerint frictiones, manibus inunctis hac inunctione. ℞. ol. amygd. amararum ℥ iii. vini maluatici ℥ i. nitri ʒ ii. m. bull. ad conſumpt. vini, pro manuum inunctione. Intrinſecus præbeatur puluis viperinus, ad gr. xv. in aqua card. ſancti quotidie, per viginti, & plures dies. p 3. de Re Med. 23.

Neque Antepileptica ſpernenda, poſt peractam expurgationem in vſum ducenda, quæ erunt, vel ſpir. vitr. cum viſco quercino, & ſem. pœoniæ paratus, ad gutt. iii. vel iiii. in aqua pœoniæ; vel cochlear aquæ theriacalis; uel ol. buxi, aut ſuccini, aut ligni Heraclei, aut Cranii humani ad gutt. ii. vel iii. in aqua de ſucco rutæ capr. uel extractum rutæ capr. uel ſal cranii humani, cum vngula Alcis.

Ex Periaptis, Smaragdus collo ſuſpenſus ab epilepſia defendit; & præter alia, pœoniæ radix ad ſydera extollitur à Gal [q]. ſit tamen maioris, collecta Sole in Leone exiſtente, die, & hora Solis, Luna decreſcente, carnemque attingat. q 11. Simpl.

Victus rationem quod attinet, cubiculum, in quo dormit, & habitat Puer, non ſit ſeptentrioni obuerſum. Veſtibus benè corpus muniatur. Abſtineat omnino à lactariis omnibus, catnibus porcinis, & à proprietate nocentibus, & epilepſiam inducentibus; vt ſunt carnes caprinæ, hœdinæ, coturnices, perdices, qualeæ, paſſeres, anguillæ, apium, petroſelinum, lentes, tubera, fungi. Vinum ſit album, tenue, buxo, pœonia, & ligno roris marini, aut viſci quercini medicatum. Sub ingreſſum lecti comedat conſeruam aliquam, aut betonicæ, aut rutæ capr. aut roriſmarini. Abſtineat à ſomno meridiano. Exerceat corpus; ex Hipp [r]. tamen, *Labores ante cibum*. Aluum lubricam ſeruet pil. aliqua maſtichina ad ſcrupulum vnum. Et animi paſſiones vitentur, potiſſimum timores, terrores; imò & ira, magiſque excandeſcentia; Quæ omnia faxit Deus, vt Puero ſalutaria contingant. r 4. in 6. Epid. VI.

E P I.

Digitized by Google

X L.

EPILEPSIA.

NVlli vèl medioctiter Artis medicæ perito dubia eſſe poteſt affectus idea, quatuor abhinc annis, Com. Illuſtriſs. 23. annum agentem, calidi, & ſicci temperamenti, habitus potins gracilis, ad iram, & melancholiam valdè pronum, moleſtantis; & quidem multò minus, conſi- ratis ſymptomatibus poſtremò adauctis; ſtupiditas quippe illa attronita, cum aphonia, quæ noctu Iuuenem Illuſtriſſimum prehendere ſolebat, epilepſiam imperfectam ſignificabat, cùm ex Celſo [a] habemus, etiam ſine diſtenſione fieri poſſe; vnde epilepticum vidit non cadentem Marcellus Donatus; Stantem Beniuenius; Sedentem Dodoneus; Curſitantem Eraſtus; quæ tamen Epilepſiæ imperfectæ omnino fuere. Hiſce additur ſpuma circa os, à vehementi motu [b], & calore, circunſitas humiditates colliquante, proueniens; quæ licet perpetuum epilepſiæ ſignum non ſit, apparens tamen reliqua ſigna confirmat. Quam porrò perfectam redditam eſſe confirmarunt motus conuulſiui, cum actionum principum læſione; cùm eandem Gal. [c] per *Conuulſionem non perpetuam* definierit, *cum principum actionum abolitione*.

a 3. de Re Med. 23.
b 2. Aph. 43.
c 3 de Loc Aff. 7.

De cauſa verò non adeò facilè conſtat apud omnes; cuius propterea origo *Mirabilis* appellata fuit ab Aretæo [d]; vnde Morbum Sacrum dictam fuiſſe credidit; prout & Paracelſus ab aſtris cauſam petens, Aſtralem ideo morbum illam vocauit. Galenus [e] verò dum frigidum, & craſſum humorem, ventriculos cerebri obſtruentem, cauſam recenſet, medicorum plurimos in hanc opinionem traxit; cùm tamen aut rarò, aut nunquam à cauſa obſtruente, at frequentiſſimè, & fere ſemper ab irritante proueniat; cuius ratione Gal. ſingultui, Auic. ſternutamento affectum hunc aſſimilabant; præterquamquod ab eodem Gal. [f] habemus Diodoro Grammatico à ventriculo ex inedia; Puero [g] 13. annum agenti à tibia vaporoſam, & veneficam quaſi auram ad cerebri ventriculos irrepſiſſe, & eorundem expultrice irritata, non autem iiſdem oppletis, conuulſiuos motus, atque iiſdem ventriculis ſeipſos quatientibus, & viam ſpiritibus non perfectè intercipientibus, ipſam epilepſiam excitatã eſſe. Quare non mirum, ſi Hipp. nonnunquam, ut Lib. de Flatibus; ſed præterea & Ariſtoteles, & Auerroes à ſolis vaporibus fieri autumnauerint. Frequentiſſimè autem ab humore, vel exiguo melancholico; quinimò & à ſolis melancholicis acidis vaporibus ſuſcitari comitiales affectus, in praxi non ſemel obſeruare nobis contigit, cuius cauſa melancholici [h] facili negotio Epileptici euadunt, & è contra; atque *Quartana* [i] *capti magno morbo non capiuntur, & capti, ſi quartana ſuperuenerit, liberantur*, ſequuta nimirum melancholici humoris metaſtaſi. Hinc quoque *Morbi comitiales* [k] *iuuenibus fiunt*, & [l] *autumno præſertim*.

d de Diur. Aff. Cap. 4.
e 4 de Loc Aff. 2.
f 5. de Loc. Aff 6. 3. de Loc. Aff 7.
g Ibid.
h Ibid. & 6 in 6. Epid. 7.
i Ibid. & 5 Aph. 71.
k 3. Aph. 29.
l 3. Aph. 22.

Quibus omnibus à nobis expreſſis, Iuuenem Illuſtriſſimum, temperamenti calidi, & ſicci, gracilioris habitus, ad iram, & melancholiam procliuem, nonniſi à ſeroſitatibus blioſis, & melancholicis, acribus, & acidis, primò à toto venoſo genere ad cerebrum eleuatis, epilepticum euaſiſſe, pro certiſſimo habendum; cùm affectus ſolueretur efflorеſcentibus in cute multis rubris, & liuidis maculis, à ſeroſitatibus procul dubio iam dictis, à toto eò detruſis; quæ tandem in capite ipſo, quotidie imbecilliori facto ſedem ſibi firmantes, epilepſiæ detepentè inuadenti opportunum adeò reddiderunt, ut nullis prægreſſis totius, ſiue infernarũ partium querelis, momento temporis Iuuenem ipſum affectus prehendat; & ita morbus, qui prius per ſympathiam, modò per idiopathiam inuadat, & atrocius affligat, victus ratione, & clauſtrali vitæ genere melancholiam fouenti inſtituto.

Affectum hunc, *Varium, portentoſum, atque terribilem* appellabat Aret. [m] *Triſte* item *inuaſionis ſpectaculum, cum turpi deſinentia*. Neque immeritò Herculeum, magnum, imò maiorem morbum, & Sonticum, ideſt valdè nocentem, quia ſemper increſcit, Antiquiores vocarunt; adeò ut difficultas eius curationis, & ſanationis admiratione digna ſit; quòd ſcil. cerebri ventriculi, conuulſionibus ita labefactentur, ut priſtinum robur ægrè recipere poſſint;

m Loc. c. 5.

præ-

præterquam quod, addimus nos, ab humore melancholico plerumque procedit. Neque in ætatis mutatione ſpes reponenda; quoniam eius cauſa ætate inualeſcente ingrauefcet potius, minus autem in ſtatus mutatione; cùm clauſtralis, ſolitaria, meditabunda vita morbum, & morbi cauſam augere ſoleat. Quare in medicis auxilijs potiſſima fiducia, à Clauſtris Patientem ipſum, ſi fieri poſſit, reuocando; & congruam in reliquis victus rationem inſtituendo.

Totum itaque erit purgandum; deinde caput; calida iecoris, & venarum intemperies corrigenda; humoris acrimonia, atque aciditas demulcenda; & affectus alexipharmacis oppugnandus.

Quibus intentionibus, ut ſatisfacerẽt Viri præſtantiſſimi, multa præſtiterunt, primas uias, & totum uenoſum genus, tum ſanguinis miſſione, tum pharmacis euacuando; ut propterea cæteris modò indicationibus ſatisfacere nobis incumbat.

Et quia non ſatis uenoſum genus ab humore melancholico expiatum credimus; ideo huic intentioni aliquantulùm adhuc inſiſtendum, præbendo extractum veratri ad ʒ ſ. cum ℥ ſ. flor. caſs. cui, tranſacta hora, ſuperbibat Pat. ſer. capr. depur. lib. ij. Sequentibus verò duobus, aut tribus diebus idem pariter repetat ſerum cum ſyr. vel ſucco de pomis; aut ſuccum bibat botrag. depur. ad ℥ iii. in iure malua, & violis alterato; rurſus veratri extracto eodem modo repetito. Ac tandem, totidem interiectis diebus, pil. cochiæ & aut. exhibeantur, ſero depur. vt dictum, ſuperepoto.

Quibus peractis Iecoris calor remitti poterit aquis Nocer. cum minerales non ſint; aut ſuccis refrigerantibus deput. Aquæ verò B. V. vtpore vaporoſæ, & quodammodo ſulphureæ nobis ſuſpectæ; dubio namque procul caput acri qualitate afficiunt, & turbant.

Pro ſanguine verò contemperando, eiuſque acrimonia & aciditate demulcenda, eximium planè ſperarem fore remedium, lactis vſum diuturnum, primò aſinini, mox etiam caprini; cuius humidæ, & lacteæ euaporationes in caput, vaporum, & humorum acrimoniã, & aciditatem demulcentes, ac proinde irritamentum inhibentes, huic malo præſenti remedio erunt. In quem finem, Balneum quoque vniuerſale nullo modo erit omittendum, maluis uiolaria, lactuca, & nenuph. alteratum.

Interim aliqua à proprietate iuuantia erunt in uſum ducenda; quæ tamen non multùm calefacere, & humorum acrimoniam augere poſſint. Sic ſub ingreſſum lecti bibat Pat. hauſtum aq. ceraſorum, aut pœoniæ, cum gutt. ſpir. uitrioli, miræ efficaciæ in ſiſtendis euàporationibus ſurſum exhalantibus. Mane uerò prima menſa, dum ſumit lac, comedat conſeruam è floribus rutę capr. ſale cranii humani commiſto: uel bibat hauſtum aqu. flor. Tiliæ cum gutt. ol. heraclei. Geſtet item in anulo ungulam Alcis.

Et tandem his omnibus congrua addatur uictus ratio, à Doctiſſimo Viro præſcribenda; circa quam, obſeruatione dignum, quod abſtinere debeat ab Hędis, Coturnicibus, Perdicibus, Qualeis, Paſſeribus, Anguillis, Apio, Fęniculo, Lente, Fungis, atquę Tuberibus terræ. A uino quoque per annum ſaltem, præter quàm propoſito à Præclariſs. Viro ex ceraſis nigris parato; cuius inopia pareatur aqua ſtillat. ex pomis dulcibus, & borragine, addito ſucco granatorum, aut marenarum. Inter cætera uerò animi applicationes, atque meditationes arceantur, & amicorum conuerſationes alacres procurentur.

EPI-

Digitized by Google

XLI.

EPILEPSIA.

a 3. de Loc. Aff.
b 3. de Re Med. 13.
c 3. de Re Med. 23.

LIcet Gal.[a] definierit Epilepſiam, per *Conuulſionem non perpetuam partium corporis, cum principũ actionum læſione*; non tamen ſequitur, epilepſiam ſine euidenti conuulſione fieri non poſſe; nam & Paul[b]. ſpumam, pro ſigno eiuſdem perpetuo aſſignat, cùm tamen plurimi epileptici ſine eadem quotidie obſeruentur. Ideo Celſus[c] ſcripſit, eandem fieri modò cum diſtenſione, modò ſine eadem. Et licet ſpuma circa os, conuulſio, & abolitio ſenſus & motus, ſit ſyndrome epilepticorum ſignorum; poteſt tamen fieri abſque omnium concurſu, ſed aliquo ſolummodò ex iiſdem concurrente. Hinc Marcellus Donatus vidit epilepticum non cadentem; Beniuenius alium ſtantem; Dodonæus ſedentem; Curſitantem Eraſtus. Quare cùm Illuſtriſs. Pat. in infantia epilepticas acceſſiones paſſus fuerit, & poſtmodum etiam, licet cum motibus conuulſiuis obſcuris, verùm cum memoriæ amiſſione, eaſdem epilepticas ſtatuendas omnino cenſeo, potiſſimum cùm Gal. loco cit.[d] læſionem actionum principum, in epilepſia, motibus conuulſiuis anteponat. Quare de eſſentia non ambigo; ſicut ſatis patefacta mihi videtur eiusdem ſedes à Viro Excell. cùm eſſentialem illam eſſe poſſe neget, quòd raro contigerit, nec alia adſint læſi capitis indicia. Conſenſus ergo eius fuerit, aut ab hypochondriis; aut à toto. Et ſicut totum cum Viro Excellentiſs. concurrere arbitror, ita aliquam ab hypochondriis ſuſcipere ſympathiam, negare non auſim, cùm mihi iam innotuerit Illuſtriſs. Pat. aliquo pacto hypochondiacus; & quidem metaſtaſis facillima obſeruetur frequenter in praxi, de mente[e] ad corpus, & de corpore ad mentem; cuius cauſa facili negotio, melancholici epileptici euadunt, & è contra, vt 6. Epid. aſſeruit Hipp. & 3. de Loc. Aff. Gal.

d Ibidem.
e Ibidem.

f 5. Aph. 7.
g 2. Aph. 23.

Affectus hic licet videatur ab Hipp.[f] poſt 25. annum cenſeri inſanabilis; attamen ab eodem[g] ſanabilis ſtatuitur mutatione ætatis, temporum, locorum, & victus. Hinc Gal. Quos, Quibus, & quando, & 6. Aph. 47. *Non paucos comitiales euacuando ſedauit*. Quare & in caſu præſenti, ſalus integra non eſt deſperanda; cùm non ſit eſſentialis affectus, prout poſt 25. annum, qui ſolùm inſanabilis cenſetur. Hinc frequentiſſimæ extant hiſtoriæ; nam Mulier quinquagenaria liberata fuit à Nicolo, ſicut altera pariter quinquagenaria à Trincauel. in quibus affectus ſympathicus, non idiopathicus fuit.

Ad curationem itaque, aut melius, ad præſeruationem accedendo, totum euacuandum, in quo reſidet minera morbi; obſtructiones in hypochondriis reſerandæ; à capite vapores diuertendi; & tandem alexipharmacis contra morbum pugnandum, ſuppoſita congrua victus ratione, ſine qua fruſtrà omnia.

h Cap. 2.
i Cap. 19.
k Tetr. 2. Sermon. 2. Cap. 13.
l 3. de Re Med. 23.

In fonte Chirurgico, neceſſariam cenſeo ſanguinis miſſionem; ſiquidem neceſſarium remedium huiuſmodi vocat Gal. de Sang. Miſs.[h] Quod ſi renueret maiorum venarum brachii inciſionem, aperiatur ſaphena pedis, cum Gal. de Sang. Miſs.[i] qui locus commendatur etiam ab Aet.[k] in epilepſia per conſenſum; ſicut Celſus[l] ex vtroque pede ſanguinem mittendum proponit; neque tamen erit omittenda reſeratio uenarum ſedalium, ſingulo menſe repetenda. Vtile quoque foret cauterium in coxa; cui ſubſtitui poterunt lotiones frequentes crurum, & pedum; ſicut & infernæ frictiones, & cucurbitulæ ſiccæ.

Pharmaciam quod attinet, difficultas obiicitur in curatione regulari implenda; pauciora propterea, & meliora, nec non commodiori quo poterit modo uſurpanda, proponam. Et pro prima euacuatione, à lenientibus non diſcederem, ut elect. lenit. Inter purgantia expertus ſum pil. de nitro Alex. & cochias præp. cum helleboro; quibus addi poterunt aggreg. ob conſenſum. Probatur etiam extract. helleb. à Viro Excellentiſſimo propoſitum, verùm caſs. miſtum, ſuperbibendo aliquod contemperans, & humectans. Quod ſi ſerum capr. aut vacc. præſtò non fuerit, eius loco ſit ius hord. alteratum; quæ medicamenta illuc tranſmittenda erunt; ſimulque pro præparantibus, aq. ſtillat. meliſſe, borrag. rutæ caprar. lil.

conual.

Digitized by Google

conual. beton. & acet. ſimul miſtæ in vaſis uitreis; quarum libræ immiſceri poterit oxymel ſquill. tantoperè à Gal. commendatum, quo, ait ipſe, diuturnus huiuſmodi affectus valdè iuuatur, & nouus ſanatur; ideo de Puero Epileptico, medicamento ex ſquilla, profitetur, ſpatio 40 dierum ſe hunc morbum ſanaſſe, etiam abſque uſu hellebori. Atque ſic erit procedendum, præparando, & euacuando plures dies. Proximo Vere poſtea poterit parari aq. ſtill. quę proprietate tum manifeſta, tum occulta morbo huic aduerſetur, quæ talis erit. ℞. ligni buxi, ſalſæ, viſci querc. an. ℥ vi. ligni ror. mar. ℥ iii. radic. pœon. gentianæ an. ℥ i. aq. beton. borrag. an. lib. v. ex fl. lil. conual. rutæ capr. an. lib. i. m. f. inf. per horas 24. deinde bull. ad conſumpt. tertiæ; poſtea deſtill. in B. M. & huius aquæ exhibeantur ℥ vi. ſingulò mane, cum aliquot gutt. ſpiritus vitrol. extracti cum ſem. pœon. & viſco querc. qui quidem admirabilis eſt; ſicut & antecellit ol. buxi per deſcenſum paratum, ad gutt. iiij. vel v. quod fuit ſecretum Rulandi ſenioris, tantoperè in hoc affectu commendatum. In vſu verò prædictæ aquæ perget per menſem; à qua vti poterit familiariter aliquo antepileptico med. vt eſt aqua Theriacalis, aq. pœoniæ, cum ſale cranii humani, vel ol. ligni heraclei in eadem aqua; hæc verò omnia aſſumenda mane, ieiuno ventriculo. Quæ vt minus operoſa, valdèque vtilia, nec iniucunda propono.

Victus ratio magnam, imò potiſſimam partem obtinet, in hoc affectu, circa quam principaliora attingam. Vinum [m] in primis omnino interdicendum, ſaltem per annum. Cauendum item à cibis ſalitis, caput tentantibus, necnon pituitoſis, ac melancholicis; & qui præcipua, ac occulta qualitate hunc morbum fouent, quos paucis perſtringam. Abſtineat itaque in carnis uſu, à ſuilla, leporina, omnino à caprina, à coturnicibus, qualeis, perdicibus; ſic & hœdi ſunt ſuſpecti, ratione capræ. Inter piſces, ab omnibus conchiliis, & oſtreaceis, à ſquamis carentibus. Item à lactariis omnibus, leguminibus, & quantum fieri poteſt à laganis, ſinapi, cæpis, allio, & à dulcibus. Venus omnino nunc intermittatur; ex Hipp. enim eſt breuis quędā epilepſia. Bis verò aut ter in hebdomada aſſumat duo cochlearia aceti ſquillit. & ratum habeat, quod vehemens animi motus, & perturbatio paroxyſmum inducit, ex Gal. de Puero Epileptico. Sic profundas cogitationes euitet. Interim Deus uota noſtra ſecundet.

m Paul. Aet. & Cels. Ibid.

XLII.

EPILEPSIA AB VTERO, Ventriculo, & Hypochondrijs.

MVlierem Nobiliſs. iamdudum melancholico affectu detineri, pro certo habeo, eoque per conſenſum ab utero, & progreſſu temporis, ad hypochondria quoq; fortaſſe propagato; intempeſtiua namque, & extemporanea mutatio ſocietatis ad ſolitudinem, concauſa fuit; ſicut hilaritatis ad mœrorem inſuetum, & à natura, atque moribus Nobiliſſimæ Mulieris prorſus alienum, cum nimia de rebus [a] domeſticis ſolicitudine melancholicæ affectionis, ſignum abundè præbuit. Ab Vtero autem ortum duxit, parciùs primò menſtruis expurgato ob naturalem venarum exilitatem; cui ætatis progreſſu accedente ſanguinis craſſitie, eadem delituerunt, & omnino ſuppreſſa fuerunt, unde affectus iam incipientes adaugeri, alioſque ſuboriri neceſſe fuit; aura namque hyſterica ſimul, & melancholica, duplici proinde nomine veneſica, per venam coronariam ad os ventriculi irrepens anxietatem quandam, & angorem iam induxit; quæ anno 1658, & poſtremò iterum, inde ad Cerebri ventriculos exhalans, non replendo, ſed facultatem expultricem irritando, in iiſdem concuſſionem, atq; uniuerſi corpori motus conuulſiuos excitauit; quibus quoniam ſpiritus partim intercipiuntur; partim inordinatè mouentur, ideo facultates animales vacare ab opere coguntur; ut mirum non ſit, melancholicos facilè Epilepticos fieri, & contrà, quod ab Hipp. [b] obſeruatum fuit; prout nec nouum, ab aura veneſica ex utero eleuata, excitatā Epilepſiam, cùm in Puero [c] ab eadē ex crure ad caput elata, ſenſu manifeſto; prout

a 3. in 3. Epid. 82.

b 6. in 6. Epid. 7. & 3 de Loc. Aff. 7.

c 3. de Loc. Aff. 7.

d Adu. Eraſ 9. & 5. de Loc. Aff.6. & Diod. Grammatico d à Ventriculo contigerit. Neque ſpuma ex ore effuſa humoralem cauſam prodit; humiditas enim eſt concuſſione illa liquata, e & à vicinis capitis partibus transfuſa, quæ ideo non in omnibus Epilepticis apparet, ſi circunſitæ partes humiditatibus careant. e 2. Aph. Co. 43. Hæc autem aura pernicioſioris conditionis, quàm antea reddita fuit, utpote eleuata à deteriori minera ex prauis edulijs, quam acrem, & acidam ego puto, vitriolatam verò, Antimoniatam, ſiue ſalitam Chymici appellant.

His itaque ſic ſe habentibus, medici munus erit, affectum hunc arcere, auferendo cauſam per contraria, ſicque reſpiciendo partem mandantem, & ſuſcipientem; nec non cauſam propriam, remotam, & remotiſſimam extirpando.

f 5. Aph.7. Et licet indicationibus ſatisfieri minimè poſſe, videatur aſſerere Hipp. f ſupra 25. annum; vnde & Mercurialis dicebat, quod ſicut in conſiſtente ætate, pauciſſimi corripiuntur, ita difficillimè liberantur; attamen de hoc affectu eſſentiali, non de eo, qui per conſenſum, id prolatum. Ideo ſperanda præſeruatio, potiſſimum ob conſenſum magis à Ventriculo, ſolito grauius ab utero vexato, quàm ab eodem utero; ſi enim ab hoc immediatè eſſet antehac, & frequentius Epilepticos inſultus paſſa fuiſſet, cùm antiqua ſit in utero læſio. Et quoniam primò à remotiſſima cauſa incipienda curatio, totum ideo purgandum; & ſi quæ ſunt in hypochondriis obſtructiones, aperiendæ. Calida Iecoris intemperies corrigenda: Hyſterica à proprietate iuuantia, exhibenda; & veneficam auram compeſcentia, eandemque à Ventriculo, & capite reuellentia. Ventriculus roborandus; ſicut & caput ipſum, Antepilepticis non omiſſis.

g Or. Sig. Mils. 19. Ex Chirurgico fonte, quoniam affectus nullo modo eſſentialis eſt g, ſaphenam cum Gal. aperirem; & ſecundo loco, venas ſedales; quibus ſingulo menſe binas hirudines applicandas eſſe omnino cenſeo, pauco ſanguine educto, ut natura ad ſpontaneam illam euacuationem proliciatur; qua ſola, Nobiliſſima Patiens dubio procul, & à melancholico, & ab Epileptico affectu præſeruari poſſet. Cauterium internæ parti coxæ, aut tibiæ inuratur, & ſæpè pedibus lauacra, ante cœnam adhibeantur.

Ex pharmaceutico penu reliqua depromenda remedia. Et primò quidem leniatur aluus caſſia, lenit. & tart. vel ſyr. roſ. ſol. & de polypod. Primum præparans ſit iulap. acet. aromatiz. cort. citri, ad ℥ iii, addito cochleari aq. cinnam. idque per 5. dies repetitū; inde reiteretur medicamentum ſupraſcriptum. Mox ſecunda erit ineunda præparatio, aperientibus commiſta. Quate aſſumat ius alteratum cichor. borrag. end. mal. agrim. meliſſa, & pœon. in quo diſſoluantur gr. x. tart. vitriol. ſequenti verò die aſſumat ℈ i. Rhab. cum fl. caſs. ʒ i. ſ. ita ut f. b. ii. quibus ſuperbibat ius alteratum iam dictum, ſed ſine tartaro, horum uſu ſic alternato per xv. dies. Tandem exhibeatur ʒ i. pil. de tribus, cum caſs. aut infuſ. rhab. & ſennæ, addito ſyr. roſ. ſol.

His peractis Iecur, & maſſam ſanguineam contemperare oportet, uſu ſucc. depurat. cichor. & borrag. ad ℥ iii. in iure cichoraceis alterato, idque diebus xv.

Alexipharmaca antepileptica poſtmodum in vſum ducenda, & quidem temperata, vt ſpiritus vitrioli in aqua pœoniæ; ol. buxi in aqua liliorum conuallium; ſal cranii humani in aqua maiorane; Aqua cordial. Sax. cum gutt. ol. ſuccini. Efficaciſſimum item ol. ſig. Heracl. in aq. rut. capr.

Extrinſecus digito intincto in ol. de lad. occiput illini poterit; vel in ol. ſuccini. Collo appendatur radix pœoniæ, vel ſmaragdus gemma, & anulum geſtet ex vngula Alcis. De decoctis cū ſudoribus, Aquis Thermalibus, ne quidem cogitandum. Pro ventriculi roboratione ſal abſinthii præbeatur ad ℈ ſ. vel ſuccus eiuſdem condenſatus, ad ℈ i. Pro capite, ſub ingreſſum lecti aſſumat conſeruam è floribus roſarum, nonnunquam betonicæ, vel rut. capr. vel Anthos; & ſingulo menſe vtatur pil. maſtichinis ita paratis. ℞. pil. maſtich. ʒ ſ. magiſt. mechoac. gr. vii. m. refor. pil. n. ii. & aur.

Circa viuendi tarionem, nec Soli, nec igni caput diutius exponat. Vinum per menſes, ſi dimitteret, magnum certè remedium foret; cui ſubſtitui poſſet aqua ex borrag. & pomis apils deſtillata; ſin minus, ſit album, tenue, ligno buxi, ſantalo, & rad. pœoniæ medicatum, impoſita ſingulorum ℥ i. in qualibet vini ſitula. Odorata, & vaporoſa omnia vitanda. A proprietate nocēt carnes hœdinæ, qualeæ, perdices, adhuc magis coturnices. Inter piſces, oſtreacea, & ſquamis carentes. Inter legumina, lenticula. Nocent bulbi, fungi, tubera, apium; nimia quoque inedia, ac ſtomachi exinanitio vitanda. Non omittat exercitium, & alacri, ac præſenti animo uiuat. Quæ omnia ſalutaria à D. O. M. nobiliſſimæ patienti enixè precor.

EPI-

XLIII.

EPILEPSIA AB VTERO.

NObiliſſima Puella 12 annum agens, in clauſtris educata, temperamēti totius calidi, & humidi, cum melancholiæ ſubdominio; venas enim habet nigras melancholico ſanguine refertas; menſe Martio proximè præterito laborare ſubitaneo caſu in terram cœpit, cum motibus deprauatis, cōnuulſiuis ſcilicet, atque abolitione ſenſus, omniumque facultatum animalium, ſpuma interim copioſa ex ore erumpente; quanquam nos lateat, relationis defectu, num pluries, ac frequentius hoc accidens eidem contigerit; & num auram aliquam ab aliqua inferna corporis parte adrepentem prope lapſum deprehendat; & præterea, num vino, aut cibo copioſo nimiùm indulſerit. Interea de agendis, pro ſalute conſulit.

Sicut Ideam huius affectus ſtatuere facillimum eſt; ita de parte primariò affecta, & de cauſa aliquid certi decernere arduum erit, ob mutilā caſus hiſtoriam allatam; Epilepſiam enim graphicè nobis repræſentant omnia adducta ſymptomata, motus ſcilicet totius corporis conuulſiuus, cùm ſenſus, & omnium actionum animalium abolitione; ita enim etiam definitur à Gal.[a] quam confirmat ſpuma ex ore emanans, à motus vehementia producta, ut à magnis[b] procellis in concitato Mari. Num verò eſſentialis, an per conſenſum à ventriculo, aut ab alia quapiam corporis parte, nobis determinare non licet. Hoc tamen animaduerto, quod eſſentialis de repentè fieri ſolet, frequenter, diuturna eſt, & ſine querela de infernis partibus male affectis, per conſenſum verò à ventriculo, præcedit eiuſdem noxa, aut ex inedia, ut Diodoro[c] Grāmatico, contingit; aut ex cruditate, meriue potu; qui conſenſus pendere poteſt etiam ab alia parte, ut in Puero[d] 13. annum agenti à tibia; vel à totó; undè otioſos[e] potiſſimùm aggredi ſolet, aceruatis in toto venoſo genere cruditatibus. Verùm & ab utero aura venefica ad cerebrum eleuata, ex menſtruis in eodem ſtagnantibus, vel ex retento fortaſſe ſemine, epilepſia excitatur; ut præſenti Nob. Puellæ pubertatis annos attingenti contingere probabile eſt; cùm totius temperamento calido, & humido prædita ſit, & ideo ſanguine quoque copioſo abundet, eoque calido, cùm venæ nigræ appareant, qui ante 14. annum expurgari poſtulabat. Quare ad vteri venas defluens, neque eductus, deteriorem adeptus eſt conditionem, adeò ut vapor ab eo eleuatus cerebrum, eiuſque ventriculos ſubiens, praua & forſan acida, atque melancholica ſuà qualitate expultricem irritet, vndè ventriculi ſe ipſos quatientes, non modò motus conuulſiuos cęteris corporis partibus impertire; verùm & ſpiritibus motū inordinatum, atque influxum ad principes operationes exercendas turbare & impedire valeant. Et licet ſpuma copioſa appareat; non tamen materiam peccantem, aut cauſam nobis ſemper ſignificare ſolet; cum ex attenuata[f] pituita in alia quapiam capitis parte hærente, neque epilepſiam inducente, ab illo concitato motu attenuata, ut plurimùm excitetur.

a 3. de Loc. Aff. 7.
b Aretæus Lib. 1. C. 5.
c de Vene Sec. Adu. Eraſ. 9. & 5 de Loc. Aff. 6.
d 3. de Loc. Aff. 7
e 1. de Sanit. Tuen. 8
f 2. Aph. 43

Si res ita ſe habet, Epilepſia huiuſmodi ſolet ſolui, vel circa pubertatem, vel circa ſunares purgationes, uel in prægnatione, ut obſeruauit Paulus[g], & nos quoque cum eo; & ante omnes[h] Hipp. eòque facilius, ſi congrua uictus ratio accedat, & ad auxilia medica Pat. confugiat.

g 3. de Re Med. 13.
h 5. Aph. 28.

Quare ſpe ſalutis concepta, Medicæ intentiones proponendæ, & adimplendæ. Atque adeò in acceſſione, materia iam fluxa diſſipanda, fluens reuellenda, facultas ſopita excitanda, partes conuulſæ laxandę, & in commodum ſitum deducendæ. Extra acceſſionem uerò totum euacuandum, & minera, à qua aura uenefica ad caput eleuatur, extirpanda, antepileptica in uſum ducenda; & caput roborandum.

In acceſſione itaque diſcutere poſſunt materiam uaporoſam ſuffitus ex galbano, caſtoreo, ungula Aleis, aut Capræ; Inunctio ex gagatis oleo naribus, capiti oleo buxi. Reuulſio molienda acti ſuppoſitorio, frictionibus, ligaturis, cucurbitulis ſiccis cruribus, & coxis applicitis. Excitetur facultas ſucco rutæ ſylueſtris, naribus admoto; uel eadem ruta contuſa; quod mirabile medicamentum Tral.[i] fatetur ſe à Ruſtico quodam accepiſſe, effi-

i Lib. 5. Cap. 15.

cacius aliquantò futurum, ſi addatur caſtoreum ita. ℞. ſucci rutæ ſylu. ℥ i. pulu. caſtorei ʒ i. m. naribus adhibendum. Partes conuulſæ inungantur oleo amygdalino, & lil. alb.

Extra acceſſionem verò præſeruationis ergò, remedijs Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diætcticis utendum fuerit.

Et in Chirurgico fonte, ſanguinis miſſionem conuenire omnino docet Gal. dicens,[l] *Neceſſarium remedium eſſe ſanguinis imminutionem*. Locus autem pro præſeruatione, vena crurum eſſe deberet ex eodem[m]; quia tamen in toto niger ſanguis redundat, dubitari poteſt, num priùs ex brachio[n], cum Aetio; mox verò ex ſaphena pedis educendus ſit. Quod tamen dubium ſoluitur, quòd ſi ætas Pat. decimum quartum annum exceſſerit, utique conueniret ex brachio primùm, ad craſſiorem sanguinem educendum, ne ad uteri venas irrueret; ſecundò ex pede. At quoniam ætas duodecimum annum non ſuperans, repetitam ſanguinis miſſionem tolerare minimè poſſet; ideo ſola ex ſaphena dextri pedis nobis ſat fuerit. Sanguinem hæmorrhoidalem, in hac tenella ætate, qua venæ illæ exiles ſunt, nō probamus, metu ſc. ne ab uteri venis reuocetur, & menſtruorum eruptionem remoretur. Cauterium quoque infernæ parti, in hac Puella vitandum; ſicut & ſetaceum in collo nullo modo tranſmittendum. Circa pudenda verò inunctiones ol. lil. alb. uſurpandæ; frequentes item pedum lotiones, & aduentante paroxyſmo, ſi aliquo prænuncio innotuerit, Sinapiſmi coxis applicandi.

Ex Pharmaceutico fonte depromenda Lenientia, Præparantia, Purgantia, iecoris calorem Contemperantia, Antepileptica, & caput Roborantia. Lenientia eſſe poterunt, elect. lenit. cum crem. tart. vel ſyr. roſ. ſol. cum ſyrup. de polyp. Præparans per quinque dies ſit, iulap. acet. cum ſyr. de cort. citri ad ℥ iii. ſine diluto; repetito mox ſupraſcripto medicamento, cum exigua hieræ picræ portione. Secunda porrò præparatio per plurimos dies adminiſtranda ſucco borrag. depur. ad ℥ iii. in decoct. cich. borrag. end. meliſſæ, capil. ven. pœoniæ, & maioranæ; deinde expurgatio elect. lenit. cum pil. de tribus; vel infuſ. rhab. agar. ſennæ, addito ſyr. roſ. ſol. ſuperhauſto ſer. capr. depur. aut aqua hordeacea. Hac peracta purgatione, venarum uteri reſeratio omni ope tentanda, exhibito, matutino tempore, pluribus diebus cyatho aq. ſtillar. capil. Ven. cum cochleari aquæ ſabinæ, aut gutt. iii. olei eiuſdem Sabinæ.

Alexipharmaca antepileptica inde in uſum ducenda, & quidem temperata; ut ſpiritus vitr. in aqua pęoniæ; oleum buxi in aq. lil. conuallium; ſal cranij humani in aqua maioranæ; Aqua theriacalis, cum oleo de ſuccino, & quod præſtantiſſimum eſt, oleum ligni heraclei, in aqua rutæ caprariæ. Extrinſecus verò collo appendatur radix pęoniæ, vel ſmaragdus gemma, & anulus geſtetur ex ungula Alcis. Magna Antidota in adeò tenella ætate omittantur; ſicut de decoctis, ſudoribus, aquis thermalibus ne quidem cogitandum.

Pro capitis roboratione, ſub ingreſſum lecti, aſſumat conſeruam è floribus roſarum, & nonnunquam è floribus betonicæ, vel rutæ caprariæ, vel anthos. Et dum iam dicta peraguntur, decimo, aut duodecimo quoque die, vtatur pil. cochiar. pręparat. aurear. an. ʒ. ſ. m.

Quibus omnibus addatur congrua uictus ratio; circa quam aliqua obſeruatione digna adnotabimus. Primò ut domum, cum familiaribus reuertatur, & clauſtra deſerat. A vino, ſaltem per annum, omnino abſtineat, & bibat aquam ſantalinam, ſiue aquam ex borragine, & pomis apijs deſtillatam, & tempore opportuno vinum ex ceraſis nigris. Odorata vitanda. A proprietate nocent inter carnes, hœdina, qualeæ, perdicis, coturnicis. Inter piſces, ſquamis carentes, & oſtreacea. Inter legumina, lenticula. Obſunt quoque bulbi, fungi, tubera terræ, apium. Puella interim ſe exerceat, & alacris ſit. Quæ omnia ipſi ſalutaria à D. O. M. precamur.

EPI-

l de Sang. Miſſ. C. 10

m de Sang. Miſſ. 19.

n Tetr. 4. Sermon. 4. Cap. 57.

X L I V.

EPILEPSIA EX IMMINVTIS Menſibus.

SAcro Cetni adſcripta Virgo annum agens 15. temperamenti calidi, & ſicci, poſt capitis dolorem, incidit in conuulſionem corporis totius, ad poſteriora potius, cum læſione, ingruentibus acceſſionibus, propè integra ſenſus nõ tantum, & motus, verùm & principum omnium facultatum. Spatio autem quindecim dierum, quinquies correpta eſt; at nunc grauius affligitur, & conuulſione ceſſante, delirat parumper cum riſu. Menſtruæ verò purgationes ſunt valdè ipſi imminutæ.

Epilepſia eſt affectus, qui ſicuti frequentiſſimus, ita notiſſimus eſt non modò cuilibet medicorum; verùm & mulierculis ipſis; maximè verò eſſentialis, cum abolitione ſcilicet actionum animalium, corporis conuulſione, & [a] (a 3. de Loc. Aff. 7. & Paul. 3. de Re Med. 13.) ſpuma circa os; quæ tamen in caſu præſenti Nob. adoleſcenti nuper purbertatem egreſſæ, non apparuit; quod ideo imperitis dubitandi anſam fortè dederit, licet apud nos certiſſimum ſit, Epilepſiam nimirum eſſe, Nob. Veſtalem frequenter diuexantem, eamque non eſſentialem in capite, verùm per conſenſum ab vtero; ſæpè namque contingere ſolet in menſium principiis, ſi imminutè procedant, vt in caſu noſtro; cuius affectus, corporis conuulſio ita propria eſt, ut Gal. ipſam definierit per conuulſionem, dicens, quod *Epilepſia eſt conuulſio non perpetua omnium partium corporis, cum actionum animalium oblaſione*. In cauſa verò præſentis affectus, locum habebit opinio Hipp. de Flatibus; necnon Ariſt. & Auerr. a ſola ſcil. copia vaporum contingere aſſerentium; à menſtruis enim ſupreſſis vterum aliquam etiam labem concepiſſe ſuſpicandum; vnde & ab eodem diſcraſia laborante, & à menſtruis corruptis vaporoſa, ſed craſſa eleuata, actis materia, & in caput, potiſſimum ad neruorum origines, & præcipuè circa medullæ principium detruſa, *Neruorum principio*[b] (b 3. de Loc. Aff. 7.) *ſe ipſum quatiente, conuulſionem facit; ab expultrice verò facultate, auxilio motus, & caloris ſuperata materia, breui ſequitur victoria, cum morbi ſolutione*. & ſine ſpuma, quia uaporoſa materia eſt. Quoniam verò non omnino ſtatim reſoluitur, ſed aliqua eius portio in cerebri ſubſtantiam impingitur, ſuccedit mentis quædam alienatio, & quidem cum riſu; quia minera vaporum, ſanguineam potius, quam atrabilatem ſapit naturam, ſi non ratione temperamenti, ſaltem ratione tenellæ ætatis.

Magnitudinem huius affectus nobis ſignificat eius nomen; Sacer enim [c], magnus, & Herculeus in Epid. uocatus fuit; ab aliis Sonticus, ideſt ualdè nocens; quem inter acutos connumerarunt Aret. [d] & Paul [e]. quia *Vnico die poteſt aliquando Patientem perdere*. Attamen ſalus ſperari poteſt, & quidem ſacilius, ſi menſtruorum defectus, uias naturaliter anguſtas habuerit, prætetea, quia in adoleſcentula, ætati congruit affectus; cùm mater puerorum dici ſoleat; & quia longè ante [f] 25. annum ingruit, & nonnunquam, vt Hippocr. & experientia teſtantur, ſola [g] ætatis mutatione, abſque medico auxilio ſanari ſoleat, maximè ſi addatur recta viuendi ratio. Nihilominus cùm ſit ex Hipp. in Epid. morbus ſemper increſcens, & autumno potiſſimum ex eodem moleſtare ſoleat, non ſunt differenda auxilia, ne capite quotidie imbecilliori reddito, & cerebri ventriculis laxioribus factis, eſſentialis tandem euadat.

(c 6. in 6. Epid. 7. d De Diut. Aff. Cap. 4. e Ibidem. f 5. Aph. 7. g 2. Aph. 45.)

Curatiua autem in acceſſione, & præſeruatiua extra acceſſionem erit intentio. In acceſſione enim materia vaporóſa reuellenda, diſcutienda, facultas excitanda, & Patiens pręmunienda aduerſus mala externa à motibus illis conuulſiuis impendentia. Extra acceſſionẽ verò omnia dirigenda ad menſtruas purgationes prouocãdas; ad Vteri intemperiem, ſi quæ adeſt, corrigendam; caput aliquo pacto roborandum; tandem ad prauam, & Epilepticam conditionem uaporum compeſcendam.

Reuellunt itaque, clyſter acris, uel ſuppoſitorium acre, ſinapiſmi inferius admoti, parati ex puluere ſinap. & caric. an. item ligaturæ arctæ, ſed ſenſim ſolutæ. Reuocant Ruta

ſylueſt.

ſylueſt. contuſa, vel eiuſdem ſuccus naribus admotus, vt didiſcit Tral[h], à Ruſtico quodam; [h Lib. 1. Cap. 15.] cui addi poſſet etiam caſtor. Interim inunctiones naribus ol. gagatis, nuchæ ol. de buxo, artubus ol. lilior. albor. ex vſu erunt; vt & ſuffitus etiam ex Galb. Caſtor. ungula Alcis, ungula capræ, Cornu Cer. maxime conferre ſolet; necnon Iaſpis, & Chryſolithus geſtatus, ſi Tral. credimus; nec inutile erit ſternutamentum in hoc hyſterico caſu.

Præſeruatiuâ intentio perficietur, primò totius expurgatione, cuius deſcriptionem omitto, vtpote tibi Viro prudentiſſimo perquàm notam.

Circa ſanguinis miſſionem comitialibus, & uertiginoſis, ex cruribus potius, pro præſeruatione conuenire dicit Gal. de Sanguinis miſſione; [Cap. 19.] potiſſimùm verò in hoc caſu. Quæ euacuatio, ſicut ex inferioribus locis, ſub finem menſtruæ purgationis eſt vſurpanda; ita ſi ex venis ſuperioribus detractio ſit neceſſaria, procul à tempore menſium ex vſu fuerit.

Toto expurgato menſes ducentia erunt uſurpanda, non valdè calida, & ſicca. Quare libenter proponerem decoctum in iure pullæ, paratum ex ſalſa, viſc. querc. rad. peoniæ, additis ſub finem ebullitionis Artemiſ. dictam. & calament. cui præmitti poſſet bol. ex terebint. noſtra Veneta, cum trochiſ. de myrr. uel ſale artemiſ. in quorum uſu pergere debebit ſaltem per menſem; atque interim qualibet hebdomada propinari poterit purgans ex pil. coch. cùm helleb. maſtic. vel paratis ex aloe, diagryd. Gummi, colocynth. bdel.an. cum ſucco peoniæ, ad ʒ i. uel i. ſ. exhibendis, quo ſolo medicamento narrat Tral. ſe plures ſanaſſe epilepſias; nec omittantur Vteri fotus, & inunctiones aperientes.

Quod antepileptica ſpectat, ipſis ſemper hyſterica medicamenta commiſcerem. Quare ex uſu eſſe poterit aq. Theriac. & Peon. cum gutt. ol. ſuccini aut ligni Heraclei Rulandi, ad cochlearia exhibenda; uel eidem aquæ poſſet addi tinctura ex baccis ſambuc. extract. quæ apud nos in vſu eſt, & habetur ad Signum Herculis Venetijs. Nec ſpernenda rad. peon. appenſa ſecundum Gal. [i 6. Simpl.] ſed tamen inclinante Luna collecta, ex Fernel. Proponitur autem ut optimè noſti ab Excellentiſs. Fonſeca.

His omnibus congrua victus ratio addenda; circa quam præcipuæ obſeruationes erunt, omittere omnino uſum uini ſaltem per annum, atque conſueti potus loco paretur aqua Lentiſcina cum Pœonia, aut Buxo ebull. uel ſtill. pulli pontis, borrag. & rad. pœon. alteratum.

Caueat Patiens omnino à Perdicibus, Coturnicibus, Qualeis, Hędis, apiò, & à caput tentantibus. Habeat in uſu ſub ingreſſum lecti aliquam conſeruam ex flor. Beròn. Roriſmar. Roſar. tutæ caprar. & alacri animo uiuat. Quæ omnia ſi à ſapientiſſimo tuo iudicio dirigantur, nonniſi optimum euentum ſortiri poſſe ſperamus.

X L V.

EPILEPSIA, AB HYPOCHONDRIIS.

VIrum Nobiliſs. iam melancholicum hypochondriacum, ſeptem abhinc menſibus, Epileptica affectione laborare maniſeſtiſſimum eſt; ſiquidem procidit, cum [a] animalium functionum abolitione, [a 3. de Loc. Aff. 7.] totius corporis motibus conuulſiuis, & ſpuma circa os; nec reſtitutus præteritorum in caſu quicquam recordatur. Hæc autem affectio eſſentialis non eſt; cùm futuram procidentiam præſentiat; in ventriculo namque, & hypochondrio potiſſimum ſiniſtro, triſtem quandam motionem percipit, indeque auram caput petentem, ſpiritus obtenebrantem, & viſum, atque motum vſque adeò auferentem, ut in terram cadere cogatur; quod ſicut primis menſibus bis, & ter in menſe ei contigit, ita ut plurimùm animi perturbationibus ſuccedere ſolebat; nec mirum, cùm [b] *Melancholici facili negotio Epileptici fiant, & contra: ſi enim in corpus Epileptici; ſi in mentem, Melancholici redduntur*. [b 6. Epid. & 3. de Loc. Aff. 7.] Cauſa huius affectus immediata, eſt ſemper irritata facultas; unde Gal. Singultui, Auic. Sternutamento ipſum aſſimilauit. In caſu vero præſenti irritatur ab euaporationibus, ex partibus inferioribus ad caput eleuatis; [c 5. de Loc. Aff. 6.] non autem à ventriculo, ut ex inedia [c], Diodoro Grammatico euenit, neque à tibiis, vt Puero 13. annum agenti;

ſed ab

Digitized by Google

ſed ab hypochondriis, & à ſiniſtro potiſſimum, vbi in Liene minera melanchólica reſidet, à qua acidi vapores ad cerebri ventriculos eleuantur, qui eoſdem praua ſua qualitate moleſtantes, atque irritantes, ac eorundem contractionem excitantes, conuulſiuos motus inferunt; & materiam pituitoſam circunſtantem ad eoſdem, mediante illa concuſſione, aduocantes, inde d obſtructionem pariunt, à qua ſpiritibus animalibus via intercluditur, & ſenſus, motus, & cæterarum omnium animalium actionum neceſſariò ſequitur priuatio.

d 4 de Loc Aff. 2.

Affectus ſemper ſanationis difficilis, & potiſſimum hac ætate 25. e annum excedente, qua ab ætatis eiuſdem mutatione ſalus ſperari non poteſt; non tamen ob id inſuperabilis cenſendus; medicorum namque auxiliorum ope, etiam qui ætatis progreſſu inuaſionis habet principium, ex Hipp. tolli poteſt. Sic quinquagenariam liberatam vidit Nic. quinquagenarium Trinc. Atque eò magis noſtri Patientis ſalus ſperanda, quòd non eſſentialis, ſed per conſenſum ſit, atque tribus continuis menſibus nuper intermiſerit.

e 5. Aph. 7.

Præſeruatiuæ itaque intentiones erunt, Primò totum corpus expurgare. Secundò, Lienem. Tertiò, vapores aſcendentes reuellere. Quartò acidam illam qualitatem demulcere. Quintò à proprietate iuuantia Antepileptica in vſum ducere. Et tandem caput roborare.

Quare in Chirurgico fonte, ſanguinis imminutionem neceſſariam exiſtimauit Gal. in Lib. de Sang. Miſs. & à cruribus, ratione præſeruationis. Verùm quoniam in caſu noſtro in liene mali minera deliteſcit, ideo internam ſiniſtri brachii prius aperiendam exiſtimo, ut ſanguis fœculentus exhauriatur. Mox ſecundo loco hirudinibus venæ hæmorrhoidales aperiendæ, & apertæ conſeruandæ. Cauterium præterea ſiniſtræ coxæ omnino inurendum. Frequentes quoque pedum, & crurum lotiones ante cibum adminiſtrandæ.

Cap. 19. Cap. x.

Ventriculi, & primarum viarum expiatio fiat Elect. lenit. Crem. Tart. & momento Aloes. Mox prima præparatio Iulap. acet. ſyr. de cortic. Citri, & Mel. Roſ. ſimp. Inde ſecunda ſuccedat euacuatio, Elect. lenit. Diacathol. & modico Pilul. de Trib. Secunda verò humorum præparatio adhibeatur, potius ſuccis depur. quàm ſyr. dulcibus, parum hypochondriacis amicis, & viſcera inflantibus. Sint itaque ſucci cichor. depur. borrag. fumariæ an. vnc. i. in decoct. Cich. borrag. meliſſæ, beton. ſcolopen. rutæ capr. agrim. pœoniæ, ad vnc. v. pro ſyrupo, & ſic pro aliis ſeptem. Deinde præbeatur purgans ex Elect. lenit. Confect. Hamech, & Pil. de Trib. ſuperhauſto ſero depurato. Verùm ut lienis obſtructiones magis expediantur, & minera melancholica imminuatur, repetenda erunt deobſtruentia ita parata. ℞. Trochiſ. de Cappar. Extracti de Rhab. an. ſcrup. i. Tart. Vitriol. ſcrup. ſ. m. ref. bol. & aur. cui ſuperbibat ſupraſcriptam decoctionem cum vnc. i. oxymel. ſquill. per octo, aut decem dies. Quibus tranſactis, exhibeatur vel Extractum Veratri nigri, cum Caſſia, uel Pilul. Cochiæ, cum helleb. præp. epoto ab iis ſero depurato.

Quæ omnia neceſſariò exequenda; à quibus, niſi tempus præcalidum obſtaret, ad appropriatum decoctum deueniendum foret, vel in proximè futurum Autumnum differendum. ℞. Ligni Heraclei, Viſci querc. Roriſmar. Tamariſ. Rad. Pœoniæ an. vnc. ſ. Aquæ meliſſæ, beton. an. lib. i. Rutæ Capr. lib. ſ. m. f. inf. per horas xxiiii. deinde adde dimidium Turturis, vel duas hirundines, & bulliant ad conſumptionem dimidii; colatura uerò ſeruetur pro duabus vicibus, matutino tempore aſſumenda; cui præmitti poterit huiuſmodi bolus. ℞. Salis Theriacal. ſcrup. i. Salis Cranii hum. Vngulæ Alcis an. gr. v. m. & cum ſucco Rutæ Capr. q. ſ. refor. bol. & aur. Quorum uſui, ſaltem ad 20. dies, erit inſiſtendum.

Interim à proprietate iuuantia non ſunt omittenda. Sic patetur in integrum annum Conſerua ex Flor. Rutæ Capr. Spiritus item vitr. cum ſem. pœoniæ, & viſco querc. ad guttulas, in aqua pœoniæ ſumendus. Mirabile eſt oleum buxi ad guttulas, in aqua fl. Tiliæ, uel Rutæ Capr. & Sal Cranii humani.

Vtatur Conſeruis à cibo, è flor. beton, aliquando & Abſinthii; nonnunquam è flor. Roriſmar. aut Saluiæ, interdum quoque æſtate, Roſarum.

Et tandem congruam iam dictis addat victus rationem, in primis abſtinendo à proprietate nocentibus; ut ſunt odores omnes, vel nimis ſuaues, uel nimis fœtidi, carnes hœdinæ, agninæ, Coturnices, Perdices, Qualeæ, Lactaria, uiliora legumina, uaporoſa omnia, ut Sinapi, Apium, Petroſelinum, Allium, Cæpe. Vinum interdicatur, ſi frequens inuadat acceſſio; quod ſi concedatur, ſit album, tenue, non generoſum, & ligno buxi, ſantalo, ac rad. pœoniæ medicatum, interdiu parum dormiat, & capite elato. Labores, exercitia ſcilicet, fiant ante cibum. Venus intermittenda; eſt enim coitus ex Hipp. leuis quædam

Epile-

Epilepſia. Semel verò, aut bis per menſem aſſumat duas ex huiuſmodi pilulis. ℞. Pilul. maſtic. drach. ii. Magiſt. Mechoac. drach. ſ. m. & cum aceto ſquill. q. ſ. ref. pilul. nu. viii. & aur. Ac tandem animi perturbationes arceantur, & alacriter degat.

XLVI.

EPILEPTICI, ET HYSTERICI Affectus.

EXcellentiſſima Virgo, decimum quintum annum agens, temperamenti ſanguinei, habitus corporis gracilis, coloris floridi, & rubicundi, menſtruorum eruptionem nondum experta, morum ſuauitate, & omnium virtutum genere ornata, cùm annis præteritis ſanguinis hæmorrhagias per nares pati ſoleret, rectè quidem habuit; nunc verò tribus abhinc menſibus, cœpit incommoda affici corporis valetudine, pulſus ſcil. frequentia, capitis dolore, ſiti, vigiliis, cibi faſtidio, macie, atque ſpontanea laſſitudine; à quorum ſymptomatum vehementia, cùm in dies magis magiſque premeretur, tandem in queſtus effuſa eſt; et quamuis auxiliatrices Artis manus ipſi præſtò eſſent, nihil tamen profecerunt; morbi enim vehementiores facti, admirandos produxerunt effectus. Siquidē ſingulis diebus, mane hora decima ſexta, corporis totius ingenti commotione concutitur, quæ non vera quidem conuulſio cenſenda, minus verò conuulſiuus motus, ſed quid medium inter tremorem, & conuulſionem; quam ego concuſſionem vocauerim, qua paſſione, per horæ quadrantem afficitur, à qua diſſipata maligna illa aura, totaque facie flammea reddita, leui corripitur delirio, modò cum riſu, modò cum mœſtitia, quandoque cum iracundia, & vociferatione; vana loquitur, licet vera; præterita inſuper, ut præſentia videre ſibi imaginatur; nunc ſumma, & inſueta pietate Deum colit; nunc maximo obſequio Parentes veneratur, quod alterius quadrantis ſpatio perdurat. Liberatur autem alto ducto ſuſpirio, & actorum vix meminit; quo paroxyſmo periodicè laborat, quotidie mane; à prandio verò ſub horam vigeſimā ſecundā alio etiam torquetur, periodico pariter, nō quidem eadem forma, & modo ſupra enarrato, verùm diſſimili; turbari quippe incipit, oſcitat, pandit brachia, pedes extendit, eodem loco ſtare nequit; deinde de oppreſſo corde conqueritur, paruam, & raram habet reſpirationem, ita ut nonniſi cum labore, & dolore inſpiret: hæc autem paſſa per mediam horam, illicò uteri præfocatione opprimitur, mox conuulſione, epilepticiſque motibus, quibus pulſus agitatur quidem, ſed minimè deficit; reſpiratio vitiatur, ſed non tollitur; calet, licet frigus ſe percipere dicat; recurrit præfocatio, & præſente paroxyſmo, bis, ter, quandoque quinquies illam corripit; feſſa remanet, audit, meminit, & affectionem ſentit. Cæterùm præter iam expoſitas periodos, diebus ſingulis recurrētes, alij inſultus eiuſdem generis obſeruātur, qui octauo quoq; die inuadunt, & miſellam Virginem torquent quacunque hora, tanto cum impetu, & anguſtia, ut præter inſignem laborem, inquietudinem, & faſtidium, quod inſerunt, ſomnum etiam eripiant. Duobus autem abhinc diebus ingraueſcente affectu, longiores facti ſunt incurſus, ſpuma apparet circa os, nec tam facilè liberatur, pulſus benè ſe habent; urinæ ſemper laudabiles, tum ſubſtantia, tum contentis.

Cæterùm ad huius paſſionis hyſtericæ debellationem, præmiſſa uniuerſali purgatione, ratione plenitudinis totius, ſecta eſt in cubito vena, ſaphena bis reſerata, hirudines bis mariſcis applicitæ, Veſicantia femoribus. Prætereo cucurbitulas frictiones, ligaturas iamdiù fruſtra adhibitas. Euacuationes per cauteria nil profecerunt; quinimò exagitata minera deterius ſemper habere viſa eſt. Diſcutientia malignum vaporem, & narcotica noxia pariter; à fœtidis abhorret, oblectatur odoriferis, ſed adhibita ſuperius, & inferius nocent. Specifica, & agentia qualitate occulta, irrita demum fuerunt. Hæc eſt vera afflictæ Virginis deſcriptio, cui propterea conſilium, auxiliumque expoſcitur.

Excellentiſsima Virgo, 15. annorum, tempetamenri ſanguinei, habitus corporis gracilis, coloris floridi, & roſei, menſtruis purgationibus, tribus, vel quatuor abhinc annis frui,

alioquin

alioquin debuiſſet, ut integra valetudine gauderet. Cunctationis autem, atque noxię moræ cauſa, non anguſtiæ vaſorum adſcribenda eſt: etenim cùm ſanguinea, & gracilis ſit, venoſa iure optimo cenſenda eſt. Quare vitium potius in ſanguine conſiſtere credimus, qui à iecoris, atque cordis calore, iuſto copioſior, & craſſior productus, vteri venas obſtruit, & naturalem expurgationem remoratur; cuius defectum ſuppleuit natura, frequenti per nares hæmorrhagia. *Mulieri namque menſtruis deficientibus*[a], *ſanguis è naribus profluens, bonum*, dicębat Hipp. Bonum tamen reſpectiuum, ſubdebat Gal. non abſolutum, qualis ipſa menſtrua purgatio; cuius hæmorrhagiæ vtilitatem demonſtrant nobis mala, eidem ſuppreſſæ ſuperuenientia, caloris, ac copioſi, feruidique ſanguinis præſentis indicia; vt pulſuum frequentia, capitis dolor, ſitis, vigiliæ, cibi faſtidium, macies, & ſpontanea laſſitudo phlegmonoſa, ac forſan etiam vlceroſa magis; ab iiſdem enim humoribus, aut halitibus actibus per muſculorum inania ſpatia excurrentibus, rigidæ concuſſiones excitantur; quo tempore etiam credimus uapores eiuſdem, imò & deleteriæ deterioris conditionis ab vtero magnis, & copioſis arterijs, ac venis ſcatente, per carotidas, & iugulares ad caput ſurſum ferri, à quibus cerebrum incaleſcat, ſpiritus agitentur, unde melancholicum, ſeu ſubmaniacum ſuboriatur delirium, modò cum riſu, modò cum ſtudio, modò cum ira, pro eorundem ſcil. uaporum ratione, modò meri ſanguinis, modò melancholici, modò bilioſi magis naturam redolentium; quæ omnia profundo ſuſpirio euaneſcunt, aura illa tum manifeſtæ, tū occultæ qualitatis in halitum diſſipata; qua rurſus ſequenti die eleuata, eadē mala recurrunt ob materiæ illius occultam & ineffabilem proprietatem, quam in cęteris quoque morbis manifeſtiorem longè obſeruamus. Atque ita per conſenſum à toto, & ab vtero hanc primam acceſſionem ſubortam concludimus.

a 5. Aph. 33.

Ab vtero autem potius ſecundam, hora vigeſima ſecunda inuadentem, & tertiam, octauo quoque die pendere certò credimus: etenim, præterquam quod *Vterus in mulieribus*[b], *omnium morborum fons, & origo eſſe poteſt*, extat oraculum quoque Hippocraticum, nimirum quod. *Si menſtrua plura fiant, accidunt morbi*[c]; *& ſi non fiant, ex vtero morbi contingunt*. Siquidem, *Sanguis copioſus ab vtero recurrens, reſilit in cor, & ſeptum, vnde cor fatuum fit; à fatuitate verò torpedo, à torpedine delirium apprehendit*. Ita Hipp.[d] Et quidem in Excellentiſs. Puella à ſanguine venarum, ab vtero ad ſeptum recurrentium, copioſo ſcil. & prauo opprimitur cor, comprimitur ſeptum, vnde & cordis, & reſpirationis noxæ tandem ad cerebrum pertingentes, dum per venas, & arterias prædictas, aura illa venefica, à multo, & prauo ſanguine eleuata in cerebri ventriculos ſe inſinuat, & eorundem parietes, piam ſcilicet matrem, vellicans irritanſque, quaſſationem quandam excitat in iiſdem, quam ſequuntur poſtea conuulſiui motus, ſpirituum interceptio, & epilepticus ipſe affectus, & quidem illico poſt hyſtericam præfocationem; per conſenſum proinde ab vtero; cuius vltimò nobis ſignum, licet non pathognomonicum, non dubium tamen apparuit[e], ſpuma ſcilicet circa os, & præterea ſolutio quotidie difficilior. Sed quoniam audit, meminit[f], & affectionem ſentit, ideo perfectam, & abſolutam epilepſiam non eſſe cenſemus. Quod ſi nonnunquam, non in corpus; ſed in mentem repat illa vaporoſa materia, melancholicam, non epilepticam reddit Puellam Nob. vnde melancholicos facilè fieri epilepticos, & contrà pronuntiauit[g] Hipp. Accidit etiam quandoque, ut à copia ſanguinis vterus quodammodo contrahatur, & ipſius vaſa ſecundum longitudinem tendantur; quæ tenſio fit per[h] continuationem cum neruorum exortu, qui eſt ſpinalis medulla; tuncque contorſiones, labores, & motus conuulſionis potius, quàm conuulſiui contingunt; qui caput præterea afficiunt, & miſellam Virginem inſomnem, tractoque in conſenſum ventriculo cibi faſtidioſam reddunt. Neque eſt quod miremur, miſſioni ſanguinis hucuſque non ceſſiſſe huiuſmodi mala; quia in redundanti ſanguine, tum in toto, tum in vteri uenis, necnon in iiſdem corrupto, ſedem habent; prout nec cæteris reuulſionibus; quia remanet euaporationum minera; minus affectio ceſſit catharticis, quoniam antiqua non eſt affectio, ita ut ſanguis totius in cacochymiam deſciuerit; tunc enim cathartica proſunt, ut obſeruauit[i] Hipp. Narcotica autem aurę ueneficæ diſſolutionem impediunt, & mineram firmant; Odorata verò, vtpote caput tentantia obeſſe poſſunt, quæcunque fuerint. Nec ſpecifica, & occulta qualitate agentia, copioſa exiſtente minera, ſufficere poterunt domandæ & obtundendæ qualitati illæ occultæ, adeòque veneficæ.

b de Loc. in Hom. 59.
c 5. Aph. 58.
d de Virg. Morb.
e Paul. 3. de Re Med 23.
f 3. de Loc. Aff. 7.
g 6. Ep. Sect. 7. & Gal. 3. de Loc. Aff. 7.
h 1. in 6. Ep. 1.
i 1. de Morb. Mul. x.

Et licet Hipp. de his pronuntiauerit, quod quicunque languores mulierum curare aggreditur, à Diis exordiri debeat, eorum difficultatem his uerbis ſignificans; attamen cùm mala hæc inueterata non ſint, nec ualidiora fuerint adminiſtrata remedia, Virginem Ex-

cellentiſs. ope medica leuari poſſe, & tandem erumpentibus menſtruis omnino ſanari confidimus; cùm hac tenella ætate, vtilis excrementi redundantia incerta admodum ſit.

A fonte igitur Chirurgico præcipuum remedium deſumendum, pluries ſcil. repetita ſanguinis miſſio, primò ex vtroque brachio, ſecundò ex vtroque pede. Et quia acceſſiones periodicæ ordinatè fiunt; ideo ut præuertantur, ac diuertantur, ſinapiſmi, & rubificantia coxis, duabus horis ante acceſſionem apponenda; quæ mirabilia præſtitiſſe, non ſemel obſeruauimus.

Medicamenta quod attinet, Ventriculus expiandus potione ex manna clarificata; aut ſyr. roſ. ſol. quibus ſuperbibat aquam hordeaceam, vel Nocerianam. Inde quinque diebus præparentur humores, primas vias obſidentes, iulap. acer. ad ℥ ii. cum decoct. cich. borrag. end. meliſſæ, matricariæ; & mox repetatur alterum ex ſupradictis medicamentis; vel ſyrupo roſ. ſol. addatur ſyrupus de polypodio, ſuperhauſta aqua iam dicta, vel ſero caprin. depur. Inde ſequatur vlterior humorum præparatio, ſuccis herbarum potius, quàm ſyrupis ſaccharatis, uimirum cich. & borrag. an. ℥ ii. in aqua meliſſæ, & rutæ caprariæ, per ſeptem dies, aut octo; ut mox expurgentur flore caſs. cum diaphœn, aut veratri extracto pariter cum caſſia; quibus ſuperbibat ſerum capr. aut aſin. depur. vel aquam Nocerianam.

Vt autem hypochondriorum æſtus compeſcatur, & contemperetur vaporum actimonia caput petentium, tribus continuis diebus, ſummo mane ſerum caprinum deiectorium propinari poterit ad ℔ iiii. uel v. cum uehiculo ſyr. roſ. ſol.

Quibus peractis, menſium prouocatio erit ſolicitanda, exhibita quotidie per quindecim dies, ſummo mane, aqua capil. ven. cum ſale artemiſiæ, & cochleari aquæ ſabinæ; quo tempore uel fiant inſeſſus in decoctione laxante, & aperiente ſine tubulo; vel eorum loco, fotus ex eadem decoct. malu. meliloti, origani, pulegij, calamenthi, matricariæ, radic. althææ, lil. alb. fœniculi, apii, ſem. fœnugræci, ſpongia magna vteri regioni appoſita, per horam ter reperenda; qua ablata, illinantur loci mulicbres copioſo oleo lil. alb. ad calidiora enim deuenire noxium foret.

Interim hyſterica à proprietate iuuantia, & antepileptica, & quidem temperata ſunt in vſum ducenda. Sic tinctura granorum ſambuci, ad cochlear, in aqua matricariæ, duabus horis ante acceſſionem, ad inhibendam præfocationem, efficax eſſe ſolet. Daucus vèl ſolùm maſticatus valdè iuuat. Sic puluis vngulæ Alcis, cum Zedoaria, in aqua artemiſiæ. Extrinſecus verò à proprietate iuuat, & vteri præfocationes arcet collum viperæ ſuffocatæ collo appenſum.

Ex antepilepticis ſpiritus vitrioli, in aqua pœoniæ. Oleum buxi, in aqua lil. conuallium, Oleum item heracleum in aqua rutæ caprariæ. Sal Cranii humani, in aqua maioranæ. Extrinſecus verò radix pœoniæ collo appenſa; & vngula Alcis in anulo geſtata.

Circa victus tationem illud notatu dignum videtur, quod in præſens à uino prorſus abſtineat, & aquam ex borragine, & pomis deſtillatam bibat; in progreſſu uerò, quando uinum bibere dabitur, ſit illud album, tenue, non dulce, ligno buxi, ſantalo, & radice pœoniæ medicatum. A fixis imaginationibus reuocetur, ad Viridaria cum amicis ſociis ducatur, & alacri præſentique animo uitam ducat. Quod ſi iam dictis, menſtruiſue erumpentibus non ceſſerint mala, ex Hippocratis præcepto, tandem Viro cohabitet.

EPI-

XLVII.

EPILEPTICI AFFECTVS.

ILluſtriſs. Adoleſcens, annum agens 18. temperamenti ad calidum, & humidum vergentis, ſtaturæ proceræ, albi, & roſei coloris, liberalius uiuens, ad Venerem natura valdè pronus, duobus iam elapſis annis, vrinæ difficultatem, quinimò integram extemporaneam ſuppreſſionem paſſus fuit, quam ab excalefacto pene, indeque ſphincteris contractione prouenisse cognouimus, ex relata nobis importuna, & violenta pudendi contrectatione; cuius cauſa refrigerantibus inunctionibus, & laxante aq. dulcis balneo, urina prolectata fuit. Modò eadem moleſtante vrinæ ſuppreſſione, candela immiſſa eadem copioſa educta fuit. Sed quoniam in præſens regionem incolit Pucino vino affluentem, vbi plus ſolito Baccho, comitique Veneri indulſit, ideo diebus ſuperioribus, cum nocte præcedenti ſe febricitaſſe falsò crederet, circa horam 23. extemporanea affectione fuit correptus, per horæ quadrantem perdurante, adeò ut totius corporis iactationem, concitatumque motum vix quatuor adſtantes cohibere potuerint, qua ceſſante, præteritorum nihil recordatus eſt. Paulò poſt verò recurrit acceſſio, priori ferocior; etenim delirans in adſtantes, ac ſemetipſum dentibus ſæuiebat, qua ſedata nullius rei pariter meminit. Tertia verò acceſſio recruduit cum vociferationibus, & mugitibus, ad horam vſque ſecundam noctis; qua, ſedatis cæteris, loquela, & auditu deſtitutus eſt; vnde cùm nec ſe præſentes alloqui poſſe, nec audire cognouiſſet, ingenii perſpicaciſſimi Adoleſcens, manibus geſtiens, calamum petijt, ſcripſitque ſe vehementem in veſica pati dolorem, & graue malum in capite, cum reſpirandi difficultate, ob quam ſuffocatum ſe certò moriturum putabat. Quibus ab Excellentiſs. præſentibus perceptis, aliquam ueſicæ inflammationem, licet nulla præſente febre, veriti, ſanguinem ex pede educi iuſſerunt; quo effluente, rediit acceſſio, & plures aliæ, uſque ad horam noctis octauam, à qua, uſque ad decimã tertiam leuiora paſſus eſt accidentia, atque tunc, expetito aquæ hauſtu, rurſus grauioribus acceſſionibus correptus fuit, uſque ad 16. horam; à quibus, ſemper tamen cum præteritorum obliuione, loquelam, & auditum recepit, ſuperſtite tamen capitis, & veſicæ dolore. Hoc verò rerum ſtatu, Excellentiſs. Adſtantibus conſultum viſum eſt, exhibere caſſiam, qua aſſumpta, Illuſtriſs. Pat. rurſus in præteritas incidit afflictiones, uſque ad vigeſimam horam perdurantes, cum amiſſione, vt ſupra, memoriæ in acceſſione, loquelæ verò & auditus, extra eandem. Quibus tandem expeditus, manu propria immiſſa candela, matulam vrina impleuit; cibum deinde ſumpſit, à quo leuiter adhuc correptus eſt. Noctem inde quietam cum ſomno egit, & tertia die benè ſe habuit, retulitque, ſe antehac, frequentibus narium hæmorrhagijs obnoxium fuiſſe, quæ ſex abhinc menſibus omnino ſuppreſſæ fuerint. Quoniam verò, ne iterum prædicta ſymptomata recurrant, iure verentur Conſanguinei, imò Parentes ipſi, ideo de affectus natura, deque agendis, pro præſeruatione ab iiſdem, nos conſulunt.

Non vtique miror, quod uèl in arte maximè uerſatos lateat cognitio affectus Adoleſcentem Illuſt. diuexantis, & quaſi ſine nomine relinquatur; quamuis enim analogiam, & ſimilitudinem habeat cum mania, apoplexia, epilepſia; horum tamen cuiuslibet deſunt huic conditiones. Siquidem mania [a] eſt quidẽ, *Delirium furioſum ſine febre*; attamen incipiens, non adeò citò ſedatur, neq; poſt ſe obmuteſcentiam ſine auditu relinquit; præterquam quod neque ætas [b], neque temperamentum, neque anni [c] tempus maniæ fauent. Apoplexia uerò, unà cum læſione reſpirationis, ſenſus & motus quinetiam priuationem adiunctam habet, & in paralyſin, ſi leuis, [d] in mortem, ſi fortis, terminatur. Epilepſia & ipſa fit quidem cum principum actionum læſione, ſed cum motibus conuulſiuis; affectus autem iſte breue delirium habuit, & in obmuteſcentiã, ac ſurditatem non permanentem deſiit, functionesq; principes deprauatas, non ex toto abolitas habuiſſe uidetur; adde quod nec motus conuulſiui in partibus ulla fit mentio. Igitur neque mania, neque epilepſia, neque apoplexia affe-

a 1. Progn. 18.
b 1. in 3. Epid. 2.
c 3. Aph. 20. & 22.
d 2. Aph. Com. 42.

ctus iſte erit appellandus; quod tamen verum uidetur, ſi omnia cortice tenus, non medullitùs conſiderentur; Epilepticos enim fuiſſe omnes præteritos inſultus, nondum tamen perfectos, pro certo habemus; Ideo Gal. [e] dicebat, quod *Comitiales* [f] *non ſtatim perfectiſſimè inuadunt*. Verùm cùm Epilepſia ſit conuulſio non perpetua omnium partium corporis, cum principum actionum læſione; in præſenti, actionum principum læſio manifeſta fuit; ſicut non obſcuri motus [g] deprauati, qui totius corporis vehementibus, ac violentis iactationibus ſeſe prodiderunt. Vidimus ſiquidem Comitem Adoleſcentem Veronenſem, qui inuaſionibus epilepticis, adeò celeri paſſu ambulabat, vt Presbyter ipſius cuſtodiæ præpoſitus vix illum ſequi poſſet. Sed & epilepticum curſitantem vidit Eraſtus; non cadentem Marcellus Donatus; Stantem Beniuenius; Sedentem Dodonæus. Motus enim conuulſiui, multis, ac varijs modis corpus prehendunt, ac defatigant; quinimò Celſ. [h] aſſerere auſus eſt, quod epilepſia fiat, *Modò cum diſtenſione, modò ſine eadem*. Quandoque enim conuulſiui motus adeò deliteſcunt, aut diuerſo modo apprehendunt, ut noſtram cognitionem aut fugiant, aut confundant; ſpuma autem circa os, licet apparens affectum confirmet; non apparens tamen eundem non ſubmouet, præſertim in epilepſia incipiente, & à uaporibus orta.

e De tot. moib. tẽp.
f 3 de Loc. Aff. 7.
g Ibidem.
h 3. de Re Med. 23.

Malum hoc Sonticum, toties repetens, cum rugitibus, [i] ululatibus, alijſque ſymptomatibus concitatum; in ſubiecto non idoneo, magnam, ac violentam habuiſſe cauſam pro certo habendum; hinc quando dixit Hipp. [k] quod *Iuuenibus fiunt morbi comitiales*, ſubdidit, in Com. Gal. *ob prauam viuendi rationem*: Vt propterea non parum deliquiſſe Illuſtriſſimum Pat. conijci poſſit, in meri potibus, & immodica Venere; qui errores quantum momentum habeant ad hunc effectum inducendum, repetiit cum Hipp. [l] Gal. qua ratione Mont. iuxta eundem Hipp. coitũ, breuem epilepſiam appellauit. Atqui hę fuerunt cauſæ huius affectus diſponentes, & remotæ. Efficientes autem, & proximæ, aliæ fuerunt immediatæ, aliæ mediatæ. Cauſa quidem immediata, irritata facultas; mediata verò, materia, vel vaporoſa, vel humoralis. Humoralis verò non fuit in caſu noſtro, quia tot acceſſiones breues adeò non fuiſſent, & potiſſimum ſine aliqua ſenſibili materiæ euacuatione, ſaltem per os. Vaporoſa itaque fuit, eaque non in capite genita; ſed à toto venoſo genere excalefacto tranſmiſſa; ſicut per conſenſum à ventriculo contingebat Diodoro [m] Grammatico; & à tibia, Puero 13. annorum. Etenim, ut à coitu cerebrum labefactari, & debilitari, ita à meri potu, nec non à ſanguine per nares expurgari ſolito, & [n] ſuppreſſo, vaporibus eleuatis, idem repleri, ſpiritus animales calefieri, agitari, confundi potuerunt, adeò ut delirium induxerint; Cerebro namque intelligimus, & cerebro deliramus. Vapores autem iam dicti, quoniam calidi quidem, ſed ob ætatem, ſanguiniſque dominantis ſuauem, ac benignam qualitatem, neque acrimoniã, neque aciditatem, minuſque veneficam naturam adepti ſunt; ideo cerebri ventriculos adeò irritare, nec illud unà cum neruoſo genere concutere potuere; hinc concitati quidem vehementeſque motus, & inordinati; non tamen conuulſiui manifeſti, epilepſiæ confirmatæ proprij facti fuerunt. At quoniam affatim à ſanguine ad cerebrum copioſi irrepſerunt, vaſa primò diſtendentes, & continuum ſoluentes, dolorem induxere, prout extra vaſa iidem inſenſibilem reſolutionem non adeò citò, & facilè admittentes, ab expultrice, ad quinti, & ſeptimi paris orificia neruorum detruſi, obſtructionem, non tamen perdurantem, ſed uſque ad eorundem ſaltem reſolutionem intulere, ſpiritibus animalibus effluxu intercepto, atque ita auditu, & loquela ablatis, ac reſpiratione quodammodo oblæſa. Ideò Gal. in comitialibus, ad Apnœam [o] maximam adeſſe diſpoſitionem aſſerebat; & ratio eſt; quoniam pars cerebri poſterior potiſſimum læditur in epilepſia, à qua quintum neruorum par, auditui, & diaphragmati dicatum oritur, quã cerebellum ſpinæ principio continuum eſt. Hinc in epilepſia memoria [p] deperditur, ob quam Illuſtriſſ. Adol. nequicquam præteritorum recordatur; cùm par ſeptimum, linguæ motum ciens, à medulla iam ab ipſo cranio deſcendente ortum ducat.

i 4. de Loc. Aff. 6.
k 3. Aph. 29.
l 3. de temp. 2. & de cau. morb. 7. & 3 in 6. Epid. 26.
m 5. de loc. Aff. 7.
n Cel. 2. de Re Med. 7.
o 4 de loc. Aff. 7.
p 1 de Loc Aff. 7.

Vrinæ tandem ſuppreſſionis, à cerebri affectu ſeiunctæ, eandem agnoſcimus cauſam, quam annis elapſis habuit, ſphincterem calefacientem & contrahentem, vel ob nimium coitum, vel ob eiuſdem urinæ calorem, ex meri potu, quam tamen nihil cerebro impertiſſe credimus; ſed potius ueſicæ dolorem, ſurſum petentes, tum uapores, tum humores à cerebro nonnihil reuelliſſe potuiſſe.

Affectus certè magnifaciendus, utpote qui [q] ſemper inualeſcat, qui [r] terribilis; peracutus, ac perniciòſus ab Aretæo cenſetur, *qui* ait ipſe *quandoq; vnica acceſſione hominem rapuit*; vel

q 5. in 6. Epid. 26.
r Aret. & Paul.

diu

dui durans, in Paralyſin, imò & apoplexiam terminatur; & niſi ante ſ 25 annum liberentur, non amplius ex ſe ſanari poſſunt Patientes, ſed ſola validiſſimorum medicamentorum ope, ac diuturno vſu. ſ 5. Aph. 7.

Quod nos aſſecuturos ſperamus; atque cùm grauiſſimi errores tanti mali cauſa fuerint, credendum quoque iiſdem penitus omiſſis, fore ut non amplius reuertatur acceſſio, iuxta magni Hipp. t oraculum. t 2. Aph. 45.

Pro præſeruatione igitur, medicæ intentiones eſſe debent, redundantem ſanguinem minuere. Secundò bilioſam magis eiuſdem portionem electiuè educere. Tertiò eiuſdem & iecoris ſeruorem corrigere. Quartò effumantes vapores à capite reuellere. Quintò caput ipſum roborare. Et vltimò à proprietate iuuantia in uſum ducere, congrua ſuppoſita viuendi ratione.

Quibus omnibus ſatisfacere, præſenti hoc anni tempore hyemali, & hoc rerum ſtatu tentandum non eſſe exiſtimamus; cùm enim violenta, & ferè præter rationem ſit huiuſmodi affectionis origo, & ab externis potius, quàm internis pullulans cauſis, iiſdem prorſus remotis ſalus ſperari poteſt.

Et quamuis ſanguinis ex pede detractio, pro præſeruatione, ut præſtantiſſima prædicetur à Gal. u quæ conſuetam quoque hæmorrhagiam ſupplere poſſet; attamen, quoniã nos non latet, quamlibet humorum commotionem, & agitationem valdè ſuſpectam eſſe; ideo ſola congrua viuendi ratione, & nonnullis à proprietate iuuãtibus cõtentos nos eſſe decet. u de Sang. Miſſ. 19.

Et primò quidem caueat utramque aeris immoderantiam, tum caloris, tum frigoris, nec caput igni diutius exponat.

Secundò cibi ſint refrigerantes, minimè vaporoſi; ſic abſtineat ab apio, ſiue hipposelino, fœniculo, allio, cæpis, nucibus, amygdalis, pineis, piſtacijs, aromatibus, lactarijs, quinetiam hoc tempore fungis, tuberibus, carne hœdina, qualeis, coturnicibus, & perdicibus, oſtreaceis, conchilijs, & à ſquamis carentibus piſcibus. Ius endiuia alteratum prima menſa in uſum ducat. Pro potu vinum x ſaltem quadraginta diebus interdicimus, cui aquam ſuauẽ limonum acido, & ſaccharo conditam ſubſtituimus. Deinde Vinum y ſit album, ut quod minus caput feriat; tenue tamen & oligophorum. Claudat prandium diacydonite, vel per ſicorum conſerua; cœnam verò conſerua roſatum. x Paul. Aet. & Orib. y Aret.

Tertiò ſomnus permittatur quidem diurnus, ſed nocturnus potiſſimum, in cubiculo, quod nunquam accenſo igne excalefiat. Quartò labores z optimi ante cibum, ſicut ante cœnam, frequentes pedum lotiones. Quintò Aluus lubrica ſeruetur, paſſulis, prunis damaſcenis, & ſi valdè reſtiterit, pil. ex ℈ i. aloes roſ. cum ptiſana hord. Coitus omnino ablegetur. Et tandem conſueto alacri animo viuat. z Adu. Eraſiſt. 8.

Ex medicamentis pauca ſint in uſu. Bibat aliquando matutinis horis cyathum aquæ cich. beton. & pœon. additis tribus, aut quatuor guttulis ſpir. uitr. vel præmittatur ℈ ſ. ſal. cranii humani. Nonnumquam ſub ingreſſum lecti, comedat conſeruam ex flor. pœon. vel beton. vel lil. conuall. omiſſo oleo buxi, ligni Heraclei, ol. ſuccini, oleo maioranæ, quinta eſſentia roriſmar. caſtoreo, ſquilliticis omnibus, utpote quæ paucis epilepticis conferant, & pluribus noceant.

Vrinæ verò ſuppreſſioni, ſi perſeuerèt, ſuccurrendum, balnei vice, hoc hyemali tempore, fomento, & magna ſpongia decoct. malu. uiolar. meliloti, parietariæ, radic. althææ, lil. alb. madefacta; mox illitu, unguento maluino, & oleo de ſcorp. reformat. Faxit Deus, ut hæc ſufficiant, nec noua emergant, quæ nouo conſilio indigeant.

EPI.

XLVIII.

EPILEPTICI, ET CONVVLSIVI Affectus, cum Melancholia Hypochondriaca.

VIrum doctiſſimum, multiſque aliis negotiis implicitum, ab affectu hypochondriaco immunem degere, rara auis; ideoque mirum non ſit, Reuerendiſſimum Definitorem, & Generalem, multis abhinc annis huiuſcemodi affectione fuiſſe correptum, præſertim cùm ad eandem fuerit naturaliter pronus: efferbuit enim ſemper ipſius iecur, habitus potius gracilis, fuſci coloris, hirſutus, uenoſuſque fuit, ac ſtudiis & negotiis oeconomicis ſui Coetus quàm maximè deditus; à quibus calor natiuus ventriculi à concoctionibus ſuit frequenter diſtractus, & ab intemperie calida iecoris, atque hypochondriorum non parum turbatus, atque immutatus, qui proinde eiuſdem actiones imminuit: appetitus enim deiectio ſequuta eſt; vnde cruditatum prouentus, à quibus obſtructiones in meſenterio, & cauis uiſcerum ſubortæ, & temporis proceſſu, à iecoris, & circunſtantium uiſcerum calore exſiccatæ, terreæ, atque melancholicæ redditæ ſunt, à quarum infarctu, hypochondriorum calore magis magiſque adaucto, ſanguis in ramis venæ portæ concluſus, exuſtionē adeptus eſt, unde hypochondriacæ affectioni & melancholia quoque hypochondriaca ſucceſſit; ſicut enim hypochondriaca ſymptomata ſunt alui ſtypticitas, à iam dicta ſiccitate inducta; ventris murmura[a], ab exhalationibus ex materia terrea eleuatis; lumborum imbecillitas, quia meſenterium obſtructum ſpinæ annectitur; colici dolores, qui potiùs hypochondriaci nuncūpandi fuerant, ab iiſdem exhalationibus, uel in hypochondriis, uel in inteſtinis delireſcentibus; ptyaliſmus, à cruditatibus in ventriculo genitis: ita melancholiam hypochondriacam nobis ſignificant, melancholicæ euaporationes in cor, & caput, quæ nonnunquam ſpiritus animales obtenebrando, & cor ipſum refrigerando, timorem, atque mœrorem[b], etiam abſque cauſa manifeſta incutere ſolent; à quibus non nihil quinetiam imaginatio oblæditur, & deprauatur; unde moroſitas quædam[c] inſurgit; cuins ratione Reuerendiſſ. Pat. nimis ſolicitus de propriis negotiis euadit, & quidem magis, quàm res ipſæ poſtulent.

a 3 de Loc. Aff. 7.

b Ibidem:

c 3. in 3. Epid. 82.

Quod ſi contingat, ut aliquando euaporationes huiuſmodi melancholicæ, non in mentem, ſed in cerebri corpus irrepant, parietes ventriculorum cerebri, piam ſcilicet matrem, propria aciditate vellicantes, & irritantes, in iiſdem corrugationem quandam excitant, vnde conuulſiui motus in toto, & epileptici affectus. Vbi autem humores excrementitii abundant, ſi naturalis adfuerit in articulis imbecillitas, dolores quoque facilè articulares, ſiue podagricos inducunr.

Quibus ita ſe habentibus, omni arte, atque induſtria tanti Viri ſalus eſt procuranda. Et licet affectus iam dicti confirmati, medentis manum ſæpiſſimè reſpuant; non parum tamen remittendos ſperamus, & melancholiam per conſenſum à toto, epilepſiamque frequentiorem præcaueri poſſe credimus.

In quam rem. Primò primæ viæ ab excrementis mundentur. Secundò obſtructiones aperiantur. Tertiò maſſa ſanguinea purificetur. Quartò iecoris, & hypochondriorum feruor contemperetur. Quintò Antepilepticis caput muniatur, & tandem viſcera roborentur.

Quibus explendis intentionibus, in ſonte Chirurgico, repetenda ſanguinis miſſio, ex brachio ſcilicet, & pede, aut ex hæmorrhoidibus. Cauteria iam inuſta conſeruet; & frictiones, aut pedum lotiones frequenter ieiuno uentriculo adhibeat.

A fonte Pharmaceutico reliqua depromenda remedia; & primò quidem Lenientia, quæ erunt ſyr. roſ. ſol. & de polyp. uel caſs. & lenit. cum tartaro, quibus ſuperbibat ius, uel aquam hordei. Primum præparans eſſe poterit iulap. acet. ad ℥ iij. additis ʒ iij. crem. tart. tenuis pulueriz. & gutt. aquæ cinnam. Quinque uerò poſt diebus,

repe-

repetatur alterutrum iam præſcriptorum lenientium.

Inde ad obſtructiones reſerandas erit deueniendum; quæ quoniam, vt dictum fuit, ſiccæ, & melancholicæ, ideo humectantibus ſemper curandæ. Quare tale præparans, & deobſtruens parari poterit. ℞. ſucci depur. cich. borrag. an. ℥ i. ſ. tart. vitriol. gr. viii. decoct. cich. borrag. malu. meliſſæ, bugloſſi, pentaph. ℥ v. m. pro ſyr. & ſic pro aliis. Septem verò tranſactis diebus, præbeatur caſſ. miſta pil. de tribus cum rhab. uel infuſum rhab. & ſennæ, necnon epith. in aqua end. addito ſyr. roſ. ſol. à quibus bibat ſer. capr. aut aſin. depur. ad lib. ii.

His peractis, intentio obſtructiones aperiendi non deſerenda; ſed ſimul quoque, ſi fieri poſſit, tota maſſa ſanguinea eſt depuranda. Quæ omnia præſtare poterit ſyr. Fernel. cum rhab. ſecundum noſtram deſcriptionem paratus; cuius uſu, & quartæ intentioni ſatisfieri poterit, ſi infraſcripto modo ſumatur. ℞. ſyr. Fernel. ℥ ii. aquæ ſtill. agrim. ℥ iii. m. exhibeatur, & tranſacta hora, ſuperbibat ſeri depur. ℔ i. tribus verò horis ab aſſumpto ſero, prandeat. Sequenti verò die, ſumat ſuccos, hac formula. ℞. ſucc. depur. cich. borrag. agrim. an. ℥ i. decoct. cich. end. malu. ſonci, hepaticæ ℥ v. m. & præbeautur quatuor ſaltem horis ante cibum; atque ita perſiſtendum alternatim, per viginti dies; quibus tranſactis, paretur tale medicamentum. ℞. rhab. opt. ʒ i. epith. ſennæ an. ʒ ii. cinnam. integ. ʒ i. aquæ borrag. q. ſ. m. f. inf. per hor. 12. deinde expreſſ. & colat. adde ſyr. roſ. ſol. de polyp. an. ℥ iii. m. f. p. & tribus horis ab aſſumpta potione, ſuperbibat aq. Nocer. ℔ iii. duabus verò horis ab aſſumpta aqua, prandeat.

Atq; ita diſponatur ad uſum aq. Nocer. ſequenti die ſumendo ℥ iiii. aut v. ſyr. roſ. ſol. propinato ſtatim ab eo, cyatho peramplo eiuſdem aquæ; deinde poſt horam bibat adhuc illius ℔ vi. aut vii. ita continuato eiuſdem uſu tribus, aut quatuor diebus. Interim per urinam excernetur portio eiuſdem aquæ; tuncque mutetur vehiculum deiectorium in diureticum, præbendo ſummo mane, duos cyathos aq. ſtillat. capil. ven. & ononidis, cum gutt. x. ſpir. tart. ter rectif. in quolibet cyatho, & ſacchari fini pugillo; in alios verò duos cyathos iniiciatur ſuccus lim. cum ſacch. & hora poſt, bibat reſiduum aquæ, ad ℔ vii. uel viii. imò ad x. & xii. ſi uentriculus admiſerit, & aquæ copiam facilè toleret. Perſiſtat in his ad xv. dies, imminuta paulatim aquæ copia; ita ut poſtremis diebus, ſex eiuſdem præſcribantur libræ. Tandem potio ex manna clarif. ad ℥ vi. aut vii. exhibeatur, vt corpus omnino ab aqua expediatur, atque exoneretur.

Inde ad lactis, & Balnei uſum erit deueniendum. Lac autem ſit aſininum; Balneum verò aq. dulcis, foliis malu. uiol. lactucæ, nymph. ſalicis alteratæ; quorum tectus uſus à nobis non inſtituitur, ne Excellentiſſ. Adſtantibus iniuria fiat.

Interim dum iam dicta omnia adminiſtrantur, aliqua cephalica, & antepileptica, ſed leuia in uſum duci poterunt; cùm melancholici affectus curatio eadem ſit, ac epileptici. Sumat itaque Reuerendiſſ. Pat. ſub ingreſſum lecti, quandoque conſeruam è florib. rutæ capr. e flor. lil. conual. quandoque è florib. ſaluiæ, beton. & nonnunquam hauſtum aquę pœoniæ, vel aq. flor. tiliæ; & perdurante epileptico affectu, quod non ominamur, inſtillentur gutt. ol. heraclei in maiori quantitate quintæ eſſentiæ roriſmarini, & ſummis digitis inungantur nares, & ſutura coronalis ſub ingreſſum lecti. Quæ quidem ſub finem proximè futuri Veris à Viro Reuerendiſſ. præſtanda, cùm hoc anni tempore, poſt tardius habitam conſultationem, parum aptè, & imperfectè poſſit inſtitui curatio.

Q[u]ibus omnibus congrua addenda victus ratio, iam dictis omnibus proportione reſponden[s], quæ à Viro Excellentiſſ. Adſtanti in omnibus erit præſcribenda, prout cætera omnia opportunè dirigenda.

PRÆ·

XLIX.

PRÆSERVATIO AB EPILEPSIA.

EPilepticus affectus, quo detinetur Illuſtriſs. Adoleſcens, eſſentialis non eſt, ſed per conſenſum, & quidem ab hypochondriis, vtpote ab hypochondriaca affectione melancholica non immunibus, à quibus aura eleuata acida, & acris, cerebri ventriculos petens, & meninges eoſdem inueſtientes pungens, atque irritans, cerebri quaſſationem, indeque ſpirituum animalium confuſionem magis, quàm obſtructionem, & proinde motus corporis potius deprauationem, quàm abolitionem infert; quæ ſymptomata ſimul tandem epilepſiam conſtituunt; quæ plenilunio [a], & nouilunio inuadere maximè ſolebat; quoniam Luna, vt conſiderabat Gal. *Comitiales magnopere cuſtodit*; eo quod cerebro potiſſimum prædominetur, cuius imbecillitas concurrit, tanquam cauſa ſine qua non, ad huiuſmodi affectum producendum.

a 3. de Die. b. decret. 2.

Et licet Patientis ætas 25. exceſſerit annum; eius tamen curationem aggreſſi ſumus, ut, quod amplius natura præſtare non poteſt, ab arte medica obtineamus; quinquagenariam enim fœminam artis ope liberatam vidit Nicolus; & quinquagenarium pariter Trincauella. Quare & nos ſanitatem conſecuturos ſperamus, cùm neque hæreditaria, neque inueterata ſit affectio, atque per ſympathiam, non idiopathiam Nobilem Iuuenem affligat; quanquam nos non lateat difficultas, quæ ideo, & uſu aliorum purgantium opportuno tempore [b], & continuata victus ratione oppugnanda fuerit.

b Quos Qu.b. & Quando & 6. Aph. 47.

Interim congruis adhibitis remediis non parum ceſſit affectus, quæ reuera hypochondria magis, quàm caput ipſum ſpectarunt deobſtruendo, humorem melancholicum euacuando; ſed præ cæteris aciditatem, atque acrimoniam demulcendo, & contemperando; quæ intentio & in poſterum præ oculis habenda, licet varia remediorum materia impleri poſſit.

Interea congrua victus ratio omnino neceſſaria; quam in gratiam Nobiliſſimi Patientis, paucis quidem, ſed obſeruatione dignis præceptis deſcribemus.

Et primò quidem Aer nebuloſus, & caliginoſus, illius potiſſimum vrbis, primis horis matutinis, & poſtremis veſpertinis, euitandus; nec ſolùm [c] fœtidi odores, ſed [d] odorata queque in epilepſia fugienda.

c Tral Lib 1. Cap. 15. & Ibidem. d de Atten Vic. Rat. 1 a. e de Atten. Vic Rat 1. f Tral. Lib 1. Cap. 15. g 4. Simpl. 12. h de Puero Epilep. Hipp. Aui. cen. & Plu. rare. i Tral. Ibidem. k De Diut. Affec. Cap. 4. l 3. de Re Med. 25. m 3. de Re Med. 13. n Tetr. 2. Sermon. 2. Cap 13.

Secundò victus non adeò attenuans, licet talem præſcripſerit Gal. [e] hic enim conuenit pituitoſis epilepſiis. Et ſicut [f] dulcia omnia, potiſſimum à cibo mala; ita amari ſapores conferre ſolent; noxia quoque acida, & caput tentantia. Prima menſa aſſumat [g] emollientia, quale erit ius tenue, borragine alteratum. Inter carnes omnino prohibetur caprina, & hœdina, imò & ouilla; Qualeæ pariter, perdices, coturnices, vt quæ à proprietate epilepſiam excitent; neque probatur caro bubula, ſuilla, & leporina, cæteris alioquin omnibus conceſſis, pro guſtu Patientis paratis & conditis; aduertendo tamen in eorum condinura, quod ab allio, cæpis [i], apio & petroſelino abſtinendum ſit; nec ignorandum, quod à proprietate huic affectui opponuntur caro turturis, columbarum ſylueſtrium, hirundinum, & vulturis.

Inter piſces, vitanda anguilla, tinca, & omnes ſquamis carentes; ſicuti & oſtreaceæ.

Inter lactaria, abſtinendum potiſſimum à caſeo veteri. Legumina omnia mala, præter hordeum, & orizam. Lagana non ſunt in uſum ducenda.

A fructibus, præſertim crudis, & horariis omnino eſſe cauendum cenſuit Fern. quos tamen non acidos, maturos, & non valdè flatulentos concedimus. Ex oleribus vitentur braſſica, beta, petroſelinum, apium, lactuca, mentaſtrum, ſmyrnium, tubera terræ, atque fungi. Pro potu conſueto, licet Aretæus [k] concedat vinum album; & Tral. nigrum, ventriculi ratione; ſicut Recentiores vina medicata parant, ex pœonia, viſco quercino, & ruta capraria; nos tamen cum Celſo [l] Paulo [m], Aetio [n], atque Oribaſio, à vino ſeſe omnino abſtinere, efficaciſſimum remedium cenſemus. Aquæ itaque præferantur,

tur,

tur, quæ decoctæ meliores, & ſi ſantalo, aut buxo alteratæ, optimæ; inter quas aqua Nœceræ, quæ vtpore ſuauiſſima, atque tenuiſſima, aptiſſimus potus eſſe poterit.

Tertiò ſomnus ſit nocturnus, & longior potius, quàm breuis, meridianus verò caput implet, excrementa generat, prout & matutinus diuturnior eadem ſiſtit. Quare, niſi fuerit conſuetus, omittatur, aut ſaltem ſedens, non decumbens parcè illi indulgeat.

Quartò labores epilepticis conferre tradidit Gal.[o] Quare exercitium erit conuenientiſſimum, ſed [p] ante cibum, radios ſolares vitando. o Adu. Eraſiſt. 8.

Quintò aluus quotidie reſpondeat, & niſi ſpontè, arte ſolicitanda laxantibus potius alimentis, quàm facultatem irritantibus. Sic decoquantur pruna Damaſcena, aut in iure, aut in aqua; coquantur pariter & paſſulæ; quæ ſaccharo omnia condiantur, & prima menſa comedantur; à quibus ſtatim ius malnis alteratum hauriendum, cui mox cibus ſuccedat. p 4. in 6. Epid. Vlt.

Venus omnino vitanda, eſt enim ex Hipp. breuis quædam epilepſia.

Euacuatio inſenſibilis totius corporis, vt magni momenti, cautè fouenda; corpore diu benè munito, & noctu ſtragulis tecto, ac ab ambiente frigido tutato, nec flantibus ventis, præſertim ſi fuerit excalefactum, expoſito.

Tandem animi paſſiones, & quilibet vehementes eiuſdem motus ſunt ablegandi; cùm aſſerat Gal.[q] ſolum vehementem animi motum, & perturbationem, paroxyſmum inducere poſſe. Sic ſtudia non ſint adeò producta, nec vllo modo, cibo in ventriculo hęrente, ſicuti diutius profundis meditationibus non immotandum. q de Puero Epilep.

Congruæ victus rationi iam dictæ, aliqua à proprietate iuuantia ſunt quoque addenda; opportuno tamen tempore, quæ nec inſuauia, neque operoſa valdè ſint. Sic duobus, vel tribus diebus, ante nouilunium, & plenilunium bibat primis matutinis horis ℥ viii. aquæ pœoniæ, & flor. tiliæ, additis gutt. iiii, uel v. ol. de buxo, & totidem ſpirit. vitrioli; uel aquā de ſucco rutę capratiæ, & pœoniæ, vt ſupra, ad ℥ viii. quibus inſtillentur gutt. ol. de cranio humano; uel ſal eiuſdem cranii, ad gr. x. quo tempore illini poterit caput circa ſuturas, oleo de buxo, & de gagate, miſtis; ſicut nares digitis, quinta eſſentia roriſmarini madefactis erunt emungendæ, ſub ingreſſum lecti. Aſſumat pariter, non tantùm tribus diebus iam dictis; verùm & frequentius, conſeruam è floribus rutæ capr. uel è lilijs conuall. quibus aliquot guttæ ol. ligni heraclei miſceantur. Verùm aduertat Pat. Nobiliſs. quod tempus iam dictum nouilunii, & plenilunii non eſt intentiori imaginatione expectandum, aut pertimeſcendum, ſed alacri, forti, ac præſenti animo ſubeundum. Quæ pro præſeruatione ab hoc affectu, ſatis.

L.

CONVVLSIO OPISTHOTONOS.

Mercator egregius, quinquagenarius, temperamenti totius, calidi, & humidi, carnoſi habitus, capitis humidioris, cùm menſe Decembri à Nundinis Germanicis Patriam reperens, nebuloſo, atq; pluuio Cęlo, imbribus cum vento ingruentibus non procul ab urbe propria, itinere non intermiſſo, capite, & tergo madeſceret, tandem domum perueniens à domeſticis expoliatus, linteiſque calidis deterſus, & excalefactus, cùm alacriter cœnaſſet, merumque potaſſet largius, cubitum concedens, ſomno ſe tradidit. Tunc verò, ſub noctem mediam, de Occipitis dolore conqueri cepit, ad ſpatulas protenſo, ita ut non amplius ſupinus cubare poſſet, capite ad poſteriora conuerſo, quo affectu cum dolore, magis magiſque celeriter ingraueſcente, ſummo mane, cum Medico domeſtico accitus ego, ut de agendis ſimul ambo conſuleremus, inueni Patientem capite ad poſteriora retracto conuulſum, cum dolore, & ſine febre[a]. a 2. de Symp. Cau. 2. & de Tren. Rig. Ca. 8.

Motus capitis ad poſteriora, quanquam naturalis poſſit eſſe, ſi voluntarius ſit, quoniam naturaliter quilibet muſculus ad proprium principium mouetur; quia tamen in noſtro Patiente, id citra voluntatem, violenter, & [b] cum dolore fieri videmus; ideo motum [c] hunc deprauatum, & Conuulſionem nuncupandum eſſe omnino aſſerendum; quæ quoniam ad b 2. in 1. Prorrh. 20. c 6. Aph. 39.

N poſte-

poſteriora fit, Opiſthotonos [d]; ſicut ad interiora, Emproſthotonos; & ad utramque partem, Tetanos vocanda foret. *Si enim [e] anteriores tantùm muſculi, dexter, & ſiniſter tendantur, tota ceruix annuit; ſin poſteriores, renuit; ſi omnes quatuor, recta permanet.* Eſt [f] itaque ſymptoma facultatis motricis deprauatè læſæ; deprauatur enim primò, quia motus eſt violentus; ſecundò, quia præter voluntatem; tertiò, quia cum dolore. Cùm autem voluntarij [g] motus proprium inſtrumentum ſit muſculus, muſculi Trapezij, ſiue Cucullares, & forſan etiam Splenij, atque Complexi erunt pars affecta; unde ſingultum [h] conuulſionem eſſe negauit ipſe Gal. quia ventriculus muſculus non eſt; conuulſio autem ſolis muſculis accidit. Ideo concludit, quod Ventriculus, ſicut & Vterus, conuulſiuo modo mouentur, adeò ut contrahi, at non conuelli dicantur. Et licet nerui motricem facultatem ad muſculos deuehant; inſtrumentum tamen motus immediatum muſculus eſt; prout Auditus, & Guſtus, non ſolus neruus, ſed auris, & lingua ſunt propria inſtrumenta.

At quoniam muſculus eſt pars organica, in conuulſione læditur quidem; ſed ad neruorum læſionem; non enim puncto muſculo ſequitur conuulſio, ut neceſſariò puncto neruo, illico motus conuulſiuus, quo perdurante, vera conuulſio accidit; quæ licet ſuccedat quoque puncto tendine, qui ex nerui, & ligamenti ſubſtantia componitur, fit tamen ratione neruoſæ ſubſtantiæ. Ideo dicebat Gal. [i] quod *tendo minus conuulſionem patitur, quàm ipſe neruus.*

Cauſa huius affectus, in caſu noſtro, non poteſt non eſſe alterutra harum, cum Hippocrat. [k] repletio nimirum, aut inanitio; ſiquidem in conuulſione, tertiam nunquam obſeruare potuit Gal. [l] Et licet Auic. tertiam cauſam inuenerit, ſpaſmi ſc. non proportionati ad materiam, dicens. *Et quando fit ſpaſmus, qui ad materiam non proportionatur, eueniens cauſa rei, a qua nerui fugiunt, & congregantur ad expellendam ipſam, &c.* Cauſa tamen huiuſmodi, eſt motus conuulſiui, non conuulſionis, cuiuſmodi ſunt in Epilepſia; quam ideo Gal. [m] appellabat conuulſionem non perpetuam. Repletio autem, non inanitio eſt cauſa præſentis affectus; non quidem à flatulenta materia, vt Ceſalpino, necnon Fern. placuit; ab hac enim potius ſpaſmus flatulentus, Granſo dictus, citò euaneſcens enaſci ſolet; ſed ab immodica humiditate imbrium in capite adaucta, & externa frigiditate denſata, quæ à largiori [n] vini meracioris potu liquata, ad neruorum ſubſtantiam præfatorum muſculorum ſeſe inſinuauit, & eoſdem repleuit; vnde Lyræ chordæ inſtar intumeſcentes, breuiores facti, & ad ſuum principium contracti conuulſionem excitarunt.

Neque credo, [o] frigiditatem ad conuulſionem hanc efficiendam concurrere, ut cauſam exprimentem, & inanitionem inducentem, curationem enim diuerſam poſtularet; ſed potius quatenus [p] cogit, & cohibet materiam ipſam; quod expreſſis verbis Gal. explicuit dicens. [q] *Algor autem, & frigiditas omnis, eo quod omnia neruoſa corpora efficiunt ad difflandum difficilia, ſunt cauſa, ut hæc repleantur.* Addo ego, & ſi exprimunt, materiam potius ad neruos, non à neruis exprimunt, ſicque repletionem, non inanitionem adiuuant.

Affectum hunc ſuperari poſſe confido; quia Patiens robuſtus eſt, nec malum ulterius propagatur; multò namque difficilior eſſet, ſi ad partes quoque inferiores ſerperet; prout difficillimus, imò plerumque lethalis foret Tetanos, Diſtenſio dictus; *Quatuor [r] enim dierum ſpatio interficit*; quoniam ait Gal. in Com. *Vltrà natura tantum laborem tolerare non poteſt.* Diuturnus tamen eſſe poſſet, iuxta materiæ conditionem; partis enim laborantis natura, neruoſa ſcilicet, cum denſa ſit, materiam imbibitam, non adeò facilè elidi permittit, aut reſolui; quam difficultatem auget anni tempus frigidum.

Statim igitur ineunda curatio, Euacuantibus, Attenuantibus, Reſoluentibus, & Robor.

Quibus ordine executiuo ſatisfaciendum. Quare omnium primò, Clyſter iniiciatur aeris, hac formula. ℞. Decoct. Mercur. Betæ, Pariet. Chamæmel. vtriuſque Centau. ℔ i. Mel. roſ. ſol. Ol. Chamæm. an. ℥ iii. Elect. Diaph. ℥ ſ. Vitel. Oui m. pro Clyſt. Inde præbeatur hoc Leniens. ℞. Mel. Roſ. ſol. Pot. ex Man. clarif. an. ℥ iii. Aq. Cinnam. parum m. f. p. Primum preparans ſit huiuſmodi. ℞. mel. roſ. ſimp. Oxymel. ſimp. an. ℥ i. ſ. Aq. Cinnam. ℥ ſ. m. pro ſyr. & ita pro v. aliis. A quibus, ℞. Pot. ex man. clarif. ℥ vi. addendo infuſ. conſ. Agar. troch. ℥ ſ. & Aq. Cinnam. ℥ ſ. m. cui ſuperbibat mulſam dilutam, ad ℔ ii. Præparans alterum ita parabitur. ℞. Decoct. Cich. Borrag. Meliſ. Beton. Iuæ, ſalu. roriſmat. Maior. Prim. Veris ℥ vi. ſyr. de Beton. Oxymel. ſimp. an. ℥ i. Aq. Cinnam. cochlear m. pro ſyr. & ſic pro aliis decem; & quinque tranſactis diebus, aſſumat huiuſmodi pil. ℞. Pil. de hiera cum Agar. Aggreg. Coch. præpar. an. ʒ. ſ. m. ref. pil. & aur. ſub finem verò ſyrup. has aſſumat, ℞. Pil. Fœtid. Coch. præparat. an. ℈ ii. Maſt. ℈ i. m. ref. pil. & aur. Pilulæ nam-

d ad Thra. ſyb. 18.
e de Diſſect. Muſc. 16.
f 1. Prorrh. Co. 20.
g 3. de Loc. Aff. 6. & 1. de Diffic. Reſp. 18.
h 3. de ſymp. Cau. 2.
i 6. Meth. 4
k 6. Aph. 39.
l 8. Per Loc. 3.
m 3. de Loc. Aff. 7.
n 3. de Temp. 2. & 5 Aph. 5.
o de Diff. Morb. 5. & 3. de fract. 46.
p 5. Aph. Co. 17.
q 6. Aph. Co. 13.
r 5. Aph. 6.

Digitized by Google

læ namque fœtidæ aptiſſimæ ſunt, ut conſiderabat Cæſalp. vtpote quæ & Caſtoreum, & ſuccos ferulaceos contineant, neruoſo generi amicos.

Inde ad Topica, tum interna, tum externa eſt deueniendum. Inter interna Theriaca commendatur à Gal.[f] ſicut extollitur quoque Caſtoreum[t]. Confect. Anacard. à Rhaſi, ut quæ, & ſudorem prouocare, & febrem[u] excitare poſſit, conuulſioni utiliſſimam. Succum Cyrenaicum commendant Paulus[x], & Aetius. Interim ſternutatoria quoque exhibet Hipp.[y] ad mouendam, & diſcutiendam materiam; quę & in caſu noſtro conuenire poterunt, niſi fortè à vehementia doloris prohibeantur.

Inter externa in uſum veniunt inunctiones, illitus, & potiſſimum balnea. Inunctiones, à Nucha per ſpinam, ex Ol. Chamæmel. lil. alb. cum arom. Vulp. & de Caſt. quas tamen præcedant ſpinæ frictiones, factæ ſquilla per medium inciſa. Illitus fiant Ol. nucis moſch. per expreſs. extracto; vel paretur efficaciſſimus ita. ℞. Felem exenteratum, & in fruſtula minuta conciſum; indatur in ventrẽ Anſeris, addendo Thuris, myrrhæ an. ℥ iij. ſtirac. calam. caſt. an. ℥ ij. roriſmar. maior. flor. lauend. Anethi an. p. i. conſuatur anſer, & ad ignem, de more, aſſetur, ſubiiciendo ſartaginem Acet. roſ. ſemiplenam, in qua liquor emanans colligatur pro quotidiano illitu.

f ad Piſ. l. ſ
t 11. Simp.
u 2. 26.
x 3. de Re Med. 19.
Tetr. 2 ſer. 2. Cap. 38.
y 3. de Morb. 13.

Quibus non ſufficientibus, in Balneum deſcendat Patiens, & primò quidem ex oleo paratum, ut monet Celſus,[z] & Paulus[a], tum ad dolores demulcendos, tum ad neruoſam ſubſtantiam emolliendam, & reſoluentibus uiam aperiendam. Oleum autem ſit commune; ſed ſubiecta decoctione emolliente, & aperiente, ex flor. Chamæm. Melil. Pulegii, Calamen. Abrotani, ſaluiæ, Hyper. radicibus liliorum alb. Althææ. Cui ſuccedat reſoluens ex Aquis ſulphureis paratum; quales ſunt Aponitanæ noſtræ, in quo parum etiam ſudare poterit Patiens. Tandem corroborantia aliqua in uſum ducenda, ut quinta eſſentia roriſmar. rotularum forma, Conſ. è fl. ſaluiæ, roriſmar. beton.

z 4 de Re Med. 3.
a 3. de Re Med. 19.

Congrua tandem viuendi ratio adiicienda, attenuans, & mediocris inter tenuem, & craſſam. Vinum vetus paucum concedit Auic. multum enim, ut cauſa procatarctica, conuulſiones excitat; concedatur itaque album, ſaſſafras medicatum. A Coturnicum eſu omnino abſtineat. Capitis motum ad anteriora vi aliqua conuertat, & ſalutis futuræ certus, alacri animo viuat.

LI.

MOTVS CONVVLSIVI.

Sereniſs. Dux, 7. annum agens, temperamenti totius, & iecoris, calidioris, habitus potius gracilis, atque adeò ad actiones, tum animi, tum corporis promptiſſimus, & aptiſſimus, Patre Sereniſs. defluxionibus arthriticis, atque podagricis obnoxio natus, tribus ab hinc annis, præter puſtulas plures corporis partes obſidentes, fluxionem quoque ad aurem paſſus, ſurdaſter eum euaſiſſet, iiſdem cauterio brachio inuſto euaneſcentibus, auditum perfectè, vt antea recepit. Hoc autem tempore, ab aſſidentibus obſeruati fuere motus quidam conuulſiui, modò vnius, modò alterius brachii; quos tandem ſenſit quoque Sereniſs. ipſe in occipite, adeò vt quandoque ad poſteriora caput conuertere cogatur; qui ingraueſcunt inclinante æſtate, & ineunte autumno, & grauius quidem, ab ambiente frigidiori. Sub idem verò tempus, paſſus eſt quoque apoſtema in gingiuis, & ſæpe ad genas fluxionem, quæ ſemel tantùm ad manum quoque deſcendit; ſenſus tamen, & motus, ſicut & functiones omnes principes, ſemper illęſæ, ac vegetæ fuere. Modò hoc autumnali tempore, quid facto ſit opus à te, Prudentiſs. Vir quærimus, vt qui, ſicut aliàs præſentia, ita modò ſcriptis præſtò ſis, in Sereniſſimi, atque Clementiſſimi Ducis auxilium.

N. N.

PRÆSTANTISSIME VIR.

DVm pro Sereniſs. Pueri ſalute ſolam præſeruatiuam medicinæ partem, non verò curatiuam adminiſtrare animus eſt, res pro voto ſuccedit; quòd ſumma prudentia, qua polles, futura longè proſpicere, & præuertere potueris, non verò præuerti. Itaque ego tecum perpendens ſymptoma in actione motrice deprauatè læſa, tribus abhinc annis, per interualla Sereniſs. puerum infeſtans, motum conuulſiuū, tum brachiorum, tum occipitis potius, quàm conuulſionem iure nuncupandum cenſeo; quem, ad differentiam veræ conuulſionis, conuulſionem non perpetuam appellabat ipſe Galen.[a] ut propterea cauſam immediatam, non inanitionem, aut repletionem, vt conuulſio[b]; ſed irritamentum[c] cognoſcat; quos quidem motus conuulſiuos, aliam ſibi adiunctam habere affectionem nullo modo exiſtimandum; cùm expreſsè ſcripſerit Gal.[d] *Motus conuulſiuos, ſine principum actionum læſione, epilepticos non eſſe.*

a 3 de loc. Aff. 7.
b 6. Aph. 19.
c 6. Per loc 3.
d 3 de Loc Aff. 7.

Pars affecta, licet videatur[e] muſculoſum genus, vtpote voluntarii motus proprium inſtrumentum; immediata tamen eſt genus neruoſum, ex læſione capitis, quod quidem intemperie humida, nō ſine aliqua caliditatis exuperantia eſſentialiter affectum obſeruatur; vnde primò auditus grauis, mox Veris tempore, ad dentes repullulans apoſtema, & ad genas defluxiones, & ad manum ſemel. Verùm ad huiuſmodi motum conuulſiuum producendum, caput ſympathicè potius, quàm idiopathicè conſpirare puto, ex præteritis puſtulis ſanguinis bilioſioris, & iecoris feruidioris ſobole; quas medicis auxiliis euanuiſſe quidem, ſed tamen per vniuerſalem diaphoreſin, tenuiores adhucnum ichores quotidie inſenſibiliter reſolui procul omni dubio eſt; qua ab ambiente autumnali, magiſque hyemali impedita, à toto venoſo genere in caput, ſi non ichores calidi, & acres; halitus ſaltem eiuſdem naturæ efferuntur, quorum per ambitum difflationem, ac reſolutionem prohibet ambientis frigiditas. Ac tandem hoc ipſum confirmare valet affectus conuulſiuus, trium annorum ſpatio, non vltrà progreſſus: etenim ſi eſſentialiter caput affectum fuiſſet, adeò vt cauſa irritans primam in capite ipſo originem, & productionem habuiſſet, ad cerebri ventriculos hucuſque ſeſe inſinuaſſet, & affectus epilepticos induxiſſet; tanta enim intercedit affinitas inter conuulſiuos, & epilepticos motus, vt Gal.[f] *Epilepſiam definierit, quod ſit conuulſio non perpetua omnium partium corporis, cum principum actionum læſione.* E diuerticulo igitur ad uiam redeuntes, dicamus, motus huiuſcemodi conuulſiuos, in Sereniſs. Duce, fieri ab irritamento facultatis expultricis neruorum, excitato à materia acri, vaporoſa potius, quam humorali, quia citò fiunt, & citò deſinunt, eaque non in capite genita, ſed à toto venoſo genere tranſmiſſa, ipſius iecoris uitio, iuſto calidioris; quæ vaporoſa materia, detruſa à facultate expultrice per occiput ad quintam, & ſextam vertebram ſpinalis medullæ, ibiq; firmata, reſoluitur quidem, ſed interim membranoſam neruorum ſubſtantiam vellicans, atque pungens, eorundem, ac proinde muſculorum contractionem excitat; licet pars conuulſa priſtinum ſitum ſtatim recipiat, diſcuſſa ſcil. mordicante materia, quæ, ſi quandoque vel vaporoſa nimis, uel nimis craſſa fuerit, atque adeò in neruorum principio, nimirum occipite firmetur, totam poſticam partem conuelli ſibi percipit Sereniſs. ipſe; non tamen conuulſione vera, vtpote à cauſa, acri qualitate irritante quidem, at copia neruos minimè replente, producta.

e 1. de loc. Aff. 6.
f 3 de Loc. Aff. 7.

Quibus ita ſe habentibus, affectus hic, ſicut magni faciendus non eſt; ita neque negligendus; partes enim neruoſæ afficiuntur, quæ ſicut ægrè humores admittunt; ita tandem ægerrimè eoſdem excutiunt; cùm præterea vaporoſa materia, proceſſu temporis, humorali vehiculū præbere poſſit, non ſine grauiorum malorum periculo, caputque natura non adeò firmum, diuturno humorum, & vaporum affluxu, infirmius quotidie reddi poſſit.

Quare aliqua ſunt agenda, quæ quidem affectionem remittere; verùm tenellum corpus, ac molle, nec turbare, neque agitare poſſint. Primò quidem ſeroſitates bilioſas à toto educendo. Secundo earundem acrimoniam contemperando. Tertiò vaporum affluxum reuellendo, ac diuertendo. Et tandem caput, atque neruoſum genus roborando.

Quibus intentionibus explendis, ordinem exequutiuum proponam, adeò vt primò ventriculus, & primæ viæ expientur, vel caſs. cum tart. vel ſyr. eoſ. aur. aut pot. ex manna claſſ. humores præparando ſimpl. iulap. acet. quinque diebus exhibito, & ab eo, leniente eodem repetito. In uſum poſtmodum erit ducendum magiſt. mechoac. ter, aut quater quarto, aut quinto quoque die, ad gr. x. uel xii. cum elect. lenit. ad ʒ ii. Vel huius loco, elect. de

ſucco

ſucco roſar. ad ʒ ii. cum ʒ ii. flor. caſs. quibus ſuperbibat aquam Nocerianam. Diebus verò intermediis, humorum acrimonia demulcenda uenit decoct. malu. uiolar. end. & hepaticæ, ſeu portulacæ, in iure pullæ parata; vel emulſione diluta ex quatuor ſem. frigid. in aqua ſtillat. end. aut cucurbitæ paranda, addita portione ſacchari fini, ad libitum; vel exhibeatur cyathus aquæ ſtillat. cich. & anguriç, addita conſerua de acido citri; vt tandem ad Balneum aquæ dulcis tepidæ ducatur Serenis. Puer, vt vniuerſo corpore tranſpirent humores tenuiores, & halitus acres caput petentes, ac neruoſum genus lancinantes. Nec obſtet anni tempus, non adeò calidum, & minus accommodatum Balnei adminiſtrationi, quoniam ambiens cubiculi poteſt ad libitum calefieri, Sereniſſimo abſente, igne foras exportato ante eiuſdem ingreſſum; neque enim validius, aut tutius remedium excogitare poſſum, quod humores, & vapores à capite diuertere, atque eorundem aerem, & acidam qualitatem contemperare, & neruoſo generi irritato opitulari poſſit. Quo remedio omiſſo, illi ſubſtituatur totius corporis, articulis exceptis, frictio quotidiana, manibus inunctis ol. amygd. in quo portio vini maluatici ebullierit.

Tandem capiti quoque, licet non eſſentialiter in hoc affectu laboranti, aliqua roboratio debetur; in quem finem, ſub ingreſſum lecti, conſerua aliqua capitalis erit in vſu habenda; modò è floribus beton. modò ſaluiæ, modò lilior. conuallium; modò pœoniæ, vel Tiliæ. Extrinſecus quoque illini poterit occiput, & nucha ſummo digito, quinta eſſentia roriſmarini, aut oleo ligni heraclei, intincto, ad vapores diſſoluendos, & ad caput, neruoſumque genus roborandum. Collo præterea appendatur ſmaragdus, aut magna portio radic. pœoniæ recentis.

Atque iam dictis omnibus congrua addatur uiuendi ratio, à te præſcribenda; circa quam præcipua adnotabo. Primò igitur diligenter caput ab iniuriis externis, nimio ſcil. calore, frigore, & humiditate tutum cuſtodiatur, & totum corpus interdiu optimè veſtibus; noctu vero, culcitris munitum habeatur. Secundò abſtineat omnino, inter carnes, ab hœdina, à coturnicibus, à Qualeis, paluſtribus volatilibus; ab omnibus leguminibus, oriza, & hordeo exceptis. Cauendum quinetiam quam maximè à piſcibus omnibus cœnoſis, pariter ab oſtreaceis, & ab illis, qui ſquamis carent. Inter herbas verò, omnino ab apio, à condimento ceparum, & allii. Inter fructus, conceduntur vua penſilis, ficus, pyra cocta. Vinum ad menſam ſit album, tenue, et quod caput non tentat. Somnus valdè confert nocturnus. Ita & exercitium, ſed ante prandium, uel ſub cœnam, moderatum. Ab applicationibus, necnon à religioſis, ac piis meditationibus, ab ætate alienis diuertatur, ne ſenex in iuuentute euadat, & alacri animo degere permittatur. Quæ omnia dum à D.O.M. Sereniſſimo Duci ſalutaria enixè precor, tuæ interim ſapientiſſimæ directioni committo. g 4. in 6. Epid. Vit.

LII.

DOLORES PVNGENTES MVSCVLORVM.

Motus conuulſiui crurum. Fæcum, & Vrinæ, modò Excretio inuoluntaria, modò Retentio. Penis flacciditas.

ILluſtriſ. Iuuenis, 34. annum agens, temperamenti calidi, & humidi, boni habitus, roſei coloris, anno 1659. poſt excandeſcentiam, corripi cępit doloribus pungentibus vniuerſi corporis, & potiſſimum partium neruoſarum, cum motibus conuulſiuis crurum, & brachiorum; quibus acceſſit ephemera febris cum oris amaritudine inſigni; à quibus tamen liberatus eſt ſanguinis miſſione, & refrigerantibus medicamentis. Paucis autem poſt diebus, recruduerunt eodẽ modo dolores, & per interuallum 15. 20 & tandem etiam 30 dierum inualeſcũt iterũ; quos excipit laſſitudo quædam uniuerſalis. Anno verò poſt, cępit pati difficultatẽ aliquam vrinæ, quę ut excerneretur, cõpreſſionẽ veſicę poſtulabat, aliquando etiam eiuſdem, & fęcum incontinentiam, cùm ſponte ſua exirent. Poſthæc paulatim penis flacciditas acceſſit, quæ conſummata facta eſt; quamuis bis, & ter per hebdomadam, nocturnas patiatur pollutiones, abſque tamen penis erectione. Antehac verò de gallica infectione dubitatum fuit, cuius cauſa, decoctum ſalſæ, cum mercurio dulci aſſumpſit. Sed quoniam primo anno, dum dolores patiebatur, rem habuit cum infecta muliere; ideo à medicis repetitum eſt decoctum ſalſæ, & chinæ. In præſens autem perſeuerat eadem ignauia ad Venerem; aliquando etiam inualeſcũt dolores totius, potiſſimũ poſt iram, & in lunaribus mutationibus; & ultimò à doloribus crurum maculæ rubræ, flauæ, & liuentes effloruerunt, quæ paulò poſt euanuere paulatim. Fęces non amplius inuoluntariè exeunt; urinæ verò difficultas, atque incontinentia adhuc perſeuerãt. Aluus bis, & ter per diem fæces reddit flauas, & adeò acres, ut podicem erodant, paulòque gracilior euadere incipit. Medicamenta, præter decocta, adminiſtrata cum mercurio fuerunt; Balnea item ſulphurea, aqua Noceræ, & alia refrigerantia, abſque ullo leuamine. Modò à te poſtulat, Præſtantiſſ. Vir, proprij ſtatus exactam notitiam, Parauium opportuno tempore petiturus, vt ab arcanis tuis, ſanitatem tandiù exoptatam adipiſcatur.

Tres ſunt præcipui affectus, quibus diuexatur Illuſtriſ. Iuuenis, Dolores pungentes totius muſculoſi generis, cum motibus conuulſiuis, crurum potiſſimum, Secundus modò retentio, modò inuoluntaria urinæ excretio. Tertius ignauia ad venerem, ob penis flacciditatem.

Primum quod attinet, ſymptoma eſt in actione tactrice, & motrice deprauatè læſa; tactrice quidem ob dolores; motrice verò ob conuulſiuos motus, Actio tactus deprauatur, à ſolutione continui, excitata ab humoribus acribus, bilioſis, & erodentibus, per ſpatia muſculorum diſcurrentibus, qui tendines pungendo, muſculos ad ſuam originem trahunt, unde motus conuulſiui conſequuntur; quibus omnibus ceſſantibus, ſupereſt laſſitudo quædam ulceroſa in partibus muſculoſis, ob materiam acrem non omnino reſolutam, forſan laborantibus adhucnũm muſculis ipſis.

Secundus affectus & ipſæ eſt actio, partim imminuta, partim deprauata: imminuta quidem, quatenus veſica aliquando compreſſione eget, ut urinam reddat, deprauata verò, quatenus aliquãdo inuoluntariè quoq; excernuntur urina ipſa, & fæces; qui tamen uterq; affectus, meo iudicio, vnicam agnoſcit cauſam calidam, bilioſam videlicet materiam, quæ acris, vrinæ miſta, & plus ſatis muſculum irritans, eundem ad contractionem cogit; unde urinæ fluxum prohibet, quouſque illo paulatim humeſcat, & compreſſionis auxilio rurſus relaxetur; quod ſi contingat, ut irritamentum ab urina non adeò acre ſequatur, ſuccedit quoquę inuoluntaria eiuſdem excretio; nam licet leuius ſit irritamentum, limites tamen

naturæ

naturæ excedit, ideoque detineri non poteſt urina; prout ab eadem cauſa prouenit quoque fæcum incontinentia, & conſueta alui lubricitas.

Tertius affectus, penis nimirum flacciditas, cauſam habuit, vel uitiatam facultatem, vel corruptos ſpiritus. Vitiatur facultas, quoad inſtrumentum, nunquam verò ex ſe; cùm ſit animæ potentia; ſenex enim videret, ut iuuenis, ſi oculum iuuenis haberet; vitiatur itaque hoc caſu ab excellenti calida intemperie uaſorum, & partium genitalium, à quarundem imbecillitas procedit, ac laxitas. Vnde Hipp. [a] habet. *Calidum, vbi quis ſæpius eo vtatur, hæc mala affert, carnis effeminationem, neruorum imbecillitatem, animi defectionem &c.* a 5. Aph. 16. Quam imbecillitatem augere potuiſſe & uſum mercurii, non dubitamus. Sed præterea ab huiuſmodi calore ſpiritus quoque deficiunt; quod contingere poteſt, aut quia non generentur; aut quia geniti non tranſmittantur; aut quia tranſmiſſi, vel diſſoluantur, vel à parte non actuentur. Et primò quidem quod non generentur, nullo modo afferendum, in temperamento calido, & humido, ætate iuuenili, copioſo adeò ſemine abundanti; neq; quod non tranſmittantur; non enim obſtructa ſunt vaſa; nec à Pat. aliena aliqua applicatione auocantur. Supereſt igitur, vt à nimio illarum partium calore diſſoluantur; atque ab eorum celeri nimis reſolutione, penis intempeſtiua flacciditas pendeat, & erectio prohibeatur.

Ex quibus iam dictis facilè colligere eſt, vnicam eſſe horum affectuum cauſam, calidos ſcil. & bilioſos humores; quorum præſentia confirmatur primò à temperamento, & magis ab ætate, ab ira, & excandeſcentia, cui dolores totius ſuccedere ſolent pungentes, à laſſitudine vlceroſa permanente; & tandem à maculis flauis, & liueſcentibus crurum; prout in ſecundo affectu, à bilioſis deiectionibus, & copioſis, anum in exitu erodentibus, quorum portionem cum vrina quoque defluere exiſtimandum; vnde cum Hipp. *Vrinæ ſtrangurioſæ, non nephritica, ſed alia pro alijs.* In tertio affectu, conſpicua eſt immodica caliditas in genitalibus, & ſemine ipſo, à frequenti nocturna pollutione, & quidem ſeminis valdè conſiſtentis.

De Affectibus verò, quorum in hiſtoria fit mentio, uerba non facio; ſi enim primò paralyſis adeſſet illarum partium, non adeò facilè accederet, & recederet; ſi ſcorbutica affectio, affecti lienis præceſſiſſent querelæ, color totius pallidus, difficilis reſpiratio, gingiuarum rubor, pruritus, & putrefactio, maculæque in cruribus adeſſent permanentes. Tertiò, de hypochondriaco affectu nullum ſignum referunt in ſcheda, licet adeſſe poſſit. Et tandem Gallicus iam debellatus etiam à nobis ſupponitur.

LIII.

COLLI DISTORSIO.

COlli dolorem cum eiuſdem diſtorſione, & contractione primò ad dexteram, tandem ad læuam humeri partem, à materia ex capite excalefacto præcipitata prouenisse, nulli non apertum eſt; ſiquidem, *Deſtillationes fieri, vel valdè excalefacta, vel valdè perfrigerata carne*, docuit Hipp. tum Lib. de Carnibus [a]; tum de Loc. in Hom [b]. Quod confirmauit & ipſe Gal. [c] Liquata igitur, & fuſa materia catarrhalis in capite antea repleto à Solis calore, non per uenas, ſed per ſpatia, ad proximiores muſculos, non ſolùm colli, Maſtoideos dictos; verùm etiam ad duos caput flectentes, Scalenos; quinimò & ad Quadratum, ad maxillam pertingentem, delapſa, ſpatia replens, eoſdem exruberare potius, quàm in tumorem attolli coegit; vnde neceſſariò contractio ſequuta eſt, cum dolore [d], ex continui ſolutione à tenſione ipſa, quæ adhucnum perſeuerat, ob eiuſdem materiæ tenacitatem; quam conijcere licet, non ſolùm ex affectus contumacia; verùm & à lento, ac breui motu; cùm ſtatī à capite decidens, in primis muſculis hæreat, nec inferius delabi poſſit (niſi fortaſſe eadem quoq; imbuti muſculi forent) cuius pars tenuior, vſque ad integumenta perueniens, mollem tumorem circa gulam eleuauit. His omnibus ſuperuenit febricula, vel à doloribus, ſi eadem defluxio iam ceſſauerit; vel à portione

a nu. 17. b nu. 15. c 3. de Sym. cau. 4. d 3. de fra. ct. 34.

tione materiæ catarrhalis in partes naturales, circa meſenterium decumbentis, ibidemq; putrefactæ, ſi diù perſeuerauerit.

Quæ affectio diuturnior eſſe debuit, non modò ratione rebellis ipſius materiæ; verùm, & repugnantis Puellæ Patientis, cuius cauſa, propria, nec validiora fuere adhuc adminiſtrata remedia; ad quæ tamen ſedulò deueniendum, antequam tenuiori materiæ parte reſoluta, craſſior, atque tenacior obduretur, ſicque colli diſtorſione confirmata, inſuperabilis euadat affectus.

Expiandæ igitur primæ viæ. Secundò nonnihil & totum. Tertiò caput potiſſimum, vt tandem tutè ad topica deueniri poſſit, habita ſemper tenellæ ætatis ratione.

Quare repetatur potio ex manna clarif. Mox quinque, aut ſex continuis diebus præbeatur iulap. acet. aut oxymel ad ℥ iii. ut eadem repetatur præſcripta potio. Inde ad efficaciora præparantia progrediendum, quæ ut facilius, & ſuauius admittantur, ex aquis ſtillat. potius, quàm decoct. parari poterunt. ℞. aq. ſtill. cich. borrag. beton. an. ℥ ii. oxymel. ſ. ℥ i. ſyr. de beton. ℥ ſ. m. pro ſyr. & ſic pro aliis ſeptem. Quo tempore, de aliqua ſanguinis miſſione erit cogitandum, & quidem ex vena brachii lateris affecti, potiſſimum ſi dolores recrudeſcant, & aliquis febrilis calor quandoque moleſtus fuerit. Frequentes item fiant pedum lotiones ante cibum. Humores verò præparati ita purgentur. ℞. pot. ex manna clarif. ℥ v. addendo infuſioni conſuetæ agar. troch. ʒ iii. rhab. opt. ʒ ſ. m. pro potu.

Caput tandem purgandum, & eidem parti affectæ topica adhibenda, in quam rem, in hac præſertim Patiente reluctante, nil aptius, & efficacius pil. noſtris capitalibus, à Paracelſo depromptis; quarum doſis erit ad ℈ i. tantùm. Præbeantur autem media nocte, poſt primum ſomnum, more Tralliani. Ter autem repetantur quarta, aut quinta quaque nocte; atque intermediis diebus, exhibeatur hæc potio. ℞. aq. ſtillat. beton. ℥ iiii. iuæ ℥ iii. quintæ eſſentiæ roriſmarini gutt. vi. m.

Hoc verò tempore, Cucurbitulæ ſiccæ ſummis ſcapulis, dorſoque applicandæ, & deorſum non leui manu trahendæ; necnon frictiones graues collo, & ſcapulis adminiſtrandæ, manibus oleo lil. alb. inunctis.

Inde ſudor proliciendus in Balneo aquæ dulcis calidæ, alteratæ fol. malu. chamæmeli, anethi, meliloti, radic. altheæ, lil. alb. in quo demergatur puella in Labello, vſque ad gulam, ita vt caput tantùm ſupereemineat, cooperiaturque, ut ſudor facilius prolectetur. Hora tamen ante ingreſſum Balnei, aſſumat decoctum ita parandum. ℞. ſalſæ parillæ optimæ, ligni roriſmarini, uiſci querc. an. ℥ i. ſ. aq. comm. ℔ iiij. m. f. inf. per hor. 24. deinde bull. ad conſumpt. dimidij, & colat. ſeruetur pro tribus vicibus, exhibenda cum ℈ ſ. pulu. uiperin. Maneat autem in Balneo ad ſemi horam, ad ſummum, & altera ſemi hora ſudet in lecto; à ſudore autem detergeatur, mox collum, & humeri fricentur calentibus manibus, oleo huiuſmodi inunctis. ℞. ol. lil. alb. cum arom. ℥ ii. amygd. dulc. ℥ i. aquæ ardentis ℥ ſ. m. bul. ad conſumpt. aquæ; deinde adde olei de ſpica gutt. vi. m. Quorum auxilio ſalus ſperanda; quæ ſi non ſuccedat, de Lutis Thermalibus emollientibus, & Balneis ſulphureis digerentibus eſſet cogitandum.

Congrua addita victus ratione, non quidem tenui, ſed attenuante, ex alimentis optimi ſucci, facilis coctionis, non vaporoſis, non flatulentis excrementitias humiditates coaceruantibus. Corpus exerceat, collum dimoueat, & ſingula hebdomada pil. maſtichinam cum gr. magiſt. mechoac. aſſumat; atque blanditijs obſequens reddatur Puella Patiens.

PA.

LIV.

PARALYSIS.

PAralyſis, qua detinetur Adm. Reuerendus Pat. licet non omnino perfecta, ex catarrhali defluxione, à capite in ſpinam, ac per totum neruoſum genus ſiniſtræ partis originem duxit; Caput enim iuſto humidius, doloribus occipitis frequenter obnoxium habuit, ob eandem materiam, ab humidiori eius intemperie productam, quam ſolito copioſiorem, & leuem proinde obſtructionem in uentriculis prius inducentem, & debilem apoplexiam excitantem, facultas expultrix tandem ad ignobiliórem locum, neruoſum nimirnm genus depoſuit; unde leuis primò paralyſis ſuborta. Verùm quoniam eiuſdem materiæ catarrhalis regeneratio ab humida capitis intemperie, perſtirit; ideo duobus poſt annis, recidiuam paſſa eſt, & apoplecticum inſultũ renouauit, poſt quem motus impedimentum non parum adauctam fuit, materia ſc. einſdem conditionis, à capite in neruoſum genus detruſa, atque eadem obſtructione adaucta, ſpiritum animalium influxus magis magiſque fuit interceprus; vnde ægrè Adm. Reuerend. Pat. nec niſi lentiſſimo gradu, magnoq; labore mox incedere, & moueri potuit. Hanc autem materiam non adeò tenuem fuiſſe credendum; quoniam ad exiguas, & extremas neruorum propagines ſeſe inſinuare non potuit; unde ſenſu partes non deſtituuntur, licet motu ferè priuentur.

Et quoniam [a] exercitinm, in ſanitate tuenda principem locum obtinet; hinc eo intermiſſo excrementa facilè accumulari neceſſe eſt, vnde non mirum, ſi Adm. R. Viro ob eandem cauſam idem contigerit, atq; hanc materiam natura tandem, anno elapſo, ad crus ſiniſtrum tanquam imbecillius, per modum decubitus depoſuerit, & phlegmonem eryſipelaceum excitauerit; qui tandem ſuppuratus, nec expurgatus varios ſibi parauit ſinus, multis inciſionibus adapertos, puri educendo, & iiſdem omnino ſanandis; quæ inciſiones utpote altæ, non ſine periculo, & muſculorum læſione perfici potuerunt, quam eorundem contractio ſubſequuta eſt, & primò quidem, & præcipuè gaſterocnemij muſculi, ab eo ſupra genu quoque ad tricipitem muſculum propagata, unde non ſolùm infra genu contractio obſeruatur, ſed ſupra quoque, licet minor.

[a] 4. in 6. Ep. 22.

Paralyſis autem cùm validioribus non ceſſerit medicis auxilijs, inexpugnabilis cenſenda eſt, licet à natura aliquo pacto remitti poſſit; à qua tamen apoplectici affectus imminet metus, non adhibitis congrua victus ratione, & familiaribus per interualla medicamentis. Et licet muſculorum contractio inſanabilis videatur; non ſunt tamen omittenda remedia, quæ muſculos laxare, & emollire poſſint.

Quibus intentionibus ut ſatisfiat, à fonte Diætetico eſt primò congrua victus ratio deſumenda. Sic vitandum eſſe præcipuè frigus iubet Celſus. [b] Cubiculum Orienti ſit expoſitum, nunquam tamen Pat. diù iuxta ignem moretur. Victus ſit attenuans, licet non tenuis; vnde Auenzoar laudat ius pullæ, & pullos ipſos, carne viperina nutritos. Vitentur carnes bubulæ, porcinæ, hœdinæ, lactaria omnia. Inter piſces, præferantur ſaliti. Vitentur legumina omnia, fructus; & inter herbas, lactuca; ſal pro condimento, ſit theriacalis, vel roriſmarini. Vinum ad menſam, paretur medicatum ligno roris marini, & ſaſſafras. Somnus meridianus fugiendus. Aliquod exercitium non omittendum in rheda ſaltem, ſi alio modo fieri non poſſit.

[b] 3. de Re Med. 27.

Interim ſpinali medullæ frictiones aliquæ conuenire poſſunt, manibus inunctis oleo liliaceo cum aromatibus, viperino miſto; & occiput oleo ſuccini frequenter inungatur.

Aliquod medicamentum euacuans familiare paretur, quale eſſe poterit. ℞. pil. aggreg. ʒ .i maſtic. ʒ ſ. magiſt. mechoac. ℈. i. m. ref. pil. nu. x. quarum ſumat Pat. quatuor, aut quinque, ſemel ſaltem per menſem. A curis, atque animi paſſionibus quàm maximè abſtineat. Nec inutilis erit capitis conſueta expurgatio per errhinum, ex puluere maioranæ, Ireos, & nigellæ paratum, matutino tantummodò tempore adminiſtratum.

Quoniam verò conqueritur Adm. Reuer. Pat. potiſſimum de muſculorum contractio-

ne, quæ niſi adeſſet, aliquo pacto deambulare poſſet; ideo pro virili huic incumbendum, topicis tamen ſolis remediis; inter quę præſtantiora habentur Luta Thermālia emollientia, ſacra ab Ariſt. nuncupata. Secundum locum obtinent demerſiones partis contractæ in ſtercore adhuc calente animalis nuper mactati, ſcilicet bouis.

Inter Luta emollientia excellunt D. Bartholomæi, per quindecim, aut viginti dies applicanda, abluendo partem, dum ea amouentur, eadem aqua emolliente. Secundum remedium opportunè adminiſtratur verno tempore, menſe Maii, tunc enim ob paſcua uirentia, ſtercora validiori emolliendi, ac penetrandi virtute pollent; quibus per menſem ſaltem vtendum. Tertiò aliqua inunctio parari poterit hunc in modum. ℞. adipis anſeris, vituli an. ℥ ii. porcini, anatis, ſelis an. ℥ i. ſalis roris mar. ʒ ii. ol. uulpini. lil. alb. an. ℥ ſ. aquæ vitæ ℥ i. m. bull. lento igne ad conſumpt. aquæ; deinde adde ceræ parum, & fiat linim. molle, pro inunctione quotidiana partis contractæ, quæ frigido, & hyemali tempore lana ſuccida obuoluenda, ac munienda.

Abs re inſuper non fuerit, præſtò habere conſeruam aliquam capitalem, ſub ingreſſum lecti aſſumendam, ex flor. ſcil. roriſmarini, ſaluiæ, betonicæ. Pariter confectio paretur ex quinta eſſentia roriſmarini, cuius ſemirotula noctu ore detineri poteſt. Quæ omnia Adm. Reuerendo Monacho à D. O. M. ſalutaria precamur.

L V.

PARALYSIS.

REpentinam motus defectionem totius ſiniſtræ partis, à capite ad pedes uſque, cum loquendi impotentia, quæ Aprili ineunte contigit Nob. Patienti, fuiſſe Paralyſin, quam Paraplegiam quoque, & neruorum reſolutionem nominabat cum Hippoc.[a] Gal. ipſe, nulli non conſtat, ſicut partem motu deſtitutam, propriè reſolutam vocabat[b], ſenſu verò, ſenſus expertem. Hanc num Apoplexia præceſſerit, quod ut plurimùm fieri ſolet, in relatis deſideratur.

a 2. in 6. Epid. 49.
b 3 de loc. Aff. 10.

Huius autem cauſa [c] continens, immediata, & proxima, eſt affectus quiſpiam neruorũ, cuius cauſa virtutis influxus prohibetur. Nerui autem, hoc caſu, neque à frigore [d] denſati, nec à luxatione, aut tumore compreſſi, nec ab ullo funiculo conſtricti fuere; ſed obſtructi, ſeu craſſiores redditi, non quidem à legitima materia pituitoſa, ut Paulus; non à bilioſa, ut Fernel. non à melancholica, ut Auic. & Trad. nec à ſanguinea, vt Rondeletius autumnarunt, ſed à catarrhali, & mucoſa, à capite critico modo ad principium neruorum, & ſpinalem medullam, à facultate expultrice detruſa; qua caput abundare potuit, vel ob propriam humidam intemperiem; vel quòd à venoſo genere cruditates, ex libera viuendi ratione contractas, ſuſceperit, & paulatim congeſſerit, quas natura onerata tandem à parte nobiliori ad ignobiliorem depoſuit. Quod quoniam, aut ob expultricis imbecillitatem, aut ob materiæ tenacitatem omnino fieri non potuit; ideo portio aliqua eiuſdem hærens in ſeptima [e] neruorum coniugatione, linguæ motum, & locutionem abſtulit, quam mox, magna ex parte, cum aliquo motu quoque & pedis, & manus, medicis adhibitis auxilijs recuperauit; quod Nob. Patienti, licet in primo ſenio conſtituto, animum erexit in ſpem, ſi non ſalutis integræ, ſaltem melioris ſtatus; in cuius gratiam modò de agendis inpoſterum nos conſulit.

c 1. de Symp. cau. 5.
d 2. de Symp. Cau. 2.
e 4 de Loc. Aff. 2.

Cui vt ſatisfaciamus, medici ſcopi erunt. Primò totum euacuare. Secundò caput. Tertiò fluxionem ab affecta parte diuertere. Quartò materiam fluxam reſoluere. Quintò neruoſum genus roborare. Et tandem caput ipſum exſiccare. Quos hucuſque magna ex parte impleuiſſe Exc. Adſtantes crediderim. Et ideo totius, & capitis expurgatione ſuppoſita, breuiter, ordine exequutiuo agenda proponam.

Frequenter igitur repetantur [f] cucurbitulæ ſiccæ, brachio, coxæ, & cruri affectis, quæ partes poſtea fricentur manibus aqua vitæ iuniperina, & efficaciori etiam ex ſaſſafras deſtillata madefactis. Spina, & occiput fricentur manibus, oleo ſuccini, & lilior. alb. inunctis; & tandem affectæ partes ab externo frigore muniantur, imo calidæ foueantur pellibus agninis.

f Paulus & Celſ. 3 de re Med. 18. 3. de Re Med. 27.

Ruta

Luta ſulphurea, ſicut & foueas ſulphureas non proponimus, incerti, num iſthic præſtò ſint. Si caput excrementis redundet, educantur quotidie Erthino, ex pulu. maioranæ, ireos, & nigellæ parato. Decimo autem, aut duodecimo quoque die, aſſumat pillulas Cochias, de Nitro, de Hermodact. Vſus quoque clyſterum acrium quammaximè prodeſſe poterit. Hoc autem tempore præbeatur puluis Viperinus, per menſem, cum decoct. herbæ Paralyſis, aut Chamepityos tec. qui, licet ſub Cane, in illa tamen frigidiori regione admitti poterit; eſt enim extenuantis facultatis, valdè exſiccans, ac digerens, & ad cutem vergens, ut refert ipſe Galen. Quare & materiam imbibitam attenuandi, & inſenſibiliter reſoluendi facultate pollebit; quinimò forſan, & ſudorem prouocabit. Interim à prandio, & cœna, utatur continuo conſerua aliqua è flor. beton. roriſmar. aut ſaluiæ; & ad linguam expediendam, detineat frequenter ore fruſtulum nucis myriſticæ, aut optimi Cinnamomi; aut os colluat aqua ſtillatitia maioranæ, aut ſaluiæ, cum oxymel. aut melle anacardino. Quæ adminiſtranda uſque ad autumni initium, quo tempore, ſi de ſtatu Nob. Pat. certiores facti fuerimus, alia præſidia, iuxta ſtatum, & temporis conditionem proponenda fuerint; in quibus ex uſu foret decoctum, aut ſudoriferum, aut cum Tereb. Cypr. diureticum.

Interim circa victus rationem aliqua potiſſima obſeruanda. Vitet itaque frigus, [g] & aerem nocturnum. Victus ſit attenuans, at non tenuis; condiantur cibi aromatibus. Caueat omnino à carne ſuilla, ouilla, à lactarijs omnibus; ex oleribus, à lactuca, à vino generoſo, & multo; paretur verò medicatum, in doliolo, ex ligno roriſmar. & ſaſſafras. Cœna multùm diſtet à prandio, & ſit parcior. Vitet ſomnum pomeridianum. Præſtat verò peccare nimio motu, & exercitio, potiſſimum ieiuno ventriculo, quàm nimio otio. Venus penitus exulet. Aluus lubrica ſeruetur pilulis maſtichinis, & alacri, atque præſenti animo degat.

g Celſ. Ibid.

LVI.

PARESIS, ET DOLORES Articulares.

Colicis doloribus obnoxium intelligimus Virum Illuſtriſſimum, conſiſtentis ætatis, temperamenti calidi & ſicci, habitus gracilis, ſuſci coloris, ad melancholiam vergentē, ad operationes promptiſſimū, ſæpiusq; cogitabundū, & fortaſſe hypochondriacum; quos ideo calidos, & à calida cauſa productos procul dubio exiſtimamus; cùm aliàs à refrigerantibus leuamen non ſolùm perceperit, verùm & liberatus fuerit, calidis incaſſum, imò cum euidenti detrimento adminiſtratis remediis; vnde mirum non fuerit, ſi Gal. [a] colicam ſanauerit bilem educentibus, & gelidæ potu, necnon eiuſdem vniuerſo abdomini applicatione; ſanauerint item Crato, & ante eum Valeſius; qui & à quocunq; humore paralyſin quoque fieri poſſe aſſerunt; à bile ſcil. Fernel. à melancholia Auic. à mœrore Trall. à ſanguine Rondeletius; à ſucco quoque pituitoſo [b] Gal.

a 12. Meth. 7.

Hi autem dolores poſtremo menſe, nimirum Iulio proximè præterito, ſæuius rurſus inualuerunt, qui tamen, ſecuta peccantis humoris metaſtaſi ad vniuerſum corpus, & potiſſimum ad neruos, & articulos, ceſſarunt, ſuperſtite perfecta motus impotētia; quæ tamen vera paralyſis non fuit, quòd potius ab articulorum læſione, quàm ſpirituum, uel irradiationis facultatis defectu manaret; minus uerò Aneſthesia, [c] quæ eſt ſolius ſenſus priuatio; neque Paraplexia, quæ totum [d] corpus, ſolo capite illæſo, ſenſu, motuque priuat; in quo differt ab Apoplexia, quæ [e] principum omnium actionum, ſenſuſque, & motus abolitionem importat; neque tandem Paraplegia, quæ [f] alicui ſolùm determinatæ corporis parti ſenſus, & motus imminutionem affert; ſed ſola Pareſis, motus [g] ſcilicet imminutio citra dolorem.

At quoniam inſtrumentorum potius, quàm facultatis læſionem ſequutam fuiſſe diximus; ideo à læſis articulis, articulares quoque dolores excitatos credimus; ſicut enim epilepſiam, & paralyſin ſuccedere colicæ aſſeruit Paul. [h] ita arthritidem, eandem ſequi volue-

b 2. de Sym. Cau. 2 & 4. Cap. 2.
c Aret. 1. de Diut. Aff. Cap. 7.
d 4. Acut. 27. & 2. in 1 Epid. 59.
e 3 de Loc. Aff. 10.
f 3. in 1. Prorr. 26.
g Aret. Ibidem.
h 3. de Re Med. 18. & 43.

i 4. in 6. Ep. Tex. Co. 3. k 2. de Nat Hum. 5.

runt Auic. & Haly Abbas, à calidis, acribus, tartareis, & ſulphureis humoribus, quod facilè deſumpſerunt ab Hipp. i cum Galeno; craſſi namque glutinoſi, & frigidi, non adeò facilè per uenas ad neruoſum genus, & articulos tranſmitti, ſiue detrudi potuiſſent; quod facilius contigit Viro Illuſtriſs. quia menſes aliquot in vliginoſo carcere, nuper extructo concluſus fuit; vnde neruoſæ partes, & articuli k imbecillitatem non leuem, & ſuſcipiendis excrementis opportunam contraxerunt.

Valetudinem, & robur priſtinum, etiam ſine auxiliis medicis, Virum Illuſtriſſimum recuperaturum ſperamus proxima futura æſtate; quod nihilominus vt acceleretur, quædam non valdè operoſa, hoc anni tempore hyberno adminiſtranda proponimus, quæ materiam proximam ſenſibiliter, & inſenſibiliter euacuare, & reſoluere, antecedentem diuertere, & articulos roborare poſſint, & quidem ordine executiuo.

Primùm itaque exhibeatur Leniens ex manna clarificata, cum infuſione ſennæ, vel ex ſyr. roſ. ſol. cum ſyr. de polyp. Inde præbeatur præparans, ex decocto cichor. borragin. ſaluiæ, herbæ paralyſis, meliſſæ, & betonicæ; addito iulap. acetoſ. per ſeptem dies; tertio tamen, aut quarto educatur ſanguis ex venis ſedalibus ad ℥ vii. Mox offeratur purgans ex pilulis de tribus, & aggregat. vt mox deueniat Vir Illuſtriſſimus ad vſum hermodactylatæ, tribus vicibus, tertio, aut quarto quoque die aſſumendæ.

Poſtea ad Topica deueniendum, externa ſcilicet, quæ humores, dolorum cauſam reſoluere, & manus carpos corroborare poſſint. Applicetur itaque prope humeros ſacculus pane calente, ex furno nuper extracto repletus, ægro in lecto cooperto, vt ſudor ex illis ſaltem partibus elici poſſit; & hora vna ante ſudorem, bibat ius pullæ chamæpit. alteratum; atque ita perſiſtat ad 20. vel 30. dies. Statim autem à ſudore, apponatur ſtupa cannabina, aqua vitæ aſperſa, nec omnino exſiccata, toto die ſaltem geſtanda. Et interim manuum articuli, ab aliena manu excalefacta, & infraſcripto balſamo illita, bis per diem quotidie fricentur. ℞. ol. expreſſi de nuce moſchata drach. iii. liquoris balſami drach. i. ſpirit. ſalis ſcrup. i. m. ref. cuius doſis eſt pro qualibet manu, ad piſi molem, quæ mox pelle, aut agnina, aut leporina muniatur. Efficaciſſimus quoque erit illitus ex quinta eſſentia rorismarini; qua etiam quinta, ſexta, & ſeptima dorſi vertebra illinenda.

Congruæ tandem viuendi rationi in cibo, & potu ab Illuſtriſſimo Viro obſeruatæ, addimus, quod ab ambiente frigido caueat. Vinum ad menſam ſibi paret medicatum ligno roriſmarini, & lentiſco, ad ℥ i. pro ſingula ſitula. Somnus potius diuturnior, ſed nocturnus. Vitet omnino itinera, quibus tempore hoc frigidiori potiſſimum, & ſanorum corporum extrema multum incommodi patiuntur, & algent. Aluus lubrica ſeruetur aliqua pilula maſtichina, aut aggregat. Et animi paſſiones arceantur. Quæ omnia Viro Illuſtriſſimo ſalutaria ominamur.

LVII.

APPENDIX AD PARESIN.

QVoniam hiſtoria ab Exc. hoc Viro ad nos tranſmiſſa, de ſtatu Viri Illuſtriſſimi, nil noui nobis ſuggerit, quod à ſententia recedere, & curationem mutare nos cogat, ſiquidem hic agitur de morbo facto, & in termino, non verò in fieri, & in via, adeò ut de totius prouidentia, & exſiccatione ſolicitos nos eſſe oporteat, ac propterea topica potius, quàm uniuerſalia, à cauſa morbi, morboque ipſo ſint expetenda; ideo in topicorum, à nobis alia conſultatione præſcriptorum uſu perſiſtendum ſtatuimus; cùm iam Illuſtriſs. Pat. Thermas ſulphureas ſe adire non poſſe profeſſus ſit; addere verò ex re cenſemus, ut manus detineantur bis per diem, integra hora, in vino nigro generoſo, foliis roſar. myrti, ſaluiæ, roriſmarini, & cupreſſi nucibus alterato; mox facta manuum inunctione præſcripta. Topicum quoque internum her-

hermodactylata fuerit, vtpote quæ ab articulis humores attrahit, & educit; dummodò tamen vires permittant, quas nos abſentes metiri nequimus; ſicut neque de macie, & extenuatione iudicium ferre, qua modum excedente, neque decoctum è lignis propoſitum conuenire poſſet.

Quoniam verò dolores circa ſpatulas, & humeros, licet non vehementes, patitur; ideo ſudorem præcipimus, in lecto proliciendum, pane calente ſub ſtragulis, & ſacculo applicato, aut doliolis aqua calente plenis, eaque alterata chamæmelo, meliloto, origano, calamento, pulegio, ſaluia, & rore marino, ut ſenſibiliter, & inſenſibiliter materia in muſculorum ſpatiis hærens digeratur, ac reſoluatur; ſudor tamen præ omnibus proliciatur ab ambiente calore potius, quàm ab interno medicamenti, aut decocti vſu, humores liquantis, aut fundentis, quod conuenit tantùm, dum in hypocauſto copioſus effluit ſudor, ſuſa, & liquata tota materia; cùm alioquin, ſi antecedentes humores in uenis à decocto liquentur, nec liquati excernantur, ſed hæreant in corpore, dolores augeant. Quod ſicut ipſa docet ratio; ita nobis experientia confirmatum, & compertum eſt, ut propterea abuſum hunc extirpare pro virili non deſinamus.

Itaq; in caſu noſtro, pauca præſente materia, dolores proinde leues excitante, cùm humores antecedentes, in toto ſtabulantes mouere, aut fundere non intendamus, ſolius chamæpyt. decoctum proponimus, hiſce caſibus, à Matthiolo in Dioſc. tantoperè commendatum; cui ſi libeat addere tantillum Chinæ, non abs re fuerit; abſtinendo tamen à viſco quercino, alijſque fundentibus, ſicut & à ſantalis ſudorem prohibentibus.

Atque paucis hiſce præſcriptæ Conſultationis ratio conſtat, qua muneri noſtro ſatisfactum nobis perſuademus. Quibus rectè adminiſtratis, ſi congrua addatur viuendi ratio, Patientem Illuſtriſs. priſtinæ ſanitati reſtituendum eſſe cenſemus.

LVIII.

PARAPLEGIA. MEMORIÆ LÆSIO.
Motus Conuulſiui, & Exolutiones.

NOb. Patiens, annorum 67. temperamenti, quoad totum, & caput, calidi & humidi, feruidiſſimi hepatis, imbecillis ventriculi, citò caluus factus, cæterùm boni habitus, & moderatè carnoſus, hiſpidus, & hac vèl etiam ſeneſcente ætate, Veneri deditus, vndecim abhinc menſibus, vigentibus Auſtrinis conſtitutionibus, poſt inſuetam capitis grauitatem derepentè oris tortura correptus eſt, cũ impedimento loquelæ, quæ quidem tribus poſt menſibus iterum recurrit; verùm ab his malis, expurgato toto, & capite, breui, & feliciter conualuit. Cæterùm vigeſima proximè præteriti menſis Ianuarij, de ſtomachi grauitate cõqueſtus, ambulans in terram concidit; poſt caſum oris tortura relicta, necnon ſiniſtri cruris paralyſi; quo tempore blando uomitorio exhibito, & miſſo ſanguine, cum totius, & capitis expurgatione, præſcriptiſque conſeruis capitalibus, & nerualibus, ac mithridatica confectione, iterum ſanitati reſtitutus eſt. Vere autem nuper elapſo, præſeruationis cauſa, eadem purgatio repetita eſt, cum ſanguinis euacuatione à venis ſedalibus, tum propter ætatem, tum quia ſibi conſueta eiuſdem euacuatio, duodecim abhinc annis ſuppreſſa eſt. Modò de grauiſſima crurum imbecillitate conqueritur, cum dolore dorſi, toto progreſſu ſpinæ, de motibus quibuſdam conuulſiuis ſiniſtræ manus, & cruris pariter ſiniſtri, per interualla recurrentibus, ſed tamen citò recedentibus, frequentibus animi deliquiis, breui tamen deſinentibus, & de aliqua manifeſta in actione memorandi labe cum timore, & meſtitia; quibus accedit inappetentia ciborum. In vtroque brachio cauterium geſtat. De agendis itaque conſulit.

Quoniam autem apoplexia non præceſſit oris torturam, & locutionis impedimentum, paraplegiam [a] nominare ideo hanc magis placet; cùm vnius [b] partis, non totius læſio fuerit, niſi linguæ paralyſin nullo alio nomine dignam cenſeamus exemplo [c] Gal. Secundã verò ſiniſtri cruris, paraplegiam, ſiue mollitiem appellabimus; prout pariter mollities dicenda

a 2. in 1. Epid. 59.
b 3. in 1. Prorrh. 26.
c 2. de Simp. Cau. 6.

erit

erit crurum imbecillitas, quæ poſtremò remanſit. Symptomata autem huiuſmodi à capite originem habere, non eſt quod dubitemus; præceſſit enim eiuſdem grauitas; præterea caput calidum, & humidum, à Venereis congreſſibus adhuc magis imbecille redditum, & labefactatum eſt; ſiquidem tortura oris, neruorum tertii paris, qui in muſculum ſecundum, & proprium labii ſuperioris abductorem inſeruiotur, noxam, mollitiem, & laxitatem nobis ſignificat; prout par ſeptimum læſum, loquelæ impedimentum demonſtrat. Et licet Platerus obſtructionem omnino negauerit, & compreſſionem à craſſa materia tantùm admiſerit; nos tamen, cum [d] Gal. & ferè tota medicorum Schola, in principio neruorum, obſtructionem quidem, ſeu potius obturationem, & nonnunquam integram; in ductu verò, ſiue eorundem ſubſtantia, mollitiem potius, & eiuſdem infarctum, ſeu incraſſationem libenter admittimus.

[d] 2. de Sym. Cau. 2.

Obſtructionem autem à craſſa, viſcida, & lenta materia; mollitiem verò ab eadem tenui, atque ſeroſa prouenire credendum, quæ hoc caſu in capite quidem collecta, at non tota genita fuit; ſeroſitates enim melancholicæ, quibus totum ſcatebat venoſum genus, (vt Pat. temperamentum, & iecoris, ac totius habitus, atque ſuppreſſa conſueta hæmorrhoidalis euacuatio, ſat nobis atteſtari poterant) caput petentes, tenuique pituitæ miſtæ, oris torturam, & loquendi impotentiam, ad dictos neruos tranſmiſſæ, ſiue præcedenti apoplexia inducere potuerunt; quæ quoniam ſecunda vice, aut uberius congeſtæ, aut craſſiori pituitæ commiſtæ fuere, leuiter inualeſcente affectu, in terram derepentè concidit ipſe Pat. & caſum ſequuta eſt oris tortura, ſiniſtrique cruris ſemiparalyſis, ſiue paraplegia, quam crurum mollitiem, ſiue imbecillitatem appellare poſſumus. Et quia materia neruorum quoque membranas nonnihil obſidet, ſiue attingit, hinc dolor ille dorſi prouenit; quinimò quoniam acida eaſdem membranas pungit, motus conuulſiuos infert. Num verò animi defectus à corde, an potius à cerebro ortum ducat, ambigi poteſt. Verùm nos diſtinguentes animi exolutionem, deliquium, & ſyncopen, credimus potius à cerebro, quàm à corde horũ ortum deriuandũ; ſiquidem exolutio fit cum ſenſus, & motus ſola perturbatione; animi defectus, cum ſenſus & motus integra ablatione; ſyncope verò cum omnium actionum, imò & ipſius pulſus priuatione; quam differentiam ſignificauit Hipp. [e] dicens. *A tuberculi intus ruptione, exolutio, vomitio, animi defectus*. Necnon ipſe Gal. qui Lib. Cur. per Sang. Miſſ [f]. preſcribens ſanguinis miſſionem, vſque ad animi deliquium monebat, medicos pulſibus attentos eſſe oportere, ne mutarentur, vt ſcil. excluderetur ſyncope. Quare animi exolutio, & animi defectus fiunt læſa facultate animali; ſicut ſyncope, uitali; qua ratione, ut inſtaurentur exolutione, & animi defectione laborantes, ſufficiunt odores, vtpote qui ſpiritus animales refocillare poſſint, qui in ſyncope non ſufficiunt; cùm ad uitales ſpiritus inſtaurandos alimenta per os neceſſaria ſint. Quare ex animi deliquijs, inſignem capitis imbecillitatem arguere licet; quam confirmat læſa, & labefactata memoria, humectata nimirum poſteriori parte cerebri, vel ab humida intemperie, uel ab humore per cerebrum diſperſo, nec ad inferiores partes depulſo; quanquam accidat nonnunquam, vt ſpirituum animalium defectus, à defectu quoque vitalium procedat, quod & in noſtro caſu, capitis imbecillitati iam dictæ adiici poterit; cùm ſenex ſit ipſe Pat. in quo proinde calor natiuus imbecillior neceſſariò ſit redditus, accedente frequenti quoque coitu, atque ob melancholiam corde non adeò valido, & robuſto.

[e] 7. Aph. 8.
[f] Cap. 12.

Status autem hujus Patientis, non ſolùm difficilis ſanationis, verùm & periculi plenus eſt. Difficilis quidem, quoniam neruoſæ omnes affectiones, ſicut difficulter fiunt, ita factæ difficillimè remouentur, & ſenibus familiares ſunt; periculoſus verò, ob imminentem apoplexiam, quam fortem præſertim auertat ipſe Deus.

Noſtræ autem partes erunt, toti, capiti, & neruoſo generi proſpicere. Primò igitur totum erit expurgandum non ſolùm phlegmagogis, verùm & melanagogis, & quodammodo etiam hydragogis, ut ſeroſitates quoque excernantur, à validiſſimis abſtinendo, utpote deleteriis, & calori natiuo infenſis, ac proinde uires ipſas proſternentibus. Sanguinis interim parciſſimè ex uenis ſedalibus repetatur eductio, ut prolectetur natura ad ſeroſitates per eaſdem uenas tranſmittendas.

Secundò caput erit [g] purgandum pilulis cochijs præparatis, quæ & pituitoſum, & melancholicum humorem educere aptæ erunt. Aliquod etiam errhinum, ſed leue in uſum duci poterit; uiam enim illam patentem ab apoplexia homines præſeruare aſſeruit ipſe Gal. [h]

[g] 2. de Morb 21.
[h] 8. de Vſu Part 6.

Exſiccandum quoque caput foret decocto aliquo cum ſudore; nobis tamen valdè ſuſpecto;

Digitized by Google

cto, veremur enim, ne liquatæ totius, & capitis humiditates, præcipites in cerebri ventriculos ruant, ſicque inferant apoplexiam. Quare libentius aliquo decocto, non valdè liquante, & caput quidem exſiccante, ſed & calidum innatum fouente, ac materiam neruis impactam diſſipante nobis utendum, materia potius ad centrum per urinam, quàm ad circumferentiam, per ſudorem (hoc anni præſertim tempore) deriuata; quale erit à Viro Excell. præſcriptum ex lentiſco, ligno roriſmarini, viſco quercino, & modico ligno ſaſſafras, in iure palumbi paratum, præmiſſa terebinth. cum ſale iuæ arthrit. & theriacali.

Præterea ad capitis roborationem, iam propoſitę conſeruæ omnes locum habent; in quibus tamen primas habet quinta eſſentia roriſmarini, in rotulas efformata, ſub ingreſſum lecti, immò noctu in ore detinenda. Paracelſus extollebat quintam eſſentiam lauendulæ. Aqua item roriſmarini, ad ℥ iij. vel ℥ iv. mane ieiuno ventriculo ſumpta. Valdè efficax quinetiam ſub ingreſſum lecti, confectio anacardina, cautè tamen exibenda. Occiput quoque inungi poterit oleo ſuccini; præſtantiſſimum enim, & penetrans maximè ad humiditates exſiccandas.

Tertiò partibus affectis diſcutientia, & roborantia ſunt admouenda. Sic ſpinæ frictiones adhibendæ, ſquilla recenti per medium diſſecta; poſtea manibus inunctis oleo de caſtoreo. Quammaximè conferent inſeſſus in muſto primùm per decem, aut duodecim dies, ad materiam quodammodo attenuandam, atque reſoluendam, & calorem partium excitandum; mox ad ſolam roborationem, vinacea, per totidem, vel plures dies admouenda.

Et ut animi defectiones, quantum fieri poteſt, arceantur, per interualla aſſumat cochlearia aq. theriacalis, aq. ſcorzon. temperatæ. Præterea bibat aq. cord. præclariſs. Sax. cum elixir vitæ, vel aq. cinnam. miſtam. Et præſente animi defectione, odorata præbeantur, & inſpergatur facies aq. flor. citri, cum pauco aceto roſ. & quintæ eſſent. roriſmarini aliquot gutt. aut ol. caryoph.

Quibus omnibus addatur congrua viuendi ratio, à Doctiſſimo Viro præſcripta; cui addi poteſt, quod inſtaurando natiuo calori, iuſcula carnium ſint in uſu, carne viperina alterata, vel pullis eadem, & eiuſdem decoctione nutriti. Pro ventriculi roboratione in uſum ducat ſalem abſinth. & tandem materiæ reſoluendæ paretur vinum ad menſam, ligno ſaltem roriſmarini, & pauco ſaſſafras alteratum. Quæ omnia confirmant, quæ Vir Doctiſs. pro ſalute Patientis ſapientiſſimè propoſuit.

LIX.

CRVRVM IMBECILLITAS, & Tremor.

IAm menſis præteriit, ex quo Venetijs moror; ideo tardè mihi traditę fuere literę tuæ, Vir Excellentiſs. quæ tuam erga me beneuolentiam perennem ita exprimunt, ut proinde me tibi deuinctum omnibus numeris profitear. Interim exactam quoq; hiſtoriam, ac prudentem tuã ſententiam mihi exhibent, de Illuſtriſs. Viri affectione, quæ primò intuitu ſeipſam manifeſtat. Tremor ſiquidem eſt, qui ſeptemdecim abhinc menſibus incepit, cum inſigni crurum imbecillitate; adeò ut vix Patiens ſtare poſſet, quæ quidem & in præſentia perdurant. Eſt autem ſymptoma in actione motrice deprauarè læſa; cuius cauſa eſt eiuſdem facultatis imbecillitas, quæ nonnunquam à copia grauante; ſæpè verò à diſſoluto robore, ut caſu præſenti, prouenire ſolet; partes enim neruoſæ à vertebris lumbalibus prodeuntes ad crura, natura imbecilles (prout aliquando, & in iuuentute obſeruatum fuit) debilitatæ magis magiſque fuere, à frigida intemperie adaucta ab ætate ſenili, à vita otioſa, ab aere paluſtri, & omnium maximè, à potu conſueto, & copioſo vini meracioris, quod licet calidum, frigida tamen mala parit, vt habemus ex Gal. [a] & potiſſimũ [b] neruos implet, quod expreſſius nobis ſignificauit Hipp. de Veteri Medicina, dicens. *Vinum meracum hominem debilem reddit; potiſſimùm verò ſi ieiuno ventriculo ſumatur; nam vires ferit, nec ſitim ſedat, imò excitat, humiditates abſumendo;*

a 3. de Temp 2. & de Cauſ. Morb 3.
b 5. Aph. Com. 5.

ſicut

ſicut natiuum calorem diſſipando, frigidam intemperiem in neruis introducit, quæ imbecillitatis eſt cauſa manifeſtiſſima in caſu noſtro, concurrente quoque aliqua materia catarrhali, à capite delabente, & potiſſimum ſeroſis humiditatibus à toto venoſo genere confluentibus. Nec mirum, ſi præſente appetitu frigidi, & humidi, ſiti nimirum, abſit deſiderium calidi, & ſicci, videlicet fames; prærerquam quod, à potu immoderato, laxato ore ſuperno ventriculi, in eodem, nec c ſuctio fieri, nec ſenſus ſuctionis percipi poteſt.

c 1 de ſym. cau. 7.

Hunc affectum prorſus ſanari poſſe minimè ſperandum; omnes enim neruoſæ affectiones ægrè ſanabiles, in ſenibus verò impoſſibiles; cùm facilius tremores à copia grauante auferantur; Hipp. quippe Ancillam d Eſtymargei, copioſo ſanguine miſſo, à tremore liberauit. Sic ego quoque non ſemel plethorica corpora repetita ſanguinis miſſione, & à tremore, & à ſtupore, ac torpore omnino vindicaui; augetur hoc caſu difficultas, à praua, & habituata viuendi ratione. Conabimur tamen affectum minuere, & Pat. Illuſtriſs. ab Apoplexia, & integra illarum partium paralyſi præſeruare; idque totum euacuando; deinde caput; tertiò neruoſum genus; & quartò vtrumque exſiccando, atque roborando.

d de Trem. Rig. Cap. 5.

Parca autem ſanguinis miſſio ex hæmorrhoidibus concedi poteſt, ſicut & cauterium in brachio.

Totum repetita præparatione, & expurgatione euacuandum; mox caput pil. cochijs, & aggreg. tribus ſaltem vicibus, quarto quoque die exhibitis, diebus verò intermedijs propinato ſyr. de beton. comp. de iua, & oxymel. in decoct. cich. borrag. beton. ſaluię, & herbæ paralyſis; quo tempore per nares attrahat tabacum, paratum ex pulu. maiorranę, ireos, & nigellę. Et tandem, ad diſcutiendam materiam neruis infarctam, & frigidam eorundem, & capitis intemperiem auferendam, decocto opus foret cum ſudore. Verùm quoniam ob ętatis conditionem, vires forſan pares non fuerint, pręterea anni tempus non vſque adeò accommodatum; ideo ſolum decoctum admittimus, paratũ ex ſalſa, ligno guaiaco pingui, viſco querc. & imperatoriæ radice; addita ſub finem ebull. iua arthrit. cui affundi poterunt gutt. viij. ſpir. tart. & eidem præmitti bol. ex terebinth. cypr. cum ſale iuę. Hoc enim anni tempore, quoniam diaphoreſin expeditam non habemus, ideo humores ad vias vrinę ducendi; ſicut Vere ſudorem mouere conſultius cenſerem, pręmiſſo pulu. viper. & ſudores ſolicitando in foueis ſulphureis; halitus enim ſulphurei, partes neruoſas denſas facilius penetrare, materiam diſcutere, & neruos ipſos exſiccare poſſent. Ab uſu verò decocti per 40 dies, corroborantibus erit inſiſtendum, quæ eſſe poterunt conſeruæ è flor. ſalu. roriſmar. beton. Confectiones ex aromat. ros. & quinta eſſent. roriſmar. diſſoluto ſaccharo aqua cinnam. Sed theriaca quoque miſta cum mitrhidatica confect. hyemali tempore admitti poterit.

Interim & externa in uſum ducenda. Sic & nares, & ſutura coronalis madefieri poterunt quint. eſſent. roriſmar. & lauend. Vertebræ item lumbales hoc linim. ℞. balſami factitij ℥ ſ. ol. nucis moſc. ʒ. ii. ol. de ſpica ℈ ſ. caryoph. gutt. v. vulpini ℥. i. m. ref. vng.

His omnibus addatur congrua victus ratio, quæ ſit potius exſiccans, nec valdè calefaciens. Vinum paretur medicatum tamariſco, & ligno ſaſſafras, parciſſimè tamen bibat. Ieiuno ventriculo ſeſe exerceat. Aluum lubricam ſeruet. pil. aggreg. cum gr. magiſt. mechoac. & alacriter, ac erecto animo viuat. Quæ omnia bonum, licet non omnino optatum finem conſequentur, tuo ſapientiſs. conſilio, dum interim te oro, ut me amare pergas, in ſpem perennis mei erga te obſequij. Vale.

TOR-

LX.

TORPOR CRVRVM. VENVS IGNAVA. Vertigo incipiens. Melancholia Hypochondriaca.

PRinceps Excellentiſſimus, annum agens 49. temperamenti ſecundum totum calidi, & humidi, hepatis calidioris, & humidi capitis, habitus carnoſi, & ad obeſum potius, quàm ad plethoricum vergentis, Romæ degens, poſt liberam uiuendi rationem, in omnibus quidem, ſed potiſſimum in aere nocturno, & validis exercitiis, uenationibus utpote deditus, ex caſu capite fracto, ac proinde longè imbecilliori, quàm illi antea natura erat, reddito, aliquandiù ſtupore quodam, tum thoracis, tum digitorum vtriuſque manus correptus eſt; qua tandem imbecillitate capitis in dies inualeſcente, cum crurum debilitate, ad medica auxilia confugit. Sed interim ex grauiſſimis animi perturbationibus melancholia captus, Roma diſceſſit, & febre tertiana laborauit, 14 iudicata, oedematoſo tumore in crure ſiniſtro ſuborto. Deinde Romam reuerſus, accitis medicis, in hypochondriis obſtructiones deprehenſæ ſunt, quibus expugnandis, lenientia, aperientia, leuia purgantia, modicam ſanguinis miſſionem, ac tandem aquam Tettucianam, & chinæ decoctum præſcripſerunt, cum ſudore; à quo & uinacea adminiſtrata, & ius Galli aſſumptum; quæ tamen omnia exigui fuerunt emolumenti.

Tandem anno 1666. menſe Maio, Neapolim profectus eſt, atque ad Thermas Iſchiæ Inſulæ, vbi leui præmiſſa expurgatione, in Balneum Gurgitellæ deſcendit, & ſudauit in lecto; atque inde ad Sudatorium Teſtaceum progreſſus, ſudauit copioſè, à quo arenas quoque Sanctæ Reſtitutæ à tenibus infra, corroborationis cauſa admiſit, in quibus quoque ſudauit.

Hinc Neapolim repetiit, vbi ambo crura intumeſcere cęperunt, reliquis ſymptomatibus adhucnum uigentibus, vtcunque licet corroborato, atque firmiori capite. Sic autem in euacuatione per epicraſin perſtitit, uſque ad vſum uinaceorum ex Falerno, & Lacryma, ſine tamen vllo leuamine; tuncque vomitu quolibet menſe bis à cibo excitato, vſque ad æſtatem 1667. valetudinariā uitam traxit, qua derepentè uiſus, tum imminutione, tum deprauatione correptus fuit, adeò vt homines viam prætereuntes non rectè diſcerneret, eique obiecta multiplicia viderentur, non ita tamen altero oculo clauſo, Strabiſmi ſcil. indicio; quibus acceſſit & capitis imbecillitas; quæ omnia vſque in ſeptimum menſem perdurarunt. Tunc autem ſanguis ex venis ſedalibus eductus fuit, & pil. capirales, & lucis exhibitæ, nullo auxilio; vnde apozema ſolutiuum, & aperiens præſcriptum valdè profuit; inde uiperinum puluerem aſſumpſit integrum menſem.

Secunda verò die Februarij, repentina capitis, & uiſus imbecillitate correptus, animo defecit, & reſtitutus caput regere non potuit; quare eductus fuit ſanguis ex pede, præſcripta cephalica alterantia, & ab iis purgans, pluries reperendum; moxque decoctum ex ſalſa, guaiaco, & ſaſſafras per menſem exhibitum, cum capitis luculento leuamine.

Miſſus deinde fuit Dux Excellentiſſimus ad Thermas S. Caſſiani, vbi ſemel aquam Tettucianam, ſepties verò Ficoncellæ porauit, & capiti, ac oſſi ſacro ſtillicidium, indeque in Balneis S. Philippi pariter in caput ſtillicidium fuit adminiſtratum, quod illi nonnihil roboris addidit, viſionem reſtituit, & vtcunque crura antea admodum infirma corroborauit.

Tandem Patauium ſe contulit, vbi perceptæ fuerunt à nobis in meſenterio, verſus iecur, manifeſtæ obſtructiones, crurum intumeſcentiæ, leues tamen, & noctu ferè prorſus euaneſcentes; præterea ad motum torpor quidam, & capitis imbecillitas, cum ambulandi diffidentia, & metu caſus; quibus omnibus accedit perfecta penis flacciditas. Quare lenientibus, aperientibus, & leuioribus purgantibus, iiſdem ſaltem minuendis, uſi fuimus, Aquamque Beatæ Virginis propinauimus, poſt Tettucianæ vſum, quam tamen ægrè,

tardè, & imminutè exercetam reliquimus, & ad demerſionem, ſeu Balneum aquarum Aponenſium, atque lutorum cruribus applicationẽ eundem dimiſimus; quibus parum, aut nihil proficientibus, decoctum, aliàs quoque vtile, ex uiſco querc. ſalſa, rore mar. & guaiaci medulla, cum ſudore in hypocauſto prolectato, neceſſarium fore putauimus; quod ideo præmiſſis aliis purgantibus, ſanguiniſque miſſione, præſcriptum fuit ad 40. dies. A quo torpidus ille, & grauans motus expeditior redditus eſt, & trepidatio illa capitis, quæ antea vertiginis quandã ſpeciem, etiam decumbenti minabatur, metuſque cadendi non quidem ceſſerunt, ſed tamen vtcunq; diminuta sũt; vnde ſalutis aliqua ſpes cõſurgit, præſertim cùm etiam ad Venerem pruritum quendam ſentire ſe fateatur Excellentiſſimus Dux, non ſine aliqua penis erectione, perdurante tamen animi mœrore, & ſanitatis deſperatione, non ſine lacrymis. Modò cùm hoc quoque inclementi anni tempore diſceſſum meditetur, & reditum Romam, noſtrum poſtulat ſcriptis conſilium.

Incedendi Imbecillitas cum capitis trepidatione, Melancholia hypochondriaca cum aliqua crurum intumeſcentia, & Penis flacciditas ſunt affectus, quibus adhucnum affligitur Excellentiſſimus hic Princeps; quorum omnium geminam radicem, in ſuperiori ſcil. & infimo uentre agnoſcimus. Et ſi primò torporem conſideremus generatim, hic imbecillitatem ſignificat; vnde ventris torporem appellabat [a] Hipp. in concoquendis cibis, ventriculi infirmitatem; propriè tamen ad motum imbecillitatem ſignificare videtur; vt propterea illarum [b] tantùm partium, quæ ad uoluntatis imperium motui ſunt idoneæ, ac proinde uoluntariæ [c] functionis imminutè leſæ ſymptoma dicatur; quod tamen ab alio ſymptomate procedit, nimirum defectu [d] ſpirituum. Hi verò deficiunt, aut quia non generentur; aut quia geniti non tranſmittantur; aut quia tranſmiſſi à parte non actuentur. Quod non generentur, in caſu noſtro, vix credi poteſt; cùm Dux Excellentiſſimus functiones omnes animales non torpidas, ſed ſummè vegetes habeat; cuius ideo caput, licet humidius, & humiditatibus redundans, non tamen tantam natiui caloris inopiam pati poteſt, ut ſpiritibus animalibus ad ſenſum, & motum producendis impar ſit; præterquam quod cerebro ita laborantibus pulſus [e] ſunt parui, molles, tardi, ac rari. Neque impeditæ tranſmiſſionis vlla apparet cauſa. Quare in muſculos potius, quàm in neruos, minuſque horum originem cauſa reijcienda videtur, tum ob corporis obeſitatem, ad cachexiam præteritam procliuitatem, & ſtrabiſmum, à muſculorum oculos mouentium laxitate productum, tum ob præſentem pedum intumeſcentiam, quæ à capitis deſtillatione, partes ſuperiores præterlabente, & ad inferiores deſcendente, & laxante, earundemq; calorem natiuum obtundente procedit; adeò vt ſpiritus actuare, & iiſdem vti non poſſint, atque adeò non in vitium ſpirituum, ſed partium cauſa referenda ſit. Neque in dubium reuocandum, dari poſſe torporem ſine ſtupore; ſicut & ſtuporem ſine torpore obſeruarunt Braſauolus in quodam poſt hæmorrhagiam; Fernelius in alio poſt crapulas; & Matthæus de Gradibus in Ruſtico, qui ſerpentem nuper interfecerat. Itaque Pat. Patauium accedens nuper expurgatus, præmiſſa nihilominus accommodata, in ſcheda præſcripta purgatione, ad Balnea Aponenſia ſulphurea miſſus fuit, ad partes muſculoſas humidiores exſiccandas, earumque calorem viuificandum.

a 3. in 6. Epid. 9.
b 2. de loc. Aff. 2.
c 2. de Symp. Cau. 2.
d Ibidem.
e 3 de cau. pulſ. 15.

Interim aduentante tempore opportuno, capitis medela inſtituenda, cùm nos non lateat, incedendi illam imbecillitatem, necnon diffidentiam à ſpirituum viſoriorũ trepidatione in capite non minus, quàm ab infernarum partium torpore prouenire, qui primus habetur vertiginis gradus ab Aet. [f] (de quo nihil Gal.) proxima ſcil. ad eandem diſpoſitio; ideo neque vinacea primò admota, neque validiora quinctiam, ex Falerno, & lacryma poſtremò, neque thermæ, neque arenæ, ſicut neque Balnea noſtra Patauina quicquam profuerunt; quoniam in capite potiſſimùm, tum in hypochondriis, morborum minera non leuis hæret; caput enim calidum, & humidum à natura ſortitus eſt Dux Excell. non obſtante caluitie à vaporibus ſiccis, ac melancholicis accelerata; cuius intemperies ab aere nocturno, atque diurno in venationibus fuit valdè adaucta; quinimò & eiuſdem imbecillitas à fractura ex caſu grauior contracta, vnde & ſtupor in thorace, atque digitis, & incedendi impotentia primam originem habuit; ſicuti & poſtremus caſus repentinus, cum animi deliquio. Quæ omnia cum præteritis intentis animi applicationibus Ducem Excellentiſs. melancholicum reddiderunt; cùm melancholicus affectus, ut plurimùm a cauſa manifeſta [g] ortum ducat.

f Tet. 2. Sermon 2. Cap. 7.
g 6. Aph. Com. 23.

In capite itaque calido, & valdè humido dum continuò materia catarrhalis generatur, calor inualidus in eandem agens, vapores eleuat, nec tamen citò diſſoluit, qui exitum quærentes

Digitized by Google

rentes, & ſpiritus animales viſorios agitantes, eorundem ad opticos neruos influentium trepidationis cauſa ſunt; vnde non obiecta ſolùm, ſed caput ipſum, totumque corpus trepidare neceſſe eſt; prout ſi craſſiores forent vapores, motum inordinatum viſoriis ſpiritibus conciliarent, & veram vertiginem, cum obiectorum circunuolutione inducerent, qua, vt diximus, caput quoque [h] circumagi videtur; vnde Auic. [i] *Vertigo*, inquit, *eſt, ut habens ipſam imaginetur, quod res ſuper ipſum voluantur, & quod eius cerebrum, & corpus ipſius reuoluantur.* Quæ ſpirituum trepidatio fouetur quoque à timore, melancholici affectus proprio characteriſmo, & forſan nonnunquam à vaporibus hypochondriacis, ad caput eleuatis; ſicut frequenter ab iiſdem ſpurias ſuboriri ſuffuſiones, aſſeruit ipſe Gal. [k] & in caſu noſtro, ſtupor nonnunquam variis [l] corporis partibus citò euaneſcens inducitur.

h 4. Acut. Co.42.
i 1. Tertij Tract. 5. Cap. 1.
k 5. de loc. Aff. 6. & 3. de Loc. Aff. 7.
l 7. Aph. 41

Penis demum flacciditatẽ, quoniam ignauę Veneri iungitur (exiguum enim ad Venerem irritamentum experitur, & ſemper expertus eſt Dux Excellentiſſimus) non ſolùm ab inſtrumentorum generationi inſeruientium imbecillitate, à frigidiori intemperie proueniente, ſed à ſeminis quoque, ſi non inopia, calore ſaltem remiſſo pendere arbitramur; etenim [m] *Qui genitale ſemen copioſum, calidumque gignunt, ad expulſionem proritari ſolent.* In hoc itaque Excellentiſs. Viro, capitis, vt dictum fuit, & iecoris imbecillitate laborante, mirum non ſit, ſi ſemen aut non multum, aut non valdè calidum, & acre producatur, quod ad ſui expulſionem proriret; ſiquidem ſemen à toto quidem, ſed potiſſimum à capite [n] decidere cognouit Ariſt. & ante eum Hipp. ipſe.

m 6. de Sanit. Tu. 14.
n 2. de Gener. An. 5. De Genit. num. 2.

Quibus conſideratis, in Arte minus verſatus haberetur, qui omnino auferendi impoſſibilitatem, & remittendi recenſitos affectus difficultatem non cognoſceret; ſicut impil, & homicidæ, aut imperiti nomine dignus foret medicus ille, qui ſolo prognoſtico ſine remediis Ducem Excellentiſſimum deſereret, & [o] grauiora mala imminentia non præuerteret, nec præcaueret; cùm [p] ſatius multò ſit morbos imminentes præoccupare, & præuenire, quam præſentes curare. Et licet ſapientibus notum ſit, quod

Non eſt in Medico ſemper releuetur vt æger;

Namque

Interdum docta plus valet arte malum.

o 2. de Symp. Cau. 2. & 5. Aph. Com. 17.
p 2. de Nat. fac. 8

Nihilominus torpor ad motum eſt diminutus, viſus item firmior redditus, penis, ſi non ſatis erectus, ſaltem quandoque tumidus, & ad Venerem procliuior euadere cœpit; quæ cum ſtatim poſt ſudorem, totoque corpore neceſſariò debilitato, appareant, meliorem ſtatum, viribus reſtitutis, nobis pollicentur, rigido, & hyemali non obſtante anni tempore ſubſequenti.

Quod ut aſſequamur, uiuendi norma à iam dictis medicis ſcopis recedere minimè debet, ut affectis partibus, totique corpori corroborario concilietur, & exſiccatio tum capitis, tum muſculoſi generis continuò procuretur, pro tamen hypochondriorum tolerantia. Et ideo

Primò aeris inclementia, & quęlibet immoderatio erit euitanda, tum ſub dio, tum domi; etenim & diuturna mora prope ignem capiti infenſa fuerit, Cùm [q] *Fluxiones capitis fiant eodem valdè excalefacto, vel valdè perfrigerato, Et quando* [r] *Cerebrum ipſum de ſe ipſo plurimum liquefecerit.*

q de Loc. in Hom. 15
r de Carn. b. 17.

Secundò Victus ratio ſit attenuans, optimi ſucci, & facilis concoctionis, vt cruditates arceantur, non flatulenta, non vaporoſa, habita hypochondriorum, & capitis ratione. Intercedant horæ nouem inter prandium, & parciſſimam cœnam; quinimò bis ſaltem per hebdomadam incęnatus cubitum ſe conferat. Claudant prandium, & cœnam duo, aut tria grana maſtic. integra deuorata; ſicut prima menſa, hypochondria ſunt recreanda, atque humectanda iure tenui, borragine alterato. Vinum ſit in vſu, nec dulce, nec auſterum, ſed ſubdulce, tenuis ſubſtantiæ, non generoſum, nec adeò oligophorum, quod, ita permittente Duce Excellentiſſimo, medicatum paretur optima china, & ligno roriſmarini ad ℥ ii. pro ſingula ſitula; quod ſi renuerit, augeatur lignorum doſis, & in doliolo ſeruetur, vt ſaltem ex eo primum cyathum hauriat in menſa.

Tertiò Somnus nocturnus, etiam paulò diuturnior conferre poterit, melancholici affectus ratione; non verò diurnus, ne caput nimium oppleatur.

Quartò exercitium [ſ] ieiuno ventriculo ſaluberrimum fuerit, tum ad muſculos exſiccandos, atque excitandos, tum quia [t] non impleri cibis ad ſatietatem, & impigrum eſſe ad labores, ſunt ſanitatis fundamenta. Frictiones quoque vniuerſales exercitii vicem gerunt, vt de Sanit. Tu. Gal.

ſ 4. in 6. Epid. Vlt.
t 4. in 6. Epid. 22.

Quintò quoniam hypochondriacis cruditas familiaris eſſe ſolet; ideo ne ad venas, indeque ad caput, & muſculos eadem influat, ſemel, aut bis per menſem, vomitu, aut per aluum educenda. Si verò facilior fuerit ei vomitus, triduo antè, ſumat ℥ iii. inlap. acet. fruſtulo cinnam. alterati; mox ab aſſumpto cibo ex acribus, & ſalſis, vomitum prouocet; cui ſi parca ſuccedat, & non adeò facilis materiæ pituitoſæ euacuatio, ſubſtituantur pil. de tribus ad ʒ ſ. cum ℈ ſ. extrac. noſtri mechoac. utpote quod minus, quàm ialappæ ventriculo noceat. Poſtridie autem à vomitu, ſiue à medicamento pil. ſumat ex ℈ i. ſucci abſinth. condenſ. Et pro capitis corroboratione, tum intrinſecus, tum extrinſecus, de more vtatur quinta eſſentia roriſmarini, noctu potiſſimum, rotulis ſcil. ex eadem in ore detinendis, & narium, & coronalis ſuturæ linitione.

Vltimò animi pathemata, & potiſſimum mœrores, & fortes imaginationes, atque intentæ applicationes arcendæ, & amicorum conſortia captanda; ſicut comeſſationes, & compotationes fugiendę; nec figmentis melancholicis fides adeò facilè præbenda; verùm erecto, & alacri animo degat. Dum interim nos optatam ſalutem, ſummamque ſelicitatem Principi optimè merito, à Summo Deo ex animo enixè precamur.

LXI.

TORPOR BRACHII, ET Cruris.

DE affectus eſſentia, Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. Senatorem, duobus abhinc annis, affligentis, pauca dicenda, ex ſe namque ſatis patet; torpore quippè, primò brachii, & manus, tandem & cruris ipſius laborat, quare ſymptoma eſt in actione motrice imminutè læſa, quod nihil aliud ſignificat, quàm motus imbecillitatem. Cauſarum verò conſiderationi non parum immorandum, quoniam ſymptoma tollitur ad ablationem ſuæ cauſæ, quæ niſi cognoſcatur, nec conſequenter tolli poteſt affectus ipſe. Cauſa itaque continens, & immediata huius ſymptomatis, eſt defectus ſpirituum animalium, qui vel non generantur; vel geniti non tranſmittuntur, ob aliquod impedimentum in via; vel tandem geniti, & tranſmiſſi, non admittuntur, nec actuantur à parte imbecilla.

In hoc autem caſu primo modo non fit, quia cerebro læſo, non pars, ſed totum afficeretur; ſupereſt ergo, ut aut ſecundo, aut tertio modo, vel utroque ſimul contingat affectus. Quod non tranſmittantur, ob aliquod impedimentum in uia; nullum apud me dubium eſt; id enim nobis confirmat intemperies calida, & humida deſtillationum ferax, ab ipſo capite, quæ naturalis eſt in Excellentiſſ. Patiente, ut ex imbecillitate uiſus, ſomnis longis, copia excrementorum, quæ antehac per nares expurgari ſolebāt, & ex mala eiuſdem capitis conformatione, magnitudine ſcilicet facilè colligi poteſt; quæ præterea intemperies adaucta fuit ab erroribus in viuendi ratione continuis, & grauibus meditationibus, laborioſis itineribus, & cibis liberè, & indiſcriminatim aſſumptis. Hæc autem intemperies potuit copioſam gignere catarrhalem materiam, quæ ex ſe quidem neruoſam ſubſtantiam, utpote denſam ſubire non potuiſſet, niſi tranſmiſſa à toto venoſo genere, & illi immiſta tenui, & seroſa humiditate, eaque potius melancholica, quàm bilioſa; cùm Excellent. Patiens melancholia hypochondriaca olim certo indicio detentus fuerit, quinetiam nunc detineatur; melancholici autem, ex Hippocrate aquoſitatibus [a] abundent. Quare partim in capite genita, partim aliundè tranſmiſſa materia tenuis, per nucham in ſpinalem medullam detruſa, in neruos quidem, non circa occipitium, ſic enim tota pars ſtatim torporem paſſa eſſet, ſed inter quintam, & ſextam ſpinæ vertebram, vt ex Anatome, & Galeno [b] patet, ſeſe inſinuauit, eoſdem neruos denſauit, atque adeò ſpiritibus animalibus influxum aliqua ex parte interclusit, motumq; ipſum in brachio torpidum reddidit; quæ materia inferius progreſſa ad uertebras lumbales, eundem affectum tandem in crure induxit. Atq; hæc ſatis de ſecundo modo. Vereor tamen, ne & tertio fiat, nimirum quod ſpiritus geniti, & tranſmiſſi ad partem

[a] 4. de Morb. 2.

[b] 1. de Symp. Cau. 5.

Digitized by Google

tem, non ita perfectè vegetentur; quia primò pars ipſa ex itineribus frigus externum paſſa fuit; ſecundò quia neruoſum genus, partium affectarum humiditatibus imbutum, temporis ſpatio frigiditatem, & imbecillitatem natiui caloris perpeſſum eſſe ſuſpicandum. Nec obſtat, non percipi frigiditatem in parte; namque calor influit, non per neruos, ſed per venas, & arterias; præterquam quod neruis ineſſe poteſt frigiditas, nondum ad muſculos diffuſa. Quare ſicuti omnino obſtructionem, cauſam ſtatuendam eſſe reor; ita imbecillitatem caloris natiui in eadem parte affecta, non omnino excludendam exiſtimo.

Affectus quidem non leuis, qui à Gal. c quandoque leuis quædam paralyſis; & quandoque diſpoſitio quædam inter valetudinem, & abſolutam paralyſin nuncupari ſolet; & à Rhaſi etiam via ad Paralyſin nominatur. Ideo, ne ulterius procedat, curandum, ipſum omnino auferendo. Quod licet difficile ſit aſſequi, cùm adſit naturalis capitis humida intemperies, continuò affectum fouens, ſitque affectus ipſe ſatis confirmatus; attamen quia Excellent. Patiens ætate virili adhuc floret, prudens inſuper eſt, & obtemperans, validis præſidijs repetitis ſperanda ſalus; ſi primò totum purgetur. Secundò caput. Tertiò diſcutiatur materia neruis concluſa. Quartò roboretur caput, ne nouam generet materiam. Et tandem neruoſum genus excalefiat, & mediocriter exſiccetur, habita ſemper melancholici affectus ratione, quem modò curare non intendimus. Quibus intentionibus, hoc Autumni tempore, omnino ſatisfieri poſſe ſperandum non eſt. Præterea medicamentorum varius, & continuus ferè uſus, à Clariſſimo, & prudentiſſimo Viro iam præſcriptorum, ad perfectam paralyſin arcendam etiam conſiderandus. c 2. de Symp. Cauſ. 2.

Ideo in fonte Chirurgico, ſanguinis miſſio hic locum non habet, niſi ut cauſa fouens, qui hoc caſu ex hæmorrhoidibus, & poſt aures tandem educi quoque poterit, ſi calor inſignis in capite, & in oculis venulæ rubentes, & turgidæ conſpiciantur. Rubificans autem occipiti applicatum poterit quidem a toto attrahere materiam, nõ tamen eandem euacuare; ut proinde non placeat; ſicuti parum ex uſu futurum cenſeo veſicans, eidem parti admotum, quia ab eo vacuata circunfluente ſeroſitate ſpatio trium, vel quatuor dierũ, ad ſummũ exſiccabitur, & ex ſe omnino obliterabitur; cuius loco, ſetaceum inſigni iuuamento futurum exiſtimo; intercipiet namque materiam hàc præterlabentem, cuius interceptionem ſequetur eiuſdem quotidiana euacuatio. Nec obſtat, quod ab inferioribus partibus attrahere poſſit humores; caput ſiquidem eſſentialiter omnino affectum eſt, quod proinde continuum deriuans præſidium poſtulat; leui namque euacuatione, qualibet hebdomada præſcripta, incommodo occurretur, atque in ſumma longè maius fuerit iuuamẽtum detrimento; meminiſſe namq; oportet, quod expurgato copioſè capite per nares, & os, ſicq; deriuatione materiæ facta (quæ Gal. d teſtimonio à grauioribus etiam malis præſeruare valet) benè ſe habuit Excell. patiens; malè autem poſt eiuſdem ſuppreſſionem. Quoniam vero arte reuocari non poteſt, quia materia ad poſteriora modò tendit, abundè hanc ſupplere poterit ſetaceum. Spinæ inunctiones laudo, non admodum tamen oleoſas, quia meatus infarciunt, niſi parum ſpiritus uini ipſis addatur; vel ante inunctionem toti ſpinæ ſquilla recenter per medium inciſa frictiones fiant, ad faciliorem medicamentorum penetrationem. Sic partium affectarum non ſunt omittendæ frictiones, cucurbitulæ ſiccæ, & inunctiones, ut ſaltem calor neruorum, & muſculorum viuificetur, & nonnihil etiam materiæ neruis impactæ attenuetur, & diſſoluatur. In uſu ſtillicidij hæreo, ob oculorum imbecillitatem; expoſcit quippe hoc caput accuratè expurgatum. Veruecis autem pellis laxare, & parum reſoluere poterit. Immiſſio membri in Bouem nuper iugulatum, contractis potius, quàm laxatis, & humiditatibus imbutis neruis prodeſſe poſſet; nobis autem eſt opus medicamento aliquo ſubtilium partium, maximè penetrante, & reſoluente, ſed non indurante; quòd neruoſum genus durum, & denſum ſit; hoc itaque eſſe poterit ſulphur, unde balnea ſulphurea, utpote remedijs magni uſus propono, per plures dies adhibenda; & quia hæc attenuant, & reſoluunt humores, non verò roborant partes; ideo ſtatim ſecundo loco ad balnea ex muſto deuenirem, tandemq; ad ſola vinacea. Affectus autẽ hypochondriacus, duobus caſibus, balneo ſulphureo obſtare videtur, primò præſente phlogoſi, & æſtu inſigni hypochondriorum, quem produnt multa, & ſæua hypochondriacæ e ſymptomata. Secundò duro aliquo tumore laborantibus hypochondrijs; quorum neutrum adeſſe ſuppono, à quo tantum præſidium prohiberi queat; quanquam eo tempore abdomen infarciti poſſet inunctione copioſa, vnguento roſaceo Meſues, inhibendæ ergò penetrationis aquæ. d 8. de Vſu Part. 6. e 3. de Loc. Aff. 7.

Hæc validiora ſunt in fonte chirurgico remedia; præmiſſa tamen primarum viarum, to-

tius, &

tius, & capitis accõmodata expurgatione, cuius remedii materias præſtantiſs. Archiatro, affectus Excellent. Patientis optimè conſcio proponere, eſſet docere Mineruam; prout quod æquè benè per pauciora, & ſimplicia medicamenta conſequi poſſumus, velle per plura, varia, & ſæpè ſeſe inuicem refringentia, idem præſtare, operoſum, fruſtraneum, & oſtentationis indicium haberetur. Poterit tamen, peractis expurgationibus, tempore balnei exhiberi ius aliquod alteratum ſalſa, china, & lentiſcho, hora vna, aut duabus ante in idem deſcenſum; cui decocto præmitterem puluerem ex corn. cer. & viperino compoſitum, ut facilius attenuetur, & diſcutiatur materia neruis infarcta.

Viuendi ratio his omnibus proportione reſpondeat, & uinum medicatum præſcribatur, cùm non continuò ius alteratum aſſumi poſſit; prout aliquod familiare medicamentum euacuans, ut pilulæ aggregat. cum magiſt. mech. aut huiuſmodi aliud, & ſi placuerit, uſus familiaris terebinthinæ cum iua, temporibus frigidioribus potiſſimum proderit. Deus verò vota noſtra ſecundet.

LXII.

TORPOR, ET STVPOR.

EGregius Vir, annorum 45. totius præcalido temperamento à naturæ primordiis præditus, quod aſſiduis, & maximis animi, corporiſque agitationibus, atque applicationibus, victuque, & potu calidiori, ac generoſiori, necnon luis celticæ labe valdè etiam adauxit; duobus abhinc annis, autumno aduentante, perſentiſcere cœpit, aſcenſu potiſſimum, & deſcenſu per ſcalas, puncturas quaſdam circa crura, & genua, citra magnum tamen dolorem, ita vt nocturno tempore dum per ſcalas deſcenderet, iiſdem correptus, altero pede progreſſum alterius impediente, vt ineuitabilem lapſum præuerteret, coactus fuerit ſeſe per totam earum longitudinem in terram, cùm pedibus impotens eſſet, toto corpore deiicere, cum non leui pectoris colliſione, cuius cauſa à vena ſanguinem ducere conſultum duximus, cuius ope liberatus, adeò de nouo prolapſu ſibi metuit, vt per loca, vèl maximè tuta, deambulare, horis præcipue nocturnis, non auderet. Quindecim verò à caſu diebus ſub finem nempe Martii, timori acceſſit tanta crurum, atque genuum debilitas, cum puncturis etiam intenſis, ut non ſolùm motus progreſſiuus, verùm etiam corporis diuturna erectio intercepta fuerit; quæ tamen ſymptomata quiete vnius diei, & noctis omnino remiſſa ſunt, licet circa Aprilis initium ſæuiora recruduerint, adeò ut diuerſis conuulſiuis motibus partes non ſolùm correptæ ſint; verùm & vniuerſum corpus per interualla; & patui, rubenteſque tumores circa crurum partes internas, non dolentes suborti ſint. Quibus omnibus debellandis medicos conſuluit, qui horum præcipuam cauſam Luem Celticam agnoſcentes, poſt totius expurgationem, & venæ ſectionem, exhibuerunt per 30. dies decoctum ex ligno ſancto, ſalſ. rad. liquiritiæ, & ſem. carth. albi, facta in ſero deſtillato infuſione; à quo tamen nullum leuamen, ſed præter dictorum ſymptomatum repetitum inſultum, noua potius, & ſæuiora ſuccreuerunt, grauiſſima ſcil. pectoris anguſtia, cum difficili admodum reſpiratione, & partium externarum quodam ſtupore, & internarum grauitate, & pondere; à quibus ut vindicaretur, opus fuit noua ſanguinis miſſione, & nonnullis etiam medicamentis emollientibus, & refrigerantibus; atque ita æſtatis feruores tranſegit; ſub cuius finem tamen, cùm grauius, crebriuſque vrgere enarrata ſymptomata quereretur, aſſumpſit decoctum ex ſola radice chinæ, per 40. dies; à cuius vſu plura euanuere ſymptomata, ita vt & liberè ſpiraret, & benè corpus regeret, nec niſi breui temporis ſpatio, longioribus quinetiam interuallis, iiſdem puncturis, nec quidem validis cruciaretur; ſuperſtite tamen ſtupore, atque debilitate partis ſiniſtræ pectoris, & crurum, ac pedum. Verùm præſenti hyeme denuo dicta ſymptomata repullularunt; & nunc etiam Patientem noſtrum affligunt, cum continua grauitate pectoris, necnon circa crura, & genua debilitate, & in pedum plantis ſtupore; ita ut omnia ſymptomata ad priſtinum gradum redacta ſint. A quibus vt omnino vindicetur, enixè Sapientiſs. Viri Conſilium efflagitat.

Quam

Digitized by Google

Quam difficile eſt abſentibus conſilium dare! inquit Gal. [a] maximè verò in hac rara affectione, qua continuò duobus abhinc annis diuexatur egregius patiens; quæ læſio eſt primò, & potiſſimum motus crurum, & genuum, mox tactus, modò in planta pedum, olim & in alijs quoque partibus, vtraq; quidem, ſed in ſiniſtra potius parte, quàm dextera, cum pectoris grauitate, quæ difficilem nonnunquam reſpirationem efficit. Hi autem affectus, nomine Stuporis, & Torporis ſunt appellandi; ſtupet quippe ſenſus, & torpidus eſt crurum motus; quibus quoniam accedunt quoque puncturæ, ſiue pungentes dolores; ideo ſymptoma fuerit in actione motrice, & tactrice, non ſolùm imminutè, verùm & deprauatè læſis, quod nihil aliud, quàm actionum imbecillitatem denotat, vnde Hipp [b]. mentem ſtupidam, & aluum torpidam vocauit.

a de Puero Epil.
b 3. in 6. Epid. 1.

Horum ſymptomatum immediata cauſa, defectus ſpirituum animalium à nobis cenſetur; qui quidem non ideo deficiunt, quia non generentur; principio namque, nimirum cerebro, læſo, non pars, ſed totum afficeretur: neque quod tranſmiſſi à parte non actuentur, quia crura, ac genua nullam labem à qualiber externa cauſa unquam ſuſceperunt; ſed deficiunt, quoniam geniti ad partes liberè non influunt, ob aliquod impedimentum in via, videlicet ſemiobſtructionem, quæ licet ut plurimum, & ferè ſemper ab humoribus frigidis, lentis, atque pituitoſis in capite genitis, & ad neruos tranſmiſſis fieri obſeruetur; nihilominus hoc caſu (qui inter raros enumerandus) fit ab humore melancholico, à calida iecoris intemperie producto, à Celtica forſan lue exuſto; non parum ad eiuſdem generationem conſpirantibus præteritis animi curis, applicationibus, atque perturbationibus, aromatum uſu, uiniique generoſioris potu, necnon conſiſtenti [c] ætate, melancholicis affectibus opportuna. Hinc dolorum cauſa, ab acri ſcil. & acida melancholici humoris qualitate, qui à [d] pituitoſa materia contingere minimè ſolent, niſi ab eiuſdem [e] copia replente, ut in conuulſionibus; quibus accedunt facilis huius affectus intenſio, ac remiſſio, melancholicæ ſeroſitatis facilè mobilis præſentiam nobis ſignificantes; propter quam cum Hipp. & linguam repentè fieri incontinentem, & aliquam corporis partem ſtupore langueſcere, in praxi nos quoque obſeruauimus. His addimus, & ſupponimus, Patientem antehac melancholico affectu laboraſſe, cuius ſigna poſt caſum, timor, & mœror, melancholici affectus characteres [g] indelebiles, hunc manifeſtiſſimè prodiderunt, quo ſemper magis adaucto fuliginoſæ exhalationes ab hypochondrijs, & liene ad ſeptum expirantes, illudque comprimentes grauem, ac difficilem reſpirationem efficere potuerunt; non autem præterita contuſio, tum quia non facis adeò einſdem intenſio, ac remiſſio fuiſſet, tum quia febricitaſſet; neque à catarrhali deſtillatione, quia de tuſſi, neque de ſputis in hiſtoria vlla facta fuit mentio. Vt propterea tandem exiſtimemus, à toto venoſo genere, ſanguine cœnoſo, & gallica labe infecto ſcatente, decubitum ad partes neruoſas, ſiniſtræ partis potiſſimum, factum eſſe, iuxta Hipp. oraculum [h], *In morbis melancholicis, ad hæc periculoſi decubitus, ſtuporem corporis, vel conuulſionem, vel furorem, vel cæcitatem ſignificant.*

c 3. Aph. 30.
d 1. de Symp. cau. 6.
e 2. per Loc. 1.
f 7. Aph. 41.
g 6. Aph. 23.
h 6 Aph. 56.

Affectus equidem ſemper grauis, à Gal. [i] quandoque *Lexis paralyſis*; quandoque *Diſpoſitio quædam media inter valetudinem, & abſolutam paralyſin* nuncupatus; & à Rhaſi, *Via ad paralyſin*, dictus, præſenti vero caſu grauiſſimus, vtpote ab humore melancholico, ac proinde à contumaci maximè cauſa procedens, potiſſimum ob Tabum Gallicum, non ſolùm propter reſiſtentiā, verùm & ob contraindicata remedia; cum gallicam luem oppugnantia melancholicum ſuccum coaceruare poſſint. Nihilominus deſperanda ſalus non eſt, ſed antequam affectus intenſiuè, & extenſiuè augeatur, cautè inſtituenda curatio.

i 2. de Symp. Cau 2.

Primas vias ſcilicet expediendo. Secundò totum expurgando, & depurando. Tertiò materiam neruis impactam diſcutiendo. Quartò luem Celticam debellando. Quintò iecoris, & uenarum feruorem contemperando. Et tandem neruoſum genus corroborando.

Quibus intentionibus implendis, licet ſanguinis miſſio in hoc affectu, ratione cauſæ conunctæ locum habere non videatur; cùm venæ ſectio, iudice Gal. [k] non ſanet obſtructiones; attamen conuenit in hoc peculiari caſu, ratione cauſæ antecedentis, tum ad emendandum ſanguinis vitium, tùm ad iecoris feruorem contemperandum. Educatur autem ex iecoraria dextera, vt fiat quoque diuerſio. Nec inutilis erit ſecundo loco uenarum hæmorrhoidalium, hirudinibus facta reſeratio.

k 11. meth. 14.

A Pharmacia deſumenda Lenientia, Præparantia, Purgantia, Reſoluentia, Luem Celticam oppugnantia, Iecoris & venarum calorem Contemperantia, & neruos Roborantia.

Lenien-

LXIII.

STVPOR, ET TORPOR.

ILluſtriſ. Senex, 65. annum agens, temperamenti totius, & iecoris, calidi, & humidi, capitis iuſto humidioris, & ideo raucedini, multis abhinc annis valdè obnoxius, præterquam quod negotijs fori, utpote Orator, impensè ſemper incubuit, tandem 24. die Iunij proximè præteriti, ob vnici filij fatum, ingentes animi perturbationes, corporiſque labores paſſus, repentino animi defectu, ſiue exolutione correptus fuit, in qua tamen functiones, tum animales, tum vitales ſuperſtites fuerunt, cum ſenſuum omnium incolumitate; vnde & horæ quadrantis interuallo liber euaſit, permanente tamen dexteræ manus, & pedis leui ſtupore, non ſine aliquo motus torpore; nec tamen propterea conſueta munia obire deſtitit. Affectus autem uſque ad hoc Septembris initium leuior ſemper redditus eſt, nec ullum Viro Illuſtriſ. negotium faceſſit; niſi quod maiora mala, grauiorem ſcil. recidiuam metuens, præſeruationem futuri potius, quàm præſentis affectus curationem prudenter expoſcit.

Affectus à præterito animi deliquio, ſiue exolutione, in manu, atque pede læuo ſuperſtes, leuiſſimus ſcil. ſenſus ſtupor, motuſque torpor, paralyſis nullo modo dicendus, cùm non perierit motus partium; nec paraplegiæ nomen meretur, in qua non abolentur quidem; uerùm non leuiter ſenſus, & motus minuuntur; ſed propriè ſtupor, & torpor appellari debet, [a] facultatis animalis, tum voluntariæ, tum inuoluntariæ ſymptomata, [b] *Actionum imbecillitatem indicantia*. Vnde, & Hipp. [c] *Mentis ſtuporem, atque hebetudinem* vocauit; prout, *Ventris torporem, atque ſegnitiem*.

a 1. de Symp. cau. 1. & 2.
b 2. in 6. Epid.
c 3. in 6. Epid. 1.
d 1. de Symp. Cau. 5.

Huius affectus cauſa continens, ſiue contentiua, & proxima, eſt [d] *Affectus quiſpiam neruorum, cuius cauſa virtus, ſiue ſpiritus ad ipſos tranſmitti prohibetur*. quæ ſunt Gal. verba, quibus ſubdit. *Prohibetur autem, vel ab obſtructione; vel à compreſſione; vel à conſtipatione ex frigore*. A noſtro autem caſu compreſſionem, & conſtipationem excludimus. ſicut obſtructionem neceſſariò includimus; quæ tamen non integra, ſed ne quidem ſemiobſtructio fuit; quoniam neque paralyſis, neque ſemi patalyſis ſequuta eſt; ſed leuiſſima tantùm, vnde leuiſſima etiam ſpirituum interceptio, nec maior proinde ſenſus, & motus læſio.

Cauſa obſtruens fuit pauca, & tenuis materia catarrhalis à capite, natura quidem humido; vnde antehac ad laryngis muſculos, & aſperam arteriam theumatica fluxio, & hinc raucedo, quæ adhucnum perſeuerat, cum auditu graui in aure ſiniſtra; quod tamē multò humidius, quinetiam imbecillius factum eſt à prægreſſis moleſtis, atque intentis applicationibus, eiuſdem cerebri calorē natiuum labefactantibus, & coctiones imperfectas reddentibus, atque adeò excrementa coaceruantibus, quæ, ut naturæ moleſta, facultas expultrix inſurgens, ab adeò nobili parte ad ignobiliores detrudere coacta fuit; ſicque caput exonerando, per ſpinalem medullam, tum ad quintam, & ſextam vertebram, tum ad lumbares eadem depoſuit; quæ ad neruos detruſa, quia pauca, & tenuia, vel eorum meatus nonnihil obſtruētia, vel craſſiorem eorundem ſubſtantiam mollem reddentia, quodammodo ſpiritibus animalibus influxum ad manum, & pedem intercluſerunt, & ſenſum obtuſum, motumque torpidum reddiderunt.

Quod ſi materia illa catarrhalis, aut copioſior, & tenacior; aut facultas expultrix imbecillior fuiſſet, diutius in cerebri ventriculis hæſiſſet, ſicque ſpirituum motu intercepto [e], apoplectica præceſſiſſet affectio, cum ſubitanea ſenſus & motus integra priuatione, & reſpirationis læſione; quæ ſi fortis, breui hominem de medio tollit, impari facultate materiæ à ventriculis dimouendæ, & depellendæ; ſi verò debilis, ſuccedit vera paralyſis, expultrice vincente, & materiā à cerebri ventriculis excutiente, & ad neruos ſpinalis medullæ detrudente, ſi valida fuerit virtus, vnde ſequitur ſenſus, & motus in inferioribus partibus læſio; quod ſi debilior fuerit, materiæ portio in neruis quoque capitis hæret; vnde oris, linguę, oculorum, aliarumne partium ſuperiorum paralyſis ſe prodit. In noſtro autem caſu, quo exigua, & tenuis materia fuit, virtuſque valida, repentina ſequuta eſt eiuſdem ad neruos expulſio;

e 2. Aph. Com. 42. 3. de Loc. Aff. 1.

vnde facultates animales, & ſenſus omnes nunquam petierunt, quinimò incolumes ſemper fuere; in qua tamen pugna, confuſio aliqua in ſpiritibus ſuborta eſt, & ab illa perturbatione, aliquis quoque defectus, & exolutio tantùm ſequuta, quæ in ſenſus, & motus perturbatione ſita eſt, ſicut animi deliquium in corũ ablatione, cum aliqua pulſus mutatione. Quam
f 7. Aph. 8. differentiam nobis expreſſit Hipp. his verbis f. *A tuberculi intus ruptione, exolutio, vomitio, aut animi defectio.*

Omnium itaque leuiſſimus præſens caſus; magni tamen faciendus ratione principis partis affectæ, et eo quoque nomine, quia diatheſis illa in cerebro gignendi, & in ventriculis ſuſcipiendi materiam, adhuc ſuperſtes, relapſum in eundem, imò grauiorem affectum minatur; qui ut præuertatur, non præter rationem Vir Illuſtriſs. ad medica confugit auxilia; ſiquidem præſens ſtupor, & torpor, ut nullius incommodi ab eo, nobiſque parui ſit, qui propterea auxiliorum ope, iam ab Excellentiſs. Adſtante, ab initio adminiſtratorum, nec vllo alio addito à natura ſoluetur.

Pro præſeruatione itaque primò expiatis primis vijs. Secundò totum erit expurgandum. Tertiò caput. Quartò humida eiuſdem intemperies corrigenda; Et tandem cerebrum ipſum, cum eius ventriculis, roborandum; non omiſſis auricularibus ipſis.

Quæ omnia vt aſſequamur, in preſens vnica ſanguinis eductio ex venis ſedalibus ſat fuerit. Canterium ſiniſtro brachio, ſi non geſtet, inuratur; & frequentes pedum lotiones, aqua calente ante cœnam in uſum ducantur.

Ex Pharmaceutico fonte deſumenda Lenientia, Præparantia, totum, & caput Purgantia; & humidam eiuſdem intemperiem Corrigentia; ac tandem idem Roborantia.

Leniens erit potio ex manna clarif. vel elect. lenit. cum tart. Primum præparans quinque diebus aſſumendum. ℞. oxymel. ſimpl. diluti ℥ ii. aq. cinnam. ℥ i. m. pro vno, & ſic pro aliis; à quibus ℞. pot. ex manna clarif. ℥ vi. addendo infuſ. conſuetæ agar. troch. ʒ iii. aq. flor. citr. par. m. pro potu. Vel bolo ℞. elect. lenit. ℥ i. pil. de tribus ʒ ſ. m. f. b. Inde vlterior præparatio fiet, decoctione in iure pullæ, cich. borrag. end. beton. calend. primulę veris; cui addantur ſucci depur. cich. & beton. ad ℥ ii. In quorum uſu ad octo, vel decem dies perſiſtendum. Deinde repetat alterum ex præſcriptis medicamentis, aut bolo, aut potu, ad libitum.

Sic toto expurgato, euacuandum quoque caput pil. noſtris capitalibus, ad ʒ ſ. ter, quarta, aut quinta quaque nocte, à primo ſomno aſſumendis; diebus autem intermediis hauriat cyathum aq. ſtillat. beton. & iuæ, addita conſerua de acido citri, vel ſyr. de ſucco lim. Sic & poſt pectinationem ſingulo mane attrahat puluerem, tabaci ritu, vt per nares caput quoque expurgetur. Puluis autem ſit. ℞. pulu. maioranæ, Ireos, nigellæ an. ʒ i. m.

His peractis, ad humidam capitis intemperiem corrigendam deueniendum foret; verùm quoniam huic intentioni, nonniſi prius prouocato ſudore vſu decocti, poſtea ſtillicidio ex aquis Aponitanis, aut ſaltem Laſtrenſibus capiti adminiſtrando, ſatisfieri poteſt; ideo hæc magna remedia in proximè futurum Ver differenda cenſemus, quorum loco vinum medicatum, tota hyeme, in uſum ducendum, quod parari poterit, facta infuſione in doliolo ligni roris marini, & uiſci quercini veri ad ℥ ii. pro vna quaq; ſitula, abſque ulla ebullitione; bibendum enim eſt tribus diebus ab infuſione. Ad capitis autem roborationem, conſeruæ capitales uſurpandæ ſub ingreſſum lecti; ſint autem è floribus ſaluiæ, nonnunquam & roriſmarini, & aliquando betonicæ.

Interim noctu in aurem affectam immittatur turunda ex bombyce parata, & deſcripto hoc liquore tincta, ℞. cæpam comm. excauetur, impleatur ol. amygdalar. amarar. ad ℥ i. fellis capræ, aquæ uitæ an. ℥ ſ. pulu. cymini ʒ i. bull. in cæpa, ad ignem, deinde fiat omnium fortis expreſſio, & liquori expreſſo addantur moſchi gr. iii. turundis illinendis, & in aurem inſinuandis.

Iam dictis omnibus congrua addenda victus ratio; adeò vt primò cuſtodiatur caput à uentis auſtralibus, & humidis, potiſſimum ab aere caliginoſo, à diuturna mora ſub radiis ſolaribus, nec non prope ignem; neque cubiculum ſit Septentrioni expoſitum. Secundò inter alimenta abſtineat omnino à lacte, & omnibus lactariis. Inter herbas, à lactuca hipposelino, ab allij, & cæparum condimentis. Inter fructus, à nucibus, tum iuglandibus; tum auellanis, & amygdalis. Inter carnes, à ſuillę uſu frequenti. Ex piſcibus, à conchiliis, & oſtreaceis quibuſcunque. A leguminibus omnibus, hordeo, & oriza exceptis. A vinis generoſis. Somnus diurnus arceatur, niſi vigilias nocturnas ſuppleat, & ſi conſuetus foret,

capite

capite tamen eleuato, non decumbente, breuis captetur. Quartò corporis exercitium valde conferre poteſt, ſed ieiuno uentriculo. Quintò bis, aut ter per menſem pil. maſtic. ad ℥ ſ. habear in uſu; & hoc tempore, Veneri parcat. Vltimò animi applicationes vehementes, lecturam, & ſcripturam ſtatim à cibo fugiat, ſibique ipſi inpoſterum magis, quàm alijs viuat. Quæ omnia à nobis, pro tanti Viri præſeruatione, propoſita D.O.M. ſalutaria reddat.

LXIV.

STVPOR, ET TORPOR infernarum partium.

REuerendus Vir, quinquageſimum quintum annum agens, temperamenti ad calidum, & ſiccum vergentis, mediocris habitus, poſt iam præteritos timores, atque animi mœrores, anno quadrageſimo nono ætatis ſuæ, derepentè conqueri cœpit de quodam ſtupore partis internæ ſiniſtræ coxæ, paulatim ad genu, & tibiam propagaro cum motus difficultate; quo tempore, & moleſtiam quandam ſenſit circa ventriculum, & hypochondria, cum dorſi frigiditate. Poſt quæ anno præſenti dolorem quodammodo grauatiuum in dextero hypochondrio percepit, cum ventris intumeſcentia ab aſſumpto cibo; atque interim ſtupor, & torpor, qui antea ſiniſtram pattem occupauerat, dexteram quoque eodem modo corripuit, vſque ad pedis extremum; qua ſegnitie, & torpore in mictione laborat & ipſa veſica. Dolorem inſuper patitur in occipite, & ſpatulis, cum harum omnium partium frigiditatis ſenſu. Modò de agendis conſulit.

Hypochondriaca affectione melancholica iam detineri Reuerendum Patientem ſatis
ſuperque ſignificant querelæ [a] circa ſtomachum, & hypochondrij dexteri dolor grauans, a 3. de Loc. Aff. 7.
ſiue tenſiuus, cum ventriculi à cibo moleſta inflatione, poſt [b] timores, & mœrores; à qui- b 6. Aph. 23.
bus naruralibus partibus craſſi, atque fuliginoſi vapores in caput eleuantur, atque denſantur, & excrementa in eodem, antehac intemperato non parum adaugent; ad id confluentibus quinetiam per venoſum genus ſeroſitatibus acidis, quæ catarrhali materiæ immiſtæ, & ad nuchā priùs, inde per ſpinalem medullam ad vertebras lumbales detruſæ, ac neruoſam ſubſtantiam alluentes, ſpirituū animaliū libero influxu intercepto, ſtuporem, imò & torporem inducunt, non partibus tantùm motui deſtinatis, ſed veſicæ quoque vrinariæ; pars verò eiuſdem materiæ craſſior, circa nucham firmata, nec neruos ſubiens, in eadem parte, necnon circa ſpatulas dolorem continuum excitar.

Affectus quidem, qui hoc anni tempore frigido, nullo modo, ſed hac ætate, commodo quinetiam tempore futuro, ægrè curationem admittet, minuſque in hoc Reuerend. cui forſan neceſſaria deerunt tanto malo oppugnando. Quare facilè in totius corporis torpo-
rem, indeque in abſolutam paralyſin, vel etiam in paraplexiam [c] ne degeneret, metus eſt. c 3. in 1 Prorrh. 26.
Nihilominus præſenti etiam tempore, licer inopportuno, aliquid agendum, ut eius progreſſus inhibeatur, & ſi fieri poſſir, nonnihil Pat. leuetur.

Idq; tentandū, primas vias ab excrementis expiando; neruoſum genus ab humiditate liberando; idemque cum capite roborando. Quibus intentionibus utcunque ſaltem, ſi non omnino in præſens, ſatisfacere tentabimus.

Ex Chirurgico itaque fonte deſumenda duplex ſanguinis miſſio, altera ex iecoraria, altera verò ex hæmorrhoidibus, parcè tamen. Cauteria quoque inurenda, alterum læuo brachio, alterum verò coxæ dexteræ. Inunctiones quoque nuchæ, & toti ſpinali medullæ, & capitis ſuturis conuenientiſſimæ erunt; nuchæ quidem oleo ſuccini, ſpinali verò medullæ ol. lil. alb. viperino, & de caſtoreo ſimul miſtis, atque Suturæ coronali, & naribus, quinta eſſentia roriſmarini. Partes quoque torpidæ fricari poterunt, manibus aqua vitæ madefactis, in qua pyrethrum, & caſtoreum infuſa fuerint. Tandem peracta purgatione, inſeſſus in muſto calente generoſo forent accommodatiſſimi, ſi tempus iiſdem eſſer opportunum.

Ex Pharmaceutico fonte depromenda Lenientia, Præparantia, totum, & caput Purgantia, inſenſibiliter à neruis Digerentia; atque alio tempore Roborantia.

Leniens eſſe poterit manna clariſ. vel elect. lenit. cum tart. Primum præparans, per ſex dies, erit iulap. acet. cort. citri alter. ad ℥ iij. cum ʒ iij. crem. tart. Primum purgans verò potio eadem clariſ. addito infuſioni conſuetæ agarico. Secunda præparatio abſolui poterit oxymel. ſ. ſyr. de beton. de ſucco borrag. & de pomis, in decoct. cich. borrag. end. beton. ſaluiæ, maioranæ, & roriſmar. Mox præparati humores expurgandi, infuſione agar. ſennæ, & rhab. addito ſyr. roſ. & de polypod. vel manna clariſ.

Toto expurgato, Capitis quoque expurgatio tentanda pil. cochiis præparatis, fœtidis, & aggreg. ter exhibendis, quarto quoque die; diebus verò intermedijs, exhibita decoctione præſcripta, cum oxymel. ſyr. de beton. & de fumaria. Interim & Maſticatoria conueniunt ex maſtiche, nuce myriſtica, cubebis, & cera parata; ſicut & Errhina ex pulu. maioranæ, Ireos, & nigellæ.

Toto, & capite expurgatis, materiæ in neruis reſoluendæ, ſudore in hypocauſto per menſem, & ultra opus fuerit, præmiſſo decocto ex ſalſa, guaiaco, viſco quercino, lign. roriſm. & lentiſco; à quo efficaciſſima foret immerſio totius in aquis thermalibus ſulphureis. Verum quia anni tempus minus erit accommodatum, ideo ſubſtituatur ius columbę turricolæ lentiſco, ſantalo, roremarino, & buxo alteratum; cui præmittatur bolus ex terebinth. cum ſale iuæ reformatus, in cuius vſu ſaltem per quadraginta dies perſiſtat. Et tandem conſeruis vtatur ex flor. beton. ſaluie, anthos, & hyemali tempore nonnunquam mithridatica confectione, vel gingibere condito.

Quibus congrua addenda victus ratio, vitando frigidum ambiens, & corpus veſtibus, ac pellibus muniendo. Cibus ſit potius attenuans, & moderatè exſiccans. Parcè bibat, & vinum paretur medicatum lentiſco, ſantalo, & ligno roriſmarini. Fugiat ſomnum diurnum.
d 4. in 6. ep. vlt & de ſucc. bon. & vit. 5. Exercitia conueniunt, ſed antè cibum. In vſum ducantur ſemel, aut bis per menſem pil. de hiera cum agarico ad ʒ ſ. cum ℈ ſ. magiſt. mechoac. A venere, curis, & applicationibus abſtineat. Quę omnia D. O. M. generoſo huic Reuerend. ſalutaria pręſtet.

LXV.

STVPOR, TORPOR, ET Raucedo.

VIr Illuſtriſ. annum agens 40. temperamenti ſecundum totum, & ſecundum iecur, calidi, & humidi, capitis verò calida, & humida intemperie donati, carnoſi habitus, cùm aliquot annis in Germania, apud Cęſarem Legati munere functus eſſet, ac uitam otioſam, ut plurimùm in hypocauſtis duxiſſet, moreque Germanico nimiùm compotationibus, & comeſſationibus indulſiſſet, habitu proinde plethorico ſenſim, ac ſenſim ſibi comparato, non exquiſito tamen, vtpote non ſine crudi humoris redundantia; quinque abhinc annis correptus fuit vertebrarum lumbalium doloribus moleſtiſſimis per aliquod temporis ſpatium, quibus ſucceſſit ſiniſtræ partis ſtupor quidam, per interualla recurrens, potiùs ipſo ſtante, quàm deambulante, ab inferiori ad ſuperiorem corporis partem, humerum ſc. & brachium propagatus. Ab his xv abhinc menſibus, vocis Raucedo primò, mox etiam eiuſdem inſignis diminutio ſuperuenit, cum copioſa materiæ catarrhalis expuitione; cui adhibita quidem medica auxilia, verùm imperfecta, à quibus tamen iuuamen aliquod ſuſcepit; etenim vox non adeò diminuta, rauca tamen perſtitit. Modò cùm & ſtupor torpor totius ſiniſtræ partis, & vocis raucedo adhuc perdurent, auxilium implorat. Aluum humidam, & vrinam copioſam natura habet.

Affectus infeſtantis Illuſtriſ. Patientem, ſicut eſt læſio, non ſolius ſenſus, nec ſolius motus, ita compoſitam eſſe ex ſtupore, & torpore arbitramur; ſtupidè enim ſentit, & torpide mouet vniuerſam partem ſiniſtram. Symptoma in actione tactrice, & motrice imminutè

nutè

mirè læſa, nondum tamèn deprauatè; cùm de dolore non conqueratur, quod nihil aliud, quàm *Actionum imbecillitatem* ſignificat. Alter affectus accedens eſt læſio vocis, deprauatè quidem, quia rauca, ſed et imminutè, quia ſatis ſubmiſſa. Vterque autem affectus vnicam agnoſcit cauſam, humiditatem videlicet catarrhalem, non quidem in partibus affectis genitam, ſed à toto uenoſo genere cruditatibus redundante, ob errata antehac in victus ratione commiſſa, in caput; ab hoc verò (non ſolùm ſympathico, verùm & idiopathico modo affecto, vt clarè atteſtatur eiuſdem naturalis, & mox adaucta calida, & humida intemperies, deſtillationibus aptiſſima) in partes affectas tranſmiſſam. Quare catarrhalis materia, vtroque modo in capite copioſa, expultricem irritando, per ſpinam primò ad dorſales uertebras fuit detruſa, unde prior dorſi dolor; mox paulatim ab eadem vlterius progreſſa, ad ſpondylos, quà uerui emanant, & ibi hærente, forſan etiam adminiculante vaſorum plethorica plenitudine, compreſſionem eorundem ortam credimus; ob quam non adeò liberè permeantibus ſpiritibus, coxæ, & cruris obtuſus fit ſenſus, & motus, qui ideo non ſemper idem eſt, imò torpor aliquando minor, quia materia comprimens cedit, & in ampliorem locum depellitur; quod contigiſſe & uertebris dorſi, quinta, ſexta, & ſeptimæ (nondum fortè, niſi pauca admodum, & tenuiori neruis impacta materia) cenſemus; prout defectum ſpirituum in eorundem principio, necnon actuationem in partibus omnino à caſu noſtro excludimus. Verùm quoniam copioſus fuit materiæ pituitoſæ prouentus; hinc eadem redundans ad inſtrumenta vocalia fluens, non modò aſperæ arteriæ inæqualitatem induxit, diuturna namque affectio eſt; verùm & laryngis muſculis eadem imbutis, imò tumefactis, vox iam ferè ex toto abolita fuit; quibus poſtea parumper exſiccatis, rauca tantummodò permanſit; ad quam raucedinem non parum concurrere & gurgulionis, plectri vocis, non mediocrem humectationem, pro certo habemus.

Qui ambo affectus non parui faciendi. Et quoad primum, licet leuis videatur, fuit tamen à Gal. dictus [b], modo *Leuis Paralyſis*; modo *Diſpoſitio quadam inter valetudinem, & abſolutam Paralyſin*, à Rhaſi vero, via ad Paralyſim. Ideo antequam imbuantur nerui, & inde paralyſis fiat, medicis auxilijs occurrendum; ſicut antequam pituitoſa materia in muſculis, ac ſtaphylie craſſeſcat magis, & firmetur, auxilia adhibenda, ne alioquin eadem craſſefacta, ac obdurata, non ſolùm vox deprauata permaneat; ſed cauſa non ablata, temporis tractu, & imminui, & aboleri poſſit. Neque nos terreat affectuum diuturnitas, & propria eorundem contumacia; iuuenis enim eſt Illuſtriſs. Patiens, & boni habitus, prudens, & ſanitatis cupidus, needum hucuſque validiora fuit expertus præſidia; neque contrariis implicamur indicationibus medicis; verùm iiſdem utrique affectui mederi poſſumus. b 2 de Sym Cau 2.

Primò itaque totum diligenter expurgandum. Secundò Caput. Tertiò euacuanda ſenſibiliter, & inſenſibiliter materia in partibus contenta. Quartò inhibenda noua materiæ regeneratio, capitis humidam intemperiem moderando. Et tandem affectæ partes roborandæ.

Sanguinis miſſio non parca ex oppoſito latere primò, mox ſecunda expurgatione etiam ex brachio lateris affecti neceſſaria erit; qui forſan, ſi craſſus ad nigredinem vergat, tertia quoque uice ex hæmorrhoidibus educendus. Tandem toto, & capite expurgatis, Celſo [c] placuerunt ſinapiſmi, partibus affectis vſque ad ruborem inhærentes; qui proptèrea ad ſpondylos ſiniſtros vertebrarum lumbalium, & dorſi apponi poterunt; ſicuti & frictiones linteis calidis, & cucurbitulæ ſiccæ, tum iiſdem partibus, tum & coxæ, & brachio adhiberi, ut faciliùs commota materia poſſit inunctionibus proponendis reſolui. Cauterium in brachio ſani lateris, niſi valdè abhorrerer Illuſtriſſimus Patiens, peropportunum quoque foret. c 3. de Re Med. 27.

Leniatur autem aluus Potione ex man. clariſ. aut lenit. & tart. Inde præparentur humores in uentriculo, & primis uijs ſtabulantes mel. roſ. ſimpl. & iulap. acet. ſine diluto; uel crem. tartari ad ℥ ß. cum duplo ſacchato fino, in pauco iure diſſoluto, per ſex dies. Mox purgans exhibeatur ex infuſ. agar. rhab. & ſennæ, addito melle roſ. ſolut. vel ex hiera picra, cum lenitiuo; his ſuperhauſta mulſæ lib. i. ſ. Repetatur verò præparatio decoct. cichor. borrag. beton. agrim. maioranæ, hyſſopi, ſaluiæ, liquirit. cum oxymel ſquillit. ſyr. de beton. & de iua. Mox præbeatur purgans ex ſuperiori infuſo, addito mel. roſ. ſol. & elect. diaphœnic. Poſt hæc ualdè profuturas cenſemus Aquas Tettucianas, de more ſumptas, cum uehiculo mel. roſ. ſolut. quatuor, aut quinque diebus, pro gutturis, aut gulæ, & ventriculi deterſione, ac exſiccatione; ut mox caput, & affectæ partes proprijs medicamentis expurgari

puigari

purgari poſſint. In quem finem conuenient pil. cochiæ, aureæ, & aggregat. quarto quoque die, tribus vicibus aſſumendæ; addendo poſt primum earum uſum pil. de hermodact. vel de nitro Alex. Interim matutino tempore expurgabitur caput, per nares potiſſimùm pulu. attracto ex maiorana, iride, & nigella; ſed & maſticare poterit fruſtulum, aut nucis moſchatæ, aut cinnam. aut cubeb. pro reſolutione materiæ, vocis inſtrumentis impactæ. Poterit quoque conferre gargariſma ex decoct. caulium, cum melle roſ. vel ex mulſa, cum crem. tart. & aliquando modico aceto ſcillit.

Et ut tutius topica partibus affectis adhiberi poſſint, quartæ intentioni ſatisfaciendum, decocto cum ſudore, quod parabitur ex Guaiaco, Viſco querc. Lentiſco, & momento ſaſſafras; cuius ſi metuatur caliditas, fiat inf. in aqua deſtil. endiu. & betonic. Sunt autem qui ſimul cum ipſo præbent bolum ex tereb. & iua; verùm nobis non placet, duos eodem tempore diuerſos excitare motus. Potius itaque formetur bolus ex pulu. cornu cer. viperino, & ſale iuæ arth. In ſudore perſiſtat 40. diebus; & interim frictiones ſpinæ, & parti affectæ, & cucurbitulæ ſiccæ adhibeantur, ut fiat inunctio non iniucunda, ex oleo de ſpica, cum momento olei de ſuccino albo. Sic Gargariſma ex decoct. eryſimi, hyſſopi, liquir. amygd. amar. pariter & linctus ex aqua roſ. cum ſpir. uitrioli, & ſyr. de ibiſco aliquando ex uſu eſſe poterit.

Et tandem reſoluta materia, ad ſolam uocis aſperitatem, ſapa cum pulu. ſacc. cand. prout gargariſ. ex emulſ. ſem. melon, amygd. dulc. in aqua hord. cum diapenidio ex vſu erit. Sic compoſitiones hypoglottides, ut pil. bechicæ, elect. mirabile de iuiubis Rulandi, iuiubæ conditæ, & ſucc. liquir. cōdenſatus opportuniſſima erunt. Peracto verò ſudore vtiliſſimum fore exiſtimamus uſum tereb. cum ſale iuæ arthrit. ſuperepoto iuſculo eadem alterato per menſem. Sicut quammaximè prodeſſe poterunt Balnea totius corporis, in aquis thermalibus ſulphureis, ut quæ partes duras, & neruoſas quoque peruadere, & exſiccare poſſint. Capiti verò ſi non ſtillicidium, lotiones ſaltem adhibeantur lixiuio dulci, ex cinere lauri, aut iuniperi parato, & ſaluia, betonica, roremar. ac lauendula alterato; aut ſaltem ſpongia in eodem madefacta, & poſtea exſiccata caput quotidie, poſt pectinationes cōſuetas abſtergatur. Pyrethri radix condita mane ſumpta ſtupidos, imò reſolutos iuuat, ſi Aetio, & Oribaſ. eredendum. Sic mane mithridatica confectio, & ſub ingreſſum lecti conſ. è flor. roriſmarini.

Victus ratio proportione iam dictis reſpondeat, quæ ab Excellentiſ. Viro Adſtante præſcribetur. Paretur vinum ad menſam ligno roriſmar. medicatum; & alacri, ac erecto animo Illuſtriſ. Dominus præſcriptam ineat purgationem, quam nos illi fauſtiſſimam à ſummo Medicinæ parente enixè precamur.

LXVI.

TORPOR, ET STVPOR.
Gonorrhœa, & Phimoſis.

VIdeo in exactiſſima enarratione Viri Excellentiſs. Illuſtriſsimū Patientem, morborum Iliade conflictatum, nimirum capitis deſtillationibus, brachiorum, & lumborum doloribus, flatulenta, & hypochondriaca affectione, antiqua Gonorrhœa, Phimoſi ferè perfecta; & quod peius, Lue gallica confirmata; & crurum imbecillitate, cum annexo ſtupore.

A poſtremis autem, tanquam grauioribus exordiar. Quartus igitur iam excurrit annus, quo Vir Nobiliſs. gallico infectus eſt tabo, cui nec Alexipharmaca propria adhibita fuere. Interim natura gonorrhçæ, vt ita dicam, beneficio totum corpus ab euidentibus alijs eiuſdem luis affectibus præſeruauit, præterquam à phimoſi; quæ ab acti Venereæ gonorrhçæ materia ſuper glandem hærente facta excoriatione, eaque forſan neglecta, calloſitates contraxit, à quibus ortum habuit. Quoniam verò ab eadem lue uiſcera omnia labefactantur, intemperies augentur, coctiones vitiantur, & excrementa coaceruantur, hinc catarrhalis à capite deſtillatio, à

venoſo

venoſo quoque genere cruditatibus ſcatente ſomitem ſuſcipiens, non parum adaucta eſt; quæ in ſpinam decumbens per parietes, vel muſculorum ſpatia, brachiorum, & lumborum dolores excitauit; per internam verò partem in neruos, non circa occipitium, namque totum [a] ſtatim corpus torpuiſſet, ſed ad lumbales, & poſtremas ſpinæ vertebras ſeſe inſinuans, eoſdem paulatim denſos, & laxos reddidit, atq; adeò ſpirituum animalium influxum, aliqua ſaltē parte, intercepit, & in cruribus ſenſum ſtupidum, ipſumq; motum torpidū, atq; debilem reddidit; quod eò facilius fieri potuit, cùm pituiroſæ materiæ, ſeroſitates [b] quoque acidas, atque melancholicas (hypochondriacus enim eſt Illuſtriſs. Patiens) adiungi credendum ſit, neruoſæ, & denſæ ſubſtantiæ penetrationi non parum conferentes; & præterea quia neruorum, potiſſimum infernarum partium imbecillitas, ab immodico Veneris uſu, temporis proceſſu tandem inducta fuit. Verùm quoniam flatulentam affectionem, hypochondriacam ſcil. præſentem ſupponimus, ob flatus modò erumpentes, modò ſuppreſſos, necnon tenſiones iliorum cum dolore; ideo obſtructiones quoque neceſſariò ſtatuendæ, in Meſenterio potiſſimum à crudis humoribus, ex imbecillitate ventriculi, gelidis potibus, & nimia Venere contracta, productis; qui diutius in venis, tum Lacteis, tum Meſentericis ſtabulantes à calore viſcerum circumiacentium exſiccati, obſtructiones ſiccas, terreas, atque melancholicas effecerunt, à quibus exhalationes difficilis reſolutionis ſæpiſſimè eleuantur, quæ proinde huc, & illuc per totum abdomen peruagantes, tenſiuos dolores frequenter excitare ſunt aptę.

a 1. de Symp. Cau. 5.

b Auic. & Trall.

Status itaque Illuſtriſs. Pat. diuturnam, & repetitam curationem exigit, ut ſalubriter degat: Gallicus enim affectus confirmatus debellandus; nec ullus neruorum affectus leuis habetur; vnde à Gal. [c] Stupor, & Torpor, quandoq; leuis quædam Paralyſis; quandoque diſpoſitio quædam inter valetudinem, & abſolutam paralyſin nuncupari ſolet, atque à Rhaſi, via ad paralyſin dicitur, Ideo, ne vlterius progrediatur, curandus; cuius licet difficilis ſupponatur curatio, ob varias quoque cauſas fouentes; attamen, cùm Pat. ætate virili vigeat adhucnum, ſi in viuendi ratione continens, & Medici præceptis obſequens fuerit, ſalutem ſperare, atque conſequi poterit.

c 2. de Sympt. Cau. 2.

In quem finem primò totum purgandum. Secundò Caput. Tertiò Gallicus extirpandus. Quartò diſcutienda materia neruis infarcta. Quintò Caput exſiccandum, ne nouus eiuſdem fiat prouentus. Et tandem neruoſum genus roborandum, habita hypochondriaci affectus ratione aperientibus, & diſcutientibus, ſed moderatis. Quibus intentionibus, hoc Verno tempore omnino ſatisfieri poſſe ſperandum non eſt, niſi ab Exc. Viro, totius, & capitis expurgatio hactenus tentata foret.

In fonte Chirurgico Sanguinis miſſio à Torpore non quidem indicatur, niſi ut cauſa fouens, & ad explorandam gallicæ luis intenſionem, necnon ad eiuſdem curationem. Aperiatur itaque primò iecoraria dextera; ſecundo loco hæmorrhoides. Cauterium in brachio foueatur, nec aliud infernis partibus inuratur. Phimoſis verò, vnica, & facilis eſt, per ſectionem curatio. Neque ſpinæ inunctiones propoſitæ omittendæ, quæ tamen non admodum oleoſæ ſint, quia meatus infarciunt, & laxant, niſi portio ſpiritus Vini iiſdem addatur; vel ante inunctionem totius ſpinæ, ſquilla recenter per medium diſſecta, frictiones fiant, ad faciliorem medicamentorum penetrationem. Sic partibus ipſis affectis, eędem denique, & cucurbitulæ [d] ſiccæ adhibendæ, ut calor neruorum, & muſculorum viuificetur, & nonnihil materiæ impactæ attenuetur, ac reſoluatur.

d Celſus.

In Pharmaceutico, omnium primò Ventriculus, & primæ uię mundandę, Potione ex manna clarif. aut Lenit. cum Tart. & modica hiera; mox preparentur humores Iulap. acet. ſyr. de cort. Citri, mel. roſ. an. ℥ j. per quinque dies, ſine diluto; & expurgatio ſequatur mel. roſ. ſol. ſyr. roſ. ſol. & manna clarif. quibus noua pręparatio ſuccedat, ſuccis potius depur. quàm ſyr. dulcibus hypochondria, & uiſcera inflantibus. Sint itaque ſucci cich. agrim. & beton. depur. in decoct. cich. borrag. meliſſ. beton. Stęch. herbæ paralyſis, & chamęp. & ſeptem, aut octo poſt diebus, humores expurgentur Elect. lenit. Diaphęn. & Hiera; vel inſuſ. Agar. Rhab. Sennę, additis mel. roſ. & Manna.

Poſt hęc Aquæ Tettucianę omnino ſubſcribo, tribus diebus aſſumendę; ut tandem totius, & capitis perficiatur purgatio, Pilulis aggreg. & Coch. cum helleb. & maſtich. duabus, vel tribus uicibus exhibendis, ſuperepota aqua hordei, aut eiuſdem iuſculo, ad euitandam hypochondriorum exſiccationem. Atque interim leuioribus Caputpurgijs utendum, ut pulu. maior. Ireos, & Nigel. an. pro Errhino; ſicut pro maſtic. ex pulu. gingiberis, aut pyrethri.

Quibus

Digitized by Google

Quibus ritè peractis, ad Gallicum expugnandum, intemperies auferendas, & materiam neruis, ac muſculis concluſam, ſenſibiliter, & inſenſibiliter diſcutiendam erit deueniendum; quod ſudoribus in hypocauſto excitatis præſtari quidem deberet, præmiſſo decocto ex ſalſa, Guaiaco, Viſco quercino, & momento ſaſſafras parato, cum bolo, non quidem diuretico, ſed diaphoretico, ex pulu. Viperino, & ſale Iuæ, toto enim omnino, & capite potiſſimum, neceſſariò ſudare opus eſt.

Verùm quoniam tunc temporis, æſtatis feruor, & ſudoris, & decocti uſum facilè non admittet; ideò illi ſubſtitui poterit Aqua noſtra magiſtralis, Patauij parata, ex infuſione ſalſæ, Viſci querc. ſantal. lapidis pumicis, & Antim. crudi, quæ mirum in modum totius corporis excrementitias humiditates exſiccat, & gallico aduerſatur; quam aſſumat ſine tenui victu, & abſque cuſtodia domi; cui præmitti poterit bolus ex Tereb. cum ſale Iuæ. Conuenientiſſimum præterea erit balneum propoſitum in aquis ſulphureis; prout, ſi tempus permiſiſſet, aptiſſimæ fuiſſent ſudationes in foueis ſulphureis; ſulphur enim ſubtiliſſimas partes obtinet, quibus neruoſam denſam ſubſtantiā peruadere poteſt. Thermæ autem ſint, ſi non Aponenſes, Montis ſaltem Falconis, quarum minera & ſulphurea, & ſalgemmea eſt, validè exſiccans; verùm ne calore, & exſiccatione hypochondrijs officiant, illinatur abdomen Vng. roſ. Meſ. ante ingreſſum balnei. Et quoniam balnea ſulphurea attenuant quidem, & reſoluunt humores, at non valdè tamen roborant; ideo futuro Autumno, locum habebunt inſeſſus in muſto; & tandem Vinacea ipſa.

Hæc verò ab anni tempore permitti poſſunt, addito uſu alicuius conſeruæ à cibo, ut flor. beton. aut roriſmar. ant abſint. cum congrua victus ratione; quam ſicut cætera omnia, prudentiſſimæ directioni ſapientis Viri committo, ut finem à nobis optatum conſequi poſſint.

LXVII.

CATARRHALIS DESTILLATIO.

a 6. Aph. 2.

b 1. de Sanit. Tu. 8.

c de Glād. 8.

QVoniam [a], *Quibus nares natura humidiores ſunt, integra ſanitate frui minimè poſſunt*; ideo Nob. hic Adoleſcens, qui humidiſſimam capitis intemperiem, frigiditati potius, quàm caliditati coniunctam à natura ſortitus eſt, variis tentatur in præſens, & in poſterum multis aliis obnoxius eſt futurus affectibus, *Catarrhus,*[b] *enim omnium morborum fons, & ſoboles eſſe ſolet, cuius vi totum corpus languere* dicit Gal. quod habet & Hipp. dicens, quod [c], *Magno tædio, atque moleſtia naturam frangit*. Vnde mirum non eſt, ſi in quibuſdam quandoque dolores quaquauerſum toto corpore exeitentur, dum per inania ſpatia decurrens materia ad varias corporis partes, & diſtenſione partim, partimque compreſſione continuum ſoluens, dolores excitat, qui temporis ſpatio articulares quoque facilè euadunt, materia eadem ad articulos decumbente;

d 6. Aph. Com. 2.

e 1. per Gen. 4.

f 3. de ſym. Cau. 4.

quæ ex eodem Gal. [d] mala grauiora poſſet parere, ad gulam, aſperam arteriā, & pulmones delabens; à quibus affectionibus nec immunem eſſe præfatum Nob. Adoleſcentem cenſemus, cuius caput ſummè humida, atque frigida intempèrie affectum, valdè proinde imbecille, excrementi pituitoſi ferax, ad inſtar ventriculi malè concoquentis, & diarrhœa [f] laborantis, catarrhalem humiditatem deponit, ſiue præcipitat ad oeſophagum, & ventriculum, ac primas coctiones turbat, & vitiat, vnde cruditates, quarum non exigua portio per ſputum excernitur, maiori ad iecur tranſmiſſa; quæ à feruidiori eiuſdem intemperie non ex toto ſuperatæ, atque elaboratæ, in ſanguinem improbum, & impurum faceſſunt, à quo vix, nec niſi imminutè, atque deprauatè totum corpus nutriri poteſt; hinc eiuſdem

g 2. de diff. Feb. 11.

gracilitas, & pallor. Sed præterea & à toto [g] venoſo genere crudi ſucci capiti ipſi ſuggeruntur, quod proinde non idiopathicè tantùm; verùm & ſympathicè afficitur.

Vt igitur à præſentibus malis vindicari, & ab imminentibus præſeruari poſſit Nob. Adoleſcens, eradicatiua eſt ineunda curatio, hoc verno tempore. Et licet naturales intemperies contemperari minimè poſſe videantur; attamen quin valdè ſaltem remittantur, mini-

mè

mè dubitamus; cùm ætate inualeſcente, calor temperamenti validior redditus humiditates abſumere, imò & eandem humidam intemperiem, aliqua ſaltem parte, corrigere potis ſit.

Expiatis itaque primis viis, & à leuibus obſtructionibus expeditis, uenoſum genus purgandum, atque purificandum fuerit. Purgandum pariter capur. Et humida, atque frigida eiuſdem intemperies corrigenda; ventriculoque aliquod robur addendum.

Quibus intentionibus vt ſatisfaciamus, ex Chirurgico fonte aliqua ſanguinis miſſio neceſſariò eſt depromenda, ad calorem iecoris contemperandum, & ſanguinem depurandum, eaque ex iecoraria dextera. Cauterium, ſi geſter in brachio, conſeruandum; ſin minus, hoc tempore omittendum, cùm mali ſontem tollere, atque exſiccare intendamus.

Ex Pharmacia reliqua medica auxilia deſumenda; atque primi lenientis loco prębeatur Pot. ex manna clarif. ſicut primum præparans ſit iulap. acet. cort. cit. alter. ad vnc. iii. cum drach. iii. crem. tart. ad materiæ catarrhalis, & crudæ ventriculo adhęreſcentis inciſionem, & deterſionem; inde quinque, aut ſex poſt diebus, exhibenda pot. iam dicta ex manna clarif. infuſioni conſuetæ addendo agar. rhab. & cinnam. integr. cui ſuperbibat aq. hordeac. uel mulſam dilutam, ex aqua hord. ad ℔ i. ſ. incępta tamen à medicamento euacuatione.

Quoniam verò vix fieri poſſet, quin aliquæ, in meſenterio ſaltem, obſtructiones ſe prodant; ideo in ſecunda præparatione, aliqua quoque aperientia veniunt adminiſtranda; in quam rem oxymel.ſimpl. ad ℥ ii. miſceantur gr. x. tart. vitriol. quibus addatur decoc. cich. borrag. end. agrim. cuſcutæ, lupul. in cuius præparantis uſu ſeptem diebus perſiſtat; mox ſequatur præparatorum humorum expurgatio infuſ. agar. rhab. ſennæ, additis ſyr. & mel.roſ.ſolut. à quibus pariter bibat aquam hord. ſaccharatam. Poſthæc totius uenoſi generis depurationi diutius quidem eſſet inſiſtendum; verùm quoniam urget temporis anguſtia, decocto cum ſudore aſſumendo, imminente æſtate; ideo eodem tempore capitis, & totius expurgationem tentare poſſumus. Sequentibus igitur duobus diebus præbeantur ſucci cich. & beton. depur. ad ℥ ii. in decoct. cich. borrag. beton. ſaluiæ, maioranæ, ſtęchados, atque ſequenti die pil. huiuſmodi. ℞. pil. aggreg. cochiar. præp. an. drach. ſ. maſtic. ℈ i. ſucci beton. q. ſ. m. ref. pil. & aur. aſſumendæ ſummo mane; & tribus poſt horis hauriat ius malua, vel hord. alteratum, atque duabus horis ab eodem aſſumpto, prandeat; quæ duabus aliis vicibus, quarto quoque die repetantur, diebus intermediis iam præſcriptis ſuccis exhibitis, quo tempore more tabaci, poſt pectinationem, capitis expurgatio tentanda errhino ex pulu. maioranæ, ireos, & nigellæ parato.

Quibus peractis, ſtatim decoctum inſtituatur cum ſudore in hypocauſto, detonſis prius capillis, ut caput, mali fons commodius ſudare, detergeri, & exſiccari poſſit. Primis autem diebus, non diù in hypocauſto moretur, ſed potius in lecto ſuder; prout procedente eiuſdem uſu, vſque ad horæ dimidium, nec diutius. Decoctum autem ita parari poterit. ℞. ligni viſci querc. veri ℥ i. chinæ opt. lentiſci è Chio, ſalſæ electæ an. ℥ ſ. aq. ſtillat. cich. ℔ i. beton. ℔ i. ſ. m. f. inf. per hor. 24. deinde bul. ad conſumpt. dimidij, & colat. ſeruetur pro duabus vicibus, ſummo mane, hora vna ante ſudorem, aſſumenda, & qualiber vice iniiciatur gutt. v. quintæ eſſentiæ roriſmarini. Reſiduo autem addatur aq. fontanæ ℔ x. & bul. ad conſumpt. tertiæ, additis ſub finem cinnam. integri ʒ ii. ad ſuauitatem conciliandam; & colat. addatur ſacch. fin. ad libitum, pro potu conſueto. Singula autem hebdomada, aſſumat pot. clarif. aut ſyr. roſ. ſolut. ad ſeroſitates educendas. Victus hoc tempore non ſit adeò tenuis; ſed tertio, aut quarto quoque die concedatur columba turricola aſſa; vel pullus iunior; nonnunquam etiam ptiſana hordeacea; comedat verò reliquo tempore, cum pane biſcocto, paſſulas, & pineos nucleos, non autem amygdalas, tanquam caput nimis replentes. Perſiſtat verò in decocti, & ſudoris uſu, ad menſem ſaltem, ſi non ad dies quadraginta, ob anni temporis feruorem; mox in uſum ducat conſeruas capitales à prandio, & à cœna aſſumendas, nonnunquam è floribus beton. aliquando ex floribus roriſmarini, & caput quotidie inſpergat puluere ex oſſibus vſtis ſepiarum, radice iridis, cornu Ceruino, & maiorana parato; atque poſt pectinationem, caput abſtergat ſpongia prius madefacta decoct. agar. ſaluiæ, maioranæ, roris marini, ſtœchados in vino albo, & expreſſa, atque in vmbra exſiccata.

Hiſque omnibus congruam addat viuendi rationem, caput ab iniuriis externis, & aeris inclementia muniendo. Abſtineat omnino ab omnibus quibuſcunque lactarijs, à lactuca, à valdè vaporoſis omnibus, à cæpis, allio, in condimentis, à vinis generoſis. Vitet ſom-

num diurnum, ſed noctu diuturniori paulò indulgeat. Exercitium ieiuno ventriculo conueniet maximè; quod tamen à cibo noxium. Aluum lubricam ſeruet aliqua pil. maſtichina, & ſtudiis moderatè incumbat, at nunquam ventriculo repleto. Hæcque in præſenti caſu hac temporis anguſtia propoſita abundè fuerint.

LXVIII.

CATARRHALIS DESTILLATIO.

NOb. Adoleſcens, 24. annum agens, temperamenti ſecundum totum, & potiſſimùm ſecundum caput, calidi & humidi, calidioris hepatis, mediocris habitus, & coloris ſubpallidi, liberius in aere ſubtiliſſimo degens; tribus abhinc annis copioſam pati cępit à capite deſtillationem in ſubiectas partes, tum naturales, tum ſpiritales; tuſſi namque continua moleſtatur, cum excretione catarrhalis materiæ craſſæ, & viſcidæ, modo flaui, modò viridis coloris, quæ tamen nec ſalſa, nec fœtens eſt, neque per nares ſatis expurgatur; cùm earum meatus à materię craſſitie ferè obſtruantur. Præterea rugitus, atque tenſionem in hypochondrio ſiniſtro frequentiſſimè percipit. Parentes, ac conſanguineos, copioſis, atque moleſtis deſtillationibus ad pectus obnoxios habuit; non tamen phthiſi peremptos, aut podagra afflictos. Modò de agendis conſulit, ut deſtillatio, ſi non omnino debelletur, ſaltem imminuatur.

Copioſã, viſcidã, atq; craſſã materiæ catarrhalis à capite deſtillationem, & per tuſſim excretionem, qua præſertim tribus abhinc annis diuexatur Nob. hic Adoleſc. ab ętate valdè alienã, altas, tum naturales, tum acquiſitas habere radices certò credendum, adeò ut non modò caput ipſius impensè humidum; verùm & totum venoſum genus, ad productionem adeò copioſę materiæ concurrere, ſit neceſſariò ſtatuendum. Caput enim intemperie calida, & humida à naturæ primordijs affectum, non confecto proprio alimento, ob concoctricis facultatis imbecillitatem, crudam, & excrementitiam humiditatem quotidie gignit, a 1. per Gen. 4. quam debilitata [a] retentrix in ſubiectas partes dimittit; vnde coctiones in ventriculo turbantur, cruditates generantur, maſſam ſanguineam inficientes. Has autem à iecore præcalido vnà cum ſanguine exaſſatas, partim ad Lienem natura tranſmittit, quibus repletus, & tumens, halitus ab ijſdem expirat, vnde rugitus; & tandem affectio hypochondriaca, b 2. de Diff. Feb. 11. citra tamen melancholiam producitur; partim verò per venoſum [b] genus ad caput eleuat, vbi crudos humores congerens deſtillationem perpetuò fouet, atque auget; quæ à calore quidem ætatis craſſa, & colorata effici poteſt, prout ſalſa quoque, & corrupta fieret, ſi caliditate æquè, ac humiditate excelleret intemperies ipſa.

Quibus ita ſe habentibus, ſumma prudentia medicam opem implorat Nob. Pat. cùm c 1. de San. Tuen. 8. catarrhus omnium malorum fons [c], & origo eſſe poſſit; cuius ui totum corpus languere d de Gland. 8. dicebat Gal. deſumptum forſan ab Hipp. aſſerente, [d] *Deſtillationes magno tædio, atque moleſtia naturam frangere*; quæ ideo in caſu noſtro coctiones labefactant, ſanguinem impurum reddunt, vitiant nutritionem, & vniuerſi corpori, pro roſeo, pallidum colorem inducunt, nõ ſine ſalſedinis metu, temporis ſpatio tẽperamenti totius calore adaucto, quam facilis ſequitur vaſorum in pulmonibus diæreſis; vnde hæmopthiſis, & phthiſis; vel ex perenni humiditate in iiſdem flacciditas, ac tandem fraciditas, & phthiſis ipſa ſecunda; aut ex eadem in bronchijs hærente, aſthma, & orthopnœa, atque ad articulos decumbente podagrici dolores; ut propterea cum Gal. concludendum ſit, ut diximus, catarrhum omnium morborum originem eſſe poſſe.

Vt igitur à præſenti moleſtia luculenter leuetur Pat. & ab imminentibus præſeruetur, curatio eradicans inſtituenda; quæ perficietur, primas vias mundando. Secundò uiſcerum, & lienis potiſſimum obſtructiones aperiendo, Tertiò ueuoſum genus purificando, & à cruditatibus uindicando. Quartò caput, & pectus expurgando. Quintò eiuſdem intemperiem humidam corrigendo. Sextò iecoris calorem contemperando. Et tandem caput, & uiſcera roborando.

Et à

Et à fonte Chirurgico omnium primò deſumenda repetita ſanguinis miſſio, ex interna vtriuſque brachij. Cauteria omittimus, vtpote ætate florentibus odioſa; & quoniam non diuerſionem, ſed catarrhi extirpationem moliti intendimus.

A Pharmaceutico fonte primò deſumenda primas vias emundantia; quæ eſſe poterunt potio ex manna clarif. deinde mel. roſ. ſimpl. cum iulap. acet. ad ℥ iii. per quinque dies; mox repetita eadem potione, & addito melle roſ. ſolut. Secundò aperiendæ obſtructiones ſuccis deput. hac ratione. ℞. ſucci depur. cich. agrim. fumar. an. ℥ i. decoct. cich. borrag. beton. meliſſæ, ſcolopend. tamariſci ℥ v. m. pro ſyr. & ſic pro aliis ſeptem. Inde purgentur humores præparati infuſ. agarici, rhab. & ſennæ; additis ſyr. & melle roſ. ſolut.

Pro tertia, & quarta implenda intentione, pilulæ huiuſmodi conuenire poterunt. ℞. pil. aggreg. cochiar. an. ʒ ſ. de agar. Meſ. aurear. an. ℈ i. m. ref. pil. & aur. pro vna vice, quæ ter repetendæ, quarto quoque die; diebus autem intermedijs, ſumantur ſucci depur. cich. beton. & fumar. ad ℥ iii. cum iam præſcripta decoctione. Interim errhinis caput quoque erit purgandum, ex pulu. maior. ireos, & nigellæ paratis; ſed mane tantùm, ieiuno ventriculo. Ita pariter expectoranda materia oxymel. ireato.

Atque ita toto cum capite expurgatis, capitis eiuſdem intemperies humida erit auferenda; in quem finem neceſſarius omnino nobis videtur ſudor in hypocauſto, præmiſſo decocto hoc modo parato. ℞. viſci quercini veri, guaiac. pinguis, & rec. ſalſæ electæ, lentiſci è Chio, ligni tamariſci an. ℥ i. aq. ſtillat. cich. beton. an. ℔ ii. m. fiat inf. per horas 24. deinde bull. ad conſumptionem dimidii, & colat. ſeruetur pro tribus diebus, matutino tempore, hora vna ante ingreſſum hypocauſti aſſumenda; quod ſi ſudor non adeò facile, & promptè erumpat, præſcribatur bol. ex ℈ i. extr. ſalſæ, & ℈ ſ. pulu. viper. Pro potu verò conſueto, paretur ita aqua ſecunda. ℞. reſiduum, aq. com. ℔ xii. m. bull. ad conſumpt. tertiæ; ſub finem ebull. additis cinnam. integri ʒ ii. bul. par. & in colat. adhuc feruenti diſſoluantur ſacchari fini ℥ iiij. Procuretur autem ſudor 40. diebus, & decimo quoq; die præbeatur potio ex manna clarif. & victus ratio ſit attenuans, non tamen adeò tenuis, ſed quæ ſemper dimidia parte à conſueto declinet.

Iam dictis tranſactis diebus, & peracto ſudore, iecori, & ſanguini aliqua refrigeratio erit concilianda aq. deſtill. de ſucco cich. ad cyathum, quolibet mane, cum conſerua de acido citri, vel ſyr. de ſucco limon. præmiſſa roſar. conſerua, idque quindecim, aut viginti diebus, quatuor ſaltem horis ante cibum. Et interim paretur vinum medicatum ad menſam ligno roriſmarini, lentiſco, & ſantalo rubro, ad ℥ iij. pro qualibet ſitula, quo toto hyemali tempore vtatur. Et pro capitis roboratione in vſum ducatur, ſub ingreſſum lecti, conſerua modò roriſmarini; modò è floribus beton. quarum conſuetus ſit uſus.

Et iam dictis congrua addatur victus ratio; & prȩter cȩtera, caueat ab aere nocturno, & quam maximè à crepuſculis: abſtineat omnino à lactariis omnibus, lactuca, apio, fœniculo, condimento allij, & cæparum, & à leguminibus, ac raro vtatur cibariis ex paſta paratis, rariſſimè verò piſcibus ſquamis carentibus, ut anguilla, tinca, & huiuſmodi aliis; Vitet uina generoſiora, & compotationes, potiſſimum inter prandium & cœnam; necnon comeſſationes, ne cruditates congerantur. Somnus ſit nocturnus, & ſi diurnus, capite eleuato. Exercitia conueniunt, ſed ieiuno ventriculo. Parca ſit Venus. Et aluus lubrica ſeruetur, ac alacriter uiuat. Quibus cautè adminiſtratis Nobil. Adoleſcenti leuamen inſigne ominamur.

LXIX.

CATARRHALIS DESTILLATIO.

NObiliſs. Iuuenis Veſtalis 20 annorum, temperamenti ſecundum totum ad frigidum, & humidum; ſecundum verò caput ad calidum, & humidum vergentis, ventriculi frigidioris, & humidioris, ſex abhinc menſibus affligi cepit deſtillatione catarrhalis materiæ crudæ, & inſipidæ, atq; in præſens, ſalſæ, ad fauces, thoracem, aliaſque corporis partes, cum tuſſi moleſta, ſiti, inappetentia, febricula inconſtanti, & inordinata, nocturnis vigilijs, ſomnis inquietis, demum auditu graui. Quæ tamen menſtruis purgationibus conſuetis rectè procedentibus patitur.

Nemo in Arte vèl mediocriter verſatus non videt, quod Sacra hæc Virgo Nobiliſſima ſalſa deſtillatione laborans, caput habeat eſſentialiter affectum, à quo omnia mala eandem affligentia deriuentur, tum quia eius temperamenrum calidum, & humidum, ideoque deſtillationibus obnoxium, tum quia ſenſorium læſum habet, ſurdaſtra enim utraque aure facta eſt; capiti tamen materiam quoque per totum venoſum genus [a] ſubminiſtrari credendum, ob temperamentum totius frigidum, & humidum; quod proinde duplici nomine erit læſum, eſſentialiter ſcilicet, & per conſenſum; vnde non mirum, ſi copioſa inde ſuboriatur in varias corporis partes deſtillatio, quæ omnium morborum fons, [b] & origo eſſe poteſt, vt dicebat Gal. & magno tædio, [c] atque moleſtia naturam humanam frangit; quanquam admiratione non careat, qua ratione hoc temperamento totius frigido, & humido, capite irē calido, & humido, ventriculo frigido, & humido, ſalſa deſtillatio, ſitis immoderata, vigiliæ, & ſomni inquieti adeſſe poſſint. Vt propterea nobis conijcere liceat, iecoris caliditatem in Nob. Virgine vigere, quæ & ventriculo ſicciratem aliquam aſcititiam inducere poſſit, & bilioſos ichores producere, ex quorū cū pituita permiſtione [d] ſalſedo fiat; cùm de corruptis, & coloratis ſputis nulla fuerit facta mentio; ſimulque ab eodem viſcere, & forſan ab hypochondrijs quoque calidas euaporationes caput petentes, vigilias, & ſomnos inquietos Patienti eidem inuehere. Copioſa autem catarrhalis materia, non tota à capite in ſubiectas partes decubuir; ſed eius portio in eodem hærens, & ad meatum auditorium tranſmiſſa, aut obſtructione, aut nimia madefactione ſurditatem induxir; cuius maxima portio ad partes tum naturales, tum ſpiritales præcipitata, in naturalibus putreſcens, febrem putridam quidem, non tamen humoralem, [e] ſed catarrhalem produxit, eamque intermittentem, & inordinatam, utpote quam nonniſi ſufficiens à capite catarrhalis materiæ deſtillatio excitet, qua diſſoluta, ac conſumpta, febris ceſſat; interim tamen ventriculum permeare neceſſe eſt, vnde nauſea; minor autem eiuſdem materiæ pars irruens in aſperam arteriam, atque pulmones, tuſſim moleſtam neceſſario concirat.

a 2. de Diff. Feb. 11.
b 1. de San. Tuen. 8
c de Gland. 8.
d Auic.
e 2. de Nat. Facul. Vit.

Statns huius Patientis eſt periculi plenus; cùm [f] *Deſtillationes in pulmones vitæ aduerſariſſimæ*, ab Hipp. à Gal. *malignæ*; à Celſo [g] *peſtifera* dictæ fuerint; Phtyſin enim inducere ſolent, & potiſſimum in hac noſtra Nob. Virgine periculum imminet, cùm conſanguineos phtyſi peremptos habuerit; difficilior quinetiam redditur ſanatio, capite duplici nomine, tum eſſentialirer, tum per conſenſum affecto. Surdiras quoque non leuem difficultatem ex ſe habet; magnum enim à ſtatu naturali receſſum ſignificat; prout ſanationem difficiliorem reddit anni tempus, æſtati proximum, quo accommodata prohibentur adminiſtranda remedia. Nihilominus ſalus deſperanda non eſt, cùm iuuenis ſit, & menſtruis conſuetis purgationibus gaudeat; ſed curatio tentanda, ſuo poſtea loco, & tempore perficienda.

f 6. Epid. & 2. Progn. 49.
g 4. de Re Med. 4.

Primò itaque ventriculi, & primarum viarum expiatio eſt procuranda. Secundò uenoſum genus expurgandum. Terriò ipſum caput. Quartò deſtillatio à pulmonibus diuertenda. Quintò capitis intemperies humida corrigenda. Et tandem pulmones exſiccandi, & materia in auribus pro virili reſoluenda. Quibus intentionibus ſatisfaciendum remedijs Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diætericis.

Et ex Chirurgico fonte primò depromenda patca ſanguinis miſſio ex iecoraria dextera,

Secun-

Secundò Cauterium in ſiniſtro brachio, nullo modo omittendum. Tertiò frictiones quotidianæ à nucha per dorſum, vſque ad crura, & pedes non negligendæ matutinis horis; ſicuti veſpertinis, ante cœnam lotiones pedum aqua calente.

Ex Pharmaceutico verò deſumenda Lenientia, Præparantia, totum Purgantia, Euacuantia caput, Intemperiem eiuſdem Corrigentia; & tandem Expectorantia, & aures Exſiccantia.

Leniens eſſe poterit Potio ex Manna clarif. uel Caſſia cum Lenit. & Tart. Primum præparans ſuauius hoc erit. ℞. Iulap. acet. ℥ iij. Tenuiſs. Crem. Tart. ʒ iij. aquæ Cinnam. ℥ ſ. m. pro ſyr. & ſic pro quatuor alijs. Inde ſequatur humorum euacuatio præſcripro medicamento; & vlterior ſuccedat præparatio, præbendo Oxymel. ſimp. ℥ ii. cui ſuperbibat huiuſmodi Potionem. ℞. Succi depur. Borrag. Beton. Pomor. dulcium an. ℥ i. Decoct. cichor. borrag. endiu. meliſſæ, beton. flor. Citri ℥ v. m. pro ſyr. & ſic pro alijs ſeptem. Inde præparati humores expurgentur infuſione Agarici, Rhab. & Sennæ, addito ſyr. & melle roſ. ſol. uel Potione ex Manna clarif. addendo Agaric. & Rhab. infuſ. conſuetæ; uel Electuar. lenit. cum Diaphœn. à quibus bibat Patiens mulſam dilutam ex aqua maluarum paratam, vel aquam hordeaceam ad ℔ ii.

Purgato toto, & caput erit expurgandum his Pilulis. ℞. Pilul. Cochiar. Aurear. Aggreg. an. ʒ ſ. m. ref. pilulæ, & aur. & hora poſt bibat aquam hordeaceam, vel Nocerianam ad ℔ i. ſ. quatuor verò horis ab aſſumpta aqua, prandeat. Eędem verò pilulæ, quarto quoque die ter repeti debent, & diebus intermedijs præbendi ſucci iam dicti, in decoctione pręſcripra. Interim mane Errhinis modò, modò Maſticatoriis capitis expurgatio adiuuanda; Errhinum verò paretur ex pulu. Maioranæ, Ireos, & Nigellæ; licet maſticatoria auribus magis conferre poſſint, ex Maſtiche, Gingibere, Pyrethro, & Fœniculo, cum Cera parata.

Hoc tempore caput exſiccandum quidem foret decocto aliquo cum ſudore; verùm quia æſtatis calor vetare id poterit; ideo confugiendum erit ad aliquod aliud in iure paratum, quod exſiccandi quidem, ſed parum calefaciendi facultate polleat; quale hoc eſſe poterit. ℞. Ligni Lentiſci è Chio, Ligni roriſmar. an. ℥ i. Ligni Buxi, Santal. albor, Radic. Roſar. Damaſcen. an. ℥ ſ. Aquæ deſtillatæ Cichor. ℔ ij. Violar. Beton. an. ℔ i. m. f. inf. per horas xxiiij. deinde illi adde quartam partem Pulli iunioris, & bulliant ad conſumpt. dimidij; factaque colatura feruetur pro tribus diebus, matutinis horis aſſumenda; cui præmittatur puluis viperinus ad gr. xv. aut xx. quotidie; valdè enim exſiccat, citra inſignem caliditatem, præter eiuſdem uim quandam balſamicam uentriculo accommodatam; in cuius uſu perſiſtat ad 30. dies, uel 40. Quo tempore, mane potiſſimum, ante decocti uſum, materia catarrhalis expectoranda, uel Iulap. acet. cum ſyr. de Ibiſco, niſi adeò craſſa fuerit, quo caſu oxymel. ſimp. cum aqua farfarę ex uſu erit; ſub noctem verò intercipientia conuenient, quę ſalſedinem quoque contemperare poſſint, quale eſt diapenidium, diatragacanthum frigidum cum bolo, ore in ſomno detinenda. Pariter auribus medicamenta erunt infundenda, & quidem ſelectiora, ut. ℞. Cępam integram, excauetur, deinde oleo Amygdal. amar. & puluere Cymini impleatur, ad ignem mox decoquatur, & fiat fortis omnium expreſſio; tum goſſypium in turundæ formam, eadem madefactum in aures inſinuetur; uel ℞. Pomum colocynthidis excauatum, quod impleatur ſucco raphani, & felle Capræ, mox ad ignem cinerum decoquatur, & pariter fortiter exprimatur, & in uſum, ut ſupra, ducatur. His peractis, Conſeruę caput roborantes erunt uſurpandę, nimirum è floribus Betonicę, floribus roriſmar. Roſar. ſub ingreſſum lecti ſumendę. Ventriculus quoque roborandus, atque à prandio ſtatim duo, aut tria integra grana maſtiches quotidie deuoranda; vel pilula ex ℈ i. ſucci Abſinthij cond. deglutienda.

Quibus omnibus congrua victus ratio erit addenda, uitando Lactaria omnia, Lactucam, Legumina, condimenta cęparum, allij, apium, fęniculum, vina generoſa; Vinum verò paretur medicatum Lentiſco, Santalo rubro, & Ligno Roriſmar. an. ℥ i. pro qualibet ſitula. Somnus ſolicitetur ſola quiete, non autem medicamentis, aut vaporoſis alimentis. Corpus moueat, & ieiuno ventriculo exerceat, atque bis, aut ter per menſem vtatur ſemper pilulis Maſtichinis ad ʒ i. A cibo abſtineat à lectionibus, & meditationibus, & alacri animo uiuat. Quę omnia D. O. M. ſalutaria reddat.

D E-

LXX.

DESTILLATIO SALSA; ET MVLIEbre Profluuium.

IVuenis Nob. 24. annum agens, temperamenti totius, & potiſſimum, iecoris, calidi, & ſicci, mediocris habitus, capitis calidi, & ſicci, ab ineunte ætate deſtillationibus ſalſis obnoxia, tribus abhinc annis, bis aborta eſt, & prima uteri geſtatione Gallicam Gonorrhęam à Viro ſuo contraxit, cui dolores in articulis ſuperuenerunt, necnon in plurimis alijs corporis partibus; tribus poſt menſibus quartana quinetiam correpta eſt, quę perdurauit ſex, vel ſeptem menſes, decocti demum uſu ſoluta; cui à Medico licet ſanguis ex ſuperioribus venis detractus fuerit, nihilominus ſemper alba materia per uterum deſtillauit, & quidem ſecunda etiam uteri geſtatione. Præterea in utraque grauiditate cum tuſſi, ſanguinis excretio moleſta fuit, eaque repetita, quæ uſu terræ ſigillatæ ſuppreſſa eſt; poſtmodum Decoctum bis aſſumpſit cum ſudore in lecto, à quo quidem nec ſanguinis excretio, nec, niſi rarò, tuſſis excitata fuit; copioſa tamen ad os, & fauces deſtillatione adhuc perdurante; necnon eiuſdem albæ materiæ per uterum effluxu, qui ne in grauiditatibus quidē unquam ceſſauit. Tandem tertia vice concepit, atque feliciter marem peperit. Modò perſiſtit adhucnum deſtillatio ſalſa, cum tuſſi, non tamen adeò frequenti, & moleſta, & excretione tenuis, & nonnunquam craſſæ, & liuidæ materiæ, ſæpius verò albæ; pariter fluxus albus ab utero procedit, cum doloribus articulorum, qui potiſſimum temporum mutationibus exaſperantur, abſque tumoribus tamen, & nonnihil gracilior conſueto reddita eſt ægra. Modò de agendis pro ſalute conſulit.

Matrona hæc Illuſtriſs. ab ineunte ætate copioſæ deſtillationi ſalſæ, non ſolùm per œſophagum in ventriculum; verùm & per aſperam arteriam in pulmones, ideoq; tuſſi moleſtæ obnoxia eſt; cui materiæ per venas ad uterum decurrenti accedente quinetiam earundē laxitate, atque humiditate, geminus ſucceſſit abortus; quo tempore ſanguis, tuſſi excretus, à Medico facilè ſuppreſſus fuit, eiuſdem excretione, & tuſſi ceſſantibus, quoniam per Anaſtomoſin, non per Diæreſin eiiciebatur. Decoctum verò, tum ob Gallicam gonorrhœam, tum ob dolores articulares aſſumptum cum ſudore in lecto, leuamen quidem, citra tamen integram valetudinem attulit; ſucceſſit enim tunc effluxus albæ, & copioſæ materiæ per uterum, Fluxus Muliebris à nobis dictus, qui perſtitit etiam tertia uteri geſtatione per venas ceruicis eiuſdem, cuius cauſa fuit copioſa catarrhalis deſtillatio, in Ventriculum illapſa, & ab eo ad hepar, & venas, quæ tamen felici Maris partu poſtremò euanuit. At quoniam adhuc perſeuerat copioſa, atque continua capitis deſtillatio, quæ per Tracheam ad pulmones ſeſe inſinuat; ideo recruduit tuſſis, cum excretione materiæ ut plurimum tenuis, mane potiſſimum; quandoque etiam craſſæ, imò & liuidæ, à calore ſcil. dum in pulmonibus diutius noctu hæret. Portio autem eiuſdem materiæ per muſculorum interſtitia ad articulos perueniens dolores articulares excitat; prout ad alias quoque corporis partes, dolores vagos; cuius alia portio in ventriculum delabēs per venas excurrit ad vterum, & profluuium muliebre renouat; quibus accedit non ſola ſuſpicio; verùm etiam certum indicium gallicæ luis, non modò fluxionem iam dictam, ſed & totum venoſum genus inficientis; vnde uitiata quoque, & imminuta totius redditur nutritio.

Iam dictis verò proſpicere omnino neceſſe eſt; ne alioquin articulares dolores confirmentur, & tandem in tophos obdureſcant, Vterus ipſe debilitetur, & ſterilis fiat; atque quod peius eſt, erodatur [a] in pulmonibus vena, vnde ſputum ſanguinis; deinde [b] puris; & tandem cum tabe interitus ſequi ſolet. Non tamen adeò facilè erit aſſequi optata; cùm deſtillatio iam dictorum malorum fons [c], & origo naturalis ſit, ſalſa potiſſimum, & tandem gallico infecta. Nihilominus curatio, quo meliori fieri poteſt modo, molienda, licet hoc Puerperii tempore, cui ſuccedet proximus æſtiuus calor, omnia ad affectum debellandum exequi non poſſimus; attamen primùm ea, quæ anni tempus permittet; deinde quæ ineun-

a 5. Meth. 14.
b 7. Aph. 15 & 16.
c 1. de San. Tuen 8.

Digitized by Google

ineunte Autumno oppotuna fuerint, ſunt in præſens à nobis proponenda.

Medicæ itaque Intentiones erunt. Primò Ventriculum, & primas uias exonerare. Secundò totum expurgare. Tertiò Caput ipſum. Quartò fluxionem in pulmones defluentem intercipere, atque diuertere. Quintò ſalſedinem contemperare. Sextò humidam capitis intemperiem corrigere. Atque tandem idem cum pulmonibus toborare; cùm muliebre profluuium ex ſe, ablatis cauſis ceſſare ſoleat.

Hoc itaque Puerperii tempore, ſi fortè lochia, aut imminuantur, aut ſupprimantur, Saphena aperiri poterit, & ſanguis parcè educi, ut foramine parente relicto, ſequenti die parca repetatur eiuſdem miſſio.

Defuncta verò Puerperio, circa dimidium Menſis Iunii, aſſumat hanc Potionem. ℞. ſyr. Roſ. ſol. rec. Pot. ex Man. clarif. an. ℥ iij. Aq. Fl. Cit. parum m. f. p. & tribus poſt horis bibat ius hordeo alteratum, mox hora tranſacta, prandear. Inde quinque ſequentibus diebus ſyrupi loco aſſumat. ℞. ſyr. de Pom. Viol. Acet. an. ℥ i. m. cui hora poſt exhauriat ius pullæ Cich. End. Borrag. Acet. Soncho, & Cort. Cit. alteratum, tribus verò horis ab aſſumpto iure, prandeat. His ſuccedat talis Potio. ℞. Pot. ex Man. clarif. ℥ vi. addendo inſuſ. conſuetæ Rhab. opt. mat. ʒ i. ſ. pro potu; ſed tribus horis ab aſſumpta potione bibat ſeri depur. libram; duabus verò horis ab aſſumpto ſero, prandear. Interim ante dictorum uſum, matutino tempore Iulap. Acet. lambendo expectorationem materiæ ſoliciret.

Poſt hæc, 20. ſequentibus diebus, aſſumat ius pullæ, alteratum End. Viol. Malua, Flor. nymphex, Soncho, Pom. dulc. & Siliquis; cui addantur ſucci Maluæ depur. ℥ ii. & Violar. ℥ i. in quorum intermedio uſu, & fine exhibeatur Potio huiuſmodi. ℞. Pot. ex Man. clarif. ℥ vi. addendo infuſ. conſuetæ Rhab. opt. ʒ i. Agar. trochiſ. ʒ ii. Aq. fl. Cit. parum m. f. p. cui ſuperbibat ſeri libram, vt ſupra. Tunc autem Caput per Nares erit expurgandum, tali Errhino. ℞. Pulu. Maior. Ireos an. ʒ iij. m. & matutinis horis per nares attrahatur, more Tabaci.

His peractis obſeruanda erit Capitis deſtillatio, num ſcil. copioſa perſiſtat, an, quod ſperare iuuat, imminuta fuerit; atque ſi imminuta, perducatur Matrona Illuſtriſ. ad uſum Lactis Aſin. ad 40. ſaltem dies, incipiendo, vt monet Gal. [d] ab ℥ iiij. & v. cum Sacchario, & progrediendo vſque ad x. ſi verò copioſa perduret, lacti ſubſtituatur ius, ita paratum. ℞. d 7 Meth. 6.
Sant. alb. raſp. Rad. Roſ. Rad. Cannæ mont. an. ℥ ſ. Aq. com. ℔ iij. m. f. inf. per horas 24. deinde adde quartam partem pullæ iunioris, & bull. ad conſumpt. dimidij, & fiat colat. pro duabus vicibus, matutino tempore aſſumenda. Dum iam dicta fiunt, à prandio ſtatim ſumat Conſ. Roſ. ſicut à cœna Viol. Pariter noctu ore detineat alterutram præſcriptarum confect. ℞. Confect. Diacod. rec. factæ cum bolo orient. ℥ ij. vel ℞. Conf. Diatragac. frigidi cum bolo ℥ ij.

Circa victus rationem, aliqua cuſtodia opus erit, vitando radios ſolares, necnon ventos vehementes, & abſtinendo à carne ſuilla, Bubula, & reliquis annoſis, & pinguibus. Omnia alimenta ſint optimi ſucci, & facilis concoctionis. Abſtineat omnino à carnibus, & piſcibus ſalitis, à condimentis Aromatum, Allij, Cæparum, Aceri, à Vinis generoſis. Somnum fugiat meridianum, qui ſi conſuetus fuerit, ſit ſaltem breuis, & capite elato. Aluum lubricam ſeruet duabus, aut tribus drachmis Caſſiæ, ſub cibi tempus. Graues applicationes, & animi perturbationes arceat. Quæ ab anni tempore conceſſa, pro commodiori ſtatu Matronæ Illuſtriſ.

Quoniam itaque iam à nobis præſcripta, potius aduerſus Catarrhi ſalſedinem demulcendam, quàm ad eiuſdem copiam imminuendam diriguntur, ne à iam dicta qualitate aliquod in pulmonibus inſanabile malum ſuboriatur; idcirco neceſſarium erit eiuſdem catarrhi originem, atque fontem, Caput ſcilicet exſiccare, ſimulque gallicam labem omnino extirpare. In quem finem opus erit Decocto cum ſudore in hypocauſto, vt caput ſudet, ne alioquiu magis magiſque repleatur à colliquantibus medicamentis, vt iam à præteritorum decoctorum uſu citra capitis ſudorem, obſeruatum fuit; in quam rem tempus omnino opportunum Vernum foret; verùm ſi catarrhus, & quantitate, & qualitate moleſtus fieret, Septembris initio infraſcripta expurgatio peropportuna fuerit.

Incipiat igitur expurgationem, tempore à purgationibus naturalibus diſtanti, integra ſaltem hebdomada, & aſſumat huiuſmodi medicamentum. ℞. Pot. ex man. clarif. ℥ vi. Aq. fl. Cit. parum m. f. p. Vel bol. ℞. Flor. Caſs. rec. ext. ʒ vi. Elect. lenit. ʒ iiij. m. f. b. Mox quinque ſequentibus diebus, aſſumat Iulap. Acet. ℥ iij. ſine diluto; à quibus vtatur alterutro dictorum medicamentorum. Inde ad vlteriorem præparationem deueniatur, ex Iure pullæ,

pullæ, alterato Cich. Borrag. End. Malua, Viol. Beton. Pulmon. & Agrim. additis Iulap. Acet. ℥ i. ſyr. de Beton. de Iua an. ℥ ſ. m. pro ſyr. & ſic pro aliis. Altera die dictorum ſyr. educatur ſanguis ex vena communi dexteri brachij, ad ℥ vi. vel vij. Octo verò poſt diebus, aſſumat medicamentum huiuſmodi. ℞. Pot. ex Man. clarif. ℥ vj. addendo infuſ. conſuetæ, Agar. Troch. ʒ iij. Rhab. opt. mar. ʒ i. F. p. Vel ℞. Flor. Caſs. Elect. lenit. an. ʒ iiij. Elect. de ſuc. roſ. ʒ ii. m. f. b. à quibus bibat Seri Capr. aut Aſin. dep. ℔ i. ſ. Duobus verò ſequentibus diebus quieſcat, & quarto deglutiat Pil. huiuſmodi. ℞. Pil. Aur. Aggreg. de Hermodac. an. ʒ ſ. m. ref. pil. & aur. quinque horis ante cibum aſſumendæ, hauſto tamen duabus horis ante cibum iure hordeo, vel malua alterato. Poſtremis autem præteritis diebus, per nares attrahat, more tabaci pulu. ex Maior. & Iride paratum. Inde ad decoctum deueniat, quod tale eſſe poterit. ℞. ſalſæ elec. inciſ. Lentiſ. è Chio inc. an. ℥ i. Chinæ opt. inc. Sant. alb. raſp. an. ℥ ſ. Aq. ſtill. End. Beton. an. ℔ ij. m. f. inf. per horas 24. deinde bull. ad conſumpt. dimidii, ſub finem ebull. adde folior. Iuæ arthr. m. i. bull. parum, & colat. ſeruetur pro tribus vicibus, hora vna ante ingreſſum hypocauſti aſſumenda. Poſtea ℞. Reſiduum, detracta herba, Aq. opt. ℔ xv. m. bull. ad conſumpt. tertiæ, & ſub finem ebull. adde Cinnam integri ʒ ij. bull. parum, & fiat colat. cui adhuc calenti, adde Sacch. fin. ℥ iiij. & m. pro potu conſueto. Maneat tamen in hypocauſto ſudori eliciendo primis diebus horæ quadrantem tantùm; ſequentibus verò ad ſemihoram, nec vltra; & 40. diebus in decocto, & ſudore perſiſtat, ſed decimo quoque die aſſumat Man. clarif. ℥ vj. intermedijs verò diebus, niſi aluus benè reſpondeat, infundatur in ſyr. conſueto ʒ i. Sennæ mund. Victus ratio non ſit adeò tenuis, ne catarrhi ſalſedo augeatur, neue corpus nimis emacietur; quare quotidie, præter nucleos pineos, Amygd. Sacch. obductas, & paſſulas, concedatur quoque Ptiſana hord. quandoque Oua rec. quandoque Pulla iunior, vel Columba turricola aſſa, prout die purgationis conceditur hordeum, & caro elixa; & ſi poſt ſudorem, deterſoque corpore, vrgeat ſitis, præberi poterit ius End. aut Borrag. alteratum.

Abſoluto ſudoris uſu, parabitur Vinum ad menſam medicatum Sant. rubro, Lentiſ. & Ligno Roriſmar. adeò ut vnaquæque ſitula uini tres admittat lignorum vncias. Et ſub ingreſſum lecti aſſumat Beton. Conſ.

Tandem, ſi Muliebre profluuium non omnino reſtiterit, in uſum ducat pulu. hunc. ℞. Turturem integ. exenter. & Vino albo benè lotum, ac granis Maſtic. elec. repletum, mittatur in furnum, & ita exſiccetur, vt in puluerem totus redigi poſſit; mox ℞. eiuſdem pulu. ʒ i. Aq. ſtill. ex tenerrim. Quercus foliis ℥ vj. m. pro vna doſi, & ſic pro alijs, & uictus rationem iam ſuperius à nobis præſcriptam ſeruet. Quæ dicta ſufficiant, tum pro curatione; tum pro præſeruatione Matronæ Illuſtriſs. ab alijs imminentibus malis, quæ Deus auertat.

LXXI.

DESTILLATIONES CATARRHALES ad varias partes.

Sereniſs. Matrona, 30. annorum circiter, proceræ vtcunque ſtaturę, eximiæ pulchritudinis, habitus corporis inter gracilem & carnoſum medij, complexionis bilioſæ, ſubdominio ſanguineæ pituitoſæ, agilis ad motum, ſenſus acutiſſimi, ingenii excitatiſſimi, prudentiſſimi, & ad omnes heroicas actiones obeundas expeditiſſimi; quatuor filiorũ, duorum ſcilicet marium, totidemque fęminarum auguſta mater, paſſa eſt, ob infortunia inopinata, tres abortus, duobus elapſis menſibus à conceptionis initio; quos profluuium ſanguinis copioſum ſemper ſubſequutum eſt, non ſine vitæ periculo, potiſſimum hoc poſtremo proximè præteriti Decembris, à quo accommodatis remedijs, Supremi Numinis ope, conualuit; menſibus alioquin ordinatè ſemper fluentibus. Conqueritur igitur Sereniſs. Domina de varijs fluxionibus, tum ad dentes, & oculos, tum ad fauces, & pectus; unde frequen-

quentibus, & atrocibus dentium doloribus cruciatur quandoque; atque etiam tuſſi ferè perpetua, ab anno iam cum dimidio diuexatur, cum expectoratione pituitæ, aliquando muſcidæ, aliàs ſeroſæ, & tenuis, ut plurimùm tamen nullius, aut paucæ ſalſedinis participis; cuius ob perennem fluxionem, dẽtes aliquam cariem cõtraxere, quorum tres ob hanc cauſam, cogente atrociſſimo dolore, fuerunt euulſi. Corripitur inſuper leui de cauſa dolore capitis, modo grauante, & ſæpius pungente; cranium quippe ipſius rara textura, & ſubtiliori compage conſtans coniicere licet pluribus argumentis; ab iniuriis ſiquidem externis facilè offenditur; & poſt ultimum abortum, acuto capitis vſque adeò dolore diuexata eſt, ut phrenitidis periculum ſubierit, niſi miſſione ſanguinis ex ſaphena, aliiſque idoneis remedijs illi fuiſſet proſpectum. Naribus frequenter emungit mucum viridem, flauum, & glutinoſum; atque in capite eiuſdem diutius effloruerunt furfures ſquamoſi; necnon ulcuſcula, cum cruſtis cineritijs, è quibus ichores lenti, & craſſi, adinſtar mellis manabant; quæ tamen omnia iandiù euanuerunt, ab uſu thermarum, fęcunditatis comparandæ cauſa, ſpatio menſis, & ultra adhibitarum. Cauterium verò in brachio, ut præſidium utile, emiſſarij loco, ſæpius propoſitum, ob varias cauſas renuit.

Quibus ſic ſtantibus, cum in prædicta Sereniſs. continuus rheumatiſmus obſeruetur, ob habitualem capitis intemperiem humidam, & calidam; nec non ob quandam imbecillitatem contractam, quæritur à Doctiſs. ac Peritiſs. Viris, num Patauini agri aliquæ thermæ, præmiſſis præmittendis, & pro uſu præparato corpore, poſſint ſtillicidij forma, potiſſimum in bregma, robur cerebro conciliare, humiditates ſuperfluas exſiccare, & loco habitualis intemperiei, contumacium, & rebellium affectionum cauſæ, temperiem aliquam mediocrem inducere, ut enarrata incommoda expugnari poſſint, atque eadem opera, grauiora præuerti, non parum adiuuante benigno hoc Cœlo, ac ſaluberrimo, huic regioni Numinis indulgentia, præ cæteris conceſſo. Quæ raptim, & currenti calamo, variis aulicis occupationibus diſtrictus exarabat.

N. N.

SEreniſſima Matrona à naturę primordijs iecoris iuſto calidioris, & præhumidi, ac calidi capitis, prauas quoque ſoboles earundem intemperierum prodidit; etenim primò antehac, in capite ſquamulæ quædam obſeruatæ fuere, à quibus ulcuſcula cum cruſtis, quæ lento, & craſſo humore, mellis adinſtar, manabant, Faui ideo appellata, quæ exſiccantibus thermis, non tamen adeò utiliter, licet caſu, ceſſerunt. Præterea idem caput primariò, & eſſentialiter affectum materiam continuò producens, ſæpè paritur telis uulnera facta ſuis, dolores ſcilicet, nonnunquam grauantes, ab eadem extendente; necnon pungentes quandoque, tum à propria caliditate, tum à calida, & acri ſubminiſtrata ſeroſitate bilioſa, ab hepate, à cuius cum catarrho miſtione, ſalſedinem factam cenſemus. Et quoniam ob doloris acutiem, & ſæuitiam, in delirium ferè incurriſſe relatum eſt; ideo partium intra cranium continuum ſoluiſſe exiſtimandum. Sed quia catarrhus, fons,[a] & ſoboles omnium morborum habetur; cuius ui totum corpus languere dicebat Gal. ab Hipp.[b] mutuatus, aſſerente; *Fluxiones à capite, magno tædio, & moleſtia naturam frangere*; hinc accidit, ut in capite exuberans, & ad varias infernas corporis partes delabens, varios quoque præter naturam induxerit affectus, nimirum dentium corruptionem præcedentibus eorum grauiſſimis cruciatibus, qui ad euulſionem eorundem admittendam, & tolerandam Patientem Sereniſs. coegerunt. Præterea adenas, ſiue gulæ glandulas inflauit, & quod grauius, in pulmones decumbens, & expultricem facultatem irritans ad noxij excretionem, violentum, & concitatum pulmonis, atque thoracis motum excitauit cum ſtrepitu, tuſſim videlicet, quæ decem & octo abhinc menſibus perpetuò Sereniſs. moleſtat, qua materia quidem catarrhalis excernitur, tenuis ut plurimùm, nonnunquam & craſſior, frequentiſſimè ſalſa, non tamen flaua, ſeu ſubuiridis, prout naribus aliquando emungitur, pro maiori, vel minori portione ſeroſitatis bilioſę à iecore, & venis ad caput tranſmiſſa, atque diuturniori eiuſdem, vel breuiori in calido capite mora. Quibus omnibus accedit Regionis, ambientis nimirum conditio; eſt enim quid Diuinum, quod nobis ineſt, aer ipſe, à cuius mutatione effectus Diuinos, noſtrum ſcilicet captum ſuperantes produci videmus, & potiſſimum in calidis, & humidis temperaturis, mollis, & raræ texturæ, quæ ut notabat Gal.[c] facilius à cauſis externis, prout frigidæ ab internis læduntur.

a 1. de Sanit. Tuen 8

b de Gland. 8.

c 3. Aph. Comm. 5.

Diximus autem, calidam, & humidam intemperiem capiti innatam fuiſſe; nihilominus augmentum quoque ſuſcepiſſe aſſerimus, non quidem ab utero, ob ſequutos abortus,

d 5. Aph. 58.

ac proinde lochiorum, & ſanguinis immoderata profluuia; d etenim, *Si menſtrua plura fiant, accidunt morbi, & ſi non fiant ex utero morbi contingunt.* Verùm potius à ventriculo, ob ſanguinis effluxum, animi mœrores præteritos, & mentis applicationes quodammodo imbecilliori reddito; necnon à iecore calidiori, cuius ſeruor hac ætate potiſſimum vigere ſolet; & præſertim in hac Sereniſſima, cuius cordis quoque temperies, ſicut firmiſſima, ita calidior quoque cenſenda, ut ex influentis caloris robore, ad omnes actiones promptiſſimè, & perfectiſſimè obeundas, facilè colligere poſſumus; unde mirum non fuerit, ſi ſanguis in hepate calidiori genitus, & in calidiori corde elaboratus, ex immodica caliditate venarum expultricem irritante, poſtremis abortibus, non ſine aliqua vaſorum uteri laxitate, profluuium immodicum, & ideo preter naturam excitauerit.

Status præſens Sereniſs. Matronæ opem medicam expoſcit, ut in meliorem mutetur vel ſaltem, ne in deteriorem labatur. Tenues enim deſtillationes *Malignas* appellabat Hippoc. e *Pulmonibus aduerſariſſimas*, Gal. f *Peſtiferas* Celſus, g ob rationes Excellentiſs. Viro notiſſimas, & potiſſimum quòd ſalſa in calu noſtro percipiatur. Ac propterea ſumma cum prudentia, Cęlum mutandum eſſe, & propria medica auxilia inquirenda conſultum fuit, agitur enim impoſterum de ſumma rerum.

e 6 Epid. f 2. Progn. 49. g 4 de Re Med. 2.

Quare caput erit exſiccandum, & nullo modo calefaciendum, ſed refrigerandum; iecoris, & venarum calida intemperies pariter corrigenda, & contemperanda; deſtillatio alio deriuanda, ac intercipienda, & pulmones roborandi, congrua uniuerſali totius corporis, & capitis expurgatione præmiſſa; quod præſtari poterit ſanguinis ex brachij venis, medio inter utrunque tempore menſtruæ purgationis, eductione. De cauterio autem nihil in præſens, dum de fonte deſtillationis exhauriendo cogitamus; ideòque Sereniſs. D. genio indulgeamus.

Reliqua purgatio erit perficienda Lenientibus, Præparantibus ex herbarum ſuccis, & decoctionibus potius, quàm ſaccharatis, aut mellitis parandis, & Purgantibus, tum à toto venoſo genere, tum à capite electiuè educentibus; quibus ſemper ſuccedant potiones copioſæ reſrigerantes. Interim errhinum ſuauiſsimum, caput recreans, & reficiens more tabaci, in uſum ducendum, ex puluere maioranæ, & iridis florent: paratum, ut ab infundibulo, & gutture materia catarrhalis diuertatur, non omiſsis, nocturno tempore, confectionibus ſublingualibus, ex Diacodio cum bolo; vel ex diatragacantho frigido, pariter cum bolo.

Hoc loco intemperies corrigendæ veniunt, proprio ordine; & prius capitis humiditati mox caliditati eiuſdem, & iecoris incumbēdū. In quem finem, Sacræ Thermæ, ab effectibus ita dictæ, à Viro Excellentiſs. proponuntur vſurpandæ, quæ ſaluberrimæ in agro noſtro Patauino ſcaturiunt, pro capitali ſtillicidio, & vocantur Laſtrenſes; exſiccant enim citra inſignem caliditatem, cùm multi aluminis, exiguæ calcis, ſiue gypſi, paucique ſulphuris mineram contineant. Et ſi capitis calor non obſtiterit, præſtò ſunt Aponenſes, magis exſiccantes, ſulphure, cinere, alumine, & gypſo conſtantes. Aliæ verò eiuſdem agri ſunt, ore ſumendæ, quæ B.V. dicuntur, refrigerantes, parum ſalis, & ſulphuris, necnon alumen, & iuxta aliquos, ferrum quoque continentes; quæ tamen, ptout reliquæ minerales, ſulphuris participes, capiti nocent; quare ab Andrea Baccio, celeberrimo Viro prohibentur, utpote effumantes, & caput plurimùm replentes; locum tamen habere poterunt capite prius internis, & externis exſiccato.

Præcedat itaq; (quod omnino neceſſarium, etiam præter uſum harum aquarum) ius pullæ iunioris China, ſantalo albo, & radice roſar. damaſcenar. alteratum, ex aqua beton. & farfaræ paratum; quod exſiccandi quidem citra calorem, & reſrigerandi facultate pollebit, per menſem exhibendum; quo tempore ſtillicidium quoque ex aqua Laſtrenſi adminiſtrabitur. A quibus ad aquas iam dictas Beatæ V. deueniri poterit, primis diebus deiectorias; ſequentibus verò diureticas, quarum uſus ſi aliqua difficultate urgeri videatur, Aquæ Nocerianæ huc aduectę ex Agro Romano, iiſdem à nobis ſubſtitui ſolent; frigidæ namque ſcaturiunt, nec exportatæ ſpiritus difflant, cùm non minerales ſint, terram enim Samiam potiſſimam habent, quæ iecur egregiè refrigerant, ſine ulla capitis offenſa. Quæ iam dicta, & alia Sereniſs. Matronæ ſalutaria euadent, ſub prudentiſſima Viri Excell. directione. Ita D. O. M. vota noſtra ſecundet.

PRO

Digitized by Google

LXXII.

PRO EADEM.

Vtinam ſic firmum, ac Sereniſs. Matronæ ſaluti proficiens, quæſitis iam propoſitis admitteret reſponſum mutilata hiſtoria, quæ modò peruenit ad manus noſtras; prout fideliſſimum, & more noſtro, integerrimum reddetur.

Quatuor igitur in ſcheda proponuntur ſoluenda quæſita, circa Sereniſs. D. ſtatum; quibus nos addimus abortus cauſam expendendam; quæ licet externa eſſe potuerit, ob præteritos dolores, vigilias, corporis, & animi motus, ut in ſecutis antehac abortibus; nihilominus imbecillitatem quoque in vtero contractam fuiſſe ſupponimus.

Primum autem quæſitum fuit, an integra ſecundina hucuſque extracta fuerit; an verò pars eiuſdem non exigua adhucnum in vtero hærear.

Secundum, vtrum lochiorum expurgationem, in Puerperio neceſſariam, poſſit ſupplete albæ materiæ profluuium adhuc durans.

Tertium, an alicuius lenis vlceris in vtero ſuſpicio eſſe poſſit.

Poſtremum, num in dictis affectionibus, Balnea, ſiue aquæ noſtræ Patauinæ prodeſſe poſſint; & ſi conueniant, num hyberno tempore facultates ſuas adeò conſeruent, ut Sereniſs. huc ſe conferre, earum cauſa expediat. Balnea quippe hic habemus vtero firmando, ac roborando, quam maximè opportuna, quæcunque demum intemperies imbecillitatis cauſa fuerit.

Quæſita igitur quod attinet, ſtatim ab abortu hæſiſſe ſecundinam autopſia liquidò patet; non enim excreta apparuit; ſed præterea id mox apparentia cõfirmant, immanes ſc. dolores; ſicut eiuſdem ſuppreſſæ, & putreſcentis indicia ſunt nauſeæ, & animi deliquia; licet mirum acciderit, quod neque rigores, neque febres[a] excitatæ fuerint. Num verò integra ſecundina excreta fuerit, prorſus ignoramus; ſiquidẽ putrefacta ſexta, aut ſeptima die[b] delabitur, quam ſi præterierit, nonnunquam ad 60. protrahitur eiuſdem excretio. Nos autem latet tempus ab abortu; & præterea, num fragmenta plurima, & manifeſta, vel craſſa materia fœtens profluxerit; quanquam dolorum, & deliquiorum moderatio, ſi non totam, magnam tamen eiuſdem partem fuiſſe excretam, certum nobis præbeat indicium; ſiquidem grauioribus accidentibus alioquin premeretur Sereniſs. D. D. noſtra.

a 1. de Morb. Mul. 76.
b Ibidem.

Secundum quod ſpectat, conſuetas expurgationes eſſe materiæ albæ, continuò per vterum excretæ, minimè dubitamus; ſeroſitatibus, & cruditatibus ex liquato catarrho, venoſo genere Sereniſs. ſcatente.

Ad Tertium de vlcere, dicimus, quod hoc plurimùm præcedere ſolet inflammatio, quæ non datur ſine febre acutiſſima[c], doloribus atrociſſimis, & ſæuioribus aliis ſymptomatibus, de quibus nulla mentio; quod licet quandoq; etiã fiat ex abortu[d] difficili, aut violenta ſecundinæ extractione, has tamen cauſas non præceſſiſſe ſupponimus. Neque ab acri humorum fluxione vlcus excitatum exiſtimamus, quoniam dolores, & pungentes, & corrodentes antehac paſſa fuiſſet. Quare vlcus in vtero non adeſſe cenſemus, abſentibus potiſſimum præſentis vlceris ſignis ab Hipp.[e] recenſitis; quæ ſunt, continuus dolor acutus, qui ad tactum exaſperatur, protenſus ad pudenda, pubem, imum ventrem, Ilia, & lumbos, non ſine febre, cum puris, & ſeroſæ ſaniei effluxu; quibus à caſu noſtro prorſus alienis, nec vlcus in vtero adeſſe ſuſpicandum. Et licet quandoque recrudeſcant dolores, horum tamen cauſa, vel in partem aliquam ſecundæ hærentis; vel in materiæ per vterum effluentis ſuppreſſionem referenda eſt; continui namque forent, ſi ab vlcere, vtpote à cauſa continua procederent.

c 1. de Morb. Mul 89. & Aet. Tet. 4 Serm. 4. Cap. 88.
d Ibidem.
e Ibidem.

Quibus ita ſtatutis, vt quarto quæſito ſatisfaciamus, num ſcil. Thermæ noſtræ dictis affectionibus conferre poſſint, conſiderandum, eaſdem tres eſſe, Secundinam ſcil. retentam; Album ex vtero profluuium; & Vlcus, ſi adeſſet.

Et primò ſi de ſuppreſſa ſecundina loquamur, hæc laxantibus, putrefacientibus, & de-

tergentibus per vterum iniectis, & impellentibus per os aſſumptis indiget. Quibus intentionibus Balnea noſtra ſatisfacere nequeunt; & licet prodeſſe poſſent, intempeſtiua forent; celerioribus namque auxilijs medicis eget ipſa Secunda retenta, per metrenchytas in vterum inijciendis, quæ iam à Viris Doctiſs. Aulicis præſcripta, & adminiſtrata fuerint.

Si ſecundò de albo profluuio ſit ſermo, hoc cùm Puerperij expurgationis vicem ſuppleat, non eſt ſupprimendum, ſed permittendum. Quod ſi quadrageſimo tranſacto die, perſiſteret, & morboſum muliebre profluuium euaderet, tunc totum venoſum genus ſeroſitatibus, & cruditatibus purificandum foret; mox intemperies calida iecoris, humida capitis corrigendæ; in quem finem Aquas noſtras B. V. per os aſſumendas vtiles cenſerem; ſicut & Laſtrēſes quoq; pro ſtillicido, ad capitis humidam intemperiem contemperandam. Verùm, ut diximus, profluuium hoc obſeruandum, an morboſum redditum fuerit. Interim animaduertamus, Aquarum B. V. uires caniculari tempore vigere, quo aſſumi ſolent, quia facilius permeant, & per urinam excernuntur, quæ alijs temporibus non ſunt exuſu, utpote quarum uires pereant. Primò quia calidioribus temporibus, ab ambientis æſtu rareſiunt quodammodo, earumque uires, & facultas à minera ſurſum attolluntur, & per ipſarum ſubſtantiam diffunduntur; prout contrarium accidit frigidiori tempore. Secundò quia ab aquarum pluuialium miſtione uitiantur, & tandem quia anni tempore minus calido non permeant; ſed cum ægrorum detrimento in corpore hærent, unde ingruentibus pluuijs, diebus quinetiam canicularibus, Patientes ab earum uſu abſtinent per plures dies, quæ eadem ratio eſt Laſtrenſium pro ſtillicidio, & ferè Aponenſium, pro inſeſſu.

Si tertiò de ulcère uerba faciamus, quoniam non adeſſe ſperamus, & credimus, ex relatis in ſcheda; ideo de remedio ulceri curando, à noſtris aquis depromendo, non eſt quod cogitemus; quod tamen ſi à Peritiſſ. iſtis Archiatris in progreſſu fortè deprehenderetur in utero ſuperſtes, hoc tantùm caſu, in gratiam harum aquarum, aduentum Patauium Sereniſs. D. D. proxima hyeme, & quam primùm neceſſarium omnino exiſtimamus, ubi Balneum extat Montis ægrotorum appellatum, cuius minera continet Gypſum, Calcem, & Alumen, ulceribus exſiccandis mirabilis facultatis, quæ non adeò facilè refringitur, ut cæterorum Balneorum, & potulentarum aquarum.

Hæcque abundè, ut quæſitis pro virili ingenuè ſatisfaciamus, atque omnia in ſuperiori conſultatione propoſita, pro ſalute Sereniſs. D. D. confirmemus; addentes interim, quod in hoc aduerſæ ualetudinis Sereniſs. ſtatu, aeris, & regionis mutatio, ut priſtinum, & meliorem facilius adipiſcatur, præſentiſſimum, & penè diuinum futurum ſit remedium; quod candidè, & ex corde pronunciamus; prout ſummam felicitatem Sereniſs. uniuerſę familiæ à D. O. M. enixè precamur.

C A-

LXXIII.

CATARRHALIS DESTILLATIO, & Viſcerum Dyſcraſia.

QVoniam Vir Illuſtriſs. capitis [a] deſtillationibus antehac valdè obnoxius a Art. Medic.
fuit, non ſolùm ob eius eſſentialem calidam, & humidam intempe-
riem; verùm etiam ob magnum eiuſdem cõſenſũ à toto venoſo [b] gene- b 2. de Diff. Fib. 11.
re, & potiſſimum ab hypochondrijs, hoc indicio, quod ſanguine dili-
genter purificato, & curatis hypochondrijs, plurimùm repreſſa eſt ea-
dem deſtillatio; quanquam catarrhalis materiæ portio craſſior, ichori-
bus à toto tranſmiſſis deſtituta, minùs proinde fluida, in capite firma-
tà, in cruſtas erupit; vnde ſubiectæ partes, à deſtillatione omnino ferè
immunes, cum Viri Illuſtriſs. non exiguo leuamine, quæ tandem cruſtæ etiam euanuerunt,
capitis intemperiei remiſſę indicio.

Quare cuilibet perpendenti Medico liquidò conſtare poteſt, ab inſtituto recedendum
non eſſe; nam, [c] *Si omnia ſecundum rationem facienti, licet pro voto non ſuccedant, ad aliud non ſit* c 2. Aph. 52.
tranſeundum; quantò potiori ratione id agendum, ſi res pro voto ſucceſſerit? cùm quæ ad-
miniſtrata iuuant, repetita ſanent?

Itaque ſtatim, Paſchate exacto, leuis infraſcripta erit ineunda purgatio; primas vias exi-
naniendo. Secundò eaſdem aperiendo. Tertio calidam iecoris, & venarum intemperiem
moderando. Et tandem parumper caput exſiccando. Quibus ordine executiuo ſatisfa-
ciemus.

Et primo quidem præbeatur potio ex manna clarif. vel caſs. cum lenit. & tart. Inde ſuc-
cedat primarum uiarum præpar. iulap. acet. cinnam. & cort. citr. alterato, ad vnc. iij, per
quinque dies; mox præparati humores expurgentur altero ex præſcriptis lenientibus. Inde
tentetur ulterior humorum præparatio ſuccis potiùs, quàm ſyrupis dulcibus, hypochon-
driacis, & viſceribus calidis minus idoneis, atque adeò ℞. ſucci depur. cich. borrag. an. ℥ i. ſ.
tart. vitriol. gr. vi. iuris pullæ alter. folijs malu. violar. meliſſæ, agrim. pentaph. ℥ v. m. pro
ſyr. & ſic pro alijs octo. Purgentur deinde præparati humores ita. ℞. flor. caſs. ℥ i. pil. de
trib. cum rhab. ʒ i. m. f. bol. à quibus hora poſt ebibat ſer. capr. depur. aut aquæ hordeac.
aut aquæ Nocer. puræ ℔ i. ſ. & tribus horis ab aſſumpta potione prandeat; hac tamen ob-
ſeruatione, ut ſecundo die præſcriptorum ſuccorum, aperiantur venæ hæmorrhoidales,
& educatur ſanguis ad ℥ vi.

Hac ſequuta congrua hypochondriorum, & viſcerum expiatione, iecoris intemperies
calida erit corrigenda, & ſanguini purificatio accuratior concilianda, continuato ſucco-
rum uſu, per dies viginti. ut ℞. ſucc. depur. borrag. ſonchi an. ℥ i. beton. ℥ ſ. decoct. cich.
end. malu. hepaticæ, bugloſſi ℥. v. m. pro ſyr. & ſic pro alijs; in quorum medio, & fine aſſu-
mar hoc purgans ℞. flor. caſs. rec. extr. ℥ ſ. pil. aggreg. de tribus cum rhab. an. ʒ ſ. magiſt.
mechoac. gr. vij. m. f. bol. & hora poſt bibat aquę Nocere libram; ſicque perficiatur pur-
gatio.

Quibus addatur uinum ad menſam medicatum ligno roris marini, lentiſcino, & ſan-
talino, adeò vt quælibet ſitula ſingulorum ℥ ſ. admittat, ſeruata congrua victus ratione,
olim à nobis propoſita.

LXXIV.

OPHTHALMIA.

OPhthalmia, qua quinque abhinc annis frequenter corripitur Nob. hic Iuuenis, pluribus repetitis purgationibus præſeruatiuis minimè cedens, propriè ſanguinea à nobis exiſtimatur, licet non ſine aliqua, ſed exigua pituitę permiſtione; etenim copioſum ſanguinem producit eiuſdem hepar, quo totum venoſum genus redundat. Verùm quoniam raro fiunt fluxiones ad quamlibet corporis partem, niſi aliquis intercurrat bilioſus ichor, velut vehiculum; ideo & hoc caſu, eundem non abeſſe credendum, cum iuſto calidius hepar, & naturali feruidior ſit ipſe ſanguis, qui propterea facilè ſurſum petens, caputque replens ad uenas[a] tunicæ adnatæ influit, & per ipſius ſubſtantiam diffunditur, unde inflammatio lippitudinem, ſine ophthalmiam conſtituens ſuboritur. Hanc autem contumaciorem reddiderunt non ſolùm alexipharmaca aduerſus Celticã luem adminiſtrata, aucto iecoris, & ſanguinis feruore; verùm etiam aquæ Thermales, quæ caput petentes[b], & opplentes imbecillius reddiderunt.

[a] 4. Per Loc. 2.

[b] Baccius.

Quare, ut ab hoc affectu vindicari, atque præſeruari poſſit, in præſens, ratione curationis, primis expiatis vijs, caput erit expurgandum; & materia ſanguinea coniuncta attenuanda, & reſoluenda. Pro præſeruatione verò ſanguis erit minuendus. Secundò omni induſtria à capite diuertendus. Tertiò ſeroſus humor euacuandus. Quartò & vltimò iecur, & ſanguis ipſe contemperandus.

Quibus intentionibus ſatisfieri poſſe minimè dubitamus, obſeruato tamen præſcripto ordine.

Vt primò, pro curatione, expediantur primæ viæ, Pot. ex manna clarif. aut caſs. cum magiſt. mechoac. Mox, quoniam iam nuper totum corpus fuit expurgatum, pilulæ capitales huiuſmodi exhiberi poterunt. ℞. pil. aur. ℈ ij. cochiar, aggreg. lucis an. ℈ i. m. reſ. pil. cum ſucco chelid. aut euphragiæ q. ſ. & aur. & tribus vicibus, quarto quoque die præbeantur; à quibus bibat aquam Nocerianam, contemperando earundem calori; diebus verò intermedijs, exhibeatur ius herbis capitalibus ophthalmicis alteratum.

Interim oculo ophthalmica attenuantia, & reſoluentia adhibenda; poſtmodum detergentia. Sic paretur fom. ℞. ſem. fęnugręc. ℥ i. fœnic. ℥ ſ. flor. chamæm. melil. euphrag. an. m. i. vini albi, aq. euphr. an. ℔ i. ſ. m. bul. ad conſumpt. quartæ, & ſpongia foueatur per horam oculus, qui bis ſaltem per diem poſtea abluatur aqua euphr. cum ſaccharo cand. in pollinem redacto.

Dum hæc fiunt omnino abſtineat æger à lectione, & ſcriptura; a vino item, & parcè comedat.

Vt autem præſeruetur, iam propoſitę intentiones erunt hoc ordine explendæ. Quolibet menſe hæc aſſumat Nob. Iuuenis. ℞. elect. lenit. ʒ vi. magiſt. mechoac. ℈ i. m. & ſumat tribus horis ante prandium: ſequens verò dies vacuus ſit; ſed tertio aperiatur ſaphena, educto ſanguine ad ℥ vi. Interim adhibeantur frictiones, incipiendo à nucha per ſpatulas, & dorſum mane, antequam è lecto ſurgat; ſicut & pedum lotiones frequentes, veſperi ante cœnam. Et niſi valdè abhorreat Cauterium, coxę dexteræ inuratur, quotidie verò prima menſa bibat ius plantagine alteratum; in quorum uſu pergat, atque perſiſtat quolibet menſe, vt dictum eſt, & quotidie per integrum annum, hoc ſolo diſcrimine, quod tempore hyemali frigidiſſimo, & æſtiuo calidiſſimo, ſaphenæ ſectioni ſubſtituatur reſeratio uenarum ſedalium, hirudinibus admotis.

Et his addatur congrua victus ratio, adeò vt fugiat acceſſum ad ignem, & moram diuturnam ſub radiis ſolaribus. Abſtineat item à potu vini meracioris, à cibis omnibus vaporoſis, calidis, ſalſis; de more prandium, & cęnam claudat conſerua roſat. miſſo exercitio ſtatim à cibo. In ſomno ſitus ſit ſemper ſupinus; & abſtineat à lectione, & à ſcribendi munere, quantum fieri poteſt. Quæ ſi accuratè obſeruentur, præſeruationem penè certam Nob. Pat. ſpondemus.

Google

LXXV.

OPHTHALMIA CVM MACVLIS.

PVerum Illuſtriſsimũ ophtalmia ſeptem abhinc menſibus conflictari, ex hiſtoria tranſmiſſa accepimus. Et licet eius gradus, num ſcil. [a] Taraxis, an Lippitudo vera, ſeu potius Chymoſis ſit, atque fuerit, non conſtet, lippitudinem tamen eſſe, & fuiſſe ſupponimus; non enim Taraxis tandiù perduraſſet; prout Chymoſis ad inuerſionem vſque palpebrarum progreſſa eſſet, de qua nulla fit mentio. Scitu tamen neceſſarium foret, num legitima, an ſpuria fuerit, ut cauſæ antecedenti potiſſimum, nec non cõiunctæ adæquata præſidia adhibere poſſemus; digna ſiquidem Gal. obſeruatio in ophthalmię curatione, qui [b] iuuenem ſola bilioſorum humorum purgatione ſanauit; prout & Oeconomum [c] ſola ſanguinis miſſione; & duos [d] alios, cum Hipp. meraci potu, & balneo: ſi enim à ſanguine cacochymo bilioſa facta fuerit inflammatio, prodeſt purgatiõ; ſi ab eiuſdem copia, ſanguinis miſſio; atque ſi ab eodem pituitoſo, in oculorum adnata, & uenulis impacto, meri potus, & balneum, attenuando, diſſoluendo prodeſt, & affectum ſanat. Verùm quoniam ophthalmia diuturna fuit, licet totum corpus bilioſa intemperie ſit præditum, à bilioſo tamen ſanguine non proueniſſe credendum; neque à puro ſanguine, tum ob totius, & iecoris feruidam intemperiem, tum quia neglecta ad Chymoſin deueniſſet, nec tandiù perduraſſet. Quare, vt coniectura colligimus ex humida capitis intemperie, affectus diuturnitate, nec non ex maculis, ſiue nubeculis in oculo ſuperſtitibus, ſpuriam fuiſſe inflammationem, & ophthalmiam cenſemus, ex ſanguine ſcil. pituitoſo à capite humido, & facilè à toto capiti ſubminiſtrato, (cum pueri, [e] ob ingluuiem ciborum, cruditatibus ſcateant) ac per uenulas ad adnatam tunicam tranſmiſſo; quo venis repletis, eademque tunica diſtenta, & tumefacta, neceſſariò ſolutio continui fuit inducta, dolorum cum inflammatione cauſa. Et quoniam pituitoſa portio non adeò facilè, ut ſanguinea reſolui potuit, & quidem difficilius neglecta; hinc eadem denſata, in nubeculas conuerſa, & obfirmata fuit; quarum tamen ſedes nos adhucnum latet, vtpote quæ poſſit eſſe circa eandem tunicam coniunctiuam, quod optandum magis foret; nonnunquã enim vi inflammationis, atque doloris, per uenulas internas, ad aqueum humorem, & membranulas alimentum deuehentes, fit excrementitij ſanguinis attractio, cuius pars craſſior in illo ſpatio inter corneam, & cryſtallinum denſata, ſimiles nubeculas, imò quandoque deterioris conditionis producit; quæ ſi parieti internæ tunicæ adhæreant infra cryſtallini ſitum, ut eſſe poſſunt præſentes, multò leuius malum, prout grauius longè foret, ſi aqueo humori innatantes cryſtallino obuerſarentur; ſuffuſionem [f] quippe temporis proceſſu inducerent.

Affectus equidem ſanationis difficilis, tum ratione ſui; tum potiſſimum Patientis. Ratione quidem ſui; quoniam inueteratus, & confirmatus eſt, atque repleto capite, & humida intemperie prædito ſit; necnon quia licet lædatur oculus dexter, ſiniſter [g] tamen nihilo validior eſt; & tandem quia ex leui cauſa recrudeſcit inflammatio. Reſpectu vero Patientis; quoniam renuit ipſe medicamenta; & præterea, quia multa, & valida, eiuſdem tenella ætas ægrè tolerare poterit. Nihilominus, quæ adminiſtrari poſſunt, omni arte, & induſtria uſurpanda; cum Hipp. [h] *In diuturnis lippitudinibus cum dolore cæcitatem minetur*; memores, quod vno affecto oculo, facilè temporis ſpatio, alter quoque trahitur in conſenſum.

Quare, licet anni tempus purgationibus obluctetur, non eſt tamen differenda curatio; ſicut enim præſeruationi [i] opportunum tempus, uernum ſcilicet, præfertur; ita curationi quodlibet tempus accommodatum eſſe neceſſe eſt; morbi enim præſentes quolibet tempore curandi.

Primò itaque fluxus prohibendus. Secundò materia iam fluxa attenuanda, & euacuanda. Tertiò cauſa fouens fluxum remouenda. Quartò oculi roborandi. Et tandem dolores demulcendi.

Quibus intentionibus ut ſatisfaciamus, aliqua ſanguinis miſſio conuenire videtur; ait enim Hipp. [k] *Anginam, & lippitudinem ſoluit venæ ſectio*. Præterea in omnibus lippitudinibus,

Auic-

[a] de Oculis 8.
[b] 13. Meth. 11.
[c] de Sang. Miſ. 17.
[d] 6. Aph. Tex. Co. 31.
[e] 3. Aph. Co. 16.
[f] 2. de Vſu par. 1. & 4.
[g] 2. in 6. Epid. 43.
[h] in Coac. 2.
[i] 6. Aph. 47.
[k] 2. Epid. ſect. 6.

Auic. etiam miſſionem ſanguinis conferre aſſerit. Conuenire uerò poterit in hoc puero, per cucurbitulas dorſo appoſitas, pluribus eodem tempore ſiecis, infernis partibus admotis. Conuenientiſſimæ quoque erunt frictiones, & quidem quotidianæ, matutinis horis, antequam ſurgat, à nucha uſque ad extrema corporis; ſicuti ueſperi ante cœnam, quotidianæ etiam lotiones pedum aqua calente. Cauterium brachio dextero inurendum, & in pertinaci huiuſmodi malo, præmiſſis omnibus neceſſarijs totius, & capitis euacuationibus. Nuchæ quoque, ſi non ſetaceum, ſaltem cauterium luculento iuuamento inuti ſolet.[1] *Quod enim medicamentum non ſanat, ſanat ferrum, & ignis.*

1 8 Aph.6 A Fonte pharmaceutico deſumenda Lenientia, Præparantia, totum Euacuantia, caput Purgantia, materiam impactam Diſcutientia ophthalmica, oculum Roborantia, & dolores Sedantia.

Leniens ſit caſſia cum tartaro; vel pot. ex manna clarif. Primum præparans ſit iulap. acet. ad ℥ ij vel iij. cum ʒ ij. crem. tart. per quinque, vel ſex dies. Primum purgans verò caſſ. cum pil. de tribus; vel potio ex manna clariſ. infuſioni conſuetæ addendo agar. & rhab. à quibus bibat aquam hordei.

Præparantia ſecundo loco ſint decoct. cich. borrag. end. viol. beton. euphragiæ; cui addatur iulap. acet. & ſyr. de beton. in cuius uſu perſiſtat ſeptem, vel octo diebus. Inde ad purgans medicamentum deueniendum, quale eſſe poterit caſſia, cum pilul. aggreg. vel potio ſuperius propoſita, à qua pariter hauriat aquam Nocerianam, aut hordeaceam.

Ita vtcunque toto expurgato, caput quoque euacuandum pil. coch. aur. & aggreg. tertio, aut quarto quoque die exhibendis, tribus, aut quatuor vicibus, ab ijs epoto pariter aliquo refrigerante; diebus autem intermedijs, præbeatur decoctio borrag. cich. end. euphragiæ, chelidoniæ, & fœniculi.

Purgato toto, & capite, & reuulſionibus omnibus prædictis adhibitis, ad oculi curam erit deueniendum, hac pręmiſſa cantione, vt ophthalmia prius, & inflammatio, doloreſque ſedentur, antequam macularum, & craſſioris ſanguinis impacti reſolutio tentetur.

m 4 per loc.2. & 4. Ad inflammationem itaque, atque dolores, Gal. tria [m] potiſſima proponit remedia, lac ſcil. albumen oui, & fenugręci decoctum; in caſu tamen noſtro, uti poſſumus ſpuma ex albumine oui quaſſato, cum aqua roſac. agitato, linteo puro, atque ſubtiliſſimo, oculo admota; inflammatione verò, atque dolore remiſſis foueatur oculus ſpongia, decoctione ſęnugræci imbuta: ſicut enim primum remedium repellendi, & leniendi; ita ſecundum leniendi, ac reſoluendi facultatem obtinet.

Pro attenuatione verò, atque reſolutione materiæ craſſioris, talis paretur aqua. ℞. ſucci praſſij, fœniculi, euphragiæ, chelidoniæ an. ℥ iij. fell. perdicis nu. iiij. mellis optimi ℥ ij. m. & B. M. deſtill. aqua verò ſeruetur pro lotione oculi, tepida adhibenda. Et ſi aliquis ex iam dictis ſuccis præſtò non fuerit, ſuppleatur aucta aliorum doſi.

Ad nubeculas verò obliterãdas, egregium ophthalmicum ſolet eſſe Crocus metallorum ad ʒ i. in aquæ euphragiæ, aut chelidoniæ ℥ iij diſſolutus.

Tandem caput, & oculi roborentur conſeruis, ſub ingreſſum lecti aſſumendis, modò ex roſis, modò ex euphragia, modò ex betonica, in earundem uſu quotidie perſiſtendo.

Victus ratio non poſtremum locum obtinet in hoc caſu; & ideo primò cauere debet aerem nebuloſum, atque uentoſum, acceſſum ad ignem, moram ſub radijs ſolaribus; imò & aerem luminoſum, adeò vt domi in obſcuro potius, quàm lucido cubiculo degat.

Secundò abſtineat à vaporoſis cibis, atque odoratis alimentis, ſicut & ab ijs quæ ſuccum craſſum, atque glutinoſum gignunt, quę ab Excellentiſſ. adſtanti recenſeri poterunt, verbo, hic Puer vt febricitans curandus fuerit ouis ſorbilibus, pullis iunioribus, carne tenella vitulina, auiculis ſylueſtribus; ſed carnes, ut ait Hipp. exhibeantur ferè ſemiputridæ, quas nos ſolemus appellare Frole. Vinum omnino interdicendum; vnde Ariſt. dicebat, quod qui aquam bibunt, acutius uident. Martialis uerò, *Vinum Phryx bibit, oculi venenum*; Bibat autem aquam ſantalinam, aut ſtillatitiam borrag. vt quæ reliquis minus frigida habeatur, & in hac victus ratione ſine vino, ad menſes perſiſtat.

Tertiò noctu dormiat capite elato, & ſupinus, aut ſaltem nunquam in latus dextrum.

Quartò motus, & exercitium ante cibum adhibeatur, capite ſemper erecto.

Quintò Aluus lubrica ſeruetur, & aliqua pil. maſtich. cum granis magiſt. mechoac. bis, aut ter per menſem ſolicitetur.

Tandem alacri animo ſit Puer, qui & à ſtudijs, & à ſcribendi efficio, & legendi eſt omnino auocandus. Quibus faxit Deus, vt optatam ſalutem conſequatur.

OPHTAHL-

LXXVI.

OPHTHALMIA, ET IMMINVTA Viſio.

NOn adeò probam ſanguificationem fieri in Illuſtriſs. Patiente, nobis ſignificauit ſæua ſcabies, quæ olim eundem afflixit, medicis auxilijs tandem expugnata; ſicuti in præſenti idem nobis confirmat Ophthalmia non legitima, ſed ſpuria, pertinax, atque rebellis, unius anni, & ultra, quæ nil aliud eſt, quàm inflammatio adnatæ tunicæ, proueniens à fluxione impuri ſanguinis, cuius ratione alij quoque humores, per venas internas, in albugineum humorem ſeſe inſinuarunt, à quibus imminuta quodammodo redditur quoque viſio. Humores autem iam dicti, utrumque affectum producentes, primò, & præcipuè à toto, ſecundariò verò à capite tranſmiſſi fuerunt, & tranſmittuntur, ob iecoris calidam intemperiem, capitis verò [a] humidam, à quibus prædicti praui humores ſanguinem inficientes, & ſpuriam, ideoque contumacem ophthalmiam inducentes, originem ducunt. a 3. Aph. 11.

Affectus quidem ſanabilis, ſed non adeò facilè; nam, ſicut difficilis eſt materiæ ad oculos influxus, per venas nimirum exiles; ita humoris iam tranſmiſſi reſolutio tarda, & fluenris diuerſio laborioſa futura eſt; quod hucuſque expertus fuit Illuſtriſs. Patiens; quia ſpuria, utpote à craſſiori ſanguine proueniens, difficilioris reſolutionis eſt. Diuturnitas autom poteſt viſioni [b] quoque non parum officere, nec tandem etiam ſine ſuffuſionis metu. Quare cauta, atque diligenti curatione opus eſt; etenim oculum curare [c] ante caput, non licet; neque caput, ante totum, ut habemus, ex Galeno à Platone. b de Coac. Præn 2. c 4. Meth. 4.

Quare primò primæ viæ expiandæ. Secundò totum venoſum genus defęcandum, & expurgandum. Tertiò à capite, & oculis reuellendum. Quartò caput purgandum. Vltimò oculis ipſis erunt auxilia adhibenda. Quibus omnibus, ita iubente Illuſtriſs. Viro, ordine executiuo erit ſatisfaciendum.

Sicque omnium primò aſſumat potionem, quatuor horis ante cibum, huiuſmodi. ℞. ſyr. roſ. ſol. ℥ iv. man. elect. ℥ ii. Aq. flor. citri parum m. f. p. Deinde per quinque dies, ſummo mane, Iulap. acet. ℥ iii. quibus tranſactis, bibat hanc potionem. ℞. ſyr. roſ. ſol. ℥ v. Diacatholici ℥ ſ. ſeri capr. q. ſ. m. f. p. à qua præbeatur ſeri Capr. depur. ℔ i. ſ. & duabus horis ab eo, prandeat. Inde ad ſecundam præparationem deueniendum, ſuccis herbarum depuratis, Cich. Borrag. Beton. ad ℥ i. ana, in decoctione cichor. borraginis, acetoſæ, endiuię, agrimon. per ſeptem dies, ſummo mane aſſumendis. Altera verò die horum ſuccorum, hora una ante prandium, ſanguis educatur ex vena communi brachii dextri ad ℥ vii. mox in uſu ſuccorum perſiſtat. Exactis autem his ſeptem diebus, ſumat ſequentem potionem. ℞. ſyr. roſ. ſolut. ℥ v. Elect. Diaphęn. de ſucco roſar. an. ʒ i. ſ. ſeri depur. q. ſ. m. f. p. cui tribus poſt horis, ſuperbibat ſeri Capr. depur. ℔ ii. & duabus horis ab eo prandeat. Sequentibus duobus diebus, ſumat ſucci deput. cichor. beton. euphragiæ an. ℥ i. in decoct. cich. borraginis, acetoſæ, betonicæ, Euphragiæ, chelidoniæ. Tertiò vero die, in Aurora, ſumat pilulas has, quinque ſaltem horis ante prandium. ℞. pilul. Aggreg. Cochiar. præpar. an. ʒ ſ. Lucis, Aurear. ana ℈ i. m. reform. pilul. & aur. à quibus duabus poſt horis, hauriat Aquæ Nocerianæ ℔ ii. mox tribus horis ab eadem aqua prandeat. Deinde duobus ſequentibus diebus repetat ſuccos iam dictos, ruſuſque pilulas eaſdem, vt ſupra; & mox ſuccos, ita ut quarto quoque die, ter pilulæ repetantur. Interim maſticatoriis quoque caput expurgandum, ut. ℞. maſtich. elect. ℥ ſ. pulueris gingib. Fœniculi ana ʒ i. Ceræ q. ſ. m. ad ignem fiant glob. ad maſticand. Quibus peractis, decoctum in iure quotidie aſſumendum per menſem, non obſtante æſtiuo calore; exſiccandi namque, at non calefaciendi vim obtinebit; verùm altera die huius decocti, hora vna anre prandium, educatur ſanguis à venis ſedalibus, hirudinibus applicitis, ad ℥ vii. Decoctum autem tale erit. ℞. ſantal. alb. raſp. ℥. ii. Lentiſci è Chio unc. i. radię. roſar. noſtr. ℥ ſ. Aquæ ſtillat. cichor. ℔ ii. Aq. beton. euphrag. ana ℔ i. m. f. inf. per horas 24. deinde bul-

Digitized by Google

liant ad conſumpt. dimidij, & colatura ſeruetur pro tribus vicibus, ſummo mane aſſumenda; verùm qualibet hebdomada aſſumat pilulas iam dictas, ſcilicet. ℞. Pilul. Aggreg. Cochiar. præp. an. ʒ ſ. Lucis, Aureat. an. ℈ i. m. ref. pilulæ, & aur. ſuperhauſta aqua Noceræ, ut ſupra, quo tempore vtatur Conſerua Roſar. tum à prandio, tum à cœna. Et tandem oculi ieiuno ventriculo, pluries abluendi aqua Euphragiæ, Fœniculi, Chelidoniç deſtillatis, ſimul miſtis, & tepefactis.

d 4. in 6. Epid. Vlt.

Quibus omnibus addenda congrua victus ratio. Sic uitentur radij ſolares, item alimenta calidiora, caput petentia, vt aromata omnia, condimenta Allij, Ceparum, & Aceti, Apium, vina generoſa. Dormiat ut plurimùm ſupinus, numquam pronus. Exercitia ſint [d] ante cibum. Summo mane, antequam ſurgat, frictiones ſibi fieri iubeat, à nucha incipiendo, & ad crura deſcendendo; ſicuti veſperi ante cœnam, frequentes pedum lotiones, aqua calente conuenientiſſimę erunt. Abſoluta verò præſcripta expurgatione, ſemel per menſem aſſumat has pilulas. ℞. Pilul. Maſtic. Aurear. Aggreg. an. ℈ i. m. ref. pil. & aur. qua die hordeum comedat, atque alacriter uiuat. Quę omnia Patienti Illuſtriſſimo à Deo ſalutaria precor.

LXXVII.

OPHTHALMIÆ PRÆSERVATIO.

PVer Nob. 28. natus menſes, hilaris, temperamenti calidi, & humidi quoad totum, cerebrique calidioris, & humidioris, ſub menſis Februarij initium correptus eſt defluxione ad vtrumque oculum, cum lacrymis copioſis, oculorum rubore, dolore, ardore, turgeſcentibus palpebris, & frequenti coalitu, ex materiæ ſordidæ viſciditate; qui affectus adeò indies inualuit, ut viſionis præſens periculum immineret. Curatus autem leuiter quidem eſt eo tempore, quantum licuit per æſtatem, & hyemem, non ſine aliquo leuamine; videt ſiquidem modò exactè, & oculi pellucidi ſunt, ſuperſtite tamen adhuc in extremis cilijs, vnde pili erumpunt, glutinoſa fluxione, noctu in ſomno inualeſcente, & eadem cilia adeò conglutinante, vt nonniſi laborioſè mane diducantur; prurit inſuper totum corpus.

a de Oculis 8.

Præteritam Ophthalmiam, ad Chymoſin [a] vſque perductam, in Nob. Puero, à ſanguine bilioſo, & pituitoſo ſimul miſtis, per venam iugulatem externam; aut per carotidas arterias ad caput ſublato, atque à venis in adnatæ ſubſtantiam effuſo, & inflammationem in eadem excitante, prouenisse credendum; qui forſan ſanguis, ſi caput aduerſus ambientis frigiditatem fuiſſet munitum, in pſoram, achores, & fauos antehac erupiſſet, abſque oculorum offenſa. A toto [b] autem caput, & ab hoc oculos, materiam morbificam ſuſcepiſſe, nō dubitandum; cùm vniuerſalis pruritus vitiatum ſanguinem totius nobis abundè indicet.

b 2. de Diff. Feb. xi.

Hæc affectio iam à prudenti manu medica curata, & ſanata fuit. Verùm quoniam de recidiuis iure dubitatur; ideo aliqua ad præſeruationem agenda, humores à capite reuellendo; cauſam fouentem remouendo; & oculos roborando. Quod nos conſequi poſſe ſperamus, non tamen certò; cùm tenella infantis ætas propria prorſus auxilia non admittat, & Endemius ſit affectus. Nihilominus quammaximè confidendum adhibitis præſidijs, & potiſſimum inuſto iam cauterio, præſeruationi potius, quàm curationi dicato; ſicut quamefficaciſſimum deriuans materiæ antecedentis, & decurrentis remedium foret alterum inter primam, & ſecundam vertebram inuſtum. Setaceum verò ſuſpectum habemus, ob capitis à toto magnum conſenſum, quod proinde ob dolores continuos, copioſos in caput attrahere poſſet humores. Auriculis aliquod leue pondus ex auro eſt appendendum; prout frequentes pedum lotiones magni fecit Hipp. in oculorum affectibus, potiſſimum inflammatorijs; quinimò & Paulus, atque Oribaſius. Bis autem per menſem aliquod medicamentum ſeroſitates euacuans, erit exhibendum; *Lippientem* [c] *enim alui profluuio corripi bonum*. Poterit verò eſſe ex uſu potio ex manna clariſ. ad ℥ iij. Vel, quod melius, extractum mechoacan ad gr. x. exhibendum, dulciariæ ſpiræ immiſtum, ad faciliorem exhibitionem.

c 6. Aph. 17.

nem. Atque interim humorum feruor, atque acrimonia perpetuò erit contemperanda, repetita quotidie ſorbitione iuſculi, ſola acetoſa alterati. Nec nos turbet multiplex, atque diuerſus modus, quo & Hipp. & Gal. vſi fuerunt in ophthalmijs curandis; modò ſcilicet ſola purgatione, modò ſola ſanguinis miſſione, modò ſolo balneo, modò meraci potu, & ſomno, nam cauſæ quoq; variæ ſunt; aliquando enim fit ophthalmia ab humoribus heterogeneis in toto redundantibus, & ab eo ad caput tranſmiſſis, quo caſu medicamentis purgantibus vtendum, quibus gloriatur Gal. [d] ſe oculorum inflammationem, vnico die, purgatione ſanaſſe; quandoque verò fit à ſolo ſanguine, & tunc ſanguinis miſſio quammaximè conuenit; atque ita Oeconomus [e] Romani diuitis, Medico Eraſiſtratæo antea cōmiſſus, repetita ſanguinis miſſione fuit à Gal. ſanatus; itē à ſolis acribus humoribus, & ſic iuuenis ille non plethoricus, ſolo Balneo aquę dulcis fuit ſanatus; prout interdum ophthalmia contumax, ex craſſo ſanguine in venis adnatæ hærente, & eaſdem tumefaciente excitata, uini [f] meraci potu, & Balneo ſanatur, ut accidit alteri iuueni. Nos itaque purgantium uſui inſiſtemus.

d 13. Meth. xi.
e Lib. de Sãg. Miſſ. 17.
f 6. Aph. 31

Ad oculorum verò corroborationem, familiarem habeant Domeſtici eorundem lotionem, vel aqua roſacea, in qua thus accenſum pluries fuerit extinctum; vel aqua ſimplici, aut pluuiali, in qua lamina æris ignita pluries fuerit iniecta; aqua autem euphragiæ, & fœniculi vtendum in ſola declinatione, ad humores impactos attenuandos, atque diſcutiendos, & ad curationem potius, quàm præſeruationem.

Quibus omnibus addatur conueniens victus ratio, Viro Excellentiſsimo Adſtanti, ſicut cætera omnia, notiſſima. Interim Gal. [g] obſeruatio non negligenda, quod caput calidum ab externis; frigidum verò facilius ab internis cauſis lædi ſoleat; & illud Martialis memoria tenendum.

g 3. Aph. Cc. 5.

Phryx vinum bibit,
Oculi venenum.

LXXVIII.

SVFFVSIO.

SAcra profanis ne miſceamus, non canamus, ſed dicamus cum Gal. [a] *Vis vt oſtendam tibi in microcoſmo Solem? oſtendam oculum, organum lucidiſſimum, & Soli quamſimillimum; ſed quid Sole præſtantius?* vnde [b] *Tanta fabricæ excellentia oculus præter alia omnia ſenſuum inſtrumenta, præditus fuit. Cerebrum* [c] *autem locatum fuiſſe in capite, propter oculos; reliqua verò ſenſoria omnia propter cerebrum*, idem protulit. At quoniam hæc huiuſmodi hominibus, aut ignota, aut non ſatis conſiderata eſſe ſolent; ideo luce orbati, veluti talpæ promiſcuè, imò alacrius uiuunt, & laboris ſibi infenſi vacui, ſecuri pingueſcunt. Vnde parui feciſſe patientem hunc oculorum ſuorum morboſum primum ſtatum pro certo habendum. Quare non mirum, ſi à prima ophthalmiæ acceſſione neglecta, caloris, & doloris cauſa per venas aquoſa, imò mucoſa materia ad ſpatium [d] non exiguum, inter corneam, & cryſtallinum, attracta fuerit, ibique magis denſata, obiectorum viſibilium intromiſſionem intercipiens, in oculorum altero abolitam, in altero verò valdè imminutam reddiderit viſionem, & hypochymata, ſeu ſuffuſiones tandem produxerit; facilè namque id contingit in capite calida, & humida intemperie laborante, à toto quoque genere venoſo non leuem fomitem, atque conſenſum ſuſcipiente.

a 3. de Vſu Par. x.
b 7. de Dec. 5.
c 8. de Vſu Par. 5.
d 2. de Vſu Par. 1. & 4.

Harum verò ſuffuſionum altera, ut conſummata, & in tertio gradu, omnino inſanabilis; altera verò in ſecundo vix curationem admittit; incipiens [e] namque ſola diſcuti poteſt; quanquam & in hac [f] quoque, promiſſiones medicamentorum magnæ ſint; effectus autem nullus, aut valdè exiguus, potiſſimum hoc anni tempore frigido, in hoc homine rudi, non Viro, & omnium minimè, ſi annexam haberet ophthalmiam, prout iudico, quæ vt cauſa ſine qua non prius remouenda foret.

e 14. Meth. 19.
f 4 per Loca 4.

g 1. Acut. 3

Quare vix uera, atque legitima curatio tentanda; g in cuius gratiam prognoſticum proponitur; quam ſi moliri animus eſſet, materia fluens, & fluxa attendenda, fluens euacuanda, reuellenda, eiuſque generatio inhibenda; fluxa calefacientibus moderatis reſoluenda; oculique tandem intemperies corrigenda foret.

Et ſi de ſanguine mittendo loquamur, ratione ſuffuſionis, nec Gal. nec Auicen. vſquam hoc præſidium admittunt, à Rhaſi quinetiam prohibitum, vt quod poſſit materiam magis refrigerare, atque incraſſare; niſi in corpore plethorico, & cùm ſuffuſioni Ophthalmia adiuncta eſt. Venæ hæmorrhoidales tamen in caſu præſenti, aperiri poterunt. Pedum item lotiones, & frictiones aſperæ dorſi; Cucurbitula in occipite magna, ſicca, & repetita ex uſu erunt. Sicut & ſetaceum, purgato toto, & capite forſan proderit; aliter enim in corpore Cacochymo, plus attrahit a toto ad caput, quàm euacuet, & ſæpè celerius occęcantur.

h 4. per Loc. c. Vlt.

Purgatio ineunda, & repetenda, tum totius, tum capitis, à te prudenter præſcripta; & inde ad decoctum ex Guaiaco, viſco querc, & ſantalo deueniendum, additis decoct. euphragia, & chelidonia. Interim topica attenuantia, & reſoluentia oculo admouenda; inter quæ præſtantiſſima duo Gal. h ſunt; alterum ex ſucco fęniculi, marrubij, melle, & fellibus compoſitum, deſtillatis omnibus B. M, ut fiat aqua adhibenda; alterum eſt efficaciſſima, Aqua Quercet. ℞. croci metall. ʒ i. aq. euph. aut chelidon. ℥ iiij. m. pro collyrio.

Vinum oligophorum pro potu, ex iam dictis parari poterit; quanquam acutius uideant, qui aquam bibunt, ex Ariſt. Degat in cubiculo clauſo, ſed ſine igne, & qualibet hebdomada pil. aliquam ſumat; atque in reliquis, prudentiſſimis tuis mandatis obtemperet. Faxit Deus ne oleum, & operam perdamus,

---

LXXIX.

SVFFVSIO INCIPIENS.

a 8. de Vſu Part. 5.
b 1 de Vſu Part. 8.

TAnti fecit Gal. in homine oculos, ut cerebrum a locatum fuiſſe in capite, propter eoſdem exiſtimauerit; reliqua verò omnia ſenſoria propter cerebrum ipſum; & ideo in eorum exaltationem, exclamabat b. *Vis ut tibi oſtendam in Microcoſmo Solem? oſtendam oculum, organum luVidiſſimum, & Soli quamſimillimum, ſed quid Sole præſtantius.* Iuremerito igitur Illuſtriſs. ac Sapientiſs. Vir, ſolius oculi nouum repentinum ſymptoma reformidans, conſulit medicos, ſolicitus quidem de eiuſdem naturæ, cauſarumque dignotione, licet anceps in remediorum uſu. Cui ego lubens morem gero Æſculapij prudentiam, ac diuinam tuim Artis mihi exoptans, ut eiuſdem oculo inculpatam valetudinem reſtituere, totique corpori Neſtoream præſeruationem præſcribere valerem; pro mea tamen, quæcunque ſit, virium tenuitate meam hac de re ſententiam ſic in medium profero.

c 1. de Loc. Aff. 2. & 5. de Loc. Aff 6.
d 2. de Sym. Ca. 2.

Sicut ſimulachra falſa, oculis obuerſantia, & oberrantia, *Imagines* à Gal. c dicta fuerunt, quæ ſpuriæ ſuffuſioni contingunt; ita eadem immota, & firma, *Idola* idem nominare ſolebat, legitimæ incipientis ſuffuſionis propria; cuius utriuſque affectionis immediata cauſa, eſt albugineus humor infectus, in ſpuria quidē à vapore; in legitima verò, qualis hęc eſt, ab humore, eoque non mucoſo ipſius albuginei humoris excremento, quod nonnunquam ſenſim, ac ſenſim pupillæ obtenſum concreſcit; ſiquidem neque ſenex eſt Illuſtriſs. Patiens, nec frigidum valdè, ſiue humidum caput habet; ſed portiuncula impuri ſanguinis, ex rudi in ore ciborum maſticatione facilè prouenientis, à toto tranſmiſſi, neq; à capite ob ſtudia ſatis elaborati, & ad oculum, utpote partem natura imbecilliorem, atque fatigatam, e per venas in albugineum humorem, nutritionis gratia demandati, qui ideò in ſpatio non anguſto, inter corneam, & cryſtallinum, ad angulum dexterum firmatus, dum pupillæ obuerſatur in oculi motu, leuiſſimam videndi diminutionem, ſiue impedimentum inducit, & quidem circulare potius, quàm per diametrum, quia humor crudus, craſſior in circumferentia, tenuior in centro eſt.

e 2. de Vſu Part. 4.

f 4. de Loc. Aff. 2.

Affectus quidem magnifaciendus, cùm f *Spatio menſium viſionem tenebroſiorem reddere ſoleat*; etenim ab oculi frigiditate magis magiſque in dies denſatus humor, tandem (ut Actij

verbis

verbis utat) congelatur, etiam ſine nouo crudi ſanguinis affluxu; qua ratione uniuerſales
totius corporis, & capitis expurgationes, à medicinæ ſcriproribus, & Profeſſoribus inſtitutæ,
ut plurimùm irritæ euadunt; vnde Gal. dicebat, quod g *Promiſſiones medicamentorum om-* g 4. Per Loc.4
nium. in ſuffuſis, magnæ ſunt, ſed effectus, aut nullus, aut valdè exiguus. Quòd ſcil. hic affectus ſit
præterfuſio humoris inter corneam, & cryſtallinum, ut aptiſſimè Paul. h & Orib. Nihilomi- h 3. de Re Med 22 S.
nus, quoniam & Hypochyma in principio adhuc diſcuti poſſe, & ipſe Gal. credidit, aliquid Syn. opt 47.
moliendum, ſed cautè, ut topicis materiæ attenuatio, ac diſcuſſio, ſiue reſolutio adhibe- i 14 Meth. 19.
tur, atque congrua viuendi ratione ſanguis in toto, perfectiori coctione depuretur, ne
cauſa, quæ nunc antecedens exiſtit, humorem albugineum magis inficiendo, coniuncta
euadat.

Primæ intentioni pauca ex pharmaceutico fonte depromenda ſatisfacient; ſecundæ
verò ex diætetico ſelectiora uſurpanda maximè conferent. Nec locum hic haber, quod k 4, Meth. 4.
oculum k curare ante caput non licet; neque caput ante totum corpus, ex Platone in Char-
mide, & Gal. ſiquidem corpus non habemus cacochymum, & caput repletum, nec oculum
continua fluxione tentatum; & ideo Viri Illuſtriſs. genio obtemperare poſſumus, duabus
duntaxat iam dictis intentionibus ſatisfacientes, & à leuioribus topicis, ad validiora pro-
cedentes.

Primò itaque præmiſſa leui, ſi placeat, ventriculi, & primarum viarum expiatione, pilul.
maſtichin. & ex aloe, ſub cibum aſſumendis, paretur collyrium ex aqua à pane expreſſa,
non valdè cocto, adhuc calente, ſubacto cum puluere fœniculi, euphragiæ, chelidoniæ, &
melle, inter duo vaſa ſtannea incluſo; qua tepida, in vola manus diutius detenta, potiſſimũ
ieiuno ventre, oculus madefiat, & abluatur. Interim paretur altera efficacior, pluribus
poſt diebus admouenda, à Gal. deſcripta, l & à me ſæpiſſimè Patientibus præſcripta, ex l 4. Per Loc. Vlt.
ſucco fœniculi, marrubii, cum felle bouis, vel teſtudinis, & melle, omnibus B.M. deſtillatis.
Tandem efficaciſſimum ophthalmicum eſt aqua Querc. ita parata. ℞. croci metall. ʒ i.
aquæ chelid. ℥ v.m. cuius guttulæ frequenter in oculum inſtillentur. Crocus autem metal-
lorum fit ex antimonio, & nitro an. ſemel calcinatis.

Alteri verò intentioni implendo, circa viuendi normã, nonnulla obſeruanda veniunt. &
Primò vitetur aer ventoſus, tum auſtralis, tum aquilonaris; ſic diuturna mora ſub ra-
dijs ſolaribus, & ad ignem; mane verò aeri ſub dio ſeſe non exponat ante pectinationem,
nec detecto capite.

Secundò caueat ab edulijs craſſis, viſcidis, atque vaporoſis, & potiſſimum à lactarijs
quibuſcunque, à carne ſuilla, à laganis, à lactuca, ab apio, à vinis generoſis. Panis fœni-
culo, vel cymino condiatur, & vinum euphragiatum paretur. Claudatur prandium con-
ſerua euphragiæ, aut roris marini, & prima in ore ciborum attritio perfecta fiat.

Tertiò ſomnus meridianus ſit breuis, & diſtet à cibo, ac vitetur decubitus in latus dex-
terum.

Quartò exercitium ante cibum quammaximè prodeſt, ſicut nocet repleto ventriculo;
Frequentes lotiones pedum affectis oculis commendabat Hipp. ſed perfecta ciborum co-
ctione.

Quintò aluus lubrica ſeruetur, iuſculis, paſſulis, prunis coctis cum ſaccharo, ſi opus
fuerit.

Et tandem, ut oculus corroboretur, tum ad præſentem humorem attenuandum, ac diſ-
ſipandum; tum ad antecedentem cauſam arcendam, atque repellendam, defatigari non de-
bet, ſed legendo, aut ſcribendo modicè eo vtendum ante, nullo verò modo poſt cibum.
Quæ pauca Viro Illuſtriſſimo, ac optimè merito à D. O. M. ſalutaria enixè precamur

Digitized by Google

LXXX.

VISVS LÆSIO.

FRequentibus tuis humaniſſimis epiſtolis citius, vt par erat, reſpondere non potui itinere diſtractus, ad curam accerſitus Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. Antiſtitis Vicentini, Dominationi tuæ Illuſtriſſimæ amore quammaximè coniuncti; quē Diuina ope, ab acutiſſimo morbo benè valentem reliqui. Modò igitur conſideratis Doctiſs. Mercurialis locis adductis reſpondeo, Auctorem hunc, cum Auic. nil aliud indicaſſe, quàm obſcuriſſimas illas maculas imagines repræſentantes, & moleſtiam potius, quàm morbū inducentes, vel in tunica cornea, non in albugineo humore fomitem habere; vel ſi in hoc, non è directo pupillę occurſare; alioquin ſibi contradixiſſet, dum aſſerit eodem capite, quod ab imaginibus latis nigris ferè ſemper futuræ ſuffuſiones prænunciantur. Ratio autem diſcriminis eſt, quod in primo caſu eędem imagines in cornea potius, à pupilla diſtantes; in ſecundo verò, in albugineo humore exiſtunt, recta linea pupillæ eidē oppoſitæ; vnde meritò imminentis ſuffuſionis periculum impendeat; atque ita interpretandus Auicennæ[a] locus: etenim ſi ſoli vapores, etiam per conſenſum tranſmiſſi, nec eſſentialiter in oculo eleuati in materiam concreſcere, & ſuffuſionem proceſſu temporis producere poſſunt, quid de maculis, materiam iam concretam ſignificantibus, erit dicendum? Verum tamen eſt, capilliformes imagines, & catenularum, ſiue orbiculorum forma ægrius, atque difficilius ſuffuſionem prædicere, ac indicare poſſe, quàm cæteras denſas, & latas imagines, vt ſunt muſcæ præteruolantes; quoniam hæ materiam craſſam, iam coactam, & compactam demonſtrant; illæ verò tenuem, ratione cuius tenuitatis non ſolùm, verùm etiam diſtantiæ, difficulter denſari, & coaleſcere poſſunt; cùm circumferentiæ circulares non adeò facilè vniantur; quæ tamen conditiones à metu futuræ ſuffuſionis nos omnino eximere minimè poſſunt, potiſſimum in caſu noſtro; cùm in circuli medio nebula quædam, licet tenuiſſima iam obſeruetur, cui facilius vapores accedere, & accreſcere poterunt. Ideo iure à ſumma tua prudentia, ſicuti non ſpernendæ, ita neque omnino formidandæ.

a Ter. 3. Trac. 4. Cap. 9.

Poſterior verò epiſtola tua, non leui ſolatio mihi fuit, cùm ex ea cognouerim præteritorum experientiam facilius te ad aliquorum medicamentorum uſum impuliſſe, quàm Medici fidem; ego namque parum, imò nihil modum curo, dummodo optatum finem obtineā.

Equidem macula illa obſcura, quæ Antiſtiti Illuſtriſſimo iam apparuit, denſaræ euapotationis, ab inferioribus partibus eleuatæ effectus euanuit, tum quia color eiuſdem calidam euapotationem præſerebat, tum quia noua eiuſdem copia in oculis fuit ope medica, diſſipata, in corpore cacochymo, tum medicamentis purgantibus, tum maximè diuertentibus, quorum mineram potius in hepate, quàm in ventriculo delituiſſe crediderim, habita totius, & iecoris temperamenti ratione; quæ ideo facilius præſtari poſſe, in corpore boni habitus, ſumma cum ratione ſperandum; in quem finem, cauterium in brachio dextero, non ſolùm nihil lædere, verùm & magnoperè prodeſſe poterit; ſicut & modica ex venis ſedalibus ſanguinis eductio, ut fiat à capite reuulſio vaporum, à toto venoſo genere, ut in præcedenti diximus, ad caput eleuatorum; ratione cuius antecedentis cauſæ, & frequentes pedum lotiones conuenientiſſimæ erunt, licet ab ijs cauſæ coniunctæ diminutio non ſit ſperanda. Sic pariter poſt alterantium, à Viro Excellentiſſimo propoſitorum vſum, aliquod purgans medicamentum eſſet opportunum ante topicorum adminiſtrationē, ut pilulæ propoſitæ lucis, & anteæ; cum oculum curare[b] ante caput non liceat, nec caput ante totum corpus; vnde pilulæ aggreg. cùm elect. lenit. præmitti poterunt, ſi non bis, ſemel ſaltem, mox ad aureas, & lucis progreſſu facto; quo tempore maſticatoria vtiliſſima forent, ex maſtiche, cera, & puluere fœniculi parata. Interim conſeruæ erunt parandæ ex floribus euphragiæ, & beton. ſub ingreſſum lecti aſſumendæ.

b 4. Meth. 4.

Et cum in præſens alia mihi non occurrant, Deum, vt vota noſtra ſecundet, enixè rogo, & me æternùm tibi dico, & addico.

V I-

LXXXI.

VISVS LÆSIO.

ILluſtriſſimi, atque Reuerendiſſ. Antiſtitis viſionem in utroque oculo læſam eſſe, ab eodem accepimus, eamque imminutè ab ineunte ætate, in oculo ſiniſtro, quo ſolo adaperto legere, aut ſcribere uix vnquam potuit; in dextero verò, vndecim abhinc annis, deprauatè quidem, dum obiecta, fulua macula inſecta conſpiciebat, quæ nulla erat; ſed & imminutè, quoniam nonniſi obiecta proxima diſtinctè cernebat, eaque medio non omninò perſpicuo, ſed nebuloſo quodammodo exiſtente; diſtantiora verò valdè confuſa, adeò ut Lunam intuenti, eadem veluti globus igneus confuſus ipſi videretur, quæ tamen oculo ſiniſtro intentè conſpecta, diſtincta, cum ſua circunferentia apparebat. Tandem elapſo menſe cœpit oculus dexter, tum deprauatè, tum imminutè videre; deprauatè quidem, cùm circulares quaſdam atomos igneas conſpicere ſibi viſus ſit; præterea maculas albas, & demùm fumo, ſiue puluere obiecta circunfuſa, unde imminuta quoque dextri oculi viſio reddita eſt, eadem ſemper ſiniſtri oculi debili viſione ſuperſtite.

Hæc autem ſiniſtri oculi læſio, ſiue videndi imbecillitas, ſicuti antiqua, imò innata, ita à nobis expendi quidem, nullo tamen modo ſanari poteſt; etenim ab inopia ſpirituum proueniſſe credendum, non quod geniti non fuerint, ætate vigente, ſed quia eorundem influxus ad neruum opticum fuerit interceptus, à ſemiobſtructione, aut naturali anguſtia optici nerui ſiniſtri.

Læſionem itaque dexteri oculi, effectuſque diuerſos ad examen reuocemus; inter quos quidem macula illa fulua, quæ iam vndecim abhinc annis apparuit, ab euaporatione terrea, ac melancholica, à viſceribus naturalibus eleuata, & albugineo immiſta, ortum habuit, ſpuriæ ſuffuſionis ſpecie; quæ ingraueſcebat ſemper in diſtanti, quoniam conus diametralis obiectorum, qui ferit in puncto pupillam, pyramidaliter ſemper verſus obiectum magis diffunditur, ad cuius dilatationem, licet macula ipſa non amplior fiat, maius tamen fit impedimentum viſionis diſtantioris obiecti. Hęc autem macula ope naturæ, ac medicinæ euanuit quidem; ſed poſt attenuationem, ac reſolutionem nonnihil ſedimenti craſſioris, albugineum humorem inficientis reliquit, quod eiuſdē priſtinam perſpicuitatem offuſcauit, ut obiecta non amplius, ut antea, clara, & pellucida cernerentur, & diſtantia, ut Luna, confuſa apparerent, ob radiorum refractionem, cùm propter humoris albuginei craſſitiem non adeò expeditè, ut prius ad pupillam pertingere potuerint. Quam albuginei infectionem, per venoſum genus poſtremò adauctam fuiſſe credendum, ob lucidos orbiculos oculo obuerſantes, quod non aliundè, quàm à refractione viſoriorum ſpirituum, ad viſionem concurrentium; & in opacum, ſiuè craſſum humorem impingentium prouenire poteſt; prout maculæ albæ albos vapores, à minera non exuſta, & melancholica, ſed potius pituitoſa eleuatos, cauſam agnoſcunt; quorum portio denſata, & albugineo humori immiſta, perſpicuitati officiens, & priorem obtenebrationem adaugens, viſionem quoque magis offuſcat, atque adeò ſuffuſionis eſſentialis nobis præludium exhibet.

Vtinam verò eius ſanatio ita facilis eſſet, prout res ita ſe habet. [a] *Promiſſiones enim medicamentorum in ſuffuſis, magna quidem ſunt; verùm effectus, aut nullus, aut valdè exiguus*; præcipuè a 4. Per Loc. 4.
verò ætate ſenili. Nihilominus, cùm [b] *Suffuſionem incipientem ab initio diſſolui poſſe*, ex eodem b 14. Meth. 19.
Gal. habeamus, & potiſſimum cùm hanc, nonniſi diuturno tempore abſolui poſſe ſperemus, & viſionem interim oculi ſiniſtri, eodem ſtatu, quo antehac, futuram; ideo intentata non ſunt relinquenda remedia, quæ poſſint calorem natiuum oculorum fouere; tunicas rarefacere; vaporem denſatum attenuare, atque inſenſibiliter reſoluere; omnium maximè diuerſionibus incumbendo.

Quibus intentionibus vt ſatisfacere tentemus, in fonte Chirurgico, quælibet omittenda ſanguinis miſſio; quoniam humor peccans pituitoſus, & frigidus eſt, ac debilis oculorum calor. Pro diuerſione materiæ antecedentis, fonticulum alteri brachio inurendum cenſemus; ſicut quotidie ſummo mane, antequam è lecto ſurgat Illuſtriſſ. Pat. frictiones

aſperæ

aſperæ de more in uſum ducantur, à nucha uſque ad nates perducendæ; ueſperi verò ante cibum, frequenter adhibeantur pedum lotiones, aqua calente.

A Pharmaceutico pariter deſumi poſſunt diuertentia medicamenta, quæ à venoſo genere euacuent; ſiquidem, vt dictum fuit, materia cruda per venas oculo ſuggeri poteſt. Quare ſemel, aut bis per menſem, aggregatiuæ, & cochiæ pilulæ ſimul miſtæ, opportuniſſimæ erunt, noctu ſtatim à primo ſomno aſſumptæ. Interim oxymel in promptu domi habeat, ex melle, aceto, & aqua euphragiæ compoſitum, facta prius in aqua, & aceto maceratione foliorum chelidoniæ, vel ſummitatum ſœniculi; cuius hauſtum frequenter aſſumat Pat. Illuſtriſſimus mane, ieiuno ventriculo.

Topica rarefaciendi, attenuandi, & reſoluendi facultate polleant, in quibus medicamentum à Gal. c propoſitum, & à me frequenter uſurpatum in uſu eſſe poterit, nempe aqua ex

c 4. Per Loc. vlt.

ſuccis euphragiæ, fœniculi, chelidoniæ, praſſij, additis fellibus, & melle cum fauis, aut ſine iiſdem B. M. deſtillata; Ophthalmicum quoque, vt præſtantiſſimum celebratur à Quercetano, ex croco metallorum, in aqua Chelidoniæ, aut euphragiæ diſſoluto. Et quoniam non adeò facilè penetrare poſſunt, ob corneæ tunicæ denſitatem; ideo monet Auenzoar, ut prius rarefiat tunica ſuffumigio ex vino maluatico, in quo globulus croci ſit infuſus; quod vinum in vas, ſeu phialam vitream iniectum, calefiat, cuius orificium oculo accommodetur, & ita aperto oculo fumus ille recipiatur; mox ſtatim à ſuffumigio, iubet ophthalmica eſſe apponenda.

Quibus paucis congrua victus ratio addenda, abſtinendo à vaporoſis omnibus, & potiſſimum à lactariis, lactuca, hippoſelino, allio, cæpis, à vinis generoſis; ab alimentis item craſſi, & viſcidi ſucci, vt à carnibus ſuillis, anſerinis, anatinis, auium paluſtrium, piſcibus ſquamis carentibus, vt anguilla, Tinca, & aliis huiuſmodi. Fugiat crepuſcula. Dormiat ſupinus, ſi fieri poſſit, & quam minimùm legat, aut ſcribat. Quæ omnia Illuſtriſſimo Viro ex animo ſalutaria precamur.

LXXXII.

SVFFVSIO INCIPIENS,

PAt. Nob. iuuentute florenti, temperamenti ſecundum totum calidioris, & humidioris, quinque circiter abhinc annis, oculi ſiniſtri pupillæ obuerſari cepit minutulū quid, quaſi punctum nigricans, non ſine moleſtia, ob quam illi abigendo manum frequenter admouere coactus fuit. Hoc autem ſenſim adauctum vſque ad orbiculi figuram, ſeſe paulatim in plures adhuc orbiculos, quaſi concatenatos multiplicauit, qui tandem in circulum coaleſcentes vniuerſum pupillæ obtenſum ſpatium occuparunt, & adhucnum occupant, cum viſionis læſione. Quod autem tunc in oculo ſiniſtro, in dextro nunc contingere incipit, eadem prorſus ſpecie illudens, puncti ſcilicet primùm ſimplicis, mox ſeſe amplius explicantis; ad cuius expanſionem, cernit quidem obiecta etiam diſtantia, maiora tamen ſolùm, & in medio luminoſo; at parua, licet propinqua, in medio ſubobſcuro, vel non diſtinguit, vel difficulter; literas nempe, ſyllabas, & huiuſmodi. Nec prætereundum, ex materia affluente ad gingiuam dexteram, tumorem ipſi enatum, qui augmentum euidens ſuſcipiens, ad uſum cauſticorum coegit Medicum, quibus ſublatus eſt, indicio capitis calidioris, & humidioris; cuius cauſa, Patiens ſemper etiam à pueritia defluxionibus fuit obnoxius. Plurimis verò, non tamen generoſioribus remediis in caſſum adminiſtratis, modò de agendis conſulit.

Sicuti ſimulachra falſa oculis obuerſantia, quæ ſtabilia nō ſunt a *Imagines* à Gal. dicta fuerunt, ſpuriæ ſuffuſionis indicia; ita quæ immota, & firma b *Idola* idem nominare ſolebat, legitimæ, & in primo adhuc gradu ſuffuſionis propria; quarum utraque immediatè ab inquinamento humoris albuginei procedit. Hic autem coinquinatur in ſpuria, à vapore; in legitima verò, ut hęc noſtra, ab humore. Idola uerò paulatim multiplicata cenſemus ex adaucto albuginei inquinamento, quæ perforata apparent; quia denſitas eiuſdem in pupillæ centro conſiſtit; & vagantur huc illuc, quia motum albuginei humoris ante pupillam

a 1. de Loc Aff. 2.
b 3. de Symp. Ca. 2.

ſequun-

ſequuntur, & opacitate adeò viſionem intercipiunt, & obſcurant, vt Pat. obiecta diſtantia, non niſi magna diſcernat, prout propinqua medio abundè luminoſo egent, illuſtrandæ eidem opacitati, vt videantur.

Cauſam verò non facilè admiſerim mucoſum aliquod excrementum ipſius albuginei humotis, ſenſim pupillæ obductum, & concretum; ſiquidem nec ſenex eſt Nobiliſſimus Patiens, nec frigidius, licet humidius, ut audio, caput habet; ſed potius impurum ſanguinem in toto redundantem, nec ſatis in capite elaboratum, tumoris quoque antehac in gingiua ſuborti auctorem, per venas, in albugineum humorem, nutritionis gratia tranſmiſſum, qui aliquam à calore heparis, & capitis exuſtionem adeptus, Idola nigricantia oculis offudit.

Affectus quidem, qui celeri indiget reparatione; cùm alioquin ſpatio[c] menſium ſemper tenebroſiot fiat viſus; cauſæ namque antecedenti, atque fouenti potius, quàm coniunctæ mederi nobis licet. Nihilominus, quia hypochyma adhuc[d] incipiens diſcuti poteſt. *Et [e] paruæ oculorum tranſmutationes ſedari poſſunt*. Ideo ſalus deplorata non eſt, præſertim cùm Patiens ſit iuuenis, cui nonniſi ab exuſtione maior metuenda concretio.

[c] 4. de Loc. Aff. 2.
[d] 14. Meth 19.
[e] 2. Prad. 28.

Pro curatione itaque conſideranda materia fluens, & fluxa; fluens euacuanda, reuellenda, eiuſque regeneratio inhibēda; fluxa moderatè calefacientibus attenuanda, reſoluenda, non ſine tandem aliqua oculorum roboratione. Et quoniam[f] oculos curare, ante caput non licet, neque caput ante totum corpus; ideo ab vniuerſali purgatione inchoanda curatio, & quod primum in intentione, in executione ultimum ſit oportet.

[f] Plato in Charmide, & 4. Meth. 4.

Quibus implendis intentionibus, inter remedia chirurgica, licet Gal. & Auic. nullam de ſanguinis miſſione mentionem fecerint, quæ à Rhaſi quinetiam prohibira fuit; attamen, ratione impuritatis ipſius ſanguinis, & caloris, cum hepatis, tum capitis, ſanguis ex brachio prima vice educi poterit, & ex venis ſedalibus ſecunda. Cauterium præterea, in brachio ſaltem, profuturum ſperamus. Pariter in uſum ducat frictiones dorſi, à nucha uſque ad crura matutino tempore, antequam ſurgat; ſicut & pedum lotiones aqua calente, veſpertinis horis ante cœnam.

Inde Pharmaceuticis remediis perficiatur curatio, præmiſſa primarum uiarum repetita expurgatione, interpoſita conuenienti præparatione ſine diluto; mox ulterius præparandi humores oxymel. ſimpl. ad ℥ iij. cum aq. agrim. parato, addita decoct. cichoraceor. agrim. meliſ. & beton. à quibus expurgentur humores, uel elect. Diacathol. Diaphen. cum caſ. uel infuſione Rhab. Agar. & Sennæ, cum ſyr. roſ. ſol. & exigua portione mannæ; uel pil. de hieta cum agar. & de trib. cum Rhab. ab his epota copioſa aqua hordeacea. Hinc ad capitalia præparantia deueniendum, qualia erunt ſucc. uel ſyr. de beton. de ſtœch. & oxym. cum decoct. cichot. borrag. end. ſonc. beton. euphrag. chelidon. & tribus poſt diebus præberi poterunt pil. coch. cum aureis, & lucis; præbendo ab his aut aq. Noc. aut hordeac. & tribus alijs diebus intercurrentibus cum præparatione, repetendæ pil. & ſic tertia vice, cum eadem tamen dierum alternatione. Poterunt tandem præberi pilul. cum hellebor. præparatæ, quas ordine præſcripto profuturas ſperarem. Interim his diebus, & per maſticatoria, & per leuiſſima erthina caput expurgati poterit, vt de Loc. in Homine præcipit Hipp.

Quo tempore capitis intemperies auferenda, aut ſaltem remittenda; in quē finem præſentis auxilij futurū cenſeo ſudorem, cum accōmodato decocto; ni tempus æſtiuum id nobis prohibeat. Suppoſito itaque, quod neceſſariæ expurgationes peractæ fuerint, paretur decoctum ex Salſa, Viſ. querc. lig. Ror. mar. aut Saſſaf. in aq. beton. & euphrag. præmiſſo bol. ex extrac. ſalſæ, & pul. uiper. Quod ſi nondum incepta fuerit purgatio, illius uſum admittimus quidem, at ſine ſudore, adeò ut ualeat caput exſiccare, at non humores admodum fundere, atque liquare, cuiuſmodi eſſe poterit, ex rad. arundinis, lig. ror. mar. & ſantal. in prædictis aquis paratum, cui præmitti poterit pul. viperin. ad gr. xv. uel xx. ut qui valeat humiditates exſiccare, & per inſenſibilem tranſpirationem diſcutere, cùm velociter ad cutem properet, ut xi. Simplic. dicebat Gal. Quo tempore attenuaņs uictus ratio, licet non tenuis, erit ſeruanda, a uino abſtinendo, & decimo quoque die, pilulis capitalibus exhibitis.

Ab uſu decocti ad calorem hepatis, & venarum contemperandum, in uſum ducatur ſuccus aliquis herbarum depuratus ad ℥ iiij. in iure, in quibus ſuauior erit Acetoſæ matutinis horis, ſaltem per menſem. Sic a prandio, & cœna vtatur conſer. roſar. & nonnunquam euphrag. vinumq; ad menſam ſantalis rubris, & euphragia ſit medicatum. Dum hæc om-

nia fiunt, topica quoque ophthalmica conſideranda veniunt, & adminiſtranda. Sic parari poterit aq. deſtill. ex medicamentis à Gal. 4. per Loc. propoſitis, ex fellib. mel. & ſuc. marrub. quibus addi poterunt quoque ſuc. fœnic. & chelidon. à me uſu comperti. Crocus quinetiam metallor. qui fit ex antimon. & nitro ſemel combuſtis, in aq. chelidon. aut fœnic. eſt efficax opthalmicum; ante quorum uſum, admittat in oculum Patiens ſuffumigium, ex croco, qui in vino albo generoſo efferbuerit, per phialam uitream oris anguſtioris, ita ut oculo adaptari poſſit; rareſiunt enim tunicæ, & attenuantur humores ita, ut mox facilius uis ophthalmicorum penetrare poſſit, Auenzoaris inuento.

Quibus omnibus congrua victus ratio addenda, unde caueat ab edulijs craſſis, viſcidis, dulcibus, ſalitis, & acribus; caueat pariter a cancris, ut qui à proprietate noceant. Panis condiri poterit fœniculo; & vinum, ut diximus, Euphragia, & hyberno tempore, rore marino, aut ſaſſafras. Veneris uſus etiam firmiſſimos oculos lædit. Aluum aliquando ſollicitet pil. aliqua maſt. & quamminime legat, aut ſcribat, a cibo potiſſimum. Quæ omnia, licet operoſa nunquam tamen ſufficiunt in re tanti momenti.

LXXXIII.

SVFFVSIO PROGRESSA.

VTriuſque oculi pupillam, ſed ſiniſtri potius, quàm dexteri, turbatam, & aquæ marinæ perquam ſimilem, in ſene Nobiliſs. conſpicimus, qui paucis abhinc menſibus, de viſus diminutione, breui temporis ſpatio valdè adaucta cõqueritur; quē ideo ſuffuſione, nõ incipienti ſolùm, ſed valdè progreſſa laborare credimus, ex catarrhali ſcil. materia, qua ſcatet caput, per venas ad albugineum humorem inficiendum, inter

a 10. de Viu Part. 4. — corneam, [a] & cryſtallinum collocatũ præterfuſa, ut verbis Aetii utamur, [b] & Pauli, quæ ſicut quotidie craſſior redditur, & congelatur;

b Tetr. 2. Sermon. 3. Cap. 51. & 3. de Re Med 22. — ita ſemper magis viſibilium obiectiorum irradiatio ad pupillam intercipitur; quod pauco temporis ſpatio in Sene Nob. contigit, tum propter ſenilem ætatem, tum propter oculos glaucos, & naturalem eorundem imbecillitatem, non parum quinetiam adminiculante quotidiano, diuturno, & intempeſtiuo oculorum exercitio, potiſſimum in alearum ludo.

Status Nob. Pat. celerrimo quidem indiget Medici auxilio; quoniam præceps eſt viſionis lapſus, adeò ut breui temporis interuallo ferè ad integrã viſionis abolitionem deuenerit; licet re vera difficillimum ſit eidem opem ferre, & ſuffuſionem perfectam inhibere;

c 4. per Loca 4. — ideo dicebat Gal. quod [c] *Promiſſiones medicamentorum in ſuffuſis, magnæ ſunt; uerùm effectus, aut nullus, aut valde exiguus.*

Nihilominus medicum auxilium nulli denegandum eſt; ſiquidem ex Hippocrate multi quoque præter ſpem ſanati fuerunt; quod ſi id conſequi nobis non liceat, omnia ſaltem agenda, ut inhibeatur cęcitas, nouam ſcilicet materiam catarrhalem, in oculum fluentem inhibendo; & iam influxam attenuando, ac reſoluendo; vel ſaltem eiuſdem concretionem remouendo.

Et quoniam corpus utcunque à Viris Excellentiſs. ab excrementis expiatum fuit; nec tempus permittit diuturnam corporis totius expurgationē; ideo ad capitis ſimul, & totius expurgationem deueniri poſſe credimus omiſſa qualibet ſanguinis miſſione; quæ quoniam & capitis, & oculorum frigiditatem augere, ac proinde materiam catarrhalem in oculo hærentem congelare poſſet, in ſuffuſione propterea curanda, tum ab Antiquioribus, tum à Recentioribus omiſſa fuit. Reliqua ordine executiuo præſcribemus.

Fiant itaque quotidie à capite diuerſiones veſpertinis horis, ante parcam cœnam, pedum lotionibus aqua calente, & mane antequam lecto ſurgat frictionibus aſperioribus à nucha incipiendo, ad nates uſque. Interim aſſumat pil. capitales tribus vicibus, quarto quoque die, quæ ſint Cochiæ, Aggreg. & Aureæ; tertia tamen vice aureis omiſſis, quibus ſubſtituantur pil. lucis. Intermedijs vero diebus, Maſticatorijs quoque capitis expurgatio tentanda, ex maſtiche, gingibere, pyrethro, & fœniculo cum cera. Et ſummo mane aſſumat ius cichor. borrag.

borrag. beton.euphrag. chelidonia, & ſtœchade alteratum; & expreſſis herbis,ut ius ipſum maiori vi polleat.

Expurgato capite, quoniam materiæ catarrhalis regenerationem prohibere impoſſibile cenſemus;ideo omni arte à capite eadem deriuanda,& ab oculis diuertenda;in quē finem, efficax, & præſens erit remedium, ſetaceum per poſticam pattem capitis tranſmiſsum,quo quotidiana ſequi poterit mareriæ catarrhalis facilis expurgatio. Et ne caput à toto corpore excrementa ſuſcipiat, congrua, & exacta uiuendi ratio à Viris Excellentiſs. Patienti Nob. præſcribenda fuerit. Interim localia non erunt negligenda, ut materia iam fluxa attenuetur, reſoluatur, & oculis ipſis calor aliquis, ac robur concilietur; in quam rem Venetiis habetur aqua ophthalmica aromatica in officina ad Signum S. Margaretæ; verùm præter hanc alia quoque parari poterit à Gal.[d] præſcripta, & celebrata, ex ſucco marrubij, Chelidoniæ, & euphragiæ, cum melle, & fellibus, aut animalium rapacium, aut Lucij, deſtillata. Sed celebratiſſimum quoque ophthalmicum apud Quercetanum habetur,crocus ſcil. metallorum in aqua Chelidoniæ diſſolutus, quod efficacius euadet, ſi portiuncula aquæ vitæ, & fœniculi eidem immiſceatur. Quæ ophthalmica, ut facilius permeare, ac penetrare poſſint, præcedere poterit, ex Auenzoare, ſuffumigium ex vino maluatico, croco alrerato, in vaſe vitreo, quo calente, & vaſis orificio oculo adaptato, fumus ab eodem excipiatur;ita enim rarefactis meatibus corneæ, facilius ophrhalmicorum uis ad materiam attenuandam peruadere poterit.

d 4. Per Loc.vlt.

Quæ in gratiam huius Patientis à nobis præſcripta, faxit Deus, vt eidem ſalutaria ſint.

LXXXIV.

MYDRIASIS, ET SVFFVSIO.

NObilem Iuuenem, qui me conuenit,audio de læſa viſione conquerentem, quòd nempe multis abhinc menſibus imminutè videat, atque deprauatè; viſio namque ſpatio menſium, tenebroſior eidem facta eſt; tum quoniam impedimentum quoddā oculis obuerſari ſibi videtur; tum quia ab iiſdem mediū nimis luminoſum perferri nequeat, ex quo ſequitur imperfecta, & imminuta viſio, maximè in diſtanti; deprauata verò, tum propter atomos, ſiue corpuſcula quædam, quæ ad oculi motum in ipſo eleuantur, & veluti muſcæ volitantes apparent; tum quia obiecta externa, ſi non bifida, aut geminata, ſaltem interciſa, & per medium veluti diſsecta videntur; & præterea, quia obiectorum, quæ reſpicit, color, quicunque ſit, illis medio valdè perſpicuo, eminere, & extare quatuor, aut plures digitos videtur.

Horum ſymptomatum præſentia pendet à morbis in via, nobis intuentibus, maniſeſtis; qui licet nunc unicus, duas tamen partes lædit, duplici nomine propterea nuncupandus, Mydriaſis ſcilicet, atque ſuffuſionis.Mydriaſis autem apparet, ex pupillæ[a] nimia dilatatione; Suffuſio verò ex eiuſdem offuſcatione, & ad cineritium colorem tranſmuratione. Qui vterque morbus unicam cauſam agnoſcit, catarrhalem ſcil. humiditatem, ab humido capite genitam, nec ut antea, per nares expurgatam,quin potius per venas vnà cum ſanguine illuc perductam, & aqueo humori immiſtam; quæ in Mydriaſi tunicam vueam, ſeu Rhagoeidem teplens, atque diſtendens eiuſdem foramen amplificauit; in ſuffuſione verò inter Corneam,[b] & Cryſtallinum præterfuſa, ſpecierum viſibilium illapſum quodammodo impediuit, & eiuſdem pupillæ colorem immutauit. A pupillæ verò dilatatione fit, ut radij viſorii obiectorum, qui, ut in cono, tandem per punctum ad oculum perueniunt, rarefactis, ac diffuſis ſpiritibus, punctum quoque ipſum ad latera dilatent; & quia obliqui radii, rectis multò imbecilliores ſunt; & præterea quoniam dilatata pupilla uberius excipit lumen, & improportionatum, ideo imminuta ſequitur viſio; deprauata verò, dum diuulſo cono, ſicut obiecta diſtantia attenuari dicuntur, ut exigua, aut inuiſibilia appareāt; ita propinqua adeò dilatantur, ut eorum color iiſdem eminere, vel extare videatur. A ſuſ-

a 1. de Symp. Cau. 2.

b 10. de Vſu Par. 4

fuſione verò primi gradus tantùm, aut ſecundi incipientis, viſio impediri cœpit, ob materiæ catarrhalis præſentiam, diaphaneitatem obſcurantis, & huc, atque illuc, atomorum forma oberrantis, atque obiecta viſibilia interſecantis; quia ſcil. nondum in vnum corpus concreuit; cùm progrediente affectu, ut utar verbis Aetij,[c] congelari, & omnino viſionem auferre ſoleat.

[c] Tett. 2. Ser. 3. C. 51

Horum autem affectuum ſuffuſio eſt Mydriaſi deterior; licet uterque difficilem ſanationem admiſſurus ſit; unde Gal. dicebat, quod[d] *Promiſſiones medicamentorum omnium, in ſuffuſis, magnæ ſunt; verùm effectus, aut nullus, aut valdè exiguus.* Attamen quoniam dixit quoque Hypochyſin[e] incipientem digeri poſſe; ideo non deſperanda ſalus, & potiſſimum cùm quatuor abhinc[f] menſibus, ut Pat. obſeruauit, viſio tenebroſior facta non fuerit; & quia non adeò facilè concreſcere, & congelari poteſt humor hac vigente, imò inualeſcente ætate, quod in decreſcente, & ſenili facilè fieri uidemus. Morbi itaque extirpatio nobis tentanda, ut ſaltem eiuſdem augmentum inhibeamus.

[d] 4. per Loc. 4.
[e] 14. Meth 19.
[f] 4. de Loc. Aff. 2.

Ad quod præſtandum, materia antecedens euacuanda, atque diuertenda; eiuſdem nouus prouentus prohibendus; & coniuncta calefacientibus, atque moderatè reſoluentibus diſſipanda, ordine à Platone in Charmide, ex ſententia Æſculapij propoſito, & à Gal.[g] recepto, quod oculum curare ante caput non licet, neque caput ante totum corpus.

[g] 4. Meth. 4.

Et ex Chirurgico fonte, primò deſumenda admodum parca ſanguinis miſſio, ex brachio, ut eiuſdem conditio exploretur; quæ mox reperatur ex hæmorrhoidibus, non quidem quòd affectus ipſi miſſionem ſanguinis exigant; ſed quia iuuenis eſt Patiens, nec ſanguis unquam illi hucuſque detractus fuit. Duo Cauteria geſtet, alterum in brachio, in coxa alterum. Pulueres capitales capiti inſpergantur exſiccantes, ex Cornu Cerui, roſis, oſſibus ſepiarum, Beton. & Maiorana.

Ex Pharmaceutico fonte depromenda Lenientia, Præparantia, totum, & caput Expurgantia, humidam eiuſdem intemperiem Corrigentia, materiam fluxam ſenſibiliter, & inſenſibiliter Reſoluentia, & tandem caput, & oculos Roborantia.

Lenientia eſſe poterunt lenit. cum tart. ſyr. roſ. ſolut. mel. roſ. ſol. & manna. Prima præparantia, mel. roſ. cum Iulap. acet. Primum verò purgans, Porio ex man. clarif. addito agar. in inf. Pro ſecunda præparatione, oxymel. ſimp. cum ſyr. de beton. in decoct. ſtœchadis, & ſaluiæ, aut maioranæ. Pro ſecundò purgante elect. lenit. Diaphœn. uel infuſio Agar. rhab. ſennæ; additis ſyr. & melle roſ. ſol. hauſta ab eo aqua hordeacea, aut iure hordei. Inde ad tertiam præparationem materiæ in capite redundantis deueniendum, intermediis repetitis purgationibus. Sic duobus diebus præbeatur præparans ex decoct. cich. borrag. end. meliſſæ, beton. maior. euphrag. chelid. addito oxymel. ſyr. de beton. comp. & de praſſio; mox propinentur pilulæ Cochiæ præp. Aureæ, & Lucis. Inde repetantur præparantia, & quarto quoque die, pilulæ ipſæ, tribus, aut quatuor uicibus; expurgato interim eodem capite per os, non per nares; licet enim Lib. de Loc. in Hom. Naſaria leuiora ab Hipp.[h] admittantur, ut quæ poſſint ab oculis deriuare, ſicut ſortiora ad oculos attrahere, attamen nobis hæc omnia ſunt ſuſpecta. Maſticet itaque aut fœniculum, aut fruſtulum Nucis moſchatæ, ſeu cinnamomi.

[h] de Loc. in Hom. 21

Toto, & capite ita ritè, & perfectè expurgatis, ad eiuſdem humidam intemperiem auferendam, & materiam coniunctam in oculis hærentem ſenſibiliter, & inſenſibiliter reſoluendam deueniendum erit, internis, & externis. Intrinſecus præberi ſolent decocta exſiccantia, quæ tamen ſine ſudore non ſolùm inutilia, ſed pernicioſa quinetiam experientia comperta ſunt; fundunt enim humores, qui niſi ſudore educantur, caput petunt, & implent, indeque ad partes affectas præcipitant.

Quare ſi renuat Patiens hypocauſtum, paretur decoctum exſiccans, non autem fundens, ex Ligno Buxi, Santalo, Ligno roriſmar. rad. Cannæ montanæ, & modica radic. Rhodia, additis foliis Euphrag. & Chelid. Sed quoniam iure uerendum, ne Patiens haud longo temporis ſpatio in cæcitatem incidat; ideo ad validiora hoc opportuno tempore deuenire conſultius fuerit; Decoctum nimirum ex ſalſa, Viſco quercino, ligno roriſmar, & modico Saſſafras, infuſione parata in aqua Beton. & Euphrag. ſtillaritia; cui præmittatur bolus ex gr. x. pulu. Viper. & totidem ſalis euphrag. & chelid. in hypocauſto, ad ſudorem, à capite, & à toto prolectandum.

Extrinſecus localia ophthalmica erunt adminiſtranda, quindecim à ſudore diebus, in quibus duo efficaciſſima habentur, alterum Crocus metallorum, in aqua euphragiæ, aut chelidoniæ diſſolutus; alterum aqua deſtillata ex ſuccis Marrubii, Euphrag. Chelid. melle, &

fellibus,

fellibus, piſcium ſaltem, quod eſt medicamentum ipſius Gal.[a] tepidum oculis apponendum. Verùm quoniam ſclerotis denſa eſt adeò, ut medicamentorum facultas uix penetrare poſſit; ideo Auenzoar præmittebat ſuffumigium, ex Croco, in uino albo feruefacto, per phialam oculo adaptatam, exceptum.

a 4. Per Loc. vlt.

Peracto ſudore, in uſum ducat Conſeruas modò Betonicæ, modò Saluiæ, modò Roriſmar. & Euphragiæ; Vinumque paretur Saſſafras, & Euphragia medicatum. Et ſi ad oculorum roborationem (quod faxit Deus) deueniri poſſet, ſat eſſet vti ablutionibus ex uino albo Euphragiato, in quo Aurum fuerit extinctum.

Caueat in victus ratione ab Aere nubiloſo, & caliginoſo; ab eduliis craſſis, viſcidis, dulcibus, ſalitis, acribus, & vaporoſis; & omnium maximè à Lactariis, & Lactuca; ab uſu Veneris. Lotiones pedum ante cœnam adhibeat, Aluum lubricam ſeruet, & alacri animo degat. Quæ omnia à conſummati Viri prudentiſſima directione pendere debebunt, ut optatum finem conſequantur, quem à Deo illi enixè precamur.

LXXXV.

SVFFVSIO CVM OPHTHALMIA, & Linguæ Stupore.

EX enarratis intelligo, Iuuenem Nob. qui ante uſum noſtrorum remediorum, ſemiparalyſi partis læuæ, cum oris, & faciei tortura affligebatur, cui accedebat quoque ophthalmia contumax, ad chymoſin uſque progreſſa, ſuffuſionis non leue præludium, modò poſt abſolutam medelam, à nobis Vere præterito præſcriptam, à ſemiparalyſi liberatum, ſuperſtite tantùm aliquo ſtupore in ore; ab ophthalmia item immunem fuiſſe, permanente ſola facili ad eandem diſpoſitione; atque tandem ſuffuſionem iam progreſſam, non parum imminutam eſſe, adeò ut obiecta ille percipiat, & literas legat.

Et licet, quæ adminiſtrata iuuant, repetita ſanare ſoleant, nihilominus in diuturnis affectionibus, ab humoribus heterogeneis prouenientibus, curatio ſępè mutanda venit; & calidioribus, ac tenuioribus expugnatis, & euacuatis, ſæpè craſſiores oppugnādi; ita in caſu noſtro, paralyſin à ſeroſitatibus omnis generis, tum bilioſis, tum melancholicis, atque exuſtis, liquatis cruditatibus immiſtis ortum habuiſſe, iam à nobis ſtatutum fuit, ab aliena, & improba uiuendi ratione, necnon à feruida ipſius iecoris intemperie genitis; prout ophthalmiam feruidum ſanguinem excitaſſe, atque fouiſſe; qui cùm cruditatis portionem comitem haberet, oculum ipſum etiam ſuffuſione affecit, & obduxit. Et quoniam vrgentiori incumbendum eſſe, nos monet[a] Gal. & ratio ipſa; ideo refrigerantibus inſtituta fuit præterita curatio, præmiſſo expurgantium uſu, & quidem proſpero euentu. In præſens autem, quia ſtupor aliquis in ore permanſit, adeò ut aquæ frigiditatem non percipiat ipſe Pat. cùm craſſior materia non nihil adhuc tertij paris[b] neruos obſideat; & præterea quia craſſus humor inter corneam,[c] & cryſtallinum ſemiſuffuſionis cauſa adhæret; ideo ad aliqua auxilia magis attenuantia, atque reſoluentia erit deueniendum, non omiſſis refrigerantibus iecur, & ſanguinem contemperantibus; cùm adhuc vigeat ad ophthalmiam facilis diſpoſitio; neque oculis corroborationem præſtare liceat, ne ſuffuſionis materia magis magiſque craſſeſcat, & confirmetur.

a 3. Math. Cap. 9. & 7. Meth. 12
b 4. de Loc. Aff. 2.
c 1. de Vſu Par. 1. & 4.

Quare ut laudabiliorem aliquantò ſtatum adipiſcatur Nob. Pat. Paſchate peracto nouam rurſus purgationem inire debet, primas vias expiando; venoſum genus ab impuritatibus vindicando; caput expurgando; iecoris, & ſanguinis calorem contemperando; ac materiam in neruis, & oculo concluſam, cautè, ſine calefactione exſiccando.

Et à fonte Chirurgico repetita depromenda ſanguinis miſſio, ex brachio ſiniſtro primò; mox ex venis ſedalibus.

Ex Pharmaceutico deſumenda Lenientia, Præparantia, totum, & caput Expurgantia,

Alte-

Digitized by Google

Alterantia frigida; & materiam in capite exſiccantia. Leniens eſſe poterit ſyr. roſ. ſolut. cum lenit. Vel potio ex manna clarif. Vel caſſia, cum lenit. & tart. Primum præparans, ſex diebus continuis, ſit inlap. acet. ad ℥ iij. inde repetito aliquo ex præſcriptis Lenientibus. Secunda præparatio inſtituatur ſuccis depur. potius, quàm ſaccharatis, aut mellitis ut. ℞. ſucci depur. cich. borrag. end. an. ℥ i. decoct. cich. borrag. end. uiol. malu. hepaticæ ℥ vi. m. pro ſyr. & ſic pro aliis; cui ſi libeat, addi poteſt ſuccus limonum, pro guſtu Patientis. Decem uerò poſt diebus, præparati humores expurgentur elect. de ſucco roſar. cum caſſia; vel infuſ. rhab. ſennæ, & agar. addito ſyr. roſ. ſolut. quibus ſuperbibat ſeri depur. aut aquę Nocerianæ ℔ ii.

Hęc autē totius expurgatio ſufficiens minimè fuerit, ideo repetenda; ita tamen, ut eodem tempore etiam capiti ſatisfacere poſſit. Quare tribus vicibus, quarto, aut quinto quoque die, aſſumat pilulas ita præſcriptas. ℞. pilul. aur. aggregat. an. ℈ ii. lucis ℈ i. m. cum ſucco beton. ref. pil. & aur. Diebus autem intermediis, ſummo mane, bibat Pat. aquæ cich. deſtill. ℔ i. cum conſerua de acido citri.

Quibus peractis, materiæ craſſioris, in capite contentæ, exſiccatio aliqua, & reſolutio tentanda; in quem finem vinum, ſed oligophorum, & tenuiſſimum, medicatum ad menſam, in doliolo paruo parandum, ita ut quęlibet vini ſitula excipiat ℥ ii. ſantal. rubr. raſpat. & ℥ i. ligni roriſmarini inciſi. Vinum enim erit vehiculum medicamentorum exſiccantium
d 6. Aph. 31 & 7. 48. ad caput, in contumacibus ad oculos fluxionibus ab Hipp.[d] commendatum, utpote quod humorum reliquias rebelles attenuare, atque reſoluere poſſit. In eundem finem mane, maſticarorii loco, de more vtatur fruſtulo cinnam. aut nucis moſchatæ. Nec aliquod topicum ophthalmicum erit omittendum, quod eſſe poterit aqua deſtillat. ex ſucco chelidoniæ, euphragiæ, & fœniculi, cum fellibus, aut Perdicum, aut Lucii Piſcis. Et niſi obſtiterit ingraueſcens ophthalmia, paretur ophthalmicum ex ℥ v. aquæ euphragiæ, aut chelidoniæ, in qua croci metallorum ʒ i. diſſoluta ſit.

Et his omnibus congruam addat uiuendi rationem, quæ iam à Viro Excellentiſſ. Venetiis præſcripta, ab Excellentiſſimo Adſtanti pro opportunitate præſcribenda erit; cui tamen nos addimus, quod ſemel per menſem in uſum ducat ℥ ſ. elect. lenit. cum gr. xv. magiſt. mechoac. ſuperhauſto cyatho aquæ Nocerianæ, aut hordeaceæ. Secundò ſi ophthalmiæ inſultus frequenter repetant, ſingulo menſe tres, aut quatuor vncias ſanguinis ſibi educi permittat. Et tandem prandium claudat conſerua roſar. ſicut & cœnam conſerua euphragię, Quæ omnia Nob. Pat. ſalutaria votis nuncupatis precamur.

LXXXVI.

VISVS LÆSIO.

ILluſtriſſima Matrona 50. annum agens, temperamenti quoad totum calidi, & humidi, capitis humidiſſimi, hepatis verò præcalidi, deſtillationibus ad dentes obnoxia, tribus abhinc annis incepit laborare imminuta uiſione, ita vt legere, niſi cum difficultate, & obiecta utcunque diſtantia diſcernere non poſſet; omnia enim obiecta repræſentantur uiſui, quaſi per fumum, necnon volitantia corpuſcula, muſcarum inſtar aliquando apparent, & uelum oculis obtenſum. Præteritis autem menſibus affectus factus eſt grauior ob febrem, qua grauiter laborauit, & ob repetitas ſanguinis miſſiones; qui tamen denuò imminutus eſt, viribus inſtauratis. Nunc verò luculenter inualuit affectus, ob animi pathemata, quæ eandem vehementer afflixerunt; noctes enim inſomnes egit, & continuo luctu, per multos dies calamitoſam vitam traxit, ob interitum dilectiſſimę filiæ; grauis tamen illa deſtillatio ad fauces, & dentes, omnino ſubſtitit; à quo tempore nouus iſte affectus inualuit, nempe imminuta uiſio. Nares ſemper ſiccas habet, & quæ nunquam expurgantur. Oculi non ſunt impuri, ſed lucidi, nec ullum ſignum vitiatæ viſionis exhibent.

Ex accuratiſſima hiſtoria morbi, à Sapientiſſimo Viro delineata, facilè elici poteſt, viſionis

ſionis læſionem, quæ ab initio deprauata, in progreſſu verò imminuta ab Illuſtriſſima Matrona obſeruata fuit, non ab imbecillitate facultatis, nec à defectu ſpirituum; ſed ab organi vitio pendere. Siquidem neque cerebri ab vlla, ſiue interna, ſiue externa cauſa noxa inſignis præceſſit; nec ſpiritus ullo modo deficiunt, quin potius generantur, tranſmittuntur, & actuantur. Quare aut à vitiatis humoribus, aut à tunicis oculorum affectum originem duxiſſe credendum; quod tamen non adeò facilè ex adductis determinare licet; cùm ex una parte aqueus humor, per venas, à catarrhali materia in humido capite genita coinquinari potuerit, per nares non expurgata, neque vt antea, ad dentes tranſmiſſa, quæ eiuſdem humoris propriam perſpicuitatem, atque colluſtrationem, præcipuè ad ſpecierum viſibilium receptionem, ſed & ad viſoriorum quoq; ſpirituum extramiſſionem neceſſariam, turbauerit, atque in progreſſu craſſior reddita, ipſam quinetiam uiſionem imminutam reddiderit; vnde ab initio corpuſcula, ſiue atomi circunuolitantes à Nob. Pat. obſeruati fuere; quia uondum inquinantis humoris particulæ ſatis concreuerant, aut in vnum corpus coaluerant, prout poſtea paulo magis denſatæ, & craſſiores ſactæ ſumum, & tandem velum ſimulantes, viſionem imminuere cœperunt, nullo licet cataractæ, ſiue veræ ſuffuſionis, nobis inſpicientibus, indicio exhibito. Ex altera tamen parte, non negandum, ſundi, & tranſmitti potuiſſe catarrhalem humorem per ſpatia, uel inter corneam [a], & cryſtallinum, cum Gal. Paulo, & Aetio; vel inter humorem aqueum, & duram, ac internam partem corneæ, cum Auic. vel ſecundum alios, inter ipſius corneæ duplicaturã; quamuis nos putemus, iuxta Auic. & medicinæ Principes, catarrhalẽ humorem præterfuſum inter corneam, & humorem aqueum paulatim concreſcere, & à frigiditate tum oculorum, tum ambientis, cum Aetio, [b] congelari, ſicque à perito Chirurgo tandem deponi poſſe; quam propterea congelationem non parum adauxerunt ſanguinis miſſiones, oculorum calorem labefactantes quidem, non verò prorſus extinguentes, qui ideo priſtinas vires recepit, à febre conualeſcente ægra; quanquam depoſitionẽ iam dictã conſuetã miſtio excrementi cum aqueo humore nullo modo admittere poſſit. Et licet concretio à nobis inſpicientibus nondum diſcernatur, fieri id potuerit ratione coloris (ut notauit Aetius [c]) qui aereus, & albicans in ſuffuſionibus quandoque obſeruatur.

a 13. de Vſu Part 4

b Terr 2. Sermon. 3. Cap. 51.

c Ibidem.

Vtinam autem progreſſus dubitationem tollere nequeat; ſicut in præſens quoque ſi concreſcat ſuffuſio, iridem circa candelæ accenſæ lumen obſeruabit Nob. Pat. quinimò & lumen ipſum uel duplicatum, uel triplicatum, ſicut & cætera obiecta eidem apparebunt; vel ſaltem informia, atque confuſa, & maiora, quàm verè ſint, idque ob refractionem eorundem obiectorum, quibus aditus in cryſtallinum impeditur; qua eadem ſorſan cauſa noctu in obſcuro cubiculo oculos conſtringens, ſplendores, & ſcintillas igneas rutilantes obſeruabit aliquando ipſa Nob. Pat. ob refractionem ſcil. ſpirituum.

Vtcunque verò ſe res habeat, præſentem curationem non mutat; etenim oculos curare [d] ante caput non licet; neque caput ante totum corpus. Quare toto purgato, & purificato, caput quoque erit expurgandum; eius humida intemperies corrigenda; & catarrhalis materia ab oculis diuertenda; quo tempore etiam materiæ coniunctæ in oculo hærentis reſolutio erit tentanda.

d 4. Meth. 4.

Quibus intentionibus ſatisfaciendum quamprimùm, & omni conatu, antequam congelatio perficiatur, atque ita viſio omnino intercludatur.

Et à fonte Chirurgico, nulla ſanguinis miſſio eſt depromenda; quia non adeſt indicans. Quotidianæ reuulſiones à capite in uſum duci debent, frictionibus à nucha incipiendo uſque ad extremas infernas partes, matutino tempore, perducendis; ſicut & frequentibus pedum lotionibus, ante cœnam adhibendis. Cauteria brachiis inuſta ſunt omnino neceſſaria; & toto, ac capite expurgaris, nec iam adminiſtratis ſatis proficientibus, tandem ſetaceum per occiput tranſmittendum.

Diximus, cæteris non proficientibus; quoniam toto, & capite expurgatis, purgantibus validioribus, pil. & maſticatoriis, ad uſum decocti erit deueniendum ex ſalſa, utpote ſubtilium partium, & valdè attenuante, uiſco quercino, ligno roriſmarini, & exiguo ſaſſafras; omnibus infuſis in aqua ſtillat. beton. & euphragiæ; cui præmittendus bol. ex extracto euphragiæ, & ſale chelidoniæ, in cuius uſu perſiſter ad 40 dies. Quod tamen decoctum ſine ſudore in hypocauſto parum, aut nihil profuturum pro comperto habemus; quinimò liquatis ab ipſo humoribus, nec per cutem expurgatis, caputque petentibus, & magis replentibus, ad partes affectas iidem facilius præcipitarent: præterquam quod à calore hypocauſti humor in oculis concluſus attenuari, & cornea rarefieri, ac proinde plurima ſaltem parte reſolui poterit.

Dum

Dum interim topicis eiuſdem etiam humoris attenuatio, & reſolutio tentanda erit, oculis adaprato phialæ vitreæ oſculo, vino maluatico cum globulo ex croco, prius feruefacto, calente adhuc, vt vapor calidior apertum oculum peruadat, atque ita quodammodo tunicam corneam rarefaciat (ita enim ſolebat Auenzoar) vt inſtilletur ſtatim collyriũ ex ℨ i. Croci metallorum in ℥ viii. aq. chelidoniæ, & fœniculi diſſoluti, quod eſt omnium efficaciſſimum apud Querceranum: ſicut efficax quoque fuit à nobis expertum illud Gal. 4. per c 4. Per Loc. Vlt. Loca [c] ex felle, melle, ſucco praſſij, atque fœniculi miſtis paratum.

Quibus omnibus congrua victus ratio accedat, ab Excellentiſs. Vito præſcribenda. Interim aeris inclementiam uitet. Cœna ſit parca. Sub ingreſſum lecti, conſeruam euphragiæ aſſumat. Vinum ligno roriſmarini, ſaſſafras, & euphr. medicatum paretur. Oculi, utpote debiles, non exerceantur. Et victus licet attenuans, non tamen tenuis præſcribatur, ne quidem in ipſo decocti uſu. Atque tandem pil. aggreg. cochiis, & lucis, decima quaque die, totum expurgetur. Quæ omnia prudentiſſimo, atque Excellentiſs. Vito adſtanti, non ſolùm præſtanda, verùm & melius dirigenda, libenter committimus.

LXXXVII.

EPIPHORA.

VIR Illuſtriſſimus 37 annum agens, temperamenti ſecundum totum, & ſecundum iecur, calidi & ſicci, gracilis habitus, capitis ad calidum, & ſiccum vergentis, duobus abhinc annis, ob diuturnam moram in cubiculo calido, corripi cœpit oculorum ardore, cum frequenti, & tenui lacryma; quæ quoniam non adeò aptè curata fuit, perdurauit uſque in præſens, licet minori ardore, quòd aliqua cuſtodia in victus ratione vſus ſit, à calidis abſtinendo, & refrigerantibus utendo. Hæc autem lacryma exuberat magis matutino tempore, nam nocturno omnino ceſſare ſolet. Per nares parum materiæ tenuioris ſolùm expurgatur. Modò de agendis conſulit.

a 5. Per Loc. 2. Vir Illuſtriſs. Epiphora, hoc eſt [a] inuoluntaria, & aſſidua lacrymatione, ſiue aquoſæ materiæ ab utroque oculo effluxu, duobus abhinc annis moleſtari cœpit; quæ quidem lacryma calida potius, quàm frigida cenſenda, temperamenti totius, & capitis ratione; & præterea quoniam tenuis, & nonnunquam cum aliquo ardore ab oculo prodit, & occaſionem agnoſcit diuturnam moram in cubiculo calido; ſic *Fluxiones fieri* [b] *perfrigerata, aut valdè* b 7 de Loc. in Hom. 15 *excalefacta carne* Hipp. placuit; non tamen acrimonia, ac mordacitate præcelluiſſe, nec in præſens præcellere eandem aquoſam materiam eſt credendum; etenim duorum annorum ſpatio, in oculorum angulo ulcus iam excitaſſet; cùm tamen uterque penitus incolumis obſeruetur, ob abſtinentiam toto hoc tempore à cibis calefacientibus, ac propter uſum refrigerantium. Hæc autem materia non per neruos, ſed per venas ad oculos irruit, à capite quidem, ſed antea à toto venoſo genere ad caput tranſmiſſa; cum à calidiori iecoris intemperie ſanguis iuſto feruidior, non tamen feruidiſſimus producatur; cuius ſeri portionem non exiguam ſuſcipit caput, à quo in cubiculo calido, excalefacto, & ſanguine attenuato, ac venis rarefactis, & reſeratis, oculiſque inflammatis, liquatæ ſeroſitates, tenui pituitæ immiſtæ, ad oculum defluere cœperunt, quæ quia defluunt per cranij partem externam; ideo noctu in ſomnis, ceſſante oculorum motu, ceſſat & materiæ defluxio; ſicut mox matutino tempore excitatur, tum ex oculorum commotione; tum ab ambientis frigiditate facta eiuſdem materiæ ſeroſæ expreſſione.

Affectus quidem moleſtus, & indecorus magis, quàm periculoſus; nihilominus quoniã viſionem turbat (ſolo licet tempore, quo lacryma effluit) & præterea quia procedente tempore, & oculorum anguli exulcerari, os ipſum lædi, & fiſtulæ ſuboriri ſolent; ideo agendum, ut auferatur fluxio, & Illuſtriſsimus Vir integræ ſanitati reſtituatur, antequam caruncula in angulo erodatur; tunc enim inſanabilis [c] euadit affectus.

c 3. Meth Vlt. Quod conſequi non adeò facilè putamus, cum annoſa ſit facta fluxio. Et licet præſidijs medicis generoſioribus affectum hunc omnino ceſſurum minimè dubitemus; nihilominus

hoc

hoc anni tempore priùs mitiora tentare animus eſt; quibus non ſufficientibus, ad validiora, & magis operoſa neceſſariò deueniemus.

Interim in præſens, primæ viæ expiandæ. Secundò totum, & caput purgandum. Tertiò materia à capite, indeque ab oculis diuertenda. Quartò iecur, & totum venoſum genus refrigerandum, caputque exſiccandum. Er tandem oculi roborandi.

Et in Chirurgico fonte, ſanguis iam fuit eductus ex iecoraria dextera, prout ſupra. Verùm eiuſdem miſſio repetenda ex hæmorrhoidibus, hirudinibus applicitis, tempore ſecundæ præparationis humorum. Præterea frictiones dorſi à nucha incipientes, uſque ad crura, continuo ductu, ſamiliares eſſe debebunt; ſicut nonnunquam prodeſſe poterit cucurbitula magna ſine ſcarificatione, occipiti affixa; ſiccis tamen alijs, eodem tempore, ſpatulis applicitis, atque dorſo. Pedum quoque lotiones frequentes, abſoluta ciborum concoctione, proderunt. Gummi quinetiam elemi alutæ obductum, temporibus, utrinque detonſis breuioribus capillis, appoſitum diù detineatur. Et quoniam diuturnæ fluxiones non adeò facilè diuertuntur; ideo me conſule, cauterium alterutri brachiorum inurendum eſſet ad moleſtiora remedia euitanda, qualia ſunt decocta, ſudores in hypocauſto, & alia huiuſmodi; etenim ſedata ad oculos fluxione, abduci poterit.

A fonre Pharmaceurico deſumenda Lenientia, Præparantia, Purgantia, calidam intemperiem Corrigentia, caput nonnihil Exſiccantia, & oculos Roborãtia. Leniens fuerit caſſia cum tart. ſicut præparans, iulap. acet. cort. cit. alteratum, & aqua cinnam. aromatiz. Secundum medicamentum euacuans, caſs. cum pil. de tribus cum rhab. cui ſuperbibat libram, aut ſeri, aut aquę hordei. Inde ad ſecunda præparanria erit deueniendum, ex ſuccis depur. cich. borrag. end. an. ℥ i. beton. ℥ ſ. in decoct. cich. borrag. end. viol. beton. hepaticæ. Sequenti verò die, aſſumat caſſ. ad ʒ i. ſ. cum ℈ i. rhab. optimi, & fiant bol. ij à quibus, hora poſt, bibat ius malua, & end. alteratum; & ſi ſitiat Illuſtriſs. Vir, iuris loco, exhibeatur aq. hord. aut ſeri depur. lib. Sic tertio die ſucci iam dicti reperi debent, & quarto boli, ita alternato horum uſu, uſque ad 20. dies: ita enim præparari poterunt humores biliosi, & ſimul paulatim educi, iecoriſque calor contemperari; quibus ſuccedere debet talis uniuerſalis expurgatio. ℞. flor. caſs. rec. ext. ʒ vi. elect. de ſucco roſar. ʒ iij. m. f. b. à quibus hora poſt bibat ſer. depur. ad ℔ i. ſ. & tribus horis ab eo aſſumpto, prandeat.

His peractis, adhuc in iecoris, & ſanguinis refrigeratione erit perſiſtendum; in quem finem, inſtituatur emulſ. ſem. melon. diluta, aqua Noceræ extracta, ad ℥ x. uel ℔ i: cui præmittat Illuſtriſſimus Vir cochlearia duo conſeruæ de acido citri; cuius uſui inſiſtat ad xii. uel xv. dies; quæ tamẽ ſi aliquo die intermittatur, ob propria negotia, nihil nocere poterit.

Tandem aſſumat pil. aur. ad ʒ i. cum ℈ i. maſtich. quibus ſuperbibat aquam Noceræ. Interim capillorum aſperſiones ſunt in uſum ducendæ, puluere exſiccante, ex radice iridis florent. cornu C. uſto, maiorana, & oſſibus ſepiarum vſtis.

Oculis verò topica adhiberi poterunt huiuſmodi. ℞. tuthiæ præp. ʒ ii. lap. hæmat. ʒ ſ. antimonii præpar. ℈ i. aq. roſ. ℥ vi. m. cuius portio in uola manus affuſa, oculo, mane potiſſimum, iterum, atque iterum accommodetur.

Toto verò anni tempore, in vſu familiari habeat Illuſtriſs. Vir, mane oculorum ablutionem, uino albo, aqua roſar. temperato, in quo pluries fuerit extincta æris lamina, & ſub ingreſſum lecti de more comedat conſeruam roſar.

Quibus omnibus congrua victus ratio addenda, abſtinendo ab iis quæ magnoperè officere poterunt, de quibus ut Illuſtriſs. morem geramus, mentionem faciemus.

Et primò vitet radios ſolares, & moram ad ignem diuturnam; ſicut fumum, & puluerem, quoad fieri poterit. Præterea fugiat ſalſamenta, & alimenta ſale plurimo condita, aromata, & vaporoſa omnia, potiſſimum calida, acetum, condimenta ex allio, & cæpis, apium, fœniculum, & lactucam, legumina, nuces, amygdalas, & oliuas. Dum dormit, decubitus numquam ſit pronus. Vitet exercitium ventriculo repleto. Et ſi quandoque aluus non benè reſpondeat, utatur aliqua pil. ex aloe in cœna ad ℈ ſ. ut quæ poſſit humorem bilioſum educere, & euacuando euaporationes à capite diuertere. Alacri animo uiuat. Hæcque in ſalutem Illuſtriſſimi Comitis à nobis præſcripta, à D. O. M. ſalutaria enixè precamur.

agar. rhab. ſennæ, turbit. in aqua agrim. additis ſyr. & mell. roſ. ſolut.

Hac peracta primarum viarum, & totius expurgatione, caput quoque exinaniendum, pilulis, maſticatorijs, & errhinis. Pil. autem erunt cochiæ cum helleb. præparatæ, aureæ, & aggreg. tribus vicibus, tertio, aut quarto quoque die exhibendæ; atque interim diebus intermediis præbeantur ſyr. præparantes iam præſcripti; aut ſucci depur. cich. beton. & ſalniæ. Maſticatoria parentur ex ſtaphiſagria, pyrethro, gingibere, fęniculo, cum maſtiche, & cera; ſicut errhinum ex pulu. maioranæ, ireos, nigellæ, & tabaci.

Quibus abſolutis, quartæ indicationi erit ſatisfaciendum, humidam capitis intemperiem corrigendo; in quem finem, omnino neceſſarium ſudorem cum decocto putamus; quod parari poterit ex ſalſa, viſco quercino, ligno roriſmarini, cum modico ſaſſafras, eidem, mox aſſumendo infuſis gutt. quintæ eſſentiæ roris marini, à quo hora vna aſſumpto, ſudet in hypocauſto, in gratiam ipſius capitis; in cuius uſu perſiſtat ad quadraginta, dies, ſine uino, & cum uictu extennante, licet non adeò tenui. Interim decimo quoque, die hoc caſu, aſſumat pilulas capitales, quibus liquati humores facilè expurgari poterunt.

Hoc tempore, topica quoque auribus ſunt adhibenda, quorum ſylua varia, atque copioſa cùm ſit, nos ſelectiora, & experta tantùm proponemus. Et primò. ℞. cępam communem excauatam, quæ impleatur puluere cymini, ſucco raphani, & oleo amygd. amarar. deinde bull. ſuper cineres, & omnia exprimantur; expreſſioni autem addantur moſchi gr. v. & turunda madefacta in aures inſinuetur, quindecim continuis diebus, & præſertim noctibus; inde ad efficaciora deueniendum erit. [b] *Aures enim vehementiſſima medicamenta tolerant* h 6. Meth 6.
vt ℞. pomum colocynthidis, cuius apex amputetur, indè excauetur, & his liquoribus repleatur. ℞. ol. amygdal. amararum, aquæ vitæ, fellis capræ an. ℥ ſ. pulu. caſtorei ʒ i. bull. pomum ad ignem, vt ſupra, deinde fiat omnium expreſſio, addendo colaturæ moſchi gr. v. quo liquore madefacta turunda in aures immittatur; quibus & materiæ diſſipationem, & ſimul aurium corroborationem ſperare poſſumus.

Sed quoniam malum inueteratum eſt, & capitis intemperies ipſi innata; ideo peracto ſudore, ad Aquas Aponitanas ſe conferat Com. Illuſtriſ. Stillicidio in caput ex iiſdem admiſſo, aliquot dies; & interim, conſeruis capitalibus ſaluiæ, roriſmarini; betonicæ, gutt. quintæ eſſentiæ roris marini affuſis quotidie uti debebit.

Addita congrua victus ratione, à Viris Excellentiſſimis præſcribenda, ut optatum finem conſequi, & conſeruare poſſimus. Ita D. O. M. vota noſtra ſecundet.

LXXXIX.

SVRDITAS.

COnſummata afficitur ſurditate auris dexteræ Reuerendiſſ. Patiens,
& ſurdaſter modò fit in ſiniſtra; quæ quoniam ab humiditate à capi-
te deſtillante, qua tympani mẽbrana [a] imbuta fuit, ortum duxit, & a 1. de Morb. 3.
modò ab eadem craſſefacta, [b] quinetiam à meatu forſan obſtructo, b De Loc in hom. 4
fouetur, & augetur; ideo materiæ eiuſdem exſiccatione, [c] ab aure, c 3. Per Loc. 1.
diuerſione, aduerſus integram ſurditatem pugnandum eſt, remedijs tamen, non ſolùm ab anni tempore; verùm & à Patientis inopia conceſſis.

Et quoniam caput, fontem mali, exſiccare decoctis, atque ſudoribus, nec anni tempus, nec Patientis ſtatus admittunt; ideo uniuerſali capitis expurgatione, materiæ antecedentis diuerſio, & coniunctæ reſolutio, totis viribus procuranda.

Primò cauterio altero parti dexteræ inuſto; mox quotidianis frictionibus dorſi, & ſpinæ, ab eiuſdem principio ad nates uſque perductis. Interim primæ viæ expiandæ ſyr. & mell. roſ. ſolut. mox oxymel præbendum ad ℥ iij. per hebdomadam, in decoct. cich. borrag. beton. meliſſ. Indè repetendum medicamentum ex infuſione agar. rhab. ſennæ, addito ſyr. & melle roſ. ſolut. Mox, quinque dies exhibendum idem oxymel. cum ſyr. de Beton. in dicta decoct. additis, ſtęchade, hyſſopo, maiorana, & praſſio. Deinde præbeantur pil. aggreg. coch.

d 6. de San. Tu. 12.

præp. & aureæ an. ʒ ſ. Errhinis interim, atque maſticat: facta materiæ diuerſione, [d] atque deriuatione.

Quo tempore topica adminiſtrari poterunt, ita parata. ℞. fellis capr. ℥ i. aq. vitæ ℥ i. aq. raphani ℥ ſ. m. bul, omnia ad conſumptionem humiditatis, ad linimenti conſiſtentiam; quo illinatur turunda bombycina, & auribus infundatur, potiſſimum ſub noctem ſiniſtræ, continuò verò dexteræ. Efficaciſſimum quoque hoc expertus ſum ℞. [e] pomum colocynthidis in ſummitate inciſum, mox excauatum, & ol. amyg. amar. impletum, cui adde pulu. cymini ʒ ii. moſch. gr. vi. m. & in cineribus calidis parum bull. & macerentur per noctem, deinde fiat fortis expreſſio, & turunda eadem imbuatur ad uſum, modo præſcripto.

e Dioſc.

Interim pergat in uſu ſyrup. ad dies 15. ſed quinto quoque die aſſumat pilulas iam præſcriptas: quibus quolibet menſe uti poterit, & continuò dictorum topicorum aliquo. Quæ omnia, leui licet ſpe, peragenda, ne ſibi defuiſſe videatur Reu. Pat.

In victus ratione illud potiſſimum monemus, quod à lactariis quibuſcunque, à lactuca, à vino auſtero, & à vaporoſis, abſtinere omnino debet.

X C.

VLCVS AVRIS.

a 2. de Diff. Feb. 11. & 3. per Loc. 1.

LIcet quandoque contingat, ut cerebrum [a] ab excrementitia materia per aures expurgetur, quæ in via prauum quoque poteſt odorem, atq; calorem contrahete, idque abſque vlla eſſentiali auris noxa; attamen hoc caſu, cùm iam, quindecim abhinc annis, à diuturna mora ſub radiis ſolaribus, acerbiſſimis doloribus auris dexteræ Illuſtriſs. Par. fuerit diuexatus, quibus cum ſebre ceſſantibus, purulenta materia, non ſine aliqua cruoris tinctura ſpontè excreta obſeruata fuit; ideo inflammationem tunc in aure excitatam fuiſſe, eamque ab excalefacto, atque fuſo in capite ſanguine, ad aurem tranſmiſſo, manifeſtiſſimum eſt. Aures ſiquidem, utpote natura debiles, facilius cæteris partibus fluxionem ſuſceperunt. Ab inflammatione autem tunc temporis ſuppurata, num ulcus perdurauerit, nec ne, in hiſtoria deſideratur, in qua de cõtinuo materiæ effluxu nulla fit mentio; ſed de hoc ſolùm, quod tribus poſt annis à decocto, & ſudore in hypocauſto, in aure ſibilus ſuperuenit, qui licet non continuus, temporis tamen progreſſu, ſenſibilior, & moleſtior fuit redditus, cum audiendi quoque non leui difficultate [b]; vbi enim aures intra ſe ſonant, externum ſonum recipere nequeunt, ob vaporoſam materiam ab auris intemperie, cum aliquo humore, eleuatam. Sed tandem ſex circiter abhinc menſibus, quibus Romæ degir Illuſtriſs. Par. bis fluxionibus à capite in eandem aurem tentatus fuit, cum doloribus, ſomnum quoque interturbantibus, qui materia maturata, eademque alba, & cocta per aurem excreta, ceſſarunt; cui effluenti portiunculæ quoque membranoſæ immiſtæ obſeruatæ ſunt; interim turunda bombycea immiſſa, nonnunquam cruore tincta extracta fuit. Quare de vlcere, à diſrupto abſceſſu ſuperſtite non eſt quod dubitemus; non quidem [c] in cochlea, neque in labyrintho; ſed uel in tympano, uel in meatu auditorio, cùm turunda immiſſa tingatur ſanguine, probabili indicio, quod ad ulcus pertingat. Verùm quoniam ab eadem materia in halitus conuerſa, aer implantatus continuò inordinatè mouetur; ideo continuus quoque ſequitur aurium ſibilus, cum auditu quoque diminuto; tum ob aeris eiuſdem confuſionem; tum maximè ob inſtrumentorum, & tympani potiſſimum humectationem; ac tandem quia omne recipiens debet eſſe denudatum qualibet conditione recepti.

b Cel. 6. de Re Med. 7.

c 3. per Loc. 1.

Quæ vlcera ſunt difficillimæ ſanationis, potiſſimum verò ſi annua, & profunda; idq; tum ob excrementa perpetuo à capite manantia, quæ tamen ad ſanationem, accuratam exſiccationem poſtulant; tum quia calloſa fiunt, cuius ratione eorum cicatrix prohibetur, atque protrahitur. Attamen cum materia effluat ſatis concocta, & paucis abhinc diebus melius ſe habere videatur Illuſtriſs. Pat. ſalutis ſpes non omnino abiicienda.

Pro qua medicæ intentiones erunt, purgato toto, & capite, ulcus detergere, exſic-

care, ſarcoticis implere, & cicatrice obducere. Siquidem cum Viris iſtis Excellentiſſ. ſoli naturæ opus non eſſe relinquendum exiſtimo; cùm naturalis alterius auris imbecillitas, alterius quoque imbecillitatem ſupponat.

Quare ſanguinis miſſionem repetendam cenſeo, & quidem prima vice, ex lateris affecti brachio; ſecunda verò ex hæmorrhoidibus, habita melancholici habitus ratione. Cauterium quoque omnino brachio inurendum; & pedum lotiones familiariter, ante cibum adhibendæ; prout frictiones quoque ſpatulis, & dorſo, matutino tempore non negligendæ.

Medicamenta verò erunt Lenientia, Præparantia, totum, & caput Purgantia, ab auribus Diuertentia, & Roborantia. Leniens itaque ſit pot. ex manna clarif. addita aqua flor. citri. Præparans ſine diluto, quinque diebus, pro ſyr. matutino aſſumendum, erit iulap. acet. cort. cit. aromatiz. ad ℥ iii. cum ʒ iij. cremor. tart. qualiber vice. Repetatur euacuatio ſyr. roſ. ſol. & de polyp. Vel caſſ. lenit. & tart. Mox vlterior ſequatur humorum pręparatio, ſuccis potius depur. quàm ſyr. ſaccharatis, aut mellitis, qui hypochondriacis non adeò conuenire ſolent. Quare præbeantur ſucci depur. ſonci, borragin. & beton. ad ℥ iii. in decoct. cich. borrag. ſonci, end. beton. maioranę, addito ℈ ſ. tart. vitriol. pro ſyr. & ita pro aliis ſeptem. A quibus præparati humores expurgentur infuſ. agar. rhab. & ſennæ; addito ſyr. roſ. ſol. Vel elect. lenit. diacath. additis pil. de tribus, quibus ſuperbibat P. Illuſtriſſ. aq. Nocer. ℔ ii.

Purgato toto, purgetur & caput pil. & errhinis. Pil. erunt cochiæ, aur. & aggregat. epota ſemper ab iis aqua Nocetæ, aut hordeac. ne excalefiant, & exſiccentur hypochondria; quæ tribus uicibus quarto, aut quinto quoque die repetendæ, atque vacuis diebus, ſucci depur. aſſumendi, ut ſupra. Interim errhinum ſuaue erit parandum quo, more tabaci, vtatur ex pulu. rad. ireos, nigellę, & fol. maioranæ. De capitis verò maiori exſiccatione non loquor, utpote nimis operoſa; quod tamen aliqua conſerua capitali erit roborandum, ſub ingreſſum lecti aſſumenda, è floribus beton. ſaluiæ, roriſmarini, & à prandio roſarum.

Tandem partis affectæ, vlceris ſcilicet, curatio tentanda; atque omnium primò leuiora mundificantia ſint mel roſ. cum aq. hord. modica diſſolutum, quo paulò validius erit mel ſcilliticum, cum ſucco cæparum; ſicut validiſſimum foret (quo tamen opus non eſt) Ægyptiacum melle dilutum; valida enim exſiccantia admittunt, imò poſtulant aures; quæ [d] tamen non ſunt infundenda, ne meatum auditorium attingant; ſed ſpecillum ſolùm lana obuolutum inſinuandum. d 3. Per Loc. 1.

Vlcus deterſum erit exſiccandum; in quem finem Gal. extollit [e] ſcoriam ferri, in tenuiſſimum pollinem redactam, cum aceto feruefactam, ad linimenti conſiſtentiam; quale exſiccans medicamentum parari poterit hoc modo ℞. ſcorię ferri ſubtiliſſ. ℥ ſ. vitriol. ʒ i. m. bul. in acet. & vino, & eadem turunda intincta immittatur. e 5. Meth x

Carne denique implendum, & cicatrice obducendum ulcus; in quam rem prius ſuffumigium in aurem præcipi poterit, ex maſtiche, myrrha, & thure paratum. Mox ſarcoticum huiuſmodi inducatur. ℞. ceruſæ, tuthiæ pręp. an. ʒ i. rad. ariſtol. myrrhæ, ſarcocollę, aloes an. ʒ ſ. radic. Ireos ℈ i. m. f. pulu. & excipiatur melle, & ſucco agreſtæ, quo turunda imbuta intrudatur.

Quibus omnibus congrua victus ratio erit addenda. Hęc ſint in ſalutem Viri Illuſtriſſ. pręſcripta, quæ omnia ſi adhibere recuſet, quòd plurimùm ceſſerit affectus, non deerunt ſelectiora, & maximè opportuna eligenda. Ita Deus vota noſtra ſecundet.

XCI.

PAROTIS.

PAtricius Illuſtriſs. Iuuenis 20 annum agens, temperamenti totius, iecoris, & capitis, calidi, & humidi, poſt varios errores in viuendi ratione commiſſos, & potiſſimum in exercitio paruæ pilæ, & meri potibus, incidit in febrem acutam, quę ut bilioſa, ſed ſpuria, à Domeſticis Medicis curata fuit, cuius hodie dies decimaquarta numeratur. Et quoniam in toto febris progreſſu, de dolore capitis conqueſtus fuit, & ſeptima die nonnihil delirauit, & undecima comatoſus fieri cœpit, decimęquartę initio glandula poſt aurem dexteram intumeſcere cum dolore uiſa eſt; qui tumor hodie, ſub finem quartædecimæ eleuatus eſt ad oui anſerini magnitudinem, cum rubore, & dolore, & adeò œſophagi muſculos comprimit, ut difficilem reddat deglutitionem. Pulſus conſtant, ſuntque ſatis magni, frequentes, ſed non adeò celeres. Vrinæ potius tenuiores, nunc uerò aquoſæ ſubſtantiæ. Modò Parentes de agendis conſulunt.

Et ego cum Viris Excellentiſs. cenſeo, febrem hanc fuiſſe bilioſam, cum non exiguo ſanguinis ſubdominio, qui iuſto calidior, tum à vehementibus motibus, tũ à meri potibus bilioſior fuit redditus; unde febris ſynochus, *Quodammodo bilioſa* à Gal. [a] dicta ſuborta fuit. In cuius curatione, quoniam natura à Medica manu opportunè adiuta, & ſublenata fuit, & ſanguinis miſſione, & alterantium, atque euacuantium adminiſtratione; ideo uſque in hunc diem, uitalis facultas uiguit, nec naturalis deiecta eſt, licet Animalis quodammodo turbata fuerit; cùm ſeptima die nonnihil Pat. delirauerit, & poſtea ad ſomnum pręter naturam inclinauerit; cùm enim uenoſum genus humoribus redundet non adeò craſſis, [b] adſitque feruidus calor, facultas expultrix ualidior eoſdem in aliquam corporis partem detrudere tentans, caput calidum, & humidum, ad attrahendum proinde, & ſuſcipiendum opportunum nacta, in eodem reſiduum redundantis humoris depoſuit, & ad cerebri emũctorium tranſmiſit, & tumorem in eadem parte poſt aurem excitauit, qui Parotis propriò appellari ſolet; quę licet nonnunquam fieri poſſit à multis, craſſis, & crudis humoribus, multò tamen tunc vehementior, [c] & acutior debet eſſe febrilis calor. Huius autem imminentis abſceſſus pręceſſerunt ſigna, nimirum capitis dolor, cum [d] comate, quibus ſurditatem quoque addit Gal. [e] licet hæc [f] frigidæ potius naturæ, & ætati accidat. Pręſentem autem, ſicut demonſtrant tumor, & dolor; ita eiuſdem cauſam, ſanguinem ſcil. non adeò tenuem, nobis ſignificat calor cum rubore.

Si de euentu huius febris loquamur, licet incertus ſit, ſalutis tamen ſpes eluceſcit, cùm Pat. ſit Iuuenis, valida virtus, & per abſceſſum terminanda videatur; cui abſceſſui modò nos maximè attentos eſſe oportet; nam licet ſuperiores abſceſſus [g], inferioribus difficiliores ſint, quia tamen non in principio, & intempeſtiuè [h], ſed die critica hic apparuit; ideo fouendus, aut adiuuandus: Parotides enim, ſi euaneſcant, recidiuam [i], imò ſæpè mortem expectare oportet; ut contigit quoque Nicolai Concubinæ [k] ab utraque parte. In caſu verò noſtro ſaltem recrudeſcentiæ metus eſſet; quinimò, *Si non matureſcant* [l] *Parotides, nec ex naribus ſanguis fluxerit, aut vrinæ ſubſidentiam copioſam, & craſſam habuerint, omnes pereunt.* Quare circa abſceſſum hunc ſermo noſter potiſſimum uerſari debet.

In cuius curatione, licet nunquam repellentibus, ſed attrahentibus potius vtendum eſſe conſulant, & Orib. [m] & Aetius; nihilominus, ſi cum impetu irruat humor, nil curioſè agendum eſſe, iubet idem Aetius; imò Tral. notat, quod ſi à ſanguine fiat, attrahentibus facilè ſuffocatio induci poteſt. Quæ omnia à Gal. [n] deſumpſerunt, dicente, *Non repellentia, ſed potius attrahentia, aut ſaltem laxantia; vel naturæ benè agenti totum opus permittendum.* Cùm igitur hoc caſu, natura benè, & ſatis agat, ab attrahentibus abſtinendum, & ſola laxantia tutò adhibenda, nec ab vſu butyri recedendum; *Concoquit enim, laxat, & digerit*, vt dicebat Galen. [o] Et licet Celſus [p] quamprimum Parotidem aperiendam conſulat; ab initio tamen nunquam id fieri debet, & nonniſi præſente aliqua materię ſuppuratione, cui dum attendimus.

a 2. de Cuſ. 12.
b 2. Progn. 34.
c 2. in 2. Epid. 10.
d 3. in 1. Prorrh. 74. & 77.
e 3. de Criſib. vlt.
f 3. in 2. Prorrh. 76.
g 2. in 6. Epid. 14.
h 1. de Criſ. 7. & 8.
i 4. in 6. Epid. 2.
k 7. Ep. 23.
l In Coac. 1.
m 4. de Loc aff. 44.
n 3. per Loc. 2.
o 10. Simpl.
p 6. de Re Med. 16.

dimus, ſi fortè contingeret, ut ab humorum affluxu, aut hodie veſperi, aut cras mane tumor in amplam molem adeò excreſceret, ut & deglutitio, & forſan etiam anhelitus interciperetur, tunc ad ſanguinis miſſionem per venam ſectam, dubio procul erit deueniendum; ut nos docet Gal. q Quinimò dum à Sanguine Parotides fiunt, ſtatim uenam aperiendam conſulit Tral. r ut arceatur ſuffocatio. Si verò craſtina die eodem ſit ſtatu ipſe tumor, Emplaſ. aliquod illi erit admouendum, quod laxandi, nonnihil attrahendi, & omnino concoquendi, atque maturandi facultatem obtineat; quale eſſe poterit paratum ex Fol. Malu. in lacte vaccino decoctis, & contuſis, addito butyro, adipe gallinæ, & Ol. Amygd. cui veſperi fermentum quoque addi poterit; quinimò & farina cum Caricis ping. exemplo Paul. f Quamptimum autem tumor erit aperiendus, ut monet Celſus, neque expectandum in ſuperficie pus, ut aliqui inexperti; non enim attollitur, priuſquam deprimatur, & in ſinus varios, atque difficiles ſe diffuderit; præterquamquod, ſi tardè aperiatur abſceſſus, materia antecedens in capite hæret, cùm ei à coniuncta non cedatur locus; etenim intus exiſtens prohibet extraneum. Ferro igitur aperietur abſceſſus hoc caſu; cùm Iuuenis ſit Pat. vegetus natiuus calor, & tumor ſit phlegmonoſus potius, & bile immiſtus, quàm Edematoſus, aut cum pituita; Neque ſemper ferrum adeò tutum, inclinante ſcilicet ætate, natiuo calore imbecilli, & febrili intenſiori, atque humore, tumoris cauſa ad frigidum vergente; tunc enim ex vulnere Gangræna excitari poſſet; cuius cauſa cauſticum ferro tutius ſubſtituitur.

q 3. T. 1 Loca a.
r Lib. 5. Cap. 7.
f 3. de Re Med. 23.

De reliquis febri extinguendæ adminiſtrandis non eſt quod loquar, ut pote Viris Excellentiſs. perquam notis; quod ſcil. aperto abſceſſu, à medicamentis euacuantibus, atque diuertentibus ſit omnino abſtinendum, & ſolis clyteribus utendum; ſicut attenuantibus inſiſtendum, uſui nimirum copioſi Iulap. Acet. neque ab alterantibus diſcedendum habita ſcil. febrilis caloris ratione; congruam victus rationem iam præſcriptam obſeruando, quæ in præſenti caſu dicta ſatis.

XCII.

HÆMORRHAGIA NARIVM.

ET nos cum Gal. obſeruauimus a nonnullos, quibus ſanguis è naribus, per quaſdam periodos effluere conſueuerat, diſtentis vaſis antea perceptis b, ab imminenti malo præſeruatos fuiſſe; quas nihilominus, euacuationes in conſuetudinem ducendas non eſſe monebat c idem, veluti non omnino naturales, hoc eſt à natura non ſimpliciter excitatas. Et quidem res ita habet; non enim ſanguis vitæ theſaurus, niſi victa natura, ſtimulata ſcil. atque irritata vnquam excernitur; vnde Gal. profluuia ſanguinis d, ſiue hæmorrhagias ſemper fieri, vel affecto ſanguine, uel vaſe, vel virtute concludebat; Quinimò, *Quid mirum*, dicebat ipſe, e *ſi ab eodem ſimul cum ſpiritu ſurſum elato, aperiantur venæ narium? Cùm id quoque in externis euenire videamus; in muſto enim efferueſcente, à ſpiritu accumulato vtres rumpuntur, & dolia*. Quæ fateri nos cogunt, naturam ad ſanguinem per nares excernendum ſemper irritatã moueri; unde iuremerito dicebat, f *Sanguinis euacuationem eſſe toto genere præter naturam, excepta menſtruali, & hæmorrhoidali, ſi moderatæ fuerint*. Eadem prorſus ratione conſuetæ huius à teneris annis, Viro Illuſtriſſimo hæmorrhagiæ cauſam in ſanguinis copiam ob calidum, & humidum totius eiuſdem temperamentum, referendam cenſemus; cui poſt adoleſcentiam, prauam quoque, acrem ſcilicet, atque bilioſam qualitatem, & demum etiam acidam acceſſiſſe, minimè dubitamus; cùm à ſola copia adoleſcentibus g, & trigeſimum annum attingentibus fieri ſoleat, & Vere h, non ita aliis anni temporibus. Hæc autem licet ſemper mala abſolutè, præteritis tamen annis rationem boni ſubiuit, dum ab aliis imminentibus malis Nob. Virum incolumem præſeruauit. Verùm quoniam tum ob ætatem, tum ob viuendi rationem, non ſolùm ſanguis in præſens copia, ſed qualitate quoque à laudabili declinat, & præterea ad venas quoque hæmorrhoidales deponi cępit; quibus addimus vaſa quoque laxiora cum eodem ſimul, ut hæmorrhagiæ cauſam concurrerè,

a de Conſuet. 5.
b Ad Thraſyb. 14.
c de Conſuet. 5.
d 3. de Sympt. Ca. 2.
e 1. in 2. Epid. 9.
f 3. de Sym. Cau. 2.
g 3. Progn. 33.
h 3. Aph. 20.

ideo

ideo iure à Viro Excellentiſs. ſcribente dubitatum fuit, num hoc opus naturæ, vt antehac,
ſit committendum, an potius (ut ego reor) medicam poſcat opem; etenim iacto firmo
hoc fundamento, quod exuberans, & qualitate peccans ſanguis, ſtatis temporibus deponi
debeat, tutius ab arte, quàm à natura inpoſterum præſtari id poterit; namque ſi Gal. etiam
hæmorrhoidalem euacuationem, naturali quamproximam, in uſum ducendam ne-
l de Symp. Cau. 6. gauit dicens, quod ˡ *Si tempeſtiuè fiat, non eſt toto genere præter naturam; tempeſtiuè autem fit,*
ait ipſe, *quando id quod contriſtat, expellitur;* & nihilominus, *Euacuationi per hæmorrhoidas non*
14. Aph. 25 *eſſe aſſueſaciendum* testatus eſt, ratione addita; *quoniam vterque exceſſus eſt periculoſus, ſiue*
nihil fluant, ſiue nimis fluant; quantò minus hæmorrhagiæ narium aſſentiendum fuerit? cùm
frequentiſſimè accidat, ut excreto ſanguini, qui contriſtabar, probus quoque cum vitæ
diſcrimine ſuccedat, venis nimirum laxatis, & natura in operibus ſuis, utpote cœca, mo-
m 4. Aph. 27. dum non ſeruante; vnde & natiui caloris imbecillitas, ᵐ à qua mox coctiones, & nutritio-
n 5. Aph. 30. nes vitiantur; & in immodicis ſingultus quinetiam, conuulſiones, ⁿ & animi deliquia tandem
conſequuntur; ideoque conſulebat Gal. ut ſanguinis profluuia præueniamus, ſanguinis
potiſſimum detractione, ſub Veris initium, quam ſi recuſent Patientes ipſi, purgandi ſint,
medicamento omnes humores educente; ita enim ad libitum ſequetur humorum, ac ſan-
guinis potiſſimum eductio, cuius praui per ſectam venam vncias bis per annum mit-
tentes, probi libras lucrati poterimus, quo tutiùs inpoſterum Nob. Virum incolumem
præſtemus.

Nec obſtat, naturam morborum medicatricem, & præſeruatricem, Medico eſſe ante-
ponendam; quoniam, vt iam diximus, tuta non eſt irritatæ naturæ operatio, quæ debitam
menſuram, apertis vaſis, ſeruare non poterit, prout medicus; qui præterea purgationes arte
dum molitur, in conſuetudinem non ducet; etenim remiſſis intemperiebus partium rege-
nerantium, eadem opera, medico purgandi, & naturæ improbum ſanguinem deponendi,
atque expellendi ceſſabit occaſio; quam nobis non operantibus, augmentum potius ſuſce-
pturam metuendum eſſet, ob arteriarum pulſationem, conſueto fortiorem, atque fre-
o 7. Aph. 21. quentiorem, in ipſo capite poſtremò obſeruatam, naturæ ᵒ grauius afflictæ, & vehemen-
tius operantis indicio.

Agendum itaque, vt Pat. Nob. ab imminentibus malis præſeruetur, & ab hoc ſymptoma-
te liber euadat; quod præſtabimus, expiatis primis vijs, ſanguinem purificando, minuen-
do, atque contemperando, & à capite diuertendo; iecoris intemperiem calidam corri-
gendo; & congruam victus rationem ſeruando.

Quibus intentionibus vt ſatisfiat, non eſt quod Viris Eruditiſſimis Lenientia, & Præpa-
rantia præſcribamus; cum ſelectiora, & præcipua remedia tantùm adducere in medium
animus ſit. Quare prima abſoluta purgatione, in uſum ducatur rhab. ad ʒ ſ. vel ſolum,
vel cum ʒ ii. caſſiæ; cui ſuperbibat decoctionem, vel aquam ſtillat. cich. ſequenti verò die
ſumat ſucci depurat. cich. borrag. end. an. ℥ i. in decoct. cichorae. Tertio die repetat rhab.
modo ſupra ſcripto; ita alternato uſu viginti continuos dies; in quorum intermedio,
præbeatur elect. de ſucco roſ. & roſ. Meſ. cum caſſia, epotis ab his, ſeri aſinini depur. aut
capr. ℔ iii.

Interim intra primos decem dies, educatur ſanguis ex brachii venis, & ſub finem ſa-
phena pedis aperiatur; etenim hæmorrhoidalis quoque euacuationis conſuetudinem refor-
midamus; eadem enim incommoda, ſi ſuperflua euaderet, ac ex præſenti narium hæmor-
rhagia impenderent.

Et quoniam intemperies iecoris ſupereſt corrigenda, in hunc finem Aquas acidulas, præ
cæteris remedijs eligendas cenſemus; & potiſſimũ in Valle Solis, agri Tridentini ſcaturien-
tes ſingulari prærogatiua; quæ utpote uitriolatæ, præterquam quod iecoris, & viſcerum
calorem contemperare, vapores, & ſanguinem ſurſum influentem ſiſtere poterunt, per na-
res quoque ductæ vaſa firmabunt; quę tamen à fonte ſunt hauriendæ, cùm exportatæ omni-
no vires amittant. Reliquas omnes acidulas, licet refrigerantes, calidas erumpentes ſuſ-
pectas, imo noxias habemus; uaporibus enim ſulphureis caput replent, humores ſurſum
compellunt, verbo, hæmorrhagiam narium facilius excitare poſſunt. Præterea in uſum
quotidianum ducat Vir Nob. prima menſa ius intybo alteratum, & conſeruam roſar, à
prandio, & à cœna, ſpiritu etiam vitrioli tinctam; & frequenter ante cęnam pedum lotio-
nes admittat.

Quæ purgatio, hac prima vice, nonnihil operoſior peragenda; ſequentibus enim, ſat
fuerit, viginti iam præſcriptis diebus, rhab. vti, & ſuccis deput. additis de more, medica-
mentis

Google

mentis purgantibus, quibus vnica forſan ex pede ſanguinis miſſio ſufficiet. Nec validiora adſtringentia ſunt uſurpanda, tum quia cauſæ magis incumbendum, quàm effectui, tum quia, cum Hipp.[p] *Quæ longo tempore conſueta, etſi deteriora, paulatim oportet ad inſueta permutare.*

[p] 2. Aph. 50. & 2. Acut. 33.

Congrua tandem eſt addenda victus ratio, in potu ſaltem, & animi, corporiſque exercitiis, ut iam dicta omnia ad præſeruationem, optatum finem ſortiri poſſint.

Ardua autem multò magis euadit curatio; ideo diximus, ſatius eſſe præuenire, quàm præueniri; tunc enim uitium ſanguinis, & uenarum corrigendum[q] venit, quod vtrumque præſtare non adeò facile: ſanguinis enim depurationem, & alterationem non permittit tempus. Quare deprauato eiuſdem motui, reuellentibus occurrendum, qui interim, vtpote tenuis, incraſſandus; vt calidus, refrigerandus; & ut copioſus,[r] inedia quoque imminuendus; atque tandem vaſa adſtringenda, & roboranda.

[q] 5. Meth. 5

[r] Introd. 13

Quibus intentionibus explendis, venæ ſectio[ſ] primas tenet, ex brachio[t]. Secundò precordiis, ſeruata rectitudine,[u] cucurbitula maxima affigenda. Immerſio quoque pedum in aqua calente, reuellendi vim obtinebit. Quibus reuellentibus adminiſtratis, mox repellentia,[x] & intercipientia conuenire poterunt; quæ tamen ſemper potius unde fluit, & fluxurus[y] eſt ſanguis, quàm quò fluit, conuenire poſſunt. Quare venis, & arteriis iugularibus lintea, infuſione roſarum, cum ouorum albuminibus quaſſatis, addito puluere conſtringente, erunt inducenda, ac fronti & temporibus, gypſum cum albo oui, & modica aqua roſacea applicandum. In nares turundæ omnino non immittendæ, cùm ad orificia vaſorum pertingere non poſſint; quarum loco, per cannulam pulueres adſtringentes inſufflentur, parati ex chalcantho vſto, galla combuſta[z], & putaminibus ouorum; ſicut, ſi prętò erit puluis ex ſpongia[a] noua, pice imbuta, & combuſta, mirabilis à nobis compertus fuit. Et dum hęc fiunt, ſummo mane hauriat cyathum aq. plantag. cum gutt. ſpir. uitr. aut tincturæ corall. cui pręmittat conſeruam roſarum, aut tragacanthũ frigidum cum bolo. Veſperi verò ante cœnam aq. aut decoct. portulacæ. Interim ſitũ[b] ſeruet ſupinum, non loquatur, nares non emungat, ore reſpitet, & nares occluſas ab inſufflato puluere patienter ferat. A vino abſtineat, & alimenta craſſa,[c] glutinoſa, & frigida deglutiat potius, quàm manducet. Quę omnia pro curatione, ex uſu futura ſperamus, dum præſeruationi temporibus accommodatis incumbamus. Ita D. O. M. vota noſtra ſecundet.

[ſ] de Sang. Miſs. 11.

[t] 3 in 6. Epid. 22.

[u] 13. Meth. 19. & 5. Meth. 5.

[x] 5. Meth. 6.

[y] 5 Aph. 23.

[z] Tral. & Paul.

[a] Tral. & Gal.

[b] 5. Meth. 4.

[c] 3. in 6. Epid. 22.

XCIII.

NARIVM HÆMORRHAGIA.

SVmmæ tuæ erga me beneuolentiæ, perilluſtris, & Excellentiſs. Vir, honorem ab hoc Excellentiſ. Senatore in me collatum, debere mè fateor; de quo tibi proinde gratias ago; ſicut, quæ de affectu Ampliſſimi Viri ſcripſiſti, conſiderans, non ſolùm approbare, ſed admirari compellor. Narium enim Hæmorrhagia, quam aliàs paſſus fuit Excellentiſs. Patiens, eſt affectus, qui recidiuas repetitas pati ſolet; ob quas nos ad eiuſdem diuerſionem tentandam impellit, cùm ſit euacuatio toto genere præter naturam, potiſſimum per ſuperiora facta.[a] *Sanguis enim ſupra, qualiſcunque fuerit, ſemper malus*, magiſque in Patiente Excellentiſs. in quo calor naturalis validus deſideratur, ad copioſarum humiditatum concoctionem, & reſolutionem. Ad hanc autem ſanguinis euacuationem conſpirat eiuſdem[b] vitium, & vaſorum imbecillitas. Vitium autem in calore conſiſtit; à quo mobilis facilè fit, atque expultrix irritatur ad expellendum; ſed præterea & motu peccat, dum impetum habet in caput; ſubſtantia verò minimè, cùm etiam eductus, neque ſeroſus, nec praua alia qualitate infectus, ſed floridus, & optimæ conſiſtentiæ fuerit obſeruatus; excipitur quoque quantitatis vitium, cùm abſit plethora; vaſorum tamen etiam defectus concurrit, qui conſiſtit in laxitate quadam orificiorum, quæ facilè reſerantur à præſentia copioſi, & calidi ſanguinis à capite calido non ſolùm admiſſi, ſed forſan etiam attracti.

[a] 4. Aph. 25.

[b] 3. de Symp. Cau. 2.

Quare vitium[c] ſanguinis corrigendum, refrigerantibus, & diuertentibus; vaſorum verò

[c] 5. Meth.

 adſtrin-

adſtringentibus; & capitis corroborantibus. Quibus intentionibus ſatisfieri, atque adeò Excell. Senatorem præſeruari poſſe non dubito.

In quem finem, arridet mihi frequentior uſus magiſt. mechoac. omiſſa pilula, cùm Aloetica omnia venarum orificia aperiendi facultatem obtineant. Potius itaque reformetur cum conſ. è flor. Perſicorum, vel lenit. portione. Nec parum proficiet uſus Tinct. Corall. in Aq. Plantag. prout ſummoperè placet uſus conſ. roſar. antiq. ſtatim à prandio, & cœna. Et quoniam periodus huius Hæmorrhagiç menſtrualis eſſe ſolet; ideo tribus, aut quatuor diebus ante ſanguinis eruptionem, comedat Tragacant. cum bolo, ad ʒ iij. ſiue Diacod. cum bolo; quibus ſuperbibat cyathum tinct. roſar. extractæ cum ſpir. Vitrioli; prout & quotieſcunque aliqua guttula ſanguinis è naribus effluxerit, aut capitis grauitas, cum calore moleſta fuerit; tunc enim & reliqua genera reuulſionum propoſita adminiſtranda, a 5. Meth. 6. potiſſimum verò Cucurbitulæ ſiccæ infernis partibus; & tandem magna, [a] hepati affixa.

Ad vaſorum verò, & capitis refrigerationem, in cubiculo proprio utatur ſuffumigio Aq. roſac. addita exigua Acet. roſ. portione, camphoræ momento, ſant. citr. & cydon. cort. Pul. autem roſar. & myrt. per nares attrahendus mihi ſuſpectus eſt, prout & cætera omnia, ob metum ſternutamenti omnino vitandi, quorum loco extrinſecus potius interciliare ſpatium, ol. mattis inungi poterit.

Quibus addenda congrua illa victus ratio, ſummæ tuæ prudentiæ notiſſima; ut interim, Vinum Lentiſc. & ſant. ad menſam medicatum in vſu ſit.

Quod ſi fortè pars præſeruatiua non ſuffecerit, & parte curatiua opus fuerit, Cucurbitula magna repetenda erit viſceribus affixa, venis iugularibus linteo appoſito, madefacto Aq. Plantag. & roſar. addito pul. conſtrict. In nares verò inſuffletur pul. Chalcanth. uſti, Boli arm. orient. & ſang. drac. æquis portionibus miſti, & poſt inſufflationem inſinuetur rotunda longa, prius albumine oui tincta, mox eodem puluere aſperſa; ſic enim contumaces quoque hæmorrhagias ſemper vidi ſuppreſſas. Et hæc pauca approbaſſe mihi ſatis, ut repetitæ ſanguinis miſſiones omittantur, & Cauterium coxæ dexteræ inurendum protrahatur. Quæ omnia prudentiſſimo iudicio tuo expendenda committo.

XCIV.

OZÆNA.

VIR Nob. quadragenarius, temperamenti totius, & iecoris, calidi & ſicci, cerebri calidioris, & humidioris, & ideo excrementorum feracis, iiſque ſalſis, quæ tamen per nares facilè, & copioſè excernuntur, cùm anno elapſo acutè febricitaſſet, à febre conualeſcens, cruſtam, in nare dextera obſeruauit, quam cum ſibi unguibus ſcalpſiſſet, plaga, ſeu ulcus permanſit, ſanie manans, cum graueolentia; cùm autem Medici conſilio, in conualeſcentia, vinum adſtringens roſis alteratum per nares attraxiſſet, cruſta rurſus accreuit; quam tamen denuò unguibus auulſit, & quidem pluries, ſpatio menſium. Modò cùm fœtidum odorem expiret, adſtantibus potius, quàm ipſi Patienti moleſtum, ut eo liberetur, conſilium petit.

a 3. Per Loc. 3. Vlcus ab hoc Nobiliſſ. Pat. in nare contractum, & diutius perdurans, [a] Ozæna ab odore fœdo dici ſolet; quod quoniam in caſu noſtro, non ſolùm eſt ęgrè ſanabile, ſed & graueolens; ideo non ab acribus tantùm humoribus; verum & putreſcentibus [b] excitatum fuiſſe ſupponimus; b Ibid. & Tral. Lib. 3. Cap 8. cuius prauus odor ab Adſtantibus potius, quàm ab ipſo Pat. percipitur; quoniam vlcus infra, non ſupra colatorium heret; & præterea quia non adeò exquiſito [c] ſenſu præditus eſt; c 2. de Sympt. Cau. 4. tunc enim olfaciendi facultas ob præſtantiam, vel exigua uitia ſentire ſolet, prout in tinnitu Aurium; ſecus autem contingit, vlcere ſupra colatorium ſerpente; tunc enim Patientem magis, quàm adſtantes prauus odor infeſtat.

Fuit autem ulcus huiuſmodi excitatum ab humoribus acribus, atque putreſcentibus, quibus totum venoſum genus, ob calidum, & ſiccum temperamentum, ſicuti caput ob calidum & humidum ſcateat; qui tamen maiorem conſueto acrimoniam adepti fuere, ab

acuta

acuta ſebre pręgreſſa; quo tempore cùm non adeò frequens, & diligens fuerit natium emunctio, acris, & putrida materia à capite delabens, & diutius in nare ſubſiſtens, facilè eroſionem facere potuit, quę in cruſtam denſata eſt, ob aduſtionem hoc in Patiente facilem, cuius ratione non ſemel euulſa recruduit.

Vlcus huiuſmodi conſolidare nõ adeò facilè fuerit; cùm inter annua recenſeatur, ob partem fluxionibus obnoxiam. Attamen quoniam os nondum affecit, unde & ſimitas quandoque, & nox per nares eliditur, oſſe palati corrupto, ideo ſalus ſperari poteſt.

Caput ſcil. exſiccando, & roborando; mox ropica repellentia, auſtera, & acerba; diſcutientia item calida, & ſicca [d] adminiſtrando; pręgreſſa tamen primarum viarum, totius, & capitis expurgatione.

d 3. Per Loc 3.

Et quidem à fonte Chirurgico ſanguinis miſſio depromenda, ex mediana dextera; quinimò & ſecundo loco, ex venis ſedalibus. Cauterium brachio inuſtum neceſſarium videtur, ad materię catarrhalis diuerſionem, & euacuationem; quo indigebit ipſe Pat. vlcere quoque conſolidato, cùm caput habeat natura valde excrementitium.

Primum Leniens erit Lenit. cum tart. vel ſyr. roſ. ſol. & de polyp. ſicut primum pręparans, iulap. acet, ad ℥ iii. cui pollinis Tart. ʒ iii. immiſtę fuerint, quinque aut ſex poſt diebus eodem leniente repetito. Vlterior inde erit inſtituenda pręparario, iulap. acet. & ſyr. de beton. & de pomis, in decoct. cich. borrag. bugloſſi, beton. ſaluię, maiorang; & ſeptem, aut octo ab eo diebus, purgans aſſumendum ex infuſ. agar. rhab. & ſennę, in aq. beton. addendo ſyr. roſ. ſolut. Vel ex elect. lenit. diacath. diaphœn. quibus tamen ſuperbibat aq. Nocerianam, aut hordeaceam.

Quibus peractis, caput quoque erit expurgandum pil. coch. & aur. necnon aliquo maſticatorio, ex maſtich. pulu. fœnic. & pyrethri parato; vel fruſtulo cinnam. aut nucis myriſticę.

Toto, & capite expurgatis, Caput ipſum exſiccandum, atque roborandum; in quem finem decoctum aliquod exſiccans, & diaphoreticum, cum ſudore in hypocauſto, ex vſu quidem foret; verùm quoniam Par. renuit ſudorem, ob moram domi neceſſariam, ne propria negligat negotia; ideo illud exſiccans quidem præſcribendum erit, non tamen valdè ſundens, quale eſſe poterit ſequens. ℞. ligni roriſmar. ℥ i. radic. Cannæ mont. roſar. vulg. ſantal. alb. an. ℥ ſ. Aquar. beton. cich. acet. an. ℔ i. m. f. inf. per horas xxiiij. deinde bul. ad conſumpt. dimidij, & colat. ſeruetur pro duabus vicibus, matutinis horis aſſumenda; cui iniiciantur tinct. corall. chymicæ gutt. aut quintæ eſſent. roriſmar. In huius autem uſu perſiſtat ad dies 40. & decimo quoque die aſſumat pil. capit. iam propoſitas. Victus ratione interim ſeruata, attenuante quidem, & exſiccante, ſed non tenui; quare uinum concedatur album, & tenue.

Dum iam dicta fiunt, Topica admouenda ueniunt, quę [e] naribus conueniunt magis exſiccantia, quàm oculis; minus tamen, quàm auribus. Recentes verò Ozænas ſanat ſuccus malorum punicorum, optimè coctus; quinimò Eunuchus à Gal. [f] deſcriptus, qui omnibus medicamentis irritabatur, ſanatus fuit pulu. roſar. aridarum, ſicut & plures alij. At in antiquis acetum, & ſulphur reliquis immiſcet idem Gal. [g] vnde & Tral. collutiones ex aceto præcipit. Paulus [h] æruginem, cum ſquama æris an. Orib. [i] Chalcitidem, & atramentum ſutorium, cum melle. Gal. [k] autem optimum huiuſmodi proponit. ℞. ceruſæ ʒ i. lithargyri, plumbi vſti an. ʒ iij. lauentur omnia, & oleo myrtino miſceantur, præmittendo uſum ſpumæ nitri, ex eodem. Et licet Celſus [l] ferrum candens per fiſtulam perforatam immittendum præcipiat, mox æruginem cum melle; ſupponit tamen os carioſum, quod in caſu noſtro non eſt. Aſſiduè autem medicamenta ſunt iniicienda, ut monet Gal. [m] Tandem ſolum uinum naribus attractum, roſis rubris alteratum, ſat eſſe poteſt ad partis exſiccationem, atque roborationem. Roborabunt quoque caput, conſeruę e flor. beton. roriſmar. ſaluiæ, roſar, ſub ingreſſum lecti aſſumptæ.

e 5. Metha.
f 3. Per Loc. 3.
g Ibidem.
h 3. de Re Med. 24.
i 4. de Loc. aff 45
k Ad Solonem 13.
l 7. de Re Med. Cap. xi.
m 3. Per Loca 3.

Quibus omnibus congrua uictus ratio erit addenda, abſtinendo à vaporoſis omnibus, necnon ab acribus, ut à lacte, & lactariis, à condimentis aromatum, cęparum, & allii, ab Apio, & huiuſmodi aliis; ſic & à uinis generoſis; ut & ab omni potiſſimum ſcalptu narium.

XCV.

ERYSIPELAS IN FACIE.

IVuenis 35 annum agens, temperamenti totius, & iecoris, ad calidum, & humidum vergentis, habitus mediocriter carnoſi, comeſſationibus, & compotationibus indulgens, quatuor abhinc annis, bis per annum, Eryſipelate in facie corripi cepit, quod incipere ſolet à parte dextera faciei, circa nares, indeque ad totum caput ſe diffundere, cum leui intumeſcentia, calore inſigni, & potius rubore, quàm flauitie; quod mali genus ipſius quoque Genitor pati ſolebat. Quoniam autem Veris tempore, & ineunte Autumno inuadere ſolet huiuſmodi affectio, quæ repetita ſanguinis miſſione, & alterantibus hucuſque curata fuit, non tamen ſine vitæ diſcrimine, quia febris acutiſſima eandem comitatur, & quandoque ad fauces quoque propagatur; ideo hoc Menſe Martio, & inpoſterum, de agendis pro præſeruatione conſulit.

Huiuſce affectus per interualla periodica recurrentis, & hunc Iuuenem Nobiliſs. moleſtãtis idea iam notiſſima eſt; Eryſipelas enim nuncupatur, quod licet vix ad auctam magnitudinem referri ſoleat, cum corporis potius [a] ſuperficiem, quàm intimas partes occupare ſoleat; attamen quoniam rariſſimè datur legitimum Eryſipelas, à ſincera flaua bile productum; ideo [b] Phlegmonoſum hoc propriè appellabimus, quod à ſanguine [c] biliofo, ut ferè ſemper, ortum trahit; cuius cauſa familiare eſſe ſolet trigeſimo, uſque ad quadrageſimum annum, quibus ſanguis [d] plerumque abundat, ideo color eius, cum calore, rubens, ſiue rubicundus [e] obſeruatur, qui roſeus dicitur, redundaotis ſanguinis indicio; cuius affluxus, atque prouentus facilis in hoc Iuuene ſemper fuit, temperamento calido, & humido prædito, & meracioribus compotationibus dedito; unde bilioſior ſimul, & copioſior geoitus, venarum facultatem irritat, ad ſui in partem hæreditario iure imbecillem, expulſionem; potiſſimum Veris tempore, quo humores à centro ad corporis peripheriam moueri ſoleut, & Autumno ineunte, cùm ab ambieote cutis meatus denſautur, vniuerſa diaphoreſis imminuitur, & humores per expreſſionem, vtpote calidi, ſurſum in caput feruntur, & facilius obſident nares, genamque dexteram è directo iecoris, partes ſcil. quæ facilè tenuiſſimo ſanguine ſuffunduntur, utpote cæteris molliores, atque imbecilliores, à quo inflammantur, & in tumorem eleuantur; unde phlegmonoſum Eryſipelas conſtituitur, quod neceſſariò febris acuta, ut ſymptoma conſequitur.

a 2. ad Glauc. 2.
b 14. Meth. 1.
c 2. ad Glauc. 1.
d 1. Progn. 35.
e 5. in 6. Epid. 14 & 3. Progn. 34.

Affectus equidem non ſpernendus; nam ex leui aliquo errore, aut externa occaſione, lethalis euadere poſſet, ſi ab extra ad intra retrocedat [f] humor; vnde Phrenitides nonnunquam ſuccedunt, quandoque etiam Anginæ, quandoque pariter ſuppurant [g]; ut propterea ſumma cum ratione egregius hic Iuuenis à nobis præſeruationem poſtulet, cùm melius ſit præuenire, quàm præueniri. Quod ſi non ſtatim adeò præſeruatiuis remediis arceri poſſit affectio, eiuſdem quoque præſentis curationem expoſcit.

f 6. Aph. 25.
g 7. Aph. 20.

Pro præſeruatione autem intentiones medicæ erunt, redundantem ſanguinem imminuere, eiuſdem uirium corrigere, regenerationem inhibere, & partem affectam roborare. Quibus omnibus ſatisfaciendum partim Menſe morbi acceſſionem præcedente, partim poſt.

Fontem Chirurgicum ſpectantia locum habent, paucis diebus ante acceſſionem; ſanguis enim omnino educendus, quia vitium in eo eſt; peccat enim quantitate, ut multus, qualitate, ut acris, & bilioſus, & motu, quatenus ruit in caput; & ideo aperienda ſaphena pedis præcedente tamen hac prima vice, Iecorariæ dexteræ ſectione. In vſum etiam duci debent quotidianæ pedum lotiones, aqua calente.

Ex Pharmaceutico reliqua ſunt depromenda medica auxilia. Et primò Lenientia erunt, Syr. Roſ. ſol. cum potione Mannæ clarif. uel Caſſia cum Tart. Præparans eſſe poterit Decoct. Cich. Borrag. End. Acet. Viol. Sonci, cui præmittat Iulap. Acet. ad ℥ i. ſ. Repetatur deinde præſcriptum leniens, addita infuſ. conſuetæ Rhab. drachma. Inde ad vlteriora præparantia erit progrediendum, Decoct. ſcil. Cich. End. Acet. Sonci, Viol. Hepat. Portul.

præ-

præmittendo Iulap. Roſ. & Viol. ad ℥ ij. Præparati humores ſunt expurgandi, Rhab. potiſſimum, cuius ʒ ij. in Aq. End. infundantur, cum ʒ i. Myrob. Citrin. Infuſ. addendo Syr. Roſ. ſol. uel præbeatur Elect. de Succo Roſ. ad ʒ iij. cum Fl. Caſ. quibus ſuperbibat Seri depur. Capr. aut Aſin. ℔ ij.

Hac ſequuta humorum bilioſorum expurgatione, calida iecoris, & uenarum intemperies corrigenda venit; in quem finem Aq. Acidulæ ferreæ erunt omnino uſurpandæ. Verùm quoniã nonniſi ſub Cane perficiuntur, & aſſumuntur; ideo interim in uſum ducat Aq. ſtillatitias ad ℔ i. de Succo Cich. uel Acet. End. & Cucurb. Anguriæ quoque aqua vtebatur Auic. & Arabes, cum Syr. de Acido Cit. & de Succo Lim. vt tandem ad Acidulas, uel Calderianas in Agro Veronenſi; uel B. Virginis in Patauino ſe conferat, 15. aut 20. diebus aſſumendas. Familiarem inde habeat Roſ. Conſ. & 15. aut 20. diebus ante autumnalem acceſſionem præmiſſo Leniente, ex ſaphena dextera pariter ſanguinem ſibi mitti permittat, & iam dictis alterantibus ſuauioribus utatur. Tandem pro partis roboratione, facies matutino tempore abluatur Aq. chalybeata; & interdum madefiant genæ Aq. Roſar. Hæcque abundè.

A fonte Dietetico magna ex parte pendet huius affectus præſeruatio. Etenim primò, nec igni, nec radiis ſolaribus caput diutius exponere debet. Secundò compotationes euitandæ, merique potus, etiam in menſa; à cibis calefacientibus, ac vaporoſis abſtinendum, à condimentis Aromatum, Allii, Ceparum, & huiuſmodi. Somnus diurnus vitandus, vel ſit breuis ſaltem, & capite elato. Exercitium probatur, ſed ante cibum. Et ſemel per menſem aſſumere poterit ʒ i. Pilul. de Trib. cum Rhab. ſub cœnam, & in cœna ptiſanam hordeac. Alacriter uiuat, & intenſas applicationes vitet. Quod ſi iam dictis non obſtantibus, recurrat affectus, eadem purgatio erit anno proximè futuro peragenda, vt mali radices omnino euelli, & extirpari poſſint.

Eryſipelas verò rurſus inuadens, curandum erit, ut aliàs; melius enim eſt, dicebat Auic. *Medicamentum expertum non experto.* Nihilominus, ut Patienti morem geram, nonnulla peculiaria attingam, quæ in curando Eryſipelate Medentibus dubium afferre ſolent.

Et primò medicæ intentiones eſſe ſolent, humorem ad partem affectam fluentem reuellere. Secundò repellere. Tertiò eundem expurgare. Et tandem partem roborare.

Quibus explendis, de ſanguinis miſſione dubitari ſolet; cum Gal. [h] in curatione Eryſipelatis, neceſſariam non eſſe dixerit. Verùm primò ſanguinis miſſionem non reprobauit; ſed præterea omitti poſſe cenſet in Eryſipelate exquiſito, quod rariſſimè datur. In noſtro autem caſu, de hoc dubitari non poteſt; ſiquidem phlegmonoſum eſt, & præterea in capite, quo caſu, Celſus [i], & Paulus [k] ſanguinem educebant; & ideo ſanguis iterum, atque iterum ex inferioribus, & ſuperioribus venis educendus, & reliqua omnia genera reuulſionum administranda, ſcilicet pedum lotiones, frictiones, & cucurbitulæ.

h 14. Meth. 3.
i 6. de Re Med. 20.
k 4. de Re Med. 21.

Extrinſecus repellentia admoueri ſolent; quæ tamen cautè valdè capiti ſunt apponenda. Sufficiant igitur lintea Aq. Roſ. tepida imbuta, uel ſucco ſemperuiui, qui & repellẽdi, & quodammodo etiam digerendi facultatem obtinet; ab oleoſis verò, & pinguibus omnino abſtinendum, ut quæ partis feruore excalefacta, magis inflammare poſſint. Ab his autem repellentibus tertio, aut ad ſummùm quarto die abſtinendum, nec quicquam aliud curioſè agendum; ſed circa ſeptimam, lintea apponantur Aqua, in qua ſapo noſter Venetus diſſolutus fuerit, imbuta.

Interim ſanguine prima vice euacuato, poſt iniectum clyſterem, medicamentum euacuans eſt exhibendum, quod eſſe poterit Syr. Roſ. ſol. cum decoct. Pulp. Tamarind. uel Flos Caſſ. cum eadem pulpa, à quibus bibenda præbeatur Aq. Nocer. ad ℔ ij. & inde uſque ad declinationem Clyſteribus utendum. Poſtea alterantia in uſum quotidianum reuocanda, ex Aq. ſtill. Acet. End. quinimò & Plantag. parata, addito Syr. de Succo Lim. & de Acido Cit. Et licet videatur Gal. [l] purgationem electiuam approbare; ad hanc tamen valdè cautè deueniendum eſt, & nonniſi in declinatione, ne agitentur humores, & in affectam partem irruant. Quare poſt ſeptimam præberi poteſt Elect. de Succo Roſ. cum Caſſ. & ab ea ſerum, aut Aq. Nocet. ad libras.

l 13. Meth.

Et his omnibus congrua addenda uictus ratio, in caſu noſtro tenuis, non autem adeò, ut in exquiſito Eryſipelate; ſit autem incraſſans, verbo, ſufficiat ptiſſana hordeac. uel Lactuca, aut Cucurbita in iure cocta; cui prope ſeptimam Ouum recens addi poteſt; conceduntur poma, & pyra cocta, & cibum claudat Conſ. Roſar. Pro potu autem hauriatur Aq. ſtill. Acet. aut Hordeac. Quibus addendum, quod nil pernicioſius eſſe poſſit, quàm faciem aeri frigido, aut ventis exponere. Quæ pro curatione ſufficiant.

XCVI.

RVBEDO, ET CRVSTA in Facie.

Reuerendiſs. Vir, annum agens 38, temperamenti ſecundum totum, & iecur, calidi & ſicci, gracilis habitus, & ni fallor, hiſpidus, rubicunda faciè, & flauis capillis, viuidus valdè, negotiis arduis continuò implicitus, conqueritur de quodam affectu cruſtaceo in facie ſuborto, qui cum aliqua deformitate, deterioris quoque mali metum incutit; præterquam quod, nimia gracilitas, utpote morboſa ſuſpecta euadit, maxime verò cùm ventriculum non adeò perfectè proprio officio fungi percipiat; cuius cauſa vino generoſiori ad menſam, eundem corroborare, & coctiones adiuuare ſibi perſuadet. Modò de agendis conſulit, tum ut exterior affectus faciei oblitteſcat; tum ut interior viſcerum, ac totius corporis diſpoſitio ſalubrior euadat, Vir alioquin inculpata, atque diuturna valetudine maximè dignus.

Equidem niſi à prioriſatis ſuperque ſtatus internorum viſcerum, totiuſque maſſæ ſanguineæ Reuerendiſs. Viri nobis innoteſceret, exteriora interiorum nobis abundè indicium præberent; nullus enim non videt, corporis gracilitatem, cum hiſpiditate, rubicundam faciē, flauentes capillos, eiuſque in actionibus promptitudinem, viſcerum, & potiſſimum iecoris, atque cordis caliditatem immodicam prodere; prout cruſtam in facie iugiter enaſcentem, feruorem non ſolùm, verùm & a duſtionem ſanguinis demonſtrare; qui calor immodicus naturalis quidem fuit, ſed multò magis adauctus à libera, & promiſcua viuendi ratione, tum in cibo, & potu, tum maximè in intenſis applicationibus, atque agitationibus; namque, ſi motus corporis eſt cauſa caloris, quantò magis animi, qui corpore nobilior? Ab æſtuanti autem iecoris, atque cordis intemperie, feruidus adeò, atq; bilioſus neceſſariò producitur ſanguis, ut exuſtionem attingat; hinc totius corporis gracilitas, cùm caro non à quolibet, ſed à dulci, temperatoque ſanguine augeſcat; hinc cruſtaceus affectus, cùm natura ſanguinis partem deteriorem, atque exuſtam magis ad exteriora expellat, præter iecoris, & hypochondriorum æſtum, à quo omenti, & ventriculi abſumpta humiditate; ægrè bona fieri poteſt in eodem concoctio, atque elixatio, ad quam ſubſtantia ventriculi
a 2. Aph. Com. 35. b 5. de Vſu Par. 12 & 5 de Nat facul. 7. bonæ conſtitutionis, & carnoſa deſideratur, ex Gal. [a] qui tenuitatem [b] tunicarum eiuſdem calidum innatum exoluere pariter aſſeruit; vnde frigiditatem ventriculi non poſitiuam, ſed priuatiuam adeſſe pro certiſſimo habendum.

Status Viri Reuerendiſs. ope medica curandus, ut ad meliorem reducatur, mala præſentia auferantur, & imminentia arceantur. Primò primas vias expiando. Secundò maſſam ſanguineam depurando. Tertiò calidam iecoris, hypochondriorum, atque venarum intemperiem corrigendo. Quartò ventriculum quoquo pacto roborando. Et tandem cruſtaceum affectum extirpando.

Et quidem à fonte Chirurgico repetita ſanguinis miſſio eſt depromenda, ex iecoraria dextera primò, mox & ex interna ſiniſtra, ſi craſſus, & niger primus effluxerit; ſin minus, ex pede, aut ex hæmorrhoidibus. Si cauteria fortè geſtaret, ſeruentur aperta. Frequenter pedes ablui ſibi iubeat, ventriculo vacuo. Abdomen totum de more vng. roſ. Meſ. illinatur; vel ſaltem oleo amyg. copioſiori.

A Pharmaceutico reliqua deſumātur auxilia. Et primò leniens ex ſyr. roſ. ſol. cum manna clarif. vel ex caſſia cum tart. Inde quinque dies præparatio fiat ℥ iij. iulap. acer. cortic. citri arom. quolibet mane aſſumendi, ut præſcripto leniente rurſus fiat humorum euacuatio. Mox ulterior tentanda præparatio, abſtinendo, quantum fieri poſſit, à ſaccharatis, & potiſſimum mellitis; quorum loco præferantur herbarum ſucci depur. cich. end. atque borrag. ad ℥ iij in iure alterato cich. end. borrag. ſonco, malua, violis, & hepatica. In horum autem uſu, ad dies viginti perſiſtendum; & qualibet hebdomada, præbendum infuſum

rhab.

rhab. & ſennæ an. ʒ ii. in aqua endiuiæ, addito ſyr. roſ. ſolut. & duabus poſt horis, epoto ſero capr. depur. ad ℔ ii. à quo aliis duabus horis poſt, prandeat. Quod ſi bolos optet, parentur ex caſſia, cum rhab. aut cum pil. de tribus, quibus ſuperbibat pariter ſerum.

Hac repetita expurgatione uniuerſali, iecoris, & ſanguinis calida intemperies corrigenda; in quem finem aquę Nocerianę, quindecim dies diureticę epotę, aptiſſimę forent; atque ad lactis aſinini uſum, quadraginta diebus deueniendum erit; quo tempore uniuerſo corpori Balneum aq. dulcis conuenientiſſimum cenſeo; uel natationes quotidianę veſpertinę, ſed ante cœnam, & frequentes totius corporis inunctiones oleo amygd. recenti; duo namque potiſſima remedia Viro Reuerendiſs. ſalutaria futura ſunt, uſus ſcil. Lactis, matutinis horis, & veſpertinis; ac Balnei aq. dulcis vix tepidę, quod efficacius erit ex aqua alterata fol. malu. uiolar. lactucę, nenuph. ſalicis.

Et quoniam ventriculi quoque aliqua, licet exigua cura eſt habenda; ideo ne calorificis rurſus hypochondria, & iecur ęſtuent, ſtatim ab aſſumpto cibo, aliqua ventriculi calorem fouentia uſurpari poterunt, ut conſerua roſ. cum aromat. roſato; uel tria grana maſtich. integra deuorata, uel ſal abſinth. in ſemicyatho uini generoſioris diſſolutus, uel pil. ex ℈ i. ſucci abſinth. condenſati deglutita; & quidem omnia ſtatim à menſa in uſu habenda.

Et licet in dictorum remediorum adminiſtratione cruſta facilè decidet, vt arbor reciſa, & euulſa radice; nihilominus pars illa attingenda fuerit ſpongiola ſucco lim. oleo de tart. miſto, uel ſucco citri miſto aquæ aluminoſę imbuta; noctu verò illinenda vng. roſ. Meſ. cum litharg. aureo, ſuper porphyrite læuigato, reformato. Cruſta autem omnino attrita, pars illa de more, attingatur infuſ. roſar. ſolut. in qua aluminis crudi aliqua portio fuerit diſſoluta.

Et his omnibus congrua uictus ratio reſpondeat, refrigerans, ſubſtantificè humectans, à generoſioribus vinis abſtinendo, hac potiſſimum animaduerſione, animi quietem curæ corporis quammaximè profuturam. Quæ ſub directione prudentiſſima Viri pręſtantiſs Adſtantis finem optatum conſecutura minimè dubitamus.

XCVII.

ORIS TORTVRA.

SIcut de idea affectus, Illuſtriſs. atq; Excellentiſs. Exercitus Imperatorem moleſtantis, non eſt dubitandum; ita eiuſdem cauſa, & pars affecta nos habet ancipites: etenim oris tortura, quæ eſt euidentior, & magis conſpicua affectio, pendere poteſt ab affecto cerebro, ac proinde à neruis ab eodem emanantibus; vel ab affectis neruis, illæſo cerebro; vel ab affectis muſculis, ſine noxa neruorum, & cerebri ipſius. Præterea fieri poteſt, vel ab intemperie frigida, & humida ſine materia; vel ab eadem cum materia. Modò in caſu noſtro, cerebrum affectum non fuiſſe credimus; ſicuti pro certo habemus, muſculorum ſubſtantiam potiſſimum lædi, dubij alioquin de neruorum læſione. Subſtantiam tamen muſculoſam eſſe maximè affectam demonſtrant nobis oris tortura, affectis nimirùm, non ſolum muſculis primi, & ſecundi paris, labijs dicatis, verùm etiam buccinatore, gingiuis ſuperioribus implantato, & ad gingiuas maxillæ inferioris protenſo, à quo labia ita laxantur, ut non adeò facilè literam. P. pronunciare poſſit, ſed huius loco, B. cibuſque in inferiorem maxillam facilè delabatur, adeò ut digito eundem extrahere cogatur Excellentiſs. Pat. Verùm præter iam dictos, lædi quoque videtur palpebræ clauſor; cùm oculum uix claudere poſſit; & præterea frontalis, quia frontem vix corrugare valet; ex quibus omnibus actionibus læſis, plurimorum quoque muſculorum apparent affectiones, quarum cauſam, licet frigidam eorundem intemperiem fuiſſe, & eſſe cenſeamus, eidem tamen, & materiam catarrhalem accedere procul dubio aſſerendum; ſiquidem tumor ſtatim apparuit ſub aure dextera, & ſubinde labiorum aliqua intumeſcentia; ſed quod maximè conſiderandum hoc

caſu,

caſu eſt, quod non iudicamus cerebrum ita affectum fuiſſe, ut materiã ad neruos depoſuerit, adeò ut obſtructi ſpirituum animalium influxum cum Arabibus, vel irradiationem cum Græcis intercipiant, ſicque prædictos affectus pariant; nulla namque querela de cerebro affecto præceſſit, non dolores capitis contumaces, non uertigines, minus autem apoplectici affectus. Et licet vnico die, antequam ingrueret affectio, caput doluerit, nil mirum; cùm prægreſſa fuerit cauſa procatarctica, frigidus nimirum ventus, per fiſſuram partem illam integro die afflans, à quo intemperies frigida membranæ carnoſæ, & pericranio fuit inducta, indeque ſolutio continui, à qua dolor, ſed extra caluariam; per quam eandem partem, ſpatia uidelicet inania, catarrhalis materiæ portio ad muſculos detruſa fuit, quorum læſionem, neruoſarum quarundam propaginum ad cutem, denſitatem [a] quoque comitatam fuiſſe ſuſpicari poſſumus, ab externa uiolenta frigiditate contractam, cuius cauſa nonnihil quoque ſpiritibus ad muſculos influxus interclusus fuerit, unde ſenſus obtuſus redditus; non tamen ab obſtructione, quia non citò cedere cepiſſet affectus; prout ſi intra cranium à cerebro ortum habuiſſet, extrinſecus fluxio catarrhalis doloris, & intumeſcentiæ cauſa non apparuiſſet, à qua & tortura in parte oppoſita [b] ſucceſſit, quæ parti affectæ non contingit, niſi in conuulſione canina, qua non laxantur, ſed contrahuntur muſculi. Quare affectio hæc potius muſculorum, quàm neruorum mollities appellari meretur.

[a] 1. de Symp. Ca. 5. & 2. de Symp. Cau 2.

[b] 4. de Loc. Aff. 3.

Quibus ita ſe habentibus, non adeò nobis reformidanda hæc oris tortura, veluti ſi à cerebro principaliter affecto originem traheret, & aliis capitis affectionibus ſuccederet; nunc enim prauam, atque morboſam capitis, & cerebri conſtitutionem nobis ſignificaret, deteriorum malorum prænunciam. Ideo præſentis affectus ſanandi concipimus ſpem, abſque maiorum metu, vtpote à cauſa procatarctica, & externa excitati.

Congruis igitur remediis curatiuis mali præſentis extirpatio procuranda; & ſi opus fuerit, mox præſeruatiuis alia procul arcenda.

Sint autem medicæ intentiones, materiam muſculis impactam attenuare, atque reſoluere; frigidam intemperiem eorundem non ſolùm, verùm & neruorum illarum partium contemperare, & totum caput roborare, præmiſſis uniuerſalibus euacuationibus.

Pro quibus, à fonte Chirurgico nulla depromenda uidetur ſanguinis miſſio; non quidem ex uenis ſuperioribus, quia frigida eſt affectio, & caleſacientibus eget; non ex inferioribus, quoniam per conſenſum ab infernis partibus facta non fuit. Nihilominus ſi caput cogitationibus implicitum ſibi incaleſcere, & repleri perciperet Excellentiſs. Vir, venæ ſedales aperiendæ forent. Interim matutinæ frictiones dorſo, & veſpertinæ ante cœnam; & pedibus lotiones, aqua calente erunt quotidie adhibendæ.

Et quoniam iam primæ viæ ſatis expiatæ à Viris Excellentiſs. fuerint; ideo conſultò omiſſa longiori totius præparatione, & electiua humorum vacuatione, ad totius, & capitis expurgationem deueniri poterit pil. coch. aur. & aggregat. an. ʒ ſ. tribus vicibus, quarto, aut quinto quoque die, noctu à primo ſomno exhibendis; diebus autem intermedijs parata decoctione in iure, ex cich. borrag. end. betonica, ſaluia, maiorana, ſummo mane præbenda; cui præmittatur oxymel ſimplex; iiſdem intermedijs diebus per nares ducto, matutinis horis, puluere ex iride, & maiorana parato more tabaci.

Partibus autem affectis ita proſpiciendum. Primò quidem magna ſpongia ſouendæ erunt, prius imbuta, mox expreſſa decoct. in vino albo generoſo, ex foliis origani, pulegii, calamēt. ſerpylli, maioranæ, & radic. lilior. alb. cyclam. & cucumer. aſinini, infundendo prius per noctem ante decoctionem in præſcripto vino, lignum ſaſſafras. Poſt fomentum ſtatim inungantur partes affectæ oleo ſuccini, paucis additis quintæ eſſentiæ roris marini gutt. ſubtiliſſimas enim obtinet partes, & quammaximè diſcutientes, à quibus non eſſe recedendum cenſemus. Interim matutino tempore os ſibi colluat aqua vitæ iuniperina; interdiù verò ore, de more detineat fruſtulum cinnamomi, aut nucis moſchatæ; & noctu confectiones ex rotulis gutt. quintæ eſſentiæ roris marini paratis, ſaccharo diſſoluto aq. cinnam.

Vinum ad menſam paretur medicatum guaiaco pingui, uiſco quercino legitimo, & lig. roris marini an. ℥ i. pro qualibet ſitula, cum ℥ ſ. ligni ſaſſafras; commodè namque decocti vicem ſubire poterit, cùm medicamentum in cibo valdè bonum exiſtimauerit Hipp. ipſe.

Quibus omnibus cõgrua victus ratio iam adiuncta fuerit; cui tamen hoc ſolùm addimus, quod prandium claudat conſerua roſat. & parcam cœnam conſerua è floribus roriſmarini, vel betonicæ, aut ex ſaluiæ baccis ſaccharo conditis. Quæ omnia Viro Illuſtriſs. atque Excellentiſs. à D. O. M. ſalutaria enixè precamur.

PRO

XCVIII.

PRO EODEM.
Conſultatio Altera.

TRia ſunt quæſita Illuſtriſ. & Excellentiſſimi Exercitus Imperatoris,
circa affectionem, quæ ſuperiori menſe, poſtquam tota die faciem fri-
gidis ventis obiecit, ſecuto ſequenti nocte capitis dolore, mox ipſum
corripuit, circa oris ſcil.& aliarum partium faciei torturam; de qua-
lia à nobis conſultatio fuit conſcripta. Primum eſt, num vera paraly-
ſis fuerit dicenda. Secundum, num recurrere poſſit, ut paralyſis mos
eſt. Tertium, quid pro præſeruatione fuerit agendum, cum ferè omni-
no liberatus, curatione non egeat.
Primum quod attinet, [a] Paralyſis propriè eſt ſolius motus priuatio.
Paraplegia verò ſenſus, & motus in vna particula diminutio. Paraplexia ſenſus, & motus a Aret. 1. de Diut.
in toto, excepto capite, priuatio; ſicut priuatio ſenſus, & motus in toto corpore cum capi- Affect. 7.
te Apoplexia. Ex quibus veram Paralyſin non fuiſſe facilè patere poteſt; & Paraplegiam
potius appellandam. Verùm quoniam Apoplexia, Paraplegia, Paraplexia, Paralyſis, Ane-
ſthoſia, & Pareſis, omnes ſub vno genere continentur, cùm omnes ſint neruorum [b] affectio- b Aret. Ib.
nes, atque reſolutiones; hinc nonniſi impropriè paralyſis, ſiue ſemiparalyſis, ſiue paraple- & 2. Meth. 2.
gia nuncupari poteſt affectus, quo prehenſus fuit Excell. Senator, quia muſculorum po-
tius, quam neruorum proprius fuit; ut contigit Puero, [c] diutius in fluuio verſanti ad pi- c 1. de loc.
ſcium capturam, cui ſolis muſculis ſedis, & veſicæ fuit reſolutus, abſque neruorum læſio- Aff 6.
ne, quod aſſerente Gal. [d] etiam alijs euenit ſedentibus ſuper lapidem frigidum, vel in fluuio d Ibidem.
natantibus; quod mirum videri non debet, quoniam omnis [e] voluntarius motus ad muſcu- e Ibid.
lorum officium pertinet, ſiue immediatè, ſiue mediatè per tendones, aponeuroſes dictos,
quæ Gal. [f] opinio fuit, licet aliqui eiuſdem famam detrectantes, gloriolæ auidi hanc ip- f Ibid.
ſam ſibi arrogauerint. Dum igitur dexteræ partis faciei muſculi omnes, integrum diem,
ventis frigidis in triremi per feneſtellam ſpirãtibus, Excell. Viro ſcribente, fuerunt expoſiti,
refrigerati, & reſoluti ſunt, adeò ut ſpiritus animales, à cerebro per neruos diffuſos ſuſci-
tare non potuerint, quin potius imbecilles redditi, materiæ quoque portionem aliquam à
capite, per ſpatia tamen forſan, non per neruos ſuſceperint.
Quod ſi id non intelligentibus, neruorum quoque noxam concedamus, qualis hæc eſſe
potuerit explicandum, ut quæſitis opportunè ſatisfaciamus. *Neruus enim multis modis lædi
poteſt; primò ſi craſſior à glutinoſis ſuccis fuerit redditus, vel obſtructus; ſecundò, ſi denſatus à vio-
lento frigore externo; tertiò, preſſus ab aliquo externo duro corpore, vt à luxatis oſſibus; quartò, conſtri-
ctus ab aliquo ſunicolo, aut tumore,* [g] ait Gal. Quare ſi labem quoq; in neruis concedere velimus;
eò quod ſtupidus quodammodo ſenſus tunc temporis fuerit obſeruatus; hæc tamen ab ex- g 1. de Symp. Ca.
terno frigore, neruos ſubcutaneos denſante; non autem à materia catarrhali, à cerebro 5. & 2. de
per neruos tranſmiſſa, & obſtruente prouenit; non enim tam citò, primis nempè diebus, Sym.Ca.2.
à ſolis topicis calefacientibus applicatis, luculentum adeò beneficium reportaſſet. Ideoque
primo, & ſecundo quæſito reſpondeamus, hanc non fuiſſe veram ſemiparalyſin, ex illis ſcil.
quæ aut apoplexiæ ſuccedere, aut per ſe reuerti ſolent, nec niſi eadem rurſus, aut ſimili alia
externa cauſa præcedente renouandam. Supereſt igitur tantùm, ut tertio quæſito ſatisfa-
ciamus, quæ ſcil. pro præſeruatione ſint agenda, ne recurrat.
Sicut autem facilis fuit curatio; ita facilior cenſenda erit præſeruatio: cùm enim verum
ſit, quod morbum [h] oſtendit ſanatio, veriſſimum quoque, quod cùm ſanatio fuerit facilis, h 2. Aph. 17.
humorum apparatus, neque in parte, ut cauſa coniuncta; nec in capite, aut toto, ut cauſa
fouens adeſſe potuerit. Quod præuidentes, & cognoſcentes Viri Excellentiſſ. Adſtantes,
topica calida ſtatim parti adhibere non dubitarunt; de euacuationibus vniuerſalibus non
adeò ſoliciti, ſed neque immemores; obſeruarunt enim Gal. ſolis [i] calorificis, ſedis, & ve- i 1 de Loc.
ſicæ muſculo, ab externa cauſa, nempè frigore externo reſoluto, applicitis, vnum atque Aff. 6.
alterum Puerum, & ſenem, ac præterea alios, vniuerſalibus omiſſis, omninò ſanaſſe; *Frigus*

K Ibidem.

l 2. Per Loc. 1.

m Quos, Quibus, & Quando.

enim externum, ait Gal. [K] *uni duntaxat affecto muſculo nocet.* Et ſi propiùs ad caſum accedamus, nimirum capitis læſiones, à cauſa externa illatas, viderunt eundem Gal. capitis dolores, tum ab ambiente frigido, tum à calido excitatos, ſola eiuſdem capitis irrigatione reſtituiſſe, dicentem quod [l] *Si ab ambiente etiam frigido contractus fuerit capitis dolor, ſufficit oleum rutaceum calidum capiti affuſum, ut homo perfectè liberetur.* Sicque nos docet, monetque, quod quandoque commoti humores in toto à medico ipſo, irruunt in partem læſam, ad quam immoti non pertingunt; unde iuremerito inuehebatur contra Medicos ipſe Auic. dicens, *Multa mota nocent, quæ non mota non nocerent*; & ante ipſum Gal. ait, [m] *Qui ſano corpore ſunt, ſi purgentur, moleſtias ſentiunt.* Quæ omnia rationibus, & auctoritatibus comprobata, experientia quoque comperta vidimus. Quæ curationem Excell. Medicorum Adſtantium idoneam fuiſſe oſtendunt, quod & ipſa experientia confirmauit.

Tertio quæſito itaque reſpondemus, quod ad præſeruationem, primum locum, ne dicam omnem, obtinet congrua victus ratio, in ſex rebus nonnaturalibus. Aer enim impurus, ventoſus, nebuloſus, nocturnus vitandus. A ciborum copia, praua qualitate, varietate, & importuno uſu cauendum, & vinis non valdè vaporoſis, & ad menſam tantùm utendum. Interdiù vigilandum, noctu verò dormiendum. Corpus ante cibum exercendum. Aluus, niſi ſponte reſpondeat, arte ſolicitanda; Venuſque frequens vitanda. Et tandem moderatæ deſiderantur mentis applicationes; ſicut legendi, & ſcribendi tempus nunquam ſtatim à cibo captandum. Quæ omnia cùm à Viro Illuſtriſſimo, atque Excellentiſſimo in militari, graui, & magni ponderis miniſterio, quo fungitur, obſeruari non poſſint; ideo aliquod medicum auxilium erit adijciendum, præſertim proximo hoc futuro Vere.

Et primò primæ viæ potione ex manna clariſ. inde iulap. acet. cort. citri aromatiz. & quinque poſt diebus, repetita manna erunt expiandæ. Inde ſuccis depur. cich. borrag. beton. in decoct. congrua erunt humores venoſi generis præparandi, & interim ex iecoraria, vel mediana oppoſiti lateris moderatè ſanguis mittendus; ac tandem decem poſt diebus, purgans exhibendum, ex manna clarif. in cuius infuſionem conſuetam ſenna, rhab. & agar. iniecta fuerint.

Quibus abundè adminiſtratis, pilulæ capitales præberi poterunt ex cochiis, aureis, & aggregat. an. ʒ ſ. paratæ, ter, quarto quoque die repetendæ; diebus verò intermedijs ſucci iam dicti depur. in decoct. cichorac. & præterea beton. ſaluiæ, maioranæ; attracto per nares ſani lateris, mane tantùm, pulu. ex maiorana, radice Iridis, & nigella compoſito.

Hoc tempore ſunt qui decoctum ex viſco quercino, guaiaci medulla, & pauxillo ſaſſafras paratum conferre poſſe exiſtiment; quod tamen nos ex iactis fundamentis ſuperuacaneum, quinimò hepati calido noxium fore putamus. Quare ſufficiant conſeruæ capitales, & roſarum ſtatim à prandio; betonicæ verò, ſaluiæ, roriſmarini ſub ingreſſum lecti; quo tempore illinantur quoque nares, & ſutura coronalis, ſummo digito, quinta eſſentia roriſmarini intincto, & inſuper paretur ex eadem confectio in rotulas, ore noctu detinendas. Sicut & vinum medicatum ſolo ligno roriſmarini ad menſam paratum, ſatis ſuperque fuerit. Quibus omnibus uiuendi rationem accuratiorem addat Senator Præſtantiſſimus, ut diù incolumis, Deo, & Patriæ, magna ſui nominis gloria utilliſſimam operam impendere poſſit.

GVSTVS

XCIX.

DENTIVM MOBILITAS.

Commotio dentium, qua moleſtatur Nob. Mulier, alimenti inopiæ, aut ariditati nullo modo tribuenda eſt, quia à ſenectute diſtat; ſed in humorum [a] redundantiam, & deprauatam alimoniam omnino referenda: etenim diuturnæ moræ ſub radijs ſolaribus ſucceſſit deſtillatio euidens, à qua ſtatim dentium mobilitas, quæ tamen exſiccantibus, & adſtringẽtibus quodammodo ceſſit; verùm adapertis viis, & capitis calida, & humida intemperie, excrementa ſemper ſucceſſiuè producente, noua deſtillauit, ac ad eorundem alueolos influxit catarrhalis materia, quæ gingiuas, ac neruos ſubſtratos humectando, & laxando, iterum, atque iterum dentes eoſdem mobiles reddidit. Verùm quoniam ab eadem ſalſa corroſio ſequuta fuit, & à corroſione ulcus; hinc preſſæ gingiuæ ſanioſam fundunt, & graueolentẽ materiam; vnde poſt contractũ vlcus, non amplius dentes firmari potuerunt, quorum aliqui, ſi firmiores ſint, ulcus ſubiectũ non habere, credendum. Capitis autem intemperiem, ab intempeſtiua menſium ſuppreſſione non leue fomentum ſuſcepiſſe exiſtimandum; quæ ſola huius affectus cauſa, ſatis ſuperque efficax eſſe poteſt, abſque ulla de ſcorbutica affectione ſuſpicione; nullus enim in liene tumor, nullaque in viſceribus naturalibus labes præceſſit, quam prauus fuerit ſequutus corporis habitus; minimè verò maculæ in cruribus apparuerunt, ſicut neque de celtica hic cogitarem, cùm optimè nutriatur Nobiliſs. Mulier, capitis dolores non præceſſerint, & in reliquis optima valetudine fruatur; tunc enim occultas cauſas quęrere ſoleo, quando manifeſtę mihi deſunt.

a 5. Tec Loc. 8. & 9.

Affectus iſte, ſicuti ſi ab exſiccatione procedat, omnino inſanabilis eſt; ita ſi ab humectatione, curationem admittit; medium locum autem tenet hic caſus, quo pręter humectationem ulcuſcula quoq; in dentium alueolis obſeruantur difficilis exſiccationis, proinde ſanationis; impoſſibilis verò, ſi cauſa fouens non auferatur, aut ſaltem diuertatur.

Medicę autem intentiones erunt coniunctam humiditatem abſumere; ulcuſcula exſiccare; cauſam antecedentem tollere; & tandem gingiuas roborare. Quæ omnia pręcedere debet totius expurgatio.

Et ideo conueniet ſanguinis miſſio, primò ex ſuperioribus; ſecundò ex inferioribus uenis. Cauterium pręterea ſiniſtro ſaltem brachio inuratur.

Purgatio repetita neceſſaria, primarum ſcil. viarum, & uenarum, quam tuę prudentię committo, illud ſolum monens, quod loco ſyruporum dulcium, in officinis paratorum, ſuccis depurat. uti melius fuerit, ut ſucco cichor. borrag. betonicę, & tandem quoque fumarię depur. Toto verò expurgato, & caput expurgandum, tum pil. cochiis, & aureis; tum errhino ex pulu. maioranę, ireos, & modico tabaco parato. Et ſi ſeriò curatio huiuſmodi tentanda eſt, capitis humida intemperies, tanquam cauſa fouens, eſt auferenda ſudore, cui pręmittatur decoctum ex uiſco querc. uero, lentiſco è Chio, & ſantalo paratum, in aqua deſtillata ex cichor. & betonica, per menſem ſaltem exhibendum. Quo tempore, & topica externa exſiccantia, & roborantia dentibus admoueri poterunt, quę plurima ab antiquioribus proponuntur. Oribaſ. enim, & Aetius proponunt alumen rot. cum duplo ſale, Paulus pulu. ex ariſtoloc. vſta, cornu c. & maſtich. Trallian. ſalem ammoniacum, alumen rot. & myrrham. Gal. [b] ſalem theriacalem extollit; imò & decoct. [c] rad. tithymali, in aceto. Selectiora autem apud me ſunt, primò oris collutio decoct. guaiaci in uino generoſo, addito modico aceto ſquillit. mox attingantur gingiuę diligenter oleo ſulphuris, aqua roſacea temperato, adeò ut ad radices dentium peruadat, ſi poſſibile ſit. Deinde ut præſtantiſſimum, pluries ſum expertus oleum uitrioli in uino lentiſcino. Et tandem remedium magnum eſſe ſolet, ignito ſtylo cauterizatio, quando fieri poſſit; ſin minus ſaltem ignis appropinquatio. Vbi verò ſanitati fuerit reſtituta Nob. Mul. pręſeruationis loco vtatur tinctura coral. chymica, qua ſummo digito madefacto perfricentur frequenter gingiuę.

b Ad Piſon 18.
c 8. Simpl.

Quibus omnibus congrua victus ratio iniungenda, qua potiſſimum à lacte abſtinere debet; narrat enim Gal.[d] quoſdam ex lactis uſu omnes dentes amiſiſſe. Nec dentes ſcalpendi à cibo vt perperam multi faciunt; ſed leniter ſine motu mundandi, & uino abluendi. A cœna utatur conſeruis, modò roſarum, modò betonicę, modò roriſmarini. Quibus omnibus felicem, & optatum euentum precor.

[d] 3. de Alim. Fac. 15. & 5. de San. Tuen. d. 7.

C.

GVSTVS, ET OLFACTVS DEPRAVATIO, cum Inappetentia, & totius Spontanea Laſſitudine.

PRoponitur nobis Matrona Nobiliſs. quinquagenaria, cui tribus abhinc menſibus cœpit deprauari Olfactus, & Guſtus; quę quidem deprauatio iugis eſt, & tunc prętertim ſe prodit, quando aſſumit alimenta, & ſpeciarim potulenta; percipit enim tetrum quendam halitum, qui potiſſimum alimenti tempore moleſtior eſt. His accedit inappetentia, & ſpontanea totius laſſitudo; de quibus tamen non conſtat, num pręceſſerint odoratus, & guſtus deprauationem, an uerò poſt apparuerint; addendum quinetiam vno abhinc anno deſtitutam fuiſſe purgationibus menſtruis. Quare ſupponendum in primis, affici organa ſenſus odorarus, & guſtus; quia eorum facultas deprauata eſt. Quęrendum autem, an primò, & per ſe lędantur, an uerò per conſenſum ab infernis partibus. Et primò quidem eſſentialem eſſe affectum inde colligi poſſe videtur, quòd diuturnus ſit; ſiquidem ante tres menſes incepit; ſecundò quia continuus; tertiò quoniam de alijs partibus malè affectis nullæ adſunt querelæ; quartò quia mentem quodammodo eſſe perturbatam referunt; quamuis quod ſpectat ad hanc perturbarionem, rationi potius conſentaneum videatur, quandam diſplicentiam, quàm veram deprauarionem eſſe; cùm referatur, nunc ſuboriri, quia ab eſculentis, & potulentis exaſperatur affectio. Nihilominus organa dicta per ſympathiam pati, multis, & potioribus argumentis conuincitur. Primò quidem, quòd laborat inappetentia, ex quo apparet malè habere Ventriculum, à quo facilè affluere poſſunt aliquæ materiæ, harum affectionum cauſæ. Secundò quia totum corpus laſſitudine afficirur, quæ cùm oriatur ex materia aliqua malæ conditionis, facilè poteſt organis guſtus, & olfactus impertiri. Tertiò quia iam per annum ſuppreſſi ſunt menſes; quod certè mareriam has affectiones inducentem, ex alterutro horum locorum promanare conuincit. Præterea, ſi olfactus eſſentialiter afficererur, aut propter ulcus hoc fieret, aut propter obiectum improportionatum. Vlcus verò, vel extimas partes, vel internas, nimirū ſupra os ethmoides obſideret; ſi externas in conſpectu eſſet; ſi ſupra colatorium os, indicarent excreta, ſanies ſcil. præterquamquod perciperet etiam ex hac materia morſum, & difficulrare reſpirationis per nares laboraret ex materia foraminulis oſſis impacta. Quamobrem ſtatuendum, fieri malum per conſenſum, eleuata ſcilicet à ſubiectis parribus tetra quadam exhalatione, ex qua tamen ſenſoria alterationem quandam eſſentialem contraxerint.

Cauſam huius affectionis quod ſpectat, Vir Præclariſs. qui ad nos ſcribit, exiſtimat eſſe materiam in capite hærenrem, quæ halitu ſuo utrumque ſenſorium afficiar; hancque non quidem putridam eſſe, aut ex vlcere manare, ſed in capite nanciſci corruptionem quandam; interim verò fieri poſſe, ut à Ventriculo, & ab Vtero vapores expirentur, affectionem fouenres. Hinc priori ſententiæ aſſentiri non poſſum; ſi enim ſupra os cribroſum hæreret, coryzam induceret obſtructis oſſis illius foraminibus. Præterea nullo prorſus modo affici poſſet ſenſus guſtus ab hac mareria; ſicut facilllimè ſenſus odoratus, ab illo enim loco, ad palatum nulla alia patet via materiæ, niſi tertius cerebri ventriculus, & extimæ palati, oriſque partes; at ſi tertium uentriculum permearet materia, grauiores excitarentur affectiones, puta Vertigines, Epilepſia, & huiuſmodi; ſi verò extimas partes peruaderet, ab

aſſiſten-

aſſiſtentibus perciperetur. Rationi ergo conſentaneum magis uidetur, pendere malum ex tetra quadam exhalatione in caput, à ſubiectis partibus effumante, vt dictum eſt; quæ nihil aliud ſit, quàm nidorulentus fumus cum aliquo fætore, vel vapor inexplicabilis cuiuſdam odoris ex corruptione materiæ ad extraneam qualitatem, ut aliquando contingere monet Auic. licet hoc parum faciat ad curationem; prout certum eſt, guſtum ab eo affici ſpecie ſaporis, quatenus eſt acris; olfactum verò ſpecie mali odoris.

Cæterùm cùm hic fumus à triplici loco efferri poſſit, à toto Venoſo genere, à Ventriculo, aliiſque viſceribus naturalibus, & ab Vtero; atque cognitu facilè ſit ab omnibus his locis aliquid affectis organis impertiri, diligentiori inquiſitione illud dignum videtur, à quanam ſcil. parte potior, ac immediata mali cauſa proueniat. Etenim præcipua cauſa ab Vtero pendere videtur; primò quidem, quia fortaſſe ſuppreſſi ſunt menſes, ante ſtatum tempus; quamuis enim quinquagenaria ſit, & ex Ariſt. [a] habeamus, hanc ætatem menſtruis purgationibus naturaliter deſtitui; hoc tamen non eſt perpetuum, neque ita facilè eſt ſtatuere determinatum tempus in omnibus, iis præſertim, quæ ſunt boni habitus, & ſanguine abundā. Hoc etiam confirmare videtur ſpontanea [b] totius corporis laſſitudo, ortum fortaſſe ducens à ſanguine ab vtero refluente ad totum venoſum genus. Neque obſtat, quod ſpatio nouem menſium à ſuppreſſis purgationibus, immunis à dictis accidentibus vixerit; probabile ſiquidem eſt, materiam eo tempore non contraxiſſe corruptionem, ad hanc deprauationem neceſſariam; cuius rei certius quinetiam haberetur iudicium, ſi menſes non ſenſim, ac ſenſim defeciſſent, ita ut prius imminuti, mox ſuppreſſi fuiſſent, ut fieri ſolet; verùm ex ſcheda hoc non conſtat. Quæ ſi uera eſſet mali cauſa, poſſet inappetentia ab eadem originem habere; collecta enim huius ſanguinis copia circa uenas ſuperni orificii ventriculi, aliquam adipiſcitur corruptionem, cuius cauſa fit, ut appetitus tollatur; præterquam quod repletis illis uenis, nulla [c] fit ſuctio, nullaque cibi attractio; hinc alimentis aſſumptis agitatur illa materia, & moleſtior fit affectio. Cauſa verò ſuppreſſi ſanguinis circa vterum, vel eſt craſſamentum aliquod, ob aduſtionem à Iecore feruido congeſtum; uel crudi humores, à debili ventriculo ſuggeſti; uel tandem uteri ipſius imbecillitas; de quibus tamen ex ſcheda nihil coniectura colligere licet. Pro alia verò parte præcipuam mali cauſam ventriculum ſuppeditare, multa indicare uidentur; primò quidem, quia frequentiſſimum eſt, has deprauationes, præſertim olfactus, oriri ex ventriculi affectione. Secundò quia ventriculus euidenter læditur, laborat enim inappetentia. Tertiò quia ex ventriculo vtrumque ſenſorium commodè affici poteſt. Læditur autem Ventriculus, tum per eſſentiam, quia intemperatus, tum per conſenſum ab Vtero, & aliis viſceribus naturalibus. Intemperatus verò eſt, quia iam diù laborat; quæ intemperies eſt caliditas præter naturam, iuncta uberiori humiditati; unde fit, ut alimenta non probè coquantur, ſed corruptionem quandam extraneam patiantur, nidorulentæ fortaſſe ſimilem, depēdentem ab interno calore, qui tamen inſignis non eſt, eiuſdem acrimonia ab humiditate retuſa, & refracta. Veriſimilius itaque videtur, immediatam mali cauſam à ventriculo ſubminiſtrari, & potiſſimum, quòd menſibus ſuppreſſis proprios non videmus ſuſcitari affectus; cùm uapores ab vtero [d] ad ventriculum, & ſeptum tranſuerſum eleuati pariant ſuffocationem, præſertim dum Diaphragma impetunt; præterea rariſſimè accidit hac ætate, menſes fluere; adde, quod ſi à ſuppreſſione menſium hoc contingeret, affectus multò prius ſeſe prodidiſſet, cùm anno abhinc inceperit. Verùm quicquid tandem ſtatuamus, in caſu, quo diuinatione potius opus, credere fas eſt, partes dictas ſibi inuicem conſentire, adeò vt quæcunque demum fuerit pars magis affecta, uel Vterus, uel Ventriculus, concedendus ſit mutuus non ſolùm conſenſus [m] harum partium, ſed etiam Hepatis, & Meſenterii, quibus quodammodo obſtructis, materia ad ventriculum, & ab eo ad organa odoratus, & guſtus transfunditur. Doctiſſ. autem Viri, qui curæ præeſt, partes erunt, ex propriis ſingularum harum partium affectionibus perpendere, quænam ex dictis potiorem mali cauſam præbeat.

[a] 7. de Hiſt. An 5
[b] 6. de Loc. Aff. 5.
[c] 1. de Sympt. Cau. 7. & 8
[d] de Morb Virg. n. 2.
[m] de Loc. in Ho. 59.

Malum hoc ex ſe non quidem periculoſum; ſignum tamen eſt [f] diſpoſitionis in corpore, non omni periculo vacantis; ſi enim materia, quæ nunc ad organa odoratus, & guſtus fertur, in cerebrum, aliaſque præcipuas partes, puta Cor, impetum faceret, poſſet inducere Vertigines, Epilepſias, Conuulſiuos motus, Palpitationem, Syncopen, & id genus morbos, maxima parte lethales; vt idcirco optimum ſit conſilium, tum ad præſentes moleſtias auferendas, tum ad imminentes præcauendas, vti quibuſdam remediis, licet ab iis nō facilis ſanatio ſit futura, præſertim ſi in vtero mali cauſa reſideat; ſperandum tamen, diligenti adhibita curatione Pat. liberandam eſſe, quia affectus nondum eſt confirmatus, neque ua-

[f] Aet. Med. 82.

lidioribus

lidioribus temediis tentatus.

Vt itaque liberetur, reuellenda tetra illa euaporatio à ſupernis ad infernas partes; proſpiciendum cauſæ, materiæ ſcilicet in uentriculo, & vtero ſtabulanti; viſcerum, & vteri obſtructiones tollendæ; tandem iiſdem, & affectis organis conciliandum robur. Hæc autem fient, remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

Chirurgiam quod ſpectat, neceſſaria eſt ſanguinis miſſio, non ſolùm ob ſuſpicionem ſuppreſſorum menſium, ante ſtatum tempus; ſed ad reuellendam materiam, petentem ſupernas partes, quæ, potiſſimum ſi laſſitudo ex plenitudine fuerit, & viſcera ſint obſtructa, omnibus numeris iuuabit. Quare aperiantur venæ inferiores utriuſque pedis, & detrahatur ſanguis ad eam quantitatem, quam videbitur ferre virium conditio, & corporis plenitudo. Quod ſi ob venarum exilitatem non poſſit ex illis educi ſanguis, ſubſtituantur ſcarificationes in ſuris, [g] Veterum more; aut admoueantur Cucurbitulæ cum ſcarificatione, internis coxarum partibus; deinde verò ad deriuationem, ab utero, reſerandæ ſunt hæmorrhoides. Neque obſtat, quod fiat ab utero deriuatio; quia ſi ea euacuatio nondum ſubſtiterit, ſtatim omnino ſubſiſtet. Si ſonticulos in cruribus geſtet, eos conſeruet; ſecus, inuratur vnus brachio dextero; & ſi grauiores corporis affectiones inualuerint, alter etiã ſiniſtro; vtcunq; enim magis affectæ ſunt infernæ, quàm ſupernæ partes. Si tandem inſignis aliquis materiæ impetus ad caput obſeruaretur, non protſus inutilia forent duo veſicantia, partibus itidem infernis applicita; quæ tamen hoc ſtatu parum iuuare poſſunt; quia vapor ſurſum petens habet antiquatum, & habituatum impetum, & veſicantibus non reuocandum. In hoc etiam fonte, lotiones, frictiones, cucurbitulæ ſiccæ, & ligaturæ, ad materiæ diuerſionem utiles erunt.

g Lib. de Sang. Miſſ. 11.

Reliqua remedijs à Pharmacia deſumptis perficienda. In primis verò purgandum corpus uniuerſum, præmiſſis præparantibus idoneis, & ante horum uſum, exhibito leniente, ad primarum viarum expiationem, quod conſtare poterit, ex mel. roſ. ſol. & ſyr. de Polyp. ſi placeat potio; ſi bolus Elect. lenit. & ſpec. hieræ. Præparantia, erunt attenuantia, incidentia, & deobſtruentia, paranda ex diluto Capil. Ven. Pentaph. Borrag. Cich. Meliſs. Viol. Fumiter; & Lupul. additis ſyr. de Pom. de Capil. Ven. de Lupul. de Artem, de Cortic. Citri. Inde purgentur humores, aut Elect. lenit. Diacath. cum Confect. Hamech, aut infuſ. Agar. cum portiuncula helleb. nigri. Verùm quia corpus valdè eſt impurum, & excrementis redundans, ideò repetenda purgatio, præparatis humoribus ſyr. de pom. & Fumo ter. comp. addito ſyr. de duabus, & quinque rad. diluto verò adiectis Puleg. Artem. Orig. & Agrim. Tandem repetatur eadem purgatio ex Confect. Hamech. cui addatur, ſi placet portiuncula extracti helleb. nig. His expiato diligenter corpore, placet Aquar. Tettucian. per triduum, aut quatriduum uſus; detergent enim, roborant, aperiunt, quæ hoc caſu ſunt neceſſaria. Mox ad obſtructiones expediendas, & ad roboranda viſcera, nil præſtantius fuerit decocto in iure Columbæ turricolæ parato, ex portione ſaſſafras, quod fragantis odoris eſt, & deobſtruit, China, & ligno Indico, aut lentiſci, quæ aperiunt, & roborant omnia viſcera, additis Meliſſa, Borrag. Fumar. Puleg. Capil. Ven. Mentha, Abſinth. Cicer. rubris, portione Sabinæ, rad. Aſparag. & Fœnic. Pimpin. Fragr. & Cich. in cuius uſu pergat 15. aut 20. dies, uel prout videbitur exigi à morbo, & à viribus tolerari; eiuſdem tamen quotidianum uſum præcedat bolus, ex Troch. aperientibus, puta de Abſint. de Cappar. & de Myrrha, cum ſucco Cichor. & Borrag. condenſ. Familiariter etiam utatur ſpec. hieræ, & aliquando Triphera ſine Opio; quandoque & magnis Antidot. ſpeciatim verò, frigidioribus temporibus, quibus & Caſtoreum erit adinſtar omnium. Ex quorum ope luculentum quidem ſperamus emolumentum; verùm pro continua quadam reuulſione, & deriuatione ad aluum, laudamus quammaximè Elect. ex ſpec. hieræ, & Rhab. paratum, cum Mel. Roſ. addita interim portione Diamoſchi, & Ambræ, cuius Elect. familiaris, & frequens ſit uſus. Placent quinetiam inter cætera Pil. de Aloe, quæ hoc caſu ſunt accomodatiſſimæ; nam ratione Aloes, detergent, & euacuant, ac deriuant, quod maximè optamus.

Extrinſecus conueniunt Fomenta, Balnea, & Inſeſſus, ut laxentur viæ, calorque contemperetur; quorum materias omittimus, utpote Clariſs. Viro notiſſimas. His omnibus peractis, non erit inutilis uſus Conſer. roborantium, qualis erit Conſer. de Abſint. & Roriſmar. quibus addatur portiuncula ſpec. Diam. vel Diamb. Iuuabit quinetiam Vinum Abſintithe, cum portione rorismar. & meliſs. Interim ad ingratum odorem extinguendum & obtundendum, præſtabit pila odorata ex Aromatibus, Ladano ſcil. puro, Aſa odorata,

rad.

rad. Ireos, cum pulu. Viol. & roſ. & portione moſchi, & Ambræ griſeæ. Et naribus tandem indi poteſt quinta eſſentia roriſmar. cuius ſpiritus, ſi ſuppeteret, omnium præſtantiſſimus eſſet.

Tandem ad roborandum Ventriculum nil præſtantius ſtillicidiis, aut ex Aqua marina, addito uino, Abſint. Mentha, Puleg. & Chamæmel. aut ex Oleis, iiſdem additis herbis.

His omnibus tandem addatur congrua, & accurata victus ratio, quæ eius ſic conditionis, ut caput non repleat, & excrementa non augeat. Aquæ Aponenſes, ſi poſſent haberi, poſt Tettucianas exhibitæ, vtiliſſimæ forent.

Hæc in caſu admodum perplexo dixiſſe volumus. Faxit Deus, vt ſingula proficiant, ac optatis curatio reſpondeat.

Finis Primæ Centuriæ.

Digitized by Google

CONSVLTATIONVM, ET RESPONSIONVM MEDIC. CENTVRIA II. RAYMVNDI IO: FORTIS VERONENSIS.

LOQVELA DEPRAVATA.

MVtilata in ſcheda, qua temperamentum totius, & capitis, corporis habitus; & alia deſiderantur, hæc habentur, quod Nob. Vir, 30 annum agens, perfectè alioqui ſanus, ab ineunte ætate pati cœpit difficultatem quandam loquendi, ob quam expeditè uerba longiori ſermone proferre nequierit, quæ in dies ſemper magis inualuit, & cuius præſens ea eſt conditio, ut ſi tardius loquatur, verba omnia, totumque ſermonem diſtinctè, & perfectiſſimè proferat, at ſi conſueta naturali celeritate loqui, & continuato ſermone propriam ſententiam exprimere tentet, vox ipſa non adeò clara edatur; ſed cum ſpiritu ipſo deficere videatur; vnde fatetur quidē Pat. linguam promptam, & expeditam ſe habere, ſed defectum in ſpiritu percipere. Multa peracta fuerunt à Medicis quibuſdam, cauſam in redundantem humiditatem referentibus; cauteriumque brachio fuit inuſtum. Ab alijs, pectus laxantia, ac dilatantia adhibita; ſed incaſſum omnia. Modò huius affectus cauſam quærit, ciuſque ſanationem, aut ſaltem remiſſionem poſtulat.

Duarum itaque actionum, vocis nimirum, & loquelæ, quas læſas animaduerto in hoc Nob. Pat. illam quidem imminutam; hanc verò deprauatam eſſe decerno. Et quoniam ſine voce, loquela explicari, & concinnari non poteſt, huius proinde ſymptoma à ſymptomate vocis, ambo verò à morbo pendere facilè credo. Vox autem læditur imminutè, non læſa facultate; nec læſa larynge, proprio [a] vocis inſtrumento, ubi fit aeris alliſio; ſed deficiente vocis materia, videlicet aere; etenim ad vocem edendam, cùm præcedere debeat aeris [b] inſpiratio, exſufflatio ſimplex, & ſonora, hæc omnia vitiata coniicio; quia vitiata ſunt inſtrumenta ad eaſdem actiones obeundas concurrentia; inter quæ licet principem locum obtineat pulmo, unde animalia eo carentia, voce quoque carent; hic tamen

a 7. de Vſu Par. 5.
b 4. de Loc. Aff. 6.

A a thora

thorace vtitur, qui hoc caſu, utpote natura anguſtus, & malè conformatus tantum aeris vnica uice inſpirare, & expirare nequit, vt diuturnam exſufflationem edere poſſit, muſculis licet intercoſtalibus operantibus; unde aere, materia ſcilicet vocis deficiente, hanc quoque deficere fuit neceſſe, & quidem magis magiſque in dies ætate inualeſcente, viribus omnibus excreſcentibus, thorace c verò ob duritiem, ut antea facilem dilatationem non admittente, prout in pueritia. Quia verò quo tempore Pat. celerem, & diuturnum ſermonem meditatur, ſimul etiam inſpirationem, & expirationem edere minimè poteſt; ideo ob breuem inſpirationem deficit aer, ſicque exſufflatio, uox, & loquendi facultas. Quod ſi lentè loquatur, præterquam quod aer non citò abſumitur, ut in intenſiori locutione, inſuper quoque breuia quædam interualla conceduntur, quibus crebrò aer, materia ſcilicet uocis, & loquelæ, inter loquendum inſpirari, & expirari poteſt, unde Pat. diutius ſermonem producere valet; licet non naturali, ſed lento quodam, & deprauato modo. Atque ita ſymptoma in actione deprauata, ab alio ſymptomate in actione imminuta, hoc verò à morbo ex naturali mala conformatione procedit.

c 6. Aph. Com. 26.

Affectus equidem inſanabilis, utpote ab inſanabili cauſa proueniens; uitioſas enim, atque morboſas naturales conformationes, & hanc potiſſimum auferre impoſſibile eſt; quæ licet moderationem aliquam admittere poſſet (quod hac potiſſimum ætate adultiori vix ſperandum) ab externis emollientibus, atque laxantibus pectori admotis perendam; quia tamen audio, quod uox, dum deficit, non adeo clara editur, unde muſculi, ſi non gutturis, faucium ſaltem ſonoræ exſufflationi inſeruientes, humidiores reddi poſſent; ideo aquæ ſulphureæ Vere proximè futuro, per os aſſumendæ, utpote maximè pectorales, forſan prodeſſe poterunt; non quòd catarrhalis materia, ullo unquam modo, ut cauſa principalis ſit admittenda; ætatis enim progreſſu imminuta potius, quã adaucta fuiſſet hæc difficultas; & præterea frequens adeſſet huiuſmodi raucedo, moleſta tuſſis, & nonnunquam aliqua ſpirandi difficultas; nec tandem in reliquis, adeò inculpata valetudine gauderet; cùm diuinus noſter Senex, paucis de deſtillationibus proferat d, quod; *Quibus nares natura humidiores, hi minus integra ſanitate fruuntur.*

d 6. Aph. 2.

II.

CONSVLTATIO ALTERA.

ILluſtriſs. & Reuerendiſs. Abbas, annum agens 30. temperamenti ſecundum totum, calidi, & humidi, capitis humidioris, & hepatis, ac potiſſimùm cordis calidioris, ſatis boni habitus, ſed pectore, ac dorſo hirſutus, ab ineunte ætare locutionis offenſam pati cœpit, adeò ut ei interciperetur locutio, veluti ſi verba proferenda in promptu non haberet, cùm tamen poſt remoram illam celerrimè reliqua expromere, vèl inuitus obſeruetur, quaſi tarditatem celeritate mox ſuppleturus; quod tamen rarius contingit, ſi lentè loqui conetur, conſueto namque tenore loquens, ſimul cum verbo, reſpiratio quoque eidem deficere videtur. Quibus addendum, quod reliquas quoque proprias actiones celeriter, & ſæpè inordinatè obit. Toruis etiam, glaucis oculis legit, & aſpicit, capite ad latus conuerſo, nec adeò acuta, & perfecta viſione gaudet. Quo rerum ſtatu, nos conſulit de agendis.

Vocem in Illuſtriſs. Abbate imminutè læſam; loquelam verò deprauatè, iuxta hiſtoriam antehac ad nos tranſmiſſam, in ſuperiori conſultatione ſignificaui; hancq; læſionem contigiſſe, non quidem affecto neruorum principio, aut vocalibus inſtrumentis, ſed vocis materia, aere ſcilicet deficiente; non quidem neruis intercoſtalibus affectis, ex ſpinæ contuſione, ut contingit a aliquando; vel iiſdem penitus reſolutis, ut pariter notauit ipſe Gal. b ſed ex mala, & nonnihil anguſtiori, à primordijs naturæ, thoracis conformatione, ob quam tanta materia vocis, quæ ſufficiat ſermoni diuturno, conſueta celeritate proferendo, & edendo non ſubminiſtratur; vnde lentæ locutionis neceſſitas Viro Illuſtriſs. ut interim frequentius aerem inſpirare poſſit, atque ita vnam magnam, & integram reſpirationem ſuppleat pluribus, atque repetitis; quæ fuit doctrina Gal. c Quare inſanabilem, imò immedicabilem

a 1 de Loc. Aff. 6.
b 3. de Loc. Aff. 1.
c 4. de loc. Aff. 6.

bilem

bilem huiuſmodi affectionem pronunciaui, hoc tantùm addito, quod ſi aliquod remedium experiri liceat, ſolus ſoret uſus per plures dies aquarum ſulphurearum, cum deiectorio vehiculo aſſumendarum.

In quem finem Patauium petere decreuit Illuſtriſs. Abbas, ut principes huius Academiæ conſuleret quoq; Medicos; quò cùm perueniſſet, acciti eorum plerique, cauſam in humidam à capite deſtillationem referendam cenſuerunt, qua & vocis, & loquelæ potiſſimum inſtrumenta perfuſa, non adeò facilem, & naturalem loquelam ederent. In hoc autem conuenimus omnes, ob capitis plus iuſto humidiorem intemperiem, ob Illuſtriſſimi Viri uiſum non adeò acutum, oculos ſcilicer glaucos, & imbecilliores præ nimia humiditate redditos, ob quam imbecillitatem quia recto tramite obiectum viſibile intuentes ab eodem multùm afficiuntur, ideo toruè illud aſpiciunt, veluti ſi obiectum viſibile ad angulum potius, quàm ex diametro pertingat eoſdem oculos. Sed præterea ob eiuſdem capitis humidam intemperiem grauiora mala imminentia reformidantes, ad eiuſdem exſiccationem, congruo decocto cum ſudore deuenire, ſaluberrimum fore duximus; quibus tamen, quoad locutionem ſpectat, nihil profecimus.

Verùm poſtquam Virum Illuſtriſſimum uidi, interrogaui, & obſeruaui, ad hanc locutionem deprauatam, præter uocis læſionem ex deficiente materia, plures alias concurrere cauſas ratus ſum, ideo ad aliorum uſum Par. Illuſtriſſimum perduxi. Obſeruaui ſiquidem in eodem nimiam, nimiſque concitatam in omnibus actionibus obeundis promptitudinem, ob quam ſępè deprauatæ, & inordinatæ euadunt, cùm V. G. ſi ſedens vocetur, ſtatim ſurgens adeò celeriter in vocantem irruat, ut non recta uia, ſed ſępè obliquè, ac tortuosè pedes moueat, atque incedat. Obſeruo præterea, cum familiaribus ipſum expeditius loqui; ſicut tardius multò, atque difficilius cum alienis; nec tandem conſuetudinem, à cauſis ita deprauarè loquendi prorſus excludo. Quibus conſideratis ita ratiocinandum eſſe mihi uidetur.

Quælibet noſtra actio, ut rectè & naturæ lege perficiatur, requirit determinatum tempus, infra, uel ultra quod eadem minus propriè uaturalis dici poteſt; ſic tardus inceſſus, læſionem aliquam ſupponit, prout nimis celer, & ut cauſa, & vt ſignum ſupponitur malus; quia ſignificat cauſam aliquam internam, quæ ipſi naturæ ſtimulum, atque irritamentum addit, cuius cauſa exactè à natura actio illa non perficitur; cùm celerior inceſſus lapſus ſępiſſimè cauſa euadat; ita in Illuſtriſſimo Viro locutio celerior, quàm par ſit, editur; quæ mala eſt, ut ſignum, ſignificat enim Cordis [d], & iecoris exuberantem calorem, à [d Art.Med.Cap. 35.] quo irritamentum. p. n. ſuſcipir non ſola locutio, verùm & ambulatio, cæteræque omnes eiuſdem operationes; mala quinetiam ut cauſa, interruptæ nimirum, & deprauatæ locutionis; idque quoniam non poteſt tanta eſſe promptitudo, & celeritas in cerebro iuſto humidiori, ad reſumenda nomina, aut uocabula rerum ab ipſa memoria, ut intellectui ad loquelam offerantur, quantum irritamentum eſt, quod à corde, iecore, & ſanguine feruidis, non ſolùm ad loquelam, uerùm & ad cæteras omnes, in Viro Illuſtriſimo operationes obeundas ſuſcitatur; neque celeri linguę motioni reſpondere poteſt celer adeò verborum apparatus, ex quo intercipitur ipſa locutio; quod non euenit, ſi linguæ celeritatem ex induſtria moderari conetur; quia tunc ęquè procedit, & uerborum inuentio, & eorundem prolatio. Quibus addamus, quod à feruido ſanguine, feruidiſque ſpiritibus uitalibus, qui à pręſentia alicuius noui ſpectabilis Viri facillimè agitantur, antequam contemperentur, & moderati ſpiritus animales euadant, intellectus operationes quodammodo confunduntur, adeò ut difficilis tunc temporis fiat uerborum repręſentatio, atque inuentio, ac proinde ipſa locutio; non ſine aliqua tandem ipſius quoque conſuetudinis opera. Quare concludimus, ad læſam locutionem, in Illuſtriſſimo Viro, ut cauſam concurrere quidem nonnihil pectoris anguſtiam; ſed multò magis ad locutionem nimium irritamentum, à cordis, iecoris, & ſanguinis feruore procedens; quod ideo à primis annis, ad ętatem adultiorem incrementum ſuſcepit, quia calor [e] temperamenti uberior in dies, & [e ex 6. Epid. Co. 5.] acrior factus eſt; accedente tamen aliqua animalium actionum tarditate, tum ob ſpirituum animalium quandoque [f] confuſionem; quandoque verò ob cerebri humiditatem, nec [f de Mem. & Remin. Cap. 4.] utcunque, ſine conſuetudinis culpa. A quibus omnibus Traulus fit Vir Illuſtriſſimus, de quo loquutus Auic. [g] & antea [h] Gal. cùm ſyllabam multoties repetat, & pręſertim T, & R, [g 6. 3. Trac 1 Cap. 16.] antequam dictionem proferat, dum interim uerba, mox enuncianda quęrit, atque meditatur. [h 6. Aph. Co. 32.]

Et licet hęc læſa locutio ab ortu naturę ſuam originem traxerit, ac in naturalibus tum

in mala conformatione, tum in intemperie morbis ſita ſit, iamq; conſummata confirmataque; nihilominus quoniam eidem proſpicientes, & intemperies corrigentes melancholicos affectus, quibus balbi obnoxii eſſe ſolent, aliaq; mala arcere poſſumus, & eadem opera huic affectui prodeſſe; ideo expiatis primis viis, & corpore primùm, mox capite expurgatis, hypochondriorum item, & iecoris feruore contemperato, ac decocto cum ſudore in hypocauſto ſolicitato, humidam intemperiem repreſſimus; mox aquas ſulphureas cum vehiculo deiectorio, ne iecori officerent, in pectoris gratiam exhibuimus; à quibus, Aquis B. V. iecoris calidam intemperiem correximus; atque tandem aquis, ex herbarum refrigerantium ſuccis, per os, & Balneo aquæ dulcis tepido iiſdem alterato, non ſolùm iecoris, ſed & cordis, renum, ſanguinis, & totius feruorem contemperauimus, thoraciſque anguſtiam emollientibus laxare tentauimus; addita his proportionata congrua victus ratione, cui inſiſtere conſultum fore exiſtimantes eiuſdem potiſſima capita percurremus, & quid Vere proximè futuro facto opus ſit, paucis prçſcribemus.

(i de Melā. ch. ex Gal. R & P & 7 Aph. 41.)

Et primò quidem Aerem fugiat nebuloſum, vẽtoſum, ſummo mane à ſole non expurgatum; caueat à diuturna mora ſub radiis ſolaribus, tum & lunaribus, & caput ab igne, cæteriſque iniurijs externis munitum cuſtodiat.

Secundò bis in die comedat; ſed cœna ſit parcior, prandio tamen concocto; cùm nil deterius, quàm comeſtio ſupra comeſtionem; prima autem menſa de more, ſorbeat iuſculum tenue folijs borraginis alteratum. Cibi ſint boni ſucci, facilis coctionis, & diſtributionis, refrigerantes potius, quàm calefacientes, non tamen vaporoſi; atque ideo abſtineat à lactariis, lactuca, apio, ſiue hippoſelino, à condimento aromatum, excepto cinnam. & pipere ruditer cõtuſo; nec utatur carnibus, & piſcibus ſaliris, aut fumo exſiccatis; neq; leguminibus, hordeo cuiuſcunque generis, & oriza exceptis. Et quia iam ferè abſtemius eſt, non eſt quod uina generoſa illi interdicamus; caueat tamen ab aquæ potibus, quibus delectatur, horis pomeridianis, prandio adhuc in ventriculo hærente.

(Auic.)

Tertiò ſomnus ſit diuturnior, verùm nocturnus; & ſi diurnus, breuis, & capite elato potius, quàm ſupino.

Quartò Exercitia neceſſaria, ſed moderata ante cibum, horis nempe matutinis, & veſpertinis, ſub cœnam. *Semper enim labores ante cibum*, cum k Hipp. Pectinatio quoque quotidiana, ab antica ad poſticam partem erit capitis proprium exercitium.

(K 4. in 6. Epid. Vk.)

Quintò Aluus lubrica ſeruetur, & niſi ſponte procedat, arte ſolicitetur iure carnis folijs maluæ alterato, iniecto ſacch. puro, prima menſa; uel prunis damaſcenis, uino dulci incoctis, addito ſacch. pariter paſſulis; & ſi quandoque ventriculus cruditatibus ſcateat, aſſumat ʒ ſ. pil. maſtich. cum gr. viii. magiſt. mechoac. hora vna ante prandium, uel cœnam, ſemel per menſem.

Sextò Alacri animo degat, curas, atque ſolicitudines fugiat; nec legendo, minuſque ſcribendo occupetur, niſi ſaltem quatuor, aut quinque horis à cibo.

Et quoniam intemperies prçſertim partium principalium, non adeò facilè, & citò refringuntur, atq; difficilius naturales, ut hoc caſu; ideo arboris annoſæ inſtar pluribus, ac repetitis ictibus euellendæ. Quare proximè futuro Vere, altera, licet non adeò operoſa erit repetenda purgatio, in eum finem, ut primarum uiarum expurgatis excrementis minus conſentiat, ac impleatur caput; tum ut iecoris, ſanguinis, & cordis calida moderetur intemperies.

Quæ præſtabunt primò caſſ. cum lenit. & tart. vel pot. clarif. cum tart. à quibus per quinque dies præparentur humores in primis viis ℥ iii. ſyr. acet. cortic. citri atomatiz. & cinnam. cui miſceantur crem. tart. ʒ iii. qui ſine diluto ſumatur, ut diutius ventriculo, & primis uiis immoretur; qui tamen ſi placeat, diſſoluatur cum ℥ ii. aq. torius citri. Quinque autem poſt diebus, repetatur idem primum medicamentum; mox vlterior inſtituatur præparatio decoct. cich. borrag. end. meliſſæ, beton. hepaticæ; cui immiſceantue ſucci depur. cich. borrag. beton. ad ℥ iii. pro qualibet uice; cui potioni præmittantur iulap. acet. ℥ ii. in qua perſiſtat ſeptem dies. Verùm die ſecunda aperiatur iecoraria dextera, educto ſanguine ad ℥ vii. circiter. Septem verò poſt diebus ſumatur infuſum ſennæ, rhab. agarici in aqua borrag. additis ſyr. roſ. ſol. uel pot. clarif. atque hoc aſſumpto medicamento, euacuatione iam inchoata, bibat Illuſtriſſimus Vir ſer. capr. aut aſin. depur. uel aquam Noceræ, ad ℔ iii. & duabus, uel tribus horis ab iis prandeat.

Hac peracta euacuatione, & expurgatione, ad caloris commoderationem erit tranſeundum, ut humorum exuſtio, at proinde affectus aliquis melancholicus præuertatur. In

quem

Digitized by Google

quem finem, omiſſo uſu lactis, aut ſeri, utpote capiti infenſo, necnon aquarum Thermalium, ut nimis operoſo, ſat erit uſus ſucc. depurat. cich. & borrag. Menſe Maio, ad 20. aut 30. dies, ita parandi. ℞. ſucc. cich. depur. ℥ iij. borrag. ℥ i. iuris pullæ alterati ſol. ſonci, & hepaticæ ℥ iv. additis quoque, ſi placet, conſerua de acido citri, aut ſyr. de ſucco lim. facta pot. mane ſumenda, quatuor ſaltem horis ante prandium. Verùm decimo quoque die, aſſumat bol. ita paratos. ℞. flor. caſſ. rec. ʒ vi. elect. de ſucco roſ. ʒ ii. rhab. opt. ʒ ſ.m. f.b. aſſumendi quatuor horis ante cibum; quibus hora poſt bibat aquam Nocer. ad lib. iii. inde diebus ſequentibus, ad ſuccorum uſum reuertatur. Quod medicamentum ſub finem ſuccorum tandem repetendum, & purgationi finis imponendus. Vti verò poterit tota æſtate, de more conſerua roſar. etiam tabulata, epoto quandoque ab ea matutinis horis, cyatho aq. ſtillat. cich. Quæ purgatio, ſi quolibet Vere uſque ad 36 annum repetatur, præſens quidem affectus minui, & alter imminens, mihi metuendus, tutò præuerti poterit. Ita D. O. M. vota noſtra ſecundet.

III.

VOCIS LÆSIO.

IVuenis Nobilis Veſtalis, annum 18 agens, ſubhumidioris, totius corporis, & cerebri temperamenti, iecoris calidiuſculi, ac ventriculi natura frigidi, ſubalbo colore, ac mediocri ſtatura donata, tribus iam abhinc annis, vocis, & loquelæ inſigni diminutione laborauit; à qua tunc temporis leui peracta expurgatione, poſt menſem circiter libera euaſit. Verùm rurſus anno ſequenti à catarrhali fluxione in laryngem à capite delabente, in raucedinem incidit, quæ multis diebus, leuibus ſuperata eſt auxilijs. Iam verò tertius excurrit menſis, à quo vox, & loquela imminui cœpit, quæ tandem in aphoniam deſiit, ita ut in præſeus ferè vox, & loquela omnino præcludantur, & nonniſi ipſius ori auribus propius admotis, aliqua vix perceptibilis vox, & obſcura, ac inarticulata loquela percipiatur, quæ poſt leuem, & difficilem expirationem intercipitur, nec ulterius locutionem continuare poteſt Pat. Præpeditur inſuper valida inſpiratio adeò, ut interrogata capite tantùm annuat, ac veluti Zona pectus ſibi conſtringi percipit. Modò hac de re ſententiam tuam, & opem efflagitat.

N. N.

NOn ſolùm vocem in Nobili hac Iuuene Veſtali imminutam; verùm ferè ex toto abolitam, adcò ut non modò [a] cacophonia, ſed [b] aphonia quinetiam laboret, in hiſtoria enarrata accepimus; & præterea loquelam quoque ferè prorſus ademptã, qua affectione leuius correpta iam tribus abhinc annis, leui quoq; purgatione reſtituta fuit; rurſus tamẽ anno ſubſequenti, à catarrhali deſtillatione, in raucedinem incidit, & leuibus pariter adhibitis medicis auxilijs, omnino conualuit. Modò tandem tribus abhinc menſibus, & voce, & loquela deſtituta, cum difficili inſpiratione, & expiratione, qua pectus veluti Zona conſtringitur, auxilium poſcit.

a de Symp. Diff. 3.
b 4. Acut. 23.

Horum autem affectuum cauſam, in catarrhalem [c] à capite deſtillationem referendam credimus, & quidem non eſſentialiter ſolùm, cùm ſubhumidi ſit temperamenti; ſed per conſenſum quoque à toto, [d] ſubalbido colore, & humidiori temperamento prædito, læſo; quod nobis confirmare poteſt pluries recurrens vocis læſio, cauſæ non fixæ, atque ſtabilis in parte, ſed aliunde tranſmiſſæ certo indicio: Sicut enim ab humiditate, arteriam, laryngẽ, & fauces humectante, raucedo procedit; ita ab eadem uberiori vox prorſus, ex Galen. [e] & Paul. deperit; quinimò redundans, atque perdurans fluxio catarrhalis ad linguæ quoque muſculos ſeipſam inſinuans, iiſdem perfuſis, atque repletis, loquelam [f] quoque impedit, ac tandem aufert; prout hoc caſu, contingere credendum; cùm enim ad has actiones obeundas quinque ordine quodam conſpirare ſoleant, nimirum [g] expiratio, exſufflatio ſimplex, eadem ſonora, & ab ea vox, & loquela, atque hæ omnes à muſculis perficiantur, nec

c 7. Per Loc. 1.
d 2 de diſ. Feb. 11.
e 7. Per Loc. 1. 3. de Re Med. 25.
f 4. de Loc. Aff. 6.
g Ibidem.

aliæ

aliæ præceſſerint affectiones, eoſdem lædentes, præter catarrhalem à capite deſtillationem, hac imbutos fuiſſe, & eſſe omnino ſtatuendum, & non ſolùm proprios; verùm & alios communes, iam dictis operationibus dicatos; prout ex quodam veluti cingulo, thoracem conſtringente conijcere licet; inſpiratio enim fit ab omnibus thoracem diducentibus muſculis; exſufflatio ſimplex ab intercoſtalibus; ſonora verò à muſculis faucium; prout vox à muſculis gutturis, & loquela à linguam mouentibus, obſeruatione Gal. h Harum autem omnium prima læſa, cæteræ omnes neceſſariò læduntur; non tamen contrà, cùm enim aer ſit vocis materia, hac deficiente, illam quoque deficere, & perire omnino eſt neceſſe.

h 4. de Loc. Aff. 6.

Iure itaque dicebat Gal. quod i *Catarrhus fons, & ſoboles omnium morborum eſſe poſſit; cuius vi totum corpus languere aſſerebat*. Prout enim defluens in varias corporis partes, variorum quoque morborum, atque ſymptomatum ſit parens; ita hoc caſu, idem præter muſculos thoracem dilatãtes, & intercoſtales, laryngis quoque proprios potiſſimum obſedit, adeò ut imbutis, ac læſis muſculis Thyroarytænoidibus, Arytænoidibus, Cricoarytænoidibus poſticis, & Cricoarytænoidibus lateralibus, cartilagines omnes Thyroides, Cricoides, Arytænoides laryngi, ſiue glottidi famulantes, necnon epiglottidi, proprio munere, nimirum vocis modulandæ deſtituantur, intercepta forſan etiam facultate, à recurrentium neruorum compreſſione. Sed quis non videt, Arytænoide cartilagine immota manente, ob proprios ſuos muſculos humiditate perfuſos, & tumefactos, inſpirationem, ac proinde expirationem neceſſariò imminui, ſine læſione quinetiam muſculorum thoracem dilatantium, & intercoſtalium; unde neceſſariò quoque deficiat vocis materia, nimirum aer, ipſaque vox? de quo hucuſque conſtat. Verùm quoniam deficiente aere, ipſaque voce quomodo loquela audiri, ac percipi poſſit, non videmus; propterea de loquela deperdita dubitamus, licet humida, & catarrhalis fluxio muſculos quoque linguæ proprios, nimirum Styloglоſſos eandem attollentes, Baſiogloſſos deprimentes, & Ceratogloſſos ad latera mouentes afficere poſſit, à quibus impedito linguæ motu, loquela quoque impediatur.

i 1. de Sanit. Tu. 8.

Hic affectus non ſolùm in præſens Patienti Nob. incommodus, ſed temporis proceſſu vitæ quoque periculum minatur; deficiente namque reſpiratione, cor affici neceſſe eſt, ſicque calor influens ab eodem emanans, languidior ad viſcera naturalia tranſmiſſus, coctiones, & ſanguificationem corrumpit, malo habitu paulatim, & cachexia inductis. Quapropter quamprimùm generoſiora adminiſtranda remedia, antequam materia ipſa radices agat, atque denſetur, ſicque inuicta, atque inexpugnabilis euadat; cùm anno tranſacto raucedines vix amplius ſuperari poſſint.

Nec deſperanda priſtina ſalus, hac iuuenili ætate, qua raucedines, & l grauedines non adeò difficilem coctionem admittunt; cuius tamen facilior curatio foret, ſi anni tempus propria, & efficaciora admitteret remedia. Ideo aliqua in præſens agenda; alia verò, & generoſiora, ineunte autumno vſurpanda proponemus, ut omnibus neceſſarijs indicationibus ſatisfaciamus.

l 2. Aph. 40.

Hæ autem ſunt, primas vias expiare. Secundò totum venoſum genus excrementis depurare. Tertiò caput ipſum expurgare. Quartò idem humidius exſiccare. Et tandem materiam catarrhalem muſculis impactam reſoluere.

Hoc autem tempore ſanguis extractus, cauterium brachio inuſtum, primæ viæ mundatæ, totũ expurgatum, & caput, ac reliquas duas intentiones implere tentatum fuit, decocto chinæ, uſu terebinthinæ, atque theriacæ, omnibus tamen incaſſum adhibitis; quoniam morbus, & ſymptoma, ſiue eiuſdem cauſa iam dictorum vires ſuperant.

Decoctum igitur erit repetendum ex ligno guaiaco, uiſco quercino, & pauco ſaſſafras paratum; cui omnino ſuccedat ſudor ad 40. dies, abſque cuius ope nihil boni ſperandum; quæ tamen nonniſi proximo futuro autumno præſtari poterunt. Quibus peractis, capitis ſtillicidium conuenientiſſimum quidem foret, ex aquis Porretanis; at quoniam eaſdem adire prohibetur Pat. ſubſtitui poterunt Lucenſes, quibus à contumaci raucedine ſe quendam liberaſſe Mercurialis profitetur. Theriaca quoque tunc temporis in uſum duci poterit, ſicut & Anthos conſerua. Vinum item ad menſam ligno roriſmarini, & uiſco quercino medicatum. Quæ omnia ſi exequi potuiſſet Nob. Virgo, uotis noſtris forſan ſatisfactum gauderemus.

Quæ verò hoc tempore agenda hæc ſunt, accuratius totum expurgare, & caput, ac topicis materiam muſculis infarctam diſcutere.

Pro toto opportunum erit elect. lenit. cum diaphœn. uel pil. de hiera cum agarico, cum aggreg.

aggreg. tribus ſaltem vicibus, parca doſi, quarto quoque die aſſumendæ, à quibus bibat ſemper ius, uel aquam hordeac. intermediis diebus, aſſumptis præparantibus à Viro quinetiam Excellentiſs. præſcriptis.

Capiti expurgando ad pil. cochias aur. & aggreg. erit progrediendum, duabus ſaltem vicibus exhibendas. Atque per nares capitis quoque expurgatio procuranda, puluere ex maiorana, nigella, & iride pararo, tabaci more per eaſdem inſpirato.

Topica materiam impactam, & adhærentem ſpectantia erunt exſiccantia, atque digerentia. Et primò quidem aqua Tettuciana, quinque vicibus, alternis diebus de more propinanda, cum vehiculo mellis roſ. ſolut. Secundò gargariſmi parati ex mulſa diluta, cui oxymel ſquil. addatur, ad cochlear pro quolibet mulſæ cyatho; necnon ex aqua hordeac. fœnugræco alterata, additis gutt. ol. maioranæ chymicè extracti; vel ex aqua Lucenſi liquiritia alterata addita ſapa; ex aqua item hord. cum ſucco caulium, melle condito; parari quoque poterit aqua hordei decocta cum ſiliquis, in qua diſſoluatur ſal prunellæ, aut cryſtallus tartari. Qui gargariſmi erunt æſtate tota in uſu habendi, ſicut pariter & præſcriptum errhinum. Præterea ſub lingua, noctu præſertim detineat ſuccum liquiritiæ denſatum, ſtyracem, nonnunquam & confectionem diaireos, & quandoque ex quinta eſſentia roriſmarini, necnon ex butyro ſulphuris, utpote maximè exſiccante licet pulmones affecti non ſint.

His autem omnibus congrua, & accommodata eſt addenda victus ratio, ut aer cubiculi nõnunquam alteretur myrrhæ, aut ſtyracis ſuffumigio, inſpirando quinetiam per tubulum. Cœna ſit parca, & quamminimùm bibat. Allium contuſum frequenter comedat ſtatim à cœna; vel ſub ingreſſum lecti deglutiat mellis, uel ſapæ cochlear. Reliqua Viro Excellentiſs. inſtituenda committimus.

IV.

RAVCEDO.

CVm Raucedo, & uocis imminutio à redundanti, & copioſa humectatione aſperæ arteriæ, laryngis, & faucium proueniat, hæc a ſi ultrò progrediatur, omnino vocem aufert; cuius ideo indicatio præcipua eſt exſiccatio. Verùm quoniam materia dictis partibus infarcta iiſdem tenacius inhæret; ideo præcedere debet humectatio aliqua, quam deinde ſequatur attenuatio, moxque deterſio, & tandem exſiccatio. Etenim aduentante tempore opportuno ad cauſam antecedentem, atque fouentem extirpandam, caput exſiccãdum, quod fons eſt a quo iam dicta materia emanat, animum conuertemus. Interim hæc ordine executiuo uſurpanda.

a 7. Per. Loca 1.

Accipiat primò Pot. ex man. clariſ. ad ℥ vi. cui tribus poſt horis, bibat ius malua, vel hordeo alteratum, & hora poſt ab eodem prandeat; deinde octo ſequentibus diebus aſſumat ſyr. ex decoct. in iure maluæ, Viol. Pom. dulc. ſiliquar. & Caul. ante cuius uſum comedat pug. paſſularum, prius Vino albo dulci ablutarum. Ab his ſyr. veſperi hora vna ante cœnam, aſſumat pil. de agaric. Meſ. ad ʒ i. deinde mane ſequenti, bibat Pot. ex man. clariſ. ℥ vi. à qua tribus poſt horis bibat aq. hordeac. ad ℔ i.ſ. & duabus poſt horis prandeat.

Hac premiſſa leui, & blanda expurgatione, ad topica deueniat infraſcripto modo adminiſtranda; & primò Gargariſmus paretur ex aq. hordeac. in qua efferbuerint ſiliquæ, ſem. mel. mund. cui colatæ addatur ſuccus pomi Apij, quo utatur mane, & ſero per octo dies. Interim noctu dormiens ore detineat ſuc. liquir. condenſ. portiunculam, ad phaſeoli quantitatem. Tranſactis octo iam dictis diebus, alter paretur gargariſmus, per alios octo dies, eodem modo uſurpandus ex Aq. hord. in qua Caricæ pingues efferbuerint, facta deinde colatura, cui ſapa erit addenda. Et interim diu, noctuque ore uerſet Rotulas ita parandas. ℞. ſalis Prunel. ʒ i. tart. Vitr. ℈ i. ſtyrac. ℈ i. ſacch. fini diſſol. cum Vino albo dul. ℥ ii. m. ref. Rot. ad ignem S. A. octo verò ab his diebus, redeat ad uſum primi gargariſmi, vt

ad

ad ſecundum quoque deueniat.

Præter iam dicta efficax erit remedium, ore detinere, & deglutire lambendo aliquod cochlear liquoris huiuſmodi. ℞. ſuc.caul. depur. mel.Hiſp. an. ℥ iij.m. ad ignem reſ. os poſtea colluendo Aq. hord. in qua ſal Prunel. diſſolutus fuerit. Conferre quoque poterit Gargariſmus ex Aq. mal. cum Apior. pomor. ſucco. Tandem poſt emollientes, & attenuantes gargariſmos iam dictos, ad exſiccantes, & efficacius abſtergentes deueniendum, qualis erit ex aq. Tertuc, cum mel. Hiſpan. paratus.

His autem omnibus congrua addenda uictus ratio, iam dictis proportione reſpondens, ita ut à cibis nimium humectantibus, & vaporoſis abſtineat, & præſertim à Lactariis, generoſiſque Vinis, vſque ad eradicatiuam purgationem Vere proximè futuro inſtiuendam.

V.

ANGINOSVS AFFECTVS.

ADoleſcens 20. annorum, temperamenti ſecundum totum, calidi & humidi, habitus carnoſi, capitis humidioris, in pubertate gulæ dolentibus, tumoribus internis, cum deglutiendi difficultate frequenter obnoxius, hebdomadas perdurantibus, proximè præteritis diebus, hoc brumali tempore, frigido aere, & ventis afflatus diuturno itinere, de capitis dolore conqueri cœpit, qui paulatim ceſſauit, superueniente in faucibus anguſtia, cum deglutiendi difficultate, & excreationis irritamento. Et quoniam abſente febre, ad propria munera obeunda domo exceſſit, nec ullam in viuendi ratione normam obſeruauit, modò quartus agitur dies, quo anguſtia multo grauior facta eſt, cum leui febricula. Ore autē aperto, atque inſpecto, tonſillæ in utroque latere tumidæ, & molles, cum aliquo, ſed leui rubore apparent; Vua, ſiue Columella laxata, productiorque. De angina autem dubius conſilium, & auxilium petit.

Non me latet, Medicorum plurimos unà cum ægris ignaris, hunc, & ſimiles huiuſmodi
affectus, anginas ſpurias, Cynanchas ſcilicet vocitare, partem affectam adamuſſim non di-
a Introd. xi & 3. Aph. Co. 26. ſtinguentes; cùm tamen affectus hic tonſillarum, ſeu *Pariſthmiarum tumor* cum Gal. [a] non-
nunquam verò *Antiades* cum Aretæo [b], & Paulo [c] appelletur, accedente columellæ laxa-
b 1. de Acut Morb. 9. tione, quæ omnia ad affectum anginoſum à recentioribus referuntur. Quare propriè an-
c 6. de Re Med. 30. ginoſus, non verò angina, affectus huiuſmodi nuncupandus, in quo pars affecta ſunt om-
nes quatuor tonſillæ, duæ illæ potiſſimum ad linguæ radicem magis apparentes, ſed & duæ
d 6. de Re Med. 30. aliæ proximæ, quæ latent magis, longiori reddita columella. Tument autem hæ glandulæ,
aliquando cum inflammatione, aliquando citra eandem, atque tunc vel duri ſunt tumores
e Tet. 2. Sermon. 4. Cap. 48. ſcirrhi naturam redolentes, qui propriè *Antiades* à Paulo [d] vocantur; vel molles, ſunt,
Oedemata ab Aetio [e] dicti, qui in caſu præſenti molles, cum leui inflammatione tactui oc-
currunt, atque conſpiciuntur, quam ideo leuis febricula comitatur.

Excitati autem fuerunt hi tumores ab affluxu ſanguinis pituitoſi à capite, natura humi-
f 2. de Morb. xi. do, ab ambiente [f] frigido, atque laboribus itineris percalefacto; facta quippe Antiperi-
ſtaſis potuit & craſſum ſanguinem in capite hærentem calore liquare, & expreſſione ad
partes imbecilliores detrudere, dictas ſcil. glādulas, in pubertate olim fluxionibus obnoxias,
g 3. Aph. 26. atque in præſens, ætate [g] fauente, eundem ſuſcipientes; qui utpote craſſus, non potuit in
h 4. Acut. 30. penitiores [h] partes penetrare, & ad interiores muſculos peruadere, ac anginam veram indu-
cere. Catarrhalis verò materiæ portio, eodem modo fuſa, atque deſtillans, columellæ mo-
lem in omnem dimenſionem auxit, vnde anguſtia, & ab hac deglutiendi difficultas oborta
eſt, prout ex eadem laxata perpetuus excreandi prutitus.

Diligenter autem eſt inſtituenda curatio, ut reſoluantur tumores, ne ad ſuppurationem
i Fallop. & Or. b. deueniant, aut in ſcirrhum obdureſcant; etenim ſi ſuppurent, in amplum adeò tumorem
nonnunquam eleuantur, vt extrinſecus iuxta [i] aures erumpant; & ob tonſillarum tunicam,
k Aret. 1. Acut. Mor. 9. multis foraminibus peruiam, ulcera illarum ægrè ad cicatricem duci poſſunt; quæ quoniam
ſunt endemica, & pernicioſa in Ægypto, [k] & Syria; ideo & à nobis, ſi ſerpentia fuerint,

Syria-

Syriaca, & Ægyptiaca dici ſolent. Quod ſi ſcirrhoſæ fiant, perit earum uſus, & deſtillationes ad partes nobiliores decumbunt; & niſi citò reſoluantur, & roborentur, imbecilliores fiunt, & frequentes recidiuas patiuntur, ac in Anginam migrant.

Quare ſalutis certi, uniuerſali præmiſſa euacuatione, ac reuulſione, intrinſecus repellentia ſtatim adhibenda; admiſtis digerentibus in progreſſu, nec emollientibus omiſſis, ne à reſoluentibus obdurentur; & tandem roborantia adhibenda; quibus intentionibus ut ſatisfaciamus, deſumenda remedia à tribus ſontibus.

Et primò quidem à Chirurgico ſanguinis miſſio ex cephalica brachij, quæ perdurante affectu, ex altero quoque repetenda erit. Cucurbitulæ etiam locum habent infernis partibus applicitæ; & tandem magna occipiti. Antiades verò exprimendas eſſe iubet Orib. imò Paul. & Aet. præcipiunt, ut ſi ſub finem, albæ, & contractæ perſtiterint, cum fundo anguſto, nec reſolui potuerint, exſcindantur, quod tamen cautè agendum.

Laxata autem columella, ſi poſt adſtringentium, & exſiccantium uſum, penſilis, & longa permaneat, ſorfice erit amputanda, aſperſo ſtatim puluere roſarum, & myrti; vel vino granatorum, cum aqua plantag. gargariſmi loco utendum.

Ex Pharmacia ſuppetunt Lenientia, Contemperantia, Repellentia, Reſoluentia, & Roborantia. Pro lenienti, quoniam caſſiam cum pulpa tamarind. deglutire non poterit, hoc præbeatur medicamentum. ℞. ſyr. roſ. ſol. ℥ vi. decoct. pulp. tamarind. q. ſ. m. f. p. Exhibeantur ſecundò loco iecur contemperantia, qualia erunt ſucci depur. cich. & end. in decoct. hepaticę; aut aqua de ſucco acetoſæ, cum conſerua de acido citri.

Interim dum hæc omnia fiunt, repellentibus utendum, ut decoct. roſar. balauſt. plantag. myrti, rubi, & ſumach. quod ſuauius erit ita paratum, ℞. aq. plantag. ℔ ij. roſar. ℔ i. ſucci granat. ℥ iij m. pro gargariſmo. Qui efficaciſſimus proponitur à Gal. [l] ex ſucco, ab externo cortice nucum expreſſo, primò ſimplici, mox affectu ſe remittente, melle commiſto; unde dianucum in officinis paratum aſſeruari ſolet. l 6. Per Loc. 1.

Quartò in progreſſu; reſoluentia ſunt commiſcenda, ut aliquot folia ſaluiæ, vel origani, vel pulegij, vel calamenth. vel hyſſopi, vel praſſij. Celſus commendat [m] decoct. liquiritiæ, m 6. de Re Med. 2.
cum ſucco mali punici dulcis, qui gargariſmus medium locum obtinebit inter ſummè repellentia, & ſummè reſoluentia, quibus omnibus addantur fol. mal. & altheæ, ſi tonſillæ ad duritiem vergant. Quod ſi tandem efficaciori reſolutione opus fuerit, paretur gargariſmus ex decoct. liquiritiæ, thymi, iridis, & piperis, cum oxymelite.

Si verò reſoluentibus, ac repellentibus irritis, tonſillæ ad ſuppurationem tendant, tunc ea adiuuāda; in quem finem, lac ore ęger detineat cum Gal. cum Celſo verò fumum ex aqua calente, in os admittat, & gargariſmus ita paretur. ℞. decoct. malu. altheæ, radic. lil. alb. liquiritiæ, paſſular. caricarum pinguium, coletur, & colatæ addatur ſyr. de ibiſco; vel, non abhorrente ægro, butyrum diſſoluatur in decoct. Suppuratæ verò tenui cuſpide aperiendæ, emollientibus inſiſtendo, quouſque durities ablata, & tonſillæ omnino exinanitæ fuerint. Tunc verò ulcus exſiccandum, & cicatrizandum ita. ℞. decoct. plantag. roſ. rub. ſol. quercus, caudæ equinæ, tormentillæ, conſolidæ maioris ℔ iij. ſalis prunellæ ℥ ſ. m. pro garg. Suauior autem erit tinctura roſar. in aq. plantag. extracta, cum ſpir. vitr. & ſi ulcera ſortan euadant ſordida, & rebellia, addatur quoque portio aquæ aluminoſæ.

A proprietate iuuare credidit Dioſc. decoct. Elſines, vel virgæ aureæ, quæ parari poterit in aqua plantag.

Tandem partes roborandæ, ne alioquin adeò facilè fluentes humores ſuſcipiant. Quare paretur gargariſmus ex toto pomo granato acido expreſſo; cuius ſuccus miſceatur aquę Villenſi, aut Brandulenſi, aut vino nigro tenui, & auſtero. Et hæc pro curatione ſatis.

At ſi affectus recurrat, adeò ut frequenter repetat, præſeruatione opus erit. Quare eo caſu, Vere, & Autumno ſanguis educendus. Canterium inurendum brachio; corpus purgandum; errhinis ad diuerſionē utendum; & ſi opus fuerit, decoctum quoq; ſalſæ, viſci quercini, & ſantalorum, cum ſudore præſcribendum.

Interim in curatione, Aer paretur temperatus; caput nec igni, nec ſoli exponatur. Victus, neque tenuis, neque craſſus ſit, ſed mediocris, à cibo conſeruam roſar. aſſumat Pat. aut diacydon. Potus ſit aqua hordei, vel aqua Noceræ. Elato capite noctu dormiat. Die ſurgat, ne à decubitu caput magis lædatur, atque oppleatur. Aluus lubrica ſeruetur clyſteribus, ab initio quidem acrioribus; in progreſſu verò mollioribus; nec unquam à cibo ſtatum legat, aut ſcribat. Quæ dicta pro ſalute Nob. Pat. ſufficiant.

VI.

ANGINA.

QVidam Iuuenis 30. annum agens, temperamenti ſecundum totum ad calidum, & ſiccum vergentis, feruidi iecoris, & capitis calidioris, poſt longum iter, æſtate declinante, ſub radiis ſolaribus, conqueri cępit de leui dolore gutturis pungente, atque ſequenti nocte expergefactus, tanta anguſtia reſpirationis ſeſe premi ſenſit, ut ſtrangulari videretur, cum difficili, tum vocis emiſſione, tum deglutitione, difficiliori tamen reſpiratione, adeò ut nonniſi erecta ceruice ſpiritum ducere poſſet; abſque tamen ullo tumore in exteriori colli parte; quibus ſtatim accesſit febris acuta, cum pulſu paruo, & inæquali, ſpiritu denſo, & magno, ac dolore vehementiſſimo; unde auxilium implorat.

Optimè quidem aſſecutus naturam anginæ mihi videtur ipſe Gal. [a] dum ipſam vocauit, *Impedimentum reſpirationis, & deglutitionis, dependens ab anguſtia faucium, & laryngis*. Qui enim ipſam inflammationem uocant, eiuſdem potius cauſam, quàm eſſentiam patefaciunt. Præſente [b] itaque difficili reſpiratione, & deglutitione, abſque læſione tamen pectoris, pulmonum, & ſeptianginam adeſſe, ut in caſu præſenti, perpetuò aſſerendum, ita dictam ab angendo, & ſtrangulando. Et quoniam comitem habet acutam febrem, dolorem vehementem, & derepentè ſuborta eſt, ideo legitima cenſenda, eaque ſpeciatim Cynanche [c]; cũ pars affecta ſint præcipuè muſculi laryngis, eo indicio, quod difficilior eſt reſpiratio, quàm deglutitio, imò orthopnoica; tum quia vox [d] quoque non parùm læſa eſt, cuius proprium, atque præcipuum inſtrumentum guttur eſt; & tandem quia in exteriori colli parte nullus apparet tumor.

Cauſa eiuſdem immediata eſt anguſtia, [e] hoc caſu ab inflammatione genita à bilioſo ſanguine, prius excalefacto, & fuſo à violento motu ſub radiis ſolaribus, qui tenuior & feruidior factus, per uenas iugulares à calidiori capite attractus, non modò faucium, verùm & potiſſimum in laryngis penitiores uenas penetrauit, tandemque in muſculos, quos in tumorem inflammatorium internum eleuauit, anni tempore [f] non parum adminiculante; vnde neceſſariò anguſtia, & angina, quam ſequi febrem acutam cum dolore nõ mirum, pręſente inſigni inflammatione, ab humore feruidiſſimo excitata in parte non multùm à corde remota, qua etiã prohibetur eiuſdem uentilatio, reſpirationis [g] denſæ, & magnæ cauſa, cum pulſu [h] paruo, & inæquali; vnde febris ipſa per accidens augetur, quam ueluti ſymptomaticam, poſſumus cum antiquioribus anginoſam nominare.

Affectus [i], qui *Peſtifer, acutus* [k], *& periculi plenus; quoniam* [l] *laquei, & funis modo iugulare ſolet patientes*; Periculoſior verò præſens eſt, qui ſpeciatim Cynanche, & legitimus eſt, [m] nullo apparente in exteriori parte tumore; laborioſamque, & orthopnoicam [n] habet reſpirationem, cùm tamen adſit acutiſſima febris multo indigens refrigerio. Attamen quia iuuenis eſt, & uiribus ſatis ualidis, non eſt deſperanda ſalus. *Cynanchicis* [o] *enim vnica ſpes eſt in virium robore poſita*. Poteſt etiam aliquid conferre tempus æſtiuum, licet inclinans, quo facilior euadit reſolutio materiæ. Quare ad medica auxilia [p] feſtinandum. [q] *Compendiarium enim, & præceps auxilium requirit angina*. Hæc autem quarto [r] ſoluetur, niſi ſuppuret; tunc enim ſeptimo [ſ] moriuntur, quem ſi effugerint, ad ſuppurationem deueniunt.

Statim itaque ſatisfaciendum indicationibus, rebus adeò anguſtis neceſſariis, quæ erunt, in principio reuellere, intrinſecus repellere, & extrinſecus laxare; in augmento repellere, & aliquo pacto digerere; in ſtatu digerere, niſi tendat ad ſuppurationem, tunc enim ſuppurantibus vtendum; & tandem in fine reſoluere.

In Chirurgia illicò [t] accedendum ad ſanguinis miſſionem, antequam æger ſuffocetur. In *Maximis* [u] *enim inflammationibus nullum præſtantius remedium animi* [x] *deliquio*; quod tamen vitandum; hoc enim materia tota in altum confluit, quæ ubi in laxas partes incidit, ſuffocat ægrum. Hic verò *Non* [y] *aceruatim, ſed per partitas uices detrahendus ex cubito*; nec cedẽte affectu, venæ ſub lingua [z] aperiendæ; quæ ſi non appareant, venam in fronte aperit Aet. iugulares

Tral.

a 4. de Loc Aff. 5. & 4. Aph. 34.
b 3. Progn. 16.
c 4. Aph. 34. & 4. Acut 33.
d 1. de Loc Aff. 6.
e 4. Aph. Tex. Com. 34.
f 4. Acut. 31. & 3. Aph. 22.
g 3 de Diff Reſp. 5.
h de Pulſi. b ad Tyr. xi.
i Cel. 4. de Re Med. 4.
K 2. Aph. Com. 12.
l Tral. Lib. 4 Cap. 1.
m 4. Aph. 34.
n 3. Progn. Com. 16.
o 2. Meth. 5.
p Tral.
q Aet. Tetr 2. Serm. 4. Cap. 47.
r 3. Progn. 17.
ſ Aret. 1 de Mor. Acut. Cap. 7. & Hipp. 5. 2.
t 4. Acut. 3.
u xiii. Meth. xi.
x 2 Aph. 23 Tral. Aet. loc. cit. & Paul. 3. de Re Med. 27.
y Paul. & Auic.
z xiii. Meth xi. & de Sang Miſſ. 19. ſic Aet. & Paul.

Google

Tral. Egregium autem remedium exiſtimarunt Antiquiores cucurbitulam, quam Aret. pectori affigit. Celſus ſub mento, & circa fauces. Aerius in ipſum tumorem, & retrò, iuxta primam vertebram; ſanguinis copioſi effluxu conceſſo, ac ſale poſtea ſectionibus confricatis, imò & ſinapiſmum, aut veſicans apponit Aret. quæ tamen omnia præſtanda ſolùm, quando materia [a] iam influere deſierit. Interim cucurbitulæ [b] ſcapulis, lotiones pedum, frictiones, ligaturæ, clyſteres acres locum habent; imò & in hac acutiſſima angina quatuor ueſicantia. Securum remedium proponit Celſus, nimirum altas plagas ſub maxillis, quod tamen in uſu non eſt. Laryngotomiam, tanquam extremum remedium proponit Aſclepiades, ex Herodoto, ſuperiorem gutturis partem incidendo, extremis enim morbis extrema remedia optima. Quem modum admittit Haly Abbas; atque alium Auenz. qui præcipit, ut ſub capite gutturis, in aſpera arteria, tres ſciſſuræ, inſtar naſi foraminis fiant, ut ipſe expertus fuit in capra. Aretæus [c] verò ipſam omnino damnat, ut periculoſiſſimam, & inſanabilem. Quare, ut extremum remedium, deſperatis ſolùm, & cautè, & decorè proponendum.

a Tral.
b Paulus
c 1. de Curat. Morb. Acut.

Secundum [d] remedium à ſanguinis miſſione, eſt alui ſubductio, quæ fieri poterit flore caſs. cum pulpa tamarind. quam ſi deglutire non poſſit, detur diagrydium ad gr. vi. in aqua hord. aut lacte. [e] *Etenim in valdè acutis, ſi materia turget, eadem die medicandum*. Præterquam quod, & Almanſor in principio materiam purgar pil. cochiis, & acri clyſtere. Purgans Aet. quoque proponit. Gargariſmus verò fiat ex decoct. plantag. roſ. balauſt. cum ſucc. gran. vel agreſtæ, vel [f] mororum. Rotulæ quoque ore detineantur, ex emulſ. ſem. papau. albi facta cum ſucco agreſtæ, & ſaccharo q. ſ.

d Celſ. Loc cit.
e 4. Aph. 2.
f Tral.

Extrinſecus ℞. flor. caſs. rec. ℥ iii. ol. amygd. ℥ i. ping. gallinæ, ſuillę ℥ ſ. m. f. empl. & inducatur foliis braſſicæ. In augmento, vtendum decoct. plantag. portulacæ, malu. hord. cortice exuti. In ſtatu decocto liquiritiæ, paſſularum, hord. non decort. altheæ, fœnugręci, quibus & myrrha cum Tral. miræ efficaciæ, addi poteſt; eſt autem myrrha vera, atque legitima, beniuinum noſtrum nigrum. Cancri [g] quoque prærogatiuam habent in decoct. pro gargariſmo. Extrinſecus paretur emplaſtrum ex flor. caſsiæ chamæm. & puln. nidi hirundinis. Valida autem diſcutientia proponuntur tria [h], humanum ſtercus, caninum, & elaterium, uel combuſta, uel non, cum melle, vel ſapa. Cinis [i] hirundinum cum melle. Cinis item cochlearum, [k] cum melle, præſentis opis eſt. Proponit etiam Gal. elaterium, cum melle illitum.

g Aet. loc. cit.
h Tral.
i Aet loc. cit.
K Paul. loco cit.

Interim, ſi dolor urgeat, anodyna conueniunt, ne maior ad partem attractio ſiat. Detineat ergo ore lac, vel emulſ. papau. albi. Exterius foueatur locus decoct. malu. altheæ, lilior. alb. chamæmeli, meliloti, & fœnugręci.

Quod ſi progrediatur, Ita ut ad ſuppurationem tendat, ore detineat lac [l] tepidum; uel decoct. malu. altheæ, meliloti, caricar. paſſularum, liquiritiæ. Extrinſecus applicetur tale emplaſtrum. ℞. farinæ triticeæ, ſem. lini an. ℥ iii. fermenti veteris ℥ i. ping. gallinæ, ſuillæ, butyri rec. an. ℥ i. ſ. maluæ, altheæ an. m. i. ſ. decoct. malu. Nidi hirund. an. q. ſ. m. f. empl. collo applicandum.

l x. Simpl.

Diſruptio verò ſolicitetur primò cruſtula panis integra deglutita; uel parua ſpongia filo alligata, & deglutita cum uiolentia, poſtea extracta. Laudatur ol. ſulph. & ab Aet. Agaricus, veluti à proprietate. Quibus non ſufficientibus, chirurgia opus eſt, vel candela, vel cuſpide ferreo. Diſruptus abſceſsus eſt detergendus aq. mellis, & exſiccandus decoct. roſar. plantag. myrti, in aqua primò, mox uino parata.

A proprietate iuuant [m] pullus hirundinis commanſus, qui toto illo anno ab angina præſeruare potis eſt. Cinis [n] eiuſdem pulli ſaliti aſſeruatur, & cum aqua mulſa, per interualla aſſumitur. Succus [o] item Cyrenaicus, imò & Syriacus plurimùm prodeſt, ut & Aſa fœrida [p], collo appenſa. Qui per [q] Lupi guttur bibit, quamcitiſſimè ſanatur. Si manu [r] qua contritus fuerit gryllus, tangantur tonſillæ Patientis, ter contactu illo æger ſanabitur. Xenocrates [ſ] quoque vult, ſtercora deuorata maxima pollere facultate; quæ tamen remedia, ut abominanda à Gal. [t] repudiantur.

m Celſ.
n Celſ.
o Sext. ſim. pl.
p Scribonius.
q Zoar.
r Agricola
ſ Marcel empiricus.
t x. ſimpl.

Victus ſit tenuiſſimus, atque in principio mulſa aquoſa exhibenda, à tertio die cremor ptiſanæ; inflammatione verò attenuata, & commoderata, etiam lutei molliſſimi ouorum commendantur, non tamen copioſi, copioſo quippe alimento ſtatim anguſtia premuntur; Hæc Tral. Nos ptiſanam dilutam præbere ſolemus, vel panatellam in aqua, cum emulſ. ſem. melon. & aquam hordei, pro potu, cum vino granatorum.

VII.

SPIRANDI DIFFICVLTAS.

PRoponitur nobis curandus ſexagenarius Nob. temperamenti, ſecundum rotum, & iecur, calidi, & humidi, habitus carnoſi, & utcunque obeſi, capitis excrementitij, & huius cauſa non parum mucoſæ materiæ per nares emungere ſolitus, qua deficiente expurgatione, tuſſi ſtatim correptus eſt; toto autem vitæ curriculo liberè vixit, imò ventri, cibiſque, & potibus liberalius indulſit, negotijs inſuper non parui momenti ſemper incumbens. Huic autem tribus abhinc annis, Autumno ineunte, ſuperuenire cœpit difficultas quædam reſpirandi, quæ remittebat, tuſſicula oborta, quibuſdam ſputis excretis, at poſtea nocte appetente rurſus exaſperabatur, quolibet anno, eodem tempore, per plures dies recurrens, ſed ſemper grauior, ſuppreſſa omnino euacuatione per nares. Tandem hoc anno, eadem reſpirandi difficultas, menſes perdurans, cum ſtertore, atque ſibilo recurrit, ac etiamnum perſiſtit, & poſtremis hiſce diebus ferè continua, licet ſub noctem ſemper ingraueſcens; quæ adeo inualuit, ut motus non ſolùm per loca accliuia; verùm & recta progreſſiuus ipſi difficilis factus ſit, quinimò frequenter noctu ſurgere cogatur, metu ſuffocationis, cùm nonniſi recta ceruice, ac pinnis narium diductis reſpirare poſſit. Quibus accedit perpetua thoracis grauitas, & pulſus omnino inæqualis, ac inordinatus.

Crebra, [a] magna, ac denſa [b] reſpitatio ſine febre, & præcedenti motu, qua premitur Nob. hic Senex, ſicuti generatim ſpirandi difficultas poſſet vocari; ita ſpeciatim Aſthmatica, atque Orthopnoica affectio dicenda eſt; quæ ab initio Dyſpnœa [c] tantùm fuit, quia leuis præteritis annis; neglecta verò grauior euaſit, aſthma ſcil. accedente ſtertore, atque ſibilo, atque tandem grauiſſima quoque apparuit, Orthopnœa ſcilicet dicta, hoc eſt [d] recta reſpiratio, grauis valdè cenſenda, cùm inæqualem, [e] & inordinatum pulſum habeat, & cum ſublimi [f] ſpiritu fiat, ut ex narium motu apparet. Pars verò affecta ſunt pulmones [g], qui afficiuntur hoc caſu immediatè ab anguſtia, ac proinde in ſuis bronchijs, & in via potiſſimum. Hæc autem non à tuberculo, aut lapide facta eſt; tunc enim primò paulatim adaucta fuiſſet, eaque perpetua ſemper, & æqualis, non annua periodica, ceſſans, atque recurrens; ſed genita à viſcida catarrhali materia, excrementitij capitis ſobole, non ut anteà per nares natura humidiores [h] expurgata, ſed per guttur ad aſperam arteriam, bronchia nimirum pulmonis deſtillans, ibique hærens; vnde dum conatur natura aerem attrahere, hic ob viarum anguſtiam, parietibus eiuſdem alliſus, ſtertorem, [i] & ſtrepitum neceſſariò excitat; atque ex dierum cum toto anno proportione [k], ſicut Autumno, & hyeme, ita noctis aduentu, & progreſſu mouetur catarrhalis materia, tum antecedens, tum coniuncta, & hinc anguſtia ingraueſcente, non ſolùm Aſthma, ſed Orthopnœa quoq; nocturnis horis excitatur; quæ Autumno facilè Nob. Patientem inuaſit, tum propter [l] humorum concentrationem, tum propter frigiditatem; & tandem hyeme quoque perdurat, & quia pars imbecillior facta eſt, & quia inſtrumenta reſpirationis aduerſus frigiditatem præmuniri non poſſunt, ut cætera membra. Hoc autem conſideratione dignum, quod perpetua ſit thoracis grauitas, & ſpirandi difficultas ferè continua, ad motum quoque corporis progreſſiuum recrudeſcens; quæ omnia non aliundè prouenire credendum, quàm à materia pituitoſa, tenui potius, quàm craſſa, in pulmonum cauo concluſa, ab ijſdem genita, [m] *Proprium ſui algoris principium in ſemetipſis habentibus*, ut ſenibus euenire ſolet, quæ motu corporis, ad bronchiorum vias arctiores delapſa, anguſtiam adauget; remittitur verò, corpore quieto manente, dum rurſus ad eandem cauitatem relabitur.

a 6. Aph. Co. 46 & 1 Aph. 26.
b 7. Per Loc. 6.
c 1. de Diff. Reſp. 1.
d Aret. 1. de morb. diut. 11.
e 4. de Cau. Pulſ. 21.
f 2. in 3. Epid. 4.
g 3. de Præſag. ex Pulſ. 4.
h 6. Aph. 2. & de Morb. Sac. n. 7.
i 4. de Loc. Aff. 8.
K 1. in 6. Epid. 15.
l 3. Aph. 22 & Gal. 3. Aph. 23
m 3. Aph. Com. 31.

Affectus equidem grauiſſimus, & periculoſiſſimus; vitam enim ſpectat, quæ ſine reſpiratione conſtare non poteſt; [n] *Cùm reſpiratio ingenitæ caliditatis moderationem ſeruet.* Siquidem omnis calor, imò & ipſe ignis imminuitur, & extinguitur, niſi diffletur, & liberum aerem habeat; quod exemplo probat Gal. dicens, quod cucurbita perforata flammam non extinguit, concluſa autem eandem ſuffocat. Prout pariter in fornace occluſa ignis à fumo, & fuligine, veluti ab aqua extinguitur, quę eadem reſpirationis ratio. Quare aut diuturno tem-

n 5. in 6. Epid. 5.

tempore, labefactato calore natiuo in Cachexiam, & Hydropem; aut breui, in ſuffocationem ne deſciſcat metus eſt, potiſſimum verò, cùm Pat. Nob.º ſenex ſit, in quo primarius, & idiopathicus fieri incipit pulmonum affectus. At quoniam robuſtus eſt, & in primo ſenio tantùm, curatio eſt ſuſcipienda, ut à ſubitanea ſuffocatione, & reliquorum viſcerum labe præſeruetur.

o 2. Aph. 40. & Gal.

Quare curatio, non præſeruatio inſtituenda; cùm præſens, & continuus affectus factus ſit; atque adeò primò totum euacuandum. Secundò materia fluens à pulmonibus reuellēda, & diuertenda. Tertiò fluxa attenuanda, & expectoranda. Quartò inuadente orthopnoea, pars laxanda. Quintò, & tandem caput, & pulmones exſiccandi, atque roborandi. Quibus indicationibus ſatisfaciendum, proximo ineunte Vere. p

p 6. Aph 47.

Et in fonte Chirurgico, non eſt poſthabenda aliqua ſanguinis miſſio, quam permittit Gal. ad prohibendam ſuffocationem, & præcipit Hipp. tum in orthopnœa ſicca, 4. Acut. tum 3. de Morbis, ſolo clyſtere præmiſſo, à qua tamen abſtinendum, in ortophnœæ acceſſione, quia tunc temporis vires ſunt imbecilles; potiſſimum uerò educi poteſt, cùm Pat. ſit calidi & humidi temperamenti, totumque habeat ſuccis redundans; parcè tamen mittendus fuerit, & uena brachii, ex potius uenæ ſedales mox erunt aperiendæ, ſi opus fuerit, utpote pectori conſentientes. Reuulſiones omnes conueniunt, ut lotiones calentes pedum, cucurbitulæ ſcarificatæ extra acceſſionem, & non ſcarificatæ in acceſſione ipſa; ſic & frictiones. Clyſteres acres parum ante acceſſionē, qui in acceſſione à Septalio iure prohibentur. Ante acceſſionem verò nocte ingruentem, utiliſſimi eſſe poterunt ſinapiſmi, coxis appoſiti potius, quàm veſicantia. Interim cauteria inurantur brachijs, & anguſtis rebus, etiam ſupra ſuturam coronalem. Inueterato verò malo, & omni medicina irrita, cum Antiquioribus, ad inuſtiones confugiendum, clauicularum, pectoris, & coſtarum, vlceribus inferioribus potiſſimum diutius fluidis relictis. Recentiores autem magnum ueſicatorium, in maxima anguſtia, pectori non ſine utilitate applicuerunt.

A fonte Pharmaceutico, depromenda medicamenta Lenientia, Præparantia, Purgantia, Expectorantia, intemperies Auferentia, & Roborantia.

Leniens tale eſſe poterit, ℞. flor. caſs. rec. extr. ℥ i. ſpec. hieræ ſimpl. ʒ i. troch. de viol. ſ. ʒ ſ. m. f. b. caſſia enim valdè pectoralis eſt. Vel ℞. mell. roſ. ſolut. ℥ iiii. mannæ electæ ping. ℥ ii. decoct. pector. q. ſ. m. ſ. p. Præparans primum ſit hoc. ℞. oxymel. ſimpl. ireati, & cum aqua capil. Ven. parati ℥ ii. decoct. borrag. malu. pulmonariæ, capillorum Vener. ſem. citri ℥ v. m. pro ſyr. & ſic pro aliis quinque; mox leuis ſequatur hæc expurgatio. ℞. flor. caſs. rec. extr. ℥ i. pil. de agat. Meſ. ʒ i. troch. de violis cum ſcammon. gr. viii. m. ſ. b. Vel ℞. agar. troch. ʒ iii. aq. farfarę q. ſ. m. f. inf. per noctem, & expreſs. adde mellis roſ. ſol. ℥ iii. mannæ elect. ℥ ii. m. f. p. quam ſequatur validior huiuſmodi præp. ℞. oxymel. ſquillit. ℥ i. ſyr. de praſſio, de hyſſopo an. ℥ i. decoct. hyſſopi, praſſij, pulmonarię, maluæ tabaci ℥ v. m. pro ſyr. & ſic pro aliis ſeptem, aut octo. Succedat poſtmodum validior purgatio: Neque enim quærendum, num purgantia è pectore attrahant; nam præterquamquod per uenam azygon humores educere poſſunt, dum totum expurgatur per partem poſt partem, expurgatur etiam ipſe thorax. *Confluxus quippe vnus, conſpiratio vna, conſentientia omnia*, iuxta Hipp. oraculū. Purgans itaque tale paretur. ℞. elect. lenit. ʒ vi. diaphen ʒ ii. pil. de hiera cum agat. ʒ i. troch. de uiolis ℈ ſ. m. ſ. b. & hora poſt, bibat Pat. mulſam dilutam ex aqua hord. peratam ad ℔ ii. Vel ℞. agat. troch. ʒ iii. turbith. ʒ ii. zingib. cinnam. an. ʒ ſ. aq. malu. q. ſ. m. f. inf. per noctem, & colat. adde mannę electę ℥ iii. mel. roſ. ſol. ℥ ii. m. f. p. b. & incepta euacuatione, bibat mulſam, ut ſupra. Toto expurgato, caput quinetiam purgandum, aſſumptis, & per nares attractis; maſticatoria namque ſuſpecta ſunt. Per os autem conuenientiſſimæ erunt pil. ut. ℞. pil. coch. ʒ i. de hiera cum agar. maſtic. an. ℈ i. m. ref. pil. & aur. iterum atque iterum quarto quoque die, repetendæ.

Per nares verò omni induſtria materię mucoſę conſueta, & mox ſuppreſſa euacuatio reuocanda, utilitatem enim non leuem, ſternutamento excitato anheloſis ex Hipp. proficuo, afferre poterit, per nares adducta decoct. maioranę cum ſucco hederę, & cum Meſ. ſucco cucum. agreſtis, in lacte muliebri; uel huiuſmodi pulu. ℞. pulu. maior. ireos an. ʒ i. tabaci Indi ʒ ſ. m. pro errh. Tertiò ſupereſt materia in pulmonibus expectoranda lambitiuis, & ſuffumigiis. Lambitiuum verò paretur ex oxymel. ireato, uel iulap. acet. aut oxymel. facta prius maceratione radic. helenij, & ſem. urticę in aceto, & aqua veronicę. Efficax quoque eſt ol. ſulph. vel butyrum eiuſdem, in iulap. acet. uel oxymel. diſſolutum.

Suffumigia quoque expectorandi, & pulmones exſiccandi vim obtinent. Et licet Myre-

pſius

Pſius vtatur, pro ſuffumigio, troch. de arſenico, quod eſt ſandaracha Gręcorum, eo tamen nullo modo vtēdum; prout uti poſſumus ſandaracha Arabum, Vernice ſcil. quę eſt gummi iuniperi, ac ſuffumigio ex ſtyrace, beniuino, thure, & myrrha, quę mirabilis eſt.

Orthopnœa verò pręſente cautiſſimè agendum, ne importunis remediis, derepente Pat. è medio tollamus; imò cùm medicus non ſemper pręſens eſſe poſſit, inſtruendus ęger, ut ſibimet medicus ſit. Ingruente itaque orthopnœa illud maximè aduertendum, tunc temporis materię expectorationem nō eſſe tentandā, ſed laxantibus internis, & externis, à bronchiis ad pulmonis cauitatem eſſe abducendam; dum enim catarrhalem materiam, à capite delabentem, & à cauitatibus reſurgentem ſurſum trahere conamur, affatim ad bronchia eandem copioſiorem euocamus, unde ſpiritus via omnino intercepta, ęger prorſus ſuffocatur; quod ego bis medicis contigiſſe vidi. Quare quies primo ſtatim pręſcribenda, frictionibus tantùm infernarum partium adhibitis, ad materiæ in cauitate hęrentis aſcenſum inhibendum; mox ol. amygd. rec. ſine igne pręſtò ſit, cuius aliquod ſemicochlear, per interualla prębeatur; qua eadem ratione & prodeſſe poteſt ol. pinear. recens. Pectori verò apponatur omentum caſtrari, uel vituli, aut porci, utpote magis laxans, ol. amygd. perfuſum; vel eidem applicetur magna ſpongia, imbuta decoct. radic. malu. altheæ lil. alb. liquiritię & ſem. fœnugræci, quę non omninò expreſſa, & modicè calens apponatur frequentius, nec refrigeſcere permittatur. Recedente autem acceſſione, aliquod leue expectorans prębendum, cùm ſcilicet & materia concoqui, & à bronchiis anguſtioribus excuti inceperit; tunc enim à tuſſi, & excretione materiæ leuamen experietur.

Non deſunt, qui intercipientibus quoque utantur in periodica ſpirandi difficultate, ſub acceſſionem, in quotum tamen uſu cautiſſimè agendum, cùm materiam in bronchijs, ſi quæ adſit, denſare, atque firmare poſſint, non ſine ſuffocationis periculo, cuius cauſa opiata in aſthmate à Gal. omnino damnantur.

Tandem capitis, vt partis mandantis, & pulmonum, non ſolùm partis ſuſcipientis, hoc caſu, verùm & materiam iugiter producentis cura habenda, humidam intemperiem utriuſque partis corrigendo, & laxatos pulmones roborando; in quem finem Auic. laudat ius galli antiqui, flagellati, exenterati, & modicè ſaliti, praſſio, hyſſopo, pulmonaria, & botride alteratum, per menſem exhibitum, pręmiſſo bolo ex tereb. & pulu. ireos parato. Verùm quoniam capiti parum, aut nihil auxiliari poteſt; ideo multò efficacius fuerit decoctum cum ſudore, ita paratum. ℞. ligni guaiaci, viſci querc. an. ℥ii. aq. comm. ℔ iv. m. f. inf. per horas 24. deinde bull. ad conſumpt. dimidii, & colat. ſeruetur pro tribus diebus, matutinis horis, hora vna ante ſudorem exhibenda, pręmiſſo hoc bolo. ℞. extracti radic. helenii ℈ i. flor. ſulph. ℈ ſ. m. f. b. Sudor autem prolectetur in hypocauſto, ut caput ſudet, non obſtante, quod obiici ſolet, ſuffocationis periculo; locum enim ſolùm haber pręſente orthopnœa. Quod ſi Patiente in hypocauſto concluſo inualeſcat ſpirandi difficultas, ut primis diebus nonnunquam contingit, lectum ſtatim petat, & ſudet, deinceps enim ſudor, etiam in hypocauſto diutius commodè tolerabitur. Terminato ſudore, ut pulmonum exſiccatio perficiatur, aquę ſulphureæ adhibendæ decem, aut duodecim diebus deiectoriæ. Quinimò, & pro ſtillicidio capiti maximè proderunt. Qua purgatione peracta, Pat. etiam ſanitatem conſequutus, aliqua à proprietate iuuantia quandoque in uſum ducere debet, in quibus hęc præſtantiora erunt, pulmo [r] vulpis præpar. Aſelli [s], millepedes vocati ſub hydriis latentes pariter præp. meditullium helenij coctum, ex quo parantur electuaria. Aqua uitis albæ mirabilia etiam præſtat; ſic ſquillæ [t] ſuccus expreſſus, & cum æquali portione mellis decoctus ad cochlearia exhibitus; & tandem theriaca, de qua Gal. hæc habet ad Piſ. 6.

Ab anhelanti pectore tollit onus.

r xi. Simpl.
ſ Aet. & Orib.
t Aetius.

Ratio victus proportione reſpondeat, cuius magna uis, & ad curationem, & ad præſeruationem. Fugiat itaque aerem caliginoſum, & nebuloſum, & diuturnam moram ad ignem, & ſolem; alteretur cubiculi aer ſtyrace, myrrha, iunipero, cinnam. Cruditates, ut peſtis fugiendæ, ac proinde copioſæ repletiones. Abſtineat à cibis, craſſum, viſcidum, ac frigidum ſuccum generantibus. Crocus in ptiſana bulliat, qui eſt anima [u] pulmonum. Potus ſit largior, & uinum ſubdulce extra acceſſionem; mulſa verò in acceſſione. Dormiat parcè, capite eleuato in acceſſione, decliui extra eandem. Exercitium non omnino omittendum; ſicut enim non conuenit nimia repletio, ita nec nimia exinanitio.

u Cardanus

Vtatur bis in menſe pil. de agarico Meſ. additis iride, & ſulphure. Et vitet vehementes animi motus.

VIII.

SPIRANDI DIFFICVLTAS.

ILluſtriſſimus, & Excell. Senator, Iadræ per menſem commoratus, Venetias rurſus reuertens, triremi uectus eſt, vbi ob loci anguſtiam, capitis æſtum, & ex quodam fœdo odore eiuſdem inſignem alterationem perpeſſus, exremplò in ſpirandi difficultatem incidit, quam anteà nunquam expertus erat, quæ uſque adeò inualuit, ut decubitum inhiberet, & recta ceruice Pat. ſpirare cogeret, cum Stertore, & leui tuſſicula oborta, qua ſputo nonnunquam, etſi pauco leuabatur, licet poſtea aduentante nocte, rurſus recrudeſceret; atque ita per aliquot dies periodicè recurrit affectus, donec tandem præſocantis, & grauioris paroxyſmi inſultu omnino euanuit, cum excretione per tuſſim materiæ craſſioris.

Aſthmatica ſpirandi difficultas, quæ adaucta orthopnoica tandem euaſit, non aliunde originem duxit, quàm à materia catarrhali, tum tenui, tum craſſa à capite tranſmiſſa, quod utpote calidum[a], & humidum facilè repletioni, & ſubinde deſtillationi obnoxium, loci inſuper anguſtia, & tetris odoribus, quos antipathia quadam Excellentiſs. Patiens auerſatur, alterationem inſignem ſuſcepit, ita ut eiuſdem tono, & temperamento naturali immutato, ac proinde propria coctione, & nutritione fruſtratis, pituitoſus excrementorum prouentus ſuccreuerit, qui ad bronchia pulmonum decumbens, prædictam anhelitus difficultatem induxit.

a Art. Med. 19.

Quę quia non inueterata, cùm primus ſolùm ipſius inſultus obſeruatus ſit, ſecundus forſan non expectandus; neque enim adeſt pectoris anguſtia, pulmonumuè naturalis imbecillitas, quæ ut cauſa ſine qua non, neceſſariò ad recidiuas concurrere omnino deberent. Attamen quia ſpes noſtra non omnino certa, præſertim cùm Excell. Vir ſolum, & Regionem mutare cogatur, ad grauiora negotia, quibus animi ſolicitudines, uigilias indeque turbatas coctiones ominari licet; ideo, ſi rurſus, quod Deus auertat inuaderet affectio, eius tutelæ cauſa, paroxyſmique expugnandi remediorum, quæ præſtò eſſe debent, hanc normam præſcribo.

Medicæ itaque intentiones erunt, in paroxyſmo materiam fluentem diuertere, eandem intercipere; laxare vias, & ſub finem fluxam expectorare. De inhibenda materiæ generatione, & pulmonibus roborandis non loquor; id enim potius extra acceſſionem, & ad præſeruationem, quàm curationem ſpectat.

Ingruente igitur paroxyſmo, ſtatim iniiciatur clyſter actis, uel quoniam ſpecifica quadam proprietate communes in Excell. Viro copioſius aluum deijciunt, fiat communis; poſtea frictiones coxis, & cruribus adhibeantur, mox ſuccedant lauacra pedibus, & cruribus in aqua feruenti, per horam integram; atque interim, dum hæc fiunt, viæ laxandæ ſolo, & ſimplici ol. amygd. dul. rec. ſine igne extracto. Neque imitandi plerique Medicorum, qui in paroxyſmo, & illa anhelandi anguſtia, expectorantia perperam propinant, ut oxymel ſ. vel ſquillit. vel oxym. cum agarico; ſic enim à pulmonibus ad bronchia attrahirur maior materiæ copia, augeturque obſtructio, & anguſtia, cum ſuffocationis periculo in paroxyſmo. Extrinſecus quoque pectus laxetur, inunctionibus ex ol. amygd. lil. alb. axungia gallinæ, adipe anſerino, cum pulu. ireos, m. ad ignem f. Vngu. quæ ſi deſint, confugiendum ad ungu. de althea reformatum cum ol. amygdal. Declinante verò paroxyſmo, ad validiora deueniendum. Aſſumat itaque Exc. Patiens mannę ℥ iv. & mel. roſ. ſolut. ℥ iii. cum decoct. pector. quatuor horis ante cibum ſaltem, nempe ptiſanam hordeaceam, ſaccharo aſperſo, vel panatellam in iure, ol. amygd. & ſaccharo condita. Potus verò ſit aqua mulſa tribus primis diebus. Quod ſi affectus perduret, ad pulli contuſum, & uitellos ouorum in iure, cum pauciſſimo aceto, accedendum. Alterans horis opportunis ſit mel. roſ. colat. ad ℥ ii. & tantundem iulap. acetoſi. Repetantur clyſteres, frictiones, & lotiones, ut ſupra, donec paroxyſmus repetat; tunc autem, durante affectione, opera danda, ut ma-

teria

teria intercipiatur, quod optimè præſtabit ſequens remedium. ℞. laudani Nepent. Quercet. gr. i. aut gr. i. ſ. diapenidii ʒ i. aſſumatur hora vna à cibo; & niſi prȩſtò ſit laudanum, ſubſtituatur philonium ad ℈ i. Hora item ſomni detineat ore tragacanthum cum bolo; vel diacodium cum bolo. Extra paroxyſmum verò aliquod expectorans adhibendum, quod ut dixi, prohibetur in ipſo paroxyſmo, ut ℞. oxymel. ſ. ℥ iv. agarici troch. tenuis pulu. ℈ ii. m. pro lambit. Rotulȩ item ex flor. ſulphuris optimȩ. ℞. fl. ſulph. ʒ i. ſacchari fini diſſol. in aqua farfaræ ℥ ii. f. rotulȩ ad ignem, quȩ detineantur ore tempore uigiliȩ. Prȩſtantiſſimum quoque eſt oleum ſacchari; permeat enim, attenuat, incidit materias, & expectorat. Suffumigia in cubiculo uſurpanda ex myrrha, quæ mirabilis ex Gal. ſuauiora tamen parabuntur ex ſtyrace, myrrha, iunipero, & cinnam. uel ex ſtyrace, beniuino, myrrha, & thure. Et tandem elect. utatur ex rad. helenii ad ℥ ſ. mane, ueſperi uerò ℞. rad. enulȩ ℔ i. rad. altheȩ, diacydonii, an. ℔ i. bul. in aqua farfarȩ, donec tranſmitti poſſint per ſetaceum; deinde adde mellis optimi ℔ ii. coquantur leuiter; poſtea adde fl. ſulphur. ʒ v. cinnam. pulu. liquirit. pulu. an. ʒ i. m. reform. Elect. cuius doſis ℥ ſ. mane, & ſero.

Victus tunc temporis erit tenuis, poſtea craſſior, ut natura materiæ coctionem perficere poſſit, quæ ut plurimùm incraſſatione fit. Hæc dicta ſint, ut Illuſtriſs. & Excellentiſs. Vir à paroxyſmo ſeſe tueri, imò liberari queat, qui ſi repeteret, ad radices eius euellendas animum conferremus, decoctis, cauteriis, & huiuſmodi aliis præſidiis præſeruatiuis, de quibus nihil in præſens.

IX.

SPIRANDI DIFFICVLTAS.

SExtus iam agitur menſis, quo Egregius hic Patiens ſpirandi difficultate premitur orthopnoeæ non multùm diſſimili; decumbens enim longè difficilius reſpirat; quæ prouenit à pituiroſa materia, tum craſſa, & viſcida, tum tenui, & aquoſa, bronchijs non ſolùm, ſed
a 9. Aph. Co.31. etiam cauitati pulmonum infarcta, à capite quidem potiſſimùm, verùm & à toto demandata, licet tamen, [a] *Et pulmones quoque habeant proprium ſui algoris principium*. Nec ulla de tuberculo apud nos ſuſpicio, cùm dierum, non annorum ſpatio producta fuerit affectio, in corpore obeſo, ad motum pigro cum euidenti capitis humida, & totius, pulmonumque frigida intemperie. Et cùm ex hoc affectu, iuſta cordi ventilatio, & ut ita dicam, nutritio deficiat, calor influens, qui ab ipſo ad principes, & reliquas omnes corporis partes viuificandas effundi ſolet, langueſcit, & cum ipſo naturales etiã functiones; quare ducto in conſenſum iecore, eiuſdem calore natiuo labefactato, excrementorum copiam, & produxit, & coaceruauit; unde primò in vaſis obſtructiones inſignes, & tandem in parenchymate ipſo tumor durus, totum ipſius ſuperiorem lobum circunſcribens, ſubortus eſt; atque ſanguificatrice vitiata facultate, totius prauus habitus, & cachexia emanauit, quæ cùm ab Auic. hydropicorum caput nuncupetur, nil mirum, ſi extremarum partium tandẽ tumor ſit ſubſequutus. Portio autem illius materiæ heterogeneæ in iecore concluſæ, putredine concepta, febriculam inuexit, quæ diebus elapſis vehementior fuit, ob principium inflammationis illius viſceris, quæ ſanguinis miſſionibus, & idoneis aliis præſidijs tandẽ ceſſit.

b r. in 6. Epid.5. Status equidem Patientis huius periculi plenus; ſicut enim prior affectus vitam ſpectat, cùm actio, quæ modò læſa eſt, [b] *Moderationem ingenitæ caliditatis ſeruet*; ita poſterior imminentem hydropem minatur. Augetur quoque periculum, à complicatione morborum; non eſt tamen deſperanda ſanatio, tum quia iuuenis eſt, tum quia nondum generoſa eſt expertus remedia.

Quamprimùm itaque vrgentiori incumbendum, euacuando, & præparando, & quidem medicamentis aperientibus, attenuantibus, incidentibus, emollientibus, ſemper tamen moderatè calidis, præmiſſa totius prouidentia. Deinde caput erit expurgandum, expectoranda materia, exſiccandi pulmones; & roborandæ partes, tum mandantes, tum ſuſcipientes, fouendo calidum innatum Cordis, Iecoris, & omnium viſcerum principalium. Qui-

bus

bus intentionibus ut ſatisfiat, deſumenda remedia ex Chirurgia, Pharmacia, & Diæta.

In Chirurgicis bis, ſed parcè fuit eductus ſanguis, ad inhibendam perfectam inflammationem, ac proinde mortem, qui ſat erit; fonticulos laudo in brachio, & coxa dextra; quod ſi tumor augeſceret, & ſuſpicionem aliquam iniiceret, alteri brachio inuri ſuaderem.

Repetita quoque iam fuit humorum euacuatio ſyr.roſ.ſol. mox ſyr.& manna; ac præparati humores cichoraceis, additis viol.acet. & ſyr. de cichor. modò ad valentiora deuenire poſſumus, ſedata inflammatione. Quare conuenient iura alterantia cichor.borrag.endiu. agrim. farfaræ, capil.Ven. addito iulap. acet.ſyr. de cichor. & de ibiſco; ut poſtea purgetur infuſione rhab. agarici, in decoct.pectorali, addito ſyr. roſ. & manna. Repetenda poſtmodum præparatio oxymel. ſyr.de quinq. radic. ſyr.de hyſſopo, additis betonic. pulmonar. liquirit. chamædr. à quibus rursus purgandum.

Purgato toto, deobſtruentibus tum intrinſecis, tum extrinſecis utendum, quę ſunt, troch. de rhab. de eupat.hepat lupinum, ſuccus cichor.condenſ. ſuccus item eupatorij condenſatus. Atque interim expectoratio materiæ tentanda, & externis, & internis, ut oxymel.ſyr. de farſ. de hyſſopo, modico ſale ammoniaco; rotulis item cum ſaccharo, ex flor. ſulph. & extrinſecus inunctiones, tum iecori, tũ pectori adhibendæ. Inde duo genera remediorum perópportuna cenſeo, alterum eſt ius Galli anniculi, alteratum ſaſſafras, viſco quercino, & china, additis cephalicis, diureticis, & pectoralibus remediis, & præmiſſo bolo ex tereb. Cypria, & modico flor. ſulph. cum victu attenuante, & ſudore in lecto prolectato, aut ſub arca, pro faciliori eius tolerantia, idque per 30. dies circiter. Alterum eſt uſus chalybis præpar. quod genus remedij forſan iam dicto præmittere opus erit, ob anni tempus calidum.

His omnibus victus ratio proportione reſpondere debebit, quæ licet attenuans, & exſiccans conueniat, alicuius tamẽ ſemper humiditatis particeps ſit, ut facilius expectorẽtur materiæ, neque in iecore magis obdureſcant. Aluus lubrica ſeruanda Elect.ex caſ.manna, ol. amygd. dulc. & pulmone vulpis; uel pil. de agar. Meſ. & de trib. cum rhab. Reliqua vero cum cautione, à prudenti Excell. Viro Adſtante adminiſtrabuntur.

X.

ASTHMA.

PRoponitur nobis curandus Nob. Senex ſeptuagenarius, temperamenti ſecundum totum, & iecur, calidi, & humidi, capitis humidioris, habitus carnoſi, quodammodo obeſioris, qui toto vitæ curriculo liberè vixit, quinimò Veneri, cibiſque, & potibus maximè indulſit, negotiis inſuper non parui momẽti ſemper implicitus. Hic autẽ ſeptẽ ab hinc annis, correptus difficultate quadam ſpirandi, aſcenſu potiſſimum per accliuia loca, tum febres, tum uiſcerum obſtructiones eodem tempore paſſus eſt, ab iis tamen medicorum diligentia liberatus. Modò autem perdurat non ſolùm, ſed magis inualuit idem affectus, adeò ut quodammodo continuus factus ſit, cum motus quinetiam rectè progreſſiui, ac frequenter noctu decubitus difficultate. Conqueritur præterea de pruritu quodam moleſto totius corporis, qui tamen abſque puſtulis eundem affligit. Atque hęc hiſtoria dictarum affectionum, à Viro Excell. ad nos tranſmiſſa.

Ex qua elicimus, Nob. Patientem ſpirandi difficultate premi, quæ, dum quieſcit, uel leuiter mouetur, dyſpnœa [a]; dum accliuia conſcendit, Aſthma; dum verò decumbit, Orthopnœa euadit. Reſpiratio autem cùm ſit motus pulmonum, & actio naturalis [b] eorũ propria, ij propterea, caſu præſenti, affecti cenſendi; nec ſolùm ſecundum uias ſpiritus, bronchia, ſcilicet; uerùm & in propria ſubſtantia; quorum læſio in anguſtia [c] ſita eſt, facta ab humoribus pituitoſis, & uiſcidis, necnon à ſeroſis, ab humido, & negotioſo capite, prout & à toto tranſmiſſis, ob uſum promiſcuum potiſſimum ciborum, & copioſas compotationes: ad pulmones enim, harum humiditatum decumbentium pars craſſior, bronchiis adhæreſcens, perpetuam, licet leuem difficultatem parit; tenuior verò eorundem ſubſtantiæ

a 7. Per Loca 6.
b 8. de Anat Admin 2.
c 7. Per Loca 6

impacta motu vehementi, vel decubitu reſilit ad bronchia, & ſpirandi difficultatem adauget; vnde Aſthma,& Orthopnœa. Et quoniam ſeroſitatibus ſcatet totum venoſum genus, iiſque ſalſis, utpote bili cōmiſtis,prouida natura per abſceſsū, aliqua parte,eas ad ambitum corporis detrudens, pruritum totius corporis ſuſcitauit, ſine puſtularum tamen efflore. ſcentia, quia tenuis, & ſeroſa materia exiſtit,

Ambo affectus ſanationis difficilis ſunt, ne dicam impoſſibilis; annoſi quippe, & altas radices habent, in ætate ſenili, & patiente parum Medicis obſequente, ventri, gulæque indulgente, Agendum tamen, ne ingraueſcens morbus ægrum, uel ad ſuffocationem, vel ad hydropem tandem præcipitet, neue interim prurigo moleſta vigilias, indeque cruditates, & alia inferat mala.

Primò itaque totum euacuandum. Secundò reuellenda materia ad pulmones influens, Tertiò iam fluxa attenuanda, & expectoranda. Quartò partes tum mandantes, tum recipientes roborandæ; & iecoris calor aliquantulum moderandus; ut tandem materia ſalſa, & ſeroſa ſub cute hærens reſolui poſſit,

Licet autem hic educendi ſanguinis non vrgeat neceſſitas, maximè ætate 70. attamen, quia morbus eſt magnus, ad caloris uentilationem, ad reuulſionē materiæ fluentis ad pulmones, parca proderit eiuſdem miſſio,eaque ex hæmorrhoidibus, [d] cum thorace magnum conſenſum habentibus, & ſanguinem ſeroſiorem à toto euacuantibus; deriuans autem à pulmonibus præſidium, erit cauterium in brachio; & reuulſionis loco, conuenient balnea pedum frequentia, & clyſteres acres.

d 3 in 6. Epid. 37.

Leniatnr itaque aluus mel. roſ. ſol. & manna, cum decoct. pectorali; aut elect. lenit. & crem.tart.cū pauciſſima hiera.Preparentur humores mel. roſ.ſimpl.& iulap.acet.vel crem. tart. ad ℥ ſ. quotidie, diſſoluto in iure alterato cinnam, uel ſem. citri. Purgentur poſtmodum infuſ. agari, ſennæ, & rhab. in decoct, pectorali, addito mel. roſ, vel ſyrup. de polyp. & manna,atque ℥ ſ. aquæ cinnam.

Præparatio uerò erit repetenda,attenuantibus, incidentibus, & detergentibus, non valdè calidis,qualia erunt oxymel ſyrup. de liquir. de praſſio, cum decoct. cichor. beton.hyſſopi, praſſij,pulmon. farfare, capil, Ven. recent.Repetendum deinde purgans ex iam dictis, uel ex pilul. de agar. Meſ. aureis, cochiis, & troch. de violis; quibus medicamentis, ſi non thorax, reliquum ſaltem corpus purgabitur, vt opus eſt, & à pulmonibus reuellentur materiæ, à capite mox deriuandæ errhinis potius, quàm maſticatoriis, ex pulu. maioranæ, Ireos, & tabaci.

Interim tamen expectoranda uenit materia internis, & externis; in quibus lambitiua ex uſu erunt, ex oxymel. ſacch. uel iulap. acet. cum ſyrup. de ibiſco, infuſis gutt. aquæ ſulph. Rotulæ item ex flor. ſulphuris, cum ſacchar. noctu ore detinendæ, uel ſuccus liquir. condenſatus. Extrinſecus inungatur pectus vnguen. de althea, reform. cum ol. lil. alb. cuius ſi odorem abhorreat patiens, uſurpari poteſt adeps anſerinus, cum puluer. ireos, & cymini.

Toto expurgato,cogitandum erit de abſumenda reſidua materia in pulmonibus,& exſiccatione eorundem; necnon de euacuanda materia in ambitu corporis hærente, & pruritum excitante; quæ quoniam ad aluum medicamentis deduci non poteſt, ut conſiderauit Gal. 6. Epid. in hiſtoriam Simeonis. ab Hipp. propoſiti, papulis in toto laborantis, quem proinde per diaphoreſin curandum ſtatuit; omnes propterea intentiones implere poterit ius galli iunioris alteratum china, uel rad. cannarum, Viſco quer. ſaſſafras, & rad. enulæ; additis foliis hyſſopi recen. atque præmiſſo bolo ex Extr. ſalſæ, & butyro ſulphuris, vel infuſa eidem aqua ſulph.ad gutt.vi, in cuius uſu ſaltem per menſem perſiſtat, ſudore in lecto ſub culcitris ſolicitato, & linteis calidis toto defricato. Quod ſi Patiens ſuo more medicamentum huiuſmodi, utpote nimis laborioſum reſpuat, ſubſtituatur ſaltem per 30. dies puluis uiperinus; cui addi poterit butyrum ſulph. ad gr. vi. erit namque exſiccans, diaphoreticum, & pectorale; frictionibus totius quotidianis non omiſſis,

Ad balnea tandem aquæ dulc.deueniendum quidem foret,ratione pruritus;quę quoniam pulmonibus ſuſpecta ſunt, ideo illis ſubſtituantur frictiones, manibus uaporatis decoct. malu. flor,chamæmel. & cyclam, per aliquot dies; quę deinde fient, iiſdem madeſactis aq. deſtill. ex herba regina; inungendo poſtea totum unguent. roſ. cum flor. ſulph. uel oleo amygd. in quo ad ſolem efferbuerint folia eiuſdem herbę reginæ.

Victus ratio erit mediocris, attenuans, & exſiccans; cœna ſit parca, aſſumat quandoque in ouo ſorbili gr. v. uel vi. butyr. ſulph. & de more, prima menſa, ſorbeat ius cichor.

altera-

alteratum. Abſtineat à lactariis, laganis, oſtreaceis, leguminibus, à carne ſuilla, à uinis generoſioribus. Parcè bibat, nec unquam inter prandium, & cœnam. Exerceat corpus ieiuno ventre. Vtatur uerò frequenter pilul. huiuſmodi. ℞. pilul. de agaric. Meſues ℥ ſ. magiſt. ialap. ʒ ſ. m. refor. pilul. num. xxiv. & aur. quarum iii. deglutiat qualibet hebdomada, hora una ante prandium. Alacriter item, & procul à negotiis uiuat.

XI.

SPIRANDI DIFFICVLTAS, & alij affectus.

DOlores crurum, mox brachiorum, & ſecuta ſpirandi difficultas æſtiuo tempore, tandemque hyeme ſub veſperam dorſi perfrigerationes, & mane tuſſis cum excretione materiæ pituitoſæ, aliquando cruentæ; omnia unicam agnoſcunt cauſam, nimirum deſtillationem à capite, partim à cibi copioſiori uſu, nucum, & auellanarum potiſſimum; partim à calida & humida capitis intemperie contractam; ob quam, humectatis pulmonibus, obſeruata ſunt ſputa cruenta, per diapedeſin excreta. A ventriculi autem frigiditate cruditates iam coaceruatæ, & meſenterio infarctę, à iecoris calore in terream, & melancholicam conditionem exareſactæ, ac conuerſæ, ad cor, & caput melancholicos vapores expirantes, timorem in legendo incuſſerunt, quibus ad muſculos quoque brachiorum irrepentibus, ſtupores, & tremores ortum habuerunt. Siquidem, a *Si aliqua pars corporis repentè ſtupore elangueat, tale eſt melancholicum ſignum*, ex Hippocrate. a 7. Ap. 42.

Conqueritur item Patiens de ignauia ad Venerem, cuius cauſa nulla alia eſt, niſi ſpirituum non ſufficiens productio; frigidum enim cor illi eſt, & ob melancholiam timore reuocantur; licet enim b melancholici ſint ſalaces, quia flatibus abundant, cùm tamen ſint frigidi corde, non generatis ſpiritibus flacceſcit penis; ad cuius erectionem ſpiritus, ut cauſa principalis; flatus verò, ut concauſa concurrunt. b 30. Probl. 1.

Acceſſit quoque his affectus hernioſus, tum ex totius imbecillitatę, tum ex redundanti humiditate, peritonæum relaxante.

Quibus omnibus ut ſuccurratur, capitis intemperies humida exſiccantibus corrigenda; frigida uentriculi, & cordis calefacienda; pulmones exſiccandi cum peritonęo; obſtructiones aperiendæ; & melancholici vapores, tum diuertendi, tum diſcutiendi; atque cor roborandum.

Quæ non quidem uradicitus iam dicti affectus hoc tempore extirpentur; ſed ut magna ſaltem parte, remittantur; ſputumque ſanguinis arceatur; eorum enim plerique innati ſunt, qui proinde repetita egebunt curatione.

Atque quod ſpectat ad chirurgica præſidia, frigidi affectus, nimirum deſtillationes, & ignauia ad venerem ſanguinis miſſionem non poſtulant; qua tamen ſputum cruentū, ſi recurreret, omnino opus haberet ex vena brachij, parca ſaltem copia. Verùm venæ hemorrhoidales apęriendæ, ratione melancholici affectus. Duo uerò cauteria, alterum in brachio, alterum in coxa geſtabit.

Ex pharmacia depromantur medicamenta Lenientia, bolo, ex flore caſſiæ, lenitiuo, cremore tartari; potione, ex manna clarificata. Præparandi humores iulapio acetoſo, aromatizato cortice citri, & cinnamomo; mox purgans erit flos caſſiæ, cum rhabarbaro, & cremore tartari; vel infuſio eiuſdem cum manna, & ſenna, addito ſyrupo roſ. ſol. Secunda præparatio perficietur iulapio acetoſo, ſyrupo de ſucco borraginis, vel de pomis, & de betonica, cum decoctione cichorii, borraginis, endiuiæ, maluarum, betonicæ, meliſſæ; purgante repetito ex flore caſſiæ, & electuario lenitiuo, cum pilulis de tribus cum rhabarbaro; uel ſyrupo roſ. ſol. cum electuario diaphœn. His peractis, peropportuna erit uenoſi generis validior expurgatio, decoctione epithymi Meſues, tribus, aut quatuor uicibus, cui ſuperbibat ſerum caprinum depuratum; diebus autem intermediis, aſſumere poterit ſuccos cichorii fumariæ, & borraginis depuratos; poſtmodum ad iuris columbæ uſum

triginta ſaltem dies, accingetur ex ſalſa, china, uiſco quercino, & lentiſco, in aqua endiuię paratum, præmiſſo bolo ex ℈ i. extracti rhabarbari, & ℈ ſ. tartari vitriolati parato, ad hypochondriorum obſtructiones teſerandas, ſudore in lecto nulla violentia, ſi fieri poſſit, prolectato.

Tandem roborandus ventriculus, & caput ipſum Theriaca, ad ʒ ſ. tertio, aut quarto quoque die; quam ſi calor ambientis non admittat, aſſumat conſeruas abſinthii, betonicæ, & roriſmarini.

Ad Venerem autem excitandam generoſiora non proponam; moderatis contentus, Diamoſcho ſcil. Diambra, conf. alchermes, Diaſatyrio. Galangæ radix ore detenta erigit penem; optima quoque inunctio pudendorum, oleo de been, feruefacto cum formicis alatis, & tribus cantharidibus, addito pauco zibetto. Præſtantiſſima quoque inunctio adipe leonis, cum coagulo leporino. Confert ſemen erucæ ſaccharatum, Radix eryngii condita, Amygdalæ, Piſtacia; pinei nuclei ſaccharati, quæ omnia iam dicto ordine erunt uſurpanda; dummodo tamen ſputum ſanguinis non ſuperueniat, tunc enim ad illud dirigenda foret curatio, calidioribus omiſſis, & decocto lac aſininum eſſet præferendum, peracta purgatione. Quod prudenti iudicio Excell. Viri Aſſiſtentis committendum, à quo congrua quoque victus ratio, medicamentis proportione reſpondens inſtituenda.

XII.

DESTJLLATIO AD PECTVS.

LVbentiſſimo animo audio, Illuſtriſſimum Virum non parùm iam præſcriptorum, & adminiſtratorum præſidiorum uſu leuatum, cùm ab ambiente frigido hyemali tempore pectus eius longè minorem, quàm antea offenſam ſenſerit, & ſi aliquando moleſtiam ſenſibilem perpeſſus eſt, urinæ, vel alui beneficio ea oblituerit, roboratæ facultatis expultricis indicio. Tota, & integra nocte quieto gaudet ſomno, nulla deſtillatione, quæ iam quatuor horis ab aſſumpto cibo eundem infeſtare ſolebat, ſigno euidenti, quod natura catarrhali materiæ præpolleat, & coctiones inualeſcant nec amplius cruda adeò [a], & tenuis à capite delabatur, ſed craſſior, & magis concocta, inſiti [b] caloris opera retinetur; quinimò, & minori copia producitur. Sic ventriculus etiam proprias actiones multò perfectiores abſoluit, ciborum ſcil. coctionem, & retentionem, quæ omnia Illuſtriſs. Virum compulerunt ad repetenda eadẽ remedia, aut alia eorundem loco adminiſtranda, adipiſcendæ citius integræ ſanitati.

a De Tot. Morb. Tẽp. 3.
b 2. in 1. Epid. 6.

Cui ut ſatisfaciamus, ſupponendũ nobis eſt caput, & pectus eſſe partes præcipuè affectas, caput quidem ut partem producentem, atque mandantem; pectus verò, & pulmones, ut partes ſuſcipientes. Caput ſiquidem adhucnum intemperatum, calida nimirum, & humida intemperie laborat, licet minus, quàm antea, vnde & minor fit materiæ catarrhalis prouẽtus, atque hæc maiori parte per naturales ductus excernitur; partim verò firmata per ſuturas ab expultrice extruditur, atque in cruſtas ſicciſſimas denſatur; pulmones verò aliqua adhucnum laxitate flacceſcere cenſendum, necnon ventriculum labe aliqua, non quidem poſitiua, ſed priuatiua etiam affici.

Quibus omnibus, contrariæ medicæ intentiones ſunt obijciendę: caput enim nulla calefactione, adhuc exſiccandum; prout & pulmones exſiccatione roborandi; corroborato quinetiam utcunque ventriculo. Quibus indicationibus, remedijs non adeò, ut antea, operoſis, ſed facilioribus ſatisfacere curabimus.

Et primò in fonte Chirurgico venas ſedales aperire optimum fore credimus; necnon cauteria patentia ſeruare.

In Pharmaceutico, aluus lenienda pot. magiſtr. clarif. aut caſs. cum electuar. diaſebeſten; uel lenir. & tartaro. Inde humores primæ regionis præparandi iulap. acet. cortic. citr. uel cinnam. aromatiz. ad ℥ iii. cui immiſceri poterit crem. tart. ad ʒ iii.

& qui-

Google

& quidem ſine diluto, quinque, aut ſex diebus quolibet mane, quatuor ſaltem horis anteprandiũm aſſumendo. Præparati poſtmodum humores, præſcripto iam medicamento erunt minuendi, ut inde altius in venis hærentes præparari poſſint, decoct. cich. borrag. end. malu. beton. pulmon. farf. cui addi poterunt ſucci depur. borrag. beton. atque malu. ad ℥ iii. præmiſſo oxymel. ſacchatino ſatis diluto, ad ℥ ii. vel iii. quam præparationem continuabit Illuſtriſſimus Patiens per decem dies; qui humores præparati mox erunt electuarie purgandi pot. ex manna clariſ. iam dicta, infuſ. addendo agar. ʒ ij. & rhab. ʒ i. à qua haurire poterit aquæ hord. aut ſer. depur. ℔ ii. Quod ſi bolis potius delectetur, componantur ex caſs. elect. diaphœn. & de ſucco roſar. cui pariter ſerum, aut aquam ſuper bibat.

His peractis, pil. capitales opportuniſſimæ erunt, media nocte, à primo ſomno aſſumendæ, ſcil. aur. ad ℈ ii. coch. de agar. Meſ. & maſtic. an. ℈ i. à quibus ſummo mane pariter bibat aquam hord. aut ius hord. Quo tempore, matutinis horis, per erthina quoque erit caput expurgandum, ita parata. ℞. pulu. maior. ireos an. ʒ ii. nigellæ ʒ i. m. & attrahantur, inſtar tabaci.

Ab hac purgatione, ius erit exhibendum, quod & caput, & pulmones exſiccare, ac corroborare valeat, guſtui non iniucundum, cuius uſus Patienrem Illuſtriſſimum, à conſuetis exetciriis, ac operationibus reuocare minimè poſſit, hoc tantùm obſeruato, ut torum corpus die ueſtibus benè munitum ſit, & cœna ſit parca, ut iuſculum citius ventriculum præterfluat, & ad venas permeet, ita paratum. ℞. radic. cannæ mont. radic. roſar. ſantalor. alb an. ℥ i. lentiſci è Chio ℥ ſ. aquæ cich. ℔ ii. capil. Vener. beton. an. ℔ i. m. f. infuſ. per horas 24. deinde adde dimidium pulli iunioris, bul. ad conſumpt. dimidij, & colat. ſeru. pro tribus vicibus, matutinis horis aſſumenda; cui præmittatur bol. ex ʒ ſ. terebinth. noſtræ, cum gr. vi. butyri ſulph. Hoc enim decocto non liquabuntur adeò humores, ut caput petant, & impleant, ſed tantùm, ut per vrinam duci poſſint. Intetim exſiccabitur caput, & pulmo, atque utraque pars cotroborationem adipiſcetur. Eodem verò tempore Caput cruſtulis illis detergendum, præmiſſa inunctione ex ol. amygdal. & de tart. miſtis; poſtea puluetes erunt toti capiti inſpergendi parati ex cornu ceruino, iride florentina, oſſibus ſepiar. crematis, caryophil. prius in aqua roſ. maceratis, & exſiccatis, & maiorana pariter exſiccata, parato ex his omnibus miſtis puluere, capiti, & capillis inſpergendo. Tandem conſerua aliqua erit in uſum ducenda è floribus botridis; cui addatur puluis pulm. vulpis præp. cuius loco erit, uel butyrum ſulph. uel lac ſulph. ſumenda ſub ingreſſum lecti.

Et his omnibus congrua victus ratio, Viro Illuſtriſ. nota accedat. Ab aſſumpto cibo quandoque duo, aut tria grana maſtiches integra deuoret; & vinum medicatum ſit ſantalo, & ligno ror. mat. an. ℥ i. pro qualibet ſitula. Quæ iam propoſita, pro ſtatu commodiori Illuſtriſ. Viri, ſalutaria à ſummo Deo enixè precor.

XIII.

DESTILLATIO AD PECTVS.

ILluſtriſs. Iuuenis, annum agens 21. temperamenti totius ad calidum, & ſiccum vergentis, hepatis calidioris, humidioris capitis, primis annis frequenti hæmorrhagiæ obnoxius, dum abſtemius erat; mox cùm cœperit bibere vinũ, ab huius uſu, anno tranſacto, uniuerſali ſcabie correptus fuit, quæ expurgatione totius, & balneo uniuerſali fuit curata; ſed quoniam ſtatim liberaliori victus ratione fuit uſus, ideo in moleſtam à capite deſtillationem ad partes ſpiritales incidit, cum difficultate reſpirationis, & tuſſi moleſta, ac excretione materiæ, aliquando craſſæ, ſed albi coloris; quibus omnibus paulatim macies inſueta totius ſucceſſit, ob quam Medici præmiſſa expurgatione ad balneum Aq. dulcis alteratæ deuenerunt, fixam, & hecticam febrem forſan veriti; imò in eundem finem uſum lactis Capr. inſtituerunt, à quo tamen malè habuit Nob. Pat. capitis enim grauitatem; imò & vertigines pati cępit per dies perdurantes, poſtea tamen euaneſcentes. In præſens autem flatibus hypochondriorum moleſtatur, cum euaporationibus caput petentibus, & ſingulo menſe moleſtiam ex catarrhali deſtillatione, licet non adeò inſignem patitur, recrudeſcentem magis hyemali tempore, ſub Aduentum, & Feſta Natalitia. Fratres habuit, quos tamen infantes copioſa deſtillatio iugulauit.

Nobiliſſimum adoleſcentem, ab ortu viſcera naturalia intemperata, ſicut & caput humidiſſimum ſuiſſe ſortitum, ex eo patere poteſt, quod plerique eiuſdem fratrum, adhuc tenell i à catarrho ſuffocati fuerunt; ſed & euidentius, quòd primis annis infantiæ, hęmorrhagiæ frequenti fuerit obnoxius, tum humidi capitis quidem indicio, quam propterea vni homini contingere, quia magnum, & humidum prę cæteris animalibus, cerebrum habeat,
a 11. Probl. 2. conſiderauit Ariſtot [a]. tum tenuis, acris, atque vitioſi ſanguinis argumento, à calidiori iecore geniti, cuius ratione, hæmorrhagię ſuppreſſæ accedente vini potu inſueto, ſucceſſit uniuerſalis ſcabies; obſeruauit enim Celſus, [b] quod quibus in pueritia ſanguis ex naribus
b 2. de Re Med. 7. fluxit, deinde fluere deſijt, hi vel capitis affectionibus, vel alio quopiam morbo conflictantur. Scabiei verò curatę, ſed abſque totius maſſæ ſanguineę purificatione, Iecoriſue accõmodata contemperatione, ſucceſſit capitis deſtillatio copioſa; ſiquidem cerebrum natura calidum, & maximè humidum (cuius cauſa lactis [c] uſum tolerare minimè ualuit) facilè
c 5. Aph. 65. vitioſos vapores ab hypochondrijs, & humores [d] à toto venoſo genere ſuſcipere potuit,
d 2. de diff. Feb. 11. & Aetius. qui à debili eiuſdem natiuo calore non diſcuſſi, neque concocti, expultricem facultatem irritantes, & potiſſimum retentricem laxantes, fluxiones excitarunt, & excitant; eadem ratione, qua ex mala coctione uẽtriculi [e] diarrhœa contingere ſolet. Quoniam verò partes
e 3. de Symp. Ca. 4. imbecilliores, in Nobiliſſimo adoleſcente, ſpiritales potiſſimum fuerunt; ideo catarrhalis deſtillatio in pulmones decumbens, & expultricem facultatem irritans, tuſſim excitauit; cuius portio craſſior, bronchijs inhærens ſpirandi difficultatem induxit, quę tunc ceſſare videtur, quando materia concocta per tuſſim, craſſa, ſed alba excernitur; qui affectus ter quaterue anni ſpatio inualeſcit, & potiſſimum frigido aduentante [f] anni tempore, con-
f 3. Aph. 22. ſtiparis ſcil. poris, & impedita inſenſibili tranſpiratione, atque humorum per vniuerſalem diaphoreſin euacuatione.

Ab his autem ut uindicetur Nob. Pat. modò nos conſulit, in cuius gratiam aliquid certè moliendum; deſtillationes enim in pulmones peſſimas, imò peſtiferas appellabat Celſus;
g 2 Prog. 49. ſicut Hipp. [g] ijſdem aduerſariſſimas, prout enim hucuſque actionem lædere cęperunt, uitæ adeò neceſſariam, utpote quæ [h] ingenitæ caliditatis moderationem ſeruet; ita in poſterũ
h 5. in 6. Epid. 5. & læſio augeri, orthopnoicaque fieri, necnon pulmonum flacciditas, ac proinde ſecunda
i 1. in 2. Epid. 17. Phthiſis [i] Hippocratis contingere poſſet. Verùm quoniam anni tempus curationem eradicatiuam non permittet; ideo minoratiua ſaltem contenti, reliquam in proximum Autumnum differre cogemũr.

Quare aduerſus cauſam fouentem pręſens erit inſtituenda purgatio, primas uias mundando;

Digitized by Google

dando, hypochondria aperiendo; venoſum genus depurando; & iecoris calidam intemperiem corrigendo; quibus addi poterit etiam aliqua capitis expurgatio.

Primam autem intentionem implebit leniens, potio ſcil. ex manna clarificata, cum crem. tart. & aquæ flor. citri pauxillo. Inde præparanda materia oxymel. ſimpl. ad ℥ iii. cum ʒ iii. crem. tart. & ℥ ſ. aquæ cinnamom. idque ſex continuis diebus; à quibus repetendum leniens ante propoſitum, addendo infuſ. conſuetæ agarici ʒ iii. cui ſuperbibat, incepta iam euacuatione, mulſæ dilutæ, ex aqua hordei paratæ ℔ ii. & aliis duabus poſt horis, prandeat. Secundæ intentioni ut ſatisfiat, octo dies, ſummo mane bibat Nob. Adoleſcens cyathum aquæ agrimoniæ ſtillatitiæ, in qua diſſoluantur tart. vitriol. gr. x. ſed die ſecunda, hora vna ante prādium, baſilicam, aut medianam dextrā ſibi tundi permittat, ad ſex, vel ſeptem ſanguinis vnicas educendas, & octo ab hoc diebus, aſſumat pil. de tribus cum Rhab. elect. lenit. miſtas. Cæteris duabus intentionibus ſatisfacere poterunt ſucci depurati, ex cichor. borrag. & beton. ad ℥ iii. in decoct. ſonci, maluarum, agrimoniæ, lupulorum, pulmonariæ, in iure parata; in quorum vſu, ſaltem ad xx. dies perſiſtat. Sed interim capiti expurgando, quarto, aut quinto quoque die, ſumat pil. cochias, aureas, & de Agarico Meſues, tribus ſaltem vicibus; atque reliquis diebus, matutino tempore errhino utatur, more tabaci, ex pul. maioranæ, nigellæ, & rad. Ireos Florent. pararo.

Tandem 20. poſt diebus ex uſu erit potio ex manna clarificata, epota inde mulſa, ut ſupra, qua purgationem abſoluat, partibus aliquam roborationem conciliando, ſale abſinthii, in exiguo vino diſſoluto, vel conſ. e flor. beton. anthos, borridis, ſub ingreſſum lecti, aſſumptis.

Victus rationem quod ſpectat. Fugiat aeris, tum frigidam, tum calidam inclementiam; alimenta pariter humida, & vaporoſa, ut lactaria, lactucas, allium, cepas, apium, fœniculum, Vinum generoſum. Vitet ſomnum meridianum, labores ante cibum admittat. Coitus dimittatur, donec curatione proximè futuro Autumno perficiēda, & capiti, & pulmonibus proſpectum fuerit: deſtillationes enim Venere [k] reuiuiſcunt. Et licet ex Hippocrate Morbi à pituita coitu ſanari videātur; vnde Timocrates pollutionibus nocturnis à deſtillatione fuit liberatus; fuit tamen bono habitu, & valido naturali calore donatus, catarrhus inſuper calidus, & acris erat. Si aluus ſpontè non reſpondeat, ſolicitetur bis in menſe, ʒ ſ. pil. maſtich. cum gr. x. extrac. mechoac. Vitet animi perturbationes, & hoc tempore literarum quinetiam ſtudia.

[k] 5. in 6. Epid. 23 & 28 & Ariſ. 1 & 4. Probl.

Verùm quoniam potiſſimæ indicationi ſatisfaciendum ſupereſt, ſine qua præſtitum nihil erit, quæ eſt deſtillationis fontem, caput ſcilicet exſiccare, & pulmones roborare; huic ideo proximo ineunte Autumno, omni induſtria erit incumbendum; ſiquidem catarrhus [l] omnium morborum fons & ſoboles eſſe poteſt, cuius vi totum corpus languere, naturamque frangi dicebat Hippocr. Quare præmiſſa primarum viarum, totius, & capitis expurgatione, moderatè calefacientibus, incidentibus, attenuantibus, & detergentibus, tum cephalicis, tum pectoralibus, ad decoctum exſiccans, cum ſudore in hypocauſto erit deueniēdum, ita parādum, ℞. lig. viſc. querc. ℥ i. ſ. ſalſæ elect. lig. ror. mar. chin. opt. an. ℥ i. rad. enulæ ℥ ſ. Aq. ſtill. beton. cichor. pulm. an. ℔ i. m. f. infuſ. per horas 24. deinde bull. ad conſumptionem dimidij, & col. ſeruetur pro tribus diebus, ſummo mane aſſumenda, atque hora poſt, includatur hypocauſto, in quo primis diebus, non diù maneat, & potius ſudet in lecto; in progreſſu verò ad ſemihoram, & diutius moretur. Sudare verò pergat cum decocto, per 40. dies, & ut ſudor facilius proliciatur, cum eodem ſumere poterit bolū huiuſmodi ℞. extr. ſalſæ ℈ i. pul. viper. gr. vii. m. refor. b. & aur. Victus autem ſit quidem attenuans, at non adeò tenuis, qualis gallico infectis præſcribitur. Quare tertio quoque die cōcedi poterit, aliquando ptiſana hordeacea, aliquando pullus columbinus turticola, vel quiſpiam alius iunior, ſed aſſus, vel modicum carnis vitulinæ, aut veruecinæ, aſſa tamen omnia. Potus erit infraſcriptus. ℞. reſiduum decoct. cui adde aq. com. opt. ℔ xii. m. bull. ad conſumpt. tertiæ, & in fine ebull. adde cinnam. integr. ʒ ij. bull. parum, & colaturæ adhuc calenti affunde ſacch. fini ℥ iv. pro potu conſueto.

[l] 1. de San. Tuen. 8

Capite exſiccato, & quodammodo pulmonibus ipſis, eorundem exſiccatio, atque roboratio perfici poterit aquis ſulphureis, per os aſſumendis, ad 12. dies, cum vehiculo deiectorio: nullum enim præſtantius in Arte dari poteſt remedium; quod tamen, nonniſi prius exſiccato capite conuenire poteſt, cùm id ipſum petat, impleat, & fundat, ſicque deſtillationes adaugeat; cùm tamen capite exſiccato, nullo alio incommodo ipſum validius adhuc exſiccet. Inde in uſum ducere poterit bolum ex conſerua aliqua pectorali, ex rad.

enulæ,

enulę, pulmone vulpis præparato, & butyro ſulphuris, ſ.a. paratum.

Et tandem congrua victus ratione uiribus inſtaurandis erit incumbendum; atque interim uinum medicatum, in totam hyemem erit pro menſa parandum, ex lign. rotiſmar. lentiſc. & ſantal. ad ℥ i. pro qualibet ſitula, abſque ulla alia ebullitione; vinum enim ex ſe abundè extrahit facultatem à lignis, tuncque de ſormoſa, & ſibi cariſſima uxore ducenda cogitare poterit. Quæ omnia D.O.M. proſpera, & ſalutaria reddat.

XIV.

DESTILLATIO SALSA AD PECTVS, cum Tuſſi.

NOb. Iuuenis ſtudioſus 26. annorum temperamenti calidi & ſicci, gracilis habitus, capillis nigris, confertis, & promiſſis, cuius caput leui de cauſa externa afficitur, multis abhinc annis moleſtatur à copioſa humiditate cruda, & tenui, à capite per nares, & os defluente, cum eiuſdem frequenti expuitione; quæ defluxio in dies ſemper ingraueſcens, imò ſalſa, & actis facta gingiuas modò exedit, necnon fauces ferè exulcerat. Præterea tribus abhinc menſibus, Autumno ſcilicet ineunte, tuſſicula quadam corripi cępit, ut plurimùm irrita, & moleſtiſſima, cum aliquo ſenſu eroſionis, & puncturis in pectore; cuius cauſa noctes plurimas inſomnes ducit, graciliorque factus eſt, nulla tamen febre. Modò de agendis conſulit.

Copioſa, & præceps deſtillatio [a] humidæ [b] materiæ à capite in ſubiectas partes, non alio, quàm catarrhi nomine nuncupati poteſt, idque potiſſimum, cùm in [c] os defluat; niſi velimus ſtrictè loquentes, branchon, & raucedinem appellare; quia ad fauces, guttur, aſperam arteriam, imò & ad pulmones ipſos peruadat. Hæc autem ſymptoma [d] eſt in excretis immodicè fluentibus, cuius eſſentia in motu eſt; quoniam autem ad conſtitutionem cuiuslibet motus quinque ſemper concurrere ſolent conditiones, Motor, Mobile, Terminus à quo, Terminus ad quem, & Spatium per quod. Motor hoc caſu eſt imbecillitas, tum concoctricis, tum retentricis facultatis ipſius capitis; unde dicebat [e] Gal. quod *Fit huiuſmodi affectus, vt fit in ventre diarrhœa, ex mala coctione*. At quoniam & hoc eſt ſymptoma in actione læſa; ideo pendet ab intemperie calida & humida, quam Nobiliſs. Pat. capillitium manifeſtat, & eiuſdem caput, ab externis [f] facilius, quàm ab internis noxæ opportunum atteſtatur; quàm intemperiem & ipſe Galenus, [g] huius motus auctorem ſtatuit. Hæc autem continuò producit materiam pituitoſam, copioſam, tenuem, & ſalſam, ex commiſtione bilioſæ ſeroſitatis, non ſolùm tranſmiſſæ, ſed etiam ob ſtudia attractæ à toto; quæ utpote [h] cruda, & à calore natiuo non ſuperata [i], cerebri retentricem aggrauans, & laxans, in ſubiectas partes præcipitat; atque adeò tres ad motum alias conditiones neceſſarias conſtituit; nam & modò ab ambiente frigidiori facta materiæ tenuis ad interiora expreſſione [k], tandem in anguſtiores penetrauit aſperæ arteriæ uias, & in pectus ſeſe inſinuauit; cuius portio aliqua per parietes ipſius paulatim delabens, ſalſedine, & acrimonia puncturas, & eroſionis ſenſum excitauit; alia verò affatim in pulmones irruens, eorum expultrice irritata, tuſſim mouit, ſæpius quidem inanem, quia materia, ut tenuis, præterfugit pulmonis impetum; quæ tamen moleſtiſſima ob perpetuum irritamentum, atque vnà cum capitis immoderato calore, vigiliarum etiam cauſa fit; à quibus ſimul conſpirantibus concoctiones malè ſe habere neceſſe eſt; difficilis enim ſuccedit in uentriculo ciborum amplexus; tum ob pituitam in ventrem delabentem; tum ob frequentiorem tuſſim, deficitque ex vigiliis concoctio, quæ ſomno [l] & quiete celebrari ſolet, unde nil mirum, ſi gracilior tandem factus ſit Nobiliſſimus hic Patiens.

Eſt autē hic affectus non ſpernendus [m]. *Catarrhus enim ex ſe omnium morborum fons, & ſoboles eſſe ſolet, cuius vi ſæpè totum corpus languere videmus*. Sed præterea eſt ſalſus; pituitam autem acidam, & ſalſam Plato [n] exiſtimauit omnium morborum, qui deſtillatione fiunt, originem eſſe; qua ratione iure Hipp. deſtillationes huiuſmodi malignas appellabat, & pulmonibus,

a 5. de San. Tu. 12.
b Paul. 3. de r: Med. 28.
c 3. de Sympt. Cau. 4.
d Ibid.
e Ibid.
f 3. Aph. 5
g Art. Med. C. 19 & 5. de Sanit. Tu. 12.
h de Tot. Mor. Tēp. 30.
i 2. in 3. Epid. 6.
k de Loc. in Ho. 25.
l 5. in 6. Epid. 32.
m 1. de Sani Tu. 8.
n 8. de decr. 5.

nibus [o] aduerſariſſimas, ſiue præcedant, ſiue ſequantur alios eorundem affectus. Sic & Celſus [p] dicere ſolebat. *In nares, leue malum; in fauces peius; in pulmones peſſimum; quare neglecta longa eſt; qua peſtifera euadit, ſi pulmonẽ exulceret.* Difficilior adhuc redditur curatio, cũ ſit ferè [q] innata huic patienti affectio; & quia hybernum tempus viget, raucedinum ferax [r]. Sedulò itaque ad curationem accedendum, ut à ſanguinis ſputo præſeruetur, & hac moleſta tuſſi liberetur. Quod conſequi nos poſſe ſperandum, cum Patiens iuuenis, & prudens ſit, nec ullum adhuc expertus fuerit remedium, imò nec mediocri victus ratione vſus ſit.

Fontem ergo [s] *mali tollere oportet, caput ipſum firmando*. Quod præſtabitur, materiam genitam [t] euacuando, & intemperiem ad contraria alterando. Quæ omnia proprio ordine exequenda, ita ut primò totum ſit euacuandum. Secundò caput. Tertiò reuellendum; & quia infernæ partes etiam conſentiunt, hæ corrigendæ. Quartò caput per contraria alterandum, moxque roborandum. Quintò partes, ad quas, & per quas defluit materia, muniendæ, eàndem alterando, reuellendo, intercipiendo, & deriuando. Quibus implendis, remediorum materiæ à tribus conſuetis fontibus deſumendæ.

o 3. in 6. Epid. 18 & 2. Progr. 49.
p Cel 4. de Re Med 2.
q 6. Aph 2.
r 3. Aph. 23
ſ 6. de Sanit. Tu. 9.
t 1. ad Glauc. 2. & de Loc. in Hom. 42.

Græcorum verò nullus, excepto Gal. ſanguinem mittit, & quidem præſente [u] plethora, cum virium robore; qui alioquin prius cacochymiam auſert, ægrum nutrit, & poſtea ita ſerrente occaſione, ſanguinem mittit. Arabes omnes, materia calida præſente, præcipuè ſi fluat, & pungat [x] pectus, tuſſimque excitet ſanguinem mittunt; niſi tamen valdè acris, & cholericus fuerit. Rhaſis, dum facit pruritum auris, & palati. Educatur itaque ſanguis, caſu præſenti, ſi non ut cauſa coniuncta, ut antecedens ſaltem, & ſi non ut principalis, vt coadiuuans, & vt cauſa ſine qua non, iſque ex latere dextero, aut magis affecto; atque poſtea cogitandum fuerit de pauca euacuatione hæmorrhoidali, ad uaporum ſurſum exhalantium reuulſionem, venarum pectoris inanitionem, & ſanguinis ipſius refrigerationem. Cucurbitulæ quoque, diuertendæ, & reuellendæ fluxioni peropportunæ erunt; imò & magna, nuchæ applicata, magnoperè reuocat fluxiones à pectore. Optimæ quoque frictiones, lotiones, ligaturæ. Cauteria duo inurenda cenſerem, alterum brachio ſiniſtro; alterum verò coxæ dexteræ. Nec deſunt, qui occipiti quinetiam, imò & ſuturæ inurunt; à quo tamen, in hoc, & huiuſmodi caſibus, abſtinendum ſuadeo, ob materiam, & intemperiem capitis calidam, & ob conſenſum eiuſdem ab infernis partibus; quod fermè dixerim de ſetaceo. Inunctiones à Tral. propoſitæ, tanquam inutiles in frigido, & ſuſpectæ in calido catarrho omittendæ. Rubificantia ex ſtercore columbino, & ſtaphiſagria appoſuit Gal [y]. felici ſucceſſu, in huiuſmodi catarrho calido, Matronæ illi Romanæ, ad impetum fluxionis reuocandum, & diuertendum, non verò ad cauſam tollendam; unde malè Tral. eundem arguebat. Nobis tamen ab hiſce dubiis medicamentis abſtinendum exiſtimo; cum in omnibus non ſit conceſſum eundem imitari; præterquamquod tutiora quidem ſunt in frigido; ſuſpecta tamen in conſenſum ab infernis partibus habentibus. Aetii quoque eadem eſt ſententia, qui ipſi Gal. [z] contrarium alibi ſtatuenti adſtipulatur. Quare tutius erit, ad euacuantia, reuellentia, aliò diuertentia, & intercipientia, in principio, deuenire; potiſſimum verò nulla urgente neceſſitate, nullaque hucuſque apparente excretione cruenta, prout in illa Matrona Romana. Ceratum tamen huiuſmodi ſupra ſuturam coronalem non poſthaberem. ℞. ſantal. rubr. baccar. myrti, ſem. plantag. an. ʒ i. agar. pulueriz. ʒ ſ. beton. ʒ ii. ol. myrt. roſ. an. ℥ i. ceræ q. ſ. m. ad ignem, ref. ceratum. Vel ℞. pulu. pumic. ſant. rubr. roſ. rubr. an. ʒ i. ol. myrt. cydon. an. ℥ i. ceræ q. ſ. m. ad ignem f. ceratũ capitale.

u 5. Meth. 14
x Auic. 3. 1 Tract. 5 Cap. 6.
y 5. Meth. 13.
z 6 de Sanit. Tu. 9.

Mobile verò expellendum Lenientibus, Præparantibus, & Purgantibus. Leuientia eſſe poterunt, caſsia cum manna; vel ſyrupus roſatus ſolutiuus; uel manna ipſa clariſ. cum infuſ. ſennæ, & crem. tart. Præparantia verò ſyr. viol. de papau. de iuiubis, cum decoct. nymphex, violar. roſar. lactucæ, end. portulacæ. Syr. item de nymphea, roſ. de ibiſco, de pomis, cum decoct. beton. end. malu. roſar. liquir. hordei. Interim in via, per quam decurrit intercipienda mobilis materia, ne terminus ad quem, pectus ſcil. illam ſuſcipiat, idq; ſiſtentibus, quale eſt diacodium [a], quod ſomnũ ſuauem conciliat, & quod influxum reprimit, Diatragacanthum cum bolo, diapenidium, pilulę bechieæ Rhaſis, conſerua viol. nympheæ, emulſ. [b] ſem. pap. & lactucæ, aqua lactucæ, diaſpermaton, Bolus armena, grana thuris, & maſtic. hora decubitus, & tandem laudan. opiatum, & Ther. recens. Purgant tenuem materiam, non expectata coctione, elect. de ſucco roſ. diaſebeſt. ſolut. Agar. Troch. de violis cum ſcammonio, Pot. ex decoct. tamarind. cum elect. de ſucco roſar. Pilulę aureæ, de rhab. maſtic. aggregat. ſine quibus, & ex aloe. Nec quidquam hæſitandum in uſu purgantium: Gal. enim [c] & ipſe, purgationis cauſa, exhibuit pil. ex aloe, ſcammonio, colocyn-

a 7. Per Loca 2.
b 2. de Alim. Fac. 31. & 9. Simpl.
c 5. Meth 14. & Auic.

thide, agar, bdellio, & gummi arabico; quorum tamen tutior fuerit uſus, ſi incepta euacuatione bibendum detur ſer. capr. præp, aut aqua hord. ad ℔ ii. uel iii.

Terminus etiam à quo, caput ſcilicet, expurgandum errhinis, aut aqua hord. cum manna, mulſa, rad. betę; lacte cum elaterio, aut diagrydio. A ſternutatoriis in principio abſtinendum; coctionem enim prohibent, quæ quiete perfici ſolet. Collutiones oris fiant aqua hord. uiolar, decoct. malu, liquiritię. Gargariſmi verò aqua frigida, aqua roſ. in quibus diacodium diſſolui poterit; necnon aqua hord. cum ſucco mororum, vel aqua plantag. cum ſucco agreſtę, Maſticatoria, ut ſuſpecta, omittantur.

Motorem tandem, intemperiem ſcilicet, contemperabit decoct. ex ſantalo, china, hordeo, præmiſſo bolo ex corall. ſantalo, & cornu C. uſto, Et quoniam à iecore calidiori incaleſcit caput, & materia ſalſeſcit, eius intemperiem moderabuntur ſer. capr. ſuccus cich. aquę ſtill. conſeruæ roſ, viol, nenuph. quibus tamen valentiores erunt aquæ acidulæ, & ferratæ, ut B.V. Lucenſes, Calderianæ, Ficuncellæ, Acidulæ. Extrinſecus Balneum eſt celebre remedium; attamen pleno corpore, & deſtillatione adhuc cruda, non conuenire cenſeo, quia fundit; licet Auic. ſcribat, in calido non eſſe multum malum; ſi ergo concocta materia, uel corpus non fuerit uſque adeò pleuum, tutum erit; reuellit enim à capite, & modicè digerit, ut in Matrona illa Romana. Lotiones capitis fiant in declinatione, ieiunè, decoct, nymphea, roſ. beton, ſantal, maioranæ, Illitus, & Perfuſiones, prout antiquitùs, ex ol. uiol. roſac. Stillicidium futuræ ex aqua Laſtrenſi, ex Aet, actu frigidum; ex Auic. verò actu calidum, & potentia frigidum, Pulueres inſpergendi capiti ex roſis, beton. roremar. iunipero, ſantalis, coralliis, cor, C. oſſibus ſepiarum. Suffumigia ex aqua roſar. in qua ebull. roſæ, ſantal. ſol, nenuph. violæ, ſem. lini, prius in aceto per diem macerat. ex uernice, iuxta Auic, utrique enim catarrho prodeſſe aſſerit ipſe,

A proprietate verò canina pellis, cuilibet digitorum manuum circundata, deſtillationes arcet. Radix item Verbaſci collecta à die 15 Auguſti, ad 8 Sept, luna decreſcente, mundata, & exſiccara in umbra, auro incluſa, & collo appenſa præſeruat à catarrho; in Mulieribus tamen cautè, nam conceptum impedit, Inunctio narium balſamo ſuccini; imò & ſuccinum odoratum ſiſtit catarrhum.

d Cel. Loc. Cit. Victus ratio ſit huiuſmodi[d]. *Deſtillationes in principio, rarò ſit, vt ſi biduo, vel certè triduo nobis temperauerimus, non leuentur*, At quia hæc confirmata eſt, ita ſe gerat, Fugiat aerem ſeptentrionalem, maximè poſt auſtralem; auſtralis enim repler caput, ſeptenttionalis exprimit; ideo caueat etiam à repentinis murationibus calotis, aur frigoris. Caueat item à radiis ſolaribus, & lunæ. Caput neque frigeat, neque æſtuet; habita tamen ratione conſuetudinis, ac totum corpus tranſpirabile ſeruetur; nec cooperiat caput diu magis, quàm noctu. Vitentur cibi concoctu difficiles, uaporoſi, acres, excrementirii; dimidia pars cibi demenda, & ſitis, quantum fieri poteſt, toleranda; ſanatur enim pauciori cibo, & minori potu; & verbo, quiete adhibita, & vitatis calore, & frigore; *Eſuriant, vigilent, ſitiant, qui rheumata curant*. Cœna ſit parcior prandio, ex Meſue, & Conciliatore contra Curtium, & Oddum; imò Schola Salernitana ſcribit, hos omnes ieiunare debere; ſitiendo enim fameſcendo, ſudando, laborando, vigilando, mucos expellendo ad nihilum redigitur. Mel tenues
e 7. per. Loc. 2. fluxiones adauget; conuenit[e] ſapa. Abſtinendum à Sole, Balneo, Vino, Venere; Vinum tamen admittit Gal. imò & Auic. poſt maturationem, ſed temperatum; namque humectat, attemperat bilem, & per lotium, & per ſudorem euacuat; ſit autem ſubdulce, Vigilet quantum poteſt, dicit Auic, de frigido tamen potius, quàm calido catarrho loquens. Prodeſt capite obuoluto degere, & nunquam ſupinum dormire. Motus membrorum inferiorum valdè iuuat, qui aliàs in principio nocet, iuuat in declinatione. Atque hæc pro præſeruatione ſatis, Coitus cum Epicuro nullus, cum Gal. moderatus; deſtillationes enim Venere reuiuiſcunt. Et licet Hipp. ſcribat, morbos à pituita, coitu ſanari, quod & ab Ariſt. confirmatur; id tamen intelligendum de moderata, & opportuna Venere, calore valido, & firmo habitu, catarrhoque calido, quæ alioquin prohibetur ab eodem Hipp.

Balnea, Vina, Venus corrumpunt corpora noſtra;
Sed vitam faciunt Balnea, Vina, Venus.

Vitet animi perturbationes, Abſtineat à ſtudijs, quantum fieri poteſt, & à negotijs quibuſcunque,

REIE-

XV.

REIECTIO SANGVINIS A PVLMONIBVS.
Pro eodem.

IVuenis Nob. ſtudioſus, 26 annum agens, gracilis habitus, pectoris anguſti, colli oblongi, & prominentium ſpatularum, temperamenti tum ſecundum totum, tum ſecundum iecur, calidi, & ſicci; capitis verò calidioris, & humidioris, tribus abhinc annis, moleſtiſſimis deſtillationibus obnoxius, iiſque ſalſis, & acribus, gingiuas erodentibus, Autumno proximè prætetito, tuſſicula exerceri cœpit, ut plurimùm ſicca, nonnunquam & cum excretione exiguæ pituitæ ſalſæ; quæ neglecta tota hyeme perdurauit, ſuperiori quinetiam menſe Aprili inualeſcens, quo bis obſeruata fuere ſputa pauciſſimo cruore tincta, quæ tamen Pat. ad medica auxilia compellendi vim non habuerunt. Quare tuſſi perdurante vſque in hunc diem, tandem hodie, prægreſſis aliquot cruentis ſputis per tuſſim, ſucceſſit ſanguinis excretio, bis repetens, ad ℥ v. qualibet vice; ſanguis autem, ut obſeruare eſt, floridus, & ſpumoſus effluit. Modò alia quædam ſputa ſanguine permiſta, tuſſi excernere perſiſtit. Statim itaque nos accerſitos de agendis pro ſalute conſulit.

Sanguinis per os excretionem, quæ contigit hodie huic iuueni, à partibus ſpiritalibus profluxiſſe, pro comperto habendum; ſiquidem cum [a] tuſſi contigit, prout, ſi à gula, & ventriculo, vomitu; ex faucibus, & gurgulione ſcreatu; ex ore, ſimplici expuitione eiectus fuiſſet; atque ex capite, cum præcedenti eiuſdem dolore; & ex naribus, ſtilla: fit enim aliquando, ut & ipſe tuſſim moueat. At quoniam non vnica eſt pars ſpiritalis, à qua emanare potuerit; ideo à pulmonibus certò effluxiſſe credendum; quia floridus, & [b] ſpumoſus obſeruatus eſt. A venis autem expelli potuit, ab aliqua trium cauſarum, vel ab omnibus ſimul iunctis; nempe aut à facultate vas recludente; aut à ſanguinis vitio; aut ab affecto vaſe; quas quidem omnes, caſu præſenti, concurriſſe deprehendimus. Et primò quidem uim facultatis expellentis, ob moleſtam tuſſim. Secũdò ſanguinis vitium, acrimoniam ſcil. ac mordacitatẽ, tum ob iecoris intemperiem calidam, tum ob catarrhi ſalſi in vẽtriculum delabentis, indeq; ad venas cum ſanguine permiſtionem. Tertiò vaſorum affectionem, naturalem videlicet imbecillitatem, ob pectoris anguſtiam; mox eorundem offenſam; quæ quoniam quadruplex eſſe [d] poteſt Anaſtomoſis, Diapedeſis, Diæreſis, & Diauroſis, harum quæ ſit, à nobis indagandum. Anaſtomoſis autem, quæ eſt oſculi reſeratio, eſſe non poteſt; inopinatò enim, ſine præcedenti ſputo cruento, & multus [e] ſtatim ſanguis effundi ſolet, præcedentibus cauſis calefacientibus, aut cibis calidis, balneis, & alijs huiuſmodi, in temperamento calido, & humido, habituque plethorico. Non Diapedeſis; paucus enim foret, valdè ſeroſus, & ſputa tantùm cruore inficiens. Nec diauroſis, ſeu ruptura; non enim præceſſit [f] cauſa aliqua diſrũpens, ut vox violenta, caſus, ictus, pondus, frigus, copia ſanguinis, flatus. Quare concludendum reſtat, Vas Diæreſi, hoc eſt eroſione laborare, primò quoniam hanc poſtremam copioſam profuſionem præceſſerunt [g] ſputa cruenta, deſtillatio ſalsa, immoderata applicatio, temperamentum iecoris calidum, & ſiccum, cum habitus gracilitate; unde ſupponitur ſanguis in venis acris, [h] & mordax, qui intrinſecus potuit venæ tunicam erodere; ſicut extrinſecus deſtillatio à capite ſalſa eodem tempore hoc idem præſtare; atque adeo à cauſa, tum intrinſeca, tum extrinſeca, rarefacta tunica, ſanguis antea tranſudauit, & ſputa cruenta reddidit; verùm ulterius mox eroſione progreſſa, & tandem tunicę vnitate ſoluta, ac laxata, affatim, & copioſè ſanguis erumpere potuit, & per tuſſim excerni; poſt quam copioſam repetitam excretionem, modò adhucnum perdurant ſputa aliqua cruenta, à ſanguine extra venas in pulmonibus ſubſiſtente.

a 4. de Loc. Aff. 5.
b 7. Aph. Com. 30 & 5. Meth. 8.
c 5. de Sympt. Cau. 2.
d 5. Meth. 2.
e Tral. Li. 7. C. 1. & Paul. 5. de Re Med. 31. & Aet. Tet. 2. Ser. 4. Cap. 59.
f Tral. ib. & Paul. ib. & Aet. ib.
g Paul. ib. & Aet. Loc. Cit.
h 5. de Loc. Aff. 8.

Huius itaque affectus feſtinanda curatio; cùm, *Tarditas* [i] *ſit præcipua interitus cauſa*. Et ideo dicebat Gal. quod, *Cùm vas in pulmone ruptum eſt, niſi protinus glutinatum fuerit, antequam phleg-*

i 5. Meth. 13.

mon excitetur, ſcire apertè licet, id poſtea inſanabile fore. Et ratio eſt, quòd excitata in labiis vlceris inflammatione, eadem & excalefacta, & tumentia coaleſcere non poſſunt; unde fit pus, ac proinde à ſanguinis ſputo putis ſputam. Statim itaque agendum, ut inhibeatur inflammatio. Hinc dicebat Gal. *Omnes, qui ſe mihi primo die curandos commiſerunt, ſanaui; qui verò poſt duos, aut tres, non omnes; quotquot autem phlegmon occupauit, ita ut febricitarent, nullus eſt omnino perſanatus, ſed callo exſiccantibus obducto, longiorem vitam duxerunt*. Suſcipienda tamen curatio [k] prenunciato periculo, & propoſita difficultate, [l] in ſanguine ſiſtendo, [m] inflãmatione inhibenda, ulcere conſolidando, uitioque [n] ſanguinis, & venarum corrigendo.

k Tral Li. 7 Cap. 1.
l 5.Meth. 11.
m Cel. 4. de Re Med. 4.
n 5.Meth. 3.& 8.
o de Sang. Miſſ 7. 5. Meth.3.& 3.Prog.23
p 5 Meth. 14.
q Aet.Tetr.2.Ser.4. Cap. 59.
r Tral. Loc. C.t.
ſ Pau 3 de Re Med. 31.
t De Venę Sect. adu. Eraſ 6.
u Adu. Eraſt. 3
a 5. Meth.14.& 15

Quibus indicationibus ut ſatisfiat, remedia à tribus conſuetis fontibus depromenda. Paucis autem multa proponit Gal. dicens; *Magno non vtantur reſpiratu, ſilentium agant, vena cubiti interna protinus incidatur, bis, & ter. Artus omnes fricandi, & vinciendi. Poſea mox exhibeatur; & tandem emplaſtica adſtringentia*. Sanguinis itaque eductionem omnium primò ſuadet Gal. bis, [o] & ter repetendam; non enim in præſentiarum adeſt habitus ille malus Gal. [p] nec copioſa nimis illa ſanguinis effuſio Aetij [q]; neque gracilitas illa, Phtiſico proxima, [r] Tral. nec illa fluxio valdè acris Pauli [ſ], quæ ſanguinis miſſionem differre, aut prohibere poſſint. Ideo Palæſtrita [t] vulneratus in pectore, ſanatus eſt; quia ſanguis detractus fuit; ſicut & puella [u] Chienſis obiit; quia ſanguis ipſi miſſus non fuit. Cucurbitulam occipiti affigendam præcipit Paulus, ſed quando à capite oritur affectus; hoc caſu potius infernis partibus, & hypochondrijs reperi poterit. Frictiones verò, & ligaturæ inferiores proponuntur ab Aretęo, & Aetio, & ante ipſos à Celſo, quas Eraſiſtratus quoque commendabat, ab Aſclepiade reprobatas. Quod ſi tuſſis à perenni deſtillatione foueatur, cucurbitula ſicca magna occipiti apponatur; & ſuturæ coronali ceratum Claudini; imò & rubificans, nimirum ſinapiſmus, deraſo capite, Galeni exemplo in Matronæ Romanæ curatione.

Dum hæc omnia, & reuulſionis, & interceptionis gratia fiunt, ad alia præſidia deueniendum; cùm enim omni ope niti debeamus, ne tuſſiant, neue in pulmones aliquid prolabatur, hoc triplici præſidio præſtabat Gal. [a] Purgatione, Diaſpermato, & capitis prouidentia; at quoniam huic iam proſpectum eſt, videndum hoc caſu, num purgationibus, an intercipientibus potius, ac ſiſtentibus opus ſit. Et quia catarrhus non adeò copioſè à capite fluit, & ſanguinis profluuium iam ſuppreſſum eſt; ideo potius ad euacuantia deueniendum, vt cæteris præſidijs locus detur. Euacuatio autem ſpectare poteſt, vel grumos ſanguinis in pulmonibus relictos, vel prauos humores ſanguinem inficientes. Prima primum quoque locum poſtulat; ſi enim grumi ſanguinis adſint, ſunt omnino diſſoluendi, & expectorandi. Et licet Matronæ Romanæ ſolùm quinta die pulmones expurgauerit Gal. materia illa erat catarrhalis, non ſanguinea, nondum enim ſanguinem ipſa excreuerat; in noſtro autem caſu, ſtatim pulmones grumis ſunt expediendi, (quoniam ante quartam agglutinari debet ulcus) quorum præſentiam nobis indicare poſſunt, aliqua eorundem excretio, & ſtertor quidam; in hunc autem finem Orib. proponit coagulum leporinum, potu. Cinerem ficulneum in aqua Paul. Decoctionem Thymi, & ſatureiæ Aet.

y 10.Simp.

Recentiores uerò utuntur eſſentia ſanguinis hirci, magiſt. oculorum Cancrorum. Sed Gal. [y] coagulum leporinum damnans, exhibebat poſcam dilutam, & tepidam bis, terue, tertia quaque hora, utpote quæ poſſit diſſoluere grumos, ſanguinem ſiſtere, nec tuſſim mouere.

Inde ad euacuationem excrementorum deueniendum. Et licet Gal. exhibuerit valida purgantia, nos tamen ſolo rhab. immaturo, & cort. myrobal. citr. cum caſſia contentos eſſe decet, imò ſola caſſ. cum pulpa tamarind. quouſque ulcus omnino agglutinatum ſit; periculum enim alioquin foret, ne humorum agitatione ſanguis rurſus erumperet, & ulcus à calidioribus medicamentis inflammationem contraheret. Quare huiuſmodi paretur medicamentum. ℞. flor. caſſ. rec. extr. ℥ vii. pulp. tamarind. ℥ iii. m. f. b. à quibus hora post, ſerum Chalybeatum, ad ℔ ii. Vel ℞. ſyr. roſ. ſol. ℥ vi. decoct. pulp. tamarind. factæ in aqua plantag. q. ſ. m. f. p. cui tribus poſt horis ſuperbibat præſcriptum ſerum, uel aquam Brandulenſem, ſi præſtò ſit, ad ℔ ii.

z 5. Meth.6.

Dum hæc fiunt, vitio vaſis incumbendum, ut agglutinetur, antequam phlegmon excitetur. Quare ſicut anaſtomoſis adſtringentibus, diapedeſis obſtruentibus; ita Diæreſis agglutinantibus, & ſarcoticis eget, iiſque internis, & externis. Extrinſecus itaq; inungatur pectus, facta [z] prius diuerſione, roſaceo cum myrtino, vt Tral. Intrinſecus verò. ℞. tragacanthi, farinæ amyli an. ℨ i. aq. plantag. portulacæ an. ℥ ii. ſyr. de roſis ſiccis ℥ ſ. lapidis hæmatitis, in pollinem redacti ℨ ſ. m. pro lambitiuo, Vel ℞. ſyr. de portulaca ℥ i. ſ. de roſ. ſic-

cis

cis ℥ ſ. terræ ſigill. læuigatæ, boli armen. orient. hæmatitis an. ℈ i. confect. diacodii ℥ ſ. aq. pimpinellæ ℥ ii. m. pro lambitiuo. A cibo ſemper aſſumat conſ. roſar. cum bolo. Noctu ore detineat diacodium recens, uel diatragacanthum cum bolo.

Interim ſanguinis uitio corrigendo inſiſtendum, alterantibus, & purgantibus. Alterantis loco aſſumat Pat. quotidie ſummo mane aquam ſtillat. plantag. & fol. quercus, ad ℔ i. quam præcedat deglutitio tragacanthi frigidi cum bolo, ad ʒ ii. uel iii. uel ſer. aſin. Chalyb. ad ℔ i. cum tinctura corall. ad gutt. vi. & tandem lac ipſum diutius aſſumendum; hæc enim omnia, non minus uaſorum labem, quàm sanguinis ſpectabunt; qualibet verò hebdomada, ſanguini depurando, aſſumat medicamentum huiuſmodi. ℞. flor. caſs. rec. extr. ʒ vi. rhab. opt. cortic. myrobal. citr. an. ʒ i. m. ſ. b. & hora poſt, bibat ſerum Chalyb. ad ℔ ii.

Verùm quoniam ſanguinis excretio recidiuas habere ſolet; ideo rurſus, eodem erumpente, cæteris poſthabitis, eundem ſiſtentibus immorandum, non ſolùm iam recenſitis remiſſionibus, uerùm & internis aſſumptis. Siſtit autem aqua plantag. & conſolidæ, cum ol. vitrioli, ad acidum uſque saporem, ad ℥ v. bibenda, & pro collutione oris adhibenda; ualidè etiam adſtringit aqua radicis vrticæ deſtillatæ ad ℥ i. pariter cum oleo vitrioli. Admirabilis decoctio hyperici, pimpinellæ, & capitum papau. albi. Validiſſimum verò fuerit hoc elect. ℞. ſem. Hyoſcyami ʒ i. ſem. papau. albi ʒ ii. terræ ſigil. boli armenæ orient. lapid. hæmat. an. ʒ ſ. conſeruæ roſar. antiquæ ℥ ii. ſucci, vel ſyr. cydon. q. ſ. contuſis contundendis m. reformetur elect. cuius doſis erunt ʒ ii. uel iii. mane & ſero; uocatur autem elect. Helidei, licet deſcriptum & à Geſnero, quod & ipſe deſumpſit à Nicolo, & Nicolus à Rhaſi; à me verò reformatum, & expertum. Ad Philonium, & Theriacam rec. confugit Gal. in contumaci ſanguinis excretione. A proprietate intrinſecus iuuat Pimpinella, Veronica, ſcabioſa; ſic & harum aquæ ſtillat. & potiſſimum ſyrupi. Mirifica eſt aqua Tragopogonis, ad ℥ v. Extrinſecus à proprietate ſanguinem ſiſtunt, lapis corneolus, Iaſpis, Bufo exſiccatus, & appenſus. Cor Vulturis adalligatum, & Apis uiua pectori alligata.

Circa victus rationem plura obſeruatione digna ſunt. Primò Aerem frigidum inſpiret, conclaue non uacillet, cubile ſit firmum, ſtratum ſolidum, corpore erecto decumbat, magnam non ducat reſpirationem, agat ſilentium, neque loquentes audiat. Secundò cibus ſit quantitate tenuis, qualitate incraſſans; ideo Gal. tribus diebus, tres tantùm ſorbitiones ęgro propinauit; quia ſanguis ciborum inopia areſit, denſior redditur, atque adeò ad fluendum ineptus, tum quia natura auara ſit in retinendo ſanguine pro ſui nutritione, tum quia tandem inedia noua ſanguinis generatio inhibetur. Conuenit autem alica, ptiſana, oriza, cum amylo, aut lacte; imò lac ſtatim ab initio præſtantiſſimum, quo ſolo, & diuturno tempore uſus Tral [a]. Tandem nutriendi ęgri piſcibus, pedibus, & cerebellis animalium. Cibi omnes actu potius ad frigidum, quàm ad calidum uergant. Potus ſit aqua ſantalina, ſine uino; vel aqua Chalybeata, in qua decoquatur, & detineatur globulo incluſus lapis hęmatites [b]; vel tinctura roſar. extracta cum ſpiritu chalcanthi. Vinum autem non exhibendum, niſi ad virium inſtaurationem, cum hæmatite, idque aquoſum, adſtringens, & modicum, ſed tantum bibendum, ut ſciamus huic morbo ſitim prodeſſe.

[a] Lib. 7. Cap. 1.

[b] Tral. Li. 7. Cap. 1.

Tertiò neceſſaria quies, ſecuritas, ſilentium; ſomnus enim tuſſim cohibet, venas conſolidat, & ſanguinem ſiſtit. Caput cubantis ſublime ſit.

Quartò frictiones concedit Celſ. ſolùm vbi ſanguis ſubſtiterit. Sic Tral. dicebat, quod, qui cupiunt cauere recidiuam, vitent longiorem ambulationem, exercitia, vociferationes, ponderis eleuationem, ſpiritus cohibitionem, addamus nos, vehementē ſecum expulſionē.

Quintò inimica, Balneum, Vina, Venus, oleum, acria omnia, calida fomenta, conclaue calidum, & occluſum, veſtimenta multa.

Tandem vitet animi perturbationes, ut quę poſſint non parum ſanguinem commouere, potiſſimum verò indignationem, iracundiam, cum exclamationibus. Quæ ſatis pro curatione, & præſeruatione Nob. huiuſce Patientis.

SAN-

XVI.

SANGVINIS EXCRETIO per os.

IVuenis 34 annum agens, temperamenti ſubſanguinei, habitus mediocris, hypochondriacæ affectioni obnoxius, ſuperioribus annis gallicam luem contraxit, cum bubone gallico, & tuberculis, atque gummatibus in capite, aduerſus quam purgationibus, & ſudoribus in hypocauſto pugnatum fuit; verùm gonorrhœa gallica denuò correptus, medicamentis quidem, non tamen alexipharmacis fuit liberatus. Interim libera, & liberaliori uiuendi ratione uſus, tandem quinque abhinc hebdomadis, poſt exercitium violentum, atque laborioſum, cùm pondus eleuare conaretur, ſenſum in pectore nonnihil moleſtum percepit; vnde quatuor, aut quinque poſt diebus, noctu tuſſicula correptus, ſanguinem cum ſonitu efferueſcentem excreuit, ad ſeptem, aut octo vncias circiter, non quidem affatim, ſed paulatim; cuius cauſa medicamenta refrigerãtia, & quodammodo adſtringentia à Medico præſcripta fuerunt, quibus exeretio quidem copioſa ſuppreſſa eſt; verùm tuſſicula continuò ſuperſtite, ſputa excernuntur materiæ catarrhalis tenuis potius, quàm craſſæ, ſæpè tamen ſanguine tinctæ. Imbecillior verò redditus cùm ſit, modò auxilium petit.

Egregius Pat. à vita prægreſſa, animi corporiſque diuturnis, ac vehementibus motibus exercita, ſanguinem acriorem, & biliofiorem genuit, atque calorem hepatis, & venarum adauxit, ætate iuuenili ad ſtatum properante, concurrente quoque libera, ac promiſcua viuendi ratione; adeò ut tandem bilioſi ſanguinis [a] in venis apparatu producto, & congeſto, poſt validum motum grauis ponderis eleuati [b], ab illo conatu, praua, & calida accedente ſanguinis conditione, in pulmonibus uenula non modò reſerata, verùm & [c] diſrupta quoque non longè ab oſculo fuerit, vnde ſanguis cum tuſſi, ad plures vncias noctu profuſus eſt, 40. dierum ſpatio nondum ſuppreſſus, per tuſſim diu, noctuque non ſolùm cruentis tincturis; verùm & guttulis eiuſdem in ſputis apparentibus. Nunquam verò ſanies, aut pus obſeruatum fuit, minuſque febris, neque macies totius corporis ſequuta; quoniam [d] diæreſis, ſiue eroſio non adeſt, cum neque ſalſæ deſtillationi, neque tuſſiculæ antea Pat. fuerit obnoxius, neque copioſus, toto hoc tempore fuerit ſanguis excretus; ut propterea neq; per ſolam [e] anaſtomoſin, ſeu venæ apertionem profuſum fuiſſe credamus, cùm habitus plethoricus non ſit, neq; adeò ſanguine redundans. Tandem diapedeſin quoque à noſtro caſu excludimus; quoniam nec adeò copioſus ab initio erupiſſet, neque ſputa guttulis aſperſa, ſed ſolo ichoroſo ſanguine tincta apparuiſſent. Quare per diauroſin, ſiue rupturam, cui anaſtomoſis adiuncta eſſe poſſit, ſanguinem, & iam excretum, & modò excerni concludimus. Venam autem læſam exiguam eſſe credendum, alioquin iterum, atque iterum copioſus erupiſſet.

a 5. Meth. 2.
b 5. de Sim. Ca 2.
c Tral. Li. 5. Cap. 1.
d 5. Meth. 8.
e 5. de Loc Aff. 6.

Affectus eſt quidem grauis, non ſolùm quia [f] *Sanguis ſupra, qualiſcunque fuerit, ſemper malus*; verùm etiam quia non de rarefacta, non de aperta ſolùm, ſed de vena rupta conſtat; licet deterioris conditionis foret affectus, ſi à diæreſi, & eroſione penderet; cùm hæc ſarcoticis [g] medicamentis, prout ruptura vnientibus, & agglutinantibus; & anaſtomoſis adſtringentibus opus habeat. Quibus intentionibus addendum, quod vitium ſanguinis ſit corrigendum.

f 4. Aph. 25.
g 7. Per Loc. 4.

Quibus implendis, in fonte Chirurgico ſanguinis [h] miſſio, ſed ſtatim iterum, atque iterum repetenda, ex vtroque brachio; & tandem ex hæmorrhoidibus; Thorax verò ol. roſ. inungendum. Pedum lotiones frequentes, aqua calente, ante cœnam adhibendæ.

h de Sang. Miſſ. 7.

Ex ſonte Pharmaceutico depromenda Lenientia, Alterantia, & ſanguinem Incraſſantia, leuia Purgantia, & Agglutinantia, quæ exſiccandi quidem, ſed citra mordacitatem facultatem habeant; tuſſi interim omni induſtria ſedata.

Lenientia uerò erunt caſs. cum pulp. tamarind. uel ſyr. roſ. ſolut. cum decoct. eorundem,

Prima

Prima alterantia, ſint decoct. in iure pedum vituli parate ex fol. end. viol. lactuc. acet. plan- tag. portul. polygoni, cum iulap. viol. roſ. & ſyr. de ibiſco. Inde poſt aliquot dies iam dictorum lenientium uſus, repetatur excrementorum euacuatio, ut ad validiora alterantia, adſtringentia, & agglutinantia deuenire poſſimus, qualia erunt tinctura roſar. ex aqua plantaginis parata, cum ſpititu vitrioli extracta, addendo aliquam ex herbis vulnerariis; cui potioni præmittatur diatragacanthum frigidum cum bolo, recenter paratum ad ℨ ii. quotidie; in quorum uſu perſiſtendum ad 20, dies, & ſupra; atq; interim iuſcula omnia carnium ſantalo albo alterentur, uinumque tenue, nigrum, ſubadſtringens ſantalo rubro, lentiſco è Chio, & radice conſolidæ medicatum reddatur, infundendo pro qualibet ſitula, ℥ iii. dictorum lignorum.

Lambitiua quoque, ſiue ſublingualia in uſu ſint. noctu, & ſub ingreſſum lecti, ſyr. de ibiſco, & de papauere ſimul miſti; vel diatragacanthum frigidum cum bolo ore detentum; mane verò iulap. violac. cum eodem ſyrupo de ibiſco; omnia ſiquidem & ſiſtendi tuſſim, & agglutinandi vim obtinebunt. Nec abs re erit parare iulap. ex ſucco cydon. recent. uel ſucco ipſo, abſque ſaccharo, lambitiui loco, uti.

Quibus omnibus victus ratio proportione reſpondere debet, agglutinans, incraſſans, & quodammodo adſtringens; atque adeò edulia ex paſta parata concedi poſſunt, butyro, & caſeo condita; ſic pultes ex lacte, extrema animalium, pulpa cydoniorum ſub cineribus cocta, ſaccharo condita, uel ex iiſdem conſerua, ſicut & conſerua roſar à cibo ex uſu eſſe poterit; oriza, ptiſana, oua recentia, non adeò bene cocta, erunt etiam opportuniſſima alimenta. A laboribus, Venere, & animi paſſionibus abſtinendum. Quæ pro ſalute Patientis dicta ſatis.

XVII.

SPVTVM SANGVINIS.

LIcet in ſanguinis per os excretionibus ſæpiſſimè dubitari contingat de loco affecto, à quo hic profluat, unde Gal. & potiſſimum Trallianus cum ipſo, valdè ſoliciti fuere de parte affecta indaganda, quampluri- mis, & diſtinctis ſignis propoſitis; hoc tamen caſu, res clara, & maniſeſtiſſima eſt, quæ ſummæ tuæ prudentiæ, Vir Excell. ſtatim innotuit; vt propterea veri amici officio functus fueris, Pat. hunc ad curationem tunc temporis inchoandam hortari non deſiſtens. Ex pulmonibus itaque, corundẽ ſcil. vena, non tamen magna, licet nec adeò exili, omnino diſrupta iuxta oſtficium, & patefacta prodijt ſtatim ab initio ſanguis ipſe, ob eleuationem ponderis, antea tamen biliosus tenuis, & actis, quod abundè confirmarunt ſputa cruenta, a quadraginta dierum ſpatio continuò excreta, quæ ſolam anaſtomoſim non admittunt. Quibus accedit quoque à capite in pulmones deſtillatio catarthalis b materiæ; forſan etiam parte aliqua à toto ſuggeſtæ, copia potius, quàm qualitate peccantis, quæ facultatem expultricem pulmonum irritans, moleſtam excitat tuſſim, atque adeò venam, neque occludi, neque agglutinari unquam ſinit.

a 4. de Loc. Aff. 5.
b 5. Meth. 2.

Quare, ſicut omnes vires medicas intendere nos decet, ut ſanguis ſiſtatur; ita eiuſdem vitium, & vaſorum à nobis emendandum venit; utrumque enim præſtate optimum eſſe dixit Gal. c iuſſitque, ſtatim procurandum, ne d tuſſiant, neue quidpiam in pulmones delabatur; ut propterea materiæ catarthalis a capite decumbentis, tuſſimque irritantis maxima, imò præcipua cura ſit habenda, ſanguinem interim refrigerando, incraſſando, à pulmonibus diuertendo, ac vaſa conſtringendo, & agglutinando.

c 5. Meth. 14.
d 5. Meth. 15.

Quibus intentionibus ſedulò, & accuratè ſatisfaciendum, antequam obducatur ulcus, de quo etiam in præſens iure à te, Vir eruditiſſime, dubitatum audio; cùm febris e non leuis ſubotta ſit, à qua modò vix immunis tibi videatur, inflammationis indicio, quam ulcus neceſſariò, indeque puris ſputum pernicioſum conſequi ſolet.

e 5. Meth. 14.

In hunc itaque finem, à fonte Chirurgico aliqua adhuc ſanguinis miſſio, pro opportuno uſu, depromenda erit, denuò ſc. erumpente ſanguine; quo tempore, & frictiones infernarũ partium, & arctæ ligaturæ, pedumque lotiones valdè calentes utiles erunt; ſicuti interim

quo-

quotidie, ſummo mane, frictiones poſteriorum corporis partium, à nucha uſque ad extremas inferiores, & pedum lotiones valdè calentes ante cęnam adhibitæ. Cauterium in brachio nullo modo negligendum: his enim caſibus periculi plenis, ſetaceo quoque ceruicem transfigere ſolemus. Et quoniam Galenus, in illa [f] Matrona Romana, rubiſi- f 5. Meth. 13. eantia ex thapſia, ſinapi, & ſtercore columbino, ad fluxionem ſiſtendam, capiti appoſuit; ideo & à nobis ſuturæ coronali ceratum, ſi non Montagnanæ, ſaltem Claudini, ut minus calefaciens, eiusdem exemplo, applicandum omnino fuerit.

A Pharmacia ſanguinem contrarijs qualitatibus Alterantia, caput, & pulmones Exſiccantia, venam Adſtringentia, & Agglutinantia, tuſſimque Sedantia auxilia depromenda. Sed quoniam tuſſim ſedare, perſiſtente deſtillatione, impoſſibile fuerit; ideo à te hucuſque optimè, & prudentiſſimè peractis inſiſtentes, ſtatim ad decoctum exſiccans deuenire poſſumus, ita parandum. ℞. ſantalor. raſpator. alborum ℥ i. corticis medij ligni quercus, radicum cannæ montanæ; radicum enulæ campanæ an. ℥ ſ. aquæ ſtillatitiæ plantaginis, conſolidæ, betonicæ an. ℥ xv. m. f. infuſio per horas xxiv. deinde bulliant ad conſumptionem dimidij, & facta colatura ſeruetur, pro tribus vicibus, matutinis horis aſſumenda; præmiſſo hoc bolo. ℞. Diatragacanth. frigidi cum bolo ʒ i. pulueris lapidis hæmatit. ℈ ſ. ſucci cydoniorum q. ſ. m. reformētur boli n. ij. vel etiam decocto affundātur guttulæ vij. tincturæ croci martis conſtrictiui: hoc enim ita paratum refrigerandi potius, quàm calefaciendi facultate pollebit; adſtringit enim & cogit potius, quàm humores ſundat. Quoniam verò agglutinantibus opus, corrigendo vaſis vitio, nec lacti, ob copioſi catarrhi præſentiam, locus eſt; ideo naturali artificiale ſubſtituatur, in cęna, prima menſa, aſſumendum, emulſione præſcripta in iure, ex nucleis pineis, & quatuor ſeminibus frigidis, modico ſaccharo, & aqua roſacea aſperſis; hæc enim & vaſorum, & ſanguinis quodammodo labem reſtituet. Tuſſis verò ſedanda, noctu intercipientibus, & facultatem ſopientibus, diacodio nimirum, & ſyrupo de papauere, cum ſyrupo de ibiſco ſimul miſtis. Mane verò, ſi quidpiam in pulmones noctu defluxerit, expectorandum, iulap. violac. cum portiuncula acetoſi, hoc enim nos non valdè ſolicitos habet.

Quibus omnibus congrua victus ratio quammaximè conferre poterit, quæ ſicuti non valdè tenuis eſſe debet; ita minimè attenuans, ſed valdè incraſſans, nec tamen caput replens; in quam rem ptiſana opportuniſſima, ſicut & oriza, in iure pullæ, vel vituli, in quo ebullierint eiuſdē extrema, addito amylo; ex uſu etiā erunt oua recentia ſemicocta, animalium extrema, imò & gelatina ex pedibus parata, cum agreſta; nonnunquam etiam caro pullæ; edulia quoque ex paſta, butyro, & caſeo condita, vel ſaltem vermiculi ſpecie, ab Apulis parata, in iure cocta; lactuca quoque eidem iuri incocta, additis ouis, contra perperam opinantes, cum Eraſiſtrato, victum tenuem his caſibus conuenire, in eum finem ſcil. vt ſanguinis copia diminuatur; ſic enim tenuior, biliosior, effrenis magis, & effluxui ſemper magis opportunus fit; lac autem & lactatia, licet aliàs à nobis conceſſa, in præſens interdicimus. Potus conſuetus aliquot dies ſit aqua ſtillatitia acetoſæ, vel deſtillatum pullæ, cui addi poterit ſuccus cydoniorum recenter extractus, nonnunquam etiam pomorum dulcium. Conſerua autem roſarum ſemper claudat prandium, & cęnam. Tandem vinum in uſu ſit nigrum, tenue, & medicatum, vt aliàs à nobis præſcriptum fuit. A motu caueat omnino; quies enim planè neceſſaria. Sicut & à Venere, & animi paſſionibus prorſus abſtinere debet. Quæ omnia tibi, Vir in arte conſummatiſſime, præſcribenda libentiſſimè committo. Vale quam diutiſſimè, & me, quod ego facio, amare pergas.

SAN-

XVIII.

CATARRHALIS DESTILLATIO, & Imminens Phthiſis.

PErennis à capite catarrhalis deſtillatio, qua multis ab hinc annis, manifeſtè diuexatur Illuſtriſ. Eques, cùm omnium morborum fons, & ſoboles eſſe poſſit, mirum non eſt, ſi ad ſubiectas partes decumbens, uarios quoque affectus,& ſymptomata producat,pro partium ſc. affectarum uarietate: etenim, dum per ſubcutaneas partes à capite decurrit, & per ſpatia, & carnes diffunditur, muſculos perfundens, atque laxans, ad motum ignauiam quandam, & imbecillitatem inducit; dum uerò ad dentium alueolos, eorundem mobilitatem; atque per tracheam ad pulmones, non per aſperæ arteriæ parietes, ſed affatim ſe inſinuans, pulmonum expultrice irritata, tuſſim excitat; in uentriculum uerò delabens, coctionibus officit, & cruditatibus immiſta,ad meſenterium, & potiſſimum ad lacteas uenas petuadens, craſſior reddita, atque impacta, manifeſtas obſtructiones producit, à quibus hypochondriaca ſaltem, ni melancholica emergit affectio; vnde flatus, & euaporationes in caput. Ab his autem nonnunquam ſpiritus animales torpeſcunt, quandoque etiam in gyrum aguntur, & vertigines excitant; prout ab iiſdem intercepta natiui caloris neceſſaria ventilatione, hepatis calor, naturæ mediocritatem excedens, intenſior redditur; atque adeò ſanguinem ſeroſum potiùs gignit, vnde deficiens, & à proba conditione declinans ſequitur nutritio totius. Huiuſmodi autem deſtillationis cauſa immediata,eſt cerebri imbecillitas(fit enim in capite,ut in ventre Diarrhœa, a ex mala coctione) quæ ab aliqua intemperie pendere debet, quæ ſicut in paſſiuis humidiſſima certè eſt; ita in actiuis qualitatibus poteſt eſſe, & calida, & frigida; ſiquidem deſtillationes, cum Hipp. b *Fiunt valdè perfrigerata, vel valdè excalefacta carne*. In hoc verò caſu, calidam eſſe c ſtatuendum eſt;quia de euidenti calore capitis conqueritur Vir Illuſtriſ. qui ſalſedinē nonnunquam in ore percipit, ſomnos non habet profundos, atque diuturnos; & tandem quia ab externis d cauſis, temporum nimirum mutationibus facilè caput alteratur, citius tamen longè magis humida, quàm calida intemperies præcellit; oculorum enim venæ non adeò e rubent, nec capilli nigriores, & criſpi,& nondum caluitie denudatur, mucoſaq; excrementa nullo modo craſſa, & concocta excernuntur. Calida itaque,& humida cerebri intemperies, utpote deſtillationum ferax, eſt adeò copioſæ materiæ parens, non ſolùm natura, verùm multò magis adaucta ab erroribus in viuendi ratione, & potiſſimùm aere nocturno,commiſſis; ut propterea cerebrum eſſentialiter affectum eſſe credendum ſit; verùm præterea & à ventriculo, atque hypochondrijs craſſas effumigationes, à iecore calidas euaporationes, & forſan à toto f ſeroſitates eidem continuò ſuppeditari, non eſt negandum, non modò ob ſuperius conſiderata; ſed etiam quia conſenſus huiuſmodi, & metaſtaſes ab Illuſtriſ. Viro ſenſibiles ſæpiſſimè obſeruatæ fuerunt, & obſeruantur.

a 3. de Sympt. Cau. 4.
b De Carn. b. 17.
c De Loc. in hom. 37
d 3. Aph. Com. 5.
e Art. Medic. 14.
f 2. de diff. Feb 11

Quibus de cauſis, ſanguis calidior,& tenuior,ſurſum copioſius irrepens,ac extrauenatus, è capite per infundibulum ad laryngem, indeque ad pulmones,præteritis diebus effluxit,ác per tuſſim, noctu ab Illuſtriſ. fuit excretus. Ita verò ſe habere rem credendum; cùm paulò poſt, & ſolo leui ſcreatu, abſque ulla tuſſi, ſanguinem excretum obſeruauerit. Et ſi ex quopiam ex pulmonum vaſis profluxiſſe ſuſpicaremur, non alio modò, quàm per anaſtomoſin id contigiſſe credendum; ſi enim per diæreſim, g circa eroſam partem inflammatiuncula, febricula, & aliquod ſputum craſſum, ac ſubputulentum ſubſequuta fuiſſent.

g 5. Meth. 14.

Eſt autem affectio non poſthabenda: deſtillatio namque h *Si in nares, leue malum; ſi in fauces, peius; ſi in pulmones, peſſimum; imò peſtiferum*,putabat Celſus;& ante eum Hipp. i qui tenues deſtillationes malignas, & pulmonibus aduerſariſſimas appellare ſolebat; maximè verò in hoc Illuſtriſ. Viro,gracilis habitus,temperamenti totius calidi, & ſicci, ætatis infra k xxxv. annum, & qui ſalſedinem ore ſæpè percipit, modòque hæmopthiſi laborat. Et licet plura à doctiſſimis Viris incaſſum tentata fuerint, contumaciam affectus atteſtantia; nihilominus

h 4. de Re Med. 2.
i 2. Prog. 49.
k 5. Aph. 9

difficultas impoſſibilitatem non importat. Hoc itaque Vere omnia agenda, ut deſtillatio diminuatur, à pulmonibus diuertatur, & Phthiſis arceatur.

In quem finem, Medicæ intentiones erunt totum, prout exigit vſus, euacuare. Secundò caput. Tertiò hepatis, & ſanguinis calorem, atque ſalſedinem contemperare, ac demulcere. Quartò deſtillationem à pulmonibus auertere. Et tandem capitis intemperiem per contraria auferre. Quibus intentionibus explendis Illuſtriſs. Patienti aliquid condonandum, & cautè agendum, habitu facilè reſolubili, adeò ut conferentia, & tolerantia æqua ſemper lance penſitenter.

Et in fonte Chirurgico, aliqua ſanguinis miſſio locum habebit, ex venis ſedalibus, vt fiat à capite, & pectore reuulſio, & à viſceribus naturalibus deriuatio, non quidem per venam ſectam, niſi noua per os ſanguinis excretio recurrat. Cauteria duo, alterum in brachio ſiniſtro, alterum in coxa dextra, ſi geſtet, ſeruāda; ſin minus, inurenda. Frequentes pedum lotiones aqua ſimpl. calidiori ante cibum, inſignem utilitatem afferre poterunt.

Ad Medicamenta quod ſpectat, primis viis expiandis potio ex man. clarif. peropportuna erit, ſuperhauſto iure hordei, aut malu. ab incepta euacuatione. Inde earundem uiarum præparatio procuranda; verùm quia à mellitis omnino, & quantū fieri poteſt, à ſaccharatis quoque erit abſtinendum; ideo quotidie ſex, aut ſeptem diebus, cremor tart. ad ʒ iii. vel iv. pauco iure diſſolutus, cum exiguo ſacch. conueniet quammaximè, exhibito, hora poſt, iuſculo cichorac. alter. Mox euacuatio repetenda, addito infuſ. cōſuetæ rhab. ad ʒ i. & incepta euacuatione, ſero capr. dep. copioſius epoto. Poſthæc ulterior fiat præparatio, atq; eodem tempore iecoris, & ſanguinis contemperatio, ſuccis dep. cich. botrag. & ſonci, ad ℥ iii. in decoct. malu. viol. meliſs. & betonicæ, horum uſui inſiſtendo ſaltem xii diebus, à quibus potio præſcripta repeti poterit. Ita viſceribus, & ſanguine contemperatis, innoxiè pil. capitales bis ſaltem exhiberi poterunt, ex cochiis ſimpl. aureis, & maſtic. compoſitæ. Siquidem Gal. pil. validiſſimas ex aloe, ſcammon. colocynth. & agarico admiſit, etiam in ulcere pulmonum 5. Meth. 14. ſemper tamen aut ſero, aut aqua hordei, à pilulis, epotis, ad viſcerum exſiccationem, & incaleſcentiam inhibendam; diebus verò intermedijs, ſucci exhibeantur contemperantes, in iure cichoraceis alterato; & puluere ex iride, & maiorana compoſito naribus adducto, more tabaci, capitis expurgatio coadiuuetur; vt tandem ad humidam eiuſdem intemperiem tollendam deueniamus; quod tamen ſine ſudoribus conſequi nos poſſe ſperandum non eſt, cum fruſtra hucuſque ſine ſudore præſcripta omnia decocta fuerint. Decoctum antem parabitur ex rad. ligni rhodii, ſantal. alb. legit. viſc. querc. vero, in aqua cichor. deſtill. & beton. & quò facilius, & citius ſudor proliciatur, præmitti poterit ſemidrach. cornu cer. phil præp. additis iv. aut v. gr. butyri ſulphuris; procedente autem ſudore in hypocauſto per horæ quadrantem, ad lectum deducatur, vt ſudor abſolnatur; cui ſaltem xxx. diebus inſiſtendum, decimo tamen, aut duodecimo quoque die potion. Clariſ. exhibita, vt & aqua ſecunda ad potum parata uacuetur. Interim à tenui, & extenuante victus ratione abſtinendum; quotidie namque, modò carnes iuniores, modò ptiſana hordeacea, modò ouum recens præbendum fuerit; prout & nuclei pinei, aut ſaccharo incruſtati, aut confectione; omnino tamen ſemper à vino abſtinendum, & ſecunda delicatius parata vtendum. Tandem ſucci depur. rurſus in vſum ducendi, ad xv. aut xx. dies, in iure cichoraceis alterato, ad iecoris, & totius ſanguinis feruorem contemperandum. Conſerua roſarum à cibo de more ſumatur, quæ efficacior euadet, ſi aliquid lapidis hæmatit. illi immiſceatur; uel lapis idem pulueriz. & petia incluſas in dolio vini ſuſpendatur; quod medicatum effici poterit Santalis, & ligno Rhodio.

Et ſi fortè ſanguinis excretio per os rurſus recrudeſcat, quia qualiſcunque is fuerit, ſemper malus; ideo ad aquas acidulas, imò vitriolatas, prope Canem, erit confugiendum; quales ſunt illæ S. Mauritij in Engaddina, quas æmulantur proximæ Vallis Solis in Agro Tridentino ſcaturientes; ad ſanguinem enim ſiſtendum, & venas roborandas nil chalcantho præſtantius.

Victus ratio, abſoluta purgatione, iam dictis omnino reſpondere non debet; etenim gracile corpus humectantibus ſubſtantificis nutriendum, quę tamen vaporoſa non ſint; & ideo lactis uſus, qui alioquin conuenientiſſimus eſſet, hoc anno non proponitur, niſi caput prius abundè corroboratum fuerit. In cęteris, ſicuti & in omnibus quoque iam dictis, prudentiſſimæ Viri Excellentiſs. Aſſiſtentis directioni, ſe ipſum Vir Illuſtriſs. committat, vt optatum finem conſequi poſſit.

XIX.

CATARRHALIS FLVXIO, ATQVE Pulmonum Vlcus.

MAtrona Nobiliſſima 33. annorum, temperamenti ſecundum totum, & Iecur calidi, & ſicci, capitis humidioris, generoſiori, & copioſo potui aſſueta, menſe Aprili huins labentis anni correpta fuit bilioſa febre continua, à qua congruis medicis auxiliis liberata, menſe Maio in tuſſim pertinaciſſimam incidir, cum deſtillatione à capite materiæ catarrhalis copioſæ, & ſalſæ, imò & erodentis, à qua paucis poſt diebus, ſputum apparuit cruentũ per tuſſim, catarrho miſtum, prægreſſa eiuſdem tinctura; quo tempore, è nare quoque guttulæ ſanguinis extillarunt, quibus tamen non obſtantibus, cautus Medicus ſanguinem illico ex brachiis eduxit, congruamque expurgationem inſtituit, quam tamen Nobiliſs. Patiens vix inceptam intermiſit, in conſueram liberam uiuendi rationem relapſa. Menſe autem Iunio, perdurantibus tuſſi, atque ſalſa deſtillatione, rurſus cruentum ſputum tota die excreuit uiſcido catarrho miſtum, menſtruis interim, quę antehac commodè procedebant, imminutè fluentibus, vnde conceprionis ſuſpicio facta eſt, qua non obſtante, idem medicus cubiti venam tundi iuſſit, & inde præſcripſit caſſiam, cum pulp. tamarind. mox iuſcula alterata cichor. portul. ſonco, plantag. malua, uiol. liquir. hord. ſem. mel. & caſs. fruſtulo; à quibus, leui exhibito purgante medicamento, Decoctum ſantalor. & rad. can. uiridis in aq. agrim. & capill. Ven. præſcripſit, ad 25. dies aſſumendum. Modò ſub finem menſis Septembris, Nobiliſs. Patienti omnino menſtrua defecerunt, conceptionis ſuſpicio euanuit, & gracilior multo facta eſt, nec trium menſium ſpatio, medicus quicquam aliud obſeruare potuit, patiente parum iam obtemperante derelicta. Modò tamen accitus deprehendit eandem febre, paucis abhinc diebus correptam, quam duplicem tertianam continuam per paroxyſmorum ſubingreſſum ipſe nuncupat, & ſputa potiſſimum matutina, niſi omnino purulenta, alicuius utpote conſiſtentiæ, à pure ſaltem non multùm aliena. De agendis itaque, pro ſalute conſuluit.

Sanguinis ſputum, tuſſi eiectum à Nob. Matrona, menſe Maio proximè præterito, & Iunio inualeſcens, magis propriè ſanguinis reiectionem, quàm ſputum, licear nobis cum Aretæo [a] nominare; ſiquidem illud proptiè ſputum habetur, quod prodit ab ore, cùm hoc tamen violenta tuſſi à partibus ſpiritalibus, pulmonibus ſcilicet profluxiſſe, nullum ſit dubium, non modò ſecunda, verùm & prima vice. Et licet è nare quoque, eodem tempore emanauerit, quod ſignum plures incautos medicos decipere ſolet; attamen id contingit, quoniam eodem impetu ſanguis ad narium, quo ad pulmonum venas confluit; ut propterea ſæpius ex utraq; parte, eodem tempore profluat, ut in caſu noſtro. Effluxit autem per diæreſin, prægreſſa tamen diapedeſi; cuius cauſa eroſionem præcedere ſolet pauei ſanguinis excretio, ut obſeruauit Gal. [b] rarefactum namq; vas facilè exeditur. Ad hoc autē malũ producendum plurimæ cauſæ, tum naturales, tũ nonnaturales & præter naturam conſpirarunt. Primò quidem temperamentum calidum, habitus gracilis, iuuenilis ætas, caput humidius, & forſan aliqua colli, ſpatularum, aut pectoris mala [c] conformatio. Secundò errores in uictu, & potiſſimum generoſioris vini compotationibus. Tertiò febres prægteſſæ, menſtrua imminuta, & tandem ferè ſupreſſa, & ſalſa à capite deſtillatio: quæ omnia ſanguinem calidum, atque bilioſum producere, & efficere potuerunt, qui per vterum de more, non expurgatus, & ab ipſa tuſſi attractus, venas tumefacere, ac proinde rarefacere, & diapedeſin inducere potuit, vnde ſola ſputi rinctura, cui poſtea facilè [d] eroſio, & diæreſis ipſa, ex ſalſa deſtillatione aeeeſſerit; & hinc ſputum, ſiue reiectio ſanguinis prima, & maiori copia ſecunda uice appatuit, quod ſebriculam ſemper comitem habuiſſe valdè ſuſpicandum, cùm multò gracilior ſolito ſit teddita Nobiliſs. Patiens, & quoniam ſputa purulenta eſſe credimus, licet à pituitoſa materia immiſta integrum nobis præoccupetur iudi-

a Lib. 2. Acut. Cap. 2.

b 4. de Loc. Aff. 5.

c 1. in 1. Epid. 18.

d 5. Meth. 2.

cium, ut ſebrem propterea putridam hinc pendere exiſtimemus, quæ veſpertinis horis inualeſcere ſolet, ideoque nos ſæpè decepit, utpote ſebri putridæ humorali non abſimilis, cui hoc caſu, aliquem fixæ gradum accedere non ſine ratione dubitandum.

In reiectione ſanguinis, primum periculum imminet ab eiuſdem immoderata euacuatione; ſecundum verò, eodem ſupreſſo, à febre, puris ſputo, & tabe, ex Gal. [e] Vnde Celſus [f] prodidit, quod, *Qui ſanguinem in diæreſi ſuppreſſit, multùm ad valetudinem profuit.* Primum autem periculum declinauit ſolers, ac diligens medicus, repetita ſanguinis miſſione, cæteriſque medicamentis adminiſtratis; ſecundum verò ſubiit Nob. Patiens incauta liberali victus ratione, cùm alioquin in vlcere, quod ſupponimus, pars deficiat. Ideo dicebat Aretæus; *Ad conſolidationem duci non poteſt, vt vulnus, & ruptura, in quibus ora ſe contingunt; eo verò minus, cùm purulentum ſit vlcus.* Periculum verò, & curationis difficultas augetur à ſuppreſſis menſtruis, quæ & morbum fouere, & contraindicare videntur, ac proinde primam tabem ex vlcere, non verò ſecundam ex flacciditate imminere manifeſtum ſit. Quare ſat nobis fuerit, ad vitam producendam, exſiccantibus callum ulceri obducere, & humectantibus ſubſtanrificis tabem arcere.

[e] 7. per Loc. 4.
[f] 4. de Re Med. 20.

In quem finem quatuor præ oculis habenda, Catarrhalis ſc. deſtillatio, quatenus ſalſa, Vlcus, Febris, & Macies, vt vrgentioribus incumbamus, cæteris non neglectis. Et quia non valdè progreſſus eſt affectus, necdum proinde inſignis adeſt extenuatio, ac magna febris; ideo catarrho, tanquam cauſæ ſine qua non occurrendum, ut febris quoque putrida ab eo proueniens, minuatur; atque ulcus exſiccandum, vt poſtmodum, & corpus inſtaurare poſſimus, nunquam omiſſa tum viſcerum, tum humorum contemperatione.

Quibus ſatisfacere conandum, remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

Et in Chirurgicis omnium primò conſideranda ſanguinis miſſio, quæ hoc affectu, tribus caſibus conuenit, actuali ſcil. ſanguinis ſputo, ſuppreſſa aliqua euacuatione, & febre putrida humorali. Quare hoc caſu, conuenit ex ſaphena, tempore naturalis purgationis menſtruæ. Cauterium alterum, coxæ inurendum in graui adeò malo non abhorreat Nobiliſs. Patiens. Extrinſecus Vteri regioni frequenter apponatur ſpongia ad ſuffitum, madefacta in decoct. orig. puleg. calament. ſabinæ, rad. lilior. alth. fœnic. & aliis huiuſmodi; mox inungatur ol. lilior. albor.

Ex pharmacia deſumenda Lenientia, Præparantia, menſes Mouentia, & Alterantia, Purgantia primò totum, deinde caput, Expectorantia, capitis humidam intemperiem Corrigentia, Vlcus Exſiccantia, & à Proprietate Iuuantia.

Lenientia eſſe poterunt potio ex manna clarificata, ſyr. roſ. & mel. uiol. ſolut. caſſ. cum tart. & liquirit.

Præparantia verò oxymel ſimp. cum decoct. cichor. endiuiæ, borrag. maluæ, Violar. capill. Vener. & hyſſopi; Sic ſyr. de hyſſopo, de Ibiſc. de pom. de ſarſ. aut pulmon. cum decoct. prædicta, vel ſuccus maluæ depur. cum ſuc. pom. apior. Purgantia leuia ſint, additis nimirum infuſioni conſuetæ pro manna clarificata pauco Agar. & Rhab. vel caſsiæ Troch. de viol. cum ſcammon. A quibus omnibus bibat ſerum aſin. depur. ad ℔ ii. duobus verò ſequentibus diebus, aſſumat ſuccos depur. maluæ, violar. & endiuiæ in diluto pectorali. Mox die quarta præbeantur pil. capitales aureæ, & aggreg. & ab iis ſerum depur. vt ſupra, aut aq. Noceræ; neque vnica uice ualidum huiuſmodi purgans formidandum; namque, & ipſe Gal.
[g] 5. Meth. 14. [g] hæmoptoicis pil. ex aloe, ſcam. colocynth. agarico, bdellio, & gummi arabico præbuit. Hoc verò tempore errhina leuiora in vſum ducenda, ut pul. maior. & iridis. Neque expectorantia, potiſſimum matutinis horis omittenda, quorum primum ſit detergens huiuſmodi. ℞. ſuc. caul. ℥ i. mulſæ ℥ vi pulu. pulm. vulp. ʒ i. rad. Irid. ʒ ſ. ſacch. cand. ℥ i. m. & bull. ſimul ad eclegmat. conſiſtenriam; mox præbeatur óxymel ireatum cum gutt. ol. chalcant. Ad capitis verò humidam intemperiem, decoctum conueniet, exſiccans quidem, ſed parum calefaciẽs, quo & vlcus exſiccari poſſit, quod hoc ſtatu morbi parandum ſuaue, & generoſum, tali pacto. ℞. caudar. cancror. carnis teſtudin. cochlear. uino albo ablutar. an. ℥ vi. aq. font. ℔ xx. m. bull. ad carnium coctionem, in fine addendo fol. conſolidæ, veron. pimpinel. burſæ paſt. an. pug. i. deinde bull. parum, & decoct. adde ſantalor. albor. raſpar. Guaiaci ping. cum cort. raſp. an. ℥ iii. rad. rhod. lig. buxi rad. can. mont. an. ℥ i. m. macerentur omnia per horas xxiv. B. M. in Alembico vitreo benè occluſo, poſtea deſtillentur, cuius liquoris præbeantur quolibet mane ℥ vi. cum gutt. duab. ſpiritus uitr. cui præmitti poterit bol. ex Terebint. lota in aq. capill. Ven. addito ſale artemiſ. In cuius uſu perſiſtat per menſem. Et quoniam præcipit nobis Auic. quod mulieribus cruenta ſpuentibus, etiam

ob

ob menſium retentionem, prouocandi quidem ſint menſes, ſanguinis miſſione, cucurbitulis frictionibus, & aliis huiuſmodi, non tamen medicamentis menſes mouentibus; ideo prope tempus conſuetum, addere poſſumus decocto iam dicto cochlear aq. ſabinæ ſtillat. uel ol. eiuſdem ad gutt. v. Sicut extrinſecus eo tempore efficax remedium ſunt fila cannabina nuper decocta, adhuc calentia Vteri regioni per horam, bis die appoſita; nec enim ad maiora deuenire licet.

His omnibus peractis, a proprietate iuuantia ſunt in uſum ducenda, ex quibus duo ſelectiora propono; quorum alterum eſt aqua deſtillata ex hedera [h] terreſtri, præmiſſa conſerua roſar. ſæpè matutinis horis aſſumenda; alterum aqua pimpinellæ cum Troch. de camphora. Langius,

Victus rationem quod ſpectat, Aer inter pulmones exſiccantia primum locum obtinet; ideo Galen. ægros mittebat in Africam, in Ægyptum, ad Tabias, ſeu montem Veſuuium, non procul à mari. Cuius vice ſuffumigia in cubiculo parentur ex thure, myrrha, benzoino, & ſantalis citr. In victus autem ratione continetur lactis aſinini uſus, & cibi ſubſtantificè humectantes; ſic parentur morſel. ex pulpa capon. cum amygd. pineis, ſem. frigid. ſacch. & cinnam. Caro item, & ius Teſtudinum, & caudæ Cammar. ſua craſſitie, & viſciditate valde nutriunt, Vlceris conſolidationem accelerant, & ſua frigiditate humorum acrimoniam remittunt. A cibo perpetuo utatur ſacc. roſ. Et hæc ad vitæ productionem Nob. Patientis, in gratiam Viri Excell. ſatis ſuperque.

XX.

CATARRHALIS DESTILLATIO.

Sputum Sanguinis.

PAtiens Illuſtriſs. annorum 27. temperamenti ſecundum totum, potiſſimum verò ſecundum iecur, calidi & ſicci, proceræ ſtaturæ, & gracilis habitus, capitis autem calida, & humida intemperie præditus, liberalius viuens, tribus abhinc annis, poſt tuſſiculam quandam à materia catarrhali ſubſalſa, ad pulmones deſtillante excitatam, ſanguinem extemplò copioſum per os excreuit, tanto impetu, vt narium quoque venas patefecerit, à cuius excretione, poſtero die optimè ſe habuit, ſine febricula, ac ſine ulla ſanguinis excretione; cuius cauſa Medici conſilio purgationem ſubiit, decoctum aſſumpſit, & ſudauit per 40. dies, à quo melius quidem ſe habuit Pat. non tamen integram valetudinem omnino conſequi potuit; cùm ſemper de quodam pectoris affectu, ſiue pondere conqueſtus ſit; præterquamquod deſtillatio, quæ jam parumper remiſerat rurſus increuit, & ferè, vt antea moleſta, inuaſit. Anno circiter exacto, cùm breue iter, non verò violentum feciſſet ſub radijs ſolaribus, rurſus erupit ſanguis, & quidem maiori copia, qui pariter, ut ſupra, ſubſtitit eodem die, ſemper tamen tuſſicula perdurante, cum excretione catarrhalis materiæ; per diem ſolùm ſanguine perfuſæ; ſecuto verò tempore, craſſæ, & flaui coloris, necnon copioſæ, potiſſimum ſub aurotam, & ſummo mane. Interim nulla alia medica præſidia adhibuit, ſed conſueta victus ratione uſus, ſex alijs poſt menſibus, rurſus in eandē incidit per os excretionē, minori tamen copia, quæ pariter, ut ſupra, horarum ſpatio ceſſauit, ſemper autem hucuſque tuſſis perdurat, cum catarrhalis iam dictæ materiæ excretione. Verùm ab hoc tempore vires nonnihil imbecilliores fuerunt obſeruatæ, cum totius corporis macie, quæ tamen paucis menſibus à prima purgatione incepit, quo tempore Par. Nob. Vxorem duxit. Modò in præſentiarum conqueritur de quadam pectoris anguſtia, potiſſimum dum ſcalas, & loca accliuia conſcendit; præterea perſiſtit tuſſis ſatis moleſta, & potiſſimum horis matutinis, cum catarrhalis materiæ craſſę, & flauæ copioſa reiectione; & quod peius, horis veſpertinis febre corripi ſibi videtur, præcedentibus oſcitationibus, & æſtuatione non adeò leui toto corpore diffuſa; ſolita autem munia obire poteſt, ſed cum ſenſibili virium languore, atque imbecillitate, quæ ab eodem, etiam circa ventriculum, cæteraque viſcera naturalia, in coctionibus perficiendis obſeruatur. De agendis itaque conſulit.

Feruidum ſanguinem in toto venoſo genere Pat. Nob. olim aceruatum fuiſſe, nobis ſatis ſuperque demonſtrare poſſunt eiuſdem temperamentum, tum iecoris, & cordis, tum totius calidum & ſiccum, gracilis habitus, promptitudo ad motum, & ad actiones agilitas; ſed præterea hoc idem confirmauit repentina, & inopinata eiuſdem copioſi ſanguinis per os excretio, tanto impetu ſurſum erumpentis, ut narium quoque venas aperuerit, eiuſdem calore, & acrimonia, venarum in toto facultatem irritante, quæ per venas pulmonum ſeipſam exonerauit, utpote partem à præcedente tuſsi cæteris imbecilliorem redditam. Per anaſtomoſin autem ſanguinem profluxiſſe exiſtimandum, licet deſtillatio à capite in pulmones, tuſſim excitans, ſubſalſa fuerit percepta; etenim ſi per diæreſin tanta ſanguinis copia excreta fuiſſet, vlcus certè non parui momenti ſuiſſet excitatum, quod nec adeò facilè coaluiſſet, neque integri anni ſpatium, ſine puris ſputo, & febre vacuus, perfectè ſanus tranſegiſſet Pat. vt videre eſt apud Gal. [a] Repetijt autem anno poſt copioſa iterū ſanguinis per tuſſim excretio, quam forſan ſuſcitauit, & accelerauit cum nuper nupta concubitus, licet nullum pariter malū, ſiue ſymptoma ei ſucceſſerit, excepta tuſſicula frequenti, & moleſta; donec ſemeſtri exacto rurſus erupit ſanguis eodem modo, non adeò tamen copioſus, à quo tempore, duobus nimirum abhinc menſibus ab excreto ſanguine, non amplius, ut antea benè ſe habuit Nob. Pat. ſiquidem horis veſpertinis potiſſimum, febrili calore ſe corripi obſeruauit, & proprias vires diminui; tuſſis verò moleſtior facta eſt, cū copioſiori catarrhalis materiæ, poſtremis diebus putrefactæ expuitione, horis præcipuè matutinis; tandemq; reſpiratio laborare cępit, potiſsimum in locorum accliuium conſenſu, totius corporis habitu graciliori reddito. Quæ omnia à nobis obſeruata fuerunt, non ſine lienis quoque aliqua tenſione; quod nobis ſuſpicandi anſam præbuit, ſanguinem poſtrema vice non per anaſtomoſin, ſed per diæreſin fuiſse eiectum, & certiſſimum ſaltem exiſtimamus, catarrhalem materiam in pulmonibus putreſcentem quotidie, veſpertinis horis, febrem quidem putridam, non tamen [b] humoralem, ſed catarrhalem excitare, cuius cauſa totum corpus extenuetur; quæ præterea materiæ copia in pulmonibus hærens, pondere ſuo aſcendenti difficilem efficit reſpirationem; vnde ſi prima phthiſis ex ulcere non adſit, ſecunda ab Hipp. deſcripta [c] ex pulmonum ſcil. flacciditate imminet, quam poſtea fixa quoque febris conſequetur.

[a] 5. Meth. 14.

[b] 2. de nat. fac. vlt.

[c] 1. in 1. Epid. 17.

Quorum omnium iam explicatorum ut progreſſus prohibeatur, & reparetur ſanitas ipſa, præcipua medica intentio fuerit, cauere, ne tuſſiat [d] Patiens, neue quicquam in pulmones delabatur; ac proinde fluxionis cauſa tollenda, humidam capitis intemperiem corrigendo, & catarrhalem materiam à capite diuertendo; prout quæ in pulmonibus hæret, ſenſibiliter, & inſenſibiliter euacuanda, & diſcutienda; atque pulmones ipſi exſiccandi, atque roborandi.

[d] 5. Meth. 15.

Quæ tamen præſtare poſſe perarduum exiſtimamus, ſi Gal. verba perpendamus, dicentis quod. [e] *Cùm uas in pulmone ruptum eſt, niſi protinus glutinatum ſit, antequam phlegmon excitetur ſcire apertè licet, id poſtea inſanabile fore.* Cui calamitati breue admodum tempus concedit, dicens. *Qui ſe mihi primo die curandos commiſere, omnes ſanaui; qui verò poſt duos, vel tres dies, non omnes; quotquot autem phlegmon occupauit, ita ut ſebricitarent, nullus eſt in totum perſanatus, ſed ab exſiccantibus, callo obducto, longiorem vitam produxerunt.* Attamen quoniam febricula periodica eſt, & ideo non à læſis pulmonibus, ſed à putreſcente catarrho prouenire, credere iuuat, ideo ſalus deſperanda non eſt, ſed omni induſtria, ac ſolicitudine iam dictæ intentiones ſunt perficiendæ.

[e] 5. Meth. 8.

Atque omnium primò ex Chirurgico fonte, ſaluatella ſiniſtra erit tundenda, & ſanguis, loco, & tempore, ad ℥ v. nec ultra educendus; ſicut ſecundo loco, venæ hæmorrhoidales reſerandæ, totidem ſanguinis vncijs eductis.

Ex Pharmaceutico deſumenda Lenientia, Præparantia, leuia Purgantia, viſcera naturalia Aperientia, humidam capitis, & pulmonum intemperiem Corrigentia, & pulmonum vaſa Roborantia.

Primum leniens ſit pot. ex manna clarif. Præparans verò iulap. acet. cortic. citri aromatiz. vel oxymel. ſimpl. ad ℥ iij. quotidie per quinque dies. Inde repetatur iam præſcriptum medicamentum; vt mox ſecunda humorum præparatio adhibeatur, ſuccis potius herbarum, quàm ſyr. ſaccharatis, aut mellitis, ut qui viſcera inflent, & obſtruant. Sumat itaque ſucc. depur. cich. malu. beton. an. ℥ l. in decoct. cichorac. additis malua, lupulis, & agrim. necnon tart. vitriol. gr. vii. ratione lienis, idque per octo dies; atque inde præparati humores expurgentur ita. ℞. pot. ex manna clarif. ℥ vi. addendo infuſ. conſuetæ agar. troch.

ʒ ii.

ʒ ii. rhab. optim. myrobal.chebul.an. ʒ i.cinnam.integr. ʒ i. m.f.p.& tribus horis ab ea, bibat ſeri capr. aut aſinini depur.℔ i.ſ. His peractis, caput quoq;intermiſſo die, erit expurgandum pil.coch. aur.& aggreg. epoto ab iis iure, aut aqua hord.

Hypochondria poſtmodum ad decocti uſum, cum ſudore adeò neceſſario, ſunt præparanda refrigerantibus, & humectantibus. In hanc rem itaque aqua Noceræ exhibenda ad ℔ v. cum vehiculo mannæ clarif.aut ſyr.roſ.ſolut.tribus,aut quatuor continuis diebus.Mox ſtatim ad capitis, & pulmonum exſiccationem deueniendum decocto ita parato. ℞. radic. roſar. viſci querc. chinæ opr. lentiſci è Chio,ſantal. alb. an. ℥ ſ. Aq. deſtill. cich. beton. an. ℔ i.ſ. aq. pulmon.℔ i.m.f.inf. per horas 24. deinde bull. ad conſumpt. dimidii, & colat. ſeruetur pro tribus diebus,matutino tempore,hora vna ante ſudorem aſſumenda,qui in hypocauſto prouocandus, ut caput, fons mali ſudet, & exſiccetur, qui deinde in lecto perficiendus. Decocto autem, non prohibente macie, præmitti poſſet puluis viperinus, ad gr. x. ad ſudorem facilius proliciendum, & pulmones magis exſiccandos. Perſiſtat autem in ſudore cum decocto, ad 30.dies, niſi aliquid emergens prohibeat, quod Deus auertat, & decimo quoque die præbenda manna clarif. Interim potio conſueta ita parabitur. ℞. reſiduum, aq. opt. ℔ x. m.bull.ad conſumpt. tertiæ, & ſub finem adde cinnam. integri ʒ ii. bull. par. & in colat.adhuc feruenti diſſolue ſacch.fin.℥ iv.m. Victus autem nec tenuis, nec attenuans ſit, ſed quotidie, præter panem conſuetum, nucleos pineos, & paſſulas, comedat vel pullum iuniorem, vel hædinam carnem, vel vitulinam tenellam, vel ptiſanam hord. cum ouo recenti, & ſaccharo; vel panarell.cum emulſ.nucl.pineor.& ſem.melon.

Atque toto hoc temporis ſpatio, caput purgare, & fluxionem à pulmonibus diuertere non deſinat, quotidie ieiuno ventriculo, per nares adducto puluere ex maiorana, vel itide parato, more tabaci.

Peracto ſudore, ad aquas vitriolatas, tanquam ad ſacram anchoram confugiendum, vel da Engaddinas S. Mauritij; vel ad proximiores in Valle Solis enaſcentes;flaccidos enim pulmones, imò & fracidos mirabiliter conſolidare, exſiccare, atque corroborare ſolent, & naturalia viſcera obſtructionibus explicare.

Interim victus ratio,iam dictis proportionata, à Doctiſſimo Viro præſcribenda,vſu conſeruæ roſarum numquam omiſſo,& vino lentiſco,ſantalo, & tamariſco medicato, ad menſam, parato. Quæ omnia Sapientiſs. Viri directioni lubens committo, ut optatum finem ſortiantur.

XXI.

SANGVINIS EXCRETIO. CATARRHAlis deſtillatio. Et Spirandi difficultas.

Illuſtriſſimus Vir, qui iam ſanguinis per tuſſim excretione ex anaſtomoſi, catarrhali deſtillatione, & ſpirandi difficultate laborauit, modò prima ſanata affectione, de reliquis duabus conqueritur, & potiſſimum de moleſtiſſima, atque copioſa deſtillatione, in pulmones potiſſimum, quatuor horis à cibo, ingraueſcente, ac tuſſim, & ſpirandi difficultatem, minorem licet, excitante; quam proinde à capite eſſentialiter calida, & magis humida intemperie affecto originem ducere puto; quoniam perennis eſt, atque copioſa; non tamen aliquem quoque à venoſo [a] genere conſenſum omnino excluſerim, cùm materiam catarrhalem à capite, maiori parte in uentriculum, minori verò in pulmones defluere credendum ſit; & præterea cùm aſſiduis, imò indefeſsis applicationibus, quin coctio ventriculi perpetiatur, impoſsibile videatur; adde quod quatuor horis ab aſſumpto cibo, deſtillatio, indeque tuſsis inualeſcere ſoleant, à qua agitatione concoctiones non parum perturbari certiſsimum eſt, quæ, vt perfectè celebrentur,quiete indigent. Accedit ventriculi affecti indicium, ſiniſtræ auris tinnitus, mane obſtrepens, à ventriculo peracta coctione, ex cruditatibus relictis euaporationes ad caput tranſmittente, quibus diſcuſsis, & diſsipatis, ſoluitur quoque & ipſe tinnitus; a 2. de diff.Feb.11

nitus. Crudi autem ſucci, ad venas præterfluunt per lubricas vias, nullam propterea, aut leuem inferunt ventriculo noxam; verùm materiæ catarrhalis, ad pulmones pertingentis portio tenuior, in eorum cauum delapſa, & à loci conditione craſsior reddita, tuſsi non adeò leui excernitur; prout craſsior in bronchiis hærens, difficilem efficit reſpirationem, & faciliori tuſsi forſan eiicitur.

Vt autem Nobiliſs. Viro ſuccurramus, falcem ad catarrhi radicem apponere omnino debemus: etenim [b] *Catarrhus eſt omnium morborum fons, & ſoboles; cuius vi totum corpus languere*, dicebat Gal. ab Hipp. deſumptum, dicente [c] *Fluxiones magno tædio, & moleſtia naturam frangunt*. Atque ita imminet hoc caſu periculum, ut a perenni humiditate pulmones laxante flacciditas contingat, ſecundæ phthiſis ab Hipp. [d] deſcriptę cauſa, ſine præcedente pulmonis vlcere. Præterquamquod, declinante calore, materia craſsior euadere poterit, quæ difficiliorem reſpirationem efficere valebit. Hæc autem ope medica præcaueri poterunt.

b 1. de Sanit. Tu. 8.
c de Glan d. 8.
d 1. in 1. Epid. 17.

Quare legitima curatio, primis diebus proximè futuri menſis inchoanda; & omnium primò per partem poſt partem, totum expurgandum. Secundò caput, & pulmones. Tertiò humida capitis intemperies corrigenda. Quartò pulmones exſiccandi. Et tandem pars mandans, & recipiens, caput nimirum, & pulmones roborandi.

Quibus intentionibus vt ſatisfaciamus, ex fonte Chirurgico repetita erit deſumenda ſanguinis miſſio, ex brachio ſcilicet, & ex hæmorthoidibus. Cauterium in brachio, ſi non geſtet, inuratur. Ante cęnam verò frequentes pedum lotiones, & mane antequam ſurgat, humeris, & dorſo frictiones adhibendæ.

Ex Pharmaceutico fonte depromenda primò Lenientia. Secundò Præparantia. Tertiò Purgantia totum, caput, & pulmones. Quartò capitis intemperiem Corrigentia, & pulmones exſiccantia. Quintò tandem partes Roborantia.

Leniens ſit potio ex manna clarif. aut caſs. & lenit. cum tart. Primum præparans, mel. roſ. ſol. & oxym. ſine diluto, per quinque dies; quod mox ſequatur purgans, ex manna, inf. addendo agar. troch. ʒ ii. Repetatur poſtea vlterior præparatio decoct. cich. borrag. end. malu. beton. hyſſopi, farfaræ, pulmonariæ, cum oxymel. ſyr. de hyſſopo, & de farfara. Qua peracta euacuatione inſtituatur purgatio infuſ. agar. troch. rhab. & fol. ſennæ, addita manna clarif. aut ſyr. & mel. roſ. ſol. aut elect. lenit. cum diaphœnic. bolis; à quibus, tribus poſt horis, bibat mulſam dilutam, ex aq. hord. paratam.

Toto expurgato, caput, & pulmones expurgandi; in quem finem primò pilulæ huiuſmodi parentur. ℞. pil. cochiar. aurear. de agar. Meſ. an. ʒ ſ. m. ref. pil. & aur. tribus vicibus repetendę, quarto quoque die. Diebus verò intermediis, aſſumat talem ſyrupum. ℞. decoct. cich. borrag. beton. ſtęchad. maioranæ, hyſſopi, praſsij ℥ vi. ſyr. de beton. de ſtęchade, oxymel. ſimpl. an. ℥ ſ. m. pro ſyr. & ſic pro aliis. Interim, matutinis horis, naribus adducat hoc errhinum. ℞. pulu. maioranæ, Ireos an. ʒ ii. nigellæ ʒ i. m. Pectus quoque expurgetur ireato oxymelite, aut butyro ſulphuris miſto, aut oleo ſacchari, ex ſaccharo nimirum, & aqua vitæ ſublimata parato.

Sic toto, & partibus à materia catarrhali iam genita expurgatis, eiuſdem regeneratio inhibenda, humidam capitis intemperiem corrigendo, & pulmones eodem tempore exſiccando, ſine quibus nihil; id autem nullo tutiori, & commodiori modo pręſtari, ac obtineri poterit, quàm proprio decocto cum ſudore, cuius deſcriptionem in medium adducam, ut petitioni ſatisfaciam. ℞. uiſci querc. ueri, lentiſci è Chio, radic. enulę camp. an. ℥ i. radic. roſar. ℥ ſ. ſaſſafras ʒ ii. aq. ſtill. beton. ℔ ii. aq. capil. Ven. ſarfarę an. ℔ i. m. f. inf. per horas 24. deinde bull. ad conſumpt. dimidii, & colatura ſeruetur pro tribus diebus matutinis horis aſſumenda, hora una ante ſudorem, qui omnino in hypocauſto proliciendus, ut caput exſudet, uberioris humiditatis ſons, & origo. Primis tamen diebus, parum moretur in hypocauſto, ſed ſudet in lecto; in progreſſu verò diutius hæreat, non tamen ultra horæ dimidium; & vt facilius prolectetur ſudor, atque pulmones quoque laxiores exſiccari poſsint, pręmittatur hic bolus. ℞. extr. radic. helenij ℈ i. flor. ſulph. ℈ ſ. m. ref. bol. Quod ſi extractum pręſtò non ſit. ℞. pulu. cor. cerui phil. ℈ ſ. viperini, butyri ſulph. an. gr. vi. m. & cum aq. cinnam. q. ſ. f. bol. i. & aur. in cuius uſu perſiſtat ultra 30 dies, qualiber hebdomada ſumendo potionem ex manna clarif. aut pil. de agar. Meſ.

Victus autem hoc tempore ſit quidem attenuans, at non tenuis, adeò ut alternis diebus ad prandium concedi debeat columba turricola aſſata, vel pullus iunior, nonnunquam uerò ptiſana hordeac. cum ſaccharo. Omnino abſtineat à uino, & aqua ſecunda uratur,

quæ

quę ſuauior ita parabitur. ℞. reſiduum,aq. com. ℔ xii. m. bull. ad conſumpt. tertię; in fine ebull. adde cinnam. integri ʒ ii. bul. par. deinde coletur, & colat. adhuc feruenti addatur ſaccharum puluriz. ad lubitum, & ad guſtum Nob. Patientis. Nec admittenda obiectio, a Patientibus, & medicis vulgaribus fieri ſolita, de capitis caliditate, aut ſuffocationis periculo; etenim quoad primam, eatenus calor caput lædit, quatenus ab eo liquatur humiditas in capite hærens, in quo liquata permanet; quæ tamen ſi liquata ab eodem calore effundatur, & per ſudorem educatur, nulla capiti à calore noxa, quin potius leuamen. Secunda verò locum habet, præſente ſolum orthopnœa. Quare ſi Pat. in hypocauſto commorante ingraueſceret ſpirandi difficultas, ut primis diebus quandoque contingit; tunc ſtatim egrediatur, & ſudet in lecto; in progreſſu enim ſudor in hypocauſto commode tolerabitur. Et licet ab Auicen. & aliis commendetur ius galli antiqui flagellati, & modicè ſalſi pectoralibus alteratum; attamen caput ab illo parum, aut nihil iuuamenti percipit; ut propterea ſudor nullo modo omittendus ſit.

Peracto ſudore, ad pulmonum exſiccationem opportuniſſimus foret uſus aquarum ſulphurearum, decem, aut duodecim dies per os, quo tempore in caput quoque ex iiſdem ſtillicidium parati poſſet. Verùm nonnihil obſtare videtur iam excreti ſanguinis ratio; quod ideo adſtantium medicorum prudentiæ tunc decernendum relinquo. Omnino verò aliquod medicamentum caput, & pulmones corroborans in uſum ducendum, quale eſſe poterit hoc ſuaue electuarium. ℞. conſeruæ roſar. beton, botridis an. ℥ ii. pulu. pulm. vulpis præp. ʒ iii. butyri ſulph. ʒ ſ. ſucci pomor. dulc. q. ſ. m. & ad ignem ref. elect. cuius doſis ad cochlear, mane aſſumendum. Omitto meditullium enulæ, tanquam amatum, & faucibus ingratum; imò ſemper utatur aliqua ex iam dictis conſetuis, alternato earum uſu ſub ingreſſum lecti. Interim hoc tempore in uſu iuris Turturis alterati cum Terebinth. pergat Nob. Vit, ut affectui ſaltem, ſi non cauſę proſpiciatur.

Ratio uictus proportione his reſpondeat, cuius magna uis, tum ad curationem, tum ad præſeruationem. Fugiat itaque aerem caliginoſum, & nebuloſum, necnon diuturnam moram ad ignem, & Solem. Alteretur cubiculi aer ſtyrace, myrrha, iunipero, ſantalo citrino. Cruditates, tanquam peſtis, fugiendæ, ac proinde magnę repletiones. Abſtineat à cibis frigidum, uiſcidum, & lentum ſuccum generantibus; ſicut & ab extremè calefacientibus. Potus ſit vinum ſubdulce. Somnus moderatus, capite eleuato in grauiori difficili reſpiratione, decliui extra acceſſionem. Exercitium ante cibum non omittatur. Et ſicut non conuenit nimia repletio, ita nec nimia inanitio. Rara ſit Venus. Vtatur ſemel in menſe, aut bis, pil. de agarico Meſ. additis pul. iridis, & butyro ſulphuris. Vitet vehementes animi motus, & penitus ſtudia, & applicationes à cibo. Quæ omnia Nob. Patienti ſalutaria, à Deo precor.

XXII.

SANGVINIS EXCRETIO PER OS, cùm deſtillatione.

INter Medicos illos deceptos [a], qui ſanguinem in pectus præcipitantem, moxque ab eo tuſſi eiectum, à pulmonibus erumpere credebant, locum habere peropto, qui & hoc crederē difficilius, niſi & prægreſſa, & præſens adeſſet praua partium ſpiritalium conſtitutio, thoracis nimirum [b] anguſtia aliqua, ad ſputum ſanguinis facilè procliuis, quæ imbecillioris quoque innatę cordis [c] caliditatis indicium præbet; & præterea niſi à perenni capitis deſtillatione, in pulmonem delabente, tuſſis moleſta eſſet excitata, cuius cauſa vaſa pulmonum, & præterito tempore, & præſenti reſerari, & per anaſtomoſin copioſum ſanguinem effundi, & antehac effuſum fuiſſe decernendum foret; præterquàmquod uaſorum uitio uitium quoque [d] ſanguinis addere cogimur, non ſolùm à calido iecoris temperamento; uerùm & à continuo vini dulcis, & aliquando maluatici uſu; intenſiori quoque accedente in negotiis ſtudio; quibus omnibus adiiciantur quoque febres, totum venoſum genus non parùm excalefacientes. Quare à vitioſo, & forſan copioſiori

a 4 de Loc. Aff. & 6.

b 3. in 3. Epid 70.

c 3. in 6. Epid 18.

d 1. de Symp. Cau. 2.

 ri

ri genito ſanguine, vaſa replente, & facultatem irritante orificiis eorundem recluſis, ſanguinem eundem copioſum, & diuerſæ conditionis, toties effuſum fuiſſe iure exiſtimandum. Hic verò eodem tempore tum per carotidas, ad nares transfundi, tum pulmonis uaſa reſerare poteſt, cùm præſertim tuſſis hæc omnia uaſa diſtendere valeat. Veruntamen diæreſis mihi hucuſque videtur excludenda, cùm plures dies iam prætererint à primis ſanguinis excretionibus, necdum ſebricula ulla excitata fuerit; cùm tamen Gal. tertium
e 5. Meth. 14. diem [e] tantummodò eius terminum conſtituat; & ideo pelliculam illam enarratam, uaſorum membranam eſſe non pòſſe optimo iure ſperandum; non ſolùm enim febris ex vlcere cum purulentis ſputis obſeruaretur; ſed ſanguis quinetiam nullo medico auxilio ſiſti potuiſſet; cuius cauſa credendum potius, à ſanguinis fibris catarrhali materiæ immiſtis, & à calore denſatis, pelliculam illam efformatam fuiſſe.

Quodcunque demum ſit, omnia agenda, ut ſanguinis excretio ſiſtatur, & uaſa pulmonis roborentur, ne fortè copia confertim erumpens, ſuffocationis ſubitaneæ periculum inducat; ſi enim à capite in pulmones præcipitaret, exiguum, aut nullum nobis negotium faceſſeret; nunc enim ſola eiuſdem ſanguinis expectoratio ſat foret.

Quare ſanguis reuellendus, refrigerandus, & incraſſandus; uaſa autem adſtringentibus
f 5. Meth. 15. roboranda, & quoad fieri poſſit, tuſſis [f] lenienda, deſtillationem diuertẽdo, & intercipiendo.

Quibus intentionibus ſatisfacere conati ſunt ſemper hi Viri Excell. repetitis ſanguinis
g de Sang. Miſs. 7. miſſionibus, ut docet ipſe [g] Gal. Nunc uerò reuulſionibus, necnon diuerſionibus ſemper inſiſtendum; Cucurbitula magna viſceribus naturalibus appoſita, & quandoque occipiti cum Paulo, & calentibus lotionibus, bis ſaltem in die, pedibus adminiſtratis, & inter has
h 5. Meth. 13. uinculis alternatis. Atque Matronæ Romanæ [h] hiſtoria ſemper præ oculis habenda in intercipientium uſu; ideo ceratum capiti, non quidem rubificans, vt in illa, ſed ſaltem cohibens, & ſiſtens, quale eſt Claudini, utpote magis temperatum, quàm illud Montagnanæ, adhibendum; quod ſpectaſſe video Viros Excell. qui pro theriaca recenti, Querc. Nepenth. exhibuerunt, repetendum quinetiam vrgente neceſſitate, non tamen vltra grana duo; verùm idem præſtare obſeruaui ſyr. de ſem. alb. nimirum de papau. ad ℥ i. exhibitum, qui non ſolùm catarrhalem deſtillationem ſiſtendi, verùm & ſanguinem ipſum refrigerandi, atque incraſſandi facultate pollet.

Interim ſanguis refrigerandus, & incraſſandus eſt, non coaceruatis ſeroſitatibus. Ideo ſummo mane, & veſperi ante cœnam, aſſumi poterit cyathus aq. portulacæ, & plantaginis; vel deſtill. ex tenerrimis quercus ſoliis, vel plantaginis, & ſymphyti; quibus aquis addi poterit tinctura corall. uel præmittatur puluis ad ℈ i. croci Martis conſtrictiui, quo tamen multò efficacior eſſet eiuſdem tinctura. Tragacanthum frigidum cum bolo maſticandum, & manducandum præbeatur, quod noctu quoque ore detinendum. Efficax quoque erit tinctura roſarum, cum aqua plantag. parata, & ſpiritu vitrioli extracta, ad cyathum aſſumpta, vtpote quæ ſanguinem contemperare, cogere, uaſaque conſtringere poſſit. Prærogatiuam quoque habet aqua ſtill. vrticæ, cum ſpiritu vitrioli, ad vaſorum conſtrictionem.

Verùm quoniam aliqua dyſpnœa, ob anguſtiam ex catarrhali materia, quandoque excitatur; ideo aliqua expectorantia, ſed opportunè, & cautè permittenda, qualis eſſet ſyr. acet. cum ibiſco, cui addi poteſt gutt. i. aut ii. aq. ſulphuris.

Quod ſi res ex uoto ſuccedat, ut ab hoc inſultu immunis euadat Illuſtriſs. Pat. alterutrum horum remediorum erit in uſum ducendum, Lac ſcil. pauca tamen hoc permittente catarrhali deſtillatione, aut eadem obſtante, decoctum China, ſantalis, radice roſar. & radice cannæ montanæ, in iure paratum, ut interim appetat tempus bibendi aquas vitriolatas, in Valle Solis ſcatutientes, ad quas conferre omnino ſe debebit.

Quibus interim congrua victus ratio addenda, quam paucis complectitur Celſus dicens, quod inimica ſunt, viuum, balneum, Venus, oleum, acria omnia: neceſſaria autem quies, ſecuritas, ſilentium. Sic Tral. lactaria libenter concedit; ſicut Paul. extrema animalium, & eorundem cerebrum. Oua recentia, uix ad ignem excalefacta, conſerunt quinetiam, ſicut & ptiſana, cum diacodio. De potu ait Celſus, quod bibant ita, ut ſciant huic morbo ſitim prodeſſe. Potus autem erit aqua Noceræ, ſed Chalybeata. Quæ omnia D.O.M. ſalutaria reddat Illuſtriſs. Pat.

H Æ.

XXIII.

HÆMOPTYSIS.

HÆmoptoicus Vir hic Illuſtriſs. à capitis deſtillatione, bilioſis ſeroſitatibus immiſtis, tandem euaſit; ſicut enim caput excrementorum ferax, ita iecur præcalidum natura ſortitus fuit; quæ deſtillatio iandiù ad pulmones delabens, tuſſim moleſtam excitauit, quam non parua, & frequens ſequuta fuit ſanguinis excretio. Et licet per anaſtomoſin à pulmonum vaſis profluxiſſe creditum fuerit; attamen circa bronchia pulmonum diæreſin aliquam factam fuiſſe iure ſuſpicamur, quòd anhelitus difficultas, cum quadam raucedine huic ſucceſſerit, dum ſcil. materia catarrhalis delabens, antequam pulmones attingat, in aſperæ arteriæ, & bronchiorum confinio impedimentum, & obicem nacta hæret, incraſſatur, & aeris meatum intercipit; qua ratione obſeruatur; quod eadem materia quandoque leuiſſima tuſſi extruditur; prout tuſſi violentiori eget pulmonum cauitati inhæreſcens, quæ dum ad motum corporis, & potiſſimum per loca accliuia commouetur, & effertur ad bronchia, auget ſpirandi difficultatem. [a 2. de Symp. Cau. 4.]

Vt autem & caput, & pulmones exſiccarentur, decoctum ſimplex primò, mox cum ſudore fuit illi præſcriptum, ut ab eo Patiens, non ſolùm ad pulmonum exſiccationem, verũ & ad iecoris, venarumque refrigerationem, necnon ſanguinis perfectam ſuppreſſionem, aquas acidulas, imò vitriolatas, in Valle Solis enaſcentes aſſumeret; at neutrã intentionem conſequuti fuimus. Et primò quidem non capitis exſiccationem; quia ſudor paucis diebus, & parcè fuit excitatus. Nec ſecundò iecoris, & ſanguinis contemperationem; quoniam aquæ vitriolatæ, licet ferè in omnibus permeare, ac præterfluere ſoleant, in hoc tamen Nob. noſtro Pat. ſubſtiterunt, ut propterea ſecunda, aut tertia die earũ uſum intermittere fuerit coactus, huius infortunii cauſam quoque omnino ignorans; quam tamen, poſtquam ad manus noſtras peruenit, ſolo tactu ſtatim deprehendimus; hepar enim inueteratis obſtructionibus implicitum nobis occurrit, eò quinetiam progreſſis, ut ipſius tenſio, tumoris potius, quàm obſtructionis naturam repræſentet, quæ ſi nobis literis ſignificatæ fuiſſent, aquarum certè uſu dimiſſo omnino, decoctum potius nonnihil deobſtruens præſcriptum foret.

Modò tuſſis perſiſtit moleſtiſſima, nondum remiſſa immoderata capitis eſſentiali humida intemperie, & ſpirandi difficultas inualeſcit, à materia copioſiori ad pulmones irruente, & forſan quoque ab ulcere adaucto. Color totius corruptus eſt; & pedes quandoque intumeſcunt, affecto iecore non ſolùm ex morbo inſtrumentali, obſtructionibus ſc. contractis; verùm & à propria intemperie, necnon debilitato ob calorem influentem, qui languidus à corde non pro uſu ventilato ad ipſum transfunditur. Quibus perpenſis non eſt, qui non præuideat imminentem, vel tabem, vel cachexiam.

Quare nihil cunctandum, quinimò omnia agenda, ut iam dicta mala à tanto Viro arceantur. Nec nos deterreat agendorum difficultas. *Satius* [b] *enim eſt etiam anceps remedium experiri, quàm ægrum certæ morti relinquere*. Et quoniam morbo magno conuenit remedium magnum; ideo leuioribus neque inſiſtendum, neque fidendum eſt. Quamobrem deſtillationi eſt præ omnibus alijs incumbendum, ut quæ fons [c], & ſoboles omnium morborum ſit, & ut cauſa ſine qua non reliqui affectus curari poſſint. Verùm id nos aſſequuturos nullo modo ſperamus ſine ſudore, ope accommodati decocti, utpote qui caput exſiccare, & ut præſens remedium, à pulmonibus fluxionem diuertere poſſit; non tamen id vſurpandum cenſeo, niſi imminutis prius iecoris obſtructionibus. Quare hoc tempore ſtatim cura iecoris eſt ſuſcipienda. [b Trall.] [c de Loc. in Ho. 42]

Omnium itaque primò potio ex manna clarif. præbenda, cui ſuperbibat aq. hord. ſaccharatæ, aut mulſæ dilutæ, ex eadem paratæ ℔ ii. Inde quinque diebus, matutinis horis, ſumat ℥ iii. oxymel. ſ. diluti, cum tribus drachmis crem. tart. omnibus diſſolutis in pauca

aqua flor. citri. Quinque autem poſt diebus, eandem repetat pot.ex manna clarif.epotis ab ℥i, ut ſupra, vel aqua hord. vel mulſa diluta. Deinde ad deobſtruentia deueniendum, ac propterea die ſequenti,aſſumat rhab. opt.ʒ ſ. cum ʒ ii. flor. caſs. bol. reform. à quibus hora poſt,bibat ſer.deſtil.℔ i. & tribus horis ab eo prandeat;in cuius uſu perſiſtat decem cōtinuos dies. Deinde integra hebdomada, quotidie ſumat ſyrup. Fernel. ex noſtra deſcriptione, ad ℥ ii. in pauca aqua de ſucco cich, deſtillat.diſſolutum; à quo, hora poſt, bibat cyathum aq. cich. & agrim. ſyr. de ſucco lim.addito,

Dum iam dicta fiunt,caput ſolis errhinis erit expurgandum, metu ſcil. ne à purgantium validiorum uſu, ſputum ſanguinis denuò concitetur. Paretur autem errhinum leue,ne materiam multùm exagitet; neue ſternutamentum moueat, ex pul. maioranæ, & radicis iridis Florent,

Quibus præmiſſis, ad ſudorem, in quo omnis ſpes noſtra ſita eſt, deueniendum decocto prius aſſumpto, ita parando. ℞. ſalſę electæ ℥ i. ſ. viſci querc. ℥ i, medullæ guaiac. rec. radic. enulæ camp. an.℥ ſ. aq. ſtill. cich. ℔ ii. beton. farf.an. ℔ i. m.f.inf. per hor. 24. deinde bull. ad conſumpt. dimidij, & colat.ſeru. pro tribus vicibus, mane ante ingreſſum hypocauſti exhibenda. Pro potu autem. ℞. reſiduum lignor, aq. comm,opt. ℔ xii. fol, end. malu. pulmonariæ, ſi haberi poterit, an.m.i. pullam iuniorem integram, ſed inciſam, m. bull. omnia ad conſumpt. tertiæ; deinde B.M. deſtil, colar. addendo ſacch. fin. ad libitum Pat,

Victus interim non ſit tenuis,ſed mediocris, adeò ut quotidie comedat, modò carnem pulli iunioris, modò columbæ turricolæ, modò ptiſanam hordeac. modò oua ſorbilia recentia, ſemper autem nucleos pineos,ſaccharo incruſtatos, ſicut & amygdalas;nec panis ſit biſcoctus,cùm omni induſtria vires, & humiditates ſubſtātificæ ſint conſeruandæ, etiā cum minori capitis exſiccatione, Vtatur de more conſeruis, à prandio roſarum, ſub ingreſſum verò lecti beton. ſit quoq; in vſu aliquod intercipiens, noctu ore detinendum, ut diatragacanth.frigid. cum bolo, Aluus lubrica ſeruetur Clyſteribus ex lacte, butyro, & ſacch. paratis, vel flore caſſiæ; potiones enim validè nimis euacuantes, prout purgantia nimis exſiccantia hoc caſu valde ſuſpecta. Quæ anguſtis his rebus in medium adducenda nobis ſuppotunt, meliora à Viris Excell. præſentibus expectantibus,

---

XXIV.

SPVTVM SANGVINIS.

Licet Iuuenis Nob. hæmorrhagiis è naribus obnoxius, tribus abhinc annis ſanguinem per os excreuerit, externa præcedente cauſa, caput ipſum calefaciente, quem propterea ab eodem, per infundibulum ad os defluxiſſe ſit omnino credendum, nihilominus, cùm rurſus non ſemel, ſed iterum, & pluries per os fuerit eiectus, ſiue ſolo ſcreatu, ſiue leui quadam tuſſi; ideo negligendam non eſſe huiuſmodi excretionem cenſemus, ſed conſiderandam, ſi non ut cauſam, ſaltem ut ſignum malum. Etenim [a] *Sanguis quidem ſupra, qualiſcunque fuerit, ſemper malus*, non ſolùm quia prauo motu peccat, verum etiam qualitate, dum ab expultrice venarum irritata,ob eiuſdem acrimoniam, ad earum orificia prius, inde foras extruditur, & quidem per ſuperiora potius, quàm per inferiora, quia utpote calidus, atque feruidus, ſurſum potius petit,prout niger ad inferiora procliuis eſt.

a 4 Aph. 25.

Hic autem malus ab Hipp. exiſtimatus eſt, licet à capitis venis; quoniam eadem occaſione, eodemque impetu, quo in illius venas irruit, & aperit, eodem etiam ad pulmonum venas influere, inflare, ac reſerare poſſet; imò, quod peius, ut acris, & mordax, eaſdem erodere, atque ita, non ſolam anaſtomoſin malam, verùm & diereſin peſſimam temporis ſpatio inducere poſſet.

Quare ut Iuuenis Nob. ab imminentibus affectibus tutus præſtetur, qui præſentes ſæpè curationem reſpuunt, medicam opem implorat;atque ideo noſtrum erit ſanguinis aliquam redundantiam minuere, eandem à ſuperioribus partibus diuertere, & omnium maxime ſeruorem

uorem

norem eiuſdem, atque acrimoniam contemperare. Quibus intentionibus, hoc anni tempore, Paſchatis nimirum, peracto, erit ſatisfaciendum, remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

Et ex Chirurgico fonte repetita depromenda ſanguinis miſſio, primò ex iecoraria dextera; ſecundò ex ſaphena pariter eiuſdem lateris. Præterea quammaximè conferre poterunt frequentes pedum lotiones, aqua calente ante cœnam, prægreſſa potiſſimum aliqua cauſa, caput, & totum corpus valdè excalefaciente.

Ex Pharmaceutico deſumenda Lenientia, Præparantia, Purgantia, Alterantia. Leniens eſſe poterit ſyr. roſ. ſolut. rec. aut caſs. cum lenit. & tart. Præparans per hebdomadam iulap. acet. ad ℥ ii. cum viol. ad ℥ i. ſine diluto. Inde repetendum præſcriptum leniens. Mox vlterior adhibenda humorum præparatio, ſuccis depurat. ut, ℞. ſucc. depur. cich. end. ſonci an. ℥ i. decoct. cich. borrag. end. viol. plantag. hepaticæ ℥ v. m. pro ſyr. & ſic pro aliis. Decem verò poſt diebus, præbeatur purgans huiuſmodi. ℞. flor. caſs. rec. extr. elect. diacathol. elect. de ſucco roſar. an. ʒ iii. m. f. b. & hora poſt, bibat ſeri capr. depur. ℔ ii. Vel ℞. rhab. opt. cortic. myrob. chebul. an. ʒ ii. ſpicæ gr. vi. aq. end. q. ſ. m. f. inf. per hor. 12. & facta expreſs. colat. adde ſyr. roſ. ſolut. ℥ v. m. f. p. & tribus ab ea horis hauriat ſerum; duabus uerò horis ab eo prandeat.

Hac peracta purgatione, iecur potiſſimum erit quammaximè refrigerandum, & hypochondriorum æſtus contemperandus; in quem finem aqua Noceriana, aut B. V. Montis Ortonis foret utiliſſima, primis quidem diebus deiectoria, reliquis verò diuretica præbenda. Quod ſi Pat. has reſpuerit, inſtituatur refrigeratio hoc modo, Bibat tribus diebus continuis ſerum capr. ad ℔ iii. uel iv. præmiſſo vehiculo ſyr. roſ. ſolut. ad ℥ v. deinde poſteris diebus, integro menſe, quotidie ſummo manè bibat cyathum aq. de ſucco cich. deſtill. præmiſſa ℥ i. conſer. roſ. Verùm decimo quoque die aſſumat ℥ ſ. caſs. additis ʒ iii. elect. de ſucco roſar. & gr. vi. magiſt. mechoac. reformatis bol. à quibus, hora poſt, bibat ℔ ii. aut ſeri capr. depur. aut aquæ Noceræ, & tribus ab ea horis prandeat; ſequentibus verò diebus aquæ cich. vſum repetat; tranſacto autem menſe, prima menſa, hauriat iuſculum acetoſa alteratum.

Quibus congrua addatur viuendi ratio, qua potiſſimum radiis ſolaribus non adeò facilè ſe ſubmittat. Secundò abſtineat à cibis ſalitis, acribus, uaporoſis, ab aromatibus, uinis generoſis, & à cibo conſeruam roſarum de more ſumat. Tertiò capite eleuato dormiat. Quartò uitet violenta exercitia, nimioſque labores. Quintò moderata ſit Venus. Et vltimo alacriter viuat; ſed compotationes, & comeſſationes fugiat.

XXV.

SANGVINIS EXCRETIO à Pulmonibus.

SIcut Nob. Adoleſcēs, Hæmoptoicus [a] cenſendus eſt, quòd ſanguinem Menſe Auguſto proximè præterito per tuſſim copioſum reiecerit; ita phthiſicus haberi poſſet, quia corporis [b] ſtructuram, & conformationem ad tabē procliuem natura ſortitus fuerit, quæ ſita eſt in anguſto pectore, collo oblongo, & ſcapularum prominentia: tabidos enim appellare conſueuit Hipp[c], ad tabem pronos. Et quoniam duorum iam menſium præteritorum ſpatio, eius corpus conſueto gracilius factum eſt, phthiſici nomine dignus habendus eſt, quod [d] diminutionem, & conſumptionem ſignificat. Sed propriè magis ad rem, dicamus, quod cùm hæmoptoicus, ſemirabidus ſit verè appellādus, cùm præſertim per tuſſim [e] à pulmonibus, tum prima vice, poſtremis Auguſti diebus; tùm ſecunda, primis Octobris, ſanguinem excreuerit, qui quoniam ad plures vncias eiectus fuit, moxque omnino ſuppreſſus, nulla febricula ſubſecuta, nullaque purulentæ materiæ excretione; ideo, per anaſtomoſin effluxiſſe ſperandum foret, cùm potiſſimum aliquis conatus ex leui ſaltu præceſſerit, [f] qui

a 7. per Loc. 4.
b 4. Aph. Com. 8. & 3. in 1. Epid. 28.
c Ibidem.
d Def. Medic.
e 4. de Loc. Aff. 5.
f 5. Meth. 2

venas quidem tumefaciendi,& orificia patefaciendi ob earum imbecillitatem;non verò diſrumpendi vim habere potuit; rariſſimè namque contingit,quin diæreſi phlogoſis,ſiue potius inflammatio ulceris labijs, duorum, aut trium dierum ſpatio non g ſuperueniat, inde- g 5. Meth. 14. que febricula, & pus.

h 5. Aph. 9. Verùm quoniam prauæ iam dictæ conformationi accedunt quoque h ætas adoleſcens, corporis gracilitas, ſanguinis impuritas, acris qualitas, atque tandem capitis imbecillitas, cum caliditate, & humiditate præcellente, à quibus nonnihil deſtillationibus tenuis, & ſalſæ materiæ obnoxium redditur, quam ipſe Pat. per fauces deſtillantem percipir, unde tuſſicula veſpertinis præſertim, ac matutinis horis moleſta, tum ob expreſſionem, tum ob expectorandi neceſſitatem, cum pauca tamen eiuſdem materiæ excretione; ideo diæreſis quoque non procul abeſt ſuſpicio; aliquando enim occluditur vena ad tempus, obdu- i 5. Meth. 14. cto callo, i qui repetitis excretionibus mox atteritur, ac tandem vlcus inſanabile remanet, accedente febricula, & pure per tuſſim, materiæ catarrhali miſto, apparente. Præterquamquod, rum per diæreſin, rum per anaſtomoſin adeò copioſa quandoque contingir ſanguinis effuſio, ut miſeros Pat.in repentinam ſuffocationem præcipiter.

k 7. Per Loc. 4. Quæ omnia ut præuertantur, ſolicitos nos eſſe oportet; k tarditas enim eſt præcipua interitus cauſa. Et ideo curatio, & præſeruatio ineunda, Euacuantibus, Contemperantibus, cacochymiam Auferentibus, à pulmonibus Reuellentibus, ac Diuertentibus, Corroborantibus, ac Nutrientibus.

Quibus explendis intentionibus, licet ſumma prudentia ab Excell. Adſtanti ſanguis ex vena eductus fuerit; iterum tamen à iecoraria, ſed parcè detrahi conſulimus. Cauteria quoque, vel vtrique brachio; vel alterum brachio, alterum coxæ inurenda. Frequentes pedum lotiones caleutes ante cœnam adhibendæ, & totum ol.amygd. quotidie inungendum.

Primæ verò viæ expiandæ potione ex manna clarif. cui ſuccedat, quinque aut ſex continuis diebus, præparatio iulap. acet. cum crem. tart. & pauca aq. tot. citri portione ad diſſolutionem, ut eadem repetatur poſtea potio clarif. à qua hauriat aut ſerum, aur aquam hord. aut mulſam valdè dilutam, ex aqua hordeacea paratam.

Hinc ad vlteriora præparantia erit deueniendum decoctione in iure tenui cich. end. viol. malu. portulacæ, nympheæ, farfaræ, & pulmonariæ, facta forti herbarum expreſſione; cui præmitti poterunt ℥ ii. iulap. acet. viol. & ſyr. de ibiſco. Quorum uſum Pat.conrinuer, dies octo, vel decem, vt poſtea potionem præſcriptam ex manna clarif. repetat, addendo infuſioni conſuetæ rhab. & agar. an. ʒ i. pro potu à qua bibar ſer. depur. ℔ ii.

Qua expurgatione peracta, ut iecoris, & venarum feruor contemperetur, præſcribatur uſus emulſ. ita paratæ. ℞. ſem. mel. mundat. ℥ i. reliquor. trium ſem. frigid. an. ℥ ſ. ſeri capr. deſtill. ℔ i. m. f. emulſio, cui adde ſacchari depurati ℥ i. pro potu matutino, quatuor horis ante prandium; in cuius uſu quindecim dies perſiſtat Pat. Mox verò perducatur ad uſum lactis aſinini cum ſaccharo, incipiendo ab ℥ v. cum ſemicochleari ſacchari purioris, & progreſſu facto uſque ad ℥ x. cum integro ſacchari cochleari; in cuius uſu pergendum ad 40. uel 50. dies, & plures.

Interim dum iam dicta peraguntur, intercipientia, & expectorantia ſemper ſunt adhibenda. Noctu itaque ore detineat tragacanth. frigidum cum bolo; vel diacodium cum bolo; vel diapenidium. Mane verò expectorans erit iulap. acet. ſyr. de ibiſco immiſtum. Ita & mulſa gargariſmi loco, quæ craſſeſcente, & lentiori facto catarrho, ireata paretur, vel acetoſa, addita duodecima aceti parte. Et hæc pro præſeruatione.

At ſi rurſus erumperet ſanguis, (quod Deus auertat) curatio quamprimùm ita inſtituenda. Statim omnia genera reuulſionum adhibeantur, infernarum partium frictiones, ligaturæ, pedum lotiones; quinimò & cucurbitulæ ſiccæ uiſceribus quoque appoſitæ; indeque vena quoque brachii aperiatur, ſanguine parcius, ad ℥ iii. uel iv. emiſſo, cuius eductio aliquot poſt horis repetenda, numo interim aureo ſectæ venæ appoſito, rum ut fiat à pulmonibus reuulſio; tum ut inhibeatur venæ apertæ inflammatio. Patiens autem Nob. dum hæc aguntur, ſedeat in lecto, in cubiculo obſcuro, ubi taceat, nec magnam reſpirarionem edat, atque à uehementi tuſſi abſtineat, licet eiuſdem ſanguinis thrombos ſuperſtites per tuſſim reijci admittendum. Neq; valdè adſtringentibus ſanguinis ſuppreſſio tentanda cum affatim è gula excernitur; ira enim ab illorum, & coagulantium uſu, extra uenas concreſcit, arque ſiſtitur in via, ſicque è ueſtigio ſuffocare ſolet.

Ad faciliorem verò concreti ſanguinis excretionem, conuenit iulap. acet. quinimò &

mulſa

mulſa ipſa, acetoſa reddita; quo educto, adſtringentia, & agglutinantia locum habent; imò & ſiſtentia, ſi nouæ excretionis ſuſpicio ingruat. Adſtringentia verò eſſe poterunt tinctura corallorum chymica ad gutt. x. ℥ ii. aq. roſ. miſta, de qua ſumat Pat. cochlearia per interualla; tinctura item roſarum copioſo ſpiritu vittioli extracta, in aqua plantag. aur foliot. quercus, cuius etiam cyathus mane hauriatur, præmiſſo tragacantho cum bolo, ad ʒ ii. Agglutinans ita parari poterit. ℞. ſucci cydon. ℥ ii. ſyr. de pap. ℥ i. penid. ℥ ſ. m. pro lambitiuo. Quibus non ſufficientibus, ad opiata erit quoque deueniendum, Theriacam nimirum rec. puluere lapidis hæmat. reformatam, vel philon. Rom. rec. nunquam tamen reuulſionibus, diuerſionibus, & interceptionibus omiſſis.

Quibus omnibus congrua victus ratio erit addenda, abſtinendo omnino à ſalitis alimentis, ab aromatibus, à cibis calidioribus, à valdè aperientibus, à vinis generoſis. Vinum autem ſit rubrum ſubadſtringens, in quo continuò demerſus ſit globulus ex lapide hæmatite. Somnus confert nocturnus, licet diuturnus. Caueat à validis exercitiis, à corporis motibus. Nunc verò Veneri parcat; & aluum obſequentem foueat paſſulis, & iure ſuperhauſto; vel clyſt. ex lacte, butyro, & ſaccharo paratis. Fugiat pro vitili animi paſſiones, & potiſſimum iram, atque mœrorem, & alacri, ac erecto in ſpem animo degat. Quæ Nob. Pat. à Deo ſalutaria precamur.

XXVI.

SPVTVM SANGVINIS.

HÆmoptoicus præſens Illuſtriſſimus Adoleſcens, feruidiori ſanguine affluens,
ſtatura [a] corporis à phthiſica diſpoſitione non prorſus aliena donatus, cùm a 1. in 1. Epid. 18.
per venas ſedales à ſputo, imò à copioſiori ſanguinis excretione [b] preſerua- b 3. in 6. Epid. 37.
ri debuiſſet, iiſdem occæcatis, ac proinde dolentibus, eiuſdem ad eas procliuitas fuit intercepta; vnde ad ſuperiora, pulmones ſcilicet recurrens, eorum vaſa aut aperuit, aut abrupit, ac lacerauit, à quibus ſãguinis copioſa cum tuſſi
per os excretio ſecuta eſt, non alia ratione, quàm [c] *A ſanatis hæmorrhoidibus,* c 6. Aph. 11
niſi vna ſeruetur aperta, hydropis, aut tabis periculum imminere ſolet. Vnde Gal. in Com. ſubdit. *Sanguis enim ad venas pulmonis propellitur, & fit ruptio.*

Quoniam verò praua adeò fuit ſanguinis conditio, ut putredinem concipiens, febrem acutam, & mali moris excitauerit, hæc propriis medicis auxiliis ſublata fuit; verùm quia febricula lenta, ſub ueſperam mox exaſperari cœpit, adhuc num perdurans, cum moleſta tuſſi, & excretione pituitoſę materiæ craſſiuſculæ, & quandoque flauæ; hinc iure à Viro prudenti Excell. dubitatum de vlcere in pulmone, à ſanguinis excrerione relicto; ac pro-
inde de Phthiſi, ſiue Phtoe, cuius comes ſolet eſſe [d] febricula, & inflammatiuncula, ab ini- d 5. Meth. 14.
tio circa vlcus enata; in progreſſu verò ex [e] pure, & pituita catarthali, cum eodem putre- e 7. Aph. 15
ſcente; quibus præſentibus, anaſtomoſis à noſtro caſu eſſet aliena, & potius diæreſis, ſiue
diauroſis admittenda, à quibus, non verò ab anaſtomoſi, phthiſica affectio manare ſolet. f 7. Aph. 16
Sicut *Sanguinis ſputo puris ſputum; & puris ſputo* [f] *phthiſis* ſuccedere ſemper conſueuit.

Quod ſi hæc ita ſe habent, à Gal. eſt mutuandum, quod [g], *Cùm vas in pulmone ruptum eſt,* g 5. Meth. 8.
niſi ſtatim glutinatum fuerit, antequam phlegmon excitetur, ſcire apertè licet, id poſtea inſanabile fore. Ratio eſt, quoniam labia vaſis non coaleſcunt, inflammatione ſuborta, & potiſſimum præſente pure.

Nihilominus exſiccantibus eſt tentanda curatio; cùm nondum magna febris, nec macies inſignis, vrgeant; ſanguinis interim acrimoniam, iecoriſque calorem contemperando, tenuitatem incraſſando, & prauum eiuſdem motum reuellentibus corrigendo, atque pulmonis vaſa roborando.

In quem finem Decocto ſantalino, ab Excell. Viro propoſito omnino ſubſcribo, addito quercus cortice medio, & ſymphyti maioris radice, in aqua ſtillat. plantag. fol. quercus, & portulacæ parando; cui præmitti poterit bolus ex terebinth. noſtra, cum granis butyri, aut lactis ſulphuris; & in progreſſu tragacanthum ſtigidum cum bolo, ad ʒ ii. vel iii. ante decoctum deglutiendum offeratur.

Inte-

h De Sang. M ſt. 7 & 6 Aph. Com. 47.
i L. b 7. Ca. 1.

Interea per interuallavenæ [h] ſuperiores erunt aperiendæ, parcè tamen miſſo ſanguine. Nocte vero ore continuò detineat, vel iam præſcriptum tragacanthum, vel bolum armenam ueram orientalem, qua, ad pulmones exſiccandos, atque roborandos, Serapio meliorem non inuenit medicinam. Ita hæmatites lapis, conſeruæ roſarum immiſtus, ſtatim à cibo in uſum quotidianum ducatur, cum Tral.[i]

Interim appetet tempus uſus aquarum acidularum, quibus nullum præſtantius excogitari poteſt remedium, tum iecoris, atque venarum calori contemperando; tum potiſſimum ulceri exſiccando, & pulmonibus roborandis. Sint autem aquæ vitriolatæ Sancti Mauritii, in Engaddina Valle enaſcentes, aut propinquiores, in Valle Solis ſcaturientes; reliquæ namque Thermales, vel nullius, vel exiguæ ſaltem facultatis ſunt, in huiuſmodi caſibus; prout & has vitriolatas mirabiles non ſemel obſeruanimus; quæ tamen cum exportari nequeant, ad fontem propterea earum accedere Illuſtriſs. Pat. omnino opus erit; qui ab his, ad lactis uſum perduci debebit; atque ceſſante omnino hæmorrhoidali dolore, ac ſanato pulmonum affectu, ad preſeruationem, reſeratio forſan venarum ſedalium opportuna fuerit.

Quibus omnibus addenda congrua uiuendi ratio, iam dictis proportione reſpondens, à Viro præclariſſimo præſcribenda, cui ut magna fiducia ſeipſum committat Illuſtriſsimus Adoleſcens, ſuademus, & hortamur.

XXVII.

HÆMOPTOICVS.

a 1. in. 1. Epid. 18.
b 5. Aph. 9.
c 2 d. Diff. Febr. 2.
d 3 in 3. Epid. 19.
e ad Thraſib. 18.
f 4. de Loc. Aff. 5.
g 5. Aph. 13
h 7. Aph. 15.
i 5. Meth. 8
k 5. Meth. 14.
l Ibidem.
m 5. Meth. 15.

TAnta intercedit affinitas, atque ſymboleitas inter hæmoptoicam, & phthiſicam affectionem, ut facillimus ab illa ad iſtam ſit tranſitus, accedente præſertim phthiſica naturali diſpoſitione, non ſolùm propter iecoris, & totius calidam, atque capitis humidam intemperiem; verùm etiã propter corporis ſtructuram, atq; [a] conformationem; quemadmodum obſeruatur in Nob. Virgine, 23 [b] annum agente, temperamendi calidi, & ſicci, gracilis habitus; quibus præterea accedunt in eleuando pondere conatus prægreſſus, & cum conſanguinea phthiſica [c] conuerſatio; non parum opitulante à partibus ſuperioribus [d] falſa capitis deſtillatione, & ab inferioribus [e] imminuta menſtrua purgatione; quorum occaſione in pulmone, forſan ab halitu phthiſico debilitato, vaſculum primò ruptum, mox exeſum paulatim fuiſſe, cum Viro Exc. cõfirmamus; vnde primo cruenta [f] ſputa, mox [g] ſpumoſus, & floridus emanauit ſanguis, ruſſi reiectus; & tandem ab excitato ulcere, purulenta [h] materia, putrido catarrho miſta, unde febris.

Et licet Gal. pronunciauerit, [i] quod, dum vas in pulmone ruptum eſt, niſi ſtatim, hoc eſt, ante [k] tertium diem glutinatum fuerit, antequam phlegmon excitetur, id poſtea inſanabile euadat, quodque ex hoc febricitantes longiorem tantùm vitam producere poſſint, callo [l] nimirum obducto; nihilominus omnia ſunt à nobis tentanda. Primò proſpiciendo, ne [m] tuſſiat, neue quicquam in pulmones decidat, deſtillationem tum exſiccando, tum diuertendo, tum intercipiendo. Secundò ulcus exſiccando, & conſolidando. Et interim tertiò iecoris, & ſanguinis intemperiem calidam contemperando; corpuſque totum tandem tenutriendo.

Quibus intentionibus ſatisfacere quoniam iam cœpit Exc. Adſtans, multaque peregit, principaliora ſolùm attingere noſtrum erit. Et primò quidem cauterium ſiniſtro brachio inurendum proponimus, niſi hucuſque factum fuerit. Secundò exſiccationi materiæ catarrhalis, & vlceris, ac pulmonum incumbentes, decoctum approbamus ex ſantalo, medio cortice quercus, & radice roſarum, in aqua ſtillat. cich. & pulmonariæ; præmiſſo bolo ex terebinthina noſtra, in aqua tuſſilaginis lota, in cuius uſu erit perſiſtendum vſque ad medium menſem Iulium.

Quo tempore de aquis Thermalibus acidulis exhibendis, & nos cum Viro Excellentiſs. cogitamus, quæ non ſolùm iecur, renes, & totum venoſum genus refrigerare; verum & ulcus

eus valdè exſiccare, atque vaſa roborare, neque ullo modo laxare poſſint, & multò minus caput replere. In hunc finem proponuntur aquæ B. V. Patauinæ, quæ moderatè quidem refrigerare ſolent, & hac quidem intentione ſæpius à Medicis vſurpantur, uerùm ratione ſulphuris, atque ſalis ſuſpectæ à nobis cenſentur, ut quæ proculdubio caput replere, & forſan etiam venas reſerare, nec valdè exſiccare poſſint. Quod ſi iuxtà Virum Excell. ratione refrigerationis tantummodò ſint exhibendæ, tutiores multò fuerint aquæ Nocerianæ; quia neque caput tentabunt, neque venas aperient, cùm ſulphureæ non ſint, & ratione terræ ſamiæ nonnihil quoque adſtringant. Nos tamen, quia epotis aquis, in pulmonum vitijs, non parum tribuimus, & fidem non dubiam præſtamus, cùm ex Hipp. [n] conſtet potus portionem ad pulmones delabi, dicente. *Pericardy humor eſt particula illa potus, quæ non obſtante epiglottidis operculo, dum bibimus, per aſperam arteriam introducitur, quam poſtea cor per laues arterias trahit; cuius vſus eſt, ut cordi calido, & æſtuanti præſtet auxilium; neque fides noſtra ſuſpecta eſſe debet, de potu, quòd homini in guttur pergat.* Quod confirmat Gal. [o] ita ſcribens. *Perſpicuum quoq; eſſe poteſt, aliquam potionis particulam ad pulmones deferri; ſi enim quodcunq; libuerit Animal ad tantam ſitim redegeris, vt coloratam aquam haurire cogatur, & mox iugulatum ipſum diſſecuris, colore eodem infectum pulmonem habere deprahendes.* Hæc Gal. quod experimentum deſumpſit forſan ab eodem Hipp. Lib. cit. Obiectionem autem de tuſſi fieri ſolitam Gal. [p] remouet, dum aſſerit, quod *Percolatur perpetuò per aſperam arteriam in pulmones ipſe potus, quoniam per rimam, tanquam per parietem, adeò ut tuſſim non excitet.* Quod alibi quoque de Loc. Aff. cum Hipp. repetit. Quare nos aquas vitriolatas, utpote præſtantiores, cæteris omnibus præferendas cenſemus, quas refrigerandi vi pollere, apud omnes in confeſſo eſt. Adde, quod vitriolum venas conſtringens, & ſanguinem ſiſtens mirabile ſecretum eſt ab Aquapendente primò, ſi non inuentum, ſaltem obſeruatum; de cuius inſuper valida exſiccatione non eſt quod dubitemus; præterquam quod nullo modo eædem caput tentare ſolent, cùm ſulphureæ non ſint. Quare quomodo Hæmoptoicis infenſus eſſe poſſit earum uſus, non videmus; cum alioquin omnia adſtringentia, & exſiccantia facultatem irritandi, & tuſſim mouendi habeant, ſicut iis contraria leniendi; propterea ſi aliqui Phthiſici ab harum aquarum uſu hæmoptoici obierunt, non in aquas, ſed facilius in alios errores, aut morbi magnitudinem potius cauſam referendam eſſe credimus.

[n] Lib. de Corde nu. 1 & 2.

[o] 8 de Decr. Vlt.

[p] 2. Simpl 17.

Et quia, ut diximus, inſignis ineſt ipſis aquis exſiccandi facultas; ideo poſt harum potum, ſtatim ad lactis uſum, aſinini prius, & tandem etiam caprini perducenda erit Nob. Pat. Dum verò hæc omnia fiunt, intercipientia noctu tantùm ore detinenda, à Viro Doctiſſimo propoſita non erunt omittenda; ſicut nec externa auxilia ad menſtrua euocanda, ſi opus fuerit.

Addendo his omnibus congruam victus rationem; ſic conſeruam roſar. cum lapide hæmatite à cibo quotidie comedat, & vinum ſantalinum bibat.

XXVIII.

SANGVINIS EXCRETIO per os.

SIcut ſanguinis excretionem repetitam, & quidem cum tuſſi, à partibus ſpiritalibus profluxiſſe nullo modo ambigendum; ita non adeò manifeſtum uidetur, num à capite calidiori per infundibulum ad tracheam, indeque ad pulmones ſeſe inſinuauerit, tuſſique reiectus fuerit, an verò è pulmonum vaſis prodierit; cùm eodem tempore tuſſi, & è naribus erupetit. Verùm quoniam in dubiis tutior pars eſt amplectenda, nec quod optamus, ſed quod ad vitam conſeruandam magis conducit, à nobis eſt decernendum; ideo à vaſis pulmonum effluxiſſe supponimus; quod ſuadent res naturales, non naturales, & præter naturam. Et primò quidem Ætas [a] 35. annorum circiter; temperamentum & totius, & hepatis calidum, & ſiccum; habitus gracilis, nec adeò bene [b] conformatus. Secundò Vita anteacta [c], prius violentis corporis motibus ſub radiis ſolaribus æſtiuis exercita, modò animi ſtudiis, atque grauiſſimis negotiis implicita. Et tertiò prægreſſi vomitus biliosi, necnon præterita Dyſenteria, & tuſſis moleſta, à deſtillatione catarrhali ex capite intemperato excitata, cuius portio magis tenax bronchiis pulmonum aliquando adhærens, leuem quoque ſpirandi peperit difficultatem; quæ omnia uitium in ſanguine, & vaſis partium ſpiritalium atteſtari poſſunt vnicuique perito Medico, rem accuratius conſideranti. Verùm maius negotium faceſſit modus, quo ſanguis è uenis effluxit, quem hucuſque Anaſtomoſin fuiſſe credimus, imò pro certo habemus; licet enim corpus plethoricum non ſit, peccat tamen ſanguis qualitate, & motu; calidior enim ſurſum efferri potuit, utcunq; etiam attractus, tum à calido capite, ex meditationibus, tum & magis à tuſſi moleſta, qui ſua acrimonia eodem tempore ad caput, & pulmones ad recipiendum [d] aptiſſimos influens, facultatem expultricem uenarum utriuſque partis irritans, & orificia aperiens, ſanguinis profluuium induxit, qui tuſſi reiectus, & è naribus aliquando emunctus, aliquando ſpontè prolabi viſus eſt. Atque adeò nondum Diæreſin factam eſſe certò credimus ex præcedentibus, concomitantibus, & mox conſequentibus. Ex præcedentibus quidem, quia deſtillatio neque [e] ſalſa, aut acris, aut amara fuit. Ex concomitantibus, & mox apparentibus; quia ſcribit Gal. quod [f], *Cùm vas in pulmone ruptum eſt, niſi ſtatim glutinatum ſit, antequam phlegmon excitetur, ſcire apertè licet, id poſtea inſanabile fore*. Et ſi quæratur, quanto tempore id cognoſci poſſit, reſpondet [g], *Qui primò ſtatim die ſe mihi curandos commiſerunt, omnes ſanaui; qui verò ſecundo, non omnes, qui tertio, ita ut ſebricula detinerentur, nullum vidi in totum ſanatum*. Quibus iactis fundamentis, ita ratiocinandum; quoniam factæ Diereſi raro ſuccedit glutinatio, & multò minus arte non procurata; ideo circa eroſionis labia, excitatur inflammatio, quam ſpatio trium dierum, ſequitur febricula; ab inflammatione verò non amplius labia vniri, nec ulcus glutinari poteſt; vnde [h] *A ſanguinis ſputo, puris ſputum*, nunquam ceſſante febricula. Quare, cùm hoc caſu, plures anni à repetita ſanguinis excretione, ſine ſubſequuto puris ſputo, & potiſſimum ſebricula intercurrerint, concludi profectò poteſt, à vaſis apertis, non eroſis ſemper ſanguinem profluxiſſe.

a 5. Aph. 9.
b 1. in 1. Epid. 18. & 4. Aph. 8.
c 3. Aph. Com. 29.
d De Sang. M. ſ. 8.
e 4. Simpl. 16
f 5. Meth. 8
g 5. Meth. 14.
h 7. Aph. 15.

Non ſunt tamen recidiuæ huiuſmodi permittendæ; cùm naturalis diſpoſitio [i] ad phthiſin non deſit in Excell. Viro, cuius ſanguis inſuper acris, & mordax, continuaque catarrhalis deſtillatio in pulmones decumbit, quæ ſi non erodendo, quia adhuc ſalſa non ſit, uenas ſaltem extrinſecus laxando; ſanguis verò intrinſecus ſua acrimonia erodendo, Diæreſin tandem excitare ſolent; quod ego in praxi obſeruaui, ex neglecta, atque ſpreta frequenti Anaſtomoſi, aut Diapedeſi.

i 1. in 1. Epid. 18.

Quare vitium ſanguinis corrigendum; venę roborandæ, & ſi fieri poſſit, catarrhalis deſtillatio nunc à pulmonibus diuertenda, & opportuniori tempore omnino remouenda.

Quibus intentionibus ut ſatisfaciamus, primò ſanguis ex ſuperioribus, mox ex ſedalibus

venis

venis detrahendus; peccat enim qualitate, & motu. Et ad diuertendam à pulmonibus, catarrhalem deſtillationem, Cauterium brachio ſiniſtro omnino inurendum, altero in coxa omiſſo, ut patienti morem geramus.

Ex Pharmaceutico fonte deſumenda medicamenta Lenientia, Præparantia, benigna Purgantia, calorem iecotis, & totius ſanguinis Contemperantia, catarrhalem fluxionem Intercipientia, & naſa pulmonum Corroborantia. Quæ omnia, licet Viro Sapientiſs. nota, attamen, ut Patienti Excell. ſatisfaciamus, attingere non pigebit.

Inter Lenientia, præferenda Caſs. Crem. Tart. Lenit. Manna, Syr. Roſ. ſol. Mel. Roſ. ſol. Inter prima præparantia, Mel. Roſac. ad ℥ iii. ſine diluto, aut ſyr. de Cort. Cit. & de Ibiſco, cum ʒ ii. Crem. Tart. ſuſpectum enim acetum. Secuta hac prima præparatione per quinque dies, repetatur ventriculi, & primarum viarum expurgatio, præſcriptis medicamentis. A quibus ad ſecundam præparationem deueniatur, ſyr. de Ibiſ. Viol. de Pom. & Roſ. in decoct. cich. end. acetoſ. viol. malu. & hepaticæ; à qua expurgentur humores, vel infuſ. Rhab. & Agar. addita Man. & ſyr. aut Mel. Roſ. ſol. aut Caſſia, & Elect. Diaſebeſt. cum ſcam. aut Caſs. & Troch. de Viol. cum Scam. à quibus bibat Serum depur. ad ℔ ii. aut Aquam hordeaceam.

Toto expurgato, & Caput euacuandum, Pilul. Aur. & Aggreg. bis repetitis, epoto ab iis ſero, aut Aqua hordeacea, ne calor, vllaque ſiccitas hypochondriis à medicamento inuratur; diebus verò intermediis aliquod leue Errhinum adhibeatur, aut liquidum, quale, Aqua Malu. in qua globulus Nigellæ, & Diagrydii maceratus fuerit; vel more tabaci, attrahatur pulu. Maior. & Ireos ana.

Dum iam dicta adminiſtrantur, noctu intercipientia ore detinenda, quæ poſſint quoque pulmones exſiccare, & uaſa roborare. Et quia Serapio aſſerit, ſe in hunc finem nunquam meliorem inueniſſe medicinam bolo arm. orient. cuius fruſtulum ore detinendum præcipiebat; ideo & nos, uel Diacodium cum bolo; uel Diatragacant. frigidum, pariter cum bolo uſurpabimus; hypochondriorum, iecoris, & totius ſanguinis feruore poſtmodum contemperato, aliquo alterante, quod in venis hærens ſeroſitates coaceruare non poſſit; cuiuſmodi erunt ſucci depur. cich. aut ſonci, & malu. ad ℥ iii. in ſupra deſcripta decoct. herbarum; in quorum uſu perſiſtat ſaltem ad 20. dies.

Quibus omnibus peractis, cogitandum fuerit de pulmonum exſiccatione, atque vaſorum roboratione; in quem finem audio Thermales aquas, Sacras ab efficacia dictas, pluries uſurpatas fuiſſe, quibus nos quoque ſubſcribimus; quæ tamen magna cautione ſemper eligendæ; Sulphureæ namque omnes, ut quammaximè caput implentes, catarrhali fluxione laborantibus omnino prohibentur ab Andrea Baccio, de Thermis egregiè ſcribente. Verùm addimus nos, quod licet Sulphureæ aquæ, pulmones exſiccare poſſint, ſunt tamen hæmoptoicis infenſæ, & nonniſi in ſecunda phthiſi Hipp. [k] ex flacciditate pulmonum tutò locum habere uidetur; cuius cauſa, & Calderianas, & illas Maſini hypochondracis alioquin accommodatas omitterem, & ad acidulas potentia, & actu frigidas deuenirem, qualis eſt Engaddinæ apud S. Mauritium; à quarum uſu non ſemel vidimus, non ſolum hæmoptoicos, verùm etiam Phthiſicos ipſos ſanitati reſtitutos; ſunt enim Vitriolatæ, ideo ad ſiſtendum ſanguinem efficaciſſimæ, & ad exſiccandos pulmones opportuniſſimæ, nec ut ſulphureæ, & calidę enaſcentes, caput petunt. Eiuſdem facultatis quoque feruntur eſſe ſcaturientes in Valle Solis agri Tridentini. Adeat igitur Excell. Vir fontem iſtarum aquarum, ęſtate proxima, quarum uſum repetet anno proximè futuro, vt potiſſimum hæmoptoicam, & phthiſicam diſpoſitionem exuat. k 1. in 1. Epid. 17.

Interim aliqua à proprietate iuuantia non erunt negligenda, in quibus nobis familiaris eſt uſus aquę deſtillatę ex hedera terreſtri, & ſymphyto, ad ℥ iv. aut v. horis matutinis, pręmiſſa Conſ. Roſar. uel Diatragacanth. frigido, quibus vſus quoque feliciter Langius. Ab vſu pulu. Viperini omnino abſtinendum cenſemus; nimis enim attenuat, & ſanguinem ſubtilem reddere poteſt. Capitis autem humidę intemperiei contemperandæ, opportunum locum non videmus; vrgentiori namque incumbendum.

De congrua viuendi ratione non eſt quod loquamur; quam propterea, ut cętera omnia, inculpatæ directioni, & adminiſtrationi Viri Sapientiſs. libenter committimus, pro incolumitate Illuſtriſs. atque Excellentiſſimi Viri, quam illi à ſummo Deo enixè precamur.

XXIX.

SANGVINIS REIECTIO à Pulmonibus.

REiectio ſanguinis, quæ tribus ab hinc annis, interpolatis vicibus, Per-illuſtr. Patientem exercet, ut ſanetur, loci affecti, & cauſæ cognitionem exactam deſiderat. Hoc autem certiſſimè conſtat,[a] à partibus ſpiritalibus reiectum fuiſſe, quia cum tuſſi; & quamuis aliquando à capite ad aſperam arteriam influat, & tuſſim commoueat, qua eiiciatur, ac proinde nos decipiat; tunc tamen præcedunt querelæ de capite affecto, ut eiuſdem [b] grauitas, aurium ſonitus, rubor faciei, vertigines, titillatio palati, conſueta hæmorrhagia cohibita, irritatio frequens ad tuſſiculam, de quibus in relatis nulla mentio. Non ab aſpera arteria; quia potiùs [c] pituitoſus, paucus, cum leuiori tuſſi, & excretione dolente eiectus fuiſſet. Non ex thorace; quia [d] is niger, grumoſus, & cum dolore. Ideo ex pulmone excretum fuiſſe credendum; quia rubicundus, [e] ſpumoſus, & citra dolorem reiectus fuit; quæ huius loci certiſſima ſunt iudicia. Et licèt non ſit perpetuò verum, à pulmone emanat, ergo ſpumoſus; ſemper tamen verum, ſpumoſus [f] eſt, ergo à pulmone. Non autem rupto, aut aperto vaſe, ſed eroſo tandem effluxit; rupturam enim præceſſiſſet aut violenta vox, aut caſus, ictus, ponderis eleuatio, frigus, copia ſanguinis, flatus, præter eiuſdem etiam primis vicibus copiam eiectam; ſicut apertionem calida, & humida victus ratio, plethorica diſpoſitio, necnon copioſior, & conferta illius eruptio. Quare exeſo vaſe, prodiiſſe credendum; ſi Perilluſtr. Pat. temperamentum calidum, & ſiccum, ſanguinem [g] bilioſum, habitumq; gracilem ſpectemus; vitam itẽ exactam inediis, ſpontaneis ieiuniis, [h] mœrore, & iracũndia frequenti; & tandem ſi modum, quo eiectus fuit, expendamus, diæreſin [i] enim ſolet, ut plurimùm, præcedere diapedeſis; unde prioribus annis, rarefacto vaſe, ſputa cruenta fuerunt obſeruata; & tandem eodem vaſe exeſo, ſanguinis copioſa excretio. Huius autem facilis origo ab acrimonia, & mordacitate binoſi ſanguinis, ex dictis cauſis tum naturalibus, tum non naturalibus geniti; ſed faciliùs, ut ſuſpicor, ex prægreſſa acri, & ſalſa [k] à capite deſtillatione, quæ etiam modò tuſſim fouet. De febre non loquor, tum quia ab Exc. Adſtanti, proprias habuiſſe periodos obſeruata fuit, & iam receſſit; tum quia cùm puris ſputum ſequutum hucuſque non fuerit, ulcus inflammatione vacaſſe credendum, ac proinde febrem fuiſſe ab affectu noſtro ſeiunctam.

a Paul. 3. de Re Med 31. & Act. Tetr. 2 Ser. m. 4. Cap. 59.
b Aretæus 2. Acut. 2. & Act. ibid.
c Ibid.
d Ibidem.
e 5. Aph. 13.
f 7. Aphor. Com. 10 & 5. Meth. 8.
g 3. de Symp. Cau. 2.
h 6. Per Gen. 2.
i 4 de Loc. Aff. 5.
K 5. Meth. 13.

Affectio quidem grauis, *Mortifera valdè* ab Aretæo nuncupata. *Erumpit enim ſanguis*, vt ait ipſe, *ac ſi iuguletur homo, vnde mors inſtat celerrima*. Ideo Trall. non nouit æquè difficilem affectum; vel enim breui mortem inducit, vel paulatim deducit ad tabem. Attamen, ſicuti primum periculum iam euaſit Patiens, ſecundum pariter declinaturum ſperamus; quia à ſanguinis [l] ſputo puris ſputum ſecutum non eſt. Quare recidiua inhibenda, ne alterutrum rurſus diſcrimen incurrat.

l 7. Aph. 15

Quod præſtabitur, & inſtaurantibus, & potiùs [m] ſarcoticis, quàm valdè adſtringentibus; intercipientibus, & diuertentibus quoque à pectore, tum materiam à capite deſtillantem, tum opportuno tempore etiam eundem ſanguinem.

m 7. Per Loc. 4.

Sanguinem [n] autem omnino educendum cenſeo, Menſe Auguſto, prope periodum, ex brachio, ſed parcè, & potius duabus repetitis vicibus; non enim præſens eſt habitus ille malus Gal. neque gracilitas illa phthiſico proxima Tralliani; nec valdè acris illa fluxio Pauli, quæ ſanguinis miſſionem differre, aut inhibere poſſint. Fonticulus, ſi non adſit, inuratur brachio; namque in præſens inopportunum cenſeo catarrhi extirpationem, cùm à calefacientibus, & fundentibus, imò & exſiccantibus abſtinendum ſit; ideo eiuſdem ſaltem diuerſio, & euacuatio tentanda, dum interim illius ſalſedo, & acrimonia attemperetur. Quare frequentes pedum lotiones maximè prodeſſe poterunt, præmiſſis leuioribus frictionibus partium poſteriorum, uſque ad pedes.

n De Sang. Miſs. 7 & Aduerſus Eraſist. 6.

Et

Et quoniam hucuſq; ut intellexi; pluries ſerientibus uſa eſt, & in alterantibus pluribus diebus perſtitit ex noſtro conſilio, ad uſum lactis ſeſe accingat; febre namque vacat, nec adeſt prohibens catarrhi copia; quod genus remedii, ut apud omnes in cõfeſſo eſt, ita eſt huic morbo accommodatum, ut Tral: omnibus ſpeciebus excretionis ſanguinis conferre exiſtimauerit, continuo, & diuturno uſu; unde narrat, ſe vidiſſe quendam, qui cùm toto anno lac bibiſſet, & comediſſet, atque à vino abſtinuiſſet, liberatus fuit, non modò à ſanguinis, ſed à puris ſputo. Interim deſtillationis interceptio, & vaſorum agglutinatio, ac roboratio non eſt negligenda, quo fine, ore detineat diacodium cum bolo, diatragacant. item cum bolo, confectionem paratam cum emulſ. ſem. papau. plantag. & hyoſcyami, quæ noctu præſertim ore detinenda. Conſ. roſar. in uſu ſit, ſub ingreſſum lecti; nec aliquod leue naſarium, quod ſternutamenta, nec concuſſiones excitare poſſit, diſplicet, ex pulu. maioranæ, ireos, pro diuerſione, & euacuatione; & ita pergendum exiſtimo, cum congrua victus ratione, toto menſe Iullo. Si interim emergeret aliquod prohibens vſum diuturnum lactis, ad Aquas præſenti æſtate, confugiendum, inter quas proponuntur B. V. Villenſes, & Nocceræ, quæ poſteriores mihi perplacent; tutiores enim ſunt, quia non minerales, refrigerant, & adſtringunt, quia terra Samia cætum mineram conſtituit, nec ita caput tentant, ut Villenſes. B. V. verò, licet ab aliquibus proponantur, nullum tamen habent in caſu præſenti uſum; ſale enim, non ſulphure egemus; quanquam ſi rurſus, quod Deus auertat, erumperet ſanguis, ad Brandulenſes, tanquam ad ſacram anchoram deuenirem. Atque perdurante deſtillatione, futuro Autumno propinari poterit ius alteratum ſantalis, china, hordeo, & rad. plantag. ſaltem per menſem, cum victu tamen non attenuante. Quæ omnia optatum finem conſequi poſſe ſperandum, ſi ab Exc. Viris pro more, prudentiſſimè dirigantur.

XXX.

SANGVINIS SPVTVM.

ILluſtriſs. Vir 36 annum agens, temperamenti totius, calidi, & ſicci, hepatis calidioris, & venoſus, capitis calidi, & humidi, gracilis habitus, & hypochondriacus, doloribus capitis, præteritis annis frequenter obnoxius, & vertigini nonnunquam, quorum cauſa Tabacum naribus adducere iam cœpit, ut ſuperfluam capitis humiditatem euacuaret, & exſiccaret; tandem, menſe Martio proximè præterito, cùm fætiſſima tuſſi diuexaretur, in ſputis cruorem obſeruauit, quo tempore è nare ſiniſtra ſanguis quoque emanabat. Mox aliquandiù ſubſtitit ſanguis, nec amplius apparuit; verùm Menſe Iunio, cùm ruri degeret, ſub radijs ſolaribus diutius ambulans, acutiſſimo capitis dolore correptus, ſanguinem tuſſi copioſiorem reiecit, catarrho primò mixtum, mox purum, rubrum, ac floridum, licet quandoque concretum, ac denſatum, frequentius quidem, ſed potiſſimum matutino tempore; qui tandem ſacch. roſ. tabulati ope omnino ſuppreſſus eſt. Aliquot tamen poſt hebdomadis, ſuborto grauiſſimo animi mœrore, atque vberiori fletu, copioſum denuò ſanguinem tuſſi pariter effundit, ſtatim à prandio, qui iterum ſubſtitit, tuſſi tamen ſemper perdurante, quandoque moleſtiori, quandoque leuiori. Hinc ſuperioribus diebus Venetias profectus; ſputa quædam cruenta continuò reiecit, quæ eum ad medica auxilia compulerunt, miſſionem ſcil. ſanguinis, aliaque huiuſmodi, quibus eadem plures dies omnino quidem oblituerunt; at tandem diebus elapſis derepentè, & copioſè recrudeſcens malum febrem inuexit, cum virium deiectione. Sanguis autem tuſſi reiectus à nobis obſeruatus eſt rubicundus, ſpumoſus, ad vncias ſex, quatuor, & tandem duas, catarrho commiſtus, non ſine aliqua eodem tempore ſtilla è naribus. Modò curationis progreſſum, & ſanitatis redintegrationem deſiderat.

Excretiones ſanguinis cum tuſſi, multis abhinc menſibus ſecutæ, in Patiente Nobiliſs. à partibus a ſpiritalibus profluxiſſe nulli dubium eſſe poteſt; prout non conſtat, cum primò

a Paul. 3 de Re Medic. 31. & Gal. 4. de Loc. Aff. 5.

à capite in pectus prolapſus fuerit, mox à pectore tuſſi excretus; ſanguinis enim copia non exigua è naribus effluxit, caputq; natura calidius, ſub radiis ſolaribus vehementius incaluit; cùm tamen copioſus, & rubri, ac viuidi coloris, ſemel, atque iterum poſtremò fuerit, nobis ſuadet, feruidum, & copioſum ad venas ſuperiores irruiſſe, atque adeò non modò narium, verùm & pulmonum tumidas effeciſſe, effluxumque ſibi paraſſe, vel per [b 5. Meth. 2.] Diæreſin, vel per Anaſtomoſin, utriuſque enim adſunt indicia. Et quidem primò b anaſtomoſin excreti ſanguinis copia, amplitudo venarum, nullaq; febris à præteritis reiectionibus; [c 2. in. 1. Epid. 18.] præterea ætas 35. annis ſuperior nobis ſuadere videntur; prout diæreſin totius c conformatio, [d 4. Aph. Com. 8.] habitus gracilis, temperamentum d calidum, & ſiccum, copioſa, atque perennis à capite in pulmones deſtillatio e, quandoque ſalſa percepta, febricula f poſt vltimam excretionem [e 3. in 3. Epid 19.] eiuſdem ſanguinis nunquam intermittens, ac tandem color rubicundus, & viuidus. [f 5. Meth. 14.] Quoniam verò in dubiis tutior pars ſemper præferenda; ideo diæreſin hucuſque curauimus; neque mutanda ſententia, niſi omnino ceſſante febricula, & ſputis quoad colorem, & ſubſtantiam prauis non excretis.

Interim cura illico ſuſcepta, non cunctanter perficienda; cùm ex Gal. habeamus, quod [g 5. Meth. 8.] *Cùm g vas in pulmone ruptum eſt, niſi ſtatim glutinatum ſit, antequam phlegmon excitetur, ſcire apertè licet, id poſtea inſanabile fore.*

Medicę itaque intentiones erunt, vitium ſanguinis corrigere, & vaſa occludere, ac roborare. Et quoniam vitium ſanguinis ſitum eſt in motu prauo, copia, & qualitate calida; ideo motus prauus ad pulmones reuellendus, copia minuenda, & qualitas calida contem- [h 7. Per Loc. 4.] peranda. Vaſa verò, non ſolùm h adſtringentibus, verùm & agglutinantibus, atque ſarcoticis adducenda. Verùm quia catarrhalis fluxio, & copia, & qualitate peccans, ſicut excitauit, ita ſemper affectum fouebit; propterea catarrhus deſtillans aliò diuertendus, intercipiendus, euacuandus; acris eiuſdem qualitas demulcenda, & caput exſiccandum, ut regeneratio eiuſdem inhibeatur.

[i De Sang. Miſs. 7.] Et in Chirurgico fonte, ad ſanguinem ſiſtendum, nullum præſtantius remedium occur- [k 5. Meth. 3.] rit i ſanguinis miſſione, tum ad copiam eiuſdem minuendam, tum ad caliditatem contemperandam, tum ad reuellendum. Et quoniam ex Gal. k *Quò magis numerum auxeris, eò magis reuelles, vt ſit Antiſpaſis*; ideo repetitis uicibus eductus, iterum educendus, ſi opus fuerit, uſque dum ſcilicet non amplius recrudeſcat eiuſdem excretio, aut ex ſuperioribus, aut ex inferioribus venis. Vt autem expurgetur, & diuertatur à gutture, & pulmonibus fluxio, licet Cauterium brachio fuerit iam inuſtum, non abs re tamen foret, alterum figere in coxa. Cætera omnia reuulſionum genera, hactenus non omiſſa, cōtinuanda, ut cucurbitulæ ſiccæ cruribus, coxis, & viſceribus affixæ, necnon pedum vincula, atque lauacra.

Pharmaceutica interim præſidia adminiſtrata fuere, primò leniens ex Caſſ. & Tart. Præparans verò Aqua de ſucco Acetoſæ, & Plantag. cum ſyr. de acido citri. Secundum euacuans, potio ex manna clarif. addita portione agar. infuſ. conſuetæ, Quo tempore ad intercipiendum catarrhum, præſcriptum fuit noctū Diacodium cum bolo, die verò cum ſyr. Diatragacanth. frigidum cum bolo; præterea Troch. de Karabe, de terra ſigill. cum Hęmatit. qui in potu ad menſam ſemper ſuſpenſus fuit, globulo incluſus; atque ſecundi præparantis loco, exhibuimus ſyr. de ibiſco, viol. & de beton. in decoct. end. viol. beton. eich. nenuph. atque ab eo purgans ex Rhab. immaturo, Myrob. citr. & Caſs. à quo ebibit copioſam Aq. Noceræ. Et quoniam ſub id tempus, poſt violentam tuſſim ſputum rurſus cruentum bis apparuit, & ab eo vberior ſanguinis excretio contigit, tribus, quatuorue diebus quotidie repetens; ideo iterū extracto ſanguine, ad validiora adſtringentia, contemperantia, & intercipientia deuenimus; atque adeò præſcripſimus tincturam roſarum, cum aqua plantag. paratam, & cum ſpir. Vitriol. extractam pro ſyr. matutino. Pro lamb. ſyr. de ſem. albis, de roſis ſiccis, & myrtinum: veſperi verò à cęna, ſyr. de ſem. albis ad ℥ i. ſ. & confect. ex ſem. hyoſcyami rec. cum aqua roſar. & ſacch. paratam. Atque hora ante cibum, præbuimus quotidie puluerem ex hæmatit. & bolo arm. orient. cum ſucco Cydonior.

His hucuſque præſtitis inſiſtendum, donec omnino ſupprimatur ſanguinis excretio, qua [l 5. Meth. 13.] perdurante, ad Opiata quoque erit deueniendum, ut Gal. in illa Matrona l Romana, nimirum ad Ther. rec. cum hæmatit. vel Philon. rom. rec. vel ad Laud. Nep. In potione verò matutina, prout in cæteris omnibus pergendum; ut tandem caput euacuare per Naſaria poſſimus, eiuſque humidam intemperiem corrigere, decocto in iure, alterato ſantal. radic. Cannæ, medio cortice quercus, lentiſc. & rad. roſar. cui præmitti poterit bolus ex Tereb. noſtra, lota in aqua roſar. addito hæmatit. aut liquir. prout tunc temporis opus fuerit.

Quo,

Quo facto, ſtillicidium capiti adhiberi poterit, ex Aqua Laſtrenſi, utpote quæ caput exſiccare, nec valdè calefacere poſſit.

Et his omnibus congrua victus ratio addenda eſt. Sic Cœlo Parauino, quandiù licuerit, vtatur. Cibis item reſrigerantibus, & incraſſantibus, atque à cibo ſemper Conſ. Roſ. aſſumat. Abſtineat à Vino. Somnus nocturnus foueatur, & quietus degat. Aluus lubrica ſeruetur Clyſteribus ex Lacte, butyro, & ſacch. paratis; & alacri, ac animo in ſpem erecto uiuat. Vere autem proximè futuro ad acidulas aquas S. Mauritij vt ſe conferat, ſuademus, ut omne huiuſce mali veſtigium deleatur, & priſtinę ſanitati Pat. Illuſtriſſimus reſtituatur, quam enixè illi precamur.

XXXI.

PHTHISIS.

IAm ſuperiori Conſultatione pro Nobiliſsimo Hæmoptoico ſcripta, diæreſis in pulmonum vaſis fuit à nobis ſuppoſita, cum febris præſentia, vnà cum Viris præclariſſimis, quibuſcum Patauii Conſultatio habita fuit. Interim inualuit febris, continua quidem, ſed horis nocturnis manifeſtè inuadens, diurnis verò declinans, cum pulſuum inæqualitate, & aliqua in urinis mutatione putredinem ſignificante. Quare nos præter febriculam, excretionis ſanguinis comitem, putridam quoque adiunctam exiſtimauimus, à putredine catarrhalis materiæ, à capite in meſenterium delapſæ; quæ facilius putredinem concipere potuit, propter obſtructiones, non ſolùm ab eadem inductas; verùm & ab adſtringentium uſu adauctas; quæ licet leuior videatur, nunquam tamen omnino extingui potuit, perdurante interim perenni à capite ad inferiores partes deſtillatione; unde moleſta tuſſis; cum excretione catarrhalis putridæ, atque corruptæ materiæ (nondum enim pus ſincerum facilè adeò diſcerni poteſt) cum aliqua ſtilla ſanguinis à narium venis, ac proinde à ſputis pectoris ſeiuncta, totius interim macie magis magiſque in dies inualeſcente.

Quare nos putridam febrem primò expugnare neceſſarium omnino duximus, euacuantibus, leuiter attenuantibus, & incidentibus, necnon reſrigerantibus; deſtillationem verò à capite intercipiendam, mox tandem exſiccandam; pulmonibus infarctam materiam cautè expectorandam; & tandem pulmones ipſos, & vaſa exſiccanda, atque roboranda, ut
callo [a] obducto, Nob. Patiens vitam producere poſſit. a 5. Math. 14.

Propterea ordine executionis, quid noſtro iudicio ſit agendum, ſuccinctè præſcibemus. Cùm autem iterum, & tertiò Patauii eductus fuerit ſanguis ex ſaluatella, & hæmorrhoidibus, ideo noua aliqua emergente occaſione ſufficiet leuis, & potius repetita euacuatio, præter quam ad febrem putridam magis adhuc diminuendam, tribus, aut quatuor caſſiæ drachmis cum tart. illi opus fuerit. Alterantis verò loco aquam hucuſque illi exhibuimus, calorem febrilem, & ſitim moleſtam ſpectantes, paratam ex fol. malu, violar. capil. Ven. pulmonariæ, pulpæ pomorum dulcium, radic. altheæ, ſem. melon. & quatuor ſem. min. reſriger. omnibus in aqua Nocetæ maceratis, & validè expreſſis; colaturæ verò addito flore caſs. ad ℥ ii. diſſoluto, atque aqua ex colatura deſtillata B. M. emanante, in acceſſionum ſtatu, nocturno tempore exhibita ad ℥ x. præmiſſo humoribus attenuandis iulap. acetoſo ad ℥ ii.

Ad intercipiendam verò fluxionem, diacodium, & diatragacanthum frigidum, cum iulap. violat. & ſyr. de papau. præſcripſimus. Quare à cœna exhiberi poterit elect. ita paratum. ℞. ſem. papau. albi ℥ ſ. pulu. hæmat. ʒ i. conſer. roſ. viol. nenuph. an. ℥ ii. in mortario diù contundantur, vt reſ. elect. ad ℥ ſ. aſſumendum; Mane verò ut materia nocturno tempore in pectus delapſa facilius expectoretur, lambitiuum huiuſmodi parandum. ℞. ſyr. viol. de ibiſco, acet. ſimpl. an. ℥ i. m. ad validiora ſiquidem attenuantia, & irritantia non eſt deueniendum, ne fortè rurſus ſanguis erumpat.

Interim ad fluxionem tollendam, & pulmones exſiccandos, omnis opera dirigenda; in

quem

peramentum calidum, & ſiccum, gracilem habitum, cacochymum, & malè [d] conſormatum, vitam exactam, & ſputa ſepè [e] falſa, per diæreſin erupiſſe exiſtimandum eſt, vaſe non ſolùm extrinſecus eroſo à falſa deſtillatione; verùm & intrinſecus à ſanguine [f] non tantùm acri, & ſeroſo, à feruido iecore, & meraci vini vſu genito, verùm & acido (ſplenicus enim eſt Patiens) vnde à ualido motu, corpore potiſſimum pleno, excalefactus, & concitatus ſanguis, ad omnes venas impetum fecit; & prout in naribus anaſtomoſin; ita in pulmonibus diæreſin facilius excitauit, ex Hipp. & Gal. [g]

d 1. in 6. Epid. 18.
e 5. Meth. 14.
f 3. de Symp. Cau. 2 & 4. Simpl. 16.
g 5. Aph. 9.

Si res ita ſe habet, nimis frequentem obſeruamus in praxi transſmutationẽ hæmoptyſis in phthiſim, quam ante nos, utpote frequentiſſimam, notauit & Hipp. [h] Quare [i] *Quia tarditas eſt precipua interitus cauſa* ex Gal. ideo ſtatim curatio feſtinanda, antequam febricula accedat, quæ phlogoſin excitatam in vlcere arguat; tunc enim nullum vidit Gal. [k] integrè perſanatum.

h 7. Aph. 15
i 7. Per Loc. 4.
k 5. Meth. 14.

Curatio itaque perficitur, corrigendo [l] uitium ſanguinis, & auferendo malam vaſorum diſpoſitionem. Et quia ſanguis peccat motu, & mala qualitate, motus poſtulat reuellentia; mala qualitas alterantia; & vaſorum diæreſis agglutinantia.

l 5. Meth. 5

Statim ergo ad ſanguinis miſſionem deueniendum fuerat, ad inhibendam inflammationem, & ad reuellendum ſanguinem à pulmone; nec ſemel, ſed iterum, & tertiò, parcius tamen. Cucurbitulæ quoque, tum cruribus, tum coxis ſcarificatæ, viſceribus etiam ſiccæ applicandæ. Cauteria ſi geſtet, foueat, ſin minus, patefacienda in coxa, & brachio. Lotiones pedum, aqua calente; Frictiones itẽ ſint in uſu. Facta uerò reuulſione, interceptio locum habebit; cujus cauſa Matronæ [m] Romanæ præbuit Galenus theriacam recentem; quæ ideo huic etiam prębeatur, ad ʒ ſ. cum gt. i. laudani. Sic conuenit Diacodium cum bolo, ore noctu detentum. Validum quoque expertus ſum electuarium Helidei, quod à Nicolo, & hic à Rhaſi deſumpſit, hac formula. ℞. cõſeruæ roſarum ℥ ii. ſeminum papau. albi ʒ ii. hyoſcyami ʒ i. boli armenæ, terræ ſigillatæ, cui addo lapid. hæmatit. ʒ ii. ſ. ſyrupi myrtini q. ſ. m. F. Electuarium, ad ʒ i. mane, & ſerò aſſumendum. Ceratum quoque capitale, ſi non Montagnanæ, quia nimis excalefaciens, Claudini ſaltem temperatius uſurpandum.

m 5. Meth. 13.

Interim exhibita caſſia cum tamarindis, contemperandus ſanguinis feruor, & ſimul uas occludendum, decoctione plantaginis, centinodiæ, burſæ paſtoris, lactucæ, & capit. papaueris albi. Mirabilis eſt etiam ſyrupus ex aqua plantaginis, & conſolidæ deſtillatis, & manante ſanguine, aqua plantaginis cum ſpiritu vitrioli. Efficaciſſimum quinetiam eſt oleum ſuccini flaui, ad gutt. iii. in aqua plantaginis, aut conſolidæ, aut portulacæ; ſicut exhiberi poteſt puluis ex lapide hæmatite, bolo armena Orientali, & terra ſigillata: ſolo namq; lapide hæmatite Trallianus [n] plures ſanauit; dum verò hæc fiunt, clyſteres iniiciãtur.

n Lib. 7. Cap. 1.

Suppreſſo ſanguine eiuſdem contemperationi inſiſtendum, exhibitis aut ſero caprino Chalybeato, aut aqua Nocerꝗ, cum ſyrupo de papauere, aut violaceo; ſucco item plantaginis depurato ad ℥ iii. in iure pedum vituli. Habeat in uſu familiari conſeruam roſarum, à cibo ſtatim, mane, & ſerò, cui addi poteſt puluis lapidis hæmatitis. Pectus uerò inungatur oleo roſaceo, & violaceo.

Congrua pariter uictus ratio ſeruanda, medicamentis proportione reſpondens, Viro Excell. iam cognita. Abſtineat itaque in præſentiarum à vino, ſalitis, clamore, motu, & primis diebus lacte cibi loco utatur, catarrhi mox habita ratione. Sit tamen interim uictus incraſſans; & Excell. Adſtantis monitis obtemperet. Quibus addo, quod non tam citò de expectoratione ſolicitos nos eſſe oportet. Et hæc dicenda habui pro ſalute huius Patientis.

XXXIII.

PHTHISIS CVM HYPOCHONDRIORVM Tumore.

FEbriculā, quæ ab initio affligere cœpit Iuuenem Pat. menſes perdurantē, à cruditatibus in primis viis delitеſcentibus, & in iiſdem putreſcentibus, ob liberam, imò ſolutam viuendi rationem contractis, prouenisse, pro certo habemus; quarum portio à calore iecoris exſiccata, & in obſtructiones conuerſa, hypochondriacum quoque affectum induxit; hinc excrementorum prouentus adauctus, cuius ratione quatuor poſt menſibus febris quoque inualuit, qua nunquam liberari potuit, idque non ſolùm quia Patiens peſſimè ſe geſſit in viuendi ratione; ſed forſan etiam erga medicum ipſum, qui illi propterea par pro pari relaturus, aquam frigidam communem, pro potu conſueto, ad libitum, fructuſque conceſſit, & refrigerantia diutius præſcripſit, ſtatimq; ab iis decoctum, nulla ad id neceſſitate impellente, calefaciens, & exſiccans uſurpauit.

Interim tuſſis ſuborta eſt, cui menſe Ianuario proximè præterito ſucceſſit, ter per hebdomadam, floridi ſanguinis excretio, continuata ſemper mala viuendi ratione, & Medici nulla ſolicita cura adhibita; unde febricula continuò perdurauit, & tuſſis, cum ſputis craſsis, ac viſcidis non ſolùm, verùm etiam purulentis a, pulmonum ulcus indicantibus;
a 7. Aph. 15 & 16. quæ viginti abhinc diebus ſuppreſſa, & cohibita anhelitus difficultatem excitarunt, potiſſimum motibus corporis violentis, & per accliuia; quia ſcil. materia in pulmonum cauitate concluſa, motibus ipſis ſurſum effertur ad pulmonum bronchia, quibus coarctatis, intercipitur ſpiritus, & ita aſthmaticus, imò & orthopnoicus nonnunquam contingit affectus.

Verùm, quoniam tum à perpetua catarrhali deſtillatione ad partes etiam naturales, tum ab importuna viuendi ratione copioſæ continuò congeſtæ ſunt cruditates; ideo ab iiſdem in meſenterio concluſis, ibidemq; à calore circunſtantium viſcerum exſiccatis tumor non exiguus, & durus ſubortus eſt.

Status huius Pat. nonniſi pernicioſus, & lethalis cenſeri poteſt, Phthiſicus enim eſt, & vergit ad tabem, niſi eandem ſuffocatio præuertat. Quare multa præſcribere medica auxilia operæ pretium non fuerit, nec artis decus permittit. Et licet lac aſininum humectando, & emolliendo, forſan ſputum mouere, & hypochondriorum duritiem emollire, quodammodo poſſit, totumque corpus nutrire; niſi tamen primæ viæ magis expeditæ reddantur, facilè ventriculo, & meſenterio hærere, & corrumpi poterit. Quare aliquam euacuationem præmittendam cenſemus; primò potione magiſt. ex manna clarif. exhibita; mox ſucco malu. ad ℥ iij. in iure, malua, & agrim. parato; die verò ſequenti ſyr. Fernel. ad ℥ ii. in eodem iure, aut aqua mulſa diluta exhibito; atque ita procedendum alternato ſyrup. Fernel. & ſucci depurat. malu. uſu, 12. aut 15. dies, ut lacti aſinino aditus facilior, & tutior pareat. Horis autem veſpertinis. Balneum quoque aquæ dulcis, herbis humectantibus alteratæ, conuenire poterit, uſque ad ſepti regionem, licet perdurante ſputi ſuppreſſione, tepidum pectori cautè adminiſtratum poſsit prodeſſe; cui ſuccedat uniuerſalis inunctio ol. amygd. ſicut & pectoris ex adipe anſeris, cum puluere ireos ref.

Quibus omnibus addatur magis congrua victus ratio, à Viro Excellent. Adſtanti præſcribenda, ut ſaltem minus moleſtam vitam trahat.

XXXIV.

PHTHISIS.

CAcochymum in toto venoſo genere coaceruaſſe ſanguinem Nobiliſs. Adoleſcentem, tum propter calidum, & ſiccum iecoris temperamentum, tum ob vehementes, ac intempeſtiuas animi applicationes, pro certo habemus; quæ cacochymia [a] ad caput propagata deſtillationem adauxit, in partes primò naturales, unde colici cruciatus, diarrhœæ, teneſmi, & febres cum horrore inuadentes; tandem in ſpiritales, unde tuſſes, ſputa pituitoſa, in pulmonibus corrupta, indeque veſpertinæ febres, catarrhales dictæ, & quod grauius eſt, occaſione tuſſis non modò cruenta ſputa, verùm & copioſior ſanguinis excretio obſeruata fuerunt; vnde hæmoptoicus primò factus, nec liberatus, ob incongruam ſcil. victus rationem, phthiſicus demum euaſit; ſanguis [b] enim prauus, cùm uix à natura in venis tolerari potuerit, propterea ut feruidus ſuperiora petens, non minus pulmonis, quàm narium venas patefecit, licet non eodem modo; ſicut enim illas per anaſtomoſin; ita has per diæreſin recluſit, non parum adminiculante tenui, acri, & facilè ſalſa [c] à capite deſtillatione, ſub Bergomenſi cœlo adaucta, venas extrinſecus erodente; necnon à ſanguine [d] corrupto intrinſecus mordicante. Quare ſanguinis ſputo [e] puris ſputum, vlcere oborto, ſucceſſiſſe obſeruamus, quamuis eius indicium copioſa, & putrida pituita per tuſſim quotidie excreta facilè obſcuret, prout & hecticæ febris putrida adiuncta.

a 2. de Diff. Feb. 11.
b 3. de Sympt. Cauſ. 2.
c 5. Aph. Com. 9. & 5. Meth. 14
d 4. Simpl. 16.
e 7. Aph. 15

Quibus ita ſe habentibus, ſpes in anguſto eſt; tertio namque die ab vlcere facto, nullum uidit in totum ſanatum ipſe Gal. [f] licet aliquos, callo obducto, longiorem vitam produxiſſe quandoque obſeruauerit.

f 5. Meth. 14.

Quare & nos in eundem finem nonnulla tentanda proponemus, ab urgentiori indicatione deſumpta; cùm enim hinc ulcus, & catarrhalis deſtillatio exſiccantia poſtulent; hinc verò febris habitualis, uires, & macies humectantia, hoc anni æſtuante tempore humectationi prius; mox exſiccationi, cum refrigeratione ſubſcribimus.

Atque adeò lactis arte parati uſum ſuademus, ex emulſione ſem. melon. quatuor ſem. frigid. nucleor. pineor. & amygdal. rec. extracta in iure pullæ, ranis, & caudis Cammarorum alterato, addito ſaccharo, quod ſummo mane ſumendum, mox ab eo rurſus dormiẽdũ.

Balueum quoque tepidum aq. dulcis, foliis malu. violar. lactucæ, ſalicis, vitis, nenuph. alteratæ, conferre poterit, uſque ad ſeptum. A quo inunctio vniuerſalis ol. amygdal. recenti expreſſo opportuniſſima erit.

Interim aduentante tempore, quo aquæ acidulæ vitriolatæ in Valle Solis enaſcentes opportunæ ſunt, quæ pulmonis ulceribus ſaluberrimæ, ac præſtantiſſimæ à nobis quandoque fuerunt expertæ, ad eaſdem, tanquam ad vnicam ſacram anchoram confugiendum conſulimus; Sacræ namque Thermæ ab Ariſt. [g] nuncupatæ fuere; atque adeò Lectica illuc deuehendus ęger, aliorum exemplo. Cui remedio ſi malum non ceſſerit, minus decoctis, lacti, aliiſque eiuſdem facultatis ceſſurum arbitramur. Non ſunt tamen alia omittenda, exſiccantia frigida, & à proprietate iuuantia, vt conſerua roſarum, cum bolo [h] armena, & lapide hæmatite; Trochiſc. de myrrha, cum aqua pimpinellæ; Aqua ex hedera terreſtri, cum conſerua roſarum, vel ſyr. de ſymphyto Fernel. Aqua item deſtill. ex tenerrimis quercus foliis, cum ſpir. vitrioli, vel tinctura corallorum, & huiuſmodi alia probantur.

g 24. Probl. 18.
h 9. Simpl.

Quibus proportionata victus ratio erit addenda, refrigerans, & ſubſtantificè humectans, quæ ab Excell. Viro adſtanti, qui exactiſſimam affectus hiſtoriam deſcripſit, ſat, ſuperque præſcribi poterit, cui reliqua quoque adducta libenti animo à nobis committuntur.

XXXV.

PHTHISIS EX SVPPVRATA PLEVRITIDE.

NObiliſs. Puella, annum XIV. agens, habitus gracilis, temperamenti ad calidum, & ſiccum vergentis, poſt contractam ex leuibus erroribus in viuendi ratione, & præcipuè nimio exercitio commiſsis, proximè præterito Menſe Maio, raucedinem, dolore pungente lateris dextri correpta fuit, circa coſtas mendoſas, cum febre, tuſsi, & euaporationibus caput petentibus, ex quibus etiam muta ſpatio 50. horarum permanſit, nil proficientibus quibuslibet remediis adminiſtratis. In progreſſu verò morbi, ſputa primò ſanguine, mox bile apparuere permiſta; quibus ſymptomatibus excruciata, uſque ad xiv. capitis tandem affectio euanuit, dolorque pungens in grauantem mutatus eſt, qui ſuper lateris affecti partem inhibuit decubitum, quem ſi quandoque tentaſſet, ſuffocationis ſenſu ſe premi obſeruauit. Inde febris die mitior, nocte exacerbabatur, cum ſudoribus circa frontem, & faciem, genarumque rubore; tunc verò diuretica adminiſtrata fuere remedia, atque fomenta reſoluentia affecto lateri applicita. Tandem 52. à decubitu die, Nob. Puella excreare cepit pus quotidie ad pondus libræ circiter, & quidem per plures dies, & hebdomadas, unde & ſymptomata omnia remiſſa ſunt. Hinc Medici ad opus Naturæ arte perficiendum, lac aſininum illi exhibuere, ex cuius uſu carnoſior quoque facta eſt. Verùm paruo temporis interuallo fucatis hiſce bonis frui licuit Nob. Patienti; quandoquidem ex ambiente frigidiori, dum ruri moraretur, recruduit morbus, & deſtillatio catarrhalis cum copioſioribus ſputis apparuit, febriſque euidentior inuaſit. Cogitant nunc Medici de noua terebinthinæ, & decocti, cum lacte exhibitione, ac de applicando pectoris regioni Emplaſtro. Quare opem quoque noſtram Nob. Patiens efflagitat.

Dolores[a], *qui ſunt in lateribus, pectoribus, atque aliis partibus, an multum differant perdiſcendum*, monebat Hipp. *Vnde ſi Dioni*[b], *& Theoni coſta doluerit, non eodem modo*. Attendendam itaque doloris ſpeciem, atque vehementiam ſubdebat Gal. Ideo ex modo, quo pungens dolor inuaſit Puellam Nobiliſs. effloreſcente pubertate, cum acutiſſima febre, aphonia, animique defectu ſupra diem integrum perdurante, cauſam vehementiſſimam habuiſſe credendum; quæ certè non alia fuit, quàm copioſus, & prauus ſanguis, qui à toto venoſo genere cùm per vterum excerni debuiſſet, ob ſui tamen craſſitiem, & viarum anguſtiam permeare non potuerit, facta metaſtaſi per venas ad pleuræ partes internas, eò etiam à diuturna prægreſſa tuſſi proritatus, atque extra uenas effuſus, nec parti tantùm infarctus, verùm quoque pleuram à muſculis diuellens, abſceſſum, ſiue Vomicam excitauit, quæ ob materiæ craſſitiem, atque prauitatem, pleuræque denſitatem, neque concoqui, neque inſenſibiliter diſſolui potuit; ſicque iuxta Diuini Senis[c] ſententiam, poſt xiv. ad ſuppurationem conuerſa eſt; cuius indicium præbuit pondus[d] in parte, febris remiſſa, nocturna facta difficilis reſpiratio, imò ſuffocationis ſenſus, malæ rubentes, & circa faciem ſudores. Cuius quidem maturatio tunc temporis acceleranda fuit (cùm materiæ in pus conuerti incipientis reſolutio ſperari minimè poſſit, nec omnino per ullam partem ſenſibilis eiuſdem excretio, quia concluſa materia fuit) atque diſruptio omni arte ſolicitanda; quæ tamen ſpontè contigit die 38. ab inchoata ſuppuratione, qua pus copioſum per ſputum[e], tanquam locum omnium accommodatiſsimum excretum fuit, non quidem totum ſimul, & confertim, ſed per epicraſin quotidie ad plures dies, & hebdomadas. Verùm quoniam magnifaciendum Hipp. oraculum, atque cautione magna obſeruandum, quod nimirum, *Niſi*[f] *50. diebus purgentur, à die à qua fit ruptio, ad tabem tranſeunt*; ideo poſt puris expurgationem omni induſtria eiuſdem reliquiæ fuerant diſſipandæ, & vlcus exſiccandum. Quod videns Paulus, cum cæteris Medicinæ Principibus, quatuor, his caſibus, propoſuit Medicas intentiones, ſcil. quod primò ſuppurationis concoctio ſit adiuuanda. Secundò ruptio tentanda. Tertiò pus totum excernendum. Quartò vlcus exſiccandum. Quoniam verò vlcus exſiccatum non fuiſſe exiſtimo, ac proinde pus non omnino exhauſtum minuſque humidam capitis intemperiem, nec ablatam, nec remiſſam; ideo facilis fuit, vel à ſola ambientis frigiditate recidiua; ſiue ut proprius loquar, mali recrudeſcentia, cùm ſinus, aut

vlcus

a 6. Aph. 5.
b Galen. in Com.

c 5. Aph. 8.
d 2. Progn. 60.

e 5 de Loc. Aff. 3.

f 5. Aph. 15 & in Coac. 5.

ulcus exſiccatum, & cicatrizatum nunquam fuerit, nec forſan vnquam Nob. Puellam febris dimiſerIt.

Hinc iutemeritò Excellentiſs. Viri iſti tandem unanimes in hanc ueram, atque legitimam ſententiam deuenerunt, poſtremæ ſcilicet intentioni ſatisfaciendum, ulcus exſiccando; & eodem tempore, capitis humidam intemperiem remittendam, pulmoneſque exſiccandos, atque roborandos eſſe.

Quę tamen, an conſequi poſſimus, ualdè anceps, & dubium, tum ob Hipp. monitum, quod nobis Phthiſin hoc caſu minatur, tum ob maciem, atque naturæ imbecillitatem, quæ ualidiora exſiccantia forſan tolerare non poterunt, cùm tamen leuioribus affectum non ceſſurum exiſtimem, ut proprerea incidimus in Scyllam, dum cupimus uitare Charybdim; undique enim anguſtię; adeò ut medicis pręſentibus expertis horum deliberatio neceſſariò ſit committenda.

Quibus tamen ego hac conſideratione animum addo, quod ſcil. niſi ulceris pulmonum, & capitis exſiccatio obtineri poſſit, actum ſit de uita Patientis; proinde ſatius ſit anceps remedium experiri, quàm egram certę morti relinquere. Quare decoctum exſiccans concinnandum exiſtimo, ex China, lentiſco, buxo, Santalo, & rad. Enulę, in aqua ſtillatit. cichor. beton. & farfarę, ſeu pulmonarię, pręmittendo bolum ex Diaiteos, & butyro ſulph. confectum. Verùm ſudor in hypocauſto prouocandus ſine cuius opę, uix quicquam boni ſperari poterit. Quod ſi Viris Excellentiſs. non permitti poſſe uideatur, ſubſtituatur terebint. noſtra, non Cypria, in aqua capil. Vener. lota. Quo tempore conuenientiſſimum erit Emplaſt. ſiue ceratum pectorale, à Viris Excell. pręſcriptum, lambitiuis expectorantibus non omiſſis. Tandem ad lactis aſinini uſum erit rurſus Nob. Puella perducenda, cuius totum corpus humectantibus illiniendum. Vinum pręterea parabitur ad menſam china, & lentiſco medicatum; ferculo Saxonię, ex ſaccharo, chinæ puluere, & farina hordeacea compoſitum, in cœna ſaltem exhibito. Nec ſudoris tempore, tenuis uictus ſeruandus. Quę omnia Viris Sapientiſs. corrigenda potius, quàm exequenda à D. O. M. ſalutaria precor.

XXXVI.

APERTIO CADAVERIS.

IAm nos Conſultatione, pro Illuſtriſſima Com. vnanimes decreuimus, ipſam phthiſi non ſolùm, ſed & phthoe, hoc eſt, cum pulmonum exulceratione, affectam fuiſſe, ex ea interitum illi ominati, prout certè contigit. Neque hæſitationi locus dari poteſt, de idiopathica pulmonum affectione; cùm eoſdem duplici nomine, nimirum & prima ex phthiſi vlcere ob prægreſſam ſanguinis excretionem; & ſecunda [a 1. in. 1. Epid. 17.] ex, a flacciditate eorundem, laboraſſe deprehenſum fuerit; licet de primaria heſerit ſcriptor, aut ſecundaria affectione; quòd vteri tumor præceſſerit, à cuius ſuppuratione cùm dolores, & proinde febres obſtiterint, illum propterea Excell. Adſtantes neglexerunt. Attamen pulmones, non ab vtero, ſed à capitis deſtillatione, ſanguinis ſputo, nec non à venoſo b genere labem contra- [b 3 de Sym pt. Cau. 2.] xiſſe putamus; vteri namque tumores, abſceſſus, & vlcera, licet nonnunquam tabem inducere poſſint, non tamen pulmones facilè adeò inficiunt; quod num hoc caſu fortè contingere potuerit, inquirendi locus foret, niſi alia manifeſta cauſa pulmones afficiens prægreſſa fuiſſet. Mala autem naturalis c conformatio, & immedicabilis à nobis in aliis [c 2. in 1. Epid. 18.] obſeruata, defunctam Illuſtriſſimam prædictis pulmonis affectionibus idoneam facilius, & obnoxiam reddidit. Caueant interim d Illuſtriſs. Conſanguinel ſuperſtites à domeſtica, & [d 1 de Diff. Febr. 2.] præſertim cubiculi eiuſdem ſuppellectili, ne à phthiſi infectis miaſmatibus labem ducant,

XXXVII.

SPVTVM PVRVLENTVM ſine Phthiſi.

a 2. in 2. Epid. 18.

ILluſtriſs. Patiens, à naturæ primordijs, deſtillationibus obnoxius, ob caput intemperatum, & malè ab ortu conformatum, [a] cum pectoris anguſtia, collo oblongo, pulmonum imbecillitate, & torius gracilitate, à quibus facilis fuit catarrhi à capite labentis ad pulmones prolapſus; cuius cauſa tuſſi moleſta plurium annorum adhucnum exercetur, violentia ſua vaſa pulmonum ſæpius tumefaciente, concurrente perenni humida deſtillatione, eorundem ora laxante; tandem duobus abhinc annis ſanguinem copioſum tuſſi reiecit, & quidem per Anaſtomoſin; ſi enim per Diæreſin id contigiſſet, hucuſque, imò ſtatim ulcus ſubortum fuiſſet, febricula [b] excitata, pus excretum, & in præſens aut omnino tabidus, aut iam extinctus foret, ex Gal. decretis, cuius hæc ſunt verba. [c] *Cùm vas in pulmone ruptum eſt, niſi ſtatim glutinatum ſit, antequam phlegmon excitetur, ſcire apertè licet, id poſtea inſanabile fore*; quantum verò temporis ea calamitas deſideret, ſubdit eodem libro, dicens; [d] *Qui ſeſe primo die mihi curandos commiſerunt, omnes ſanaui; qui verò ſecundo, non omnes; qui tertio, ita ut febricula detinerentur, nullum vidi in totum ſanatum*. Cuius propterea doctrina, & experientia freti, credimus per Anaſtomoſin, non per Diæreſin, prima vice vaſis maioris; ſecunda verò minoris excretum fuiſſe ſanguinem.

b 5. Meth. 14.

c 5. Meth. 8.

d 5. Meth. 14.

At quoniam, licet expurgatum fuerit corpus, capitis tamen intemperies catarrhi parens perennis fuit, & præterea quia malæ conformationes nullo modo auferri poſſunt; hinc à copia materiæ catarrhalis, tum à capite, tum à toto venoſo [e] genere, ad pulmones continuò influentis (cacochymum enim eſt illi corpus) hi tandem flacciditatem [f] quandam conceperunt; atque dum eadem materia diù in ipſis concluſa corrumpitur, & putreſit, inde oritur febricula, & quidem putrida; cuius facilè fuerit acceſſiones horis veſpertinis obſeruare, non ſine aliqua ſuſpicione habitualis quoque alicuius gradus, quia à cibo incaleſcit; quod ſignum, licet non pathognomonicum, indubitatum tamen fuit à Galen. [g] vocatum.

e 3. de Symp. Cau 2.

f 2. in 2. Epid. 17.

g 4. de diff. Feb. 9.

His ita ſe habentibus, periculum imminet, ne Patiens in ſecundam Phthiſin Hippocr. ex flacciditate ſcilicet pulmonum incidat; eorum namque caro, utpote laxa, à iugi catarrhi humiditate flacceſcit, à cuius corruptela facilè corrumpi poterit; unde neceſſariò phthiſis, tabes, & interitus; quæ facilè accelerare poteſt Autumnus, tabidis alioquin ex Hippoc. [h] malus, quo tempore etiam remedia non adeò prodeſſe obſeruamus. Attamen quia iuuenis, nondum expertus eſt generoſiora remedia, & viribus ſatis conſtat, caſus non omnino deploratus.

h 3. Aph. 10. & 22.

Primò itaque, & quamprimùm totum per partem poſt partem expurgandum. Secundò caput. Tertiò diuertenda, quantùm fieri poteſt, materia catarrhalis à pulmonibus. Et tandem exſiccandum caput, & pulmones ipſi, non omiſſis expectorantibus præſidiis.

In fonte autem Chirurgico laudo [i] repetitam, ſed parcam ſanguinis miſſionem, primò ex brachio, mox ex hæmorrhoidibus. Duo item cauteria, in brachio ſiniſtro, & coxa dextera; frictiones quotidianas, ad ſpatulas, moxque ad articulos inferiores, eaſque aſperas, exemplo Gal. in Mattona illa Romana. Lotiones calidas pedum frequentes, veſperi ante cenam. Et tandem lotiones capitis, lixiuio dulci, alterato Guaiaco, Viſco quercino, Betonica, maiorana, toſis, & roremarino; quæ ſi non conferant, mane ſaltem à pectinatione, fiant abſterſiones magna ſpongia, pridie ſerò, eodem decocto imbuta, & nocte ſpontè exſiccata. Inunctiones tandem pectoris, ex adipe anſeris, puluere Ireos, & oleo Amygdalino paratas.

i 5. Meth. 13.

In Pharmaceutico conuenit expurgatio primarum viarum, aut Manna, aut Caſſia cum Lenitiuo, & liquiritia. Præparatio fiet melle roſaceo ſimp. & iulap. acet. ad ℥ iv. ſine diluto, quinque dies; quam expurgatio ſequetur Caſſia, Lenit. & Trochiſcis de Violis, cum portiuncula Agarici, vel manna adiecta Agarici infuſioni. Secunda præparatio ſuccis potius,

quàm

quàm ſyrup. perficienda, vt ſucco cichor. agrim. bottidis, pulmonariæ; cui ſuccedat purgans ex infuſione Rhab. Agarici, Sennæ, cum ſyr.roſ.& ʒ ii.elect.Diaph.

Quoniam verò dixi, venoſum genus ſcatere cruditatibus, quòd viſcera Pat. intemperata, & obſtructa ſuppoſuetim; ideo libens propinarem ſyrup. Fernelianum, quinque, aut ſex vicibus, alternis diebus, ad ℥ ii. in decocto deobſtruente pectorali, diebus intermediis exhibito iure alterato cichor.endiuia, borrag. agrimonia, betonica, hyſſopo, praſſio.

Dum verò hæc fiunt, caput expurgari poterit leui Naſario, non Maſticatorijs, confecto ex puluere Ireos, & maioranæ ana. Expurgato toto, & capite, ad pulmonum, & capitis exſiccationem deueniendum, decocto ita parato. Recipe ſalſæ elect.inc.℥ i. Viſci quercini veri, ſantal. citrin. radicis Cannæ vulgaris, radicis roſar. ana ℥ ſ. Aquæ communis ℔ iv. m. f. inf. per horas 24. deinde adde dimidium Galli iunioris, & bullianr ad conſump. medietatis, & ſub finem ebullitionis, adde folior. pulmonariæ, hyſſopi, praſſij, botridis ana Pug. i. bulliant parum, & colatura ſeruetur pro tribus diebus, matutinis horis. Si Patiens ab huius uſu ſtragulis coopertus ad ſudorem ſe componat, præmittatur puluis ex ℈ ii. Cornu Cerui vſti, & gr.v.pulueris viperini; ſin minus, ſubſtituatur bolus ex Terebint. noſtra Veneta, cum ℈ i. floris ſulphuris reformatus. In quo decocto perſiſtat 30.aut 40 dies; atque interim expectoratio ſolicitanda, matutinis horis præſertim, iulap.acet.cum ſyr.de Ibiſco, & aliquot guttutulis aquæ ſulphuris.

Tandem congrua victus ratio his omnibus proportione reſpondere debebit. Aer thalami alteretur ſuffumigio, ex aqua roſar. caryoph. benzuino, ſtyrace, thure, ſantalis, myrrha, pulmonibus ad miraculum accommodara; inſpirato quippe huiuſmodi aere facilius exſiccabuntur, & roborabuntur pulmones, atque humida capitis intemperies contemperabitur. Lac, priſana, & alia à Gal. [k] commendantur. Vinum medicatum tenue iiſdem decocti ingredientibus parandum. Vratur conſerua roſarum, cum portiuncula butyri ſulphuris à cibo. k De Marcore 9. Aluus lubrica ſeruetur, aut aliquo electuario pectorali, aut pilula de Agarico Meſues, & Aggregatiua compoſita.

XXXVIII.

SPVTA PVRVLENTA SINE Tabe.

PAtiens Nobiliſſimus, annum 30. agens, ab ineunte ætate hypochondriacus, viginti abhinc menſibus moleſtiſſima tuſſi exagitatus, & quidem, me iudice, à cauſa procatarctica commota, non ſine tamen internæ quinetiam concurſu, materiæ ſcilicet catarrhalis, non ſolùm à capite dyſcraſia affecto, ob eiuſdem præcedētes affectiones; verùm & à toto a a 2. de Diſ. Feb. 11. venoſo genere tranſmiſſæ; cùm enim hypochondriacus ſit, eiuſdem corpus cruditatibus ſcatere omnino neceſſum eſt. Quæ deſtillatio proptérea pertinax, & diuturna fuit, ob capitis ſcilicet intemperiem inueteratam, & ſanguinem crudis excrementis conſpurcatum; à perenni autem, & iugi deſtillatione, & tuſſi, cenſemus adapertum, & laxatum vas pulmonis ſanguinem per Anaſtomoſin effudiſſe; ſi enim per Diereſin erupiſſet, præterquamquod præceſſiſſent ſputa b 5. Meth. 14. ſalſa, oborta quinetiam fuiſſet febricula b, & poſt cruenta, purulenta etiam ſputa apparuiſſent, vt clarè docet Gal. his expreſſis verbis c. *Cùm vas in pulmone ruptum eſt, niſi ſtatim* c 5. Meth. 8 *glutinatum ſit, antequam phlegmon excitetur; ſcire apertè licet, id poſtea inſanabile fore.* Quanto verò temporis ſpatio in Diæreſi phlegmon; & vlcus excitentur, eodem Lib. idem nos docet his verbis d. *Quicunque ſeſe primò die mihi curandos commiſerunt, omnes ſanaui; qui verò ſe-* d 5. Meth. 14. *cundo, non omnes; qui tertio, ita vt leuiter febricitarent, nullum vidi in totum ſanatum.* Quare, ſi Diæreſis illa fuiſſet, phlegmon certè ſubortus fuiſſet; mox febricula, ſanies, & pus. Non negamus tamen, quod cùm Nob. Patiens corporis conformatione [e] ad Phthiſin ſit pro- e 1. in 1. Epid. 18. nus, atque eiuſdem Auus, ni fallimur, phthiſi conſumptus contabuerit, cauendum ſit, ne acrimonia ſanguini, aut catarrho inducatur, quam ſequatur, quæ nulla adhuc eſt, diereſis,

Google

reſis, ſicque fiat prima phthiſis; vel ab eiuſdem catarrhi copia laxentur magis, & flaccidiores fiant pulmones; & inde oriatur ſecunda [f] phthiſis Hipp. Præterquamquod vehementi durante tuſsi, poſſet uel rupto, uel aperto aliquo vaſe amplo pulmonis, extemplò à copia ſanguinis erumpentis ſuffocari [g] Patiens; de quo pectoris affectu præſertim ſolicitos nos eſſe oportet; dolores enim hypochondriacos à flatibus craſſioribus melancholicis, hypochondria diſtendentibus ortos, remediis à Viro prudentiſsimo exhibitis, & exhibendis, imminutos, & ex toto etiam auferendos ſperamus.

f 2. in 1. Epid. 17

g Paul. 3. de Re Med. 31

Ad curationem itaque, hoc tempore perficiendam nos accingẽtes, primas vias expiandas leuibus cenſemus; ut mox paulatim ad obſtructiones reſerandas, calidis, & humidis properemus. Deinde venoſum genus purificandum. Caput euacuandum. Et tandem & caput, & pulmones exſiccandi, & roborandi, hac tamen lege, ut ſanguis omninò ſuppreſſus ſit, qui alioquin, cæteris omiſſis, totam ad ſe trahit curationem, quia vitæ theſaurus eſt, quo ſuppreſſo, mox iam dictæ curationi locus fuerit.

Repetita, & quidem ter, parcè tamen [h] ſanguinis miſsio conuenit, ex vtroque brachio, tandem ex hæmorrhoidibus. Duo Cauteria inurenda, brachio ſiniſtro, & coxæ dexteræ. Frictiones matutinæ toto corpore, & ueſpertinæ crurum lotiones ante cœnam erunt peropportunæ. Tandem expurgato corpore, & capite, lotiones quoque eiuſdem capitis ex uſu erunt, lixiuio dulci, herbis capitalibus alterato, ſed temperatis; vel earum loco, conſuetæ ſaltem eiuſdem abſterſiones, poſt pectinationes ſpongia imbuta, mox exſiccata, decocto Guaiaci, Viſci quercini, Stœchadis, & Betonicæ. Pectori conueniunt inunctiones butyro recenti, cum adipe Anſeris, & oleo Amygdalino.

h 6. Aph. Com. 47. & de Sangu. Miſs. 7.

Purgabitur corpus leuioribus, ut Caſs. Lenit. cum pulu. liquir. Prima præparatione triduo exhiberi poſſet mel roſac. ad ℥ iii. & hora poſt ℥ ſ. Crem. Tart. in iure borrag. meliſſæ, & Citri diſſoluta; mox alijs tribus diebus exhibendus ſuccus borrag. in eodem iure. Secundum medicamentum erit ex Caſsia, Lenitiuo, Rhab. & Agarico compoſitum; uel infuſio ex iiſdem, additis foliis Sennæ, cum Syr. Roſar. & de Polyp. Secunda præparatio erit, propoſita à Viro Excell. alternatus quippe nobis placet uſus ſucci cichor. borraginis, & Rhab. cum Caſsia, decem, aut duodecim diebus, à quibus poterit exhiberi decoctio Epith. Meſues, ad ℥ iii. cum totidem pro nunc ſyrup. Roſ. ſolut. & quidem ter, aut quater, prout expurgatio copioſior, vel parcior proceſſerit, epoto ſẽper ab his, & prędictis medicamentis, ſero depurato, aut aqua hordeacea, uel iure hordei, prout à prudentiſs. Viro propoſitum eſt. Dum verò hæc fiunt, caput expurgandum fuerit Errhinis, non Maſticatoriis, iiſque moderatis ex puluere Ireos, & Maioranæ. Tandem tempeſtiuè exſiccabitur caput, necnon pulmones, decocto in iure Columbę pararo, facta tamen prius in ſola aqua infuſione, ex Salſa, Viſco quercino, ſantalis, Radice Cannæ vulgaris, & ligno Rhodio; cui præmittat bolos duos terebint. noſtræ, cum liquiritia 30. aut 40. dies, & ſi fieri poſsit, ſudore quinetiam in lecto prouocaro. Ab his vinum medicatum in totam hyemem, ex iiſdem medicamentis parandum. Conſerua Roſarum, præſertim à cœna ſit in uſu, & congrua victus ratio his omnibus proportione reſpondeat.

Quibus addere nobis placet, quod proximè futuro Vere, rurſus expurgandum ſit corpus, antequam excretio ſanguinis contingat, miſſo bis ſanguine, ſed parcè; ut tandem menſe Iulio, ſub Cane ad Aquas Thermales S. Mauritii Engaddinæ ſuperioris, velut ad ſacram Anchoram, ſe conferat, quibus certò experimento omnino ſanguinis excretio ſubſiſtet, pulmo roborabitur, & à Phthiſi Nob. Patiens præſeruabitur.

PLEV-

XXXIX.

PLEVRITIS.

PAtiens Perill. & Excell. ſexagenarius, temperamenti ſecundum totum ad calidum, & humidum vergentis, hepatis calidioris, ſubplethorici habitus, cibis, & potibus promiſcuè indulgens, & vitam ſedĕtariam agens, tempore hyemis, tempeſtate Aquilonia, correptus eſt repentina febre, cum dolore circa ſternum incipiente, paucis tamen horis poſt, ad latus ſiniſtrum circa legitimas coſtas propagato, valdè pungente, ac vſque ad iugulum tandem protenſo, cum difficili decubitu in latus affectum; cui acceſſerunt difficillima reſpiratio, tuſſis, cum excretione materiæ tenuis, pulſu paruo, celeri, duro, ſerrino, mentiſque moleſta perturbatione. Tertia die inualuit febris, abſque manifeſto inſultu, cœpitque apparere ſputum flauum, pallidum, & craſſum, quod tamen difficulter extruditur. De agendis itaque conſulit.

Medicus eſt Artifex [a] coniecturalis; coniectura autem argumentum ſatis fallax; vt propterea mirum videri non debeat, ſi aliquando in dignotione morborum vèl maximè peritus decipiatur. Duorum [b] verò tantummodò morborum, in vniuerſa Arte, admittitur à Gal. cognitio ſcientifica potius, quàm coniecturalis, Dyſenterię ſcil. & Pleuritidis. Quis enim [c] videns ægrum correptum dolore pungente, acuta febre, difficili reſpiratione, tuſſi, cum pulſu duro, paruo, ſerrino, non fateatur ipſum neceſſariò pleuriticum? Eſt enim ea ſignorum ſyndrome [d], quæ ſoli, & ſemper pleuritico conuenit, ita ut impoſſibile ſit, his apparentibus, non dari Pleuritidem. Talis itaque eſt affectus, affligens Perill. & Excellentiſſimum Patientem noſtrum, ita dictus à pleura [e], parte læſa; cuius proprium indicium [f] eſt durities pulſus, quæ læſos muſculos non comitatur; partibus enim duris [g] ſolùm, & denſis tumefactis, fit pulſus durus. Afficitur autem hoc caſu pleura ſecundum partem externam; quod colligitur ex facili decubitu [h] in latus oppoſitum; ſic enim neque comprimitur oſſibus alliſa, neque pendet inflammatio; iugulum autem infeſtat, quia illuc membrana exporrigitur, quæ licet à quolibet humore [k] inflammari poſſit, facilius [i] tamen à ſanguine bilioſo affici conſueuit, vt præſenti caſu, cùm facilius ſua tenuitate, in corpora etiam duriora penetrare poſſit; cuius humoris peccantis indicium eſt hepatis intemperies calida. Et licet ad plethoricam diſpoſitionem ſit procliuis æger, ob liberalem cibum, & potum, vitamq; ſedentariam; ſanguis tamen inflammatus, aut corruptus, citò, & neceſſariò in bilem conuerti, nemo ignorat. Sed præterea huius humoris peccantis certum ſignum habetur ſputum flauum [m], & pallidum tranſudatione excretum; necnon febris, tertio die inualeſcens [n], exquiſitæ pleuritidis propria, qualis hæc eſt, non ſolùm ratione loci, ſed etiam materiæ, ſanguinis ſcilicet bilioſi, qui à venis maioribus ad minores, & tandem extra vaſa, vi caloris expulſus, & detruſus per mediaſtinum in pleuram, in eaque concluſus nec difflatus [o] & mox corruptus in parte quoque continenti neceſſariò inflammationē excitauit; quam nil mirum, ſi prædicta ſequantur ſymptomata, pungens nimirum dolor, quia pleura exquiſito [p] eſt ſenſu donata; febris acuta, tum propter exquiſitam inflammationem; tum propter viciniam cordis, quarum conditionum altera deficiente, non fieret huiuſmodi febris; difficilis verò fit reſpiratio, quoniam lęſa ſunt inſtrumenta illi dicata; tuſſis, quia natura ſemper tentat euacuationem materiæ noxiæ, quæ quoniam facilis eſt per ſputa; ideo facultas expultrix pulmonum irritata eiuſdem excretionem moliri non deſinit: pulſus paruus [q], ratione alioqui inflammationis magnus futurus, quia non ita commodè dilatatur arteria; durus inſuper, [r] tum ob extenſionem membranę, tum ob eiuſdem ſiccitatem, & tenſionem. Et licet capitis affectus non videatur ſymptoma neceſſariò conſequens pleuritidem; attamen nunquam ferè accidit, quin [ſ] afficiatur, quod ſcil. ſuſcipiat humorum corruptorum in inflammationibus fuliginem, potiſſimum verò bilioſorum, ut in caſu noſtro, quę ſi ingraueſceret, delirium [t] quoque omnino excitaretur.

Curanda autem hæc, vt cęteræ inflammationes, exceptis repellentibus, ne magis mate-

a 1. de Med Per Loc. 1.
b 7. & 5. de San. Tue 2. & 12. Meth.
c 5 de Loc. Aff 3 & de Subfig Empir.
d Ibidem.
e 2 Meth 2 & 2. ad Glauc. 3.
f 4 de Præſ. ex Pulſ 3.
g 2. de Criſ 10.
h 5. de Loc Aff 3. & de Conſt. Art. Med. 15.
i Ibidem.
k 2 de Loc Aff 8.
l 6. Aph. Com 33.
m 2. de Diff. Feb 9.
n 1. Aph. Com 12.
o 2. de Diff. Feb. 9.
p de Conſ. Art. Med 5 & 5. de Loc. Aff. 3.
q 4 de Cau. Pulſ. 8
r 2 de Criſ. 10.
ſ 4 de Cauſ Pulſ. 8.
t 2. de Diff. Reſpirat. 8.

ria impingatur, tum in partẽ affectam, tum in nobiliores. Quare conſideranda inflammatio, quæ vt eſt in fieri, reuellentia poſtulat; ut in facto eſſe, euacuantia ſenſibiliter, & inſenſibiliter, & ad has euacuationes præparantia; ſedatis interim doloribus, ne proſternant vires, neue maiorem materiæ copiam ad affectam partem attrahant; nec capitis cura negligenda, reuellentibus ſaltem, necnon etiam repellentibus, cùm ſymptomaticè afficiatur.

Quod nos aſſequi poſſe, ſicuti non eſt impoſſibile, difficile tamen fuerit: etenim morbus ex acutorum u genere eſt, quos ſemper comitatur cum breuitate x periculum, & potiſſimum cùm palam ſcribat Gal. quod inflammationes y pulmonum, pleuræ, ventriculi, &c. cum acuta febre, exitiales, & mortiferæ eſſe ſolent, non ſolùm imbecillibus viribus, uerùm etiam validioribus. Augetur periculum ab ætate ſenili, cui non congruit morbus; & à difficultate z ſputorum, quæ neque ab initio cruenta apparuerunt. Attamen quia vires validæ, in quibus a, hoc potiſſimum morbo, ſpes ſalutis ſita eſt, nec temperamento b, nec anni temporibus c morbus aduerſatur; ideo aliqua eſt ſalutis ſpes; eo potiſſimum nomine, quia cepit apparere ſputum flauum, quod ſolet eſſe bonæ iudicationis prænuncium; ſi enim Anaxion d tertia die coloratum expuiſſet, die 7. vel 9. vel 11. liberatus fuiſſet; poterit tamen protrahi morbus, ſed citra 14. à qua ad ſuppurationem e tranſiret. Solui autem ſolet tribus modis, per concoctionem, per ſuppurationem, & per reſolutionem; hic uerò primo modò terminabitur. Ad curationem itaque triplici inſtrumento perficiendam, Chirurgico ſcil. Pharmaceutico, & Diætetico accedendum.

In Chirurgico potiſſima materia remedii eſt, per ſectionem venæ ſanguinis miſſio, confeſtim f adminiſtranda, ſemper quidem g, ſed potiſſimum cùm dolor ad iugulum h aſcendit; auxilio enim miſſi ſanguinis Pythio, i qui nihil expuebat, initium coctionis ſexta die habuit. Quantitas k verò iuxta Hipp. erit ad coloris uſque mutationem; obſeruato tamen Gal. monito l, melius eſſe virtutem non exſoluere. Locus erit ex latere læſo. *Proximum enim ventrem purgare, & proximum ventrem incidere oportet*, dixit m Hippocr. Euacuatio enim n ex latere oppoſito obſcuram, & tardam vtilitatem afferre ſolet; perdurante verò dolore, cum pectoris anguſtia, repetita ſanguinis miſſio, ex eodem latere neceſſaria fuerit; licet contrarium videatur præceptum Gal. dicentis, ante 14. & poſt 60. ſanguinem non eſſe mittendum; quod tamen exceptionem admittit, longa, & quotidiana experientia confirmatam, in Sene robuſto, & boni habitus puero: non enim metiendæ vires annis, de Sang. Miſſ. 13. Nec cætera genera reuulſionum in principio, à pectore, & capite erunt omittenda. Perdurantibus verò doloribus, & pleuræ, & capitis, opportuniſſima fuerit applicatio hirudinum venis ſedalibus externis, cum vena caua communicantibus, quæ præterea quod à capite reuellunt, pectori mirificè conſentiunt. *Sanguifluis enim venis laborantes, neque morbo laterali, neq; pulmonario, neque alijs morbis corripiuntur*, ait Hipp. o Quod ſi affectus capitis paraphreniticus phrenitici futuri indicium præberet, veſicantia quoque partibus inferioribus peropportuna erunt; ſicuti & oxyrrhodina capiti, ex Ol. Roſar. & Suc. Citri.

In Pharmacia Purgantia hìc locum non habent p. *Quicunque enim inter initia inflammationem medicamento ſoluere conantur, non ſolùm ab intenta, & inflammata parte nihil adimunt, cùm cruda ſit affectio; verùm quæ ſana ſunt, & morbo aduerſa abſumuntur; vnde ducto ad imbecillitatem corpore, morbus ſuperior euadit*. Imò hoc caſu, neque medicamenta lenientia admitterem, ſed horum loco ex Hipp. frequentes clyſteres præciperem, & quidem ſtatim ante ſanguinis miſſionem; quanquam, ſi dolor infra ſeptum deſcenderet, tunc à medicamento incipienda foret curatio, ut monet idem Hipp. q Tunc autem propinanda Manna, vel ſimplex vel cum ſyr. & Mel. Roſ. ſol. & decoct. pector. Interim alterantibus inſiſtere oportebit ex decoct. cich. borrag. end. malu. viol. hord. pomor. ſem. mel. & Citri, cui admiſceri poterit Iulap. acet. viol. ſyr. de Ibiſ. & vrgente calore, aqua hordei cum iiſdem exhiberi; in quorum, ſicut cæterorum uſu cauendum, ne quid vnquam Pleuritico actu r frigidum exhibeatur; quo tempore, poſt ſecundam ex vena ſanguinis miſſionẽ, ſi dolor vrgeat, accedendum ad uſum Ol. vel Amygd. dul. rec. ſinpl. uel hoc caſu, ætate, & tempore Ol. de Lino miſti, ad ℥ vii. uel viii. præterquamquod enim demulcebit dolorem, mouebit etiam aluum, (& opportunè, à miſſione ſ ſcilicet ſanguinis) qua occaſione natura ſæpè ſolet per venam Azygon pectus expurgare, quod facilius contingit, quò tenuior eſt humor peccans. Materiæ autem in pectore concluſæ erit ſemper tentanda præparatio, & euacuatio ſenſibiliter, & inſenſibiliter, internis, & externis. Interius ex uſu erunt lambitiua, aliquo

pacto

u 1. de Criſ. 8.
x 2. Aph. Com. 19.
y x. Meth. 5.
z 2. Progn. 43.
a 10. Meth. 5.
b 2 Aph. 34
c 3. Aph. 23
d 3. Epid. 2. & de Criſ. 18. & 2. Aph. 12.
e 5. Aph. 8.
f 4. Acu. 28
g 2. Acut. 21.
h 2. Acut. 8.
i 1 in 3. Epid. 4.
K 2. Acut. 20.
l de Sang. Miſſ. 14. & 2. Acut. Co. 20.
m 6. in 6. Epid. 5.
n de Sang. Miſſ. 16.
o 3. in 6. Epid. 37
p 4. Acut. 21.
q 4. Acut. 76. Gal. lb.
r 1. Acu. 23
ſ 4. Acu. 21

pacto incraſſantia, & refrigerantia in principio, vt Iulep. Viol. de Ibiſ. de Farſ. de Iuiub. mox minus incraſſantia uſurpanda, vt Iulep. acet. cum ſyr. de Ibiſ. poſtmodum Acetoſ. ſimp. & Oxymel.[t] & demum, craſſiori reddita materia, ſi tenacior fuerit, addi poterit etiam portio ſyr. de Hyſſop. & de Praſſ. in quorum uſu obſeruandum, vt præbeantur lambitiua ieiunè[u], uel à cibo tribus ſaltem horis. Dum hæc adminiſtrantur, clyſteribus, ſi opus fuerit, utendum, nullo verò modo medicamentis ſoluentibus; præterquamquod enim materiæ concoctionem pertubarent, eiuſdem quinetiam concoctæ euacuationem per ſputum propriam inhiberent; vnde nil peius afflicto pleuritico contingere poteſt alui profluuio[x].

Exterius conuenit in principio butyrum cum Ol. Amygd. & Viol. mox in progreſſu, Vng. de Althea, cum iiſdem Ol. & tandem cum Ol. de Lino. Recentiores ſecreti loco habent aduerſus materiæ viſciditatem, & contumaciam, braſſicam appoſitam, illitam butyro antiquo, cum axungia porcina, & pulu. Cymini. Laudantur etiam fomenta[y] ab Hipp. acrimonia carentia, & potius demulcentia, ex decoct. Mal. Alth. Viol. Hord. Fl. Chamæmel. Rad. Malu. Alth. cum ſem. Lini, & Fœnugr. ſpongia magna molli linteo[z] obuoluta, aut filtro optimè madefacto; quibus tamen etiam cautè utendum, aliquando enim diuturniori calefactione, aut exſiccantur pulmones, aut morbus ad ſuppurationem[a] deducitur. Quare ſolùm in principio conuenire ſolent, & fine, quando ſcil. materia contumax, & craſſior reddita, cum ſtertore ad exitum omnino reluctantem ſe prodit. Nec omitttenda à proprietate iuuantia, vt Dens apri, Priapus Tauri, in aqua Scabioſæ, vt obſeruauit Rondeletius; Flos item papau. ſylueſt. in principio, vel bolo, cum ſuperioribus; vel cum alterantibus decoctus, ut Auic. & Fallopius, hauſta ab eo aqua, vel Scabioſæ, vel Pimpinellæ, vel Card. Sancti.

Victus ratio generatim tenuis eſſe debet, ita ut ſola ptiſana ſufficiat, in iure pulli iunioris, cum pomo ſub Cineribus cocto, grano thuris repleto; vel fluore alui ſuperueniente, panatella cum emulſ. ſemin. mel. qui cibi modus ſufficiet præſenti huic Patienti. Non tamen poſthabendum Gal. documentum, nimirum quod, *Si Pleuriticos omnes æqualiter cibabis, multos trucidabis, alios citiſſimè præfocando, alios, vires proſternendo.*[b] Potus ſit vel aqua hordei, vel aqua ex pectoralibus parata, vel tandem mulſa diluta[c].

t Gal. Ibid. in Com.
u 3. Acut. 3.
x 5. Aph. 16.
y 2. Acut. 3
z 2. Acut. 4.
a 2. Acut 9.
b 1. Acut. Com. 44.
c 3. Acut. 22. & Trall

XL.

PERIPNEVMONIA.

QVinquagenarius Vir, temperamenti totius, calidi, & humidi, hepatis calidioris, tuſſi ex capitis deſtillationibus obnoxius, hoc hyemali tempore, poſt prægreſſam æſtatem pluuioſam, & Auſtralem, & conſuetum uini generoſi potum, quatuor abhinc diebus, febre acuta correptus fuit, ac mox difficultate reſpirationis, grauitatis ſenſu in pectore, & tuſſi, primo ſtatim die humida, dolore item grauatiuo uſque ad clauiculam dexteram protenſo; nunc verò ad ſternum, & ſpinalem medullam; ſputaque copioſa cruore tincta nonnunquam apparent. Pulſus autem fuerunt, & adhucnum ſunt molles, & magni. Vrina craſſior, non cruda. Lingua ab initio albicans quidem, nunc verò rubra; ſicut rubor quoque cum inſigni calore faciei, & genarum potiſſimum efflorescunt. Initio verò quartę diei, capitis dolor, & aliqua mentis alienatio ſuperuenerunt. Acceſſitus Medicus Leniens exhibuit, & ſemel cubiti venam aperiri iuſſit. Modò conſanguinei nos de agendis pro ſalute, conſulunt.

Spirandi difficultas[a], atque anguſtia, cum ſenſu grauitatis pectotis, acutaque febre, conſtituerunt, ſeu ſignificarunt in Nob. hoc Viro pulmonis inflammationem, à parte[b] Læſa, Peripneumoniam denominatam, Pulmo ſiquidem Græcis Pneumon, à ſpiritu nuncupatus; ſicut Pulmonaria[c] ſignificat cæteros omnes pulmonis affectus, citra inflammationem; quibus ſi accederet intolerabile[d] thoracis incendium, cum minori anguſtia, ac ſenſu grauitatis, Eryſipelas vocaretur. Spirandi autem difficultas fit per ſe, cùm proprium reſpirationis inſtrumentum læſum ſit; non verò per accidens, ut in Pleuritide. Senſus eſt grauitatis

a 4. de Loc. Aff. 8. & Aretęus 2. Acut 1.
b 1. ad Glauc. 3. & 2. Meth. 24
c 1. de Diffic. Reſp. 12.
d Trall. Lib. 5. Cap. 2.

tatis, dolor ſcilicet grauans, ſicut in renibus [e] ex inflammata pulmonis ſubſtantia, quæ ſenſu hebeti pollet, prout exquiſito membrana; protenditur autem dolor hic ad clauiculam dexteram, quia inflammatio cœpit [f] ab ala ſuperna dextera pulmonis. Febris acuta neceſſariò hunc affectum comitatur, imò grauior, quàm in pleuritide, proinde acutiſſima. [g] Tuſſis ab initio ſtatim humida, [h] ad differentiam peripneumoniæ ſiccæ ab Hipp. 3. de morbis [i] deſcriptæ. Pulſus ſunt molles, [k] & magni ob partis inflammatæ ſubſtantiam mollē, & nullis ferè neruis interſtinctam, lingua ab initio albicans, liquata circunſtantium partium pituita, ab inflammatione ipſa; in præſens rubra, ab eadem exſiccata, atque conſumpta. Rubor verò faciei, & potiſſimùm [l] genarum, quia ſanguis in pulmone efferueſcens vaporem præcalidum expirat; orta enim ſuis cauſis ſimilia eſſe ſolent: vapores autem huiuſmodi facilè ſuſcipiunt genæ, ob earum carneam mollitiem, laxitatem, & raritatem. Quibus tandem acceſſerunt capitis dolor, & mentis alienatio, ab iiſdem vaporibus in caput eleuatis; etenim raro fit, ut caput [m] in hoc affectu non lædatur; imò etiam aliquando delirio afficitur [n]. Facilis autem in Peripneumoniā huic Viro fuit prolapſus temperamēti calidi, & humidi ratione; etenim licet ex quolibet [o] humore fieri poſſit, facilius tamen à calido, [p] & humido, & a capite humidiori, ſanguine in toto [q] pituitoſiori, & à vini generoſioris conſueto potu calidiori reddito; pulmones enim, utpote laxi, vix humorem tenuiorem, atque bilioſum admittunt; prout ætas [r] declinans non parum huic affectui opportuna, ſicut & anni tempus [ſ], maximè poſt æſtatem pluuioſam, [t] & auſtralem, qua caput, & totum humiditatibus repletur, quæ redundantes ab hyemis frigore in partem laxiorem, atque debiliorem exprimuntur, quod facilè huic Patienti contigit, ob pulmones à perenni capitis deſtillatione, tuſſique frequenti imbecilliores redditos, unde pituitoſi ſanguinis influxum non ſolùm admittere, verùm & tuſſi quodammodo allicere potuerunt. Afficiuntur autem, in hoc affectu, ſecundum ſubſtantiam carnoſam cum Eraſiſtrato; ſecundum vaſa verò cum Archigene, ſed potiſſimum ſecundum [u] totum; nam ratione phlogoſis, vaſa magis; ratione verò tumoris, membrana; & ſi œdematoſus foret, ſubſtantia. Bronchia autem omnino ſemper; quia materia exitum quærens circa eadem ſemper hæret; hoc verò caſu cœpit quidem inflammatio in ſuperna pulmonis ala [x] dextera; quæ tamen, me iudice, ulterius ad totum ferè pulmonis corpus propagata eſt, cùm ponderis ſenſus, & oſſi [y] pectoris, & ſpinæ impertiatur.

Peripneumonia autem eſt [z] de genere acutorum, ægritudo mortifera à Gal. [a] appellata, potiſſimum verò in hoc Viro [b] deſtillationibus antea obnoxio, & cui mentis [c] alienatio quarta die acceſſit; etenim ex qualibet alia inflammatione periclitantur magis iuniores; ex hac verò ſeniores; quia infirma habent latera. Attamen, quia Patiens ſenior non eſt, & ſtatim [d] ſputum apparuit, quarta verò [e] potiſſimum cruentum, quod leuamen, imò ſecuritatem polliceri videtur, vrinaque craſſa quidem, ſed non [f] cruda eſt; ideo ut expugnari poſſit, abſq; puris [g] collectione, ſperandum; quod cùm diebus [h] iudicatoriis à natura tentari ſoleat, & quarta cruenta cœperint apparere ſputa, ſeptima copioſa excretio expectanda, ſequentibus poſtea diebus criticis omnino iudicatio.

Pro curatione itaque. Primò materia fluxa euacuanda. Secundò fluens reuellenda. Tertiò calor contemperandus. Quartò dolor anodynis, & laxantibus demulcendus. Et vltimò ſymptomatibus occurrendum.

Et in fonte Chirurgico, adeò neceſſaria eſt ſanguinis miſſio, ut de illa dubitantes, dementes appellet ipſe [i] Gal. Ideo ſanguinis diminutionem confeſtim adhibendam eſſe [k] iubet, & potiſſimum cùm alijs morbis non ſuccedat, Anginæ [l] ſcilicet, vel laterali [m] morbo. Sic Aretæus utramque cubiti venam aperiendam conſulit. Quare iecorariæ ſectio repetatur dextri lateris; ſicut enim prima euacuatio reuulſionem; ita repetita, & reuulſionem, & deriuationem utiliſſimam præſtare ſolet; non tamen ſit valdè copioſa, minuſque ad animi uſque deliquium, ne vires concidant, & ſuffocetur Patiens; quinimò, non permittentibus viribus (ut aliquando contingit, & potiſſimum dum Peripneumonia alijs ſuccedit affectibus) repetitam ex cubiti vena ſanguinis miſſionem, tunc venæ ſedales aperiendæ ſunt, vt quæ ex Hipp. [o] magnum conſenſum cum pectore habeant: ſicuti quoque, ſi tardius acceſſiti fuerimus, nimirum in ſtatu morbi, omnino à ſanguinis miſſione abſtinendum, ne natura à concoctione reuocetur, ſputum ſupprimatur, & ita Patiens ſuffocationis periculum ſubeat. Venæ ſectioni Aretæus [p] ſubſtituit inanes cucurbitulas tergo, dorſo, aliiſque corporis partibus appoſitas, ratione diuerſionis; ſicut ratione deriuationis pectori, & lateribus; ſcarificatas proponit Paulus, [q] quæ tamen nonniſi deploratis apponendæ. Ab initio,

loco

e 2. de Loc. Aff 4. & Lib. de Mult 4.
f De Coac. nu. 3.
g 3. de Mort. 16.
h De Aff. nu. 9.
i Num. 26.
k 5. de loc. Aff. 3. & 4. de Cauſ. Pulſ. 14.
l 1. de Loc. Aff. 5. & Alex. 2. Probl. 4.
m 4. de Cauſ. Pulſ. 8.
n 5. de Loc. Aff. 4.
o 6. Aph. Com. 13.
p 2. Aph. Com. 19.
q 1. de Morb. n. 24.
r 3. Aph. 30
ſ 3. Aph. 23
t De Aer. Aq & Loc. n. 28.
u 4 Præſag 2
x De Coac. n. 1.
y 2. de Loc. Aff. 8.
z 1. de Morb. 3.
a 2. in 6. Epid. 14.
b 2. Progn. 49.
c 7. Aph. 12. & Aret.
d 2. in. 3. Epid 4.
e 3. Progn. Tex. Com. 30.
f De Coac. 4.
g 2. Progn. 59.
h 1. de Morb. 10.
i Aduer. Eraſiſt. 6.
k De Sang. Miſſ. 10.
l 3. Aph. 10
m 7. Aph. 11.
n Aret. 2. Acut. 1.
o 3. in 6. Epid. 17.
p Loc. C.t.
q 3. de Re Med. 30.

loco venæ ſectionis, in quibuſdam ob virium defectum, acris clyſter [r] conuenire poteſt. Pectus illinatur vel vng. roſ. Meſues, vel [s] butyro, vel ol. Viol. & butyro recenti; ab adſtringentibus [t] enim cauendum, ne magis repellatut materia in pulmones, & in cor ipſum. In progreſſu vero, butyro addi poterit puluis Iridis, & reformari cum ol. Lilior. alb. linim. ſic & Paulus [u] linimentum componit ex butyro, medulla, Oeſypo, iride ſicca, vnguent. Nardino, & Cera.

[r Aret. Ibid.] [s 10. Simp.] [t 11. Meth. 17.] [u Ibidem.]

Et quoniam ſymptomatibus quoque occurrendum; ideo, cùm caput per conſenſum à pulmonibus, doloribus, & mentis alienatione laboret, repellantur vapores, ac humores oxyrhodino ex roſaceo, & ſucco citri parato, & reuulſionis gratia, Phęnigmi duo ſtatim inferuis partibus apponendi; pedumque calentes lotiones ante cibum adhibendæ vſque ad morbi ſtatum; tunc enim à reuulſionibus abſtinendum, ne ſputum ſiſtatut; quod ſi vrgeant vigiliæ, nares, & tempora illinenda Laudano Nepenthes Quercet. aquæ roſac. momento diſſoluto.

Ex fonte Pharmaceutico deſumenda Euacuantia, Præparantia, & calorem Contemperantia. Cùm verò iam initio Leniens fuerit exhibitum ex Manna clarif. & ſyr. roſ. ſol. modò aliquo leni clyſtere utendum, nec deinceps medicamento aluus ſolicitanda, ut nos monet Hipp. [x] ſed materiæ euacuatio per ſputum molienda; atque ſicut ab initio conueniebant Diapend. Diacod. Diatragac. frigidum, flos quoque Papau. erratic. aqua Pimpinellæ, & hederæ terreſt. vel huiuſmodi Eclegma. ℞. ſyr. de Iuiubis, Viol. an ℥ i. mucilag. ſem. mel. Citon. extr. cum aqua viol. an. ℥ i. ſ. ſacch. fin. ℥ ſ. m. hæc enim ſanguinem fluentem ſiſtunt, & valdè refrigerant; ita modò in progreſſu. ℞. iulap. acet. ℥ ii. ſyr. de Ibiſ. ℥ i. m. pro lamb. paulatim ad magis attenuantia, & expectorantia progreſſu facto. Sic Aetius exhibet mulſam decoctam cum hyſſopo, ant Iride ſicca, quod forſau deſumpſit à Celſo, ſi autem urgeat ſuffocatio, nitrum quoque hyſſopi decocto addunt, & Aretæus, & Aetius; acetum quoque cum melle, unde oxymel. Nos verò tale eclegma parare poterimus. ℞. Looch de pulm. Vulpis, ſyrup. de Farfara, oxymel. ſimpl. ana ℥ ſ. rad. ireos ʒ i. ſacch. cand. ℥ ſ. m. pro lamb. quibus Chymici addunt gr. ii. aut iii. ſulph. ſaturni, aut ol. ſupernatantis.

[x 3. de Morb. n. 17]

Quod ſi fortè materia exuberet in pulmonibus, cum ſtertore, nec per ſputum educi poſſit, atque ob id immineat ſuffocatio, ut nos aliquando vidimus, tunc ad euacuationem per aluum nos compellit neceſſitas, quo caſu non ſemel felici ſucceſſu experti ſumus Mannam, alternis diebus exhibitam, cum ſero copioſo tribus poſt horis in bilioſis, in pituitoſis uerò cum mulſa ex aqua hordei parata, & duabus horis ab his, aſſumpto cibo, quod tribus, aut quatuor vicibus repetendum; natura enim anguſtis rebus à medicamento ſoluente prolectata parat ſibi vias, & per venam Azygon materiam ad aluum deponit.

Alterantis loco, & calorem febrilem, ac inflammatorium contemperantis, frigidę potus proponitur ab Hipp. [y] qua tamen cautè vtendum, & nonniſi inflammatione Eryſipelacea, aut omnino in principio; ne alioquin pars inflammata, & materia ipſa magis, magiſque denſentur. Serum Aſininum hoc caſu præbendum, vel talis ſyr. ℞. Decoct. Maluæ; Viol. End. Liquir. quatuor ſem. frigid. ℥ viii. ſyr. de Iuiub. Viol. an. ℥ i. m. pro ſyr. In progreſſu verò addantur ſol. farfaræ, & iulap. acet. Et hæc de Medicamentis. Quod ſi ad ſuppurationem conuertatur, non expurgata iudicatoriis diebus, tunc curatio ad Empyema ſpectat de qua nihil in præſentia.

[y 1. Acut. 43.]

Victus ratio ſit tenuior [z], quàm in Pleuritide, non tamen tenuiſſima, vt in inflammatione Ventriculi, & Iecoris. Conuenit verò ptiſanæ cremor, aut alica cum ſaccharo, & iuxta Aretæum, & Paulum, cum melle. Potus ſit aqua hordei in principio, in fine verò mulſa ex eadem aqua parata; ſi enim permittatur exſiccari pulmo, durior fit, nec ſputum reicit; Aetius tamen vult, quod humiditas ſit noxia pulmoni; atque ideo exiguum præcipit potum; Gal. [a] autem ſtatuit, quod in tuberculo, & abſceſſu parcus debeat eſſe potus, ad humores verò in bronchiis hærentes multus, & crebrior; aduertendo, quod ſitis pulmonum frigidi aeris inſpiratum deſiderat. Vinum in declinatione, recedente febre, conuenit dulce, [b] ad ſputi eductionem. Somnus ſit nocturnus, & elato thorace. Abſtineat à multa locutione. Aluus in progreſſu potius [c] ſicca, quàm lubrica ſeruanda. Compoſito animo degat Patiens, ab ira alienus. Quæ pro ſalute eiuſdem, dicta ſatis,

[z 11. Meth 17.] [a 6. per Loca 6.] [b 3. Acut. 7.] [c 3. de Morb. n. 17]

XLI.

EMPYEMA.

VIr 46. annum agens, temperamenti totius & iecoris, calidi, & ſicci, capitis humidioris, gracilis habitus, ſuppreſſa narium conſueta expurgatione, duodecim abhinc annis pleuritide correptus eſt, à qua ſuppurata, neque intra 40 diem expurgata empyematicus factus, inter quartam, & quintam coſtam inuſtus fuit, in latere dextero; verùm quoniam euacuationem tolerare non potuit, abſque virium lapſu; ideò Medicorum iuſſu, foramen fuit occluſum; at quoniam nondũ erat omnino expurgatus, paucis poſt diebus rurſus purulentam materiam tuſſi excernere cœpit, non tamen copioſam, & citra febrem. Exacto verò anno, extemplò ſanguinem nigrum, ad vncias duas, tuſſi reiecit, catarrho miſtum; qui mox ſubſtitit, perſiſtente tamen pure, atque catarrho; quod verò grauius, fluctuationem in eodem latere dextero percepit, uſque ad annum nuper elapſum perdurantem, quo tempore à violento quodam exercitio in pleuritidem rurſus incidit, qua medicis auxiliis ſanata, exhibitum fuit decoctum chinæ, & ſantal. quo nihil iuuante, Patiens eorundem uſum dimiſit, ſolutæ, & liberæ vitæ indulgens, cuius cauſa ſub autumni initium in duplicem tertianam delapſus eſt, qua ope medica ſanata, permanſit prior affectus, cum fluctuatione, non ſolùm in dextero, verùm & in ſiniſtro latere, cum pondere, tuſſi frequenti, nec difficili materiæ purulentæ, & pituitoſæ excretione, non ſine febricula quoque, veſpertinis horis inualeſcente, cui gracilitas inſignis accedit, & à cibo genarum rubedo.

Empyematicus nobis conſiderandus potius, quàm ſanandus, collectum habet pus [a] inter thoracem, & pulmonem lateris dexteri, ex pleuritide duodecim iam abhinc annis ſuppurata, nec intra [b] 40 dies expurgata (concurrente quinetiam [c] pituita, à capite in pectus decũbente, vt à diuino Sene fuit obſeruatum) qui cum ex eiuſdem decreto [d], ad Tabem tranſire omnino debuerit, hectica prius laboraſſe credendum, aſſerente Paulo [e] cum Oribaſio, & Aetio [f], quod *Hi febriunt indeſinenter hectica febre uſque ad repurgationem, quæ niſi diligenter procuretur, citò ad tabem tranſit ſuppuratio.* Et licet iam tentata fuerit vſtione facta; non tamen res pro voto ſuccedere potuit, tum quia dexterum latus ſecare, aut vrere lethalius ſit ex Hipp. [g] tum quia ſectio, aut vſtio, quamproximè ad ſeptum tranſuerſum fieri debeat; unde coſtam tertiam ab vltima ſecari [h] iubet, ut pus, velut ſacco concluſum expurgari poſſit. Sed forſan eiuſdē quotidianam expurgationem confertim factam, & iuſtò copioſiorem tolerare non potuit Pat. atque adeò intempeſtiuè ſanata vſtione, & ex toto ſuppreſſa expurgatione, atque pure coaceruato, empyema in priſtinum ſtatum rediit; quinimò grauius recruduit: etenim poſt excretionem nigri, & grumoſi ſanguinis ab aliqua pectoris exeſa vena effuſi (grumoſus, enim, & niger fuit) accedentibus veſpertina febre, pondere, & fluctuatione in latere dextero, pus copioſum indicat [i] obſeruauit Aetius; [K] vt propterea mirum non ſit, ſi ad latus quoque ſiniſtrum tandem ſerpat, ex quibus poſtremò vnà cum genarum [l] rubedine, & inſigni corporis gracilitate, pulmones affici, & tabem adeſſe iure merito exiſtimandum.

Status huiuſce Patientis, vt deploratus curationem reſpuere videtur; licet enim noua ſectio, aut vſtio tolerari poſſet, & pus feliciter expurgari; attamen pulmonum labes, & tabida diſpoſitio auferri minimè poſſent. *Tabem enim curare ne quidem tentaueris*, ſcribit Gal. [m] *Licet enim calor remitti poſſit, remanet tamen ſiccitas, quæ ſenectutis ritu, hominem interficit.* Attamen quoniam Hipp. [n] euentus ſuppurationis duos ſtatuit ad ſalutem, totidem ad perniciem; ad hanc quidē & tabem, & ſuffocationē; ad illam verò puris expectorationem, & eiuſdem per vrinam, aut aluum euacuationem; ideo ne ſolo prognoſtico Patientem relinquamus, puris eductio adiuuanda, per viam à natura nobis commonſtratam; & quidem ſi ad aluum, emollientibus; ſi ad vrinam, diureticis; ſi per tuſſim, expectorantibus, ita docente Aetio [o] cum Hipp. Interim tamen, & febri occurrendum contemperantibus; maciei renutrientibus; & deſtillationi diuertentibus.

a 2.Meth.2
b 5. Aph. 15.
c 2 Progn. 57.
d 1. de Morb. 21.
e 3. de Re Med. 32.
f Tetr. 3. Sermon. 1. Cap.65.
g 3. de Morb. 26.
h De Inter. Affec.
i 4. de Loc. Aff. 5.
K Ibidem.
l 5.de Loc. Aff. 5.
m 2.Meth. 2.
n Ibidem.
o Ibidem.

Et

Et licet intelligam, facilem fuiſſe, & eſſe Pat. per tuſſim, excretionem; alias tamen vias tentare inutile non fuerit, tum quia habemus ex Aetio, quod ſi ſurſum vergant ſuppurationes periculoſiores ſint, deorſum verò per aluum, & veſicam minus periculoſæ; tum quia vidit Gal. p pulmonis vomicam per vrinam expurgatam; & tandem quia, cùm purulenta materia valdè copioſa ſit euacuanda, plures uiæ naturæ patefaciendæ. p 6. de Loc. Aff 4.

Manna itaque in uſum ducatur; & ſi materia craſſa fuerit, præcipiatur clarificata cum cremore tartari, præbendo ab ea mulſam dilutam. Præparantis loco, exhibeatur eadem mulſa ireata, & cum duodecima parte aceti, acetoſa reddita; cui addatur ſyr. de praſſio, tantoperè à Paulo commendatus. Atque ita ter repetatur manna, tertio, aut quarto quoque die. Interim non omittenda expectorantia, parata ex ſemine vrticæ, iride Illyrica; vel paretur oxymel. cum marrubio, vt nos docet Gal. q Præterea ſyr. ex enula campana cum flore ſulph. uel lambitiuum, magnum dictum ab Aetio, hac formula. ℞. ſucci marrubii ℥ i. mel. opt. ℥ vi. vini albi dulcis ℥ iv. m. bull. ad mediocrem conſiſtentiam; mox adde ſpicæ nardi, piperis an. ʒ iii. m. omnia pro lambitiuo; quod ſi acrius fuerit, contemperandum mulſa. Extrinſecùs quoque pectorale linimentum ita parari poterit. ℞. adipis anſeris ℥ ii. ol. amygd. amar. ℥ i. myrrhæ ʒ iii. ceræ par. m. f. linim. molle. Per decocta quinetiam exſiccantia, atque reſoluentia inſenſibilis tentari ſolet purulentæ materiæ exſiccatio, atque conſumptio, à quibus cum maius detrimentum ſit metuendum, ob maciei, & febris incrementum, quàm iuuamentum, pauca materiæ portione conſumpta; ideo id genus remedii, hoc caſu, iuremerito omittimus, cuius loco, libentius aquas ſulphureas, ſi præſtò forent, & deiectorias, & diureticas, pluribus diebus exhiberemus, ad pulmones exſiccandos, & materiam ad vtramque viam perducendam. Harum uerò inopia, in vſum ducatur decoctio radicis helenij, liquiritiæ, & chinæ quoque, ſi bona haberi poſſit, parata in aqua ſtillatitia farfaræ, pulmonariæ, & Capill. Ven. addito ſpiritu tartari, aut terebinthinæ, ad ℈ ſ. pro qualibet uice; cui præmitti quoque poterit bol. ex ſale vrinæ, butyro ſulph. & Terebinthina efformatus. q 13. Meth. 18.

Victus ratio ſit ſubſtantificè humectans, memores moniti Tralliani, vt anheloſis copioſior potus ſit exhibendus, ut nobis innuat, quod humidi abſtinentia exſiccatur materia in pulmonibus, & ad excretionem per ſputum inepta, atque rebellis redditur; Vtatur itaque mulſa pro frequenti oris, & gulæ collutione. Lac item artificiale paretur ad menſam, ex emulſ. amygdal. dulc. ſem. melon. nucleor. pineor. cum ſaccharo; ſic proderit ferculum Sax. ex farina hordei cum ſaccharo, addito polline chinæ. Vinum ſit tenue, album, & dulce. Aluus lubrica ſeruanda clyſteribus mollioribus, & aliquando ſemiuncia caſſiæ, vel ʒ ſ pilul. de agarico Meſ. vel lenit. ad ʒ iii. cum gr. viii. extracti mechoac. Quæ; ut tibi morem geram, Vir præſtantiſſimè, & muneri meo ſatisfaciam, proponenda habui.

XLII.

EMPYEMA.

RVptam vomicam ſecutum Empyema, ore tenus ab Exc. Pat. intellexi, ex conſenſu quinetiam antea Excellentiſs. adſtantium; cuius materia licet iamdudum per modum abſceſſus abſque vllo febris indicio, aut coaceruata, aut per venas paulatim eò tranſmiſſa fuerit, febrem tamen, eamque pleuriticam, & acutam neceſſariò demum induxit, purulenta inflammatione pleuram quoque obſidente, tandem & diſrumpente, à cuius corruptione effuſa materia, empyema obortum eſt. Hoc
a 5. Aph. 15. verò, niſi [a] 40. dierum ſpatio à ruptione fuerit omnino expurgatum, tabem inducere debuiſſe, neminem latet; quod medicis auxiliis, diuina ope conſecutum fuiſſe credo, cùm à Viris Excell. ſæpius, & à me in præſentiarum immunis omnino à febre deprehenſus fuerit, atque carnoſior, quàm antea ſit factus, viribus totius redintegratis. Attamen quia pulmones (ut flacciditatem excludam) imbecillitatem, & laxitatem non exiguam procul dubio contraxerint, à purulentis ſordibus non ſatis emundati; & quia præterea nondum forſan latus affectum omnino exſiccatum, cicatrice licet obducta, & prudentiſſimè, ac opportunè decocto exſiccante, & terebinthin. cum butyro ſulphuris præſcriptis, & adminiſtratis; ideo ego iuxta eandē intentionem, & ad vitæ Ill. Patientis ſecuritatem ſulphureas aquas, decem ſaltem dies, hoc anni tempore accommodato illi aſſumendas ſuaderem, Aponitanas ſcilicet, & potiſſimum Diui Petri, quæ ſuauiores. Neque cogitandum de aquis Montis Falconis, licet proximioribus; quia etſi aliquid ſulphuris contineant, ſale gemmæ tamen præpollent. Quoniam verò ſulphur expectorat quidem ſenſibiliter, & inſenſibiliter, & exſiccatione pulmonibus prodeſt; calefacit tamen, & qualitatibus ſecundis minimè roborat; ideo his ſolis non contentus ad opus perficiendum Illuſtriſs. ad aquas vitriolatas demandarem, vtpote refrigerantes, exſiccantes, & plurimùm pulmones roborantes; quarum uſu nos Venetiis uidimus hæmoptoicos, nec non purulenta expuentes, ſuperſtites perſtitiſſe, & liberos; quæ præterea & hypochondria deobſtruendi ui pollent; cùm in hypochondriacis affectibus chalybis præparati vicem gerant. In iis autem celebratæ magis, & antiquiores, quæ in Engaddina ſuperiori ad Sanctū Mauritium enaſcuntur, quæ vulgo (Aqua Forte dell'Agnadina) dici ſolent; licet ſuperioribus annis ſimilis efficaciæ inuentæ ſint in Valle Solis, non longè ab urbe Tridentina, ad quas propterea plerique, ob itineris breuitatem, & commodum, Engaddinæ miſſis, ſe conferunt, atque ſub cane, vel parum ante canem facillimè, per quindecim dies aſſumunt. Poſt harum verò aquarum adminiſtrationem, lactis uſus peropportunus fuerit, incipiendo ab aſinino, vtpote facilius permeante, mox progreſſu facto ad caprinum, utpote magis nutriens. Verùm ante horum potum, magna adhibenda cautio, niſi neceſſitas ſubſtantificè humectandi urgeat; tunc enim ſolum aſininum præferendum foret, & quidem per paucos dies.

Hæc autem ſunt generoſiora præſidia, ab Ariſt. [b] ſacra nuncupata, quæ ars medica, uel
b 24. Probl. 18. ingenii mei imbecillitas ſuggerere potuit, in caſu Illuſtriſs. Viti, ob cuius merita, tum hæc; tum iam uſurpata, à ſummo Archiatro optatum finem conſecutura ſperamus.

XLIII.

EMPYEMA, ET FEBRIS DVPLEX Tertiana Continua.

NOs quoque cum Viro Excell. qui ægrum Illuſtriſſimum, & ægritudinem apprimè delineauit, credimus, ſebrem priorem fuiſſe putridam eſſentialem; poſteriorem verò diuerſæ fuiſſe conditionis, pleuriticam nimirum, cùm pleuritidis cognitio ſcientifica [a] potius, & certa, quàm coniecturalis in Arte eſſe ſoleat; cuius ortus non fuit diſficilis, in corpore [b] temperamenti calidi & ſicci, gracilis habitus, anguſti pectoris, deſtillationibus obnoxio, atque conſtitutione epidemica pleuritica. Hæc autem fuit ſpuria ratione materiæ, licet legitima, ratione loci; namque ſi inflammatio obſediſſet coſtas mendoſas, ſuppurare non potuiſſet ſupra ſeptum tranſuerſum, nec inde pus in ſpatium thoracis effundi; materia tamen fuit ſanguis, pituitoſus potius, quàm bilioſus; tum quia reſoluentibus non ceſſit; tum quia dolores miteſcere plures dies obſeruatum eſt, cùm tamen pus fieri non deſiſteret, ad cuius productionem neceſſariò [c] inualeſcunt dolores, & febres; ſed quia legitimum pus non eſt, utpote à ſanguine pituitoſo potius, quàm bilioſo (vt optimè notum Viris Excell.) hinc dolores, neque continui, neque intenſi Illuſtriſſimum Patientem diuexarunt, ſed ſolùm ſæuiores facti ſunt, dum pleura diſrumperetur, & pus in cauitatem thoracis effunderet. Et licet antea ructus, & halitus fœtentes obſeruauerit patiens ipſe, ex tranſudante tamen materia ortum habuerunt. A pure autẽ effuſo eleuatis putridis vaporibus ad cor, nil mirum, ſi lipothymiæ ſucceſſerint, imò & ab eodem non expurgato febres nonnunquam augmentum ſuſceperint. Quare pleuritis, quæ 14. [d] die nec reſolui, nec expurgari potuit, non ſolùm ob qualitatem, ſed ob materiæ copiam, tandem ſuppurata pus in cauum thoracis depoſuit, & empyema ſpurium produxit.

a 5. de Sanit. Tuen. 2

b 1. in 3. Epid. 18.

c 2. Aph. 47.

d 5. Aph. 8

Quoniam verò huius euentus, apud Hipp. [e] quatuor ſunt, duo ad ſalutem, totidem ad interitum; ad ſalutem per puris expectorationem, uel excretionem per aluum, aut per vrinam; ad perniciem verò per phthiſin, aut ſuffocationem; hinc natura per os, tanquam per locum [f] omnium accommodatiſſimum, vt obſeruauit Galenus, & ſæpius experientia comprobatum eſt, excretionem tentauit, quæ fieri non potuit, niſi per pulmones, quos proinde ab ea infici facillimum fuit; potiſſimum verò cùm obſeruatum fuerit ab Hippocrate, quod qui in 40. [g] diebus non expurgantur, ad phthiſin tranſeunt, communi quinetiam conſenſu Virorum Excell. qui curæ præfuerunt.

e de Intern. Aff. & 3. de Morb. 26.

f 5. de Loc. Aff. 3.

g 5. Aph. 15

Quare, ne ſolo prognoſtico relinquatur æger Illuſtriſ. aliqua ex valentioribus, iam dictis, & adhibitis addam.

Nulli autem dubium, quod præcipua intentio medica debeat eſſe, materiæ in pectore concluſę euacuatio, eiuſdem enim reſolutio non ſperanda, quę licet aliquando à natura perficiatur, ut notauit Gal. [h] necnon Paul. [i] & Aetius, [k] per ramum ſcil. venæ azygos in venam cauam, prope emulgentes ſeſe inſinuantem, vt obſeruauit Fallopius, non verò per venam arterioſam, ad dexterum cordis ventriculum, indeque in venam cauam, iecur, & renes, ex Meſue; hæc tamen via à natura tentari ſolet aliquando, à medico verò rariſſimè. Sic in aluum per ramos venæ portæ diaphragma perreptantes, & ab iis per eandem venam ad inteſtina, & aluum aditus patet, ut notauit Galen. loco iam dicto, à natura potius, quàm à medico indagandus; quibus tamen via per os naturæ magis familiaris, & conſueta eſſe ſolet. Ideo cùm periculum ſit in mora, natura ipſa per commodiorem uiam eſt à nobis omni ope ſolicitanda, & inuitanda.

h 6 de Loc. Aff 4.

i 5. de Re Med 32.

K Tetr. 3. Sermon. 1. Cap. 65.

Sectionem verò, quæ fieri ſolet inter 3. & 4. coſtam, iuxta Hippocratem [l] omittendam omnino exiſtimamus, tum quia in ſiniſtra parte ſemper, ut tutior, Hippocrati optanda fuit; tum quia iam 28. præterierunt dies, quibus facta fuit ruptio, cùm tamen Hippocrates 2. de Morbis, decimumquintum diem non excedendum abſolutè præceperit. Quare ſi ſectio,

l de Intern. Aff.

Kk aut

aut vſtio iam fierent, fruſtra facilè forent, atque interim pulmones affecti, & Phthiſis ſalutis ſpem omnino adimerent.

Pro virili itaque expectoratio materiæ tentanda eſt, non neglectis tamen cæteris iam dictis viis, naturæ monſtrandis.

m 13. Meth. 18.

Et quoad remediorum materias, hæc ſint acria, amara, imò & nitroſa, in quibus lambiriuum efficaciſſimum foret, pulmonibus quoque valdè utile, licet non ſine aliqua nauſea, paratum ex terebinthina noſtra liquida, vino dulci tenui diluta, addito puluere pulmonis vulpis præparati, ieiunè mane, & ſerò pluribus diebus ſumenda. Interim iam propoſita attenuantia, incidentia, expectorantia non omittenda; quibus addi poſſet puluis [m] ſeminum vrticæ. Parari quoque poterit diapraſſium Tralliani tantoperè commendatum, & à nobis non ſemel expertum; ſicut & lambitiuum magnum Aetii. Præſtantiſſimum quoque remedium eſt Antidotum ex quatuor, Myſterium ab Aetio dictum, & ab eodem deſcriptum, confectum nimirum ex gentiana, myrrha, ariſtolochia, baccis lauri, an. cum melle q. ſ. Valdè etiam efficax butyrum ſulphuris; attenuat quippe, & incidit, ratione aceti diſtillati, & deterget, ratione olei tartari; exhibendum quinetiam in ouo ſorbili. Proderit aqua Helenii deſtillata cum oleo ſulphuris. Quotidie item horis opportunis præberi poterit ius galli iunioris, alteratum malua, althea, helenio, liquiritia, pulmonaria, hyſſopo, praſſio, & quatuor radicibus aperientibus, cum pauco ſaſſafras, & ſalſa parilla, cui inſtilletur, vel ſpiritus terebinthinæ, uel guttulæ olei ſulphuris; prout aliquando ex uſu eſſe poterit agaricus cum oxymel. quandoque etiam cum caſſia febris ratione; neque clyſteres omittendi.

Extrinſecus paretur linimentum ex dialthea, butyro veteri, adipe anſeris, puluere cymini, & ireos, cum oleo liliorum alborum reformatum.

n 3. de Med. fac. parab 32.

Victus ratio ſit, quantum fieri poteſt, attenuans, & incidens. Conuenient [n] braſſica, cæpa cocta melle condita, ficus ſiccæ, cum amygdalis; nonnunquam etiam concedi poterit confectio ex ſinapi. Potus ſit mulſa, cui etiam poteſt infundi globulus ex puluere Ireos. Vinum etiam helenio, botride, hyſſopo, & ſaſſafras (niſi febris obſtet.) paratum. Quæ omnia prudenti directioni Excell. Virorum committi volumus, pro ſalute Illuſtris. Ægrotantis.

XLIV.

AD AMPLISS. AC PRÆSTANTISS. SENATOREM.

DE SANGVINIS TRANSFVSIONE RESPONSVM.

Ex Cordis Præſtantia excogitata, & confutata Sanguinis Transfuſio.

COrdi maximè propria, atque inſita Facultas Vitalis eſt, quæ prouenit à principio vitali, vitaliter operante; quæ vtpote ad vitæ conſeruationem præcipuè neceſſaria, in corde ſedem habet, in quo præter vitalem, ſpirituum etiam Generatrix, Iraſcibilis, & Pulſifica Facultates, tanquam eius propriæ, nullique alteri membro communes reperiuntur.

Et primò quidem Vitalis Facultatis, per ſe, & immediatè ſpectantis, & perficientis vitæ conſeruationem, Cor eſſe ſubiectum proprium, non ſolùm credidit Ariſt. [a] ſed pluribus locis huic paſſim ſoli principatum tribuit; cui & Alex. & Auerr. & Themiſt. omnino ſubſcripſerunt, & aliqua ex parte quoque Auic. [b] Et licet Gal[c]. non ſoli cordi, ſed cerebro etiam, & hepati dominium in corpus largiatur; vni tamen cordi Vitalitatis principium, pro conſeruatione conceſſit; vnde 2. Acut. [d] ſcripſit, quod velociſſimè fiunt Mortes, patiente corde; ſecundò affecto cerebro; tertiò, & tardiſſimè, hepate læſo, dum poſtrema viſcera vitalem facultatem in ſympathiam trahunt. Sed præ omnibus id nouit Hipp. Lib. de Corde dicens; *Cordis ventriculi ſunt humanæ naturæ fontes: hincque flumina per corpus diſtribuuntur, quibus tota eius moles irrigatur: atque hi vitam hominis conſeruant; quod ſi exſiccentur, perit homo.*

a 2. de par. anim. 17.
b 1. 2. Doct. 6 Cap. 1.
c 9. Meth. 10. & 3. de Plac. 5.
d Cap. 46.

Quare liquidò apparet, quod ſicut Vitalis Facultas ſpirituum generatricem ſupponit; ita adeò facultate Pulſifica opus habet, adeòq; ſimul colligantur, vt vnam eandemq; facultatem Medicinæ Principes immeritò crediderint, & aſſeruerint. Et licet Facultatem generatricem cum vitali eandem eſſe crediderit Andreas Laurentius; reuera tamen alia, atque diuerſa eſt, cùm ſpiritus generentur in Corde à Facultate concoquente, vt placuit Gal. [e] quæ tamen naturalis eſt, non vitalis.

e 9. de Vſu Part. 7.

Vitalis autem adeò Facultati pulſificæ annexa eſt, ut ab ea nullo modo ſeparari poſſit; pulſifica namque facultas ſufficit ad vitæ conſeruationem; cùm diffundat ſpiritus vitales per omnes corporis partes, quorum ope fouetur vniuſcuiuſque propria temperies, à qua operationes eduntur; hinc pulſum definiuit [f] Gal. quod ſit *Vitalis Facultas*; non enim viuunt homines, ſi pereat motus cordis, & arteriarum; quia motus huius ceſſatio eſt vitæ finis, ut de Marcote [g] aſſeruit Gal.

f 2. de Diff. Pul. 4. & 4. de Præſ. ex pulſ. 11.
g Cap. 5.

Facultas autem Pulſifica, duabus potentiis Naturalibus, Attractrice ſcil. & Expultrice, conſtat, atque componitur; propterea quod, dum cor ipſum dilatatur, fit attractio; dum verò contrahitur, fit expulſio; vt proinde hæc actio cordis, quæ pulſus eſt, motus ſit quidam geminus ex Syſtole, & Diaſtole, à Facultate cordis, & arteriarum Pulſifica editus, ut inſiti caloris ſingularum totius particularum [h] ſymmetria conſeruetur; vnde conſiderauit Gal[i]. quod cùm in corpore nullum ſit inſtrumentum, quod tanta actionis conſtantia, motuque perpetuo moueatur, conſentaneum fuit, ut prouida natura ſubſtantiam denſam, propriam, peculiari ſtructura fabrefactam eidem donaret, quæ robuſtiſſimis ligamentis, & omni firmiſſimo fibrarum genere corpus illud præſtantiſſimum, ad tres motus perennes peragendos expeditum reddere poſſet. Sed præterea ſanguinis quoque continuus [k] appulſus fuit neceſſarius, ne in adeò perenni motu cor ipſum accenderetur, exſiccaretur, atq; cum Animalis interitu conſumeretur. Hinc rectarum fibrarum ope trahit Cor Diaſtole ſua ſanguinē depurandum, per venam cauam, in dexterum, eodemque tempore per arteriam venoſam in

h 3. de Nat. Facul. vl. & 6. de Vſu part. 8.
i ibidem.
k de Iuuē. & Sen. Cap. vlt.

ſiniſtrum ventriculū; obliquarum verò miniſterio retinet, atque gaudet attractis; tranſuerſis verò fibris, idem undiqne arctantibus, fit ſanguinis, per venam arterioſam, in pulmones, & ſimul eiuſdem iam vitalis per Aortam in totū corpus expulſio. Quæ omnes actiones à propria cordis facultate pulſifica, per Attractricem, & Expultricem perficiuntur à Corde; quo perenni motu, perpetua fit ſpirituum regeneratio, eorundem ad vniuerſum corpus diſtributio, atque adeò vitæ cum omnibus operationibus conſeruatio.

Hinc Cor Solis adinſtar, qui Planetarum medium locum occupat, in Animantis centro, in eum finem à natura fuit collocatum, vt, cùm vitæ principium ſit, omnibus, & ſingulis corporis partibus, æqualiter diſtantibus vitalem calorem inſundere commodè poſſet; ſiquidem in eo potiſſimum, tanquam propria ſede, atque Metropoli, reſidet, atque imperat Animæ facultas: in quo propterea primum, proprium, atque principale eiuſdem inſtrumentum, calidum inquam innatum, plurimùm viget, & ab eo perpetuò fouetur; fuit enim à primo naturæ ortu in ſpermatica, atque ſanguinea cordis ſubſtantia implantatum, ut per ſanguinem ſpirituoſum, ad ſingulas corporis particulas diffunderetur, ad omnes viuentis corporis operationes perficiendas; talem enim habet inter partes principes præcellentiam, vt reliquæ omnes, & ſingulæ à corde ſuſcipiant, ſicut mundus inferior pendet à ſuperiori, vt eius virtus inde gubernetur; recipiunt, inquam, à corde facultatem vitalem, eaſdem ad proprias actiones ſuſcitantem, quam nos influentem calorem appellamus, quo diminuto actiones quoque diminuuntur, & ablato omnino abolentur. Influit autem mediante ſpiritu vitali, qui in ſolo corde gignitur, & eſt corpus mobile, à corde per arterias in totum corpus diffuſum, genitum in ſiniſtro cordis ventriculo, vi inſita cordis, aere, & ſanguinis remiſſima portione conſtans, ut facultas vitalis conſeruetur, & natiui caloris temperies cuſtodiatur. Spiritus autem iſte vitalis, cum ſua facultate, ſi in cerebro deficiat, deficit & ipſa Intelligentia; prout prima Hæmatoſis perit, niſi ad hepar perueniat; vnde harum partium principalium operationes omnes, intelligendi nimirum, atque nutriendi, Cor in ſemetipſo continere videtur, vtpote innati caloris fons, & origo.

Calor autem hic innatus in humido radicali conſidet, non ſecus ac ignis, in lignis accenſus, ferè omnium Philoſophorum, atque Medicorum conſenſu, & Platonis potiſſimum in Timæo; quod Lib. de [k] Marcore eleganter deſcribit Gal. dicens. *Sicut flamma in humidioribus lignis accenſa, principio quidem opprimitur, & veluti ſuffocatur, eo quod pauca admodum, imbecillaque ſit: temporis verò ſpatio, tum ſplendet, ac creſcit; tum etiam paulatim materiam ſuperat; ac tandem, cùm iam totam ſuperauerit, in maximam attollitur magnitudinem, eo quod ipſi vigor eſt, ac robur; deinceps verò, hoc alimento iam deficiente, marceſcit, atque extinguitur. Eodem etiam modo calor, qui in nobis eſt, corpori, tanquam materia inditus, principio quidem humidus, ac imbecillis eſt; deinde verò vſq; ad vigentem ætatem increſcens, tum ſplendet, tum augetur, ac in immenſam eleuatur magnitudinem, ignis flammam imitatus; inde alimẽti penuria paulatim marceſcit, idque eſt Senium; mox verò prorſus extinguitur, quod eſt Mors.* Quam tamen comparationem, utpote à veritate alienam, proponit quidem, non tamen admittit idem Gal. quoniam, *Flamma ex conſumptione eiuſdem materiæ, ex qua ſuccenditur, ortum habet; Animalia verò non ita proprium innatum calorem ſortita fuerunt; calor enim iſte, vnà cum ſuo pabulo naſcitur, ſtatimque nutrimentum ad ſeipſum attrahit, concoquit, agglutinat, aſſimilat, & vt ſemel dicam omnia ſecus ac flamma, in mutatam ſibi materiam operatur.*

k de Marcore cap. 3.

Hinc benè Ariſt. 2. de Gen. Animal. dicebat, quod, *In ſemine omnium ineſt, quod facit, vt fœcunda ſint ſemina, quod calor vocatur, non ignis, ſed proportione reſpondens elemento ſtellarum, corpus ſcilicet quod omnis animæ virtus, ſeu potentia participare videtur, magis diuinam, quàm quæ elementa appellantur.* Nec quiſpiam credat, de Animæ intellectiuæ diuinitate Ariſtot. fuiſſe loquutum; nam paulò [m] poſt ſubdit, quod *Ignis nullum animal generat, ſed calor Solis, & Animalium.* Quod planè confirmat. 2. Phyſ. dum dixit, quod *Sol, & Homo generant hominem.* De intellectiua verò idem Ariſtot. eodem Lib. & Cap. ſeriò ita concludit. *Reſtat igitur, vt mens ſola, non de potentia ſeminis, ſed extrinſecùs accedat, atque ſola diuina ſit.*

l 2. de Gen. Anim. 3.

m Ibid.

De calido itaque noſtro innato, tanquam de Anima vegetatiuà, atque ſenſitiua, non autem intellectiua locutus eſt Ariſt. quod in corde, & ſanguine conſidere voluit. Et licet in genere ſanguineo Cor principatum obtinere aſſeruerit 2. de Gener. Anim. [n] *Quia primum oritur, & vltimum moritur*, nihilominus 3. de Part. An. [o] à Medicis non diſſentit, dum ait. *Cor, & Iecur omnibus animalibus neceſſaria ſunt; Cor propter caloris originem; etenim locum adeſſe aliquem quaſi lares, focumque oportet, quo naturæ fomites, & primordia caloris natiui cõtineantur, & ſeruentur, eundemque tutam eſſe, veluti arcem totius corporis, neceſſe eſt; Iecur verò cibi cõcoquendi gratia adeſt; & quidem nullum ſanguine præditum iis duobus carere poteſt; quamobrem omnia, quibus ſanguis,*

n 2. de Gẽ. Anim. 4.
o 3. de Par. Anim. 7.

Digitized by Google

guis, duo hæc viſcera habent. At ſicut Ariſt. à Medicis non valdè diſſentit, ita Gal. non multùm ab Ariſt. diſcedit, dum 5. de Loc. Aff. [p] hæc habet verba. *Tres quidem ſunt principes corporis partes, quibus gubernatur Animal; namque præter cordis principatum, & ſenſus, & motus vniuerſis corporis partibus à Cerebro ſuppeditatur: ſicut Iecur eſt nutricis Facultatis principium. Mors tamen ſequitur ad immodicas cordis læſiones ſimul enim cum ipſo omnes vitiantur partes; cùm enim ipſa peculiari cordis temperie actiones ſuas perficiant, hac pereunte, actiones quoque reliquarum perire neceſſe eſt, & proinde cerebri quoque, & iecoris. Horum verò temperie deperdita, cordis actionem perire neceſſe non eſt; ſi enim neque ſentiendi, neque ab electione mouendi facultatem habuerit Animal, neque nutriatur, veluti in latentibus euenit animalibus, nihilominus viuit Animal, quoad Cor illæſum manſerit; quinimò videmus ſæpè numero multis diebus homines neque intelligere, neque ſentire, neque moueri, & nihilominus viuere: pariter alios, ob virium hepatis imbecillitatem, ſine alimento permanentes, diutius tamen ſufficere poſſe. At ſi Cor, ob læſionem aliquam reſpiratione priuetur, Animal illicò perire neceſſe eſt.*

[p] de Loc. Aff. 1.

Videamus igitur, in quo conſiſtat inter Peripateticos, & Galenicos, de partium Principatu diſſenſio; dum Gal. expreſſis verbis, Cordi principatum concedit; & Ariſt. Cordi perpetuum comitem Iecur eſſe in animalibus ſanguineis pronunciat.

Ambo autem, & omnes conuenerunt in hoc, quod Cor vitalis, & natiui caloris fons, & focus habeatur. Sic Gal. [q] Cor focum, & Lares ingeniti caloris non ſemel vocauit. Sic Ariſt. 2. de Gen. Anim. [r] dixit, Primum, & principium in ſanguineis Animalibus Cor eſſe; in aliis verò, quod Cordi proportionatum; quod ab Hipp. fuit mutuatus Lib. de Hom. Structura [s] dicente. *Sanguinis, & ſpiritus locus eſt corde: à dextris eius eſt ſanguis, à ſiniſtris verò ſpiritus: flaua bilis in iecore, atra in liene, pituita in cerebro.* Et vlterius progreſſus Lib. de Corde [t], ait, quod, *Mens hominis in ſiniſtro cordis ventriculo ſita eſt, & reliqua animæ imperat.*

[q] 6. de Vſu Par. 7. & 4. in 6. Epid. 24.
[r] 2. de Gen. Anim. 4.
[s] de Struc. Hom. n. 1.
[t] Lib. de Cord. n. 8.

Sed quamuis natiui caloris origo prima ab ortu flammæ differat, vt intelleximus ex Gal. attamen, vt calor ipſe foueatur, atque alatur, ut ignis lignis, & oleo Lucerna, & ipſe fomite eget. Calor igitur hic vitalis, qui potiſſimum cordi inſidet, nutritur à ſanguine pingui, & oleoſo, eodem modo, quo flamma lucernæ nutritur oleo; cuius extinctio ſicut dupliciter contingere poteſt, vel conſumpto oleo, vel maiori accedente flamma; ita calor natiuus, vel extinguitur cum natiuæ humiditatis conſumptione; vel à maiori calore abſumitur; maior enim flamma, ſimilitudinis ratione, minorem ad ſe attrahit tanta celeritate, vt non poſſit æquè citò nutrimentum attrahere, nec inſtaurari, aut reuiuiſcere; vel prolixiori, ſed tamen exiguo temporis progreſſu, maior flamma minoris nutrimentum abſumens, & ſubtrahens, neceſſariò eandem extinguit, quod optimè diuinus noſter Senex expreſſit [u] aureis illis verbis. *Anima noſtra ſemper producitur vſque ad mortem; ſin autem igne excanduerit, ſimul cum morbo anima quoque depaſcitur.* Repeto. *Anima noſtra ſemper producitur vſque ad mortem* ecce olei conſumptionem, *ſin autem igne excanduerit, ſimul cum morbo anima quoque depaſcitur*, en maiorem flammam, minorem extinguentem, vel breuiſſimo tempore, ut in febribus; uel prolixiori, ut in feruidioribus Iecoris, Cordis, totiuſque intemperiebus.

[u] 5. in 6. Ep. 5.

Sanguis igitur eſt fomes natiui noſtri caloris, & adeò illi affinis, ut Critias, referente Phil. 1. de Anima, [x] ſanguinem ipſum Animam eſſe crediderit. Et quidem uidemus Ariſt. 3. de Part. Anim. [y] aſſerentem, Cor ſtatim omnium partium primum conſiſtens, *Sanguinolentum eſſe*. Nec mirum, cùm & Hipp. [z] *Sanguinem congenitum* appellauerit. Hinc ex profluuio ſanguinis calor natiuus adeò debilitatur, ut cibi nec benè concoqui, neque in ſanguinem tranſmutari, multòque minus diſtribui poſſint, ut notat Gal. 4. Aphor. [a] & ipſa confirmat experientia; quinimò, *Si multum ſanguinis effluat, anima deficit, ſi nimium, omnino interit vita*, dicebat & Ariſt. [b] ipſe. Idcirco in ſacris litteris legimus, Deuteron. [c] *Caue, ne ſanguinem comedas, ſanguis enim eorum pro anima eſt, & ideo non debes animam cum carnibus comedere.* Quod tamen de anima vegetatiua, nimirum de calido innato in animali dictum fuiſſe animaduertendum; hoc enim reſidet in ſanguinea cordis ſubſtantia, & per ſanguinem ad uniuerſas corporis partes diſtribuitur. Ita Plato [d] dicebat, *Omne animal in ſanguine, & venis calorem habet, veluti fontem ignis.*

[x] 1. de Anim. 13.
[y] 3. de Par. An 4.
[z] 4. de morb. 1.
[a] 4. Aph. 27.
[b] de Hiſt. An 19.
[c] Deut. 12.
[d] In Timæo.

Sanguis autem hic congenitus in Corde, & arteriis contentus, à cibis, & potibus fouetur, ut conſtanter aſſerit Hipp. [e] Lib. de Alim. Alimenta autem ſanguineum rudimentum ſuſcipiunt à Iecore, perfectionem à Corde; quod ita expreſſit Hippoc. Lib. de Oſſib. [f] *Attrahit Cor ſanguinem ex hepate imperfectum, quem poſtea ipſum perficit, & diſtribuit per totum corpus, & ad hepar, & ad caput, & ad alia membra delegat: non enim nutritur ventriculus, nec hepar ex illo alimento, quod ab iiſdem concoquitur, niſi prius à corde profectum fuerit redditum.* Quare ſanguis in

[e] Lib. de Alim. 2.
[f] de Oſſib. 28.

hepate

g 3. de Part. an. 7.

hepate genitus, cum Hippoc. & Gal. à quibus nec diſſentit Ariſt. g ut audiuiſtis, diſponitur quidem in hepate ipſo ad nutritionem; at nondum nutritioni eſt aptus, cùm neque ipſum hepar eiuſdem portionem retineat in ſe ipſo, pro ſui nutritione, ſed totum dimittat, ut in corde perficiatur, & inde per arterias à corde ad hepar nutriendum refundatur.

Hoc autem præbuit anſam Præclariſs. Viris Anglis primò, deinde Gallis, & tandem Romanis, ſanguinis transfuſionem nouiſſimè excogitandi; cuius ſicuti exactam operationem laborioſam, atque difficillimam exiſtimant; ita, prout eſt, conſideratam, humano generi utilem euadere poſſe concludunt; quod quidem probabile fit, non tantùm ex iactis à nobis Hippocraticis, Galenicis, & Ariſtorelicis fundamentis; uerùm etiam ob rationes modò adducendas.

Quarum quidem prima eſt. Si tanta alimentorum multitudo, diuerſitas, atque heterogenea natura redigitur in chylum à uentriculi calore, ſicut à calore hepatis in rudem ſanguinem, cur quæſo ſanguis etiam alterius animalis, iam homogeneus redditus, cum ſuis ſpiritibus, in uenoſum genus humanum cautè transfuſus, à corde, in quo, ut in fonte, uiget ipſe calor, quinimò nutriendi uis, atque proprietas, cur, inquam, perfici, & ad humanum uſum redigi non poterit?

h 1. de Nat. Fac. 4.

Secunda, cùm in uenoſo genere facultas ſanguifica reperiatur, ut in hepate, ex Gal. 1. de Nat. Facul. h ſanguis transfuſus, antequam ad cor perueniat, à uenis in nobis elaborari poteſt, & humanam naturam adipiſci; ſicut enim chylus imperfectus è uentriculo effluens, antequam ad iecur perueniat, in uia ab inteſtinis perficitur; ita ſanguis nutriēdo corpori adhuc ineptus, à Iecore dimanans, in uenis perfectionem maiorem ſemper acquirit, dum fertur ad cor, à quo tandem nutriendi facultatem ſuſcipit; quæ doctrina, imò uerba ipſa Gal. 4. de Vſu Part. i

i 4. de Vſ. Part. 17.

Tertia ratio ita concinnari poteſt. Alimenta eatenus egent uentriculo, & iecore, ut nutriant, quatenus ad naturam ſanguinis vt redigantur, neceſſe eſt; at transfuſus ſanguis iam ſanguis eſt, nec ideo amplius ventriculo, aut hepate eget, vt ſanguis fiat; igitur ſolo corde eſt opus, vt perfectionem acquirat, nutrioni idoneus euadat. Nec valer obiectio, quod ſanguis transfuſus ſit à natura noſtra alienus; quandoquidem etiam carnes eorundem Animalium ſunt à noſtra humana natura alienæ; & nihilominus in ſanguinem conuerſæ, corde mediante, in noſtrum cedunt alimentum, & propè dixerim humanantur.

Quarta ratio ralis eſſe poteſt. Solis odoribus nutriri hominem, habemus ex hiſtorijs, primò de Democrito, qui ſolo panis calidi odore viram produxit. Præterea de Bruto Rom. Conſule, qui cum à Dyrrhachio, quod obſederat, ad Apolloniam, per loca frigidiſſima, atque niuoſa proficiſceretur, animi deliquio correptus periiſſet, niſi ab hoſtibus ipſis petito pane calido, eius halitu, & vapore à ſuis refocillatus fuiſſet. Et licet experientiæ cedant auctoritates, & ipſa ratio; additur tamen & Hipp. teſtimonium, qui Lib. de Alim. k hæc habet *Qui celeri adiectione opus habent, ys humidum alimentum, ad reparandas vires aptiſſimum eſt: qui autem adhuc celeriori per odoratum nutriri debent.* Cui opinioni ſubſcripſit quoque Galen. 2. Aph. l dicens, *Si odores non tantum præbent alimentum, vt præbent ſolidiora, ſuperant tamen nutriendi celeritate.* Sed accedit quoque ratio; ſicut enim aer eſt pabulum neceſſarium ſpiritibus, ita ſi odorifera ſubſtantia vaporoſa, ab alimento exhalante perfuſus, ac veluti impregnatus ſit aer ipſe, erit vtique pabulum adhuc magis ſpiritus ipſos fouens, atque conſeruans. Addamus itaque nos, ſi ſpitituoſa ſubſtantia ab alimento eleuata nos nutrire valet, quantò magis nutriet ſpirituoſa viuens, transfuſo ſanguini inſita, quæ inſuper natiuo calori noſtro, iuncta eundem ſanguinem nobis analogum facilius reddit? neque nouum, & inſoleus, quod calor noſter à calore brutorum foueatur, vimque adeò vegetam ſuſcipiat, ut homo in nouiſſimè ſecto, & patefacto animali concluſus, à frigidis ſæpè numero affectionibus vindicetur, quibus alioquin, nec medicis auxilijs, nec proprij, & natiui caloris ope liberari vnquam potuerit.

k de Alim. 6.

l 2. Aph. Com. 11.

Quare ſi probabilis eſt vtilitas, ex transfuſione ſanguinis bruti in humanum corpus, quantò probabilior erit humani in humanum? Quod ſi rationibus, non ſine ſolidis præiactis fundamentis expenſis, & adductis, experimenta quoque, vt ferunt, addantur, dubitationi amplius locus non erit.

Verum tamen eſt, quod ſicut accuratiſſimè perfici debet difficilis huiuſmodi operatio; ita inter homines Plethorici, atque Iuuenes, ad ſanguinis extractionem ſunt eligendi; ſicut inter bruta, quæ ſanguine non procul ab humana conditione affluunt, à qua recedit longius Tauri, m & Aſini ſanguis, vtpote craſſiſſimus, atque nigerrimus, & pariter Cerui,

m 3 de Hiſt. An. 19.

Da-

Damæ, & Bubali, ut tenuiſſimus; ita referente Ariſt.[n] 3. de Hiſt. Anim.

n Ib.d. 6.

Verùm non credat quiſpiam, huius trãſfuſionis ope ſenes noua iuuenta reſtoreſcere poſſe, ac ſi natiuus calor & augeatur, & renouetur; ſemel enim conſumptus non amplius reſtitui poteſt, ſicut à priuatione ad habitum non datur regreſſus; poſſet tamen corpora emaciata alimenti penuria, carnoſa reddere, & ad probum habitum reducere, adhucnum præſente facultatis concoquentis, tum ventriculi, tum hepatis imbecillitate; ſi idem ſanguis iam confectus ſolius cordis opera egeret, quod vt princeps, & principium purificationis, & diſtributionis ſuum illud robur ſibi ſeruat, ac retinet, vel in conſumptis ipſis, quod aliis partibus non impertitur; ſicque ſenili, vel iuuenili corpori conſumpto à corde ſubminiſtratur alimentum, quod neque à ventriculo, neque hepate illis accedere poterat.

Atque adeò elegantiſſima, atque hominum naturæ vtiliſſima foret ſanguinis excogitata traſfuſio, niſi aduerſus ipſam non leuis momenti difficultates inſurgerent ab operatione, & obiectiones grauiores quinetiam poſt eandem.

Et primò quidem circa operationem. Sanguis transfundendus, vel à vena, vel ab arteria detrahitur, ſi à vena, vt impurus difficiliorem reddit ipſius transfuſionis ſcopum, & effectum. Si ab arteria, nullus eſt, qui non videat Arteriotomiæ in homine difficultatem, & Aneuriſmatis facile periculum.

Secundò ſi in Cacochymum, ſiue Cachecticum corpus ſanguis probus, & purus eſt infundendus, Patiens ab impuro erit prius repetitis vicibus exinaniendus; unde venæ repetita ſectione, tanta fit ſpirituum vitalium reſolutio, atque diſſipatio, ut ſanguis tranſfuſus, iiſdem inſtaurandis, uix, aut ne vix quidem ſufficere poſſit.

Tertiò difficile eſt inuenire analogiam inter duos homines, ſicut difficillimum inter hominem, & bruta; quæ tamen transfuſioni, & nutritioni omnino neceſſaria eſt. Difficilior etiam redditur, quòd ad hominem cachecticum reparandum, & inſtaurandum, aut atrophum renutriendum, uaria, & multiplicia, pro ſanguinis detractione, corpora neceſſaria ſunt.

o 7.Met 6.

Quartò ſi Lac, ut nutriat, è mammis exugi debet, quia ex Gal.[o] ſtatim mulctum, vt genitale ſemen, illicò uires amittit, quid de ſanguine transfuſo erit dicendum? qui neque Ventriculi, ut Lac, neque iecoris elaboratione gaudet? Quod ſi ſemen ob penis longitudinem infœcundum euadit, quid de ſanguine per tubulum transfundendo erit ſtatuendum?

Vereor itaque, ne ſanguis transfuſus, non brutorum tantùm, ſed & humanus, ut tandẽ in aliti ſubſtantiam conuertatur, vereor, inquam, ne omnino ventriculi, & hepatis elaboratione indigeat; neceſſe quippè, ſi cibus quilibet nutrire debet, ut paulatim alteretur, ſenſim, ac ſenſim à propria natura recedat, excrementa deponat, & tandem humanam naturam induat, quibus omnibus calor natiuus in corde perfectionem quidem tribuit, non ſine præuijs tamen in uentriculo, & iecore diſpoſitionibus, quibus caret ſanguis transfuſus, qui prætereà excrementi, aut bilioſi, aut melancholici portionem deturbandam in ſe continebit, humanæ naturæ, aut huic, vel illi indiuiduo, ſi humanus fuerit ſanguis, impropriam, atque inutilem, quam Cor non habet, quò deponere, & expellere poſſit.

p de Alim, n. 1.

Quæ omnia paucis elegantiſſimè nobis dictauit Hipp.[p] Lib. de Alim. dicens. *Calor natiuus auget, & corroborat, incarnat, & aſſimilat, & diſſimilia facit, quæ in ſingulis ſunt, iuxta vniuſcuiuſque naturam, ac facultatem; id verò, quod prius ineſt, ſuperat.* Notanda verò illa verba, *aſſimilat, & diſſimilia facit, quæ in ſingulis ſunt, iuxta vniuſcuiuſque naturam*; hoc eſt in ſingulis indiuiduis, & iuxta vniuſcuiuſque indiuidui, non autem ſpeciei naturam; ut propterea vnaquæque alimenti concoctio inchoari, celebrari, & abſolui debeat in vnoquoque indiuiduo, iuxta cuiuslibet naturam, & facultatem. Sed quod obſcurioribus verbis, more ſuo, ut audiuimus, tradidit nobis Hipp. hoc præter morem expreſſis prodidit Ariſt.[q] 3. de Hiſt. Anim. dicens. *Sanguis in primis neceſſarius, communiſque ſanguineis omnibus animalibus eſt: nec aduentitius ſuppetit, ſed vernaculus, atque intimus in omnibus integris, atque imputidis habetur.*

q 3 de Hiſt. An. 19.

Sicque Philoſophorum Princeps ſanguinis transfuſionem, quaſi aliquando ab hominibus excogitandam, præuidit, & reprobauit. Quare aut Hipp. & Ariſt. Philoſophiæ, ac Medicinæ Lumina fulgentiſſima, ſunt à nobis poſthabendi, aut ſanguinis transfuſio, vt inutilis, imò noxia omnino reiicienda. Vtcunque verò iam dictorum bonorum omnium auctor eſt Cor, & origo, Pulſus, & Reſpirationis primus motor, Facultatis Vitalis domicilium, Vitæ principium, Fons natiui, & ingeniti caloris, Arteriarum, & influentis caloris ſcaturigo, Sanguinis perfectio, Nutricis Facultatis officina, & omninum noſtrarum

ope-

Digitized by Google

operationum Opifex, atque Magiſter; quo vigente vigent omnia, languente langueſcunt, intereunte intereunt.

XLV.

CORDIS PALPITATIO.

EXactiſſima morbi hiſtoria à te, Vir Præſtantiſs. delineata, & ad nos miſſa, Illuſtriſs. Patientis ſtatum apprimè repræſentat; qui ſcil. annum agens 45. temperamenti totius, & iecoris ad calidum, & ſiceum vergentis, mediocris habitus, multis abhinc annis hypochondriaca affectione obſeſſus, vitæ otioſæ, ventri, gulæque deditus, anno elapſo, Cordis Palpitatione corripi cœperit, non diù tamen perdurante, & ſolùm inuadente, poſtquam in cibo, & potu multùm deliquerit, & Hypochondriaca affectio magis eum afflixerit; quo tempore & pulſus inæqualitas, atque interceptio, breuis tamen, etiam obſeruabatur.

Verùm quoniam, licet de ſtatu proprio Medicos conſuluerit, nunquam tamen remediis uſus eſt; ideo palpitatio antehac rara, & nonniſi ab externo errore, repletione ſcilicet, inuadens, ſex abhinc menſibus, proximo nimirum Autumno, crebrius, & nulla externa occaſione præcedente, Pat. inuadit, diutius perdurans, tanta quidem vehementia, ut non ſolùm manu pectori admota deprehendatur, ſed euidentior facta, Pat. in lecto decumbente, ſtragula ipſa leuiter eleuet; quibus accedit difficilis ſpiritus, pulſus pariter inæqualitas, & interceptio diuturnior. Interim decolor Pat. Illuſtriſs. redditus eſt, vireſque totius non parum imminutæ. Quare tandem ad opem medicam confugere coactus fuit, quam pro tua ſumma prudentia, cùm ſolus præſtare recuſes, noſtrum quoque aduocari conſilium curaſti.

Affectus itaque, quem præ manibus habemus, manifeſtus adeò eſt, ut vèl ab ipſo Pat. nomine Palpitationis cordis exprimatur; quæ mirum non eſt, ſi non tactu ſolùm, ſed uiſu etiam cognoſcatur; cùm accidat nonnunquam, ut ad aures etiam pertingat, unde obſeruauerit Fernel. coſtas aliquando diffringi, uel loco dimoueri. Præſentem autem Palpitationem legitimam eſſe arbitramur, quoniam à diſtenſione [a] fit, & ſubſidentia præter naturam, ob craſſam, & vaporoſam materiam, tentatum exitum facilè non inuenientem. Symptoma itaque eſt in motu [b] deprauato Cordis, quod commodùm duas [c] conditiones habet, ad Palpitationem requiſitas, cùm ſit pars concaua, ut flatibus impleri, & mollis, vt dilatari poſſit. Hoc tamen, licet immediatè, & principaliter ſit [d] ſolius morbis opus; mediatè tamen, & ſecundariò eſt quoque facultatis Irritatæ: quamuis enim diſtenſio fiat ab impetu flatulento, difficilè erumpente, impetus tamen ille ab expultrice etiam à flatulenta materia irritata dependet, quæ eandem, vel ſola quantitate nonnunquam diſtendentem, hoc tamen caſu qualitate quinetiam irritantem, ad expulſionē ſolicitet; unde impetus ille augeatur, in quo Palpitatio cordis ſita eſt: non enim ſatis intelligimus, quomodo flatulenta materia ſola ſua leuitate tantum impetum facere poſſit, neque alium motorem præter facultatem expultricem inuenimus.

a De Tiem. Rig. & Palp. Ca. 5.
b De Symp. Diff. 4.
c 2. de Symp. Cau. 2.
d 2. de Symptom. Cau. 1.

Palpitatio autem hæc, ſicut ab initio per conſenſum ab hypochondriis excitata eſt, & à Liene potiſſimum (hypochondriaci [e] namque flatibus abundant; quia ex Hipp. [f] caloris imbecillitate quammaximè laborant) ideoq; & rarius inuadebat, & celerius recedebat; ita in præſens, quoniam nullum medicum auxilium adhibitum fuit, Corde à graui adeò affectione, & motu præter naturam diutius conflictato, & imbecilli reddito, tandem eſſentialis facta eſt; unde ſicut antea nonniſi poſt errorem externum Patient. inuadebat; ita nunc abſque externa occaſione, nullaque præcedente hypochondriorum querela, inſurgit, diutiuſque perdurat, cum reſpiratione difficili, & pulſus inæqualitate, ac interceptione; quæ primò quidem, cùm in ſola hypochondriaca affectione, ob flatulentam materiam læues arterias comprimentem, ſe proderet, breui ceſſabat; at modò diutius durat eadem materia non ſolùm comprimente, uerùm & ob copiam læues arterias facilè obſtruente; quod non alia ratione accidit, niſi quia flatulenta eadem materia ab Hypochondriis

e 4. Probl. 31. & Gal. 3. de Loc. Aff. 7.
f 2. in 6. Ep. d. 28.

driis

rijs non ſolùm eleuatur,ſed in ipſo corde excitatur; vnde, ob congeſtum ſpiritum à frigido Corde, palpitationem ſuboriri aſſeruit Gal. [g] g 1.Proth Com. 29.

Neque de flatu dubitandum: [h] *Non enim à ſucco quopiam, ſiue humore vera, & legitima Palpitatio fieri poſſet; illico namque non fieret, neq; ſtatim deſineret; quinimò, flatulenta huiuſmodi materia debet eſſe craſſarum partium, & copioſa; nam ſi exigua, & ſubtilis eſſet, facilè per corpus transflueret,* ſcribit ipſe Gal. ſubdens. *Si ſpiritus tenuis, & purus eſſet, neque repleret, neq; vacuaret partes concauas diſtenſione, & ſubſidentia, ſed citra impedimentum tranſiret. Spiritus igitur craſſus, turbidus, aut caliginoſus, aut flatulentus, aut quomodocunque nominare volueris, palpitationis cauſa efficitur.* h De Trem. Rig. & Palp. Cap. 5.

Spiritus autem hic frigidus eſt, & ideo loco cit. Gal. dicebat, quod *Palpitationis cuiuſmodi generatio ex frigido eſt*. Quare noſtro caſu, vitæ otioſæ, repletionibus, & cruditatibus palpitatio ſucceſſit, Autumno præterito, totaque hyeme adaucta. Et licet ab initio flatus hypochondriacos cauſam agnouerit, ab exuſta minera eleuatos; frigidi tamen & ipſi ſunt poſt aduſtionem, quamuis ex eadem geniti; quod confirmauit quoque Auic. dicens. *Palpitatio fit ex ventoſitate inflatiua, groſſa, cuius ſignificationes ſunt velocitas reſolutionis, & quod non eſt, niſi in corporibus frigidis, cum potibus rerum frigidarum.* Vnde Gal. ſpiritum appellabat caliginoſum, aut flatulentum, ſed ſemper frigidum. Hinc facilè elici poteſt, Cordis palpitationes ob ſanguinis copiam, & feruorem, cum Paulo [i]; & ex humoribus pariter biliosis, cum Actuario [k]; cordis verò motum deprauatum, ex Aqua in Pericaridio, cum Gal [l]. quinimò palpitationes à cauſa calida in febribus, cum Hippoc. [m] in Sileno, & Adoleſcente Meliboeę, [n] non fuiſſe veras, & legitimas, ſed motus quoſdam palpitationis æmulos. 3.3.Tract. 1. Cap. 18. i 3. de Re Med. 14. k 4.Meth. 1. l 5.de Loc. Aff. 2.

Palpitatio quælibet ſemper magni faciēda, ratione partis præſtantiſſimæ affectæ; læditur enim Cor, vitæ principiū. Perículoſior autem præſens eſt; cùm ſit facta eſſentialis, & frequēs; in Syncopen enim, & mortem deſinere poteſt; prout in illo, [o] qui, dum exoluebatur, fortiter palpitans, tepentè mortuus eſt; & ratio eſt, quoniam ob motus vehementiam, diſſipatur calidum innatum, eadem ratione, qua flamma extinguitur à nimio motu. Quare, [p] *Qui frequenter palpitatione corripiuntur, Senectutem non attingunt, ſed inter 40. & 50. annum moriuntur, aut febre acuta, aut Syncope intercepti*. Neque credendum, duos illos a Cratone memoratos, legitima palpitatione laboraſſe, ſed ſpuria, qui propterea 55. annum attigerunt. Neque Antipatri caſus, qui ad 60. vitam protraxit, hìc locum habet; obſtructæ enim illi erant læues arteriæ; à quibus tandem, accedente cordis palpitatione, quam nunquam antea paſſus fuerat, reſolutus obiit. Nec D. Philippus Nerius, frequenti palpitationi obnoxius, ad 80. annum perueniſſet, niſi duæ ex mendoſis coſtis ſiniſtri lateris diſruptæ fuiſſent, quæ in acceſſionibus, follis inſtar eleuabantur, & deprimebantur, ſicque ſuffocationem arcebant, ope quidem naturali, non tamen ſine diuini miraculi concurſu. m 3. in 3. Epid 19. n 3. in 3. Epid. 87. o 2. Aph. Com 41. p 5. de loc. Aff. 2.

Medela itaque præſeruatiua potiſſimum ſtatim Pat. Illuſtriſſimo afferenda, curatiua tamen non neglecta. Ideo omnium primò materia, flatuum minera euacuanda. Secundo obſtructiones minuendæ. Tertiò intemperies, tum frigida Ventriculi, tum calida Iecoris corrigendæ. Quartò Cor roborandum, & calidi innati conſeruatio curanda. Quibus vt ſatiſfiat.

In Chirurgico fonte in primis conuenit Sanguinis miſſio; etenim [q] *Adoleſcentes, & adultos omnes ſanguinis detractio iuuit; imò liberati ſunt, qui poſt ſanguinis miſſionem vſi ſunt victu, & medicamentis attenuantibus*. Et licet non ſemper conueniat ratione cauſæ, quando ſcilicet prouenit à cruda, & pituitoſa minera, ab Aqua in Pericardio, ab Aura venefica, Vermibus, Cordis imbecillitate; ſemper tamen conuenit ratione effectus, ad arcendam nimirum ſuffocationem, & ut Pat. facilius calida ferat remedia. Noſtro autem caſu, ratione etiam cauſæ neceſſaria eſt; cùm minera, à qua fouetur affectio, melancholica, & exuſta potius ſit, quàm pituitoſa. Educatur itaque per venam ſectam, & repetatur per venas ſedales. Cauterium quoque coxæ dexteræ inuratur. q 5. de loc. Aff. 2.

A Pharmaceutico fonte deſumenda Lenientia, Præparantia, Purgantia, Apetientia, Intemperies Auferentia, Flatus Diſcutientia, Cor Roborantia, & calidum innatum Conſeruantia. Leniens ſit Elect. lenit. cum Hiera picra, & Crem. Tart. uel Mel. Roſ. ſol. cum Man. clarif. addita Aq. Fl. Cit. Primum præparans ſit Mel. Roſ. & Oxym. addita Aq. Cinnam. vncia. Inde quinque, aut ſex poſt diebus, repetenda hiera cum Lenit. vt ſupra, à qua duabus poſt horis bibat Mulſæ dilutæ ℔ i. ſ. Secunda præparatio obeunda Syr. de Cort. Cit. Iulap. acet. & Syr. de Pom. in decoct. Cich. Borrag. Meliſſæ, Bugloſ. Fl. & Cort. Citri; & ſeptem poſt diebus præbeatur Elect. Diacath. & Diaph. cum Hieræ ℈ i. vel paretur infuſ. Agar. Rhab. & Sennæ addito Syr. Roſ. & de Polyp. à quibus bibat Aq. hordei ℔ ii. & ſi in-

excretis cruditates obſeruentur, præberi poterit Aq. Tetriciana, cum vehiculo Mel. Roſ. ſol.

Poſtmodum obſtructiones reſerandæ, quæ quoniam, utpote ex materia ſicca, rebelles ſupponuntur, cùm inueteratus iam hypochondriacus ſit Pat. ideo humectantibus vtendum; Quare paretur huiuſmodi potio aperiens. ℞. ſucci depurati Borrag. ℥ ii. Cich. Lim. an ℥ i. Decoct. Cich. End. Malu. Agrim. Petroſel. ℥ v. m. ſequenti verò mane præbeatur eadem decoctio ſine ſuccis; cui præmittantur boli ita parati. ℞. Rhab. opt. ʒ ſ. Fl. Caſs. ʒ i. m. ſef. bol. ii. & ita pergendum ad 15. dies; mox præbeatur medicamentum huiuſmodi. ℞. Fl. Caſ. rec. ext. Elect. lenit. an. ℥ ſ. Pilul. de tribus cum Rhab. ʒ i. m. f. b. à quibus bibat Aq. hord. ℔ ii.

His peractis, ad corrigendas frigidas, tum Cordis, tum Ventriculi intemperies, Ius Galli ab omnibus celebratum locum habebit, cautè tamen caſu noſtro, ita parandum. ℞. ligni Roriſm. ℥ i. Guaiaci ping. ℥ ſ. Saſſafras inciſi ʒ ii. Fol. Meliſ. rec. Fl. Cit. an. pug. i. Aq. com. ℔ iv. m. f. inf. per horas 24. deinde adde quartam partem Galli mediæ ætatis, & bulliant ad conſumpt. dimidij, factaque colat. ſeruetur pro tribus doſibus matutino tempore; cui infundantur gutt. x. Iulap. Gem. M. Ducis; in cuius uſu perſiſtat 30. ſaltem dies. Interim Iecore, & hypochondrus æſtuantibus, parari poterit prædictum Ius in Aq. ſtillat. Cich. & Borrag. cui præterea addi poterit ſuccus Cich. depur. & per arenam percolatus.

Flatuum autem reſolutio, licet ad curatiuam potius, quàm præſeruatiuam partem attineat, nunquã tamen deſerenda; ideo in vſum ducat Confec. in Rotulis, ex Ol. de Cort. Cit. vel ex quinta eſſentia Roriſmar. & præ omnibus ex Ol. legit. Cinnam. diſſoluto Saccharo cum Aq. eiuſdem. Spiritus autem vitalis viuificari, & inſtaurari poteſt vſu Aq. Fl. Cit. cum Spiritu Salis Corallino, vſque ad gutt. vi. vii. & viii. Illinenda quoque cordis regio balſami veri liquore; uel Ol. de Scorp. Matth. ſucco Cit. vel Vino Malu. diſſoluto.

Quibus omnibus victus ratio addatur quodammodo attenuans. Vinum ad menſam paretur medicatum ligno Saſſafras, aut ſaltem Roriſmar. Arceantur cruditates, & alacri animo uiuat. Hæcque extra acceſſionem.

Reſtat, vt de parte curatiua aliqua dicamus. Quoniam autem vnica eſt Palpitationis cauſa; ideo vnica curatio, nempe Flatuum reſolutio; cum qua tamen & Spiritus fouendi, & Cor roborandum, ne in Syncopen incidat.

Omnium itaque primò locum habebit Sanguinis miſſio, ſi uehemens, ac pertinax fuerit ipſa Palpitatio; parca tamen ſit, ex iecoraria, aut mediana. Secundum locum obtinent Cucurbitulæ ſiccæ, quarum altera anterius, poſterius altera, iuxta cordis regionem apponenda. Præſens quoque remedium ſunt Sinapiſmi, infernis partibus appliciti, ex æquali portione Caricar. & Sinap. parati. Clyſteres etiam carminatiui maximè conferunt, flatus diſcutiendo, & à corde deriuando, atque reuellendo.

Inter flatus diſcutientia efficax eſt Aq. vitæ Iuniperina; efficaciſſima quoque Aq. Theriacalis; præſentiſſimum item remedium Theriaca; quo præſtantius nullum vnquam expertus fuit [r] Maximilianus Imperator Palpitationibus obnoxius, quanquam præſeruatiuum forſan potius, quàm curatiuum remedium haberi poſſit. Tria præterea exſtant validiſſima remedia. Primum eſt Aqua Theriacalis camphorata Crollii. Secundum Extr. Croci Paracelſi, ad gutt. i. in cochleari Aquæ vitæ. Tertium Aqua vitæ celebratiſſima, à nobis experta, ita paranda. ℞. Sem. Ocymi, Caryoph. an. ℥ ſ. Cort. Cit. rec. Fol. Meliſ. an. pug. i. Macis ʒ ii. Cinnam. integ. ℥ ſ. Spicæ ℈ ſ. Vini albi opt. ℔ ii. m. macerentur omnia per diem naturalem, & deſtillatione fiat ſpiritus vini, in quo infundatur Moſchus, ad gr. vi. ea quã ſumat Pat. ad cochlearia. Extrinſecus quoque diſcutientibus vtendum. Sic regio cordis illinatur Ol. de Cort. Cit. quinta eſſentia Cinnam. ex Matth. vel Roriſmarin. ex Libauio.

[r] Mercurialis.

Secunda medica intentio fuit, ſpiritus vitales fouere; cui explendæ conueniunt quidem odorata, ſed parcè; acutiores namque odores ſpiritus diſſoluunt. Sic intrinſecus confect. Alchermes cum Aq. tor. Cit. vel Cord. Sa a. optima erit. Olei pariter Cinnam. guttula in Aq. Scorzoneræ ebibita celeriter ſpiritus recreat. Extrinſecus paretur Epithema hac formula. ℞. Aq. Meliſ. ℔ i. Fl. Cit. Roſ. an. ℔ ſ. Spec. cord. temp. ʒ ij. Diambræ, Diamoſchi an. ʒ i. Succi Cit. ℥ iii. Acet. Roſ. ℥ i. Vini albi ℔ ſ. m. pro Epith. quàm ocyſſimè ſpiritus vitales reficiente.

Tertia intentio fuit corroborare, pro qua notandum, cum Auic. & ante illum cum Gal. [f] quod euitanda vehementer calefacientia, quia uires diſſoluunt; prout & vehementer

[f] 11. Meth. 5.

ter refrigerantia, quia calorem labefactant; necnon validiora adſtringentia, quia fuliginoſa excrementa cohibent. Sic intrinſecus potens eſt Bezaar, à gr.iv.ad viii. Magiſt. Perlar. aut Corall. in Aq.cord. Sax. tanquam mirabile remedium proponitur ab Hartmanno. Efficaciſſima, tanquam à proprietate quoque iuuantia, Corda animalium, vt ℞. Cord. Cerui, Turturis, vel Bouis n. i. Meliſ. rec. m. i. Fl. Cord. m. ſ. Cort. Cit. rec.℥ ſ. Sem. Ocymi ʒ ii. Caryoph. Cinnam. Sant. Cit. an. ʒ i. Spec. Diambræ, Diamoſc. an. ʒ ſ. quibus addatur Sacch. fin. q. ſ. B. M. deſtillentur, & Aq. exhibeatur ab ℥ i. ad ℥ ii. vel ſola, vel Aq. Meliſ. miſta. Extrinſecus Epithema iam præſcriptum efficaciſſimum quinetiam fuerit.

Quibus omnibus victus ratio reſpondeat, attenuans, vt iubet Gal. [t] qui poſt Sanguinis miſſionem præcipit medicamenta, & victus rationem attenuantem, non tamen adeò tenuem. Hiſque tum pro præſeruatione, tum pro curatione propoſitis D. O. M. annuat, & adſit.

t De Tič. Rig. & Palp. Cap. 5. & 5. de Loc. Aff. 2.

XLVI.

MOTVS TREMVLVS CORDIS, ſiue illegitima Palpitatio.

Nobilis Vir ſexagenarius, temperamenti calidi, & humidi, mediocris habitus, deliciis ſemper vitam ducens, immodicis potibus indulgens, cyathis oris inuerſi vſus, duobus abhinc annis, ſentire cępit pondus quoddam in pectore, aſcenſu potiſſimum locorum accliuium ingraueſcens; ac paulò poſt ſpiritus quodammodo difficilis ſibi viſus eſt, licet nulla obſeruaretur in reſpiratione difficultas; cui moleſtię in dies grauiori factæ, aliquot abhinc menſibus, motus quidam Cordis tremulus, & inordinatus, palpitationi non abſimilis, licet non adeò euidens acceſſit; qui tandem in præſens continuus euaſit, Cordę veluti Aquæ innatante, vt Pat. refert. Pulſus conſueto mollior, corpus paulatim gracilius, floridus faciei color pallore infectus eſt. Anxius itaque Pat. Patauium petiit, ut nos proprii ſtatus certiores faceret, noſtrumque conſilium ſcriptis impetraret, quod in hanc ſententiam exarauimus.

Regionem ſpiritalem, medium ſcil. ventrem, in hoc Nobiliſs. Sene, læſum eſſe, non eſt quod dubitemus; prout enim ubi dolor, ibi morbus; ita hoc caſu, ubi pondus, ibi ſpiritus ipſius coarctatio, ſuffocationis quodammodo æmula. Quoniam tamen hæc nullo modo reſpirationi incommodat; Septum ideo, & pulmones à qualibet læſione immunes cenſendi, eaque cordi potius adſcribenda, cuius motum turbari, deprauarique manifeſtum eſt, dum ſpiritus coarctationem tremulus ille conſequitur, referente Patiente, ſe Cor ſentire, veluti aquæ innatans, cuius pulſus mollior à naturali ſtatu recedit; ſicut præſtantiſſimæ inſuper partis noxam ſat nobis ſignificat diminuta, ac deprauata totius nutritio, nulla præſente ſpirandi difficultate. Neque obſtat, quod Tremor cordi competere non videatur; cùm ſymptoma ſit Facultatis Animalis, illud verò à naturali moueatur; minus, quod Tremor ſit motus ſurſum, ac deorſum, in quo mobile locum mutat; motus verò cordis diſtenſione [a], ac ſubſidentia, abſque loci mutatione conſtet: hæc enim de vero, atque legitimo Tremore habenda; non autem de motu tremulo, cui proprium caput aſſignarunt Auic [b]. Rhaſis [c], & Aetius [d]; quinimò & ipſe Gal. [e] qui pulſus trementis mentionem fecit, tremuli ſcilicet motus, palpitationi ſimilis, quem aliqui ſaltum Cordis, aliqui Cordis lectigationem appellarunt.

Cor autem lædi poteſt, tum eſſentialiter, tum per conſenſum, prout ſæpè in Hypochondriacis à pauco flatu, nec valdè craſſo in ipſum ſe inſinuante, qui motum quidem tremulum, non verò palpitationem inducere poteſt. Sic & à læuibus arteriis, quo caſu pulſus intermittens obſeruatur; necnon à toto venoſo genere calida, & prauæ conditionis aura ad idem eleuata; quam ob cauſam Adoleſcenti [f] Melibœæ perpetuò cor palpitabat. Eſſentialiter autem afficitur cor à materia, nonnunquam flatulenta, quandoque aquoſa, ut in caſu præſenti, quo continuus eſt affectus, qui propterea à flatibus pendere nullo modo poteſt.

a De Tič. Rig. & Palp. C. 5. b 21. 3. Tr. 2. Cap. 1. c 9. ad Almanſ. 55. d Tetr. 2. ſer. 4. C. 58 e 1. de Sympt. Cau. 2. & 2. de Præſ. ex Pulſ. 12 f 3. in 5. Ep. 87.

Digitized by Google

Aquoſa autem hæc materia in pericardio, dubio procul, collecta eſt; unde Pat. Cor veluti aquæ immerſum ſe ſentire profitetur. Neque Gal. latuit hic affectus ab huiuſmodi cauſa, qui proinde motum hunc à vera palpitatione diſtinguens, ait g. *Eſt & alius affectus, Palpitatio videlicet cordis, aut per ſe eueniens, aut cum ſignificatione quadam; eo quod in humore cor ipſum moueatur; neque enim mirum videri debet, tantam humoris multitudinem cumulari aliquando in ambiente Cor tunica, ut ipſum, ne attollatur, impediri poſſit; quippe in Animalibus diſſectis vidimus plerumque plurimum humoris vrinæ ſpeciem referentis, in eo, qui ipſum innoluit, panniculo contineri; ita & in Simia quadam à nobis poſt mortem diſſecta, inuentus eſt in ambiente cor tunica tumor præter naturam, humorem in ſe continens, qualem Hydatides emittere ſolent.* Et licet Aqua huiuſmodi naturaliter in pericardio contineatur, quæ à Columbo, Veſalio, Spigelio in Canibus nuper diſſectis ſæpius inuenta fuit, reclamantibus licet Matthæo de Gradibus, Curtio, Lupcio, & Vega; in noſtro tamen Pat. iuſto copioſior adeſt, ob potus immodicum uſum, præſertim ex vaſis oris inuerſi, cùm habeamus ex Hipp. h quod, *Pericardy humor eſt particula illa potus, quæ non obſtante Epiglottidis operculo, dum bibimus, per aſperam arteriam deducitur, quam poſtea cor, per læues arterias trahit; cuius vſus eſt, vt cordi calido, & æſtuanti præſtet auxilium.* Atque Hipp. ſubſcripſit quoque Gal. his verbis. i *Perſpicuum quoque inde eſſe poteſt, aliquam potionis particulam ad pulmones deferri; quod ſi quodcumque libuerit Animal ad eam ſitim redegeris, ut coloratam Aquam haurire patiatur, & mox iugulatum ipſum diſſecueris, colore eodem infectos pulmones habere deprehendes.* Neque obſtat, quod tuſſis neceſſariò excitanda foret; namque ex eodem Gal. k *Percolatur perpetuò per aſperam arteriam in pulmones, ipſius potus tam exile quidpiam, vt protinus ab inſtrumentis raptum; perquamfacilè quocunque diſtribuatur, abſque eo quod ſpiritus vias exacerbet, & Animal ad tuſſim irritet; deſcendit enim per rimam, tanquam per parietem.* Vnde iure idem Gal. aſſeruit, l quod, *Non ſolus Ventriculus ſitibundos, & minimè ſitientes facit; ſed viſcera quoque in thorace contenta, nimirum Cor, & Pulmo.* Facilius autem in noſtro Pat. potuit in tracheam potus penetrare, ob inuerſa calycum ora; Lambitiuorum enim ritu potius deſcendit, unde facilis in aſperam arteriam illi aditus patet. Hinc copioſa in pericardio aqua collecta, nil mirum, ſi cordis Ictigationes, pulſuſque mollities, & lenitas contingant, ut obſeruauit Anic. prout & quædam ſpiritus coarctatio, intercepto libero Cordis motu; unde natiuo eiuſdem calore labefactato, atque imminuto, ac proinde debili influente ad naturalia viſcera, imminuta, deprauataque ſecuta fuerit nutritio; ita enim & Simiæ à Gal. m diſſectæ, ex aquoſo tumore, ſicuti & Gallo; ex Scirrhoſo macies paulatim ſuccreuit

g 5. de Loc. Aff. 2.

h Lib. de Corde.

i 8. de Decr. vlt.

K 2. Simpl. 17.

l Art. Medic. 64.

m 5. de Loc. Aff. 2.

Affectus hic vix certè ſanabilis; cùm difficillimum ſit copioſam aquam Pericardii, penitioris ſcil. nobilioriſque partis, exſiccare, atque reſoluere, hac potiſſimum ſenili ætate, atque habitu corporis à conſueto laudabili declinante, natiui caloris cordis imbecillitatis indicio. Nihilominus non eſt deſerenda curatio, cùm vires adhuc validæ ſint, Patienſq; Medicis præceptis obtemperans.

Prima itaque intentio ſit, Aquam exſiccare. Secunda, flatus diſcutere, Tertia, ſpiritus vitales fouere, & Cor roborare; præmiſſa primarum viarum, & totius expurgatione.

Atque à fonte Chirurgico parciſſima ſanguinis miſſio depromenda, ut Cordis æſtus ventiletur, & totum corpus ad calidorum medicamentorum vſum facilius diſponatur. Cucurbitula etiam magna mammæ ſiniſtræ ſine ſcarificatione affixa proderit, cutis meatus patefaciendo, aquoſitatem ad ſuperficiem attrahendo, eamq; ad reſolutionem diſponendo; in quem finem rubificantia etiam in progreſſu applicanda.

Ex Pharmaceutico præcipua deſumenda remedia, Lenientia ſcilicet, Præparantia, Purgantia, Aquam Educentia, atque Reſoluentia, Flatus Diſcutientia, & Cor Roborantia.

Quoniam autem Pat. Nobiliſs. medicamenta omnia ſigillatim deſcripta deſiderat; ideo Leniens ſit. ℞. elect. lenit. ʒ vii. Crem. Tart. ℥ ſ. ſpec. hieræ ſ. ℈ i. m. f. b. Vel ℞. Pot. ex Man. clarif. ℥ vi. Aq. Cinnam. ℥ ſ. m. f. p. Præparans erit ℞. oxymel. ſ. mel. roſ. ſ. an. ℥ i. ſ. Aquæ Cinnam. ℥ ſ. m. pro ſyr. & ſic pro aliis quinque. Inde purgans ſit huiuſmodi. ℞. elect. lenit. ʒ vi. magiſt. mechoac. ℈ ſ. magiſt. ialap. gr. vi. ſpec. hieræ ſ. ʒ ſ. m. f. b. vel ℞. pot. ex man. clarif. ℥ vi. addita inf. conſuetæ rad. Ireos, ſambuci ana ℥ i.

Inde, licet materia euacuanda aquoſa ſit, noua præparatio non omittenda, & quidem ratione cauſæ antecedentis. Quare ℞. oxymel. comp. ſyr. de Hyſſopo, de Praſſio an. ℥ ſ. decoct. cich. hyſſopi, praſſij, farf. meliſs. Botrid. ℥ v. m. pro ſyr. & ſic pro aliis; quarto tamen quoque die, aliquod Hydragogum præbendum leuius, atque ſuauius, ut pluries repeti poſſit, abſque virium, & natiui caloris offenſa; quale erit ſuccus rad. ſamb. ad ℥ i. in uino albo,

vel

vel decoctio eiuſdem pariter in vino albo; vel Aqua ex eadem rad. deſtill. ad ℥ii. vel iiſ. in vino albo generoſo; ſic Magiſt. mechoac. ad ℈ i. ref. hol, cum lenit. placidè namque purgat, & abſque ulla ventriculi læſione. Poſt autem huius repetitum uſum, ad aliquod validius ſemel exhibendum deueniatur, ut ℞. Extr. Eſulæ ʒ ſ. Magiſt. Mech. ℈ſ. Pil. Aleph. ℈ i. m. ref. & exhibeatur quatuor horis ante cibum; ſequenti verò die, Theriacę mediæ ætatis, ad cordis roborationem.

Inter aquam reſoluentia, atque educentia, primum locum obtinet decoctum exſiccans, ſed cum ſudore, vt ſenſibiliter, & inſenſibiliter Aqua in pericardio exhauriatur; erit autem huiuſmodi. ℞. Ligni Guaiaci cum cortice, Ligni roriſmar. rad. Enulæ an. ℥ i. ligni ſaſſafras ℥ ſ. Aq. meliſs. ℔ ii. borrag. ſarſ. an. ℔ i. m. f. inf. per horas 24. deinde bull. ad conſumpt. dimidii, & colatura ſeruetur pro tribus uicibus, matutino tempore, hora vna ante ſudorem exhibenda, cui præmittatur puluis viper. ad gr xv. vel xx. Sudor autem prolieiatur in hypocauſto paulatim, ut ſit cum tolerantia, cui inſiſtendum 40. diebus.

Si his res benè ſuccedat, pergat Pat. 20. adhuc diebus in uſu pulu. vip. in Aq. Card. Sancti; ſecus verò, ſudore non iuuante, confugiat ad Aq. Aponitanas ſulphureas, primis diebus deiectorias, poſtea diureticas; quæ licet profuerint, non tamen his abſoluenda curatio, ſed diureticis inſiſtendum. Quare inſcio Pat. præbeatur quotidie Vrina pueri deſtill. ad ℥ vi. vel vii. cum gutt. xv. ſpir. Tart. rectiſ. cui præmittatur bolus ex tereb. Cypr. lota in Aqua Capill. Ven. ut efficacius, & pectorale euadat medicamentum. Quibus niſi cedat affectus, iure inſanabilis iudicandus, naturæque quies concedenda; repetitis tamen alio tempore iam antea uſurpatis.

Interim flatus diſcutientia adhibenda, ut totulæ ex ol. cinnam. vel quinta eſſentia Roriſmar. quæ præſtantiſſimæ. Item Cor roborantia interna, ut Diambra, Diamoſc. Theriaca, Mithrid. confect. & à proprietate Cor Simiæ aſſatum, & pulueriz. ex Rhaſi, in Aqua Cord. Sax. Externa verò, ut Ther. antiqua aceto, & ſucco Cit. diſſoluta, panno purpureo illita, & cordis regioni admota. Ol. ſuccini Cordi illitum, præſertim verò oleo de Scorp. miſtum.

Quibus accedat victus ratio, attenuans quidem, ſed non tenuis, habita ratione, & morbi diuturni, & vitium, ætatiſque Par. cui integram valetudinem precor.

XLVII.

CORDIS PALPITATIO.

Diſtenſionem [a], & ſubſidentiam p. n. in corde, Puerum hunc per interualla affligentem, vera [b] quin ſit cordis palpitatio, haud dubitamus. Et licet motus quoque tremulus, palpitationi ſimilis cordi competat; ille tamen à uera palpitatione excluditur, utpote à pauco tenuique ſpiritu proueniens, uel ab aqua in pericardio, quæ nuſquam à Gal. [c] legitimæ palpitationis cauſa admittitur, quidquid dicant Paul. & Actuarius. De Puero itaque hoc verba facturi credimus, non per Idiopathiam, ſed per ſympathiam à ventriculo, & forſan etiam à liene palpitationem fieri; dum ex quotidianis repletionibus uapor craſſus, turbidus, & flatulentus à cruditatibus, per arterias ad cor eleuatur, partes concauas [d] eiuſdem replet, difficulterque difflatur, & reſoluitur; unde palpitatio, quæ non ita citò [e] fieret, & euaneſceret producta à quolibet ſucco, nec fieri poſſet à pauco, & tenui flatu; quia facilè per corpus transfluerer. A craſſo itaque, & multo flatu excitatur; unde calefacientia, & ſpiritus attenuantia palpitationes tollunt, quia [f] cuiuſcunque ortus ex frigido eſt.

Affectus autem huiuſmodi quantò celerior, tantò tutior erit curatio, antequam ſcilicet cor imbecillius reddatur, metu, ne eſſentialis euadat, aut ſanatus, declinante ætate, denuò inuadat; tunc enim omnes intra 40. & 50. annum pereunt, aut acuta [g] febre, aut ſyncope extincti, uel ad ſummum [h] Antipatri annos attingunt.

Certè itaque ſanabitur, ſi congrua præſcripta, & ſeruata victus ratione, materia in partibus naturalibus hærens euacuetur, Ventriculi intemperies frigida alteretur, flatus diſcutiantur,

a de Tr. Rig. Palp. 5.
b Contra Rudaum c. 4. Aph. Com. 65.
c 4. Aph. Com. 65.
d de Tr. Rig. Palp. 5
e 2. de Symp. Cau. 2.
f de Tr. Rig. & Palp. 5.
g 5. de Loc. Aff. 2.
h 4. de Loc. Aff. 8.

tiantur, & rebellantur; tandemque corroboretur.

13. de Loc. Aff. 2. Adoleſcentes autem, & adultos ſanguinis detractione non ſolùm ſe præſeruaſſe, ſed & liberaſſe gloriatus eſt Gal. quoniam euacuato ſanguine pituitoſo, & melancholico, minera ueluti flatulentæ materiæ, cor præſeruari, ac promptius uentilati contingebat.

Dubium verò, an ob ætatem, habitus gracilitatem, & forſan etiam raritatem liceat ad generoſum adeò auxilium accedere. Quo caſu nos tutius procedentes, uenas ſedales aperiendas cenſemus, & ſanguinem ad ſemilibram extrahendum, cùm potiſſimum tumeat lien; idque ſolùm peracta prima præparatione, & expurgatione. Si verò contumax, quod non ſperamus, perſtiterit affectus, Cauterium coxæ ſiniſtræ inurendum foret. In acceſſionibus cucurbitulas laudamus, cum Auic. coxis, imò & uiſceribus naturalibus, potiſſimum lieni applicitas, prout non placent dorſo, ut Rhaſi, nec regioni Cordis, ut Gal. & Zacuto, niſi in eſſentiali ſola. Conferunt quoque ligaturæ, lotiones calidæ, clyſteres, & huiuſmodi alia.

Euacuabunt lenit. cum hiera, vel mel. roſ. ſol. cum manna, & decoct. ſem. citri. Præparabunt ſyr. de cortic. citri, iulap. acet. vel oxymel. cum aqua cinnam. abſque diluto. Purgabunt verò hiera cum diacath. vel inf. Agar. Rhab. & ſennæ, cum melle roſ. ſol. Repetatur poſtea præparatio viſceri obſtructo accommodata, ut & purgatio. Solent præterea conferre pil. maſtich. alephang. & aggreg. Et quia Puer eſt, facilè uſurpari poterit extractum ſennæ, polyp. maſtich. correct. Purgatione peracta, ſi fuerit obſequens Puer, aqua Tettuciana, quatuor, aut quinque vicibus alternis diebus exhibita ex uſu erit, cum vehiculo mannæ. Omnino autem aſſumat per menſem ius columbæ alteratum china, ſaſſafras, ligno tamariſci, meliſſa, & fl. citri.

Dum hæc omnia fiunt, dſcutientia flatus ſemper proderunt, ut confectiones ex troch. de gallia moſch. ol. aniſor. vel citri, uel cinnam. Sic Diambra, Diamoſchum, cochlear aq. cinnam. uel aq. vitæ iuniper. Et tandem roborando cordi placet Matth. quinta eſſentia roriſmarini, aut cinnamomi. Serapio verò & Auic. vſum meliſſophylli ad ſidera extollunt. Paracelſus gutt. i. extr. croci, cum cochleare aquæ vitæ; vel ol. ſuccini ad gutt. ii. in aqua flor. citri. Nos verò ſæpè vſi ſumus ſemicyatho aquæ meliſſophylli, vel borrag. in qua crocus fuerit maceratus, mane frequenter ſumpto; & extrinſecus illinimus regionem cordis balſamo, aut ol. de ſcorp. Matth. Quæ omnia fruſtra adminiſtrabuntur, niſi congruè innitantur victus rationi, ex præſcripto Excell. Adſtantis. Quibus ut Deus adſit, & faueat, enixè precamur.

XLVIII.

CORDIS PALPITATIO, CVM Melancholia.

VIrginem Nobiliſſimam, 18. annorum ab Excell. Viro deſcriptam, iamdiù, imò ab ineunte ætate melancholicam fuiſſe, mœrores tandem cum lacrymis confirmarunt. Huiuſmodi verò melancholiam, ſicut in hypochondriis deliteſcere non ambigo, ob frequentes vomitus aquoſæ, & viſcidæ pituitæ, cùm leuamine à vomitu, & forſan cum copioſis rugitibus; ita progreſſu temporis mineram quoque in toto, & vtero coaceruaſſe credendum; prout ex fuſco colore, & menſium imminutione ſecuta facilè coniicere eſt. Cordis autem palpitatio eandem itidem iamdiù fatigans, an motus ſit completus ex diſtenſione, & ſubſidentia, an potius tremor, ac ſola trepidatio cordis, ualdè dubito; uera namque palpitatio non adeò forſan carnoſam Nobilem hanc Virginem hucuſque afflixiſſet. Melancholicam uerò paſſionem ex obſtructionibus hypochondriorum ortum duxiſſe certò exiſtimandum, & potiſſimum ſiniſtri, quod cùm plurimis conſtet arteriis, ad craſſi, & melancholici ſanguinis attenuationem perficiendam, per eaſdem quoque facilem aditum fumoſi, craſſi, & melancholici vaporis ad cor colligere poſſumus, qui exitum tentans, nec adeò facilè inueniens cordis ueram, aut

ſpuriam

ſpuriam palpitationem inducit; non enim ab vllo humore, aut tenui ſpiritu fieri unquam poteſt, ut conſiderat Gal.[a] A fumis autem, & halitibus eiuſdem craſſæ materiæ capitis dolorem ferè continuum, ſicut à ſanguinis craſſitie menſium diminutionem pendere nulli dubium, prout febres à crudis humoribus, in cauis viſcerum aliqua bilis portione miſtis, putreſcentibus fuiſſe excitatas.

a 2. de Symp. Cau 2. & de Trem. Rig & Palpit. cap. 5.

Sunt equidem affectus non adeò facilis ſanationis, cùm altas, imò naturales radices fixas habeant, nec menſtruis erumpentibus ceſſerint; attamen ſalus non deſperanda, tum quia imminutas purgationes modò medicamentorum ope ſperamus proceſſuras, cùm ſanguis ille reſiliens[b] in cor, fatuum illud reddens melancholias augere ſoleat, ac proinde, cordis, & capitis affectus; tum quia non exiguam, ex Hippocrate[c] ſpem nobis facit futurum connubium, atque concubitus.

b De Virg. Morb.
c Ibidem.

Medici interim munus fuerit, melancholicam mineram, tum in hypochondrio potiſſimum ſiniſtro, tum in toto hærentem exhaurire, menſtruis uias pateſacere, in acceſſionibus flatus diſcutere, & Cor roborare.

Tempore itaq; medio inter menſtruas purgationes, ſanguis à mediana ſiniſtri brachii educendus; mox ſub finem confiretæ purgationis (ſi imminuta fuerit) ſaphena aperienda; non enim alio tempore & adoleſcentes, & adultas miſſio ſanguinis ſemper iuuit, Gal[d]. obſeruatione, qui hac ſola multas quinetiam præſeruatas fatetur. Frequentes adhibeantur pedum lotiones, ſimplici aqua calente. Fonticulus coxæ ſiniſtræ inuratur, occluſo, qui in dextera eſt.

d 5 de Loc Aff 2.

Præter iam adminiſtrata inſiſtendum primò aperientibus, & contemperantibus, quibus tamen libenter præmitterem aquam Tettucianam, cum vehiculo de more ſumptam; mox probatur uſus ſucci cichorii depurati ad ℥ iiii. in decoctione cichoraceorum, additis cyclamine, tamariſco, agrimonia, capil. Vener. recen. aut artemiſia; cui ſi addatur etiam fumariæ ſuccus depuratus, efficacior foret ad maſſam ſanguinis depurandam, & lienem deobſtruendum. Præſentis uſus etiam fuerit ʒ i. rhabarb. maturi, infuſa in prædicto iure alterato, alternis diebus exhibenda, ita ut xv. aut xx. dies alternatim, ſucci, & rhabarbarum infuſum aſſumantur.

In acceſſione etiam palpitationis, & extra eandem quoque ob affectum melancholicum domi præſtò ſint aliqua ſuauiora cardiaca diſcutientia, ut aqua cinnamomi, uel aqua totius citri, cum guttulis olei de citro, aut caryophillorum, vel cum portiuncula aquæ theriacalis: aqua item Scorzoneræ, cum elixir uitæ. Iuuat à proprietate aqua ſuccini, cum Marcello. Sicut extrinſecus ex Andernaco plurimùm pollet camphora ſupra cordis regionem continuò geſtata. Vinum ligno uiridi roriſmarini, & recentibus foliis meliſſæ medicatum utile fuerit ad menſam.

His omnibus congrua uictus ratio addatur, ut optata ſalute potiatur, quam illi à D.O.M. precibus efflagitamus.

SYN

LIX.

SYNCOPE.

ILluſtriſs. Vir 35. annum agens, temperamenti totius, & iecoris, calidi, & humidi, plethorici habitus, liberalius uiuens, & copioſiori vini potui potiſſimum indulgens, ventriculum à naturæ primordiis exquiſito adeò ſenſu præditum ſortitus fuit, vt à teneris annis, dum eduliis uel acrioribus, vel calidioribus uteretur, in eiuſdem dolorem incideret, & quidem frequentius uſque ad exolutionem, animi deliquium, nonnunquam etiam ad Syncopen uſque; quod tamen adhucnum accidit, ex acribus, & valdè calidis aſſumptis. Cùm autem multis iam annis frequenti narium hæmorrhagiæ aſſuetus fuiſſet non ſine luculento iuuamine, eadem hoc anno omnino ſuppreſſa, paucis abhinc menſibus, citra vllam quinetiam cauſam externam, derepentè exolutus eſt, cum Aſphyxia, extremarum partium refrigeratione, & ſudoribus frigidis, craſſis, & oleagineis. Facies initio quidem rubet, venæque oculorum ſanguine turgent, cum aliqua ſpirandi difficultate; mox tamen palleſcit, plumbeumque colorem induit, cum præcipiti virium omnium lapſu. Reſtitutus verò auxiliis facultatem excitantibus ab Aſſidentibus adminiſtratis, de virium oppreſſione, cum quadam ſpiritus ſuffocatione conqueritur, adeò ut ægrè incedere, minuſque accliuia loca conſcendere poſſit. Quare Medici familiares acciti nos quoque, quid facto opus conſulunt.

Affectus, quo corripitur Nob. iſte Vir, Syncope propriè dicendus eſt, cùm præceps [a] fiat virium omnium lapſus; cuius nullũ hic deſideratur ſignum, cùm non ſenſus ſolùm, & motus perturbentur, ut in [b] Exolutione, nec aboleantur ſolùm, ut in animi [c] Deliquio; ſed ſtatim concidant totius corporis vires, tum Animales, tum Vitales, cum aſphyxia, & abolitione pulſus, inſigniter læſo corde, & extremarum partiũ perfrigeratione, atque pallido, imò plumbeo corporis colore, recurrentibus ſpiritibus cum ſanguine ad interiora, & manantibus ſudoribus frigidis, craſſis, atq; oleaginoſis, Syncopticis [d] dictis, ex propria ſubſtantifica partium humiditate reſoluta prouenientibus, ad differentiam ſudoris Diaphoretici, qui à colliquatione humorum procedit. Atque idem prorſus affectus ab ineunte ætate Pat. poſt acria aſſumpta inuaſit, licet à diuerſis cauſis; quamuis enim Cor ſemper in Syncope lædi neceſſe ſit, quod non accidit in exolutione, & animi deliquio, quibus [e] pulſus nihil immutatur, à qualibet offenſa prorſus immunis; attamen lædi poteſt, vel eſſentialiter, vel per conſenſum; & quidem, præſenti caſu, per conſenſum lædi, & iam læſum fuiſſe cenſemus olim à uentriculo. [f] *Nulla enim pars noſtri corporis adeò exquiſitum ſenſum habet, nec adeò facilè in conſenſum trahit vtrunque principium, nimirum Cor, & Cerebrum, ac os Ventriculi*; præſertim verò in hoc Pat. qui eiuſdem exquiſitiſſimo [g] ſenſu à natura donatus eſt, unde facilè quoque ab acrium, & calidorum uſu dolore, animi deliquio, & Syncope eundem affici contigit. In præſens autem conſenſum à toto venoſo genere ſuſcipere credimus, à ſanguine nimirum multo, & craſſo, venarum, & atteriarum interceptionis, atque occluſionis cauſa; de qua Gal. [h] cum Hipp. *Quod autem quis repentè obmuteſcat, id venarum interceptiones, occluſioneſque faciunt; oriuntur ſiquidem Epilepſiæ, Apoplexiæ, Syncopes, Cardiacæ, Aphonia, & Aſphyxiæ. Cùm enim ſpiritus iam in corde geniti per corpus diffundi non poſſint, ſimul in corde cum facultate vitali ſuffocantur*; ipſos nimirum intercipiente copioſo, & craſſo ſanguine in corde, non adeò expeditè ſuum motum circularem ibi peragente. Neque hæc ſignis confirmari opus eſt, plethoricum enim, plurimoque ſanguine redundat totum corpus, cuius cauſa ruber faciei color, & turgidæ oculorum venæ apparent, necnon oppreſſa, & ferè ſuffocata natura, etiam extra acceſſionem vires imbecilles obſeruantur.

[a] 12. Meth. 5. & Paul. 3. de Re Med. 34.
[b] 7. Aph. 8.
[c] De Sang. Miſſ. 12.
[d] 4. Aph. Com. 37. & Celſ. 3. de Re Med. 19. & Aet. Tetr. 2. Serm. 1. cap. 105.
[e] Libr. de Sang. Miſſ. 12.
[f] 1. de Sym. Cau. 7.
[g] 2. ad Glauc. 1.
[h] 4. Acut. Com. 13.

Copioſum autem ſanguinis prouentum ſemper fouit vitæ liberalis ratio, & potus copioſioris uſus; ſicut, & multò magis, ſuppreſſa multis abhinc menſibus frequens, & copioſa conſueta narium hæmorrhagia, quæ hucuſque Pat. Illuſtriſs. à Syncope, aliiſue affectibus uindicauit.

Syn-

Syncope autem eſt i acutiſſimus morbus; cùm ſit mortis imago, quinimò morti quam proximus; vnde k, *Qui frequenter, atque fortiter, abſque cauſa manifeſta exoluuntur, derepente moriuntur*. Attamen quoniam runc loquitur Hippocrat. de Syncope eſſentiali, ideo dictorum reddens rationem Gal. dixit, *Quia adeſt virtutis vitalis imbecillitas*. De qua & Paulus l quoque hæc habet, *Cor primaria affectione affectum medicorum auxilium non admittit*; citam enim mortem inducit, ideo non adeò deſperanda ſalus, ſi protinus Pat. Illuſtri propria medica auxilia præſtò fuerint. Hinc Aretæus ſedulò agendum eſſe conſulebat; natura enim reſoluta inſtaurabilis eſt; & mortis periculum in vnaquaque acceſſione imminet.

i 2. Aph. Co. 41.
k 2. Aph. 41.
l 3. de Re Med. 34.

Quare præſeruationi ſtatim incumbendum, cauſis occurrendo; quarum ſicut immediata ſemper eſt ſpirituum defectus; ita mediatæ poſſunt eſſe defectus productionis, diſſolutio, corruptio, uel ſuffocatio; quam poſtremam, tanquam magis urgentem, primò expugnandam ſuſcipimus, diſſolutione poſtmodum ob exquiſitum ſenſum ventriculi, à nobis præcauenda, & inhibenda.

Et quoniam ſuffocatio à copioſo ſanguine craſſo, venas replente, & naturam ipſam opprimente procedit; ideo ſtatim, iniecto clyſtere, ſanguis eſt ex iecoraria, uel mediana copioſè educendus, quod & ipſa uigente Syncope præcipit Hipp. m ipſe. Neque vnica miſſio ſat fuerit, ſequenti die propterea repetenda n. *Habitus enim cùm ad extremum bonitatis deuenerint, ſtatim ſoluere expedit.* Quinimò ſingulo menſe repetenda hęc fuerit, vt ſuppreſſam hæmorrhagiam ſuppleamus, & eadem opera Cardiacas affectiones arceamus.

m 4 Acut. 24.
n 1. Aph. 3.

Et quia Hipp. cum Gal. Sanguinis craſſi ratione habita, calida fomenta adhibuit ad eundem fundendum, atque liquandum; ideo aliqua interna eiuſdem facultatis & à nobis exhibenda. Præbeatur itaque, poſt ſanguinis eductionem, mulſa acetoſa quotidie ſummo mane, uel per aliquot dies ad menſam; mane verò exhibeatur oxymel. aqua hordei diſſolutum, & quolibet quarto, aut quinto die Crem. Tart. vncia in iure Cort. Cit. alterato præbeatur; quibus ab acceſſione præſeruari poterit Illuſtriſs. Pat. & quidem facilius, ſi Cordi quoque aliquam corroborationẽ addamus, quibuſdam ſuauioribus, cuiuſmodi ſunt Aqua o Bugloſſi ad cyathum, mane ſumpta, & Iulapium ita paratum. ℞. Vini albi dulcis ℔ i. Aq. Roſ. ℥ iii. Cinnam. contuſi ʒ ii. Myrob. Citr. ʒ i. m. includantur linteo, & bulliant, additis Sacch. fin. ℥ iiii. ad Iulap. conſiſtentiam, cuius duo cochlearia mane, & ſerò aſſumenda.

o 6 Simp. & Paul. 7. de Re Medic. Capt. proprio. & Dioſc. l. 4 Cap. propr.

Ventriculo quoque opitulandum, nimium ſenſum eiuſdem obtundendo, & eundem roborando. Primum præſtabunt remedia calorem natiuum minimè labefactantia, & potiſſimum, cùm præſeruatio in manu Pat. poſita ſit, ab acribus, & valdè calidis abſtinendo. Sufficiat igitur nonnunquam potus, ſummo mane Aquæ Lactucæ, uel Iuris Lactuca altexati, in quo duæ, aut tres Diacodii Rotulæ fuerint diſſolutæ; ſub ingreſſum verò lecti Lactuca condita abundè proderit; ſicut quandoque eidem roborando Conſerua Roſar, cum Diarrhod. Abbatis, in comeſſationibus prima menſa hauſto cyatho Aq. frigidæ. Quæ pro præſeruatione, ſatis.

Quod ſi iam dictis fruſtra adhibitis, recrudeſcat acceſſio, ſpiritus fouendi; virtus excitanda; & ſpiritus ſuffocati foras reuocandi.

Prima intentio citiſſimam inſtaurationem requirit; quia præceps eſt uitium caſus. Inter alimenta autem celerrimè nutrientia eſt vinum p odoriferum; vnde Aretæus in ſolo vino, refrigeratis ſpem uitæ poſitam aſſerebat. Præbeatur itaque Aqua q frigida dilutum; ſpiritus enim reſolui prohibet, cogit humores, & eorum diſſolutionem arcet, roboratque ventriculum, cùm meracum vites imbecilles feriat. Vino autem ſuccedat aqua carnium Cinnam. aromatizata, ius pulli, inſtaurans, & huiuſmodi. Verùm quoniam & odoribus ſpiritus refocillantur; ideo naribus odorata admouenda, ut Aq. Roſ. cum Cort. Cit. Aqua flor. Citri, Acet. cum Caryoph. Aqua Cinnam. Moſchus, Ambra, & ſimilia, quibus facies ubertim irroranda, & tempora illinenda.

p De Alim. Cap. 6. & 3. de Temp. Cap. 2.
q 1. ad Glauc. 14. & Paul. loc. cit.

Secundò Facultas Vitalis, & Animalis excitandæ, ſanguinem, & ſpiritus ad partes externas attrahendo; quod præſtari poterit cucurbitulis, extremis partibus appoſitis ſiccis, & repetitis frictionibus aſperis, totius corporis concuſſionibus, acclamationibus, uociferationibus, pilorum euulſionibus, & picationibus infernarum partium.

Tertiò quia à ſuffocatione Syncope dependet, ſpiritus foras reuocandi, iiſdem mox propoſitis remediis, additis aliis internis, & externis. Inter interna Aquæ Theriac. Aq. tot. Cit. miſtæ cochlearia infundantur. Sic Aqua Cord. prima præclariſs. Saxoniæ, Oleum Cinnam. ad gutt. ii. in Aq. Meliſſæ; vel Quinta eſſentia Roriſmat. Extrinſecus cucurbitulæ ſiccæ. Frictiones extremorum, Madefactiones Vino maluatico, vel Spir. Vini caryophyllati. Cor-

dis inunctiones, Oleo de Scorp. Matth. cum Trochiſcis de Gallia Moſch. ſucco Cit. diſſolutis.

Animaduertendum tamen, quod quando Syncope ab offenſa ventriculi procedit, non conueniunt ſpititus euocantia, ſed eoſdem potius ad Cor propellentia; vt aſperſio Aquæ frigidæ in faciem, uel Roſaceę, uel etiam vini albi auſteri.

Quibus aliqua circa victus rationem potiſſima addenda. Caueat igitur ab uſu, & potu acrium, & calidorum. Secundò compotationes fugiat, & parcius in menſa bibat. Tertio alimentis plurimum ſanguinem gignentibus, & valdè nutrientibus raró veſcatur. Præterea corpus exerceat, imò fatiget. Vigiliæ potius, quàm diuturno ſomno indulgeat. Sanguinem, ut dictum eſt, frequenter ſibi detrahi permittat. A negotijs nec nimis abſtineat, nec nimis incumbat. Quæ omnia Sapientiſſimę directioni Excellentiſs. Virorum libenter committimus.

L.

PVLSVS INTERMITTENS.

QVinquagenatius Vir, tēperamenti totius calidi, & ſicci, gracilis habitus, frigidis potibus aſſuetus, & cibis pariter frigidis, humidis, ac lenti ſucci uſus, cū poſt febrem diuturnā bilioſam ſpuriam, omnino liberæ viuendi rationi ſe tradidiſſet, quindecim abhinc diebus pulſus intermiſſionem paſſus eſt, & quidem vnius pulſationis, modò poſt quinque, modò poſt ſeptem; quæ ſuperioribus hiſce diebus adaucta eſt; ſiquidem & in vnica pulſatione aliqua inæqualitas obſeruatur, licet pulſus magnus, ſatiſque validus, & vehemens ſit. Nulla adeſt ſpirandi difficultas, nullus ſtertor, nec fluctuationes, aut borborygmi in abdomine percipiuntur; ſed ſolùm in pectore inæquales quædam pulſationes, cum obſcuro ſpiritus defectu, & breui lipothymia. Et licet affectus hic ipſius uitæ in præſens incommodare non videatur; eius tamen cauſam ſciſcitatur à nobis Pat. opem, ſi opus fuerit, imploraturus.

Affectus, qui Virum Patientem detinet, eſt pulſus inæqualitas, cum intermiſſione, quæ non ſolùm ſyſtematica eſt, ſiue compoſita, quod ſc. aceruatim, & poſt multas pulſationes obſeruetur; verùm & in vna eademque pulſatione percipitur. Symptoma in actione
[a Actuar. 1 Meth. 9] pulſifica, ſiue Vitali imminutè læſa, [a] dependens non ab imbecilli, & diſſoluta Facultate; quoniam pulſus magni, & vehementes ſunt, ſed à morbo in via; cùm proxima, & imme-
[b 4. de Loc. Aff. 8.] diata cauſa ſit anguſtia [b] læuium arteriarum, vel ab inflammatione, vel à viſcido, & lento humore, vel à tuberculi præſentia. In caſu autē noſtro, ab inflammatione fieri non poteſt, quia omnino febre vacat; non à frigidis, & lentis humoribus; quia non ordinata, nec ſemper eadem foret pulſus intermiſſio; prout non ſemper eadem perdurat pituitoſorum humorum copia, atque qualitas; cùm pulſus magnus, validus ſatis, atque vehemens vigeat. Flatus quoque hypochondriacos læues arterias comprimentes excludimus, ut melancholicis hypochondriacis nonnunquam euenire ſolet; quoniam in hoc Patiente flatus in abdomine, & murmura, nec antea, nec in præſentiarum obſeruata ſunt. Quare reliquum eſt, ut tuberculum cauſam anguſtiæ neceſſariò conſtituamus, à ſanguine crudo, atque glutinoſo ſucco referto, ob prauam viuendi rationem, & à caliditate totius, & iecoris incraſſato, obdurato, & à gelido potu concreto; quod quia in dies ſemper maius incrementum ſuſcepit; ideo & maior euaſit inæqualitas. Nulla autem adeſt reſpirationis læſio, nulluſque ſtertor; quoniam cùm per aſperam arteriam potiſſimum, & eius ramos fiat reſpiratio, arteria autem venoſa nunquam ſit vacua, ſed ſanguine redundans, reſpirationem impedire non poteſt, niſi adeò obſtructa fuerit, ut compreſſione, aſperæ arteriæ affectum impertia-
[c 4. de Loc. Aff. vl.] tur. Sic Antipatro [c] Medico, nonniſi ſex menſibus elapſis leuis quædam ſpirandi difficultas ſuborta eſt, qua paulatim adaucta, & decimoquinto die difficillima reddita, reſolutus ſtatim obijt; quia tuberculum, in amplam molem eleuatum, aſperam quoque arteriam comprimere potuit, tantamque anguſtiam inferre, ut aeri intercluſo aditu, eundem ſuffocauerit,

Inter

Inter pulſus inæqualitates intermiſſio eſt omnium periculoſiſſima,quę ſit cùm diſtenſionem interpellat quies; vt propterea pulſus abolitus tunc ſit, adinſtar Veterni, aut Apoplexiæ cuiuſdam; quod enim cerebro, idem propemodum & cordi contingit; atque, ſicut *Soluere Apoplexiam fortem impoſſibile; debilem verò non facile*; ita quietem pulſuum diuturnam tollere impoſsibile fuerit, breuem verò non citra negotium. Diuturna autem eſt, quæ excedit duorum pulſuum ſpatium; breuis verò, quæ intra duos pulſus manet; omnium incommodiſsima [e], quæ in vno pulſu contingit, & qua pulſus [f] paruus, & languidus eſt. Quare hoc caſu, cùm inæqualitas, quæ ab initio Syſtematica fuit, etiam in vno ictu tandem apparere cęperit, grauis eſt affectus, in dies quinetiam ſemper ingraueſcēs. Nec obſtat, quod ſcribit Gal. [g] *Iuuenes magis, minus pueros, minimè ſenes in periculum adduci*; cùm in hoc Viro tuberculum cauſa cenſeatur, difficillimè ſuperandum, imò ut plurimùm [h] inſanabile. Intereunt autem ſuffocati, aut ſuppuratione, aut citra eandem, & citius cum tuſſi, quàm abſque eadem, quia citius ſuppurant. Quare verendum, ne patiens iſte, Antipatri exemplo, pereat.

d 2. Aph 42.
e 2. de Pręſag. ex pul. 6.
f Actuar. ibid.
g 2. de Præſag. ex pul. 4.
h 6. Aph 46.
i 7. Per Loc. 6.

Agendum itaque omni conatu, ut totius habita prouidentia, tuberculum per [i] attenuantia, & exſiccantia abſumatur.

Et in Chirurgico fonte, duobus caſibus conuenire poſſe videtur ſanguinis miſſio. Primò ad inhibendam tuberculi ſuppurationem. Secundò ratione cauſæ antecedentis, dum totum ſanguine abundat; præſenti tamen caſu, admitti tantummodò poſſet aliqua parca ex venis ſedalibus euacuatio, vt quæ magnum [k] cum pectore habeant conſenſum. Cauteria locum non habent, cùm ſit remedium præſeruatiuum.

k 3. in 6. Epid. 37.

Ex Fonte Pharmaceutico deſumenda remedia Lenientia, Præparantia, Purgantia, & tuberculum Exſiccantia. Leniens tale eſſe poterit. ℞. ſpec. hieræ ſimpl. ʒ i. elect. lenit. ℥ i. m. f. b. vel ℞. ſyrup. roſ. mell. roſ. ſol. an. ℥ iii. elect. lenit. ℥ ſ. aquæ meliſſæ q. ſ. m. f. p. Prima præparatio erit hæc. ℞. oxym. ſimpl. ℥ i. ſyr. de hyſſop. de praſſio an. ℥ ſ. decoct. farf. vrticæ, porri, iridis, braſſicæ, helenii ℥ v. m. pro ſyrup. & ſic pro alijs. Præparati humores ita purgentur. ℞. elect. lenit. diacath. diaphœn. an. ʒ iii. ſpecierum hieræ Gal. ʒ i. m. f. b. vel ℞. Agarich. troch. ℥ ſ. fol. ſen. recen. ʒ ii. cinnam. integri ʒ i. Aquæ farfar. q. ſ. m. f. Infuſ. per noctem; & expreſsioni adde ſyr. roſ. ſol. mell. roſ. ſol. an. ℥ iii. m. f. p. & tribus poſt horis, præbeatur mulſa bibenda ad ℔ i. ſ. & duabus horis ab ea prandeat. Secunda præparatio ſic inſtituenda. ℞ oxymel. ſquil. ℥ i. ſyr. de praſsio, de helenio an. ℥ ſ. decoct. praſsij, hyſſopi, ſem. vrticæ, tabaci, Ari. ℥ v. m. pro ſyr. & ſic pro aliis. A quibus hæc præſcribatur purgatio. ℞. Elect. lenit. ʒ v. elect. diaph. ʒ ii. pilul. de hiera cum agaric. ʒ i. m. f. b. Vel ℞. Agaric. troch. ℥ ſ. cinnam. integr. ʒ i. aquæ pulmon. q. ſ. m. f. Infuſ. per horas xii. deinde fiat colatura, & expreſſioni adde ſyrup. roſ. ſolut. decoct. epith. M. ſ. an ℥ iii. m. ſ. p. à qua præbeatur mulſa, vt ſupra.

Dum hæc omnia fiunt, prima menſa. prandio, & cœna, ſumat Patiens huiuſmodi pilulam attenuantem, & exſiccantem. ℞. Ammoniac. ℈ i. flor. ſulph. ℈ ſ. m. reformetur pilula cum ſpir. vini.

His peractis, aliquod valdè attenuans, & reſoluens in vſum ducendum, quale eſſe poterit ius galli antiqui, flagellati, exenterati, vino maluatico loti, & modicè ſaliti, ita parandum. ℞. ligni guaiac. cum cortice, ſalſæ elect. ℥ i. ſaſſafras ℥ ſ. aquæ betonicæ, farfaræ an. ℔ ii. m. f. Infuſ. per horas 24. deinde adde quartam partem iam dicti galli, rad. helenij ℥ i. praſſij pulegij, calament. an. p. i. m. bulliant ad conſumptionem dimidij, & colatura ſeruetur pro tribus vicibus, matutino tempore præbenda; cui præmittatur bolus huiuſmodi. ℞. terebinth. Cypriæ lotæ in aqua farfaræ ℈ ii. butyri ſulph. Iridis Florent. an. ℈ ſ. m. cum oxymel. ſquillit. q. ſ. refor. bol. ii. & aur. in cuius uſu perſiſtendum ad 30. vel 40. dies, qualibet hebdomada pręſcribendo pilul. de hiera cum agaric. & flor. ſulph.

Huic præſtantiſſimo remedio ſuccedit alterum, non minoris efficaciæ, valdè attenuans, atque reſoluens: Aquæ nimirum Aponit. ſulphureæ, primis diebus cum vehiculo deiectorio, poſtremis verò diuretico, per xii. dies aſſumendæ; atque in horum vſu, non omittenda lambitiua, nec ſuffumigia eiuſdem facultatis. Lambit. ſit oxym. cum gutt. olei ſulphur. Vel oxym. ſquill. ſi tolerari poſsit. Parentur pariter rotulæ Diaireos cum oleo aniſorum, ore detinendæ. Suffumigia verò præſcribantur ex ſtyrace, beniuino, myrrha, thure.

A proprietate verò iuuare dicuntur Troch. de Vipera ad omnes occultos abſceſſus, cum aqua ſcabioſæ, & potiſsimum ad tuberculum. Sic & aqua ex ſucco bryoniæ parata, cum ſpir. vitrioli, vel ol. ſulph. ad cochlearia.

Victus rationem quod ſpectat, Aeris mutatio conuenientiſsima, maximè ad ſiccum. &

ad ſulphureos halitus inſpirandos. Cibus pariter ſit exſiccans, & potus parcus Vini tenuis
l 4. in 6. Epid. 20. ſubſtantiæ, ſaſſafras alterati. Somnus ſit moderatus; vigiliæ namque exſiccant, & digerunt,
vnde vigilia [l] vorax. Corpus exerceatur, & frequenter aſſumat pilul. de agaric. cum Iride,
& ſulphure; atque alacri, & conſtanti animo degat.

LI.

DE VENA APERIENDA IN FEBRIbus biliosis.

a 11. Meth. 15. Licet plures ſanare, quàm occidere vulgatiſſimum illud axioma Galenicum [a], *Saluberrimum ſcil. eſſe, in febribus putridis ſanguinem mittere* exiſtimari poſſit; attamen ego quidem ſemper, ſed multò magis proximè præteritis annis non ita obiter, & inconſultò, ſed nonniſi matura deliberatione obſeruandum duxi; ſæpè namque in indicantis cognitione allucinamur, permittens accuratè expendentes, ſed prohibens negligentes; ſicque facilè perſuademur, ſanguinem per venam ſectam educere in febribus tertianis continuis, ſub Cane, in temperamentis calidis, & ſiccis præcedentibus laboribus, dum vires præſentes conſtare videntur; quod tertianæ ex-
b 4 Acut. 1. quiſitæ non ſint veluti ardentes; & tamen, ſicut [b] *Ardentes fiunt, cùm æſtiuo tempore venæ exſiccatæ ad ſeſe bilioſos humores attraxerint*; ita tertianæ, ſeu duplices tertianæ in temperamen-
c 4 Acut. 3. d 2 de Dec. 6. to calido & ſicco, poſt immodica [c] exercitia, æſtiuo tempore, ab ardentibus parum declinant, ſapiuntque earum naturam, vt dicebat Gal. [d] vnde ſæpiſſimè venæ ſectionem, & ſanguinis miſſionem non indicant, quin potius reſpuunt, utpote productæ non ſolùm à flaua
e 1. in 1. Epid. Co. 25. bile, verùm & à vitellina; quinimo lethales à praſſina, & æruginoſa, quæ bilis ſpecies [e] in continuis, non ab aliorum humorum miſtione, vel aſſumptorum vſu; ſed ob ipſius bilis maiorem exuſtionem produci ſolent; quæ proinde craſſiores redditæ, non exſiccationem, ſed humectationem indicant, atque poſtulant; unde ſanguinis miſsione ſemper deteriores euadunt, hoc anno potiſsimum, quo tempori caniculari accedit quoque conſtitutio ualdè calida, & ſicca. Quibus omnibus hoc ſingulare addamus, in propoſito caſu, quod morbi oc-
f 2 Epid. Sect. 2. caſio fuerit totius corporis tranſpiratio prohibita, ex obſtructione à frigido ambiente contracta; quæ aliquam prohibentis vim obtinet, occaſio verò morborum ſit ex Hippoc. [f] ſpectanda; qua neglecta nos hic Patauii non ſemel nuper vidimus Nob. Pat. poſt natationem in frigida, uel diuturnam moram in frigido ambiente, ſecta vena, frigidos toto corpore derepentè euaſiſſe, & ante ſeptimam extinctos eſſe. Alios quinetiam obſeruauimus, poſt cucurbitulas toti affixas, & exhibita diaphoretica, ſecta neceſſario vena ob uiſcerum inflammationem, ſequenti die obiiſſe; quod accidiſſe putamus, quoniam hac ſæuiſsima tempeſta-
g 4. Aph. 57. & 1. de Morb. 27. te, venæ maiores à ſanguinis eductione exinanitæ, [g] & magis exſiccatæ, bilioſorum excrementorum copiam ad ſe attrahant, adeò ut aut humorum quantitati, & prauitati, aut eryſipelaceæ inflammationi ſuccedat Græcorum Lipiria, & natiuus calor ſuffocetur, aut extinguatur.

h 10 Meth. 5. Verùm neque permittens, nimirum futurum virium robur adeſſe poteſt, in temperamēto [h] calido, & ſicco, poſt immodica exercitia, bilioſis humoribus redundantibus, hac ſicciſſima tempeſtate, annique temporis conditione. Quare ego, licet Patientes curandos non ſuſcipiam; quia tamen conſilium iiſdem negare non poſſum, ita decerno; quod bilioſa corpora, pauco ſanguine à natura donata, hac anni ſicciſsima, & feruidiſsima tēpeſtate, ſanguine magis non priuentur, faciſlimè enim ducuntur ad bilioſorum ebullitionem, ut notabat Auic. ſed diaphoreſis aperta ſeruetur, & refrigerantibus, atque humectantibus febricitantes curentur, nec niſi totius corporis poroſitatibus occluſis, frequentes cucurbitulæ paruæ incidantur; vel ingruente aliqua inflammatione interna, ſecta vena, modicè, & cautè
i 1. de Diff. Feb. 8. valdè ſanguinis mittatur; nec interim potus [i] miſeris ægris à rigidioribus medicis interdicatur. Galeni verò præceptum, de ſanguine mittendo in putridis febribus, ad vlteriorem putredinem inhibendam rariſsimè locum habere in his febribus, quarum putredo ad ſicci-

tem

tatem tendit, & in exuſtionem deſinit[k], arbitramur.

Hæc pauca ſcripſi, tibi potius, quàm vt quæſito ſatisfaciam, ſat enim mihi, vt tibi perſuadeas, me eſſe, & ſemper futurum tibi obſequentiſsimum. Vale.

k Ariſt. 4. Meteor. 2.

LII.

FEBRIS AMPHIMERINA.

FEbris Amphimerina, quotidie ſcil. inuadens, aut alba febris, aut quotidiana nuncupari debuit; quotidiana quidem, ſi pituitoſus, & crudus humor in menſenterio, & primis viis computruerit; alba verò, ſi in penitioribus partibus, & viſceribus; ſicut enim in illa, pituita tum à capite, tum à ventriculo emanare, & in meſenterio ut plurimùm putreſcere ſolet; ita in iſta retentus, aut imminutus ſanguis menſtruus ab utero regurgitans, in venis viſcerum naturalium, & aliquando ipſius ſepti ſtabulans, obſtruendo ſibimet liberam adimit ventilationem; vnde neceſſariò putreſcit, & febrem erroneam, aut albam producit, cui malus habitus, aut icterus albus accedere ſolet; namque dum viſcerum natiuus calor à copia crudi ſanguinis opprimitur, veluti paruus ignis à copia lignorum viridium, ſuffocatur, & quaſi extinguitur; vnde neceſſariò copioſæ pituitæ prouentus, cachexia, & morbus Virgineus exoriri ſolet. In noſtro autem caſu, ſicuti Virginei affectus incipientis ſolùm indicia apparent; ita prædictam febrem propriè quotidianam (non enim adſunt tot illa ſymptomata ab Hipp. de Virg. Morb. enarrata) cum Viro Excell. ſtatuendam exiſtimo, à pituita potiſsimum in capite, & à ventriculo progenita exortam, non ſine vteri, & totius venoſi generis conſenſu; quam confirmare videtur ſtomachi imbecillitas, cum doloribus ſub finem concoctionis, dum imbecillis calor agit in cibum ſemicoctum, eundemque in flatus reſoluit, qui ventriculum diſtendentes, dolores excitant; quod facilius contingit, ſi ab obſtructionibus pylori, aut meſenterij liber ei præpediatur deſcenſus.

a Act. Tet. 2. Ser. 1. cap. 55.

b 1. ad Glauc. 5.

Recentem itaque, & poſteriorem affectum haud difficulter tolli, priorem verò remitti poſſe ſperandum.

Si toto, ordine proprio, per partem ſcil. poſt partem, expurgato, obſtructiones in meſenterio, mox in viſceribus auferantur, & intemperies partium producentium corrigantur.

Et licet Hipp. clarè de Virg. Morb. proponat ſanguinis miſsionem, attamen prudentiſsimè à Viro Excell. omiſſa fuit, omittenda quinetiam, quia ſanguis ſuppreſſus iam in cacochymiam abiit, & crudi humores prædominantur, licet non ſine melancholicorum ſubdominio; quia ventriculus affectus eſt, & tandem quia calor natiuus non ita viget. De aliis itaque emiſſariis potius cogitandum foret.

Iam expurgato ventriculo, & primis viis, ad obſtructiones meſaraicarum animum conuerterem, vſu rhabarb. maſticati cum paſſulis aut lenit. miſti cum iure cichor. abſinth. agrimon. petroſel. nec ad validiora progrederer. Poſt hæc aqua Tettuc. tres, aut quatuor dies, cum vehiculo mellis roſ. & mannæ ſummoperè mihi placeret. Poſtmodum, præſentibus obſtructionibus viſcerũ, nullo modo omitterẽ vſum ſyr. cochectici Fernel ad ℥ ii. in tenui cyatho vini albi tenuis, quotidie per xv. dies, & ſi vinum reſpuat, in iure deobſtruente. Tandem ad ius galli propoſitum deueniri poterit, æſtiuo licet tempore cum bolo propoſito, aut ex tereb. aut trochiſc. cum ſuccis; mox verò vtetur vino abſinthite. Quæ omnia ideo profutura ſpero, quia à Doctiſs. Viro adminiſtranda. Deus vota noſtra ſecundet.

LIII.

FEBRIS CATARRHALIS à Pulmonibus.

a 1. de San. Tu. 8.
b de Glandulis 8.
c 4. de Re Med. 2.
d 6. Epid.

IVre merito dicebat Gal. a quod *Catarrhus fons, & ſoboles omnium morborum eſſe poteſt*; cùm & ipſe Hipp. b *Humanam naturam magno tædio, atque moleſtia frangere* eſſeuerit. Inter cætera verò mala, quæ ab eodem procedere quotidie videmus, omnium peius, & quod peſſimum à Celſo, c ac maligniſſimum ab Hipp. d dictum fuit, eſt ad pulmones lapſus, vt contingit Viro Illuſtriſs. cuius caput quidem intemperie humidiſſima affectum, & à vehementi, atque importuna animi intentione labefactatum, natiuo debilitato calore, humidam, & catarrhalem matetiam continuò, præterito tempore, congeſſit; ſed & à ſubiectis partibus, & toto e venoſo genere cruditates ſuſcepit, tum à promiſcua, & liberaliori vita, intermiſſoque exercitio; tum à Ventriculi imbecillitate genitas; quibus capite repleto, & quidem retentrice potius facultate f relaxata, quàm expultrice irritata, defluxio materiæ eiuſdem in pulmones, octo abhinc menſibus ſecuta fuit; quæ antehac in ventriculum prolabebatur, vbi ſuctionem, & ſuctionis ſenſum intercipiens iamdiù perpetuam, atque conſuetam inappetentiam induxit, affectionemq; hypocondriacam fouit, cuius cauſa cruditates in venoſum genus tranſmiſſæ, inquinato ſanguine, caput per carotidas petentes, circulum illum, peſtiferum ab Hipp. nuncupatum effecerunt; qui quidem ſine euidenti, & ſenſibili noxa fuit à Patiente Illuſtriſs. toleratus, & nulla adhibita curatione neglectus; donec pulmones afficiens, moleſtiſſima tuſſi cum totius macie excitatis, non ſine inſigni raucedine, ad medica auxilia quærenda ipſum compulerit, totius ſcilicet, & capitis expurgationem, cum repetita ſanguinis miſſione; prout ad capitis eiuſdem humidam intemperiem corrigendam, & pulmonum laxitatem exſiccandam, & roborandam, decocto chinæ, viſc. querc. lentiſ. & ſantalor. ac tandem ad carnis inſtaurationem, lactis diuturno vſu; quæ tamen remedia optatum finem fruſtrarunt, licet opportuniſſimæ, & accommodatæ fuerint medicæ intentiones; quoniam decoctum ſudor totius corporis, & capitis ſubſecutus non eſt; vnde liquati, & fuſi crudi humores non ſolùm in venis, verùm & in capite, nec ſenſibiliter per ſudorem euacuati, tenuiores, & in halitus faceſſentes, impetu in caput facto, illud magis, magiſque oppleuerunt, & humectarunt, atque adeò deſtillatio vberior, & ſęuior ſemper in pulmones, & in ſubiectas partes, articulos ſc. præcipitata eſt, nec vnquam humida capitis intemperies exſiccari potuit; vnde non exhauſtis, & exſiccatis eiuſdem humiditatibus, quinimò iiſdem redundantibus, nec ſublata proinde illius intemperie humida, lac nullo modo, cum Hippocr. minuſque cum Galen. g iure admitti potuit, vtpote maximè vaporoſum, & humidum, a copioſo catarrho omnino prohibitum. Quare nil mirum, ſi Vir Illuſtriſs. in præſens copioſiori catarrho diuexetur, tuſſique moleſtiori exerceatur; quinimò ab eodem in pulmonibus maniſeſtiſſimè putreſcente, iam dictæ febriculæ accedat quoque putrida quidem, & catarrhalis, non autem humoralis; nec tamen hucuſq; hectica; à quorum malorum Iliade, totius corporis maciem quotidie magis magiſque inualeſcere omnino neceſſe fuit.

e 3. de dif. Feb. 11.
f 1. Per Gen. 4.
g 5. Aph. 65.

Status quidem præſens Illuſtriſs. Patientis nobis curandus proponitur magnis anguſtijs vndique ſeptus; ſi enim curatio tantummodo palliatiua adhibeatur, procul omni dubio, exiguo temporis proceſſu, à putrida, corruptaque catarrhali materia pulmonibus quoque labes h inuretur; atque niſi à ſalſedine, ab acrimonia tamen ex corruptione eroſionem, & Vlcus contrahere poterunt, & multò facilius ſubſtantiæ i flacciditatem, & fraciditatem; vnde ſi non prima, certiſſimè ſaltem ſecunda phthiſis Hipp. neceſſariò continget, quam nõ ex Vlcere, ſed ex pulmonum flacciditate, qualibet ætate, fieri idem aſſeruit. Si verò non palliatiua, ſed vera, methodica, & legitima curatio inſtituatur, nemo non videt, corpus inſigni macie confectum, febriculaque detentum cum ignominia medentium facilè adhecticam febrem, imò & ad phthiſin deduci poſſe, & quidem facilius, cùm praua illa conformatione Vir Illuſtriſs. k donatus ſit, quam phthiſicis propriam deſcripſit cum Hipp. Gal.

h 3. in 3. Epid. 19.
i 1. in 2. Epid. 17.
k 1. in 1. Epid. 18.

ſpatu-

ſpatulis ſcil. alatis, anguſto pectore, collo oblongo. Quæ mala licet præcauenda, morbo iam vigente, remedium tamen leuis efficaciæ foret admouendum, ut propterea in caſus huiuſmodi non incidere, Medicorum fortunæ adſcribendum ſit, cum Celſo, & Oribaſio. Nihilominus, cùm quod nobis fieri optamus, idem & cæteris præſtare teneamur, ſit autem melius, *Anceps remedium experiri, quàm ægrum certæ morti relinquere*, vt cum Gal. Tral. idem prodidit; ideo Eraſti, Fracaſtorii, Vegæ, & Zacuti exemplo, intrepidè quidem, tamen cautè, vera atque legitima aggredienda curatio, ut ab interitu vindicetur Vir, longiori equidem vita dignus.

In hunc igitur finem ſcopus præcipuus, imò vnicus eſſe debet, ut ſiſtatur catarrhalis deſtillatio; hac enim ſubſiſtente facilis fuerit pulmonum exſiccatio. Scopus autem hic expleri non poterit, niſi totum, & caput prius expurgentur, capitis humida intemperies exſiccetur, ne noua materia catarrhalis regeneretur. Pulmones item materia concluſa expediendi, & exſiccandi, habita ſemper febriculæ, uirium, atque maciei ratione; cui tandem erit omni arte, & induſtria, humectantibus ſubſtantificis occurrendum; quibus intentionibus ut ſatisfiat, omnia executiuo ordine proponam.

Atque in primis, Ventriculus, & primæ viæ exhauriendæ, potione ex man. clarif. inde, materia hærens præparanda ℥ iii. Iulap. acet. cum ʒ iii. crem. tarr. per v. dies. Mox ſecunda ſequatur euacuatio, præſcripto, aut ſimili leniente, quolibet purgante omiſſo; altera deinde præparatio tentanda ſimpl. oxymel. cum ſyrup. de ſucc. borragin. atque beton. in decoct. cichor. borrag. end. malu. farſar. pulmonar. per ſeptem, aut octo dies; quibus ſuccedat expurgatio eadem porione clarificata, addendo infuſioni conſuetæ agar. trochiſ. ʒ iii. cui ſuperbibat, opportuno tempore mulſam dilutam, ex aq. hordeacea paratam ad ℔ ii.

Toto verò ſic utcunque expurgato, capitis quinetiam euacuatio tentanda pil. aur. & de agar. Meſ. à primo ſomno, circa noctis medium aſſumendis, à quibus dormiat, & ſummo mane aquam hordeaceam copioſam bibat; ac rurſus, ſi fieri poſſit, dormiat; quas iterum & tertiò, quarto quoque die repetat, pro conferentia, & tolerantia. Duobus uerò ſequentibus diebus ſumat ſuccos depur. end. atque borrag. ad ℥ iiii. in iure malua alterato; deinde rurſus eaſdem pilul. eodem ordine reſumat, & ab iis ſuccos; & diebus iiſdem intermediis errhino utatur ex pul. maior. Ireos, & nigel. parato; ſicq; capite, quantũ obtineri poteſt, expurgato, eiuſdem uertex circa ſuturam coronalem capillis nudandus, atque abradendus, ut ceratum ſiſtens, & quodammodo rubificans, Gal. 1 more applicetur. Parabitur autem ex pulu. roſar. maſtic. thur. euphorb. boli arm. ol. roſ. cera, & tereb. q. ſ. Dum 15. Meth. 13.
verò iam dicta peraguntur matutinis horis præſertim, pectus per ſputum liberandum hoc lambitiuo. ℞. rad. liquir. rad. enulæ camp. an. ℥ i. rad. Ireos Florent. ʒ ii. aq. ſtillat. hyſſop. aceti opt. an. q. ſ. ad radicum macerationem, per integrum diem; mox colat. addatur mel. Hiſpan. q. ſ. f. ad ignem oxymel. cui nonnunquam addi poterunt gr. butyri ſulph.

Extrinſecus quoque pectus ita illinatur. ℞. adip. anſer. gallin. unguen. maluini an. ℥ i. pul. rad. irid. floren. ʒ ii. ol. lilior. albor. par. roſor. lin.

Interim ſtatim à capitis purgatione, decoctum præſcribendum hac formula. ℞. ſalſæ elect. ℥ i. viſc. querc. rad. roſar. damaſcenar. lentiſ. è Chio rad. enulæ an. ℥ ſ. aq. ſtillat. cichor. ℔ ii. pulmon. ℔ i. m. f. infuſ. per xxiv. horas; deinde bull. ad conſumpt. dimidii, & colat. ſeruetur pro duabus vicibus, de more, hora vna ante ſudorem præbenda; cui præmittatur bolus huiuſmodi, ut facilius proliciatur ſudor, & pulmones exſiccentur. ℞. extrac. ſalſæ ℈ i. butyri ſulph. gr. v. m. roſor. bol. i.

Sudori verò ciendo, includatur hypocauſto, ita ut cum toto, caput potiſſimum ſudet; verùm tribus, aut quatuor primis diebus parum in eodem moretur, & ſtatim ſudore primùm manante exeat, ut in lecto prouocetur. In progreſſu verò calore, aut ſiccitate vrgentibus poſt ſudorem, & corporis abſterſionem, bibat Vir Illuſtriſs. ius tenue, end. & maluis alteratum; uel in decoct. infundatur ſuc. borrag. ℥ i. Aqua verò pro potu conſueto, ità paranda. ℞. reſid. detracta, enula aq. com. ℔ xii. bull. ad conſumpt. tertiæ, in fine ebull. adde cinnam. integ. ʒ ii. bul. par. deinde coletur, in vaſe amplo, & col. adhuc feruenti, adde cort. cit. recent. & ſacch. fini ad libitum, & guſtum Patientis, vt fiat potio ſuauis quotidiana; & decimo quoque die præbeatur potio ex man. clarif. ad aquam, & ſeroſitates educendas. Victus interim debet eſſe mediocris, adeò ut quotidie aliquid concedatur, præter panem, pineos, & paſſulas, modò ſcil. ptiſana hordeacea, cum vitello oui recentis; modò columba turricola aſſa, modo pullus iunior aſſus.

In ſudore autem perſiſtat ad dies 30. ſi benè toleretur, quo peracto, lac artificiale parari poterit.

poterit, ne capitis humida intemperies rurſus adaugeatur; parabitur autem ex ſem. melon. nucl. pineis ſemin. frigidis & amygd. emulſione extracta, eum iure pullæ, cui ſacch. addi poterit, inſperſa aqua aliqua odorifera. Interim quotidie inungatur totum corpus ol. amygd. recen. & veſperi duabus horis ante cœnam, aſſumet elect. ex conſer. roſar. rad. enulæ, cum butyro ſulph. pulm. vulp. & ſacch.

Victus ratio debet eſſe refrigerans, & humectans. Primò autem fugiat cœli inelementiam, matutinis præſertim, & veſpertinis horis; radios item ſolares, & ad ignem diuturnam moram. Aer cubiculi alteretur ſuffumigio ex thure, myr. maſtic. & beniu. Secundò alimenta ſint potius elixa, quàm aſſa, ratione maciei totius corporis; qua tamen remiſſa, aſſa potius, quàm elixa conuenient. Sint autem boni ſucci, & facilis coctionis; & ideo caro teſtudinum, cochlearum, cancrorum, ſiue cammarorum, ranarum à nobis omnino damnatur, licet alioquin iuſcula pullorum iiſdem alterata concedantur. Vinum ſit album, tenue, & ſubdulce. Somnus moderatus, nocturnus; ſi fieri poſſit, ſin minus, diurno ſuppleatur. Quies exercitiis præferatur. Aluus, niſi ſpontè fluat, arte ſolicitetur iure maluar. prima menſa, paſſulis, vel drachma flor. caſſ. Et tandem animi paſſiones, ac mentis ſtudia arceantur. Quæ omnia a D. O. M. Viro Illuſtriſſ. ſalutaria precamur.

LIV.

FEBRIS CATARRHALIS A PVLMOnibus, Sputum Sanguinis, & Quartana.

NOb. hunc Adoleſcentem, temperamenti calidi, & ſicci, non modò ſecundum iecur, verùm etiam ſecundum totum, qui octo abhinc menſibus varijs febribus, tum bilioſis, tum melancholicis ferè ſemper conflictatur, à naturæ primordiis calido, & humido capite donatū; & intemperiem hanc earum cauſa magis auctam fuiſſe credēdum eſt, cùm adhuc quartana ſimplex perduret, neque à febricula unquam immunis obſeruari poſſit. Quartanam autem, non ſolùm præſentem, verùm & qua iam laborauit, à bile potius aſſata, quàm à ſçculento ſanguine prouenisse exiſtimandum, tum temperamenti habita ratione, tum prægreſſæ bilioſæ febris, quam proinde per abſceſſum a contigiſſe cenſendum; hancq; continuam vix iudicare poſſumus, utpote rariſſimam; ſed potius febriculam catarrhalem, nimirum à materia catarrhali, à capite ad pulmones diuturniori tempore elapſa, & in ijſdem putrefacta, à qua irritata facultas expultrix tuſſim quoque moleſtam excitauit, cui ſanguinis leue ſputum ſucceſſit; qui licet à capite hæmorrhagiis obnoxio prouenire potuerit, nihilominus in re tanti momenti, quod Patienti magis è re futurum ſperamus, credere iuuat, & ideo à partibus ſpiritalibus, tuſſi, & catarrhi corrupti occaſione prodijſſe ſtatuendum, præſertim cùm phthiſi extinctum b eiuſdem conſanguineum audiamus. Sanguinem tamen per anaſtomoſin potius, quàm per diæreſin effluxiſſe ſperandum, & quidem à valdè exili vena, & ideo pauciſſimum; etenim ſi per diæreſin erupiſſet, ulcus adeſſet, & pus, non putridum, ſeu purulentum catarrhum, excerneret, de quo tamen nulla mentio.

a 3. Progn. 37.

b 1. de Dif. Febr. 2.

Vt autem Nob. Adoleſcenti opem feramus, tali ordine procedendum, ut vrgentioribus incumbamus, cæteris non neglectis. Et quoniam ſanguinis ſputum, & tuſſis magis urgent; ideo his primò, & potiſſimum, deinde febri quartanæ eſt proſpiciendum, ut phthiſin, & tabem imminentem præuertamus.

Quare ſanguis à pulmonibus diuertendus, & contemperandus; & vaſa, quoad fieri poteſt, conſtringenda; quod ægrè obtineri poterit, niſi deſtillatione ſedata. Ideo fluxio ſiſtenda; quod ſi non omnino aſſequi poſſimus, diuertenda, & intercipienda; fluxæ namque materiæ ad pulmones facilis erit expectoratio, & eorundem exſiccatio. Nec contemnenda quartana; quæ tamen, utpote ab exuſtis humoribus proueniens, refrigerantibus & humectantibus erit curanda, vt nos docet Trall. c contra Gal.

c Lib. 12. Cap. 8.

Itaque ex ſonte Chirurgico repetita forſan potius, quàm vnica erit elicienda ſanguinis miſſio, licet parca, ex utroque brachio; necnon cauterium in brachio ſiniſtro, & frequentes præterea pedum lotiones, ac dorſi frictiones.

Ex

Ex Pharmaceutico, præmiſſa lenienti potione, præparantibus utendum, quæ tamen non valdè calefaciant, & attenuent; tum quia nec ipſi quartanæ conuenire diximus; tum quia ſputum ſanguinis attenuando, fundendo, & aperiendo fouere poſſent. Quare paretur ius alteratum cich. end. acet. maluis, violis, pomis, & ſiliquis, cum iulap. violac. & ſyrup. de ibiſco, & de pomis; inde ſeptem tranſactis diebus, præbeatur infuſum rhab. ſennæ, myrob. citrin. cum ſyr. roſ. & de polyp. ſuperhauſta aqua hord. vel mulſa aquoſa, ex aq. hord. parata. Deinde duabus, aut tribus vicibus, exhibeatur decoct. epith. Meſ. ad ℥ iii. & totidem ſyr. roſ. ſol. epoto ab his ſer. depur. aut aqua hord. hæcque quarto quoque die, interpoſitis ſyr. ſupradictis.

Quibus peractis, ad vſum lactis aſinini erit deueniendum, ſummo mane cum ſaccharo exhibendi, & horis veſpertinis, duabus ante cœnam, præbeatur ius pullæ, china, ſantalis albis, & radice roſar. alteratum; ſicque quotidie procedatur in utriuſq; remedii uſu, omiſso decocto, uſque dum catarrhi copia minuatur; etenim multò potior eſt indicatio lactis, tum à ſanguinis, ac hepatis fetuore; tum à ſebre ipſa quartana. Intercipienda quoque materia catarrhalis, ad pulmones delabens uſu diacodij cum bolo, vel diatragacanth. frigidi, ore noctu detenti.

Quibus congrua addatur victus ratio, cum uſu quotidiano conſeruæ roſarum. Quod ſi noua interim emergent, nouo conſilio indigebunt. Quæ omnia à prudentiſs. ac Excellent. Viro erunt opportunè dirigenda, ut ſalutaria euadant.

LV.

ERRATICA FEBRIS.

A Medio Februario uſque ad decimam Aprilis, certò tertianis febribus ſpuriis laboraſſe Nob. Adoleſcentem fatetur Vir Excell. adſtans. Poſt decimam autem Aprilis, quotidie hora 14 riguit cum dolore capitis, oculi lacryma, faciei rubore, ſiti, oris amaritudine, vigiliis; quibus præſentibus ſymptomatibus, vix credere eſt, à febre immunem fuiſſe, & potiſſimum, cùm manifeſtæ in viſceribus obſtructiones perceptæ fuerint, cum alui ſtypticitate. Duodecima verò Maii, ſolutis obſtructionibus, remiſſoque dolore capitis, oſtocopo rigore, cum oſſifraga laſſitudine rurſus corripi cœpit, ab hora 17. vſque ad 23. & prima Iunii ab hora 12. vſque ad 16. & rurſus à 16. vſque ad 23. qua accedente rigoris concuſſione aluus materiam aliquando flauam, aliquando nigram, & exſiccatam excreuit. Pat. autem Ruri degente, ceſſauit rigor, nullo calore febrili, pulſuſue nulla mutatione vnquam ſuccedente, Excell. Viri obſeruatione. Caſus quidem rariſſimus; non tamen impoſſibilis, cuius fides penes præſentem, & oculatum Medicum, quoniam ſtatus præſentis Adoleſcentis certam non habemus hiſtoriam, niſi quod ex enarratis nobis conſtat, rigorem adhucnum, ſed remiſſum perdurare. Quid autem facto ſit opus paucis exponemus.

Adoleſcentem itaque ſecundum totum, & maximè iecur, calidi, & ſicci temperamenti, gracilis habitus, fuſci coloris, & cacochymum, labefactata uiſcera habuiſſe ſupponendum, vitiumque certò intemperiei, forſan etiam organicum fuiſſe; vnde tandem Februario menſe, ex concluſo calore putredo concepta fuit, humorũ bilioſorum primò, inde melancholicorum, tandem & pituitoſorum; vt patet ex ſpontanea excrementorum excretione, à natura, rigoris acceſſu irritata, qui per partes ſentientes, & quidem circa viſcera potius, quàm in ambitum corporis irruentes, perfrigerationem, horripilationem, & tandem magis magiſque attenuati, rigorem quoque concitabant. Circa decimam autem Aprilis febris deſiiſſe viſa eſt, permanente tamen rigore, qui bis in die, vigeſima eiuſdem affligere cœpit, cum dolore capitis, lacrymatione, rubore faciei, ſiti, oris amaritudine, uigiliis, nulla quidem febre, ut aſſerit Excell. adſtans, cui fides adhibenda, quia non credendum deceptum fuiſſe à pulſu raro, & tardo, potiſſimum in diaſtole, neque à calore, qui paulatim ſuccenditur, prout nec à varijs vrinis; quæ omnia in melancholicis febribus continge-

re ſępiſſimè ſolent. Statuendum itaque, oculi lacrymam modò à calore febrili humores colliquante, modò à copia ſeroſitarum ſecutam fuiſſe; prout dolorem capitis, cæteraque ſymptomata à ſiccis, calidiſque vaporibus, à melancholica minera eleuatis, ut & rigorem oſtocopon, ab iiſdem circa perioſtia excurrentibus, non tamen putrefactis; ab aliis quippe humoribus rigor oſtocopos fieri non ſolet; rigores enim ſine febre, non tamen oſtocopi, quorum fit mentio à Gal. [a] ab humoribus crudis, atq; pituiroſis proueniſſe, ex eiuſdem verbis ſatis patet. Igitur uel rigor in Adoleſcente, à cruditatibus, non fuit oſtocopos; vel ſaltem à cruditatibus factus non fuir.

a 2 de Diſ. ſ. c. 6.

Quoniam verò in præſentiarum rigorem valdè remiſſum eſſe accepimus, facilè fuerit, humores crudos, circa viſcera naturalia impetum facientes eundem excitare poſſe, non tamen ſine pauciori biliosæ, ac melancholicæ materiæ miſtione.

Caſus equidem ſicuti rarus, ita ſanationis difficilis, ratione rebellis melancholiæ, & non leuis à naturali ſtatu receſſus; humorum enim exuſtio huic tenellæ ætati improportionata eſt. Attamen quia tumores in viſceribus non audio ſubortos; quinimò ab Excellent. Adſtantis ſolicita cura, obſtructiones plurimùm expeditas eſſe, & Patientē ætate floreſcere, mediciſque præceptis obſequentem ſe præſtare, ſalus prædici poteſt, congruis remediis, euacuantibus ſcil. præparantibus, aperientibus, contemperantibus, uiſcera roborantibus, & uires conſeruantibus uſurpatis.

Et in Chirurgico fonte parcam ſanguinis euacuationem, ex ſaluatella lateris magis affecti viſceris laudo; & Cauterium in coxa lateris eiuſdem.

Pharmaceutica verò præſidia principem locum obtinent; Lenientia ſcil. Præparantia, Purgantia, Deobſtruentia, Contemperantia, & viſcera Roboranria.

Lenientia ſint Caſſia, Lenit. Tart. Syr. Roſ. ſol. de Polyp. cum exiguo melle roſ. ſolut. prima vice. Prima pręparatio fiat Iulap. acet. Syr. de Cortic. Citri, ſine diluto, quinque diebus. Mox repetatur leniēs ſupra præſcriptum; atq; ad validiora præparantia fiat progreſſus, parara ex ſuccis depur. cich. borrag. end. & tandem fumariæ ad ℥ i. pro qualibet doſi, cum decoctione cichoraceorum, addira agrimonia, fumaria, malua, quibus decem, aut duodecim dies inſiſtendum. Inde ſequatur purgatio Fl. Caſs. ad ℥ i. cum ʒ i. pilul. de trib. uel ℥ iij. decoct. Epith. Meſ. & totidem Syr. Roſ. fol. ſuperhauſto ſero depurato ad ℔ i. ſ. Quibus peractis ad efficaciora deobſtruentia, ſi opus fuerit, deueniendum, hoc pacto. ℞. Extrac. de Rhab. ℈ i. Tart. Vitriol. ℈ ſ. m. ref. b. i. & aur. à quo ſtatim bibat Aquam Agrimoniæ deſtill. ad ℥ x. & quidem decem, aut duodecim dies. Poſtmodum ad viſcerum, & ſanguinis feruorem contemperandum, & totum nutriendum, inſtituatur uſus Lactis aſinini, quod præterquam demulcebit humorum acrimoniam, exſiccatas, ac rebelles quoque obſtructiones humectando emolliet, & expugnabit; cuius vſui inſiſtere debebit ſaltem ad 40 dies. Interim à cibo, ad uentriculum roborandum, deglutiat Patiens duo integra grana Maſtich. uel bol. ex ℈ i. ſucci abſinthij condenſ. & decimo quoque die aluus arte ſolicitetur Elect. lenit. uel frequentibus clyſteribus emollientibus, ex Lacte, Butyro, & Sacch. paratis.

Victus tandem ratio moderatè calefaciens, & ualdè humectans inſtituatur, cibis facilis concoctionis, & probæ nutritionis. Quæ omnia ut ſalutaria Nob. Patienti cedant, uotis nuncupatis precamur.

D V-

LVI.

DVPLEX QVARTANA.

IN caſu Nob. Adoleſcentis, à Viro Exc. ad amuſſim deſcribitur Quattana duplex, per abſceſſum [a] prægreſſi morbi facta, quæ, quoniam legitimæ ſigna deſunt, ſpuria cenſenda. Et licet Gal. [b] rariſſimè obſeruauerit quattanam continuam; quòd humor melancholicus, etſi craſſus, non tamen lentus ſit; attamen, quoniam in hac ſpuria, lentus quoque, & pituitoſus melancholico adiungitur, non erit à ratione alienum, cum Excellentiſs. Viro, de continuitate ſuſpicari, dum natura nequit lentum, & craſſum humorem è venis omnino deturbare, prout in intermittentibus. Minera autem huius putredinis in ramis venæ portæ delitescit, circa cauitates viſcerum naturalium, ut ex lipothymiis, & anxietatibus facilè cõijcere poſſumus; facillimè enim in acceſſionibus à liene, per vas breue, ichores melancholici ad ventriculum perueniunt, qui pituitam agitantes, & fermentantes, anxietatem illam pariunt, imò & nonnunquam lipothymiam; dicebat enim Gal. [c] quod *Os ventriculi in conſenſum ſui animam ducit*. Vnde mirum non eſt, ſi ex conſenſu ipſius cerebri, motus aliqui conuulſiui contigerint; *Nulla namque pars noſtri corporis* ex eodem Galeno [d] *æquè, ac os ventriculi, trahit in conſenſum ſui utrumque principium*. Hos autem motus Epilepticos cenſere, eſſet à ratione alienum, cùm *Quartana capti magno morbo non capiantur, immò capti liberentur*, iuxta Hipp. [e]

a 3. Progn. 27.
b 2. de Diff. Feb. 2.
c 4 in 6. Epid. 25.
d 1. de Sym. p. Cau 7.
e 6. in 6. Epid. 7.

Difficile autem cùm ſit quartanã, potiſſimum [f] autumnalem, ſuperare, difficilius id fuerit, quia duplex, difficillimum verò, ſi certis ſignis continua deprehendatur; quæ, vt [g] rara, ita periculoſa eſſe ſolet; & licet ratione eſſentiæ non ſit morbus magnus; magnus tamen eſt ratione reſiſtentiæ. Spem tamen ſalutis pollicentur ætas [h] florida, nullus in viſceribus tumor, ſpuria quartana, & remedia opportunè adminiſtrata. Quare proſpiciendum, vt ſi fieri poſſit, altera ſaltem ſuperetur, & coctionibus mox incumbendo, alia quoque extirpetur, ne alioquin obſtructiones, in liene potiſſimùm, adaugeantur, ſanguis defæcari non poſſit, cacochymum, & cachecticum euadat vniuerſum corpus, & tandem adducto in conſenſum Iecore, [i] ad hydropem, & alia quamplurima mala idoneum fiat. Leniter verò admodum, inter initia, [k] quartana tractanda eſt, & illi abblandiendum potiùs, quàm aduerſandum; hæret enim humor omnino vitæ contrarius, qui dum mouetur, animum quoque, cor, & potiſſimum facultatem naturalem diuexare ſolet. Vnde Auic. *Multa mota nocent, quæ non mota non nocerent*.

f 2. Aph. 25.
g De Tem. Morb. cap. 7.
h 3. in 1. Epid. 4.
i de Tym.
k 1. ad Glauc. 11.

Recta itaque victus ratione ſuppoſita, humor contemperandus, & præparandus, per epicraſin diminuendus, & apparentibus ſignis coctionis, validè expurgandus. Interim deobſtruendum, & ventriculi coctio adiuuanda.

De ſanguine nil præterea cogitandum, niſi continua obſeruata fuerit; tunc enim ab internis venis ſedalibus rurſus extrahendus foret. Quod ſi anxietas moleſtior fieret, uel lipothymia frequentior, vel tandem conuulſiui motus inualeſcerent, Phœnigmos coxis applicarem, atque à localibus capitalibus abſtinerem; cùm per conſenſum, non eſſentialiter caput afficiatur. Oſtocopo verò concuſſioue, in acceſſionibus, nimis Patientem torquente, duabus horis ante eandem inungatur ſpina ol. de Scorp. Matth. vino maluatico diluto. Clyſteres verò in progreſſu acriores in uſu ſint, ex Auic.

Interim præparatio tentanda iulap. acet. ad ℥ ii. cum ℥ i. aqu. cinnam. ſine diluto, vt in ventriculo moretur diutius, idque per plures dies, mox ſimpl. lenit. cum ℈ i. hieræ minoranda materia. Repetenda demum præparatio deobſtruentibus, iuſculis ſcilicet, à Viro Excell. propoſitis, cum ſyr. de pomis, de ſucco borrag. de cich. Nicol. cum iulap. acet. ratione lentæ materiæ; quibus inſiſterem aliquandiù; licèt Gal. de Inæq. Intemp. difficillimam, Rhaſis uerò impoſſibilem cenſeat atrabilaris materiæ præparationem. Et ſi interim appareant ſigna coctionis, libenter cum Amato, Auic. Arculano, & aliis, quatuor horis ante acceſſionem, purgans validum exhiberem; tunc enim commota materia faci-

l de Affect. 19. lius educitut, quæ alio tempore craſſa, & ægrè mobilis, Auctore Hipp.[l] his verbis. *Si quartana apprehenderit, in ipſa apprehenſione purgans primò ſurſum, deinde deorſum exhibeto*. Præberi itaque poterit flos antimon. ad gr. vii. cum conſ. & ſi vomitus ei ſit difficilis, detur extr. helleb. nigri, ad ʒ ſ. vel diagrydii, & troch. alhand. an. gr. vi. Sequenti verò die ad Theriacam, tanquam ad ſacram anchoram, confugerem; cuius recto vſu plures ſanauit Gal[m]. m de Ther ad Piſ. 15. & præter alios, Eudemum Philoſophum Senem, tribus quartanis conflictatum, ad quas, n De præcogn. ad Poſth 4. alij Medici,[n] intempeſtiuo eiuſdem theriacæ uſu, eundem perduxerant. Vomitus item à cœna pridiè ante acceſſionem commendatur à Gal.[o] o 1. ad Glauc. 11. Quod ſi difficulter euomat, validius per inferiora purgandum, ait ipſe. Hæc verò adminiſtranda, dummodò appareant ſigna coctionis; præparantibus alioquin iam dictis inſiſtendum, & materia minorantibus educenda; certò enim adeſt aliqua portio eiuſdem concoctæ, nullis licet perfectæ coctionis ſignis ſe manifeſtet. Quare cùm intellexerim, bilioſam quoque materiam per vomitum vltimo excretam, abs re non fuerit propinare frequenter ʒ v. caſſiæ, aut lenit. cum ʒ ſ. pil. de tribus cum rhab. Et quia referunt, paucis abhinc diebus, madorem quendam vniuerſalem superueniſſe, ſp. vitrioli ad gut. iii. vel iv. in iure alterato, ex uſu eſſe poterit; ſicuti ſub auroram diei acceſſionis, aqua theriac. vtilis erit, ad cochl. ii. tum ad concuſſionem inhibendam, tum ad ventriculi tonum roborandum, & humorum coctionem adiuuandam. A iam dictis verò non longius recedendum exiſtimo, etiamſi febris erratica fieret; namque & hæc p 3. Progn. 27. quartanarum[p] numero accenſetur, imò in quartanam vt plurimùm degenerat.

q 1. Aph xi Congrua verò ſit victus ratio, non ſolùm quãtitate, & qualitate, ſed & tempore.[q] *In acceſſionibus enim abſtinere oportet; nam cibum dare nocuum eſt*. Nutritur enim morbus, non æger; cùm tamen intelligam, febrem acceſſiſſe quarta hora noctis, & octaua adſtantes exhibuiſſe panatellam. Quare, ſi alimento opus fuerit, viribus deficientibus, cochlear inſtaurantis ex pullo, ad ſummum, iuſculo contemperanti immiſceri poterit, & plenius nutrimentum ad plures horas differri, declinante acceſſionè. Vinum album, & oligophorum concedi poterit, niſi ingens calor febrilis obſtet; quod tamen fieri non poteſt, niſi mutata febre. Vtilis autem eſſe poterit, tempore intermiſſionis, à cibo aliqua confect. ex atomat. roſ. cum aqua cinnam. Animi paſſionibus magna uis in huiuſmodi febribus; ideo Gal. de Parua Pila habet, quod multi liberati ſunt, gauiſi ſolùm. Alii ex magno timore, ex Rhaſi. Q. M. Fabius liberatus à quartana in prælio, ex Liuio. Quare exhilarandus æger, ut Dei Omnipotentis auxilio, & tecta prudentique Excell. Aſſiſtentis directione, priſtinæ ſanitati reſtituatur.

LVII.

DVBITATIONI RESPONSVM.

ERraticas, & Quartanas febres, bilioſis per abſceſſum ſuccedentes, ab humorum exuſtione pendere, dubitari non poteſt; quod magis confirmatur à gracilitate corporis, calidoq; & ſicco, tum totius, tum iecoris temperemento; quibus adiungi poſſe fixam febrem, pro certo habemus. Quartanas ſiquidem huiuſmodi curandas, veluti tertianas, nos a Libr. 12. Cap 8. docuit Trall.[a] Gal. arguens, quod has neglexerit, immeritò tamen, b 3. Progn. Co 27 & 2 de Differ. Feb. 9. cùm eas propoſuerit,[b] licet earum curationem omiſerit. Refrigerantia itaque, atque humectantia exigere harum curationem tradidit Trall. ipſe, quod & nos experientia confirmatum vidimus. Non igitur refrigeratio illa in præſenti Patiente ſupponenda, quæ quartanis familiaris eſſe ſolet; & c De Loc. in Hom 38 Hipp.[c] pronunciare coegit, *Febrem omnem perfrigerandam eſſe, præter quartanam*. Quare nobis conſiderantibus, in hoc Nob. Iuuene aduſtionem, non in termino tantùm, ſed adhuc in d 3. in 3. Epid. 4. via, Hecticam[d], ideo conſequi, & accedere poſſe exiſtimamus; quanquam de eiuſdem præſentia nihil certi habere poſſimus; non enim macies, neque ſola celeritas, ac frequentia pulſus, neque manuum, ac pedum incaleſcentia à cibo, ſunt ſigna ſatis fixam febrem e 1 de Diff. Feb 9 ſignificantia; nam licet Gal.[e] incaleſcere à cibo, ut ſignum certum, & indubitatum hecticæ

febris

febris proponat; nihilominus vix in primo gradu obſeruari poteſt, minus in ſecundo, minimè verò in tertio. Vix quidem in primo, quia nondum adeſt tanta ſiccitas, quæ ab appoſito humido fermentari, moueri, accendique poſſit, ut in calce. Minimè verò in tertio, quoniam adeſt integra incineratio in partibus, humido ſuſcipiendo inepta, ut oleo addito, ellychnio lucernæ torrefacto contingere videmus. Sed prætcrea incaleſcentia illa hectica, viſceribus primò, & faciei tandem verò, & non adeò facilè, extremis impertiri ſolet. Nec ſola macies, quia non valdè diſtat à naturali ſtatu. Nec ſola frequentia, & celeritas pulſus; requiritur enim pulſus debilis, & durus, qui ab aſſumpto cibo maior, & frequentior euadat, & quod loca arteriarum calidiora ſint. Verùm quia nobis video interclußam hecticæ cognitionem à putridæ præſentia, dum nos latent duo pathognomonicà illiùs ſigna, æqualitas ſcilicet nullius febrilis caloris ſenſus, velut habitualis; ideò in dubijs tutior pars eligenda, & in ſtatu huiuſce Nob. Iuuenis morboſo curando, à conſueto, & decantato ordine recedendum, ne dum putridam febrem, quæ ut melancholica, rebellis, & nonniſi diuturniori tempore forſan ſuperanda, expugnare tentabimus, aut inducatur, aut inducta hectica inualeſcat, ægrumque de medio tollat; cùm putrida diuturnitatem quidem, non tamen interitum, ut hectica, minetur; & potiſſimum cùm hecticæ, ut urgentiori incumbentes, nec putridam omnino negligamus. f 1 de Diff. Feb. & 2. de Crif. VI.

Moderatè itaque refrigerantibus. & impensè humectantibus, iiſque ſubſtantificis, ſi fieri poſſit, erit procedendum, quæ intentio exuſtis humoribus quoque præparandis inutilis non fuerit.

Statim igitur inijciatur clyſter emolliens; aut, ſi ventriculus euacuatione indigeat, præbeatur Caſſia cum tartaro, à qua ebibat copioſum ius, hordeo, aut maluis alteratum, ut arceatur ſiccitas; in quem finem potiones ſolutiuæ, vèl leuiores, vitandæ. Mox præſcribatur uſus ſuccorum depur. endiu. & borrag. ad ℥ iii. vel iv. in iure alterato cichor. malu. capill. ven. & meliſſa. Clyſteres interim ex lacte, butyro, & ſaccharo parati infundantur, totumque corpus abundè oleo amyg. rec. illinatur; ſicut totum abdomen ungu. roſ. Meſ. addito pauco ol. maſtich. ſolius ventriculi cauſa. Aliquot verò diebus elapſis, repetatur ſuperius leniens; cui, ſi ſitiat æger, ſerum depur. ſaltem ad ℔ i. ſ. ſuccedat. Et tandem, vice decocti cuiuslibet (de catarrho namque copioſo, aut phthiſica pulmonum [g] flacciditate nulla facta fuit mentio) ad lactis aſinini uſum deuenire non dubitarem. Et quoniam ab Hipp. febricitantibus prohibetur, quia bileſcere, & ad nidoroſam corruptionem deſciſcete poſſet; ideo tantùm in acceſſione febrili erit ab eodem abſtinendum, & cæteris diebus præbendũ; quod etiam concedit idem Hipp. [h] ijs, qui non ualdè multùm febricitant, quod tamen de putrida intelligendum, de eius vſu enim in hecticis quis dubitat? Nec obſtabunt obſtructiones; ſiquidem ut ſiccæ, eaſdem emolliendo, auferre poterit, cùm nec caſeoſam, nec butyroſam ſubſtantiam ipſis coaceruandis contineat; unde Aetius, [i] ad tophos diſſoluendos, & nephriticos præſeruandos, lac aſininum præbet, & potiſſimum cùm idem in quartanis huiuſmodi, etiam abſque ulla hecticæ ſuſpicione, [k] lac aſininum, aut caprinum, ab heminis tribus, uſq; ad ſex purgationis cauſa, propinauerit; quinimò & frigidam inſtante acceſſione, ad heminas duas; tanti fecit ipſam exuſtionem. Aluus hoc tempore perpetuò lubrica ſeruanda, clyſt. potius mollioribus, quàm medicamentis.

g 1. in 1. Epid. 17.

h 5. Aph. 65.

i Tetr. 3. Ser. 3. Cap. 15.

K Tetr. 2. Ser. 1. Cap. 84.

Victus autem ratio iam dictis proportione reſpondeat. Comedat frequenter in cœna ferculum Saxoniæ, ex farina hordeacea, ſaccharo, & raſura optimæ chinæ miſtis, olla incluſis, & in furno exſiccatis. Bibat vinum paucum, & oligophorum, ligno tamariſci medicatum. Quies magis, quàm exercitium conueniet; niſi ſurgat aliquando ad animi hilaritatem captandam; & tandem hilaris, & erecto animo eger ſit.

LVIII.

FEBRIS LONGA; CVM Hecticæ ſuſpicione.

EQuidem neceſſatia nobis fuit à Viris Exc. enarrata hiſtoria, tum originis, & principij; tum progreſſus febris Illuſtriſs. Patientis, necnon eiuſdem temperamenti, & vitæ anteactæ, ad cognitionem præſentis illius ſtatus, & eiuſdem curationem.

Febris itaque biliosa, tertiana duplex, ſputia, ex permiſtione bilis cum cruditatibus, & forſan portione melancholici humoris primã mineram in cauis viſcerum facilè habuit, non verò in Venis ſupra iecur; quia Ill. Patientem conſueta munera obire permiſit; verùm neglecta, vel ad venas maiores peruenit, vel ſaltem ad venas Iecoris, cùm infra 17. manifeſtæ ab Excell. Aſſiſtente obſeruatæ fuerint declinationes. Quod ſi 17 recruduit morbus, vèl abſque ullo errore externo, meminiſſe oportet obſeruationum Hipp. a apud quem Vir quidam octaua ſudauit, mox ſine ſebre viſus eſt, & xi. obiit; & Hermocrates b 14 à febre liber fuit, morbus 17 reuerſus, & 20 iudicatus, ac ſebre liberatus; & rurſus 24 recurrit affectus. Quare huiuſmodi humorum recrudeſcentiæ non raro à nobis obſeruantur, dum abſque inſigni ſpontanea euacuatione, febris remitti videtur; vnde ſemper addidit Hipp. *Non ſudauit*. Hanc itaque febrem, in hanc vſque diem 60 protractam, cum acceſſione, & declinatione quotidiana credendum à putredine c craſſorum humorum, in caua uiſcerum parte deliteſcentium, & obſtructiones, tactui tamen non obuias, fouentium prouenire. Verùm uideo inſuper ab Excellentiſs. Viris, non ſine ratione de hectica incipiente dubiratum, ob pulſum debilem, & durum, ex Gal. d cum calore acri Arteriarum, quibus accedit gracilis habitus, & totius temperamentum calidum, & ſiccum. Attamen, licet probabilis, & prudens ſit hecticæ incipiẽtis ſuſpicio; nihil tamen certi medica induſtria aſſequi poſſumus: etenim propria, & pathognomonica hecticæ duo ſigna à Gal. e propoſita, perpetuò æqualiter febrire, nullo febris ſenſu ab ægro petcepto, nos neceſſariò latent; cùm putrida febris noſtrum intercipiat iudicium; neque de tertio ſigno f, quod indubitatum appellabat Galenus idem, nimirum hora vna, aut duabus poſt cibum incaleſcere, video Excellent. concordes, quinimò potius in negatiuam partem procliues. Præterea non præceſſit g febris ardens, cui facillimè ſuccedere ſolet hectica; nec alia febris integra potus abſtinentia malè curata. Attamen mihi cum Viris Exc. placet, dubitationem cauta mutare aſſertione, quammaximè Pat. Ill. profutura.

Hectica itaque ſi adſit, in primo tantùm gradu fuerit, & facillimæ curationis; putrida verò acutiem depoſuit, periculo proinde vacat.

Quare utraque quidem curanda, ſed vrgentiori incumbendum, altera non neglecta. Quoniam verò putrida ſebris valdè remiſſa eſt, hecticæ potiſſimum danda eſt opera, cuius progreſſus magis, quàm putridæ, exitium minatur. Id verò præſtabitur refrigerantibus, & ſubſtantificè humectantibus, non omiſſis quandoque leuioribus aliquibus deobſtruentibus. Quibus legitimis intentionibus uideo à Viris Exc. ſatisſactum, uſu lactis, balnei, inunctiounm, & recta, ac propria uictus ratione.

De uſu lactis non eſt quod dubitemus, tum ob prædictam rationem, tum quia & ab Hippoc. ipſo conceditur iis, h *Qui non valdè multùm febricitant*, ut utar uerbis eiuſdem. Sit autem aſininum, & ſtatim mulctum præbeatur; etenim, ut genitale ſemen, facultatem amittit ex eodem Gal. i Hoc uerò genus lactis, cùm neque caſeoſa, neque butyroſa ſubſtantia conſtet, non obſtruit; unde & in affectibus renum, imò & Calculoſis præcipiebatur ab Aetio. Quare, huiuſmodi caſu, cùm obſtructiones, hoc habitu gracili, ac temperamento calido, & ſicco, ſiccitatem, & duritiem contraxiſſe, credi poſſit, lac humectando, pollebit quoque deobſtruẽdi ſacultate; facillimè enim permeat, & per corpus diſtribuitur. Præbeatur autem cum ſaccharo, non cum melle; hoc k etenim bilioſis infenſiſſimum; ſicuti pituitoſis utiliſſimum; in cuius uſu perſiſtat ad 40 dies, & ultra, quod quidem mihi magis arridet, quàm Aquæ; lac enim ſubſtantificam, & nutrientem humectationem habet. Et licet

a 3 in 1. Ep. Aeg. 12
b 1. in 3. Ep. Aegr. 2
c 3. Progn. Com. 21.
d 1. de diff. Feb. 9.
e 3. de Præſ. ex Pul. 3.
f 1. de diff. Feb 9.
g 1. de diff. Feb. 8.
h 5. Aph. 65.
i 7. Meth. 6.
k 7. Meth. 7.

ſtigide

frigidę potu fuerit uſus Gal.[l] id tamen factum potius ad pręcauendam, quàm ad hecticam l 10. Meth. 6.
curandam; prout in ardenti febre, aut magnis ardoribus. Interim ſemel per hebdomadam aſſumat Illuſtriſ. Patiens fl. caſſ. rec. extractæ cum Rhab. maturo, epoto hora poſt ſer. aſinin. depur. ad ℔ ii. tribus poſt horis, prandio ſumpto; quod ſi diebus intermediis aluus non reſpondeat, clyſteres iniiciantur ex lacte, butyro, & ſaccharo.

Balneum aliud præcipuum remedium habetur, aquæ dulcis, cuius portio alterari poterit malua, uiolaria, lactuca, borragine[m], tepidum quidem, ſed ad frigidum declinans, ac m 10. Meth. 11.
tandem omnino frigidum uſurpandum, tempore uſus lactis non omiſſis propoſitis inunctionibus. Quod ſi tandem obſtructionum reliquiæ ſuperſtites fuerint, uſu quotidiano Rhab. infuſ. in aqua agrim. certiſſimè tolli poterunt.

Victus ratio proportione iam dictis reſpondebit. Itaque ut plurimùm vtatur ptiſana, emulſ. ſem. melon. amygd. dulc. cucurb. melon. ouis recentibus, & Pullis Iunioribus. Potus ſit aqua Nocera; non enim mineralis eſt, vel aqua hordei, & ſi Vini aliquid concedi poſſit, ſit aqua potius Vinoſa, non vinum lymphatum. Quies imperanda. Et animi perturbationes arcendæ. Quæ dicta ſint, ad ea confirmanda, quæ prudentiſſimè a Viris Excell. propoſita fuere, pro ſalute Illuſtriſ. Viri, quam à Deo illi enixè precor.

LIX.

FEBRIS CHRONICA.

HYpochondriaca affectione multis abhinc annis detineri Nob. Virg. liquidò conſtar, ex ructibus, rugitibus, acoribus, frequẽtibus diarrhœis crudæ, vt plurimùm, uerùm & rubiginoſæ materiæ, aqueis urinis, cordis angore, aurium tinnitu, lipothymiis, obſtructionibus tactui manifeſtis; & tandem arteriæ magnæ euidenti pulſatione; cui licet facilè adiungi ſoleat melancholia quoque hypochondriaca; nihilominus quoniam de timore, aut mœrore in ſcheda nulla fit mentio, ideo ut dubia relinquitur.

Huius autem cauſam in vitæ mutationem referendam cenſemus; primis enim menſibus, quibus clauſtris ſe tradidit, intentis imaginationibus, & meditationibus in illud vitæ genus defixa, calore, & ſpiritibus à ventriculo diſtractis, & ad caput eleuatis, inges cruditates coaceruauit, à quibus obſtructiones primò in meſenterio, mox & in Liene, & forſan etiam in pancreate ortum duxerunt; quinimò & ab iiſdem humoribus per vaſa meſenterium perreptantia, tumor tactui obuius excitatus eſt. Quod autem in his clauſtris calor viſcerum omnium abdominis inualeſcat, quotidiana obſeruatione nobis compertum; à quo proinde ventriculi concoctione quandoque imminuta, quandoque deprauata crudorum humorum à ventriculo, & calidorum à iecore magnus fit prouentus; quibus corruptis, diarrhœæ[a] nonnunquam contingunt; prout iiſdem putrefactis, nec euacuatis, febriculæ lentæ, laticæ potiùs, quàm tertianæ naturam æmulantes, hyeme potius, d 6. de San. Tu. 7.
quàm æſtiuo tempore inualeſcentes, antiperiſtaſis cauſa, quæ ſudore craſſo, atque lento ſoluuntur, liquatis à præter naturali calore iiſdem cruditatibus. Interim quid mirum, ſi ab interno æſtu, extremarum partium calore arrepto, frigidæ illæ euadant, feruidæ propterea iecoris, & internorum viſcerum caliditatis certo indicio. Verùm quoniam his perdurantibus, humores exuri ſolent; hinc exhalationes, potiſſimum à Liene arteriis copioſis perfuſo, ad cor eleuatæ, ſuffocatione quadam, oppreſſionem cordis, totiuſque corporis languores, atque lipothymias inferre ſolent; quinimò ab iiſdem calidis exhalationibus ad ſeptum, & ad pulmones expirantibus, & expultricem facultatem irritantibus, tuſſis inanis, atque moleſta in Nob. Virgine excitatur.

Affectus hic opem equidem ab initio poſtulabat, antequam obſtructiones in tumorem conuerterentur, & viſcerum intemperies inualeſceret. Omnia tamen agenda, ne ſcirrhoſus euadat tumor, melancholicus affectus ſuccedat, aut ſi adeſt, ne habitualis, cum febricula reddatur.

In quem finem, inter medicos ſcopos, primus erit humectatio. Secundus humorum

præ-

præparatio. Tertius viarum apertio. Quartus humorum euacuatio. Poſtremus intemperierum extirpatio, & viſcerum corroboratio.

Et quidem à fonte Chirurgico vnica ſanguinis miſſio deſumenda, ex brachio dextero; qui ſi [b] niger effluxerit, rurſus ex altero repetenda, tempore tamen medio, à menſtruis purgationibus æque diſtanti; quæ quoniam abundè procedunt, ideo ſaphena non erit tundenda, niſi exhalationes copioſæ eleuatæ cor vehementius infeſtent.

[b] 3. de Loc. Aff. 7.

Ex Pharmaceutico fonte deſumenda Lenientia, Præparantia, Purgantia, Aperientia, intemperies Corrigentia, & uiſcera Roborantia.

Leniens eſſe poteſt ſyr. roſ. ſol. de polyp. Vel lenit. cum caſſia, epoto ab iis iure hordeo, uel maluis alterato. Præparans erit iulap. acet. paratum in aqua agrim. cum maceratione quatuor rad. aperientium in aceto, & eadem aqua, ad ℥ ii. in decoct. cichorac. Exacta hebdomada, repetatur ſupraſcriptum Leniens. Inde ad vlteriora præparantia progrediendum, quæ erunt ſucci cich. dep. ℥ iii. in quibus diſſoluta ſint gr. x. tart. uitriol. cum decoct. cichorac. additis foliis malu. agrim. tamar. ſcolopendrii, quod validum aperiens, præparans, atque liquans; quæ non adeò feliciter ſaccharata, & mellita præſtarent, cùm hypochondriacis conferre non poſſint.

Hoc autem decem vicibus exhibebitur, alternis diebus, quorum intermedio præbeatur rhab. ad ℈ i. vel ad ſummum, ad ʒ ſ. cum ʒ ii. flor. caſſ. rec. tres bolos reformando, & hora vna ab his hauſto iure pullæ malu. cich. & petroſelino alterato.

Quibus viginti tranſactis diebus, parari poterit infuſum purgans, ex rhab. ſenna epithymo, & agarico cum cinnam. in aqua agrim. additis ſyr. roſ. ſol. & de polyp. Incepta verò euacuatione bibat ſeri capr. depur. ℔ ii. & duabus horis ab eo prandeat.

His peractis, ad ualidiora deobſtruentia deueniendum, quæ tamen non valdè exſiccent, vt dictum fuit, ſed emolliendi, & fundendi humores, tum obſtructiones, tum tumorem excitantes facultatem habeant; in quem finem alterutrum infraſcriptorum medicamentorum ex uſu eſſe poterit, cuius electio penes Excellentiſſ. Adſtantem fuerit. Præbeatur itaque ius alteratum ſalſæ parillæ, & tamariſ. an. ℥ i. pro duabus vicibus, præmittendo bolum ex terebint. noſtra, & ammoniaco compoſitum. Vel aquæ de ſucco agrim. & malu. quibus infundantur gutt. xv. aut xx. ſpir. tart. bis ſaltem, aut ter rectif. in quorum alterutro perſiſtat Pat. integro menſe, dummodo nullum prohibens emergat. Toto autem hoc tempore quinto, aut ſexto quoque die, hora vna ante prandium, præbeantur caſſ. ʒ iii. cum ℈ i. pil. de tribus cum rhab.

Interim externa nullo modo omittenda, quæ potiſſimum emolliendi, aliquo pacto verò reſoluendi vi prædicta ſint, quale eſt linim. ex adipe anſeris, anatis, vituli, cum ol. de capparibus, de cyclam. & cera paratum; mox ceratum ex ammoniaco. Quæ medica auxilia tum morbus poſtulat, tum tempus permittit, quibus vnà cum obſtructionibus, & febrem ceſſuram ſperamus. Iecoris verò feruori contemperando, ſat fuerit in præſens, quotidie prima menſa iuſculum endiuia alteratum. Et pro ventriculi roboratione à prandio ſtatim duo, aut tria grana maſtic. integra deuorata, aut pilul. ex ℈ i. ſucci abſinthii condenſati.

Quibus congrua addatur viuendi ratio, à Viro Excellent. Adſtanti præſcribenda, circa quam illud ſolùm notamus, quod vinum ſalſa, & tamariſco, toto anni tempore medicatum bibat. Quæ omnia à Deo Optimo Max. Nob. Virgini ſalutaria ſolicitè precamur.

F E-

LX.

FEBRES ANNVÆ, CVM Deſtillatione Catarrhali.

LIcet medij, & ſupremi ventris affectiones aliqua ex parte eorundem imbecillitatem auctorem agnouerint; præcipuè tamen ſympathicè,& per conſenſum à toto venoſo genere, ſed primò à viſceribus naturalibus labem paſſos fuiſſe,in ſuperioribus cõſultationibus aſſeruimus. Quare curatio accommodata propoſita fuit, qua & excrementorum prouentus, non parum imminutus eſt, necnon dictarum partium imbecillitas nonnihil corroborata. Verùm quoniam altiſſimas radices egerunt affectus iam dicti; ideo repetitis machinis opus eſſe credendum,ut funditus extirpentur,declinante potiſſimum ætate: ventriculus enim, & iecur, ut excrementorum fontes, rurſus noſtram opem medicam poſtulant, ut ipſorum intemperies contemperentur, atque roborentur, ac proinde laudabilior nutritio, & minor excrementorum coaceruatio fiat; necnon ut febres quotannis inuadentes præuertantur, & caput ab exhalationibus minus offendi, & pectus aduerſus deſtillationes præmuniri poſſint.

Verùm quoniam excrementorum productionem omnino inhibere impoſſibile eſt; ideo aliquod familiare medicamentum erit præſcribendum, quod Vir Illuſtriſs. ſemel, aut bis menſe utatur, ut excrementorum coaceruatio,& praua eorundem ſoboles omnino præcaueantur.

Intemperierum autem emendationes præcedere debet corporis expurgatio; quæ quoniam ratione proximè præteritæ febris peracta fuit; ideo occaſio non negligenda, antequã noua congeratur excrementorum copia, quæ noua egeat expurgatione. Attamen humores non putrefacti, à præterita febre in corpore ª ſuperſtites, non ſunt poſthabendi, metu alioquin facilis recidiuæ; neue intentionis noſtræ finem fruſtrentur. ª 2. Aph. 12

Quare executiuo ordine procedendo, omnium primò ſyrupo roſ. ſol. Pat. familiari addi poterit infuſum rhab. & ſennæ,cum cinnam in aqua borrag.qui incepta euacuatione bibat ſer.depur.℔ i.ſ.vel ii.& duabus horis ab eo prandeat. A cuius medicamenti uſu quieſcat Pat. duobus, vel tribus diebus. Mox præbeatur aqua Tettuciana, cum vehiculo mel. roſ. & ſyr. roſ.ſolut.quæ tribus continuis diebus exhibenda ad ℔ v.prima vice, ſecunda ad vi. dummodò tamen tota omnino per aluum effluat, nec ulla eius portio ad urinam ducatur;hoc enim ſi contingeret prima vice,reliquis eſſet ſuperſedendum. Ventriculo præmunito, deueniendum ad uſum ſuccorum depur. end. & borrag. ad ℥ iii. in iure cich. ſonco. & maluis alterato, per 30. dies, ut æſtus hypochondriorum, & iecoris contemperari poſſint. Octauo vero, aut decimo die ſuccorum iam propoſitorum, prodeſſe poterit ſanguinis eductio ex hæmorrhoidibus ad ℥ vi. niſi eo loco aliquod prohibens obſtet; tunc enim ſaphena illi ſubſtitui poterit. Quibus peractis, iiſdem intentionibus erit continuò inſiſtendum, ut nimirũ ventriculus roboretur,& iecoris calor commoderetur; ideo à prandio,conſerua roſar.à cęna verò duo, aut tria grana maſtiches integra deuorata in uſum ducantur; atque prima menſa, ius tenue, alteratum endiuia, aut borragine de more hauriatur.

Et quoniam diximus, aliquo familiari medicamento ſemel, aut bis menſe, toto anno aſſumendo, opus eſſe, hoc parati poterit ex ʒ ſ. pil. maſtich. & ℈ ſ. magiſt.mechoac. Vel ex elect. lenit.ʒ ſ.& ℈ ſ.pariter iam dicti magiſt.hoc enim medicamentum impunè, & ſine ulla ventriculi offenſa, aut maſſæ ſanguineæ agitatione aſſumi poterit.

Interim efflореſcentię in capite fouendę potius;quibus ſi quidpiam applicare licebit,hoc erit vnguentum maluinum,aut recens butyrum; neque negligenda aliqua capitis per nares expurgantio, leui errhino ex ſolo pulu.maior.& iridis Florent. mane tantùm adducendo.

Quibus omnibus congrua victus ratio, de qua aliàs dictum,erit addenda, ut Nob. Pat. in dies ad meliorem ſtatum reducatur,& præſeruetur, prout à D.O.M.eidem precamur.

LXI.

FEBRIS QVINQVE ANNORVM, CVM HEpatis Tumore Scirrhoſo.

FEbris Tertiana notha, quæ quinque abhinc annis, & in præſens Nobiliſs. Iuuenem affligit, ſicut ſpecie dependet ab humore bilioſo, ratione ætatis, & temperamenti producto; ita conſeruationem, atque durationem adepta eſt ab humoribus potiſſimum craſſis, ac melancholicis, crudis, atque pituitoſis immiſtis; ad quorum productionem cauſæ, tum procatarcticæ, nimirum animi paſſiones, atque mœrores ob vxorem defunctam, tum internæ, ventriculi ſcilicet imbecillitas, & iecoris iuſto calidior temperies conſpirarunt; ac potiſſimum febrilis calor humores adurens, necnon medicamenta calidiora, in progreſſu uſurpata, eorum exuſtionem magis magiſque adaugentia, & coctionibus minus idoneos reddentia; vnde cautè ualdè, & nonniſi blandè melancholicos tractandos præcepit Gal.[a] Quoniam verò horum humorum putreſcentium minera, in ramis venæ portæ delituit, ab iiſdem craſſis, ac viſcidis coaceruatis obſtructiones in omnibus viſceribus ſuccreuiſſe pro certo habemus, meſenterio potiſſimum, liene, & tandem in iecore, à cuius venis in parenchyma eoſdem humores effuſos credimus, ob inſignem tumorem in eodem, tactu ipſo, & forſan viſu perceptum, qui ſicut neque inflammatorius, neque oedematoſus eſſe poteſt; ita ſcirrhoſus, non tamen ſcirrhus cenſendus. Quare mirum non fuerit, ſi ad diuturnitatem concurrentibus omnibus cauſis,[b] craſſis nimirum, ac viſcidis humoribus, partibus affectis curationis difficillimæ, & erroribus, tum in principio, tum in progreſſu continuatis, febris chronica, & annorum quinque ſuborta fuerit; cuius durationis obſeruauit quoque Thomas à Vega, abſque inſigni corporis macie.

a 1. ad Glauc. xi.

b 3. Progn. Co. 23.

A viſceribus autem non ſolùm intemperie, verùm & malo organico affectis, accidentia ſuperuenientia ortum duxere; ſiquidem à copioſo, & acido melancholico ichore, ſanguini immiſto, faucium, gingiuarum, linguæ, & labiorum inflammationes quædam, & ſcabtities ſcorbuticæ prouenerunt; prout ab iiſdem ichoribus, ad caput, brachia, dorſum, & crura tranſmiſſis, dolores enarrati ſuborti; ſicut à craſſiori humorum portione, ad dextrum femur detruſa idem intumuit. Quæ omnia abſceſſus[c] imperfectos à natura tentatos nobis ſignificantia, indiciũ quoque præbent debilis facultatis, & humorum rebellium, qui neque excretionem, neque abſceſſum admittunt, ſed vel ægrum corrumpunt, uel longiori tempore ægrè concoquuntur, ita diſſerente Gal.[d] Abſceſſum quoq; molita eſt ipſa natura per vrinam, quandoque enim per eandem vniuerſum corpus expurgatur: vnde dicebat Hipp.[e] *Vrinæ ſtrangurioſæ, non nephriticæ, ſed alia pro alijs.* Verùm omnia fruſtra tentata fuerunt; vrinæ namque modò albæ & perſpicuæ, modò craſſæ & variæ, ſed crudæ omnes, febris diuturnitatem prænunciabant; & quidem citra admirationem, cùm viſcera naturalia intemperie, & imbecillitate non ſolùm, verùm & obſtructionibus, atque tumoribus laborent, à quibus quotidie crudi, & excrementitij humores ſuccreſcunt, & cruditas, ac febris diuturna fouentur; niſi forſan accedat quoque ipſius iecoris, aut alterius viſceris aliqua putredo, atque corruptio, vt obſeruauit Fernelius.

c 4. Aph. 51. & In Coac. 2.

d 3. Progn. Co. 24.

e 2. in 1. Ep. 8. & 41

Ab hiſce autẽ affectibus inueteratis conualiturum Iuuenem Nob. vix ſperare licet, quin potius in Cachexiam, indeque in hydropem, aut legitimum ſcorbutum ne incidat, meruendum. Nihilominus deſerendus non eſt, cùm Iuuenis ſit, atqne tot annis, continuam febrem pluribus ſymptomatibus comitatam, vèl abſque inſigni macie perpeſſus ſit, & tandem varii adeò generis validiſſima medicamenta ſat commodè tulerit.

Vt igitur febris huius curationem aggrediamur, cauſæ magis, quàm ipſi febri eſt incumbendum, Præparantibus, Emollientibus, Aperientibus, ſenſibiliter, & inſenſibiliter Euacuantibus, & pro uſu febrilem calorem Contemperatibus.

Et quoniam primas vias iam ſatis expiatas ſupponimus; ideo ſtatim ad viſcerum partem

cauam

cauam expediendam, deuenire poſſumus, ut inde ad gibbam tutò deobſtruendam aditus pateſiat. Quare huiuſmodi liquor exhiberi poterit, die minoris afflictionis ad ℥ ii. in aqua de ſucco agrim. & cich. ſyrupus ſcilicet Fernelianus, inſerius deſcribendus. Die verò grauioris afflictionis præbeatur ſuccus depur. cich. atque borrag. in decoctione cich borrag. intybi, maluarum, agrim. ſcolopendrij, becabungæ, in qua diſſoluantur gr. viij. aut x. tart. vitriol. ſicque in horum uſu menſem ſaltem perſiſtat, ſub finem præbendo infuſum rhab. ſennæ, agarici, cum ſyr. roſ. ſolut. & de polypod. aut decoctionem Epith. Meſ. à quibus bibat ſerum depur. ad ℔ ij. exſiccationi euitandæ.

Hinc ad viſcerum penitiora reſeranda erit deueniendum; in quem finem parabitur decoctum hoc pacto. ℞. ſalſæ parillæ opt. inciſæ, chinæ optimæ pariter inciſæ, tamariſci an. ℥ i. medii corticis radic. ſalicis, altheæ, cortic. radic. cappar. an. ℥ ſ. aquæ ſtillat. cich. borrag. agrim. fumariæ an. ℔ i. m. f. inf. per horas xxiv. deinde adde fol. vel radic. plantag. aquaticę, becabungæ an. pug. i. dimidiam columbam Turricolam, & bull. ad conſumpt. dimidij; colatura verò ſeru. tribus vicibus exhibenda, eidem additis, qualibet doſi, ſpiritus tartari ter rectificati gutt. xii. aut xv. atque eidem præmiſſo bolo, ex ammoniaco pingui, & ſale abſinthij parato; cui addi quoque poterit ſalis martis gr. i. in cuius vſu perſiſtet 40. diebus; verùm quarto, aut quinto quoque die præbeatur aliquod leue purgans, pilula ſcil. de tribus cum rhab. cum flore caſſiæ; quinimò & extractum ſennæ, aut polypod. iam dictis addatur.

Dum autem hæc fiunt, externa quoque emollientia, & diſcutientia adminiſtranda veniunt, œſypus nimirum humidus, ſiue vnguentum de œſypo, reformandum quineriam cum cerato oxelæo; quod præſtantius erit, ſi œſypus, oxelæum, & ammoniacum aceto diſſolutum ſimul miſceantur, & cum modico ſucco abſinthii ceratum reformetur, Iecori continuò applicandum. Valet quoque diachylon magnum ireatum, cui ammoniacum pariter additum fuerit, cum modico ſucco Nicotianæ. Quod ſi durities tumoris perduret, fomentum aliquod emolliens ſemel, vel bis per diem ſpongia magna adhibendum, ex decoct. malu. meliloti, radic. altheæ, liquiritiæ, lil. alb. cucum. ſilueſt. ſemin. lini, & fœnugræci, parandum. Tandem ſi res ex voto ceſſerit, lactis aſinini, & Balnei aquæ dulcis conuenientiſſimus foret vſus.

Quibus omnibus congrua victus ratio erit addenda, ab Excell. Adſtanti præſcribenda, regioni, & conſuetudini aliquid condonando, & potionem conſuetam tamariſco, & ſalſa medicatam præbendo, dum interim cæterorum omnium, imò prædictorum rectam adminiſtrationem Viri Excell. ſummæ prudentiæ committimus.

DESCRIPTIO SYRVPI FERNELIANI.

℞. quatuor radic. aperient. an. ℥ ii. quatuor flor. cord. an. p. i. folior. agrim. capil. ven. cuſcutæ, ſcolopendrii an. m. ſ. ſemin. carthami ℥ i. quatuor ſem. frigid. an. ℥ ſ. fol. ſennæ orient. rec. mund. epith. radic. polypod. an. ℥ ii. radic. veratri nigri ℥ ſ. agarici crudi ℥ ii, cinnam. integri ℥ ſ. aquæ cich. agrimoniæ, an. ℔ i. ſ. m. f. maceratio per horas 24. deinde fiat fortis expreſſio; cui adde ſacchari fini q. ſ. vt fiat liquor, ad iulapii conſiſtentiam, ſeruandus in vaſe, in quo infunde Rhab. opt. inciſi linteo incluſi ℥ i. ſpicæ ℈ i. & ita ſeru. ad uſum.

LXII.

FEBRIS ALBA IN VIRGINE.

VIrgo Nobiliſs. ætate iam nubili, ſubmelancholica cenſenda ex totius colore fuſco, hepatiſq; intemperie iuſto calidiori, ſedentariæ vitæ, ſexui propriæ addicta, proximè præteritis annis, ſuccos craſſos in venis congeſſit, qui ad uterum expurgationis cauſa quolibet menſe tranſmiſſi, tandem ob eorundem craſſitiem, & viſciditatem in eiuſdem venis occluſi & fixi, obſtructiones, & infarctus induxerunt; unde conſueta menſtrua purgatio ſuppreſſa fuit. Quoniam verò, a *Si menſtrua non fiant, ex utero morbi contingunt*; ideo duobus menſibus ab eadem ſuppreſſione, ſucci in venoſo genere hærentes, prædominio bilioſi, & ſubdominio melancholici, atque pituitoſi, putredine concepta, febrem duplicem tertianam continuam excitarunt; cui mirum non eſt, capitis dolores, & ventriculi angores acceſſiſſe, tum ob exhalationes ad caput, & os ventriculi à putrida minera eleuatas; tum propter uteri conſenſum cum omnibus corporis partibus.

a 5. Aph. 38.

Congruis autem medicis auxiliis ſanata febris, iudicataq; Pat. fuit. Verùm quoniam, cauſa antecedens, eodem tempore auferri non potuit, menſtruorum nempe ſuppreſſio; & præterea quia obſtructiones, licet nondum putreſcentes, circa viſcera adhuc ſuperſtites ſupponimus, ex aliquo potu copioſiori in febre prægreſſa æſtiua contractas; ideo paucis poſt diebus nouis coaceruatis cruditatibus ab imbecilliori conualeſcenti ventriculo, relapſa eſt Nob. Pat. in febrem, non quidem ut antea acutam; ſed febriculam potius, utpote a cruditatibus partes non adeò nobiles obſidentibus productam.

Hac verò neglecta, vnà cum accommodata victus ratione, cruditates & excrementa varia, indeq; obſtructiones non leue incrementum ſuſceperunt; unde hepar, & lienem obduruiſſe tunc primùm, atque meſenterium, & uniuerſam abdominis regionem intumuiſſe credendum; tuncque nutritionem labefactari paulatim cœpiſſe, accedentibus mœrore, cibi faſtidio, capitis, lumborumque dolore, cordis anguſtia, atque tremore, difficili reſpiratione, totius laſſitudine; ac tandem faciei, & labiorum pallido colore, cum febricula erronea, nullo ordine inuadente, & pulſu paruo, ac frequenti; quæ omnia Symptomata Virginei morbi, ſiue febris albæ, ſuperiorum viſcerum naturalium obſtructiones utero perpetuò fouente; b *Cùm enim oſculum exitus menſtruis purgationibus non fuerit apertum, & ſanguis continuò influxerit, tunc ſanguis non habens effluxum, præ multitudine reſilit in cor, & ad ſeptum, quæ partes repletæ infrigidantur; & ideo fatuitatem, & torpedinem ſequi*, ſcripſit Hipp. c *Ad hæc horror cum febre ingruit, erronea dicta; formidant Patientes, uſque læditur reſpiratio, timent, mœrent; & tandem in vitæ deſperationem incurrunt*. A quo ſtatu, ab Hipp. deſcripto, parum, aut nihil abeſſe Nobiliſs. hanc Virginem, utique cenſemus.

b de Virg. Morb. 1.

c ibid.

Quo ideo liberari difficillimum putamus; eſt enim ex illis morbis, quorum curationem à Diis auſpicandam eſſe dixit d Hipp. eiuſdem difficultatem his verbis ſignificans; quæ & augetur à prægreſſa plurium menſium menſtruorum ſuppreſſione. Nihilominus, quoniam tumores nōdum in viſceribus genitos ſupponimus, & anni tempus purgationibus idoneum accedit, ſuppoſita Pat. obtemperantia, & in medicamentorum uſu perſeuerantia, hucuſque minimè ſeruata (unde non mirum, ſi leue, aut nullum ab arte medica iuuamentum ſit ſecutum) curatione à nobis proponenda, ab imminenti cachexia, & hydrope Nob. Virg. præſeruandam, & ad multò meliorem ſtatum redigendam ſperamus.

d de Natura mul. 1.

In quam rem recto ordine primæ viæ erunt excrementis emundandæ; inde paulatim, per partem poſt partem meſenterii, hepatis, & lienis obſtructiones aperiendæ; mox totum venoſum genus à cacochymia vindicandum; & tandem ad uteri uenas reſerandas erit deueniendum; corroboratis denique uiſceribus.

Quibus intentionibus ut ſatisfaciamus, à fonte Chirurgico repetita ſanguinis miſſio eſt depromenda ex brachio, poſt primarum uiarum expiationem; uerùm ea cautione, ut Me-

dico

dico præſente, ſi tenuis, & valdè ſeroſus effluxerit, ſupprimatur. Secundò ex ſaphena, ſed parcè, ratione tantùm motus, & ſolùm ſub finem, poſt adhibita hyſterica aperientia. Cauterium omnino conueniet coxę muſtum; ſicuti pedum lotiones in fine tantùm curationis; & quotidianæ inunctiones uteri regionis, oleo ſimplici lil. alborum.

A fonte Pharmaceutico præcipua deſumenda remedia, quoniam iam ᵉ ſanguis ſuppreſſus in cacochymiam deſciuit. Sic primò conueniet potio ex manna clariſ. cum infuſ. ſen. & tart. Primum præparans erit iulap. acet. ad ℥ ii. vel iii. roſid. additis drachmis crem. tart. & ℥ ſ. aq. cinnam. Quinque verò poſt diebus, repetatur eadem potio, ut ſupra; inſtituta mox noua præparatione. Et quoniam in uterinis affectionibus, & hypochondriacis affectibus, non multùm conferunt ſacch. aut mellita; ideo ſucci potius herbarum depur. decoct. erunt inſtituendi; ut ℞. ſucci depur. borrag. agrim. an. ℥ i. tart. vitr. gr. x. decoct. cich. borrag. bugloſ. bet. meliſs. petroſel. ℥ iv. m. pro ſyr. & ſic pro alijs. Septem vero exactis diebus, præbeatur infuſum ex agar. rhab. & ſenna; additis ſyr. roſ. ſol. & de polyp. à quo ius hordeac. ebibat. *(margin: e 1. de Morb. Mul. 10.)*

Inde ad efficaciora deobſtruentia erit progrediendum, in quem finem efficaciſſimus erit Syr. Fernel. quem cachecticum appellant, addito rhabarbaro; cuius mittimus deſcriptionem nobis familiarem. Præbeatur autem alternis diebus ad ℥ ii. in iure cich. vel end. alterato, & abſente febre, etiam in ſemicyatho uini albi tenuis, non dulcis, more Ferneliano; diebus autem intermedijs exhibeatur bol. ex ℈ i. extract. rhab. & ℈ ſ. tart. vitriol. paratus; à quo bibat decoct. cich. end. agrim. meliſsæ petroſel. & fęnic. ℥ v. vel cyathum aq. ſtil. agrim. ſicque pergat per menſem; etenim nec leuibus remedijs, nec breui tempore affectum hunc expugnari poſſe, pro certo habendum.

Tunc temporis verò de Chalybeatis medicamentis cogitandum fuerit, ut duriores, & contumaciores obſtructiones attenuari, & atteri poſſint. Chalybs autem ita præbeatur, ut peracta operatione, extra corpus educatur ſimul cum excrementitijs humoribus obſtructiones inducentibus; cuius cauſa medicamento aliquo purgante, vehiculi loco illi immixto opus fuerit. Præ omnibus autem Chalybis præparationibus à me expertis, præſtantiorem obſeruaui, quam Crocum Martis aperitiuum appellant, cum acido ſulphuris paratum; cuius grana duo, aut ad ſummum tria, mirabiles certè effectus ſemper præſtare conſueuerunt. Quare præberi poterit bolus ita paratus. ℞. pil. de tribus cum rhab. ʒ ſ. croci mart. aperit. gr. ii. m. f. bol. quem ſequatur potus decocti ſalſæ, & tamariscis, idque pluribus diebus, prout Exc. Viro Adſtanti opportunum, ac neceſſarium viſum fuerit.

Tandem ad uteri venas aperiendas erit perueniendum; in quam rem xv. aut xx. diebus præbeatur aqua deſtill. ex capil. Ven. & artemiſia, addito vel cochleari aq. ſabinæ ſtill. vel gutt. ol. ſabinæ; vel gr. x. ſal. arthemiſiæ, præmiſſo quitetiam bol. ex troch. de myrrha, cum tereb. reformato; quo tempore, præſtò ſint fila cannabina in lixiuio cocta, & imo ventri, matricis nimirum regioni calida admota; efficaciſſimum enim hoc ad menſtrua prouocanda remedium; quo ablato, inunctio ex ol. lil. alb. cum aromatibus vſurpanda.

Interim ventriculo, ac iecori roborationem conciliabit ſal abſinthii ad ℈ ſ. hora ante prandium, & cęnam exhibitus.

His omnibus tandem congrua, & accurata viuendi ratio addatur. Vinum ad menſam ſalſa, tamariſco, & pauxillo ſaſſafras medicatum paretur; & familiare medicamentum purgans præſcribatur, magiſt. ſcil. mechoac. ad gr. xii. vel xv. cum ʒ ſ. pil. aggreg. uel ʒ ii. elect. lenit. iterum, aut tertiò quolibet menſe aſſumendum.

Quę omnia à Prudentiſs. atque Excell. Viro Adſtanti adminiſtrata, ope Diuina, profutura ſperamus; ut tandem Hipp. conſilio, ᶠ Viro iungi poſſit Nobiliſs. Virgo. *(margin: f de Virg. Morb. 3.)*

HECTI-

LXIII.

HECTICA SECVNDI GRADVS, & femoris Luxatio.

ILluſtriſsimus, & Excellentiſſimus Matchio, ætatis annorum 16. temperamenti totius, & iecoris ad calidum vergentis, capitis calidioris, & humidioris, mediocris habitus, cùm teneris annis copioſiori cibo uſus, in febriculam chronicam incidiſſet, non curatus macie ferè confectus eſt, nec amplius pristinum habitum recipere potuit, & potiſſimum quia calidioribus poſtea medicamentis uſurpatis, ſemper in deterius lapſus eſt, adeo vt penè animam efflaret; quod etiam contigiſſet, niſi medico ſcopo ab altero Medico mutato, eductoque ſanguine bis ex ſaluatella, præceps ille ad interitum lapſus repreſſus fuiſſet, quanquam ex decoctorum, atque ſudorum uſu extenuatus fuerit, inferioribus membris tibiis nimirum, & coxis adeò contractis, ut quinque menſium ſpatio nates ferè attigerint, cum iſchii dexteri læſione; quo tempore ſemper febticula perſiſtit ad ſex, atq; ſeptem menſes, hectica iudicata. Tunc verò hæmotrhagia copioſa 24. horas perdurans, nec vlli remedio, præterquam miſſioni ſanguinis cedens acceſſit, quæ Nob. Pat. ad tantam virium imbecillitatem, & ſpirituum defectum perduxit, ut aliquo temporis ſpatio viſio ipſi ſemper tenebris offuſa apparuerit; quæ hæmorrhagia frequenter, licet non adeò copioſa iterum inuaſit. Tandem viribus vtcunque inſtauratis Patauium accedens, hectica ſecundi gradus correptus eſt, cruribus nonnihil contractis, cum integra luxatione femoris ad exteriora, & ſpinæ tum ad interiora, tum ad exteriora ſemiluxatione. Et quidem Patauii accommodatis medicis auxiliis, intrinſecus ſubſtantificè humectantibus, aliiſque alterantibus; extrinſecus verò humectantibus, atque emollientibus, moxque ferreis inſtrumentis comprimentibus adhibitis, receſſit febris, & motus progreſſiuus reſtitutus eſt; qui ſicut antea nonniſi ad anteriora inclinato corpore fieri poterat; ita paulatim erectior factus eſt, parum tandem eminente vertebra poſtrema lumbari ſuperiori, nec multùm pariter ad interiora incuruata inferiori, prope os ſacrum. Verùm quoniam catarrhalis à capite deſtillatio hos affectus fouit; quinimò & in cauitate ſterni dolorem moleſtum excitauit; ideo congrua præmiſſa totius, & capitis expurgatione, ad eiuſdem humidam intemperiem contemperandam, parteſque laxatas firmandas decoctum moderatè exſiccans, cum quotidiano ſudore ad dies 30. exhibitum fuit, & anno poſteriori ad 40. repetitum, à quibus melius habuit Pat. Nob: quo tamen ſtatu non ſatis felix, meliorem, ſi fieri poſſit, vel ſaltem eundem firmum, & tutum ab ope medica exoptat.

Sicut verò non a impleri cibis ad valetudinē tuendam confert iuxta aureum Hippocratis dogma; ita cruditates ſexcentorum malorum cauſam eſſe poſſe ſæpius à Gal. b iam repetitum fuit; ab his ſiquidem, Pueriliætate Marchionis Excellentiſſimi, in prima corporis regione circa viſcera naturalia corruptis, febris, licet non inſignis vehementiæ, ſed lenta potius excitata fuit, qua neglecta, cruditates ob febrilem calorem quotidie ſemper ſuccreuerunt, & totam maſſam ſanguineam coinquinarunt, cum imminenti Nob. Pueri exitio, niſi natura medicatrix leuiori malo eaſdem ad varias, & ignobiliores corporis partes detruſiſſet; quæ tamen cruditates coaceruatæ in venoſo genere, per decubitum à facultate expultrice primò ad ſpinæ uertebras, iis ſuſcipiendis in pueris idoneas, ut notauit Hipp. c depulſæ fuerunt, à quibus earundem ſemiluxatio, indeque infernarum partium motu impeditus. Et quoniam in acetabulum quoque femoris inſinuatæ fuerunt, eodem repleto & ligamento humeſacto, atque laxato, caput femoris omnino ad exteriora detruſum eſt; non exiguam ad id opem ferente catarrhali à capite humidiori, per ſpinæ d parietes, ad affectas partes deſtillatione. Verùm quoniam diuturna febris catarrhalis ab initio neglecta, mox perperam impenſius calefacientibus curata, in hecticam migrauit, conſumptis roridis, & partim etiam carnoſis humiditatibus; hinc macies inualuit, atque exſiccatio, ob quam muſculi adeò contracti ſunt, ut pedes nates attingant. Laxari verò cœperunt, febriſ-

a 4. in 6. Epid. 22.
b De Succ. bon. & vit. 14. & 3. de Sympom. Cauſ. 1.
c 3. Aph. 26.
d De Loc. in Hom. 18

briſque remitti, poſtquam Medicorum alter calefacientem, & exſiccantem medendi rationem in humectantem permutauit, qua ad meliorem ſtatum redactus Patiens Nob. Patauium ſe conferre potuit, ubi vegeta natura, & calore inualeſcente, idoneis medicis auxilijs leuatus eſt: primò namque ſubſtantificè humectantia interna abundè exhibita fuere, ſimulque extrinſecus emollientia, & humectantia; mox renutrito corpore puluis viperinus ad natiui caloris inſtaurationem, & excrementorum humidorum exſiccationem 40. diebus exhibitus; ac tandem ad capitis humidam intemperiem remittendam, fluxioneſque catarrhales arcendas decoctum ex ſalſa, viſco quercino, & lentiſco, cum ſudore præſcriptum fuit; atque Vere ſequenti repetitum, præmiſſis accommodatis totius, & capitis expurgationibus, & reiterata ſanguinis miſſione; prout ad materiæ catarrhalis diuerſionem, & deriuationem cauterium brachio inuſtum fuit. Luta quoque prius emollientia, mox & roborantia partibus affectis admota; & tandem congrua viuendi ratione præſcripta dimiſſus fuit, luxatione quidem femoris ad exteriora, vtpote irreparabili perdurante; ſpina tamen, quæ ſemiluxata antea fuerat, modò contracta, ſiue curuata tantùm apparente, idque ferè cogente neceſſitate, cùm totius corporis pondus poſt luxationem ab acetabulo Iſchii ſuſtineri non poſſit; vnde concidit, & inclinatur corpus eiuſdem lateris. Amplectuntur autem, & ſuſtinent femoris caput tendines plurium muſculorum, & potiſſimum glutęorum, & rotatorum in trochanteres inſertorum, quo motu neceſſariò vertebræ lumbales ad interiora flectuntur, atque curantur; hinc muſculus quadratus adhærens margini oſſis Ilii, necnon proceſſibus obliquis vertebrarum lumbalium, præterea ad ultimam coſtam, atque vertebram dorſalem perueniens, hanc cum proximis ſuperioribus ad exteriora curuari, ac eminere cogit, unde lumbales ad interiora nonnihil verti neceſſe eſt.

Ex quibus patere poteſt impoſſibilis medullæ ſpinalis integra erectio, non repoſito prius capite femoris in ſuo naturali acetabulo iſchii; quam propterea repoſitionem, ſicut difficillimam tentandam non eſſe exiſtimamus; ita ſtabilitatem, & firmationem eiuſdem penitus impoſſibilem fore putamus. Idcirco in poſterum à generoſis remediis abſtinendum neceſſariò ducimus, vſquedum natura corroborata, ſuum quoque munus obire poſſit. Illud tamen profuturum credimus, ſi ſemel anno ſimplicem inſtituat purgationem, ad humores antecedentes è corpore educendos, non omiſſa hæmorrhoidali euacuatione, tum ad ſanguinem contemperandum, tum ad eundem à capite reuellendum, & hæmorrhagiam inhibendam; congrua viuendi ratione, ſaltem in duos proximè ſequentes annos, non neglecta accuratiſſimè ſcriptis eidem Excellentiſſimo Adoleſcenti præſcripta.

LXIV.

PRO EODEM.

Conſultatio Altera.

DIcet de præteritis non ſit conſilium, & Excell. Adoleſceus de ſtatu præſenti ſalubriori nos omnes conſulat; nihilominus præterita ſunt à nobis conſideranda, qualia fuerint; præſentia verò (ſi ita ferat occaſio) curanda, qualia ſunt. Præterita itaque fuerunt quidem inſignis totius corporis macies, multorum muſculorum contractiones, tum ob perennem febriculam, tandem habitualem redditam; tum ob calefacientium, & exſiccantium medicamentorum vſum, præterea non leuis à capite per ſpinæ vertebras deſtillatio. Licet verò ab exſiccatione plurium quidem muſculorum contractio ſuborta fuerit, hæc tamen nunquam à nobis conuulſio ex neruorum repletione, ſiue exinanitione fuit obſeruata, aut exiſtimata; ſiquidem conuulſionis conditiones, dolor ſcilicet non adfuit, nec humectantium uſu remiſſa fuiſſet à repletione proueniens; ſicut vix ullum auxilium, ſi ab inanitione, aut [a] exſiccatione, utpote ferè inſanabilis admiſiſſet. Diſcernenda itaque, neque confundenda muſculorum contractio, atque exſiccatio, cum neruorum conuulſione à repletione, aut inanitione facta. Catarrhalis autem à capite per uertebras deſtillatio earum ligamenta perfundens, humectans, atque relaxans ad ſpinæ ſemiluxatio-

[a] de Trem Rig. Palp. 8. & 12 Meth. vi.

xationem, ſiue contorſionem apta, & opportuna reddidit; quæ in acetabulum Iſchii decumbens, ibidemque hærens, & rotundum ligamentum emolliens, atque laxans, luxationem femoris induxit, & adeò ſenſibilem, atque manifeſtam, ut dubitationem non admittat: etenim rotundo ligamento humefacto, atque laxato, caput femoris ab Iſchii cauo ad exteriora recedere cœpit, cedentibus quoque muſculis circumrotatoribus & gluteis; facta verò luxatione, muſculus pſoas oſſi femoris firmiter hærens, motum eiuſdem ſequi coactus fuit; qui quoniam parti Ilij internæ incumbens, & proprium tendinem tendini iliaci interni iungens ſurſum vergit, & firmiter vertebris lumbalibus adhæret, exinde contigit, ut os femoris, à propria ſede dimotum muſculum pſoas deorſum neceſſariò traxerit, atque hic dorſalibus uertebris toto ductu firmiter intrinſecus adhærens, eaſdem quoque introrſum conuerti, & contorqueri coegerit; quæ contorſio eò facilior, quia in illa parte ſpina naturaliter nonnihil inflectitur. Hæc autem vertebrarum lumbalium contorſio, ſi, ut falſò ſuppoſitum fuit, femoris luxationem præceſſiſſet, muſculum pſoas ſurſum attrahendo, tantùm abeſt, vt caput eiuſdem femoris loco ſuo dimoueri coegiſſet, quin potius arctius idem in acetabulo iſchij firmaſſet; cùm cæteræ dorſales uertebræ, utpote nihil ferè cum femore conſentientes, luxatæ eiuſdem luxationem inducere nulla ratione poſſint. Quæ paucis addidimus, ad ſtatus Excell. Adoleſcentis veram, atque uberiorem intelligentiam.

Quod autem vertebræ dorſales labefactatæ ſint, adeò vt torpidus brachiorum motus fuerit redditus, coſtæ figura antrorſum ſit elongata, & intrinſecus ſpinalis medulla illa parte fuerit inuerſa; hæc nobis equidem noua ſunt, quæ ab his magnis Viris fortè obſeruata eſſe crederem, niſi & ipſi aſſeruiſſent, nihil in pectore extuberare, quod gibboſitatem prodat. Tandem in præſentiarum addunt Tabem [b] dorſalem ſecutam, non ſine infœcunditatis, atque ſpirituum animalium intercepti influxus metu; quorum omnium cauſam modò in ſpinæ contorſionem, modò in obſtructionem à ſanguine, & praua catarrhali deſtillatione retulerunt; cùm tamen nihil horum in Adoleſcente Excell. vel accurata indagine, atque ſummo ſtudio adhibitis à nobis ullo modo obſeruari potuerit; ſiquidem ad interceptionem ſpirituum ſolus hiatus, aut vertebrarum contorſio, ſiue ad ſummum, ſemiluxatio ſufficiens non foret; prout catarrhalis materia, ſi adeò copioſa eſſet, dorſi quoque luxationem, & ipſa produceret, præterquam quod effectus, nimirum ſuppoſita à Viris iſtis Excellentiſs. interceptio, aut impedimentum, torpidum, & ualdè imminutum redderet inferiorum partium motum; non autem deprauatum tantùm, ut in claudicatione, & femoris luxatione contingit. Minus verò tabem dorſalem præſentem admittere poſſumus; cùm deſint eiuſdem propria ſigna ab Hpp. loc. cit. 2. de Morbis tradita; quæ omnino adeſſent, licet à cauſis à Doctiſs. Salio adductis penderet; neque in morboſam genituram referenda eſſet ſeminis aliqua inuoluntaria effluxio, ſed potius in eiuſdem redundantiam, vt plurimis à Venere abſtinentibus euenire ſolet. Quare, ſicut nunc abeſt tabes dorſalis, quæ & elapſo quinetiam tempore, quo copioſior multò à capite deſtillatio, ſpineque uertebræ humidiores, atque laxiores fuerunt, abfuit, minus in poſterum metuenda eſt, ſicut pariter & fœcunditatem vegetam futuram iuremeritò concludendum.

Quod autem curationem admittere potuit in hoc Nob. Adoleſcente, cautè hoc aggreſſi fuimus; namque & femur humectatum, atque laxatum exſiccauimus, & roborauimus, totamque ſpinam à decurrentibus humiditatibus irrigatam, & eius inferna potiſſimum ligamenta ab iiſdem uindicauimus; neque partis item mandantis, capitis ſcilicet humidam intemperiem contemperare deſtitimus, & quidē ex uoto ſatis tunc temporis, luculento leuamine Nob. Adoleſcentis ſecuto. Quod autem omnino inſanabile exiſtimauimus, femoris nimirum repoſitionem, ſatius duximus intentatum ſolo prognoſtico relinquere; ita enim prudentem Medicum decet, ne ars infametur, neue Patientis vires fruſtrà attentantur; vt verò naturæ quoque veræ medicatrici agendi tempus aliquod concederemus, Medicis auxiliis ſuperſedere è re duximus; [c] ratione, & Galen. atque Aetij auctoritate, in diuturnis affectibus innixi.

Nulli itaque curationi iu præſentiarum ſubſcribimus, minuſq; non indicatæ à ſtatu Nob. Adoleſcentis; ſiquidem licet alio tempore repeti poſſent pilulæ capitales, iterum atque iterum expurgato corpore, aliàs exhibitæ; ſicut & decocta propoſita, ſed cum ſudore in hypocauſto, ne fuſi, atque liquati humores magis caput opplerent; ita ſudor in toneis ſulphureis, caput magis replentibus, atque grauantibus ſollicitatus, necnon dorſi inuſtiones, non niſi manifeſtè redundantibus humiditatibus accommadatæ, à nobis omnino libenter omittun-

[b] 2. de Morb. 49.

[c] Tetr. 2. Sermon. 2. Cap 8.

omittuntur; primò quoniam tabem dorſalem curandam non habemus; ſecundò quia iam
dicta remedia eandem potius inducere, quàm ſanare poſſent, ut patet ex curatione ab
Hipp.[d] lactis uſum præcipiente, loco à Viris Exc. citato. Balnea verò propoſita, quæ pri- d 2. de Morb. 49.
mum locũ abtinent, inſtaurandis partibus reſolutis, ac paralyticis, prour in debellandis con-
uulſionibus, ſi Excell. Patiens noſter his affectibus laboraret, accommodatiſſima forent.
Quæ in gratiam Excell. ac Nob. Patientis, conſueta noſtra integritate, veritati conſenta-
nea, cæteris aliis à nobis adductis addere operę pretium duximus.

LXV.

HECTICA INCIPIENS.

COmes Illuſtriſs. initio Menſis Iunij, poſt curas, & ſolicitudines, ani-
mi, & corporis motus vehementes, tandem correptus fuit febre
duplici tertiana continua eſſentiali, à qua vndecima die liber euaſit,
poſt ſanguinis effuſionem è naribus ſpontaneam, ipſi conſuetam,
& aliam ex ſaluatella arte ſolicitatam. Victum humidum, nec
adeò tenuem illi præſcripſimus, & potũ indulgentius conceſſimus,
habita corporis habitus ratione; qua tamen non ſufficiente cautio-
ne, nunquam pulſus ad totalem integritatem deuenerũt, ſed perpe-
tuò celeriores, & potiùs parui obſeruati ſunt, cum calore preſſius
tangenti acriori, præſertim circa arteriam, nullo tamen vnquam febirs ſenſu, nulla de calo-
re, niſi exiguo modò poſt cibum querela; quibus omnibus ſuperuenit tuſſicula, ſæpè ina-
nis, aliquando verò cum excretione, ut plurimùm tenuis materiæ. Macies totius inci-
piens manifeſta eſt. Cætera, quæ ad pleniorem notitiam deſiderantur, ab aſpectu, & rela-
tis ab Ill. Pat. conſequemur.

Interim ex iam dictis fixam febrem ſtatuere cogimur, in Illuſtriſs. Patiente ſcheticæ con-
trariam, quæ facilè induci potuit in corpore omnino diſpoſito, propter calidum, & ſic-
cum [a] temperamentum, habitus gracilitatem, corporis vitioſam conformationem, anni a 1 de Diff. Feb 9.
tempus calidum, febrem [b] prægreſſam, curas, [c] ſolicitudines, corporis, animique labores; b 1 de Diff. Febr. 8.
quæ omnia humiditatem ſubſtantificam abſumere, calorem excitare, & tandem in ſolidis c 1 de Diff. Feb 9.
partibus eundem accendere potuerunt. Hinc febricula [d] ſine ulla alteratione; quia calor
non fiens, ſed factus eſt, nec ſe febricitare percipit æger, cùm ſine alteratione non fiat ſen- d 1. de Diff. Feb 7.
ſus. Quibus pathognomonicis ſignis, tertium quoque Gal. [e] indubitatum accedit, dum à e 1. de Diff. Feb. 9.
cibo nonnihil incaleſcit; quod contingit, donec ex cibo digeſto humiditas cordi, & mem-
bris apponitur, & rurſus conſumpta in priſtinum ſtatum reſtituitur. Hæc autem, me iudice,
in primo adhuc gradu eſt, aut vix in principio ſecundi, vix enim carnoſam, & adipoſam ſub-
ſtantiam conſumi obſeruare poſſumus, necdum conſpicitur ſqualida diſpoſitio, neq; pulſus
eſt durus, debilis, nec ita frequens. Accedit ad hæc deſtillatio à capite calido, & humido,
in pectus, ſuſcipiendo natura maximè [f] idoneum. Et licet naturales huiuſmodi procliuitates f 1. in 1. Epid. 18
ſint magnifaciẽdæ, cùm vix, aut nunquam tolli queant, potiſſimum verò ante [g] 35. annum; g 5. Aph 9.
mala tamen, earundem ſoboles, tum præcaueri, tum ſanari poſſunt, cùm vix hectica ſecun-
dum gradum attigerit, cuius magnam eſſe latitudinem ſcimus. Non tamen negligenda in-
terim deſtillatio; cùm Patientem ad hæmoptyſin, & tabem tandem perducere poſſir.

Quare à morbo, & viribus ſumptis indicationibus, in unum coincidentibus, quæ ſunt,
inſtauratio humidi radicalis, roridæque, & carnoſæ ſubſtantiæ, humectantibus ſubſtanti-
ficè procedendum. Calida quoque intemperies refrigerationem exigit, ſed moderatam, ne
calor natiuus extinguatur. Quare humectantia tutiora; quæ tamen non calefaciant, nec re-
frigerantia, exſiccent. Deſtillatio quoque nunc intercipienda, & diuertenda venit, atque
opportuniori tempore, exſiccanda; non adeò quippe grauis eſt, ut fixæ febris curam impe-
dire poſſit.

A ſanguinis interim miſſione, & purgatione prorſus abſtinendum; nunc enim opus eſt
inſtauratione, quæ medicamentis, & diæta humectante comparabitur; quinimò hæmor-
rhagia, licet conſueta, diuertenda fortioribus ligaturis, & potiſſimum lotionibus inferna-

rum partium, encurbitula circa Hepatis regionem, & ea perdurante interceptionibus circa collum. Cauterium verò brachio inurendum.

Vbi itaque domum peruenerit, ſtatim aſſumat Caſſ. ad ℥ i. cum pulu. liquir. & ſem. citri. Poſtea ſeptem dies, matutinis horis, ſumat ius alteratum viol. malu. borrag. liquirit. nymph. endiu. acet. ſem. melon. cum fruſtulo citri; mox rurſus aſſumat Caſſ. minori etiam quantitate. Interim clyſter aliquis iniiciatur, ex lacte, butyro, & ſaccharo, uel cum decoctione refrig. & humect. addito oleo viol. & quidem, ut tanquam ad ſacram anchoram, deuenire

h 10. Meth. 12. i Ibdem. k 10. Meth. 5. & 6. poſſimus intrinſecus ad vſum [h] lactis Aſinæ, domi aptè nutritæ 30. aut 40. diebus; & extrinſecus ad vſum balnei [i] aquæ dulcis, initio quidem tepidi, ſub finem verò frigidi; meliora namque præſidia, ars Medica, pro ſtatu Illuſtriſſ. Pat. nobis ſuggerere non poteſt; quæ nec prohibentur ab obſtructionibus, neque à catarrho; quinimò non parum deſtillationi, quæ tenuis eſt, & pauca, profutura ſunt. Potum frigidæ, quo gloriatur Gal. [k] ſe plurimos præſeruaſſe à Maraſmo, non ita tutum exiſtimo; quia Pat. Ill. non eſt ſatis carnoſus; &

l De Marc. 7. quia non humectat ſubſtantificè, tum quoniam [l] primis diebus tantùm conuenit. Mihi verò liceat addere lacti ſaccharum, & herbas humectantes balneo; habita ſtomachi ratione, apponendo ceratum ſtomachale non nimis calefaciens, & exſiccans, dum in Balneo moratur. De modo, & aliis conditionibus obſeruandis, non poſſum quicquam ſcribere, abſque Excell. Adſtantis iniuria. Vtatur conſ. roſar. ſub ingreſſum lecti, & diacodium, vel diatragacant. cum bolo, ſi opus fuerit, dormiens ore detineat. Iulapia autem, vt dulcia, ſunt vtcunque ſuſpecta; quæ tamen ſi placeant, dentur iulap. roſ. ſyr. de ibiſco, de iuiubis, de papau. & huiuſmodi alia.

Victus ratio ſit refrigerans, humectans, facilis coctionis, boni ſucci, & pauci excrementi. Cœna ſit parcior, nec vinum interdicatur, aquoſum tamen ſit, album, & ſubdulce, ſi haberi poſſit, vel ſaltem non auſterum. Deus Optimus Maximus hæc omnia proſpera reddat, iuxta omnium vota.

LXVI.

CHYLOSIS, SIVE DE MODO CHYLIFICANDI Reſponſum.

MOdus, quo peragitur in Ventriculo Chylificatio, quem à me ſciſcitari, Vir Præſtantiſſime, ſummis Viris ſemper æquè notus, ac ignotus fuit, & ſemper latuit; quem nec ego, omnium infimus, vnquam vidi. Dicam tamen quod ſentio, vt tibi morem geram, licet actum agam, quod pro humanitate tua ſingulari, licet tibi notiſſimum, benignè excipies.

Ventriculus itaque concoctionis, ſeu chylificationis inſtrumentum trahit in ſe conueniens nutrimentum, expellit alienum, attractum retinet, retentum alterat, [a] vt de Symp. Differ. docet Gal. Hæc autem

a de Symp. Diff. 4 b 3 de Nat. Fac. 4. & 3. de Symp. Cau. 1. alteratio eſt concoctio, quæ nil aliud eſt, quàm tranſmutatio alimenti in naturam aliti, facta à calore natiuo in omnibus corporis partibus, quæ cauæ ſunt, donec deperditū inſtauretur. Sic Gal. [b] de Nat. Fac. & alibi paſſim. Quæ definitio ex plurib. locis Hipp. colligitur, qui præſertim primo de Alim. hæc habet, *Auget, & corroborat, & incarnat, & aſſimilat, & diſſimilia facit, quæ in ſingulis ſunt, iuxta vniuſcuiuſque naturam, & facultatem; id verò, quod prius ineſt, ſuperat.* Quare coctio ſemper erit tranſmutatio ad perfectius eſſe.

Circa dicta autem occurrit dubitatio, utrum ſcil. hæc mutatio fiat ſecundum qualitates, an ſecundum ſubſtantiam? atque hinc inde extant rationes, & auctoritates; quarum ego præcipuas ſolùm attingam, communioribus, & argutioribus omiſſis, oſtenſurus, in quo conſiſtat Scriptorum diſſenſus, & deceptio; & quomodo auctoritates Gal. hac de re contradictionem apparentem præferentes, facilè conciliari poſſint.

Quod autem Coctio fiat ſecundum qualitates tantùm, tribus rationibus probatur. Quarum prima eſt Gal. [c] 3. de Sympt. Cau. vbi habet; quod coctio eſt alteratio, at alteratio eſt

c 3. de Symptom. Cau. 3. mutatio ſecundum qualitates. Ergo &c.

Secun-

Secunda eiuſdem Gal. d Art. Med. his verbis, *Coctio eſt alteratio, faciens ceſſare putredinem, manente eadem ſubſtantia.* Ergo in coctione mutantur qualitates, non verò ſubſtantia. (d Art Med 80.)

Tertia, Bilis flaua, cruda, acris ac malè olens eſt; cocta verò pallida, craſſior, & minimè olens. Ergo mutatur ſecundum qualitates, ſubſtantia eadem permanente.

Pro altera parte, tres alias adduco rationes potiſſimas. Prima eſt, Cibus dum coctione fit chylus, & chylus in ſanguinem vertitur, & ſanguis in carnem, mutatur ſecundum totam ſubſtantiam. Ergo, &c. quod non eget probatione.

Secunda, Coctio eſt oppoſita putredini, ut in Art. Med. e habetur; at putredo non ſolùm qualitates, ſed ſubſtantiam quoque mutat, ex Ariſt. f & Gal. Ergo & coctio mutare debet non ſolùm qualitates, verùm & ipſam ſubſtantiam, ut putredo. (e Ibid. f 4. Meteor. 2.)

Tertia ratio ita formatur, Gal. dixit, coctionem eſſe alterationem in ſimilem qualitatem eius, quod nutritur; at per qualitatem intelligit ſubſtantiam, & formam. Ergo &c. Minor probatur, nimirum quod per qualitatem intelligat ſubſtantiam, Gal. namque 2. in 1. Epid. h ait, coctionem eſſe deductionem eius, quod concoquitur, in concoquentis ſubſtantiam. (g 11. Meth. 8. h 2. in 1. Epid. 44.)

Pro concilianda hac controuerſia, dicamus primò, quod omnes rationi cõſentanea tuentur, & benè ſentiunt, adeò ut vtraque ſententia conſtare poſſit, imò veriſſima vtraque ſit; hac tamen conſideratione, quod coctio duplex reſpicit obiectum, excrementum ſcil. & alimentum. Si conſideretur, ut excrementa ſpectat, eſt alteratio ſecundum ſolas qualitates; ſi verò ut alimentum, alteratio, & mutatio ſequitur ſecundum ſubſtantiam, vt dum cibus mutatur in chylum, & chylus in ſanguinem; qua diſtinctione facilè eſt vnicuique rationes, & auctoritates iam dictas conciliare, & Gal. à contradictione vindicare.

De cauſa verò, & modo coctionis non omnes Auctores conſentiunt. Gal. i ſiquidem ſcribit, quod quædam elementorum temperies ventriculo propria indita eſt, quæ tribuit illi vim chylificandi. Hinc 4. de Vſu Part. k addit, quod, *Ventriculus eſt veluti promptuarium diuinum ciborum, ſecernens vtilia ab inutilibus, vt fit in tritico. Inutilia autem pellit inferuè, vtilia verò per venas ad totum corpus tranſmittit.* Eraſiſtratus credidit, concoctionem fieri tritura, molitura, & amplexu ventriculi, aſcititij ſpiritus proprietate. Empedocles, & Praxagoræ Aſſeclæ crediderunt, concoctionem in ventriculo fieri putrefactione. Aſclepiades, eiuſque ſectatores opinati ſunt, nihil concoqui, ſed omnia alimenta cruda, ut aſſumuntur per vniuerſum corpus deduci; ibi verò & concoqui, & alterari, inque ſubſtantiam corporis conuerti. Hipp. exiſtimauit à calido innato concoctiones perfici, Primo de Alim. l & alibi. (i 3. de Sympt. Cau. 1. k 4. de Vſu Part. 1. l 1. de Alim. & 1. Aph. 14 & de Diæta 17.)

Quare calorem natiuum eſſe concoctionis veram, præcipuam, & legitimam cauſam, cum Hipp. Gal. & Medicinæ Principibus omnibus, Recentiores ferè omnes nobiſcum ſtatuunt. Verùm ſcrupulum quendam iniecit Valeſius, arbitratus coctionem non à calore natiuo Ventriculi, ſed à calore rei concoquendæ fieri, ſicuti fructus immaturè ab arbore decerpti proprio calore maturantur, & concoquuntur.

Quæ tamen opinio inepta eſt, & inſulſa; etenim primò, cur in febricitantibus cibi non æquè benè concoquuntur, ac in ſanis, ſi coctio pendet à calore ciborum? Præterea Ariſtot. m dicit, ciborum coctionem à corporis calore fieri per elixationem; hinc valdè deceptum fuiſſe Valeſium clarè patet, imò & in propria ratione adducta; fructus namque non proprio, ſed calore arboris, à qua deciſi ſunt, perfectiorem maturationem, & concoctionem adipiſcuntur. (m 4 Meteor. Cap. 3)

Concludendum igitur, veram, præcipuam, & germanam concoctionis in ventriculo cauſam eſſe calorem natiuum ipſius ventriculi, non ſine acidi fermenti ope, quanquam non negandum adiuuari, tum à moderato calore temperamenti, tum à calore influente à corde, ope ſpiritus vitalis tranſmiſſi, & à calore membrorum circunſtantium: licet enim proprium ſit ſolius innati caloris ventriculi cibos in chyloſam ſubſtantiam immutare; ad hanc tamen non parum conducere poteſt & calor temperamenti, & influens à corde, ac viſcerum circunſtantium; quod certiſſimum, non ſolùm ob auctoritates, ſed etiam quotidiana experientia compertum. Auctoritates ſunt primò Auicen. n qui ait, *Et omnis complexio debilitans ſuperfluè, facit accidere in omni operatione diminutionem.* Quod diſtinctius expreſſit alibi o dicens, *Et veritas eſt, quod debilitas ſtomachi ſequitur omnem malitiam complexionis.* Quare oportet, vt cognoſcatur complexio. Sed & Galen. p ait. *Atque omnes quidem magnæ intemperies virtutem deijciunt.* De calore verò partium circunſtantium ita locutus eſt Auicenn. q *Et ſtomachus quidem digerit caliditate, quæ eſt in carne ſua, &* (n 13. 3. Tr. 2. Cap. 16. o Ib. Cap. 4 p 3. de Sympt. Cau. 1. q 13. Tr. 8 Cap. 1.)

exiſtentibus alijs acquiſitis à corporibus vicinantibus. Experientia præterea id nobis clarè demonſtrat; plures enim iuuenes videmus imminutè, & tandè concoquere, qui declinante ætate multò melius, imò optimè concoquunt, nec amplius de ventriculi imbecillitate conqueruntur; quod certè non contingeret, ſi in iuuentute, inopia natiui caloris quicquã paſſi fuiſſent; calidum enim innatum ſemel imminutum, aut extinctum reſtitui non poteſt, eadẽ ratione, qua à priuatione ad habitum non datur regreſſus. Ergo in iuuentute defectus fuit in calore diuerſo, nimirum aut temperamenti, aut cordis, & circunſtantiam viſcerum. Et licet exiſtimemus, vnicum tantùm eſſe calorem, atq; vnicum eiuſdem fontem, vt alibi explicauimus; attamen hic non vno, eodemque modo omnibus partibus inhæret; ac proinde diuerſo modo operatur: primò enim à calore temperamenti ipſius ventriculi fit ciborum vlterior trituratio, atque molitura; vnde non adeò malè Eraſiſtratus ſenſit, niſi quod crediderit, trituram fuiſſe vltimam chylificationis formam, cùm tamen ſit eiuſdem tantùm præuia diſpoſitio. A calore autem circunſtantium viſcerum fit eorundem ciborum liquatio, fuſio, atque commiſtio, quam putrefactionem appellabant Empedocles, & Pliſtonicus Praxagoræ diſcipulus; prout à calore cordis influente, cibo liquato conciliatur, atque imprimitur aptitudo, & diſpoſitio ad ſingulas corporis partes nutriendas; ac tandem ab innato calore ventriculi alimentum iam fermentatum, trituratum, liquatum, & ad vniuerſalem partium nutritionem diſpoſitum, vltimam chyli formam, naturam, atque ſubſtantiam acquirit, adeò ventriculo ſimilem, vt videatur omnino eiuſdem conditionis, & non niſi à proprio calore facta; quam vltimam formam chyli tribuit natiuus ipſe calor alimentis, prægreſſis neceſſariò iam dictis eorundem diſpoſitionibus ad talem formam ſuſcipiendam, & ſine quibus præuiis præpeditur perficiẽda à natiuo calore chylificatio. Quid enim alioquin prodeſſet, in imminuta ventriculi concoctione, curare intemperiem frigidam, vel calidam, humidam, vel ſiccam ventriculi? Quid iuuaret iecoris, & hypochondriorum feruorem contemperare? Quomodo in affectibus cordis coctiones labefactarentur? cùm tamen palpitationem, & aſthma ſequi videamus Ventriculi, & iecoris imbecillitatem cum Cachexia, ac

r 4. de Vſu Part. 9.

Hydrope? Et tandem, cur dempto Omento, Gladiator [r] ille non amplius adeò benè concoxit; non aliam certè ob cauſam, niſi quia & bona ventriculi temperies, & calor influens à corde vegetus, & circunſtantium viſcerum calor proportionatus, & pinguis omenti præſentia ſunt neceſſaria, ut calor innatus ventriculi proprium munus obire, nimirum perfectã chylificationem elixatione perficere aptus ſit.

Ita verò propemodum videtur Ventriculus chylificationem perficere, ſicut Piſtor panẽ ipſum: Piſtor enim verè panem manducandum coquit; præmiſſo tamen molitore, qui frumentum piſtrini ope in partes minutiſſimas conterat; cui ſuccedit famulus, qui per cribrũ, ſeu ſetaceum farinam excutit; inde alter, qui farinam eandem aquæ miſceat, cum fermento, eamque in maſſam redigat, quam tandiù tectam foueat, donec tota fermentetur; unde

s Lib. de Conſuet. Cap. 2.

tandem ſolus Piſtor poſt prægreſſas iam dictas præuias neceſſarias diſpoſitiones, in furno panem decoquit, atque perficit. Quod exemplum tradidit nobis Gal. [s] ipſe dicens. *Vt Piſtores panem coquere dicuntur, non quod frumentum pinſant, & in particulas minimas conterant; ſed vbi in aqua maceratum fermento miſcuerint, ac deinde tandiù tectum fouerint, donec totum fermentetur, moxque in furno torruerint; ita quoque innatus calor vario modo operatur circa ea, quæ in Ventriculum deglutientes immittimus*.

t 1. Aph. Com. 14.

Quid autem ſit iſte calor innatus, aliàs explicuimus; nũc verò ſat nobis ſit à Gal. [t] mutuari, quod *Sit ſubſtantia aerea, & aquea, ſicut ex ſemine coniectari poteſt, quod pauca omnino terreæ ſubſtantiæ particeps; plurimùm verò aerea calida, & humidæ; cui additur etiam aliud generationis principium, nimirum ſanguis menſtruus natura humidus. Quare nihil prohibet*; ſubdit idemmet Gal. [u] *vel ſanguineam ſubſtantiam, vel aeream vnà cum ſpiritu calidum innatum vocare; quod ſi non eſt animæ eſſentia, eſt tamen primum ipſius animæ inſtrumentum.* Ex quibus colligere licet, tria eſſe, quæ ſubſtantiam noſtram primigeniam conſtituunt, Spiritum ſcil. Sanguinem, & Seminalem humiditatem, tuncque non ſimpliciter calor innatus vocandus, eſſet enim ſimplex qualitas, quæ ſine ſubiecto conſiſtere nequit; ſed propriè magis calidum innatum nuncupandum. Hæcque pauca, magiſque ſenſata de Chylificatione Viro Sapienti ſufficiant.

u 5. Simpl. 9.

A D

LXVII.

AD AMICVM DE DOLORE Reſponſum.

DVm me percontaris, Vir præclariſſime, de vera, & immediata cauſa doloris, quædam alia de eodem præmittere neceſſarium duxi, ut nõ ſolùm cauſa, verùm & tota ejuſdem natura prorſus innoteſcat.

Et primum quidem verſabitur circa nomen doloris. Secundum, quiſnam affectus præter naturam ſit dolor, patefaciet. Tertium, quid verè, & realiter ſit dolor. Quartum, quod ſit doloris ſubiectũ. Quintum, quænam ſit vera, atque legitima illius cauſa. Et tandem ex his omnibus colligenda doloris eſſentia. Quæ ſuccinctè quidem, & compendio; clarè tamen, & dilucidè, quantùm fieri poterit, explicabo.

Primum autem quod ſpectat. Dolorem aliqui, laborem etiam nominant, & vtrumque confundunt; cùm tamen labor rationem cauſæ habeat; dolor verò ſigni, vt Gal. notat 4. Aph. 32. expreſſis verbis, ab eodem 2. Acut. 47. confirmatis. Nec ſemper à particula læſa nomen mutuatur, vt Cephalalgia, Cardialgia, Odontalgia; dantur enim dolores quamplurimi, qui ab eadem dominationem nõ ſuſcipiunt, ut aſſerit Gal. de Sympt. Diff. 3. Et licet quidam calidi, & alii frigidi dolores vocentur ab Hipp. *ut in Cranone, dolores antiqui frigidi, non autẽ calidi*. Dolores tamen neque frigidos, neque calidos appellamus, ſed diſpoſitiones tantùm, ex quibus fiunt; ut explicat optimè Gal. 2. Aph. Com. 6. Atque hæc de Nomine.

Secundum conſiderandum eſt, qualis affectus præter naturam ſit dolor; qui quatenus affectus præter naturam, debet eſſe, aut Morbus, aut Cauſa morbi, aut Symptoma. Non eſt morbus, quia morbus eſt permanens, & factus; dolor verò [a] in fieri: dolor enim, & voluptas per alterationem generantur, potiuſque in motu, & in via, quàm in termino ſita ſunt; cùm ſint ſucceſſiua, non permanentia, vt conſiderat Plato in Timæo, & tandiù durent, quamdiù perdurat pugna, & alteratio; ita ſcribente Gal. de Inæq. Intemp. 3. Neque cauſa eſſe poteſt; quia cauſa præcedit morbum, dolor [b] verò ſubſequitur. Eſt itaque Symptoma in actione læſa, eaque deprauata. Contra tamen inſurgit Argent. aitque, dolorem non eſſe actionem deprauatam; quia fit, vt fieri debet, & ſentitur eo modo, quo verè eſt. Quæ tamen obiectio ſoluitur, reſpondendo, quod dolor dupliciter conſideratur, vel ratione operationis, vel ratione facultatis operantis. Ratione operationis fit, vt fieri debet, & ſic viget obiectio Argent. at ratione facultatis operantis, quia ſequitur in dolore corruptio ſenſorii, deprauata actio eſt, quatenus ſc. non fit ſecundum naturæ leges, & obiectum organo non eſt proportionatum. Sic autem ſoluitur obiectio ab ipſo Gal. de Diff. Sympt. 3.

[a] 1. de Symptom. Cauſ. 6.

[b] Ibidem.

Tertium inquirendum, utrum ſcil. dolor ſit obiectum ſenſibile, an potius ſenſus, vel quid conſequens ſenſum. Quod ſit obiectnm ſenſibile, credidit Apouenſis, hac potiſſimum ratione perſuaſus. Dolor ſentitur; ſed quod ſentitur eſt obiectum ſenſibile; ergo dolor eſt obiectum ſenſibile. Hoc tamen falſum, quia obiectum ſenſibile præcedit ſenſum; dolor verò ſubſequitur. Præterquamquod ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non facit ſenſationem; at dolor poſitus in corpore facit ſenſationem, ergo dolor non eſt obiectum ſenſibile. Alii verò exiſtimarunt, dolorem eſſe ſenſum; cuius opinionis fuerunt Auic. Auerr. Braſauolus, Cardan. quorum ratio præcipua fuit huiuſmodi. Illud, quod prouenit ab obiecto ſenſibili, eſt ſenſus; at dolor prouenit ab obiecto ſenſibili, ergo dolor eſt ſenſus. Verùm neq; hęc opinio, licet probabilior admittenda eſt; quod enim conſequitur ſenſum, non poteſt eſſe ſenſus, ſed dolor conſequitur ſenſum, ergo non poteſt eſſe ſenſus. Ad rationem autẽ reſpõdetur, dolorem prouenire quidẽ ab obiecto ſenſibili; at non immediatè, ſed mediãte ſenſu, à quo pendet dolor. Conſtat igitur, dolorẽ eſſe quid cõſequens ſenſum, vt innuere voluit Gal. 1. de Elem. his verbis. *Radix quædam, & veluti fons doloris, & voluptatis, eſt ſenſus; etenim ſicut ſenſus diſtinguit bonum à malo: ita dolor, & voluptas agunt circa bonum, & malum*. Quam opinionem etiam ſecuti ſunt D. Th. Aphrod. Fernel. Capiuac. & alij. Et licet Gal. [c] definierit do-

[c] Ibidem

lorem

lorem per ſenſum ; fuit tamen illa definitio cauſalis, vbi enim eſt ſenſus, ibi dolor, & voluptas; nec niſi lato modo dolor pertinet ad facultatem ſenſitiuam, ſed potius ad appetitiuam; quod tamen conceditur, quia origine eadem ſunt, licet ratione differant. Et quidem dolor in appetitu eſt, & paſſio appetitus ex ſenſu orta; ita Ariſt. 7. Ethic. ait, Animal in ſentiendo

d 2. de Anima tex. 20.

laborare, quia ſentire eſt quoddam pati. Ideo ſcribit [d] inſuper, quod, *Vbi ſenſus, ibi contriſtans, & delectans*. Dum enim ſenſus Communis, & Imaginatio iudicium faciunt, dolor ſequitur huiuſmodi iudicium, tuncque fit quædam animæ contractio; prout in voluptate effuſio, vt egregiè explicat Aphrodiſæus.[e]

e 4. Nat. Quæſt. 6.

Quartum ordine examinandum, quale ſit ſubiectum doloris, quod eſſe dicimus ſenſorium. Hoc autem duplex eſt, particulare, & commune. Particulare ſunt quinque ſenſus particulares; commune verò eſt ſenſus Communis, qui ſenſoriorum ſenſorium eſt; licet ſubiectum verum ſit ſenſus particularis, ex ſchola Philoſophica; & potiſſimum ſenſus tactus; huius enim natura corrumpitur à cauſis dolorificis, ex ſententia Auerr. Valeſij, Mercati, & aliorum. Omnes tamen ſenſus ſubiici doloribus, aſſerit Gal. 1. de Sympt. Cau. 6. Plato in Philebo, Ariſt. 2. de Anima, vbi habet, ſenſibilium excellentiam corrumpere ſenſoria. Ideo Gal. ait, *Dolorem competere viſui ex colore, auditui ex ſono, olfactui ex odore*. Quod quidem verum eſt, ſicuti veriſſimum, dolorem egregium eſſe ſymptoma in ſenſu tactus, quia in eo magis viget: cùm enim ſit denſioris ſubſtantiæ, cauſa etiam erit validioris efficaciæ, & operationis. Præterquamquod à cauſis etiam internis lædi poteſt. Hinc loco cit. conſiderabat Gal. quod dolor quidem omnibus ſenſibus contingit, ſed non pari euidentia; namque primò luculentius in tactu, ſecundò in guſtu, tertiò in olfactu, quartò in auditu, & vltimò in viſu.

At præter ſenſus particulares, Senſus etiam Communis, & Mens ipſa doloribus patent; hinc, *Quicunque dolentes aliqua parte corporis, omnino dolorem non ſentiunt, his mens ægrotat*; ex Hip. anima enim retrahitur ad ſuum principium. Ergo ſentit dolorem: mouetur enim in ſpiritibus, ut Nauta in naui, & dum ſentimus nos ſentire, illud, quo ſentimus, Mentem uocat Hipp. ſiquidem Antiqui, non ſolùm rationem; ſed etiam Phantaſiam, & omnem Senſum internum, Mentem appellabant. Sed & nos mentem dolere dicimus iis, quibus dolor aliquis impendet, & plus mali nonnunquam affert tormenti formido, quàm tormentum ipſum. Et hæc de ſubiecto abundè.

Quintum examinandum, & decernendum, Cauſa nempe doloris. De cauſa autem doloris quinque circunferuntur opiniones. Prima quidem eorum, qui exiſtimant, cauſam doloris eſſe intemperiem, & continui ſolutionem ſimul. Cuius ſententiæ fuerunt Auic. 2. Pri-

f 1. in 1. Epid. 10. & 2. de Loc. Aff. 5.

mi Doct. 2. Cap. 15. Gal. quoque Art. Med. Cap. 80. & alijs locis [f]; quem ſecuti Braſauolus, Herculanus, Nicolus, Mercurialis, & alij. Horum autem potiſſima ratio hæc eſt. Illa eſt cauſa doloris, quæ corrumpit naturam ſenſorii; ſed corruptio huiuſmodi prouenit ab alterantibus, ab intemperie ſcil. & à contundentibus, ac proinde à ſolutione continui; ergo cauſa doloris erit intemperies, & ſolutio continui: Quæ tamen opinio hac ratione confutari ſolet. Vnius effectus vnica tantùm poteſt eſſe cauſa immediata; ex Ariſt. enim *Vnum per ſe fit ab vno*; ſed dolor eſt vnum ſymptoma; ergo vnicam debet habere cauſam, aut intemperiem ſcil. aut ſolutionem continui. Sed præterea Gal. 3. de Comp. Med. per Loc. Intemperiem, & ſolutionem continui vocat communia genera cauſarum, dolorem efficientium.

Secunda opinio eſt Auerrh. 3. Collect. 31. dicentis, ſolam intemperiem inæqualem eſſe cauſā doloris; cuius ratio talis eſt. Illa eſt cauſa doloris, quæ poteſt corrumpere ſenſum Tactus; at ſola intemperies inæqualis poteſt corrumpere ſenſum tactus: Ergo ſola intemperies inæqualis poteſt eſſe cauſa doloris. Minor eſt Gal. 2. de Sympt. Cau. 5. vbi habet: quod, *Tanta eſt magnitudo doloris, quanta eſt intemperies inæqualis*: æqualis enim fit veluti quædam acquiſititia natura; nullum verò corpus à propria natura offenditur: vnde Hipp. ait: *His quibus mutatur, corrumpiturque natura, dolores fiunt, non quibus iam mutata, corruptaque eſt*,

g de Inæq. Intemp. 3.

recedendo enim à propria natura corpora dolent, quod idem confirmat Galen. [g] dicens; *Dum alteratur, & corrumpitur natura, dolores fiunt, ex Hipp. alteratur autem, & corrumpitur, cùm vel calefit, vel frigefit, vel exſiccatur, vel humectatur*. Verùm neque hæc opinio admittenda, ſupponit enim aliquod falſum, quod ſcilicet ſolus ſenſus Tactus ſit doloris ſubiectum; cùm tamen, vt dictum, & probatum fuit, etiam cæteri ſenſus doloribus ſubiiciātur; quo dato, & non conceſſo, dantur aliæ cauſæ, præter intemperiem, aptæ corrumpere ſenſorium tactus, nimirum incidendo, contundendo, erodendo, tendendo, premendo, conuellendo:

quæ

quæ omnes proponuntur ab eodem Gal. Lib. iam cit. de Inæq. Intemp. 3.

Tertia opinio eſt illorum, qui tuentur, ſolam continui ſolutionem eſſe cauſam doloris; quod videtur aſſerere Gal. 1. de Sympt. Cau. 6. & 3. de Fract. Com. 34. vbi ex Hipp. probat morbum omnem vlcus eſſe, nec dolorem prius gigni, quàm continuum ſoluatur. Sic Argent. Saluus Sclan. Oddus, Maſſar. Saxon. Trincauel. quorum ratio talis eſt. Illa eſt cauſa doloris, quæ poteſt corrumpere naturam ſenſorii; at non poteſt corrumpi natura ſenſorii, ſine ſolutione continui, aut manifeſta, ut in uulneribus, fracturis &c. aut non manifeſta, vt in alteratione ab intemperie inducta. Ergo ſolutio cõtinui neceſſariò eſt cauſa doloris. Non tamen huic opinioni acquieſcendum, neque enim ſolutio cõtinui poteſt excitare dolorem, ſi ſenſim fiat, etenim paulatim facta non corrumpet ſenſorium, & ſic non erit cauſa doloris.

Quarta opinio eſt Aponenſis, quod ſcil. ſit violenta mutatio, quæ ſenſorium poteſt corrumpere; cui aſſentiri videtur quoque Gal.[h] dicens, quod, *Dolor fit in ſenſibilibus corporibus, cum ipſa in id, quod præter naturam eſt ſubitò, ſimulque transmutantur*. Ratio inſuper eiuſdem eſt. Id quod corrumpere poteſt ſenſorium, eſt cauſa doloris; ſed mutatio uiolenta ad ſtatum præter naturam poteſt corrumpere ſenſorium; ergo hæc violenta mutatio erit cauſa doloris. Sed neque hæc violenta mutatio ſemper dolorem inferre poteſt: namque ſi pars non ſentiat; aut mens fuerit diſtracta, non ſentitur dolor, ut ſæpiſſimè obſeruatur in Gladiatoribus pugnæ, & certamini intentis, ac delirantibus. Quare ex omnibus iam dictis.

h 2 Acut. com. 1.

Quinta, & uera cauſa doloris erit illa, quę quinque conditiones habebit. Prima quidem, quod ſit proprium ſenſibile agens in proprium ſenſorium. Secunda quod confertim agat. Tertia cum uiolentia: nam & uoluptas agit confertim, ſed non cum uiolentia. Quarta quod pars ſit ſentiens. Quinta quod actio dignoſcatur à primo ſenſorio. Prima conditio eſt Gal. 1. de Symp. Cauſ. 6. ubi habet, dolorem competere Viſui ex colore, Olfactui ex odore, Auditui ex ſono, Guſtui ex ſapore, Tactui ex tangibili obiecto. Secunda, & tertia conditio adducuntur ab eodem Gal. loco cit. & præterea à Platone in Timæo, ubi inquit, *Pathos præter naturam, violenter, & affatim incidens, dolorem excitat*. Quarta conditio probatur à Gal. 1. in 6. Epid. 2. vbi habet, quod, *Senſibiliora naturaliter corpora, magis ſemper dolores percipiunt*. Et quinta tandem confirmatur ab Hipp. 2. Aph. 6. his verbis. *Quicumque dolentes, aliqua parte corporis, omnino dolorem non ſentiunt, his mens ægrotat*. Quare cauſa doloris eſt corruptio ſenſorii, ob proprium ſenſibile, agens in proprium ſenſorium, confertim, & violenter; atque adeò cauſam doloris patefactam habemus; quam cognitu difficillimam exiſtimauit Argent. & ob id plura congerit argumenta contra Platonem, arguit Ariſt. ut diminutum, Auic. tanquam ſuperfluum damnat, & Gal. ut incõſtantem carpit.

Sed ut Gal. & cæteros omnes, de cauſa doloris ſcribentes, tum ab incõſtantia, tum à contradictionibus vindicemus, aureum notandum ex quamplurimis Gal. Locis, à me diligenter examinatis, imo & ab Hipp. ipſo excerptum, nempe quod ad dolorem efficiendum ſæpiſſimè, ut cauſa, concurrunt ſimul & intemperies, & ſolutio continui; verùm ſucceſſiuè, adeò ut intemperies ſit cauſa remota; ſolutio vero continui cauſa proxima. Quam veritatem aptiſſimè confirmant, tum Hippocrat. 3. de Fract. 34. tum Gal. in Com. cuius verba ſunt hæc. *Dolorem ex continui ſolutione, dum inciditur corpus, aut intenditur, aut colliditur, & ex intemperatura fieri, iam à nobis demonſtratum fuit; Caliditatem enim penetrare, & quaſi perrodere id, quod continuum eſt, patet, ſicut, & quod vehementer adſtringit, quandam diſſolutionem continuo afferre, dum repentè contrahit, quod diffuſum eſt*. Omnis itaque intemperies, aliquam omnino continui ſolutionem, ſi non ſenſui obuiam, rationi certè contemplabilem, & veram efficit; colliſio verò, contuſio, diſtentio, procul omni dubio, multò magis, & euidentius; proximè enim magis accedunt ad continui ſolutionem.

Quare concludamus, cauſam veram, legitimam, & immediatam doloris, eſſe continui ſolutionem, quam frequenter præcedere ſolet intemperies aliqua inæqualis, vel contuſio, inciſio, diſtentio. Quæ omnes cauſæ, ſicuti continui ſolutionem inducere ſunt aptæ; ita doloris cauſæ mediatæ, atque remotæ ſunt. Verùm neque continui ſolutio dolorem efficere ſemper poſſet, niſi præſentibus quinque iam dictis conditionibus, nempe quod proprium ſenſibile agat in proprium ſenſorium confertim, cum violentia, pars ſit ſentiens, & actio à primo ſenſorio, ſiue à mente percipiatur.

Ex quibus omnibus faciliimè elicitur doloris definitio, quæ eiuſdem eſſentiam declarabit, eritque ſextum, quod inquirendum propoſueramus. Eſt igitur Dolor, Animi retractio, ob perceptam corruptionem ſenſorij, à continui ſolutione, illata à ſenſibili, violenter, & confertim in proprium ſenſorium agente. Hæcque tibi de Dolore ſatis.

CAR-

LXVIII.

CARDIALGIA LEGITIMA.

IVuenis Mercator, 30. annum agens, temperamenti totius, & iecoris calidi, & ſicci, gracilis habitus, Vini potor egregius, ſuperioribus annis bilioſis diarrhœis frequenter obnoxius, duobus abhinc annis, iiſdem omnino ſuppreſſis, tertianis febribus exquiſitis bis in anno corripi cœpit; ſed, quod grauius, cum tanta ventriculi eroſione, morſu, atque dolore, ut etiam ad impatientiam feratur; licet ultra febris principium non duret, ſed vnius horę ſpatio ceſſet, vomitu, atque alui deiectione ſubortis, materiæ bilioſæ, flaueſcentis, & copioſæ. Inualeſcit autem hic affectus tertio quoque die, cum ipſa febre, quæ quatuor, aut quinque paroxyſmis ſolui ſolet. Modò æſtiuo hoc tempore, heſterna die denuò inuaſit febris, cum eodem ſymptomate, à quo, ut aliàs, unius horæ ſpatio, prout à febre ante horam duodecimam Pat. liberatus eſt. Febris autem cum rigore corripuit, quem ſecutus eſt calor vehemens, acris, & mordax cum pulſu magno, celeri, & frequenti, urina ſubflaua, & vomitu, atque per aluum deiectione bilioſæ materiæ. Quare de agendis, tum in acceſſione, tum extra eandem noſtrum conſilium expoſcit.

De febris genere non eſt quod dubitemus; bilioſa namque eſt, ut atteſtatur inuaſionis modus, cum rigore [a] ſcilicet, oris ventriculi morſu, flauæ bilis vomitu, ac deiectione, pulſu magno, celeri, atque frequenti, calore acri, & mordaci, vrinaque ſubflaua; cuius indicium certius quinetiam præbent temperamentum totius, & iecoris, calidum, & ſiccum, anni tempus æſtiuum, pręgreſſus immoderatus vini vſus, tandemque ſuppreſſę bilioſę diarrhœę. Quoniam verò eodē modo, & tempore, quo præteritæ, hęc febris acceſſit, tertiana propterea exquiſita, cum illis ſtatuenda eſt; præſertim cùm acceſſio duodecimam [b] horam non excesſerit, neque hucuſque ſecunda die nouus paroxyſmus inuaſerit.

Sæuum autem ſymptoma, quod febrem comitatur, oris nimirum ventriculi morſus, quod caſu noſtro, ut principale potius, quàm ſuperueniens ad ſe curationem trahit, Cardialgia vera, atque legitima nuncupandum [c] à parte affecta. Symptoma ſc. [d] in actione animali tactrice depravatè læſa; os enim ventriculi Antiquis [e] Cor vocatum, vel cum Gal. [f] ob cordis viciniam, vel cum Aetio [g] ob ſęua ſymptomata, quæ oris ventriculi læſionem ſequuntur; cuius dolor, mordaci [h] ſimilis (licet Archigenes, [i] dolorum proprietates exprimi non poſſe falsò exiſtimauerit) ob exquiſitum ſenſum, quo ad ciborum appetentiam à natura donatum eſt, copia propterea neruorum à ſexta coniugatione contextum. Ita autem diſtinguitur à paſſione Cardiaca, in qua fit diſſolutio ſolidæ ſubſtantiæ oris ventriculi, cui Syncope [k] ſolet ſuccedere; quæ tamen etiam ſine ullo dolore fieri poteſt. Diſtinguitur quoque à Cardiogmo, in quo paſſio parum durat; cùm ab humoribus tenuioribus bilioſis, in ventriculo effuſis, non verò eius ori adhæreſcentibus, vt in Cardialgia, proueniat. Differt etiam ab Anxietate, quæ & ſine dolore, & ſine vomitu; ſed cum ſola quadam ineffabili inquietudine fit, quæ ab infarctu [l] frigidæ materiæ procedit. Ab Angore, inquietudinem, breuiorem tamen inducente, ut qui ab halitu putrido, & aura venenata ad os ventriculi eleuata dependeat. Ab Attritione Ventriculi, in qua afflictio obſeruatur cum ventris torminibus, profluuio, ac tanta pulſus alteratione, vt febricitare Pat. videantur, licet non febricitent, vt Gal. [m] obſeruauit in Antonino Imperatore, in quo cibus corrumpebatur, eiuſdem portione in flatus conuerſa. Tandem diſtinguitur ab Adſtrictione Ventriculi ab Aetio [n] ſolo deſcripta, quæ contingit, ſuperno, infernoque uentriculi ore ita adſtrictis, ob ſiccitatem, ut nec flatus, nec uapores erumpere poſſint; qui propterea accenſi febris ſpeciem exhibent; quæ affectio demum cedit, coctione abſoluta, & cibo deſcendente.

Cauſa autem huius affectus, humor bilioſus eſt, acris, & mordax, continuum ſoluens, ab intemperie calida, & ſicca iecoris genitus, non parum etiam eandem fouente copioſiori vini potu; qui humor cùm præteritis quidem annis in venis congeſtus ab irritata natura per aluum [o] extruderetur, ut in [p] Eudemo, eiuſdem euacuatione ſuppreſſa febres tertianæ

ſtatim

a 1. ad Glauc. 5.
b 4. Aph. Com. 19.
c 2. Meth. 2. & de Symptom. Diff. e.
d 1. de Symptom. Cau 7.
e 4. Aph. Tex Com. 65.
f 2. de Decr. 8.
g Tetr. 3. Sermon. 2. Cap. 1.
h 6. Aph. Com. 5.
i. 2. de Loc Aff. 8.
k Tral. lib. 7. Cap. 11. & Celſ. 3. de Re Med. 19.
l 2. Prorrh. 44. & 5. de Viu Part. 5
m De Præcogn. ad Poſth. 11.
n Tetr. 3. Sermon 2. Cap. 11.
o 7. Meth. 11.
p 2. de Symptom. Cau. 6.

ſtatim inuaſerunt, quarum principio eadem bilis commota, ad aluum partim tranſmiſſa, partim regurgitans [q] ad ventriculum, & craſſiori parte ori eiuſdem adhærens, morſu Cardialgicum dolorem excitat, qui recedit, dum exiguo temporis ſpatio irritata expultrix eandem vomitu reiicit. [q 1. ad Glauc. 14.]

Affectus equidem grauiſſimus, ob ſæua, & pernicioſa ſymptomata, quæ illi interdum ſuccedunt, Cardiacam ſcil. paſſionem, Syncopen, & mortem ipſam, licet febris omni periculo vacet; nulla [r] ſiquidem pars noſtri corporis exquiſito adeò ſenſu pollet, nec in conſenſum trahit vtrumque principium, Cor nimirum, & Cerebrum, ac ventriculi os, idque propter [ſ] neruorum à cerebro manantium magnitudinem, & copiam, unde meritò dicebat Gal. quod, *Os ventriculi in conſenſum ſui animam ducit*. Quinimò obſeruauit Trall. [t] quod ſi humores valdè erodentes, & ventriculi exquiſitus ſenſus ſimul concurrant, ægri citò moriuntur. [r 1. de Symp. Cau. 7.] [ſ 4. Aph. Com. 17.] [t Lib. 7. Cap. 10.]

Noſtræ igitur partes erunt, euacuantibus, præparantibus, alterantibus febri proſpicere; prout extra Cardialgiæ acceſſionem præſeruationi, in acceſſione verò curationi incumbere. Præuertunr autem Euacuantia, Reuellentia, intercipientia, & ventriculum Corroborantia, ad quæ diebus intermiſſionis animus conuertendus. Quare hodie, ſecunda ſcilicet die, de medicamento minoratiuo exhibendo cogitatum fuit; quod tamen distulimus in ſequentem diem, quinque horis ante acceſſionem præbendum, vr materiæ bilioſæ à iecore ad os ventriculi regurgitanti occurramus, ſicque fiat eiuſdem cum euacuatione diuerſio. Interim tamen duos clyſteres infundi ſuademus, alterum mane, alterum veſperi. Medicamentum verò erit Caſſia, cum pulpa Tamarin. addito Tartari Crem.

Sanguinis miſſio hìc locum non habet, cùm bilis peccet, eaque ſatis ſincera per aluum, ac vomitum excernatur; tribus namque ſolis caſibus in Cardialgia admittitur. Primò præſente iecoris intemperie calida, feruidiſſimum ſanguinem producente, ex quo neque carnoſa, neque adipoſa ſubſtantia progigni poſſit. Sic apud Hippocr. [u] Vir in Oeniade vehementiſſimis ventriculi doloribus correptus, ſecta vena in vtraque manu, & ſanguine copioſè educto, liberatus fuit. Secundò quando ichor ſanguineus à iecore, vel à toto in ventriculum irruit, ex ſuppreſſa aliqua conſueta hæmorrhoidali euacuatione. Tertiò quando Cardialgia prouenit à ſuppreſſis menſtruis. Ab hoc quoque fonte clyſteres etiam purgantes hora ante acceſſionem iniecti reuulſionis cauſa deſumendi, more Petri Salii. Frictiones quietiam, ligaturæ, Cucurbitulæ ſiccæ; quinimò & Veſicantia, vrgente neceſſitate, non omitrenda. [u 5. Epid. 6]

Bilis verò contemperanda, vel Decoct. Cichor. Endiu. Acetoſ. Portul. Viol. addito Iulap. Viol. Roſac. Syrupo de Papau. vel Sero deſtillat. & chalybeato ad ℔ i. ſ. vel aquis ſtillatit. Acetoſ. Endiu. Cucurbit. cum Syrup. Roſac. Violac. de Ribes, de Berber. Quæ ſi craſſior euaſerit, præberi porerit aqua hordeacea, vel Serum depuratum cum Iulap. acet. aut Syrup. de acido Cit. & Lim. Perdurante verò Caldialgia, & valdè minorata materia, ad intercipientia humores ad ventriculum decurrentes turò deueniri poterit, duabus horis ante acceſſionem præbenda. Sint autem adſtringentia, & incraſſantia, ut. ℞. Pulu. Margar. præpar. ʒ i. Terræ ſigill. ueræ ℈ ſ. Aquæ Scorzon. ℥ iii. Vini Granat. ℥ ii. Tinctur. Corall. gutt. v. m. & ad cochlearia ſæpius aſſumantur anre acceſſionem. Vel ℞. Syr. de Papau. ℥ i. & in Cardialgia prauæ conditionis. ℞. Thet. rec. ʒ ſ. Margar. præpar. ℈ i. m. f. b. & aur.

Dum hæc fiunt, extra acceſſionem ſemper aliquid, os ipſum ventriculi corroborans adminiſtrandum, internum, & externum. Gal. [x] enim dum quærit, num euacuationi materiæ magis, an oris ventriculi roborationi ſit incumbendum, ſic quæſito reſpondet, multos ſe vidiſſe defunctos, alios ad extremum periculum perductos, cùm Medici eos magis euacuare, quàm corroborare tentaſſent. Intrinſecùs itaque præbeatur Conſerua Roſar. vel bolus ex Margaritis, & Coralliis; vel offa panis in vino Granatorum, de quo Hippocr. [y] *Mulier Cardialgia torquebatur, nec malum ſedatum eſt, priuſquàm polentam ſucco mali punici aſperſam comediſſet*. Extrinſecùs apponi poterit regioni ventriculi offa panis, vino auſtero imbuta, & puluere Roſarum, Sumach, & Maſtiches aſperſa; Vel Emplaſtrum de Cruſta panis Montagnanæ, cum ſucco agreſtæ, aceti loco paratum. Aetius commendat ſpongiam infuſione Roſarum, cum aceto madefactam. Et hæc ad Præſeruationem. [x 1. ad Glauc. 14.] [y 2. in 2. Epid. 1. & 2. de Alimen. Fac. 24.]

Pars autem curatiua perficietur Anodynis [a] primò. Secundò cauſam reſpicientibus. [a 12. Meth. 2. & 5. Simpl. 19.]

Anodyna autem cùm ſint vera, vel ſpuria, omnia tamen doloribus conferunt, à quacunque cauſa exortis; ſolutionem enim conrinui ſpectant, & ſenſum partis, ſine quibus dolor non fit. Anodyna vera ſunt interna, & externa. Interna ius Altheæ, Malu. inteſtinorum Caſtrati cum butyro recenti; Emulſio Amygdal. dulcium; Ol. Amygdal. Externa Ol. Amygd. Chamæmel. Adeps Vituli, Caſtrati, Omenta Vitulina, Veruecina, Suilla, ol. Amygdal.& Roſac. imbuta; placenta ex ouis, & iam dictis Oleis parata. Anodyna ſpuria, Narcotica quoque dicta, interna, eſſe poſſunt Emulſio Sem. Papau. alb. extracta cum Aq. Lactucæ; Syrup. de Papau. ad ℥ i. Theriaca recens, Philonium Roman. recens, Nepenth. Querc. ad gr. i. vel ii. Externa verò erunt fomenta ita parata. ℞. Cap. Papau. alb. num. vi. Sem. hyoſcyami ʒ iij. Fol. Viol. Nympheæ an. m. i. Aq. com. ℔ vi. m. bull. ad conſumpr. tertię, pro fomento; quo amoto, huiuſmodi inunctio adhibeatur. ℞. Vng. Popul. Malu. an ℥ i. Ol. Nenuph. ℥ ſ. m. ref. linim.

Verùm legitima, & propria curatio eſt cauſarum ablatio, hoc ordine peragenda. In-
b 6. in 6. Ep. Co. 5. gruente aceeſſione, vomitus ſtatim prouocandus Galen.[b] exemplo, qui vel Oleo ſimp. vel aquæ miſto vomitum ciebat, Aetius aqua tepida; nos verò Iure carnium, ad ℥ vi. cum Ol. Amygdalar. & Iulap. acet. an. ℥ iij. Concitato vomitu, perdurans acceſſio ſignum exhibet bilis craſſioris ventriculo adhærentis; ideo exhibendum Iulap. ad ℥ iv. vel v. & hora ab hoc aſſumpto, niſi ſpontè vomitus iterum procedat, exhibeatur Oleum Amygdalinum recens, ad ℥ v. ita enim materia inciſa, & deterſa à Iulapio, & attenuata per vomitum, aut per aluum facilius educetur. Nec ullum metum iniciat Iulapium acetoſum; bilem ſiquidem id in pituitam, & pituitam in bilem uertit, vt docer Auicen. Statim verò à vomitu, motſu ſedato, aliquod adſtringens, & roborans extrinſecùs Gal. conſilio apponendum.

Ita verò procedendum, præſeruatiuis auxilijs materiam iterum imminuendo, *bilis* feruorem, & febrilem calorem contemperando, eandemque à ventriculo reuellendo, atque in progreſſu intercipiendo, oſque ventriculi roborando; curatiuis verò, modò dolorem anodynis, vel etiam narcoticis demulcendo; modò laxantibus, vomitumque cientibus materiam bilioſam educendo, vſquedum Cardialgia, & febris imminuantur, atque omnino auferantur.

Addita congrua victus ratione; circa quam notat Trall. quod tardè cibum capere valdè noceat. Ideo Celſus ante ipſum parum, & ſæpè cibum exhibuit; cui ſubſcripſit quoque
c 2. de Ali. m. Fac. 24. Aetius. Cibi autem ſint refrigerantes, & potius ventriculum confirmantes. Sic[c] mala punica, pyra conueniunt; vini tamen uſus non eſt accelerandus, quod exigente neceſſitate, ſit auſterum, & gelidum, ex Celſo; ſubaſtringens, ex Aetio; etenim, præterquamquod os ventriculi roborat, celetiter etiam nutrit, quicquid dicat Mercurialis; hoc enim confirma-
d 3. Acut. Penul. & 3. de Tēp. 3. tur expreſſis verbis ipſius Gal.[d] Hæc pro præſenti, tum febris, tum Cardialgiæ acceſſione ſufficiant, prout plura ſupereſſent pro præſeruatione ab aliis imminentibus, ad quam ſuis loco, & tempore, tum ſanguinis miſsione, tum electiuè bilem purgantibus, & iecoris feruorem contemperantibus opus fuerit, Viris iſtis Excellentiſſ. quam notiſsimis,

CAR.

LXIX.

CARDIALGIA SPVRIA.

VEntriculi dolot cortoſiuus, qui toto elapſo anno, per iuteualla otdinata primò, & tandem inordinata Iuuenem Illuſtriſsimam afflixit, & adhuc-num rariùs inuadit, Cardialgicus, ſi lubet, quanquam non adeò legitimus appellari poterit, non modò, quia læditur [a] Ventriculus; verùm multò magis, quia & prima vice, & aliàs ſæpius cum febre apprehendit; quē à bile quidem; copioſæ tamen pituitæ immiſta incepiſſe, & perduraſſe certò exiſtimari poteſt, ob eiuſdem diuturnitatem, qua pituita à ventriculo ad Meſenterium detruſa, omnino remittebatur, nulla licet ſecuta eiuſdem extra corpus excretione. Huiuſmodi autem excrementa, tum ab imbecillitate ventriculi, tum iecoris ſeruore originem duxerunt, à quorum intemperie iis iugiter productis, inuicem miſtis, & in Meſenterio putreſactis, febrem quoque ſæpius toto hoc tempore repullulaſſe credendum; prout ab ijſdemmet non putrefactis dolores quandoque ſine febre fuiſſe excitatos. Nec mirum videri debet, ſi primò hebdomadariam periodum ſeruauerint; ab intemperata ſiquidem earum partium diathesi tanto temporis interuallo ea excrementorum copia producebatur, quæ accumulata dolores illos renouare poterat, quæ tamen temporis proportio obliterara eſt, magna ſecuta mutatione ab edito partu. Sic nec nouum accidit, quod ferè ad ſyncopen perducta fuerit Illuſtriſsima Patiens; ſiquidem [b] *Nulla pars noſtri corporis adeò exquiſitum ſenſum habet, nec ita in conſenſum trahit utrumque principium, ac ventriculus ipſe*. Ideoque iure dicebat Gal. [c] quod, *Os ventriculi in conſenſum ſui animam ducit*. Quoniam verò inuſtas viſceribus intemperies non curauit Excell. defunctus; ideo ab excrementorum colluuie poſtmodum ſebres inæquales, cum inæquali rigore fuerunt obſeruatæ, excrementis iiſdem per partes ſentientes unà cum halitibus eleuatis circa viſcera naturalia, & quidē inordinatè decurrentibus; cuius etiam humorum redundantiæ indicia præbent ſudores circa ſebrium initja manantes; prout caloris ad viſcera refluxum ſignificauit genarum rubedo, paucis horis ab aſſumpto cibo eas perfundens. Et quoniam vix credi poteſt, hoc temporis ſpatio Illuſtriſ. Pat. ab obſtructionibus immunē ſe præſtaté potuiſſe; ideo eaſdem deliteſcere pro certo habeo, & quidē ab his terreis, atque melancholicis redditis exhalationes eleuari, quæ lumbos, femora, & brachia, propria acrimonia, & aciditate percellentes, vagos, & errantes dolores excitarunt; nunc verò coctionibus ventriculi ſaltem, ſi non appetentiæ ob aciditatem, nonnihil officere perſiſtunt. Hæc autem ita ſe habere, adeò uerum puto, ut ab hypochondriaca iam dictorum humorum, tum crudorum, tum aſſatorum minera, materia flatulenta, atq; ſuliginoſa eleuata, in penitioribus meſenterii, & viſcerum partibus concluſa, dolores, & cruciatus lancinantes producere maiori ex parte nunc exiſtimē; ſuppoſita tamen neceſſariò humorum minera iam dicta; cuius portio recentior, ac crudior à calore liquata, ſolutis doloribus per urinas copioſas, & aquoſas excernitur. Quoniam verò affectus huiuſmodi rari quodammodo ſunt, corumque cauſa à Medicis ipſis vèl maximè exercitatis, nedum à Patientibus, non adeò facilè inueſtigari poteſt, quid mirum, ſi ad veneficia, & faſcinationes confugiant? cùm tamen, vt plurimùm, pertinax, & ineffabilis lateat melancholica qualitas.

[a] 1. Meth. 2.

[b] 1. de Sympt. Cau. 7.

[c] 4. in 6. Ep. Co. 25.

Et licet affectus huiuſmodi contumaces eſſe ſoleant, & ægrè medicamentis cedant; cùm præter mineram, & viſcidorum à frigiditate, & craſſorum humorum à caliditate, intemperiem quoque inæqualem cauſam habeant; attamen quia Patiens iuuenis, & medicis præceptis obtemperans eſt; nec manifeſtæ tactu percipiuntur obſtructiones confirmatæ; ideo ſalutem, licet non adeò breui tempore, & facilè, polliceri poſſumus, accommodata curatione; quæ tutò procedet, ſi humores iam geniti è corpore èducantur, intemperies remittantur, & partes robotentur. Quibus intentionibus, aliqua parte, opportuniſſimè ſatisfactum fuit; ideo reliqua agenda ordine executiuo proponam.

Primo itaque Leniens, ex ſyr. & mel. roſ. ſol. vel ex Lenit. & Tart. præmittatur; mox vnico interpoſito die, Aqua Tettuciana ad ℔ iv. exhibeatur cum vehiculo mel. roſ. ſol. ſe-

cundo die iteranda ad ℔ v. quæ niſi ſecunda vice, clara, & ſine excrementis excernatur, repetatur quoque tertia; ſic enim, tum ventriculi, tum primarum viarum deterſio, atque ablutio, necnon exſiccatio obtineri poterit. Inde ratione hypochondriorum ad ſuccos depuratos malu. & Borrag. erit deueniendum, ad ℥ iv. in iure Cichoraceis alterato, 12, aut 15 dies; mox ad uſum ſeri Capr. aut Aſin. depur. per quinque dies, alternatim, ad ℔ iv. & v. præmiſſo vehiculo deiect. aut ſyr. roſ. ſol. aut Por. clarif. à quibus tandem magna fiducia utor diutius lacte aſinino, de more, exhibendo ab ℥ v. cum ſemicochleari ſacch. fini, progreſſu facto ad ℥ x. cum pleno ſacch. cochleari, mane, quatuor horis ante prandium. Verùm eodem tempore, 15. dies, ſummo mane ventriculo ſtillicidium erit adhibendum, ita paratum. ℞. ol. amygd. ℔ iv. maſtich. ℔ ii. Vini albi generoſi ℔ i. fol. rec. abſint. pont. menthæ virid. an. p. i. nucum myriſt. contuſ. n. iii. cort. cit. rec. ℥ i. cinam. integ. ʒ ii. m. bull. ad conſumpt. Vini, & facta forti expreſſ. colat. ſeruetur pro ſtillicidio, calido adminiſtrando, mane, ante lactis uſum.

Interim, ſi recrudeſcāt dolores, tutiſſimum erit auxilium clyſter ex lacte vaccino, in quo diſſolutum ſit Philon. rec. Rom. ad ʒ i. illicò namq; eoſdem ſedabit, & ſomnum conciliabit; duabus tamen, aut tribus poſt horis mouenda aluus, ut excernatur clyſter, ne nimium ſtuporem inducat.

Quibus omnibus conſueta victus ratio, quam laudo, ſeruanda. Caueat autem ab infarctu ciborum; his enim caſibus nil peius, ex Auic. quàm comeſtio ſupra comeſtionem; atque prima menſa, de more, ius pullæ, aut vituli malua, aut Borrag. alter. ſorbeat. Vina generoſa vitet, & reliqua medicis intentionibus correſpondeant. Quæ iam dicta, quoniam ab Excell. Viro prudentiſſimo adminiſtranda erunt, profutura ſpero, ita meritis Illuſtriſſ. Iuuenis D. O. M. annuente.

LXX.

VENTRICVLI ANXIETAS, ET Dolor à cibo.

VIr 40. annum agens, temperamenti totius, & hepatis calidi & ſicci, habitus potius gracilis, fuſci coloris, cùm octo abhinc annis, grauibus negotiis, omnino ſe addixiſſet, quibus non modò animo, uerùm etiam opere ipſo, ſcribendo uidelicet, hucuſque ferè continuò fuit occupatus, conqueri cœpit de dolore uentriculi, qui huc uſque ſemper incrementum ſuſcepit, à cibo potiſſimum mœſtitiam illi inducens. Febres autem acutas paſſus fuit menſe Auguſto, & Ianuario proximè præteritis, medicamenta aſſumpſit, extractus fuit ſanguis, quo tempore non adeò uentriculi conſueto dolore cruciatus eſt; uerùm eodem poſtea ſtudia, & negotia repetente, recruduit quoque dolor, cum ſenſibili uirium defectu, adeò ut ex itinere uèl breuiſſimo defeſſus, ſedere cogatur. Totum verò corpus macreſcit, ac gracilior redditur, & nonnumquam per oeſophagum ad gulam flatulenta materia ſurrepit, quæ tumidam eandem reddit, adeò ut ſpiritum quoque intercipere videatur, qua tamen paulatim euaneſcente liberatur. Modò de agendis conſulit pro ſalute; cuius cauſa abdomen contrectans in meſenterio, atque pyloro obſtructiones percepi, cum magnæ arteriæ pulſatione, non quidem inſigni; à quibus nec lien omnino immunis eſt.

Nobilis Patiens ad affectionem melancholicam natura procliuis, dum negotiis nulla moderatione totum ſe applicuit, ex continua meditatione calore à ventriculo, & concoctionibus diſtracto, cruditates congeſſit, quibus obſtructiones in meſentericis uenis productæ ſunt, terreæ proinde, atq; melancholicæ, à quibus in meſenterio & pyloro deliteſcentibus ſicci continuò, ac terrei uapores in uentriculum eleuati eundem exſiccant; unde ab aſſumpto cibo, ob neceſſariam eiuſdem extenſionem, dolor [a] inualeſcit, & moleſtia, dum in alimentis concoquendis laborat, & potiſſimum in eorundem expulſione ob impedimentum in pyloro, quibus prætérlapſis anxietas, & dolor miteſcunt. Verùm non parum uen-

[a] 3 de Loc. Aff. 7.

triculi

triculi imbecillitatem adauxit compreſſio eiuſdem à cibo, legendo, atque ſcribendo, vt obſeruauit Platerus. Hinc diminuta nutritio, ac proinde uirium defectus; atque dum ab obſtructionibus Aorta comprimitur, ſpiritus, & ſanguis in effluxu pulſationem excitant, tactui obuiam. Ab eadem autem minera uapores tetri, atque melancholici in cor, & caput eleuati, mœſtitiam inducunt, & quandoque ad gulam pertingentes, utpote craſſi, & ſuliginoſi, non adeò facilè reſoluuntur, quin potius intumeſcentiam, & quendam ſuffocationis ſenſum, uſque dum diſſipentur, inducunt.

Hic equidem affectus incrementum ſuſcipiens in pyloro tumorem excitare poterit, quem poſtea difficilior concoctio, alimentorum corruptio; tranſitus alimenti difficilior, imminuta nutritio, & tabes tandem, atque totius conſumptio ſubſequi poſſent. Et ideo ſtatim opem medicam poſtulat, & Pat. ſaluti potius conſulentem, quàm negotiis addictum, vt omnia iam dicta imminentia mala arceantur, & præſentia extirpentur.

Quod conſequi poterimus, ſi Vniuerſum corpus expurgetur, Viæ aperiantur, & obſtructiones auferantur, æſtus hypochondriorum, & iecoris contemperetur, Ventriculus moderatè calefiat, & ubertim humectetur, totumque nutriatur. De flatulenta verò materia verba non facio; dempta namque minera, non amplius reproducetur. Hæc autem præſtabunt remedia deſumpta ex medicis fontibus conſuetis.

Et quidem à Chirurgico repetenda ſanguinis miſſio, ex Iecoraria primò; ſecunda verò vice ex uenis ſedalibus. Cauterium coxæ dexteræ inuratur, niſi adſit. Sæpè etiam ante cœnam utatur crurum lotionibus, & totum abdomen vnguento roſ. Meſ. illinatur.

Ex fonte Pharmaceutico depromenda Lenientia, Præparantia, Expurgantia, Aperientia, Intemperies Corrigentia, & totum Inſtaurantia.

Leniens erit caſ. cum modico tartaro, cui ſuperbibat Patiens ius alteratum malua, vel hordeo. Præparans ius alteratum cich. borrag. endiuia, meliſſa, cort. citri, cum ſyr. acet. & de cort. citri, per v. dies. Mox repetatur caſſia eodem modo quo ſupra; inde ad noua præparantia deueniendum. Et quoniam humores præparandi ſicci ſunt, atque terrei; ideo emollientibus, & laxantibus egent. Præbeantur itaque ſucci borrag. & malu. depur. ad ℥ iii. in iure alterato cich. borrag. endiuia maluis: ſequenti verò die, exhibeatur flos caſ. ad ʒ iii. & ab ea ius, ut ſupra alteratum, & poſtero die ſucci; atque ita alternatim procedatur ad duodecim dies. Mox præſcribatur caſ. ad ℥ i. cum ℈ ii. pil. de tribus, & hora poſt, ſuperbibat Patiens ſer. capr. aut aſininum depur. ad ℔ ii. & tribus horis ab eo, prandeat. Mox paulò magis aperientia erunt adminiſtranda, ſed ſemper humectantia: ſiccum enim humido diluitur, & ideo repetantur ſucci borrag. malu. cich. depur. cum iure alterato cich. borrag. maluis, endiuia, & agrimonia, quibus ſimul miſtis addatur tart. uitriol. ad gr. x. in horum uſu perſiſtendo ad decem dies; Clyſteribus interim emollientibus iniectis; quibus diebus exactis, præbeatur caſ. cum lenit. & tart. uel ſyr. roſ. ſol. uel potio ex manna clarificata, ſuperhauſto ſero depur. ad ℔ ii. Quinimò ad æſtum hypochondriorum contemperandum, & exſiccatos humores humectandos, atque abluendos, ſerum capr. aut aſin. ad ℔ iv. uel v. cum uehiculo deiectorio ſyr. roſ. ſol. erit quinque, aut ſex diebus exhibendum. Verùm hoc tempore ſtatim à prandio, & cœna bolus erit præſcribendus, ex ſcrupulo uno ſucci abſinthii condenſati; uel ex ℈ ſ. pulu. maſtiches, cum gr. vi. ſalis abſinthii, aut menthæ, Poſt hæc lac aſininum erit de more propinandum quadraginta, aut quinquaginta diebus, Quæ omnia hoc anni tempore etiam calidiori adminiſtranda. Quod ſi aliqua adhuc in uentriculo labes ſuperfuerit, Autumno ineunte paretur uentriculi fundo ſtillicidium, ex ol. amygd. cum modico maſtichino, aut ſolo amygd. in quo manipulus abſinthii, & menthæ efferbuerint.

His omnibus addatur congrua uiuendi ratio, Sic abſtineat ab omnibus ualdè calefacientibus, & exſiccantibus, à ſalitis nempe, ab aromatibus, acribus, & acidis, ut ab allio, cæpis, aceto, ſuccis citri, limonum, & aurantiorum, Vtatur cibis facilis coctionis, & diſtributionis, necnon optimi nutrimenti. Abſtineat à carne bubula, ſuilla, & caſeo, à laganis, leguminibus, piſcibus teſta munitis, & oſtreaceis. Prima menſa familiare habeat ius malua, uel borrag. alter. prandiumque à cena diſtet nouem, aut decem horas, ſitque cena parcior. Vinum familiare non ſit generoſum, non dulce, non acidum, neque ex agris lapideis. Somnus ſit diuturnus, imò etiam diutnus, Exercitium fiat ante cibum, Si aluus non benè reſpondeat utatur ʒ iii. aut iv. flor. caſ. & omnino ab aloe, & aloeticis caueat. Non adeò in negotia ſit intentus, nec intra quatuor horas ab aſſumpto cibo, ad ſcribendum ſedeat. Quæ omnia ſaluti Nob. Pat. conferre poterunt, Adſtantem Medicum in Arte uerſatiſſimum nacta.

PRO

ſenſibilis verò totius per Diaphoreſin euacuatio, non minus a conſideratione digna; contegatur itaque noctu ſtragulis, & interdiu veſtibus, vitando frigidos ventos, potiſſimum à motu; in quem errorem ſi aliquando inciderit, emendetur matutinis totius corporis frictionibus. Capitis quoque particularis euacuatio per matutinas pectinationes ſpernenda non eſt, felicius proceſſura, à ſyncipite ad occiput pectine ducto. Neque in errorem illorum prolabatur, qui apertis cubiculi feneſtris, vel per viridarium ſpatiantes caput adhuc calens, potiſque patentibus, in ipſa pectinatione aeri frigido exponunt.

a 1. Meth. 2.

Sextò quoad animi pathemata; cùm Puer Sereniſs. à Parentibus prudentiſſimis, ac natura melancholicis progenitus ſit, cauendum, ne foueatur, minuſque augeatur huiuſmodi procliuitas continuis, moleſtis, atque diuturnis ſtudiis, neue b rigidis nimis Sereniſs. Parentum, vel Præceptorum imperiis meticuloſus, & puſillanimis euadat. Quare ſtudia rerum cognoſcendarum ętati proportione reſpondeant; pręcocem enim ſapientiam non ſine vitę diſcrimine aſſequi datum eſt, ut obſeruauit quoque Ficinius c; ſpeculationes quippe reſoluunt, atque reuocant calorem, & ſpiritus à concoctionibus; vnde totum labefactata nutritione laborare neceſſe eſt. Hinc vulgo fertur, quod Pueri prudentiores Senes ſint; eo quod rarò longam vitam producere obſeruentur; ineſt enim vnicuique rei ſua tempeſtiuitas. Neceſſarium erit itaque imperium, diſciplinaque blanda, ac ſuauis; quam quidem veneretur, at non formidet, minuſque odio habeat; quadam enim familiaritate in puerorum educationibus opus eſt, vt facilius & literarijs, & moralibus præceptis imbui poſſint, verbo, ſatis ſit Principis Sereniſs. animum moderatè compoſitum ſeruare; adeò ut non liberè, & inuerecundè; ſed æqua mente, & temperatè circa has omnes res nonnaturales ſe gerat; potius tamen virtutis amore, quam formidine pęnæ.

b 5. de Decr. 5.

c Lib. 1. Cap. 1. & 7.

Quoniam autem nonnunquam Pueri vermibus obnoxij eſſe ſolent, qui generantur facilè d ex cruditatibus, ab infarctis cibis productis, atque corruptis; ideo aliquod medicum auxilium, quod tamen grauiora mala non excitet, in vſu habendum; validiora enim, præſertim rebus dubijs, nunquam uſurpanda. Sufficiat itaque Aq. ſtill. de ſucco Rutæ Capr. ad ℥ iv. uel hauſtus Aq. roſ. cum acido Cit. aut Lim. vel ius acetoſa alteratum, addito ſucco Citri. Quod ſi certa vermium appareant indicia, duo ſelectiora remedia profuerint quammaximè. Alterum vermes enecans, & putredinem arcens, ſpiritus nempe Vitrioli, potiſsimum M. Ducis Etruriæ; alterum enecans, putredinem oppugnans, & educens, Aloe ſcil. lota. Quare matutinis horis, ieiuno ventriculo, præbeatur Aqua iam dicta de Succo Rutæ Capr. additis ſpir. Vitrioli gutt. iii. vel iv. Veſperi uerò ſub cœnam exhibeatur pilula ex Aloe lota ſucco roſat. ad gr. vii. uel viij. quæ tribus diebus eodem ordine repetatur, omiſsis quibuſcunque alijs medicamentis. Interim cibi aceto, aut ſucco Cit. atque Limon. condiantur. His autem addatur Clyſterum uſus, ex lacte, butyro, & ſaccharo, bis etiam die, ſi vermium moleſtia perduret.

d 5. Aph. 26.

Externis uerò medicamentis parum fido, quoniam leuia non penetrant, validiora partes, & viſcera lædere poſsunt. Nihilominus non inutilis fortaſſe fuerit Theriaca antiqua, aceto diſsoluta, & Vmbilici regioni illita.

Timoribus quoque obnoxij ſunt Pueri, vulgò Spaſmo dictis, quibus occurrendum hauſtu Aq. tot. citr. vel ſcorzoneræ, quæ praſtò eſſe debebunt; temperatæ namque ſunt, atque putredini obſiſtentes. Quibus omnibus D. O. M. vt annuat, faueat, & adſpiret, enixè precor.

INAP.

LXXII.

INAPPETENTIA.

ILluſtriſs. quadragenarius, temperamenti totius, & iecoris, calidi, & ſicci, mediocris habitus, exercitijs, & venationibus antehac aſſuetus, modò tamen, multis abhinc menſibus, ob crus ex caſu affectum, domi continuò morari coactus, cibiſque, & potibus immoderatè indulgens, tribus abhinc menſibus de inappetentia conqueri cępit, quæ adeò tandem inualuit, vt cibos non ſolùm auerſetur, ſed omnino ab iis abſtinere cogatur. Sitis tamen illum maximè infeſtat, cum oris amaritudine; licet ſputa, imò & vomitus etiam quandoque viſcidæ materiæ, & amaræ obſeruentur, quamobrem infelix Pat. de agendis ad appetentiam recuperandam nos conſulit.

[a] 4. de Vſu Part. 1.

[b] 4. Aph. 17 & 1. in 1 Epid. 28.

Quoniam itaque ad vitam continua inſtauratione indigemus, prout continuò reſoluimur, & hæc forſan à nobis neglecta fuiſſet, niſi aliquod ad illam irritamentum natura molita eſſet; ideo nobis appetentiam indidit, primò naturalem, vltimò animalem; quæ quoniam in ventriculo magis viget, quàm in alijs partibus, ideo propriam eſſe ventriculi actionem, & potiſſimum eius orificii ſtatuimus, prout in fundo eiuſdem concoctio perficitur; vnde iure Gal. [a] Ventriculum, *Ciborum diuinum promptuarium* appellauit. Quare, ſi apperentia propria eſt ventriculi actio, inappetentia eiuſdem actio imminutè læſa omnino cenſenda, quam Anorexiam Gal. nominauit. Hoc autem affectu detentum eſſe Nob. hunc Virum manifeſtum eſt, adeò hucuſque adaucto, ut inappetentia ad ciborum abſtinentiam deuenerit, & Anorexia [b] ad Apoſitiam tranſitum fecerit.

[c] 1. de Symptom. Cau 7.

[d] 4. Aph. Com. 2.

[e] 3. in 1. Epid. 23.

Affectus autem huius immediata cauſa eſt defectus ſuctionis in ore ventriculi, quæ caſu noſtro non ſolùm deficit, quia non fiat; ſed quia etiam, ſi aliquando fit, non percipitur. Primò autem non fieri credendum, quoniam ſuctionem [c] præcedere debet venarum exinanitarum naturalis appetentia, atque hanc totius exinanitio; quam non adeò facilè fieri poſſe in Nob. Pat. ob intermiſſa exercitia arbitramur, à quibus caloris ope toto corpore rarefacto, non ſolùm per diaphoreſin vniuerſalem, excrementorum, verùm & proborum ſuccorum copia reſoluebatur, quod hac quiete, & otio fieri minimè poteſt. Sed præterea ſuctio hæc, licet aliquando fiat, raro tamen, aut nunquam percipitur; quoniam ſuctionem ſequitur illius ſenſus, atque hunc appetitus Animalis, ex Ariſt. enim appetitus procreatur ex fuga vacui, quod ſequitur in inedia, dum venæ maiores à proximis non ſolùm; verùm & à diſtantioribus in ſubſidium cordis ſanguinem attrahunt, vnde & ventriculus ipſe exinanitur ſicque excitatur ſuctio, quæ à facultate Animali influente perſentitur, à qua offertur primo ſenſorio, inde Phantaſiæ, ut tandem ab Intellectu Agente illuſtrata, à Poſſibili intelligatur, & facultatibus miniſtris imperetur, ut indigentiæ proſpiciatur. Cùm verò os ventriculi cruditatibus, ex libera viuendi ratione congeſtis, infarctum fuerit, ſuctio non percipitur, quia adſtrictio, & corrugatio perfici nequit; præterquamquod mucoſitatibus biliosi quoque humores adiunguntur, qui utpote [d] calidi corrugationem eandem prohibent, quę vel à frigido ſucco fit, vel à frigiditate non ſine ope inanitionis inductæ. Hinc Cleonactides [e] febricitans, quia non aborruit à cibo, bilioſum ſuccum, & calidum non habuiſſe in vẽtriculo creditum fuit; à quo ſaſtidioſi, ideſt, appetitu carentes fiunt. Quamobrem in caſu noſtro deficit appetitus, tum quia non pręcedit totius exinanitio, quæ omnium prima ad appetitum excitandum concurrere debet, vnde ſuctio fieri nõ poteſt; tum quia, ſi interdum fit, eius abeſt ſenſus in ore ventriculi; adeò vt ob primam cauſa naturalis appetitus otietur, ob ſecundam Animalis, qui propriè Fames dicitur.

[f] Art. Med. 81.

[g] 5. de Loc. Aff. 6.

Affectus equidem ſemper magni faciendus; intenſa [f] enim, vel reſoluta ciborum appetentia futuram prænunciat ægritudinem; adeò ut ſani [g] à cibo diù abſtinentes in conuulſiones incurrant; Apoſitia quippe inuadens hominem tandem interficit, cuius vita ſine cibo in ſeptimum diem protrahi poſſe credidit Hipp. dum dixit, quod, *Vita hominis ſeptem dierum eſt*; & vſque ad vndecimam Plinius. Quæ tamen vtraque aſſertio perpetuæ veritatis

tis non eſt; ſed variat pro varietate ætatis,& temperamenti; ſiquidem, *Qui creſcunt plurimum habent calidi innati,& ideo plurimo indigent alimento: Senes verò facillimè ieiunium ferunt* ex Hipp. Ita humidum temperamentum diutius famem tolerat, vt videre eſt in Animalibus degentibus in latebris; ſiccum verò inediam diù non fert, vt in Picrocholis quotidie experientia demonſtrat.

Quamprimùm itaque Patienti Nob.appetentia reſtituenda,antequam vires deficiant,ac proinde difficilior reddatur curatio. Quod præſtabitur, congeſtos humores, tum in venis, tum in ſpatiis euacuando, vt non ſolùm totius exinanitio, indeque ſuctio obtineatur; verùm etiam ſuctionis ſenſus. Secundò ventriculum roborando. Et tandem aliqua à proprietate iuuantia in vſum ducendo.

Atque à fonte Chirurgico repetita depromenda ſanguinis miſſio, licet Auic. moneat, quod nauſeantem phlebotomare non oporteat; etenim ſectio venæ,noſtro caſu,inappetentiæ cauſam auferre poteſt, vnde hæc concedenda, licet parca. Conuenient etiam totius corporis frictiones. Balneum quoque Aquæ calidæ cutem rareſacere; humores inſenſibiliter reſoluere, & diſcutere, ac exinanitionem adiuuare poterit. Et licet Hipp.[h] cibos faſtidientes non eſſe lauandos pronunciauerit, intelligendus tamen de iis, in quibus adeſt ſuccorum defectus, ob metum Syncopes.

[h] 3. Acut. 59.

A Pharmaceutico fonte primò Euacuantia deſumenda, & Vomitoria, ex Hipp.[i] dicente, quod, *Si quis febrem non habens abſtineat à cibo, & cordis morſum, & Vertiginem patitur, & oris amaritudinem ſentit, purgatione indigere per ſuperiora ſignificat*. Quod aliàs repetit[k] dicens. *Si ſine febre os amarum, & cibum auerſatur, pharmacum dandum: hac enim à bile patitur*. Cui ſubſcripſit quoque Paulus[l]. Præſcribatur itaque vomitorium,ſed blandum,ne noua attrahatur à Iecore materia ad ventriculum ipſum. ℞. Iuris Carnium Rad. Raph. alterati ℥ x. Iulap. acet.℥ iii.m.pro vomitorio. Inde Clyſter quoque infundatur, qui poſſit, tum euacuare, tum à ventriculo reuellere. ℞. Decoct. Malu. Viol. Mercur. Hord. ℔ i. Syr.Roſ.ſolut, Ol. Amygd.an.℥ iii.Salis parum,Vitellum Oui.m.pro Clyſt.Tertio loco præbeatur Leniens.ita parandum. ℞.Elect.Lenit.Flor.Caſs.an.ʒ iii.Crem.Tart.ʒ iii.m.f.b. Sequentibus verò quinque diebus præparans huiuſmodi. ℞. Iulap. acet.℥ iii. Pollin. Crem.Tart.ʒ iii.m. pro Syr. & ſic pro aliis. Poſtmodum euacuans, hoc pacto. ℞. Elect. Lenit. ʒ vi. Cremor. Tartar. ℥ ſ. Spec. hieræ ſimp. ʒ ſ. m. f. b. à quibus hora poſt ebibat Aquæ hordeacæ libram. At quoniam, licet bilioſus humor adſit, ob viſcidi tamen, pituitoſi, & crudi permiſtionem in ipſo ventriculo hæret; ideo ad perfectam eiuſdem deterſionem, & ventriculi ablutionem, Aqua Tettuciana cum vehiculo Mellis,& Syr.Roſ.ſol.opportuniſſima fuerit, ſemel exhibita;quinimò etiam repetita, ſi viſcidæ,atque tenaces obſeruatæ fuerint excretiones. Inde repetantur præparantia, Serum nempe Capr. depur. ad ℔ i. vel aqua hordei; præmiſſis ℥ iij. Iulap. acet. ſeptem autem exactis diebus. ita purgentur humores. ℞. Elect. lenit.ʒ vi.Crem. Tart. ʒ ii. Pil.de Trib.ʒ i.m.f.b. quibus hora tranſacta ſuperbibat Seri depur. aut Aq.hordeac. ℔ i. ſ. & tribus poſt horis prandeat.

[i] 4.Aph.17
[k] de Aff.14
[l] 3. de Re Med. 37.

His peractis, Ventriculus quodammodo roborandus,hac ratione. ℞. Conſeru. Roſ. ℥ vi. Spec.Diarrhod. Abb.ʒ i.Tinct.Corall.chymicæ gut.x.m.reſor.Elect.roborat quoque Conſ. Cydon. Tinctura Roſ. cum Spir. Vitrioli extracta. Sicut extrinſecùs Emplaſtrum de cruſta Panis Montagnanæ; vel de pulpa Cydon.ſub cineribus coctorum, additis pulueribus Roſ. Sumach.& Maſtiches, cum aceto reſorm.

A proprietate iuuant acida omnia;vnde multi in hanc opinionem deuenerunt, quod Inappetentia fiat ex ſucco Vitriolato vitiato in ventriculi fundo, & veluti ſopito,qui iterum acidis ſuſcitetur; ideo ſpiritus Vitrioli philoſ. nnnquam ſatis laudari poteſt, in exigua Aq. Menthæ, vel vino exhibitus.Extrinſecùs verò mirabilis habetur inunctio ex butyro Capræ, cum aliquot guttulis Olei Caryophyllorum reformata.

His accedat congrua victus ratio, circa quam obſeruandum, quod ſicut, *Somnus ſtabilis, rectorum dormitatio*. Vnde Gal. ait[m] quod, *Quos volumus profundè dormire, tantiſper vigilare faciamus*. Ita caſu noſtro, quem volumus eſurire, non oportet adeò ad cibum capiendum ſolicitare. Secundò notandum, quod cibus, licet parum[n] deterior, ſuauior eſt concedendus; quæ enim oblectant, addit Gal. auidius expetuntur. Tertiò conſuetudinem, tempus, & ordinem obſeruare oportet. Vitentur autem pinguia, oleoſa, cerebrum, medulla Animalium, nauſeabundi, & ingrati dolores; Ventriculus namque gratis,[o] & bonis odoribus gaudet,& ut ait Auic. *Amat aromatizationem*. Acida, & acerba appetentiam excitant. Sapa[p] ventrem firmat,& appetentiam irritat; ſic Oliuæ[q] muria,& aceto conditæ. Aqua

[m] 4. in 6 Epid 17.
[n] 2.aph 38
[o] 8.per loca 3.
[p] 2.de Ali. m. Fac 9.
[q] 2.de Ali m.Fac. 39.

r 4. in 6. Epid. 20. ſ 2. de Alim. Fac. 23.

quandoque potus loco præferenda, *Edax* r ab Hipp. dicta; unde Piſcatores, & Nautæ auidè cibum appetunt. Myua Cydoniorum amiſſam appetentiam reſtituit, vt notat Gal. ſ Corpus exerceatur. Vigiliæ potius, quàm Somno indulgendum, & alacriter viuendum.

LXXIII.

CANINA FAMES.

REuerendiſs. Canonicus, 30. annorum, temperamenti totius, & iecoris calidi, & ſicci, ventriculi verò frigidi, gracilis, & rari habitus, copioſis cibis, fructibuſque, & potibus niue refrigeratis ſemper vſus, cùm multis abhinc annis vorax quodammodo factus fuerit, & frequentibus Diarrhœis obnoxius, tandem anno abhinc, licet abundè, quinimò conſueto plenius, & auidius cibos aſſumat; nunquam tamen ſatiatur. Quod ſi aliquando plurimo alimento famem compeſcere tentet, in tantam ventriculi anxietatem delabitur, vt uomere cogatur. Quamobrem, vt ab hac inſigni moleſtia, atque incommodo vindicetur, medicum petit auxilium.

a 1. de ſymp. Cau 7. b 2. Aph. Com. 21.

Fames morboſa, qua Reuerendiſs. Vir laborat, ad amuſſim à Galeno a deſcribitur titulo Caninæ famis, & definitur ab eodem, b quod ſit, *Vehemens, & indeſinens ciborum appetentia, proueniens, vel ab indeſinenti ſenſu ſuctionis, vel ab alimenti defectu;* In hoc autem affectu læditur os ventriculi, in quo fit appetitus; & licet Plantis quoque, ventriculum non habentibus competat fames; eſt tamen in his opus naturale, proueniens à ſuctione per partes facta, donec deuentum fuerit ad ipſas radices, quæ poſtea appetitu Animali non egent, vt indigentiæ proſpiciatur, præſente ſcilicet alimento; Animalibus verò præter opus naturale, quod ſuctione fit, ſenſu quoque eiuſdem ſuctionis fuit opus, appetitu videlicet Animali, ut diſtans alimentum exquireretur; quod animale opus Appetitus propriè; ſicut naturale Fames appellatur.

In caſu itaque noſtro indeſinens eſt Appetitus hic Animalis, in ore ventriculi excitatus; non ſine tamen præcedente nimia vaſorum ſuctione. Quare vtraque cauſa à Gal. iam recenſita, ad hanc Caninam famem excitandam dubio procul concurrit. Et primò quidem alimenti defectus, quoniam utpote temperamenti calidi, & ſicci, rarique habitus, plurimùm Pat. reſoluitur; vnde perpetua totius exinanitio, & inde neceſſaria ſuctio, dum venæ maiores à venis partium exugunt, donec ad os ventriculi deueniatur, in quo tandem perficitur ſuctionis ſenſus, qui hoc caſu adaugetur à copioſiori ſucci acidi portione, & continuus redditur ab intemperie frigida ipſius ventriculi, quæ conſtringendo, c uacuando, vellicando perpetuò irritat ſenſum ſuctionis, & appetitum ipſum Animalem; vnde in Arte Med. d dicebat, quod, *Frigidior natura ventriculi, ad appetendum quidem plurimùm viget; ad concoquendum autem minimè.* Quæ quidem intemperies frigida naturalis eidem fuit, multùm tamen adaucta, tum a copia prægreſſa ciborum. vnde frequentes contingebant Diarrhœæ; tum verò maximè à gelidorum e fructuum, atque potionum conſueto vſu. Neque obſtat, quod temperatus ventriculus magis concoquat, & appetat, quàm calidus, & frigidus, vt Gal. f aſſeruit; tunc enim de naturali appetitu, & concoctione loquutus fuit. Nec pariter quod ſcribit Auic. g *Et quandoquidem accidit appetitus Caninus propter caliditatem ſuperfluam in ore ſtomachi reſoluentem, & reſtaurationem requirentem; ob quas os ventriculi, quaſi ſemper famelicum fit;* Etenim caliditas hæc non concurrit, vt cauſa proxima Canini appetitus; ſed vt remota, quatenus frigiditatem inducit: ſicut enim dum caliditas tenuius humidum reſoluit, ſiccitas ſupereſt, quæ ſitim excitat; ita dum reſoluit humidum craſſius, frigiditas inducitur, famis cauſa.

c 4. Aph. Co 21. & 5 de Loc. Aff. 10. d Cap. 63. e 5. de loc. Aff. 11. & Act. Tetr. 3 Serm. 1. Cap 21. f 3 de Tēp. Vl. & de Cont. Art. Med Ca. 1. g 13. 3. Tr. 3. Cap. 14

Verùm quoniam copioſa adeò alimenta, nec ventriculus conficere poteſt, nec ijs corpus vniuerſum eget; ideo neceſſe eſt, ut more h Canum Pat. ad vomitum ſe conuertat; ſicut ſuperioribus annis per aluum exonerabatur, non ſecus ac Seleucidæ i Auiculæ, in Aſia, Locuſtas comedentes, eaſdemque per aluum excernentes.

h Act. Loq. c 1. i 6. de loc. Aff 3.

Affe-

Affectus equidem non ſpernendus; etenim diuturnus calorem natiuum adeò labefactat, ut Concoctrice, & Retentrice debilitatis, in [k] Hydropem, aut Cæliacam paſſionem tarrdem deſinat, & niſi cibis ſuccurratur, in hac potiſſimum calida, & ſicca temperatura, facilè febres accendantur; quinimò ſi Pat. prauis utatur alimentis, febres peſtiferæ, vel cutanei [m] moleſtiſſimi affectus ſuboriantur. Et licet Virum hunc Reuerendiſs. huiuſmodi affectu liberare non adeò facilè fuerit; cùm præter naturales, nouas etiam morboſas radices egerit, quia tamen prudens Medicis mandatis obtemperaturus eſt, ſalus ſperanda.

[k Aet. Ibid. — l Ibid. — m 1. de Diſ. Feb. 3.]

Cuius gratia cauſis contraria ſunt opponenda, totius enim habitus quodammodo denſandus, & intemperies frigida uentriculi corrigenda, quæ quoniam non ſine acidæ pituitæ ope affectum hunc excitat, ideo hæc prius deturbanda; mox intemperies emendanda; atque tandem à proprietate iuuantia in uſum reuocanda.

Quibus explendis intentionibus, à fonte Chirurgico deſumendæ inunctiones totius corporis denſantes, ex Ol. Roſ. & Viol. frequenter repetendæ.

Ex Pharmaceutico primò ratione acidæ materiæ Lenientia, Præparantia, & Purgantia conueniunt. Leniens ſit Elect. Lenit. cum Hiera, uel Mel. Roſ. ſol. cum Crem. Tart. Præparans ſine diluto, ut diutius in uentriculo moretur, ſic paretur. ℞. Mel. Roſ. ſimp. Oxym. ſimpl. Aq. vite caryophyl. an. ℥ i. m. pro Syr. & ſic pro aliis. Vel. ℞. Oxym. ſimp. Aq. Cinnam. an. ℥ i. Salis Menthæ gr. vi. m. pro Syr. Purgans ualidum non ſit, cùm materia expurganda in uentriculo hæreat, unde nil Hiera picra [n] præſtantius, quæ humores impactos diſſoluit, expurgat, uentriculum calefacit, exſiccat, & roborat. Quare ℞. Spec. hieræ ſimp. ʒ i. ſ. Elect. lenit. ʒ vi. m. f. b. Vel ℞. Pil. de hiera cum agar. ʒ i. Aleph. ʒ ſ. m. reformentur Pilulæ, cum vino aromat. & aur. Quod ſi fortaſſe hæc acidæ materiæ præparatio non ſufficiat, prout nec expurgatio, repetatur hac ratione. ℞. Oxymel. ſquill. Syr. de Praſſio, de Mentha, Aq. vitæ Caryophyl. an. ℥ i. m. pro Syr. & ſic pro aliis, quibus expurgatio Hiera picra, uel Pil. ſuccedat.

[n 4. Loc. Cæ.]

Frigidam autem uentriculi intemperiem corrigunt Diacyminum, Elect. Aggreg. Auic. de Scoria ferri Haly, Theriaca ex Serapione. Diatrionpip. quo Gal. [o] Septuagenarium ſpatio unius hebdomadæ ſanauit. Verùm Hipp. meraci uini potum proponit, dicens, quod *Famem* [p] *thorexis ſoluit*. Quod genus remedii admittitur quoque in Com. à Gal. Efficacius autem reddi poterit uinum ipſum, ſi piper, aut ſpica Nardi eidem addatur, & ieiuno uentriculo calidum aceruatim præbeatur, ſtatimque cibaria pinguia, & oleoſa exhibeantur. Extrinſecus quoque intemperiem frigidam corrigere poterit ſtillicidium ex Oleis, hoc caſu parandum, prout in corporibus obeſis, ex Aquis Sulphureis. Itaque ℞. Olei Amygd. dul. Amar. an. ℔ iij. Maſtich. ℔ i. Vini maluatici ℔ i. ſ. Nucum Myriſt. contuſ. n. iij. Cinnam. integ. ℥ ſ. Macis, Caryoph. an. ʒ ij, Fol. Menthæ rec. m. i. m. bulliant omnia ad conſump. Vini, & facta fort. expr. ſeruetur pro ſtillicidio, 20. ſaltem diebus adminiſtrando. Reliquo verò tempore, illini poterit os Ventriculi Ol. M. Ducis Etruriæ, uel etiam Nucis Moſchatæ per expreſſionem parato.

[o Lib. Secto — p 2. Aph 21]

Tandem aliqua à proprietate iuuantia non omittenda. Ita Caro Glirium à proprietate nauſeam prouocat; Eſſentia item Meliſſæ cum Spir. Vini extr. ad cochlear. Vinum pariter Saluiatum.

Quibus omnibus congrua addenda victus ratio; qua primò gelidi potus omnino mittendi. Seruanda quoque propria ciborum quantitas, & qualitas, Gal. [q] enim conſuetos cibos, duplos, & triplos permittit; eoſdemque difficilis reſolutionis proponit, cuiuſmodi ſunt Caro Suilla, Cochleæ, Cancri, Oryza cum lacte, Caſeus, Pultes ex farina triticea; Ratio eſt, quia, [r] *Eorum, quæ velociter nutriunt, veloces quoque fiunt excretiones*. Foueri autem poteſt affectus hic ab Aqua, & Vigiliis; hinc, [ſ] *Aqua edax, Vigilia vorax*. Illa, quia refrigerando, & exprimendo appetentiam generat, & adauget; hæc uerò, quia corpus digerit, atque reſoluit, ut Gal. in Com. Quæ pro huius affectus curatione, ſufficiant.

[q 2. Aph. Com. 18. — r 2. Aph. 18 — ſ 4. in 6. Epid. 20]

LXXIV.

B V L I M O S.

TAbellarius quidam per diſpoſitos equos algidioribus, ac feruidioribus anni temporibus, diu, noctuque iter faciens, annum agens 40. temperamenti totius, & iecoris, calidi, & ſicci, gracilis habitus, cùm hyeme præterita, loca montoſa, frigida, atque niuoſa peragraſſet, matutinis horis, frigidiſſimo flante Aquilone, perfrigerationis ſenſũ in viſceribus percepit, ſimulque cibum capiendi vehementi deſiderio correptus, præ fame animo defecit; quinimò cùm alimenta præſtò non eſſent, paulò poſt ruſticum quoddam tugurium ingreſſus in lipothymiam incidit, qua, ut ipſe ait, periiſſet, niſi Ruſticus hoſpes aceto cum aqua frigida faciem inſperſiſſet, & vinum in os infudiſſet, ignique ſtatim etiam admouiſſet; moxque, vèl ipſo inuito, & alimenta reſpuente, vino, lacte, & ouis vires inſtauraſſet. Quoniam autem hoc mali genus non ſemel Pat. corripuit, adeò vt ſolita itinera non amplius ingredi audeat, conſilium ideo noſtrum, & auxilium petit.

Affectus, quo Tabellarius iſte correptus eſt, ex ingenti, vehementique fame, lipothymia, ſeu animi defectu Syncopi proximo, & anorexia, ſeu ciborum auerſatione conſtare videtur; etenim ab initio vehemens cibi deſiderium ſuboritur, à quo animo linquitur, mox reſtitutus cibum prorſus auerſatur. Quare Bulimos appellandus eſt, quem magnam famem nuncupauit Paulus [a] Tral[b]. & Aet[c]. Gal. [d] verò dixit, nil aliud eſſe, quàm animæ defectum, & Actuarius, Bulimo detentos cibum auerſari aſſeruit.

Malum hoc plerique Medicorum cum fame Canina ſolent confundere; cùm tamen ipſum definiat Gal. [e] quod ſit, *Caſus potentiæ ex frigiditate exteriori, qui à fame quidem inchoauit, ſed non habet eam amplius adiunctam.* Ideo ſubdit, *A fame Canina Hipp. differt.*

a 2. de Re Med. ſi- b Lib. 7. Cap. 4. c Tetr. 3. Ser. 1. C. 6. d 2. ad Glauc 14. e 2. Aph. Com. 21.

Fit autem hoc modo. Dum ab externa intenſa ambientis frigiditate, per os attracta, & per cutis etiam poroſitates inſinuata, ventriculus facilè refrigeratur, utpotè pars non carnoſa, ſed frigida, & membranoſa; ab hac frigiditate initio nondum immodica, os ventriculi condenſante, conſtringente, vellicante, & irritante, vehemens excitatur ciborum appetentia; at in progreſſu, eadem inualeſcente, & præcellente, calor ipſe extinguitur; vnde non ſolùm perit appetitus, verùm & animi defectus, ac lipothymia ſubſequuntur. Ex quibus apparet, quod in principio conuenit quidem cum Canina ſame, cùm ambo ab ingenti appetitu incipiant, in canina tamen fame perdurante; ceſſante vero in bulimo; prout illa in Diarrhœam, uel vomitum deſinit; hic autem in animi defectum, & Lipothymiã, cuius cauſa à Profeſſoribus in alimenti inopiam referri ſolet. Hinc dicebat Auic. [f] *Bulimos eſt fames membrorum, cum ſatietate ſtomachi, ſicque membra ſemper famelica, & nutrimento indiga ſunt; cùm tamen ſtomachus illud ipſum reſpuat.* Attamen quoniam breui adeò inediæ tempore, membris omnibus alimentum deficere, impoſſibile eſt, ac proinde corpus ad lipothymiã, & animi defectionem perduci; verisimilius propterea nobis uidetur, quod ore uentriculi uehementer perfrigerato, & affecto, illico Cor in conſenſum trahatur, [g] *Nulla quippe pars noſtri corporis æquè, ac os ventriculi in conſenſum ducit utrumque principium*, nimirum Cor, & Cerebrum.

f 53. 3. Tr. 2. Cap. 15. g 1. de Sympt. Cauſ. 7. h 8. Probl. 5.

Neque audiendus Ariſt. [h] cui ſubſcripſerunt quoque Auic. & Trall. mox & Altimarus, & Mercurialis, Bulimi cauſam calidam eſſe ſtatuentes, quòd tanta frigiditas in nobis dari non poſſit, ab ambienre frigido inducta; ſed à calefacto uentriculo ob frigus ambiens, arq; à calore diſſipato alimento, inanitionem fieri; exinanitoque uentticulo impotentiam ſuccedere, quia diſſipentur, ac reſoluantur ſpiritus, unde tandem frigiditas; non eſt, inquam, cum magnis iſtis ſectatoribus Ariſt. audiendus; huiuſmodi namque antiperiſtaſis in corpore exangui, frigido, ac membranoſo admitti non poteſt; ſatis tamen hoc nobis ſit, quod & ipſi frigiditatem tandem in hoc affectu concedant, atque adeò cum Gal. [i] & Aetio [k] conueniant. Neque ſubticendus error Trall. de ſuo Bulimo in illa muliere, quæ cùm multa, atque immodica aſſumeret, ac concoqueret, nunquam tamen ſaturabatur; quæ eroſionem

i 7. de Sympt. Cauſ. 7. k Tetr. 3. Ser. 1. C. 6.

in uentriculo paſſa, aſſumpta hiera Vermem inſignis longitudinis eiecit, à quo immoderata appetentia ceſſauit; Bulimos namque affectus ille non fuit; quia nunquam in animi defectum, uel lipothymiam incidit mulier; nec forſan Canina fames, quia neque uomitus, neque alui deiectio ſubſequebantur; ſed Animal illud omnia alimenta abſumens, citra ullam uentriculi læſionem, Mulierem ad cibum capiendum compellebat.

Affectus hic grauiſſimus eſt, parum enim abeſt à caliditatis extinctione; unde quamplurimi in locis deſertis Bulimo correpti, momento temporis perierunt; quod eueniſſet quoque Patienti noſtro, ſi procul ab incolis, ac proinde ab auxilijs in hoc malum incidiſſet. Neque adeò facilem futuram cenſemus expetitam pręſeruationem, prout incertam admodum curationem ominamur.

Certa tamen euadere poterit præſeruatio, ſi ab itineribus per loca frigidiſſima, atque niuoſa abſtineat, alioquin cùm gracilis corporis ſit, rarique habitus, & forſan etiam ventriculus exquiſito ſenſu præditus, verendum foret, ne quoties intenſa ambientis frigiditas ingrueret, toties in bulimum incurreret. Nihilominus, ut ipſi morem geramus, præſeruationis gratia primò, mox & curationis, aliqua præſcribemus.

Primò itaque iter facturus, uentriculum Oloris, aut Mergi pelle, aut Sacculo ex plumis Perdicis, & Anſeris præmuniat, nec ieiunè frigidiſſimo aeri in itinere ſe exponat. Ore Caryophyl. aut fruſtulum Nucis Myriſticæ continuò verſet, atque dentibus terat. Vaſculum vitreum, aut terreum, Aqua vitæ Iuniper. aut Caryoph. plenum ſecum portet, ut vrgēte neceſſitate, eiuſdem hauſtu recreetur; ita enim ab ambientis frigiditate ventriculo tutato, fames arcebit, & potiſſimùm animi defectum.

Pro curatione verò omnium primò ab animi defectu Pat. reuocandus. Secundò præſentiſſimum auxilium à cibis ſtatim petendum ex Aetio[l]. Tertiò ventriculus, & totum calefaciendа: Ac tandem appetitus excitandus.

[l] Loc. cit. m 1. ad Glauc. 14.

Quibus explendis intentionibus iubet Gal.[m] ut omnino totum corpus calefiat prope ignem, illud fricando, atque fouendo. Secundò, ut vinum exhibeatur. Et tandem cibi calefacientes ingerantur. Nec ullo modo audiendus Trall. qui frigidam exhibet; quòd cum Ariſt. credat, bulimi cauſam calidam eſſe. Statim itaque frictiones, calefactiones, extremarum partium vincula, Capillorum vellicationes, mox odoramenta præcipiunt Aetius, & Paul. ex decoctione Pulegii in aceto, & pane calido; uel ex carne ſuilla aſſata, omnia tamen deſumpta ab ipſo Gal.[n] Et licet odores nutrire poſſe negatum fuerit ab Ariſt.[o] oppoſitæ tamen ſententiæ fuerunt Hipp.[p] & Gal.[q] cum eo; licet ita conciliari poſſint, quod ſcil. ſi pro ſimplici qualitate odorabili odor ſumatur, non nutrit; nutrit autem, ſi pro vaporoſa ſubſtantia, ab odoriferis corporibus effluente uſurpetur; cùm enim qualitas odora ſit accidens, nutrire non poteſt, nutritio namque fit ex rebus corporeis, quia eſt euacuati repletio, euacuatum autem corporeum eſt. Conciliantur quinetiam, ſi dicamus cum Hipp. & Gal. odores ſpiritus tantùm alere, non autem ſolidas partes, quod ſolùm negauit Ariſt.

[n] 8. per Loca 4.
[o] Lib. de Sen. & ſē ſib.
[p] Lib. de Alim. n. 6.
[q] 2. Aph. Com. 11.

Reſtitutus autem Pat. ſolidioribus nutriendus, iure ſcil. carnium, vino, ouis ſorbilibus, & iis, quibus modica quantitate vis plurima ineſt. Vinum[r] ſit dilutum; meracum enim corpora exinanita, atque imbecilla ad conuulſiones, ac deliria perducit. Vtcunque autem nutrito Patiente, aliqua calefacientia, tum interna, tum externa adminiſtranda veniunt. Intrinſecus conuenit aliquod cochlear Aq. Cinnam. Elixir vitæ in Aq. tot. Cit. Scorzon. uel cord. prima Sax. Parandæ quoque, & pro uſu, præſtò habendæ Confect. Rotulis, ex Oleo Aniſor. Caryophyl. Cinnam. Cort. Cit. Extrinſecus fouendus ventriculus decoct. Menthæ, Abſinth. Caryophyl. Cinnam. uel ſaltem inungendus Oleo Nucis Moſch. Tandem ad appetitum reſtituendum plurima exſtant; uerùm ui peculiari præ alijs pollet in hoc affectu acetum ſquill. in aqua bugloſ. & quia aſſerunt Chymici, Bulimum fieri ex ſucci Vitriolati defectu; ideo abs re non fuerit, ad acida uitriolata confugere, ut eſt ſpir. uitriol. philoſoph. in uino Granatorum, uel cum tinct. roſ. exhibitus.

[r] 8. per Loc. 4.

Victus rationē quod attinet. Cibi ſint facilis coctionis, atq; diſtributionis, ut citò nutriāt, Tralliani miſſo conſilio, qui alimenta difficilis concoctionis proponit, à cauſa calida bulimum fieri falsò perſuaſus. Et quia, [s] *Eorum, quæ velociter nutriunt, veloces quoque ſunt excretiones:* ideo, *Et* [t] *quibus ſemel, aut bis, & quibus plura ne, an pauciora offerre oporteat,* conſiderandū. Vnde Gal. in Com. monet, quod in defectu ſpirituum, parum, & ſæpè cibus ſit offerendus. Quæ pauca, tum pro præſeruatione, tum pro curatione, ſatis.

[s] 2. Aph. 18
[t] 1. Aph. 17

SITIS

LXXV.

SITIS MORBOSA.

IVuenis Illuſtriſs. annum 30. agens temperamenti totius, & iecoris, calidi, & ſicci, rari, & gracilis habitus, venoſus, & in iram valdè pronus, cùm toto anno elapſo cum ſodalibus orbem terrarum perluſtraſſet, ut uarios gentium mores, uariaſque regiones addiſceret, atque in itinere, ut plurimùm uina generoſiora potaſſet, & eduliis ſalitis uſus eſſet; tandem hac præſenti æſtate, domum reuerſus inſignem adeò, & moleſtam ſitim pati cœpit, ut cibi faſtidium, cum calore, & ſiccitate ventris, imò & totius corporis, oris amaritudine, & linguæ, gulæque aſperitate illi induxerit. Neque ab hac, licet vinum oligophorum multum ingurgitet, quinimò & copioſam aquam, liberari vnquam potuit. Quamobrem cùm Pat. Illuſtriſſimus prudentiſſimè noſcat, ſitim hanc malam eſſe, non ſolùm ut ſignum internæ caliditatis, & ſiccitatis intenſæ, verùm etiam ut cauſam, non ſine metu impendentis alicuius mali ex nimio potu, nec immeritò; ideo pro curatione moleſtiſſimi huius affectus tuam, Vir Præſtantiſſime, abſolutam, ac certiſſimam implorat opem.

Sitis itaque eſt affectus, de quo Iuuenis Illuſtriſsimus conqueritur, à ſiccitate ita dictus, Symptoma in actione Appetitrice deprauatè læſa, cùm ſit appetitus immoderatus frigidi, & humidi, quod à triplici cauſa pendere poteſt, ab inopia ſcilicet humiditatis, à caloris exceſſu, & ab humoris ſalſi præſentia, quibus & quartam addere poſſumus, prauam nimirum, & frequentem bibendi conſuetudinem; quas omnes cauſas, ſola ſalſedine excepta, caſu præſenti concurrere cenſeo. Et primò quidem inopia humiditatis locum habere videtur, licet neque immoderatæ euacuationes, uel per aluum [a], uel per vrinam [b], neque aquæ ſalitæ [c] potus (non deficiente in naui dulci) neque purgans [d] medicamentum præceſſerint, cùm illam frequens [e] meri potus abunde inducere potuerit. Secundò viſcerum feruor, & præſertim uentriculi natura calidioris, de quo Hipp. [f] *Ventriculo calidi, frigidi carne & graciles, iſti venoſi, & iracundiores*. Pręterquamquod idem meri potus calorem huiuſmodi augere ſolet; unde narrat de ſe ipſo Gal. [g] quod cum ex ęſtiuo itinere ſiticuloſus factus fuiſſet, & uini ueteris meracioris calycem potaſſet, ſitis ei non ſolùm non placata, ſed magis accenſa fuit. Accedit quoque ſalitorum [h], atque acrium eduliorum uſus, eundem calorem intendens, unà cum iecore natura feruido, à quibus uentriculus incaleſcere potuit, ut pręſertim Trall. obſeruauit, & ipſa etiam ſępius experientia confirmauit. Tertiò concurrit quoque praua bibendi conſuetudo: ob quam Tricongius Mediolanenſis tres uini congios vnico prandio bibiſſe fertur, pręſente Principe, unde Tricongij nomen meruit, prout è contrà omiſſi ex conſuetudine potus hiſtoriam [k] habemus Iulij Viatoris Equitis Rom. qui propter metum Hydropis, adhuc puer ab omni potu abſtinuit, quem poſtea toto vitæ curriculo auerſatus eſt. Has autem omnes cauſas ad ſiccitatem, tanquam ad cauſam immediatam Gal. [l] refert: quia à calore quidem incipiunt, ſed tandem in ſiccitatem deſinunt, namque à calore ſolo in non febrientibus exigua ſitis ſolet excitari, quam Gal. idem [m] ſuperficialem uocauit, & quę ſomno ſedari ſolet, unde ſi ſomnus ſitim ſedat bonum; [n] *Qui enim noctu bibere appetunt, ſi ſuperdormierint bonum*. Etenim ſignum eſt modicę ſiccitatis: ſicuti ſi ſomno non cedat, ſignum erit deficientis humiditatis, aut prauę admodum diſpoſitionis corporis.

Cùm itaque ſitis in Illuſtriſs. Iuuene, neque ſomno, neque potibus cedat, iure merito conqueritur, & medicum auxilium poſcit: eſt enim affectus moleſtiſſimus, cui niſi medela afferatur, humidum natiui caloris pabulum abſumitur: unde Atrophia, & Tabes, quinimò & febres accendi poſſunt. Quod ſi diutius ſitim tolerantes copioſè deinde potauerint, in Cachexiam [o], & Hydropem, alij in Lienteriam, quidam in vrinæ profluuium diabeticum inciderunt: quinimò pertinaciter ſitim tolerare conati, extincti [p] ſunt.

Vt Symptoma autem auferri debet Morbis ſublatis, intemperiem ſcil. calidam, tum uentriculi, tum iecoris corrigendo, & ſiccam ſubſtantificè humectando, praua etiam conſuetu-

a 1. de Sympt. Cauſ. 7.
b 6 de Loc. Aff. 3.
c 1 de Sympt. Cau 7.
d 4. Aph. 19
e 4. in 6. Epid. 23.
f 4. in 6. Epid. 25.
g 4 Acut. 1
h 12. Meth. ult. & Act. Tetr. 3 Sermon. 2. Cap. 4.
i Alex. Bened.
k Plinius.
l 1. Simpl. 30.
m 4. in 6. Epid. 23.
n 5. Aph. 27
o 6 de Loc. Aff. 3.
p 1. de Symptom. Cau. 7.

ſuetudine ad contrariam diſpoſitionē mutata. Quibus implendis intentionibus accommodatus nobis ordo cautè ſeruandus, ab humidæ intemperiei contemperatione inchoantibus; etenim non adeò tutò valida refrigerantia adhiberi poterunt, humido deficiente, ex quo natiui caloris debilitatas neceſſariò coniicitur; qui propterea à validis refrigerantibus facilè extingui poſſet.

Primò itaque humiditas ſubſtantifica reparanda, cibis potius, & potibus, quàm medicamentis. Quare præmiſſo Leniente ex ſimplici flore Caſſiæ, & ſupereporo Sero Capr. depur. ſtatim, poſteris diebus, aſſumere incipiat Emulſ. quatuor ſem. frigid. in iure lactucæ, & endiu. à quibus ad lus hordei cum Iulap. Violac. deueniri poterit; & tandem ad Emulſ. Amygd. dulc. Aqua hordei extractam. Vinum quoque dilutum q valdè corpus humectat, & magis, quàm Aqua; non ſolum quoniam Aquæ penetrationem indit; ſed etiam quia huiuſmodi humectatio nutriens eſt.

q 1. Simpl. 30. & Ariſt. 27 Probl. 4

Humectatis verò quodammodo viſceribus, atque toto, quoniam à iecore calido Ventriculus plus æquo æſtu afficitur, parca aliqua ſanguinis miſſio admitti poterit. Inde Ventriculi, Hypochondriorum, Iecoris, & totius calor contemperandus; in quem finem præcipuum, & præſtantiſſimum remedium à Gal. r habemus, gelidæ ſcil. potum; imò ex Trall. veſicam Aqua frigida, vel niue ſemiplenam ventriculo appoſitam; quæ duo tamen remedia cautè valdè adminiſtranda; Vir enim quidam quadragenarius, ex intemperie ventriculi calida, & ſicca vehementer ſitiens, graciliſque redditus, frigida Aqua, & multa hauſta, protinus ſiti deſtitit, & melius habuit, atque concoxit; ſed gula perfrigerata, mortuus eſt, ita referente Gal. ſ qui aliam quoque hiſtoriam t defuncti iuuenis, ſed febricitantis, ex copioſo gelidæ potu narrat. Cautè igitur in humiditatis inopia frigida copioſa propinanda; atque adeò hoc caſu potius omittenda, aliis refrigerantibus ſubſtituris. Veſicæ pariter niue ſemiplenæ tutiora refrigerantia præferantur; obſeruauit enim Beniuenius, Emplaſtrum quoddam valdè frigidum, ventriculo appoſitum, tum difficilem reſpirationem, tum ſingultum, & tandem mortem intuliſſe. Frigidæ itaque ſubſtituantur aquæ ſtillat. de Succo Acet, End. Sonci cum ſucco Ribes, aut Berber. Granat. aut Aurant. exhibeantur pariter ſucci depur. Cich. Sonci, Bortag. End. in iure Malu. Violis, & Hepatica alterato. Præbeatur cum Chymicis lapis Prunellæ in Aqua fontana diſſolutus; vel cum Serapione parum fermenti in aqua frigida diſſoluatur.

r 12. Meth. 7. & 5. in 6. Epid. 36.
ſ 7 Meth. 8
t 5 in 3. Epid. 34.

Extrinſecùs tutò regio ventriculi illinatur Vng. Roſ. Meſ. & Infrig. Gal. vel lintea ventriculo lacte madefacta admoueantur. Conſuetudo tandem paulatim immutanda. u *Conſueta enim, etſi deteriora, paulatim permutare oportet* ex Hipp.

u 2 Aph. 50. & 2. Acut. 33.

Circa victus rationem primò notatu dignum Hipp. x monitum; *Siti carentem os claudere, tacere, ventum cum potu frigido introducere*. Archigenes frigidam poſt cibum præcipit, ne vratur: perfecta verò coctione, affatim bibendum vinum dilutum permittit ad faciliorem chyli diſtributionem. Paulus verò commendat Lactucam, Cucumeres, Meſpila, Pyra, Poma; tandem, vt ſitientes cibos, & labores minuant, & vinum dilutum bibant quam frigidiſſimum præcipit Hipp. y ipſe. Quæ omnia ab Illuſtriſ. Patiente obſeruanda, ut & moleſtiſſimus hic affectus profligetur, atque alia imminentia præuertantur.

x 3. in 6. Epid. 33.
y de Salub. Diæta 31.

PICA

LXXVI.

PICA IN GRAVIDA.

ILluſtriſs. Iuuenis, temperamenti calidi, & humidi, boni habitus, & carnoſa, Nob. Adoleſcenti ſano nupta, duobus abhinc annis concepit, atque feliciter peperit. Verùm primis grauiditatis menſibus, proba alimenta reſpuere cœpit, ſolas carnes Vitulinas, & Bubulas crudas appetens, & clam comedens, quæ quoniam neque iuſtum, neque conueniens alimẽtum præbebant; & pręterea quia quotidie cruda pituitoſa, partim acida, & partim inſipida euomebat, ad tantam imbecillitatem redacta fuit, ut vſque ad quartum menſem vix ſtare, fœtumque continere potuerit; quo elapſo, huiuſmodi appetitus euanuit; ac propterea proba alimenta appetere incepit, iiſque veſci; vnde viribus, & priſtino carnoſo habitu reſtitutis, marem peperit, & benè habuit. Modò ſecundus agitur menſis nouæ grauiditatis, quo rurſus probos cibos auerſatur, & acidos, atque acerbos, vt antea, appetit, acidamque materiam, & quandoque inſipidam quotidie euomit, non ſecus, ac in prima vteri geſtatione. Quare eiuſdem maritus, veritus, ne forſan contingat abortus, cum vitæ diſcrimine vxoris dilectiſſimæ, nos de agendis, ad huius affectus poſſibilem ſanationem, & à ſiniſtris euentibus præſeruationem, anxiè conſuluit.

Affectus hic varia nomina apud Medicinæ Profeſſores ſortitus fuit; in quibus duo ſunt præcipua, Pica ſcil. & Citta. Pica à ſimilitudine cum auicula Pica, diuerſorum colorum plumis ornata; prout Patientes varia, & abſurda cibaria appetunt; vel quia hoc affectu, ut
a 1. de Re Med. 1. b Tetr. 4. Ser. 4. C. 11. c 1. de Symptom. Cau 7.
Paulus [a] credit, ſæpè Pica laboret. Citta verò, quia hederæ ſimilis, quæ varijs plantis ſeſe implicare ſolet, diuerſorum ciborum appetitum excitat; vt voluit Aetius [b]. Hunc verò affectum ita Gal. [c] ipſe delineauit. *Datur itaque affectus quidam, in quo vitioſas qualitates concupiſcunt hi, quorum ventris tunica vitioſum aliquod excrementum imbiberunt; & ſolet maximè contingere mulieribus, quæ vitioſi ſunt ſucci, cùm grauidæ ſunt.* Notanda autem particula illa, *Maximè ſolet contingere*; quoniam non ſolis grauidis, ſed etiam Virginibus ob menſium retentionem; Pueris ex cruditatibus, ob voracitatem congeſtis; quinimò & Viris, quibus ob prauam victus rationem vitioſus ſuccus à toto venoſo genere in ventriculum prolapſus fuerit. Ita aſſerentibus cum Gal. Aetio, & Paulo.

Loc. Cit.
Pars affecta dubio procul Ventriculus eſt, in quo fit appetentia, quę quoniam in eiuſdem ore perficitur; ideo non omnino aptè tradidit Gal. in tunicis ventriculi vitioſum ſuccum imbibitum eſſe; quem tamen neque ori eiuſdem impactum eſſe aſſerendum; ex eo enim neceſſariò Cardialgia ſequeretur. Quare cenſemus, tunicis prauos adhæreſcere humores, à quibus eleuati halitus ad os deprauatum huiuſmodi appetitum excitent. Quod ſi quandoque eorundem portio ad os ventriculi pertingat, dolor oritur, quem poſtea vomitus ſedat.

Cauſa huius affectus in Mulieribus grauidis menſtrualis redundans materia eſſe ſolet, retenta, neque à paruulo fętu abſumpta; unde vſque ad quartũ menſem perdurare ſolet; quia tunc vitioſus ſuccus partim vomitu euacuatur, partim ob mulieris inediam concoquitur, partim à fœtu grandiori abſumitur; quod Aetius [d] eleganter expreſſit his verbis.
d Ibid.
Pica, ſeu Citta fit præſertim ob humoris ſanguinei redundantiam; qui enim per vteri vaſa ſingulis menſibus excerni ſolebat, à fœtu ſuppreſſus ſurſum vergit, & ſtomachum præcipuè, vtpote ſubtiliori ſenſu præditum infeſtat. Pro varietate autem vitioſi humoris, varia, ac peregrina edulia appetunt; quædam ſalſa, aliæ acida, aliquæ terram, aut teſtas, aut extinctos carbones; ſæpè vſque ad quartum menſem hæc affectio durat: à quo partim per vomitum educta materia, partim à fœtu grandiori conſumpta, accidentia remittunt. Varia autem, atque diuerſa appetunt, pro varietate humorum peccantiũ, quibus ſimilia appetuntur; non ſolùm ob occultam qualitatem, vt Platerus; verùm & ob manifeſtam, licet enim & Auicen. quodammodo occultæ qualitati ſubſcribat, ſubdit tamen, quod, *Praui iſti humores ſibi ſimilem, & proportionatam generant appetentiam, ita ut acidi humores acida alimenta, ſalſi ſalſa, amari amara appetere faciant, ventriculi ſubſtantiam, ac temperamentum immutando.* Quod nos applicantes dicimus, appetitum ipſum non aliunde prouenire poſſe, quàm à ſimilitudine ſuæ cauſæ, quæ organum appetitus, ventriculum ſcil. ſenſim, ac

ſenſim

ſenſim immutauerit; quę paulatim facta immutatio naturalis redditur, & appetitus quoque naturalis in ſimilia fertur; quibus aſſumptis appetentia quieſcit, licet nutrire apta non ſint, ceſſante ui imaginationis. Prauum autem ventriculi temperamentum paulatim ad naturalem, & priſtinum ſtatum redit, quoties praui humores à fętu grandiori abſumuntur, nec amplius ad ventriculum confluunt; vel in non grauidis cautè, & aptè fuerint euacuati. Ita, caſu noſtro, quoniam non adeò praui in venis peccant humores, cùm temperamentum Illuſtriſſimę grauidæ ſit calidum, & humidum, & bonus corporis habitus; ideo ab initio acida ſolùm, [e] & acerba ab eadem appetuntur, ob præſentiam acidi humoris, à Iecoris, & Hypochondriorum calore in Ventriculo geniti; in progreſſu verò, quoniam probus redundat ſanguis, ſimilis ideo ſubſtantiæ, carnium nimirum appetentiam excitat; quæ tandem ceſſat quarto menſe, grandiori fœtu ſanguinis redundantiam in ſui nutrimentum attrahente. e 1. de Symptom. Cau. 7.

Affectus huius Illuſtriſſimæ Iuuenis, licet quarto Menſe terminandus, nec periculum minetur obſtructionum in viſceribus, Hypochondriacæ affectionis, Cachexiæ, & Hydropis, vt in non grauidis, cæteriſque hoc affectu laborantibus; nihilominus ex alimenti defectu, abortum cum vitæ periculo pertimeſcere abs re non fuerit. Et licet plerique Medicorum prægnantes curare recuſent; curatio tamen à nobis deſtituenda non eſt; cùm præteritam grauiditatē Pat. ægrè tulerit; imò tutius aggredienda, cùm laudabiliori redundante ſanguine fętus ipſe nutriatur, ac proinde facilè uitalis ſeruari poſſit; quod in corporibus cacochymis, quibus facilè ex curatione abortus ſequitur, ſperare non licet.

Pro curatione itaque primò materia vomitu euacuanda. Secundò copia ſanguinis minuenda. Tertiò Alexipharmacis utendum. Quartò Ventriculus roborandus.

Et prima quidem intentione, vomitus leuioribus prouocandus, vnde ſola Aqua tepida vſi Aetius, & Paulus. Nos verò huiuſmodi vomitorio. ℞. Iuris Car. ℥ x. ol. Amygd. Iulap. acet. an. ℥ iij. m. pro uomitorio, frequenter vſurpando. Loc. cit.

Secunda ſanguis ex ſaluatella dextera erit quamprimùm educendus, antequam vires ex inedia deficiant, & fętus [f] maior euadat; parcè tamen, ad ℥ vi. f 5. Aph. 31

Tertia Aetius probat Polygoni, & Intybi decoctionem, imò Intybum cibi loco, Portulacam, Emulſ. ſemin. Cucumer. decoctionem Pulegij. Nos verò aliquod cochlear Aquæ Cinnam. Aq. Meliſs. cum Spir. Vitr. philoſ. Sem. Cit. Sacch. condita, & Zinziber conditum.

Quarta præbet Aetius ſuccum Mali Punici, cum pulu. Menthæ; at nos Conſ. Cydoniorum, cum pulu. Cinnamom. Caryophyll. uel Iulap. ex ſucco Cydon. & aromatibus iam dictis paratum. Extrinſecus monet Aetius, adſtringentia ſrigida eſſe admouenda; unde Emplaſt. ex pulpa Cydon. cum poſca erit optimum; uel de cruſta panis Montagnanæ. Pariter ſomenta, ex decoctione in aqua, & aceto, roſar. rub. Labruſcæ, myrti, Cort. Cydon. Sumach. & Abſinthii.

Circa uictus rationem, animaduertendum, quod grauidis cautè neganda ſunt impropria cibaria; neq; tamen facilè concedenda. Quare Nob. Patiens perſuadenda potius, aut decipienda, acidos fructus concedendo, & in progreſſu Carnes ſemicoctas. Interim prodeſſe poterunt Oliuę, [g] Amygd. amaræ, Sinapi, [h] hoc eſt, Muſtarda. Mala Citria libenter præbebat Langius; verbo, conueniunt ſalſa, acria, & amara. A cibo uerò Pyra, Cydon. Nuclei pinei, Piſtacia in uſu ſint, & pro potu uinum potius generoſum, ſed ſubadſtringens. Quæ in ſalutem Illuſtriſs. Pat. dicta ſatis. g Aetius. h Paulus.

LXXVII.

VENTRICVLI IMBECILLITAS & Arthritis.

LIcet abſentibus conſilium dare difficillimum exiſtimauerit Galenus ipſe; ex relatis tamen ab ægro nobis traditis, eidem parenti non inutilem forè noſtram operam ſperamus, imò cum Hippocrate a illi iuuamentum abſque ullo nocumento pollicemur. Conqueritur autem æger temperamenti ſecundum totum, potiſſimum verò ſecundum caput, ad calidum, & humidum vergentis, hepatis calidioris, & non admodum robuſti ventriculi, tum de arthritide, tum de eiuſdem ventriculi vitio, cui ſolùm auxilium poſcit; fortaſſe quia arthritis inſanabilis nomen adepta ſit, licet hoc contingat ex Tralliano b ob Medicorum imperitiam, qui in quolibet ſubiecto cauſas ad amuſſim indagare non norunt. Mandatis igitur obſequentes, ad ventriculi vitium conuerſi, vbi & minera arthritidis delitеſcere ſolet, obſeruamus illum, tum inappetentia, tum imminuta coctione laborantem, & quidem ob materiam pituitoſam non ſolùm à frigida, & humida eiuſdem intemperie, non ob ætatem tantùm; verùm & ex potu frigido contracta genitam, ſed à capite quoque tranſmiſſam; cuius materiæ ad articulos influentis potior pars in ventriculum delapſa, tunicis, & ori eiuſdem infarcta, ſuctionem, & ſenſum ſuctionis, hoc eſt corrugationem impedit, vnde inappetentia, & nauſea, prout eadem ad fundum delapſa, primò ciborũ amplexum (conſpirantibus etiam copioſis potibus) prohibet, abſque cuius ope coctio haud perfici poteſt; mox ibidẽ hærens obruit calorem natiuum, unde coctio imminuta ſuccedit, à qua cruditates, ructus, rugitus in abdomine, & alia ſexcenta ſymptomata ortum ducunt; quinimò eadem ad meſenterium, & iecur peruadens ſuccum crudum in venis totius congerit, & coaceruat, ex quo tandem fit arthritis, cum Galeno c, quam ex capitis deſtillatione promanare Fernelius cenſuit; nos verò vtramque cauſam in Nobili hoc Patiente concurrere exiſtimamus. Eadem autem materia obſtruens, & tranſpirationem intercipiens, calorem infra uentriculum adauget; unde nil mirum, ſi oris amaritudo, ſitis, & alia calidi humoris ſigna præcedant; non parum ad id iecoris calida intemperie concurrente.

a 2. in 1. Epid. 50.
b Lib. 11. Cap. 1.
c 10. per Loca 2.

Diuinum promptuarium, & diuina opera præſtans nuncupauit Galenus d ventriculum ipſum; & Serenus Regem, quo languente, totum languere neceſſe eſt; maxima ideo eiuſdem cura habenda, ut appetentia reparatá, probi ſucci, probaque nutritio ſequãtur. Quod licet pro uoto conſequi non liceat, tum ob conſuetam uiuendi mollitiem, potiſſimum verò quia Arthritici, ut notat Oribaſius, cùm melius habeant, tanquam ab inferis elapſi ſolutiorem vitam ducunt; attamen modum, quo præſens moleſtia remitti, præcauerique ſatis poſſit, conſequi nos poſſe ſperare iuuat.

d 4. de Vſu Part. 1.

Euacuando ſcil. per epicraſin, attenuando, incidendo, detergendo, & roborando, de quibus omnibus ordine executiuo agemus.

Primò itaque ventriculus ipſe à materia euacuationi idonea expediendus uomitu, & deiectione pro varia eiuſdem ſede; ſuperior quippe uomitu, inferior deiectione expurgatur. Vomitoria verò ſint blanda, ne ventriculi tonus labefactetur quale erit ius alteratum raphano, & ſeminibus citri cum oxymelite, quod felicius à cœna præſtatur, ut & Mane quoque, ſi adſit ad uomitum procliuitas. Sequenti verò die exhibeatur hiera, uelut medicamentum ſactum, ad ʒ i. cum electuario lenitiuo, cui ſi euacuatio parcior fuerit, occurratur clyſtere, moxque plures dies materia infarcta incidatur, & detergeatur melle roſ. colato cum portiuncula aquæ cinnamomi; inde repetatur euacuatio prædicto medicamento, à qua præparatio repetenda materiæ in ventriculo ſtabulantis, iulapio acetoſo, corticibus citri aromatiz. & fruſtulis cinnamomi, & quidem diluto, ad ℥ iii.

A decoctione autem abſtinendum, ne longius, quàm opus ſit, medicamenta præterlabantur. Interim aliquam ſanguinis euacuationem per hæmorrhoidas, moliri peropportunum

tinum fuerit, niſi aliquid obſtiterit. Præparati humores poſtmodum euacuandi medicamento præparationi proportionato, prædicto ſcil. cui addi poteſt ʒ i. cremoris tartari, & ʒ ſ. rhabarbari electi. Expiato ventriculo, & primis viis, ad roborationem eiuſdem erit deueniendum; in huiuſmodi verò caſu peropportuna foret aqua Tettuciana cum deiectorio medicamento exhibita, non ad roborationem ſolùm, ſed ad perfectiorem quoq; deterſionem. Tunc temporis etiam ex uſu eſſe poterit terebinthina cum puluere iuæ plures dies exhibita; cui quidem licet plerique medicorum præmittant ius columbæ, aut perdicis alteratum china, lentiſco, & ſaſſafras, optima equidem medicamenta; nos tamen ad puluerem uiperinum, tanquam ad ſacram anchoram confugiendum potius cenſemus, per quadraginta dies aſſumendum; calorem enim natiuum non ſolùm uentriculi, uerùm vniuerſi corporis uiuificat, exſiccat humiditates excrementitias in articulis etiam deliteſcentes (properat enim, ut ait Gal.[e] ad omnes corporis partes) nec extraneam excitat caliditatem. Quæ quidem omnia ineunte Vere peragenda cenſemus. e 11. Simp. Cap. 3. propr.

At ſi rès urgeat, & uentriculus præſens auxilium citò deſideret, prima perficiatur purgatio; mox idem roboretur aqua theriacali, plures dies ad ℥ i. mane poſt aſſumptas octo, aut decem amygdalas amaras; à cibo uerò duo grana maſtiches deglutiantur integra; uel fruſtulum nucis moſchatæ conditæ.

Extrinſecus lana purpurea[f] nardino imbuta, & admota vtiliſſima fuerit, ut & Iaſpis lapis, os uentriculi contingens; adiuuat enim coctiones iuxta Oribaſium. Vtiliſſimum quoque erit vinum lentiſco medicatum; lentiſcus enim è Chio eſt veluti alexipharmacum, tum arthritidis, tum ipſius ſtomachi. Neceſſarium quoque erit aliquod familiare medicamentum ſæpè aſſumendum, quod euacuando uentriculum quoque roboret, nec admodum calefaciat; erit autem hieræ ʒ ſ. cum ʒ ſ. ſucci cichorei condenſati. f 8. Meth. 5.

Congrua autem ſit uictus ratio quantitate, qualitate, opportunitate, & ordine. Fernelius enim dimidium cibi circumcidendum præcipit. Auerroes exiſtimauit, à re nulla magis uentriculum lædi, quàm à frigiditate ciborum, quòd coctionis principium pendeat ab alimento concoquendo. Auicennas verò ſcripſit, quod *Nihil peius, quàm comeſtio ſupra comeſtionem*. Ordo autem facilè ſeruabitur, ſi uitetur multiplicitas ciborum; etenim deterior eſt varietas ciborum bonorum, quam ſimplex cibus malus. Labore verò, & animi paſſionibus moderatè utendum, quæ ſi deficiant,[g] torpidum; ſi exuperent igneum, & imbecillum calorem reddunt. g 1. de Sanit. Tuen.

LXXVIII.

DYSPEPSIA CVM VOMITV CIBORVM.

ILluſtrſsima Virgo Veſtalis, trigeſimum circiter annum agens, temperamenti ſecundum totum potius ad calidum, & humidum vergentis, hepatis tamen calidioris, mediocriter carnoſa, roſei coloris, ſuperioribus annis de ventriculi aliqua imbecillitate conqueri cœpit, cum rugitibus hypochondriorum, & inſueta mœſtitia; nunc verò integro ab hinc anno incidit in vomitum, ab aſſumpto cibo tribus, quatuorue horis; & tandem unica poſt, imò dimidia hora, eiuſdem cibi immutati; aliquando cum ſenſu aciditatis ſub finem vomitus; qui excitatur ab anxietate in ventriculo; & tandem ab irritamento ex eodem cibo, quo per vomitum reiecto ſequitur quidem leuamen, at non integra ab anxietate immunitas, donec omnino cibo vacuus fuerit ventriculus. Eodem verò tempore gracilior reddita eſt, non tamen facie decolor. Plurima experta fuerunt medicamenta, tum purgantia, tum calida alterantia, demumque chalybeata, verùm omnia fruſtrà. Modò tenſiones in meſenterio, & hepate inſignes eaſque valdè dolentes, potiſſimum in regione pylori, vix contrectare præ dolore nobis permiſit. Aluus adſtricta eſt; conſuetæ tamen menſtruæ purgationes ſatis commodè procedunt. De agendis itaque in huiuſmodi graui ſtatu conſulit.

Sicuti de affectu, quo premitur Illuſtriſ. Patiens, ambigi non poteſt; ita de cauſa eiuſdē non adeò liquidò conſtat. Eſt enim vomitus ciborum quotidianus, prauus motus à Gal.[a] nū- a 3. De Sympt. Cauſ. 2.

b de Sym. diff. 6. cupatus, facultatis expultricis, *Naturale tamen opus* [b] *ex parte finis; & actio à natura procurata,*
vt ipſa mediante, quod contriſtat excernatur. Quod verò contriſtat, hoc caſu, cibus eſt; eo nam-
que per vomitum reiecto, & eiuſdem aliqua portione pro nutritione ad venas tranſmiſſa,
verbo, ventriculo exinanito, ceſſant illicò & vomitus, & anxietates; quod non ſequere-
tur, ſi ab alienis excrementis vomitus excitaretur; præterquamquod frequentibus adeò
c 4. de nat. Fac. 5 & 3. de Sympt. Cau. 2. expurgationibus iam ceſſiſſet. Cibus autem peccare poteſt, vel copia, [c] vel qualitate, vel
tota ſubſtantia. Copia hìc locum non habet, ergo aut qualitas, aut tota ſubſtantia. Qua-
litatem verò nutritioni ineptam adipiſcitur in Apepſia, aut Bradypepſia, quatenus non co-
quitur, aut imminutè ſaltem; totam verò ſubſtantiam in dyſpepſia, quatenus depranatè
coquitur, aut corrumpitur, vel ad nidorem, vel ad acidum, & tota eiuſdem ſubſtantia per-
mutatur, in alienamque tranſit, non amplius nutritioni idoneam. Et quia ab hac condi-
tione tota dependet curatio, illi præter morem parumper immorabor, nec inutiliter.
d 5. de Alimen. 1. Cōſidero itaq; quod ſicut concoctiones à natiuo [d] calore perficiuntur, ita vitiatæ ab eodem
e 1. Aph. 14 malè ſe [e] habente dependent. Calor autem ventriculi triplex eſt. Primus [f] innatus, ſoli-
f 4. in 6. Epid. 14. dioribus ventriculi partibus implantatus, & à ſemine prognatus. Secundus eſt calor ex
temperamento reſultans, quo alterato, ventriculum intemperatum vocamus. Tertius eſt
calor influens, eidem ventriculo à corde, & circunſtantibus partibus impertitus. Conco-
ctrix verò, & chyliſicatrix facultas ventriculo ineſt à primo, & natiuo calore valido, nec
tamen intenſiori. Læditur autem hic primus calor, aut per ſe, aut per accidens. Per ſe qui-
dem in ſeneſcētibus, aut ob errores calorem natiuum abſumentes. Per accidens verò quan-
do à calore præternaturali, aut temperamenti, aut circunſtantium partium, & potiſſimum
iecoris, & hypochondriorum fit corruptio in cibis, non concoctio; tunc enim eodem per-
manente ſemper primo, & innato calore, impeditur, non autem aufertur actio concoquen-
di, & chyliſicandi: concoctio enim non à quolibet, ſed à moderato calore perficitur, alio-
quin ardente febre laborantibus, tum celeriores, tum perfectiores concoctiones continge-
g Tetr. 1. Ser. 4. C. 75 rent. Hinc rectè ſcribit Aetius [g] *Si quotidie concoquit ventriculus, benè temperatus eſt, ſi verò*
non concoquit, non omnino intemperatus. Quæ doctrina colligitur, tum ex Hippocr. locis citatis;
h 8. de Medic. per Loca 7. & 2. de Loc. Aff. 3. tum ex Gal. [h] Modò ad rem noſtram non ſatis mihi perſpectum eſt, qua ratione calorem
natiuum Illuſtriſs. Virginis læſum conijcere poſſimus: imminuta ſiquidem concoctione
floridus faciei color, in albeſcentem, & pallidum migraſſet, & habitus corporis ad obeſum
potius inclinaret, quia totum crudo ſucco ſcateret, neque imminutam coctionem ſeque-
retur vomitus eorundem ciborum adeò celer, quin potius quandoque, & poſt multos dies,
pituitæ crudæ, & quidem ſine ventriculi anxietate, atque dolore. Per accidens itaque la-
bem patitur natiuus calor, in præſenti caſu, nimirum à iecoris feruore; & à phlogoſi in py-
loro iandiù inducta, prægreſſa hypochondriaca paſſione; quæ temporis progreſſu, ad me-
ſenterica vaſa propagata, iiſdem atro ſanguine, & ſucco exſiccato oppletis, & infarctis at-
que in tumorem eleuatis, diſtenſione ſoluendo continuum dolores, vel leuiſſimum tactum
refugientes produxit, ex qua phlogoſi calor ad ventriculi fundum expirans corruptelam
ciborum, nec ſemper tamen eandem inuexit, ſed acidam præſertim; licet id contrarium vi-
i. 13. 3. Tr. 2 Cap. 17. deatur communi, & Galeni ſententiæ; ex Auicen. [i] ſiquidem à caliditate efferueſcente fit
k 2. Collectan. 16. aciditas; cui ſubſcribunt, tum Auerroes, [k] tum Alexander Trallianus, [l] exemplo vini
l Lib. 12. Cap. 1 dulcis potiſſimum, quod calidis locis facilè aceſcit, ut & fermentum: quod & ipſi Gal. [m] in-
m 4. Simpl. 13. notuit. Quoniam verò corruptus cibus ulteriorem coctionem admittere non poteſt;
eundem propterea, tanquam pondus inutile, citò natura vomitu excernit, irritata expul-
n 8. per Loc. 7. trice facultate à cauſa tota ſubſtantia peccante, cuius cauſa Gal. [n] concludit, multò deterio-
rem eſſe corruptelam, quàm ſit tarda, aut fruſtrata ciborum concoctio. Tuberculi verò
alicuius conſiderationem mitto, utpote quod dolentibus paſſionibus, tum pylori, tum to-
tius meſenterij vacaret potius, nec ullam curationem admitteret.

Hic autem vomitus eſt omnino magnifaciendus: tum quia nutritionem, vitæ adeò ne-
o 3. in 1. Prorrh. 25. ceſſariam, vniuerſi corporis lædit; tum quia in pyloro, aut meſenterio tumor aliquis ([o] vel
p De Thes. ad Piſ. de Aria. inflammatorius) excitari poſſet; aut progreſſu temporis, atrophia, [p] tabes, aut niger mor-
bus fortè contingerent, vel breui (excitata inflammatione) etiam intra ſeptimam obitus.
Neque fidendum hiſtoriæ ab Excell. Saxonia adductæ, qui quotidianum ciborum vomi-
tum 34. annorum obſeruauit: prout neque Gulielmo Fabricio, qui 30; ſiquidem diuerſa ad-
fuit vomitus cauſa.

Quamptimum itaque hic ſiſtendus, cauſis ablatis, quæ quoniam ab improportionato
calore, hic verò tum à phlogoſi, & obſtructionibus ſiccis, & in pyloro, & meſente-
rio

rio potiſſimùm infarctis, tum à iecoris feruore procedit; ideo viæ laxantibus, & humectantibus aperiendæ; calor contemperandus; & tandem, ſedato vomitu, ventriculus, licet non eſſentialiter affectus, ab eo tamen quotidiano labefactatus, erit corroborandus.

Et quoniam plura hucuſque ab Excell. Adſtanti adminiſtrata fuere, iam nobis nota; ideo ad quotidianum flor. caſſ. uſum, cũ decoct. uiol. malu. & borrag. deueniemus; quo ſatis nõ proficiẽte, exhibeãtur ſuc. borrag. depur. cum ſuc. malu. in eadem decoc. alternis diebus, die intermedio non omiſſis caſſia, & frequentibus clyſteribus emollientibus ex oleo, & butyr. vel ex lacte, & butyro; & quandoque ſyr. roſ. & viol. ſolut. cum copioſo ſero aſin. exhibitis. Quibus ſi non cedat affectus per aliquot dies, matutino tempore ſerum Capr. ad ℔ iv. uel v. cum uehiculo ſyr. roſ. & uiol. ſol. erit propinandum. Demum, tanquam ad ſacram anchoram, ad uſum lactis aſinini, & balnei aquæ dulcis, alteratæ maluis, borragine, & lactuca deueniendum fuerit, cùm meliora non ſuppetant; duo namque hæc remedia, tum à Galeno, 3. de Locis Affectis, q tum ab Hippocrate de Morbo Nigro, & 2. de r Morbis, veluti in arte potiſſima in huiuſmodi affectibus celebrantur, mox de aliqua, ſed leui ventriculi corroboratione cogitandum fuerit.

q Cap. 7.
r Num. 71

Quibus omnibus congrua addatur victus ratio; his proportione reſpondens. Ita Deus uota noſtra ſecundet.

LXXIX.

DYSPEPSIA AD ACIDVM.

QVadragenatius Vir, temperamenti ſecundum totum, & iecur calidi, & humidi, uentriculi frigidioris, & humidioris, obeſi habitus, otio, & potibus frigidis quammaximè indulgens, duobus abhinc annis pati cœpit frequentes uomitus pituitoſæ, & ut plurimùm acidę materiæ, præcedentibus ructibus acidis, & ſenſu quodam frigiditatis in regione uentriculi. Fames ſemper ferè uiget, & potiſſimum poſt uomitum; licet ſitis nulla adſit, & oblectationis cauſa ſolùm dulcia vina bibat. Calida illi proſunt, frigida verò nocent; vnde frigidos potus intermittere fuit coactus; prout & duriora alimenta, & faciliora aſſumere; quia præſertim tempore concoctionis, niſi promptè vomitus ſuccedat, Ventriculi anxietate corripitur. A quibus ut liberetur Patiens, medicum petit auxilium.

Chylificationem lædi in Nobil. hoc Viro manifeſtiſſimum eſt; dubium autem, num imminutè, an deprauatè lædatur, num ſcil. læſio Bradypepſia, an Dyſpepſia ſit appellanda; cùm ex altera parte frigidum, & humidum ventriculi temperamentum, copioſus pituitoſæ, & crudæ materiæ prouentus, iuuamentum à calidis, nocumentum à frigidis, & totius corporis obeſitas pituitoſum, & crudum ſanguinem, ob concoctionum defectum, imminutam proinde chylificationem nobis patefacere uideantur; ex altera verò ructus acidi, acida pituita frequentibus vomitibus reiecta eandem deprauatam demonſtrent, prout reuera eſt; ſiquidem corrupti cibi, cùm a perfectiorem coctionem non admittant, & ad alimenti naturam, atque ſubſtantiam reduci amplius nequeant, à facultate expultrice tanquam inutiles è corpore eliminantur; unde dicebat Gal. quod b *Corruptioni alui deiectio ſit ad ſanitatem compendium*. Ex quibus tutò decernere poſſumus, Chylificationem non imminutam eſſe, ſed deprauatam potius, hoc eſt, Dyſpepſiam, & corruptionem ad acidum; quam optimè Gal. c deſcripſit dicens, quod, *Nil aliud ſit, quàm transmutatio ciborum in alienam, & peregrinam qualitatem, quæ nunquam per vlteriorem coctionem ad corpus alendum idonea reddi poteſt, vtpote corrupta, & ideo deterior, quàm tarda, aut fruſtrata concoctio*. Quæ quidem à frigiditate, non tamen tanta procedit; cuius cauſa ſuperioribus annis, imminutè quidem concoxit Nob. Pat. vnde & corpus totum obeſum euaſit: ſed tandem, adaucta à gelidis potibus ventriculi frigiditate, calidoque natiuo otio torpente, corruptio ciborum ad acidum ſucceſſit, quod paucis, ſed propriis uerbis Auic. d expreſſit, dicens. *Et acetoſus ſignificat ſtomachi frigus, ſed minus frigore, cum quo non digeritur cibus omnino*. Et quamuis aciditas à calore ſæpè fieri poſſit; quinimò fiat, ut expreſſiſſimè aſſeruerunt Gal. e Auic. f Auerr. g & Trall. h attamen, noſtro caſu, à frigiditate, tum naturali, tum acquiſita produci non eſt quod dubitemus;

a 4 de Sanit. Tu. 11
b 6. de Sanit. Tue 7.
c 8 per Loc 7.
d 13. 3. Tr. 1. C. 17
e 4 Sim 13
f Ibid.
g 2. Collectan. 16.
h Lib 12. Cap. 1.

quam

i 3. de Sym. pt. Cap. 3. & 11. de Loc. Aff. 4. & 2. Acut. Com. 22. k 4. Simpl. 7. l de Succ. Bon. & Vit. 14.

quam cauſam pluribus locis nobis ſignificauit & ipſe Gal. [i] quinimò licet aciditas frequenter à calore producatur; immediatam tamen cauſam, ipſam frigiditatem agnoſcit, vt vini exemplo probat Trall. quod eatenus à calore Solis acidum fit, quatenus ab eodem proprio calore priuatum frigidum euadit. Vnde rectè concludebat Gal. [k] aciditatem ſemper in frigiditate conſiſtere.

Cùm autem ciborum corruptio, ſiue cruditas [l] ſexcentorum malorum cauſa eſſe poſſit; & potiſſimum hoc caſu obſtructiones in viſceribus, Lienteriā, Cachexiam, & Hydropem inferre; ideo quamprimùm auxilia medica Nobiliſſimo Viro ea ex petenti ſubminiſtranda. Et licet id aſſequi non adeò facile futurum credamus, cùm intemperies frigida, & humida innata ſit; contemperari tamen poterunt gradus illi frigiditatis, & humiditatis, quos produxit incongrua uiuendi ratio, ſpem nobis faciente ipſo Gal. [m] dum aſſerit, actiuas affecti ventriculi qualitates corrigere facillimum eſſe, præſertim humiditati coniunctas, cùm ſit facilius exſiccare humidum, quàm humectare ſiccum.

m 7. Meth. 5.

Primò itaque humores corrupti euacuandi. Secundò intemperies frigida, & humida Ventriculi corrigenda. Tertiò Ventriculus corroborandus.

Quibus intentionibus vt ſatisfaciamus, nulla opus eſt ex fonte Chirurgico ſanguinis miſſione, ne calor debilitetur, ſicque frigiditas uentriculi augeatur. Reliqua autem ab hoc fonte, ordine executiuo procedentes ſuo loco proponemus.

n 2. ad Glauc. 2. & Celſus. o 8. per Loca 2. & 3. & 2. de Loc. Aff. 4.

Primę itaque explendæ intentioni materia pituitoſa acida primò vomitu euacuanda; *Ventriculus [n] enim propriè per vomitum expurgatur*. Vomitoria autem blanda eſſe debent, ne tonus uentriculi diſſoluatur. Ideo ℞. Iuris Carn. ſemin. Cit. alterati ℥ viii. Succi Raphani ℥ i. Oxym. ſimp. ℥ iii. m. pro uomitorio. Inde inijciatur Clyſter acris, hac formula. ℞. Decoct. vtriuſq. Centaur. Betar. Mercurial. Malu. ℔ i. Ol. Chamæm. Mell. Roſ. ſol. an. ℥ iii. Hieræ pro Clyſter. ʒ i. m. pro Clyſtere. Superſtes verò materia, nec uomitu, nec Clyſtere educta, Lenienti medicamento ſubducatur, neque hiera [o] ullum præſtantius. Quare ℞. Elect. Lenit. ℥ i. Spec. hieræ ſimp. ʒ i. m. f. b. Vel ℞. Spec. Hieræ ſimp. ʒ i. ſ. Elect. Lenit. parum m. f. b. ſummo mane exhibendi, & duabus poſt horis, præbeantur Mellis Roſ. ſol. ℥ vi. Aq. Flor. Cit. parum m. Hac ſecuta præparatæ materiæ euacuatione, reliqua ita ad eandem diſponenda. ℞. Mell. Roſ. ſimpl. Oxymel. ſimp. an. ℥ i. ſ. Aq. Cinnam. ℥ i. m. pro Syr. ſine diluto, ut diutius in ventriculo, & primis viis moretur; quinque verò, aut ſex poſt diebus, repetatur hiera, ut ſupra; cui ſuperbibat Mulſæ dilutæ libram: etenim in frigido ventriculo nihil [p] melli præferendum.

p 7 Meth. 7. q 7. Meth. 11.

Verùm quoniam Nob. hic Vir pituitoſa materia quammaximè ſcatet, & inſignis eſt ventriculi frigiditas; ideo per hebdomadam quotidie ſummo mane aſſumat Hieræ picræ ʒ i. Elect. lenit. reform. ut quæ poſſit [q] pituitam uiſcidam tunicis uentriculi impactam attenuare, detergere, & euacuare; uentriculum præterea calefacere, ſimulque roborare; cui duabus poſt horis ad faciliorem eiuſdem materiæ ablutionem bibat Mulſæ, dilutæ Cinnam. aromatiz. libram, à qua tribus poſt horis prandeat.

Primæ autem, & ſecundæ intentioni non parum quinetiam proderunt Aquę Tettucianę, quinque diebus cum vehiculo Mell. Roſ. ſol. aſſumendę. Quoniam uerò non Ventriculus tantùm, & primæ vię; ſed totum quoque uenoſum genus cruditatibus abundat, ſuperioribus annis à frigidis potibus, & otio contractis; ideo non abs re fuerit ius aliquod frigidam uentriculi intemperiem contemperans, ſimulque toti profuturum, in vſum uocare; quale hoc fuerit. ℞. Guaiaci raſp. cum cort. Ligni Saſſafras an. ℥ ſ. Aq. com. ℔ iii. m. f. inf. per horas xxiv. deinde adde dimidium columbæ turricolæ, & bull. ad conſumpt. dimidii, ſub finem ebullitionis adde dimidium Nucis Myriſt. & colatura ſeruetur pro duabus vicibus; ſummo mane præbenda; cui præmittatur talis bolus. ℞. Salis Theriac. Salis Abſinth. an. ℈ ſ. m. cum Syr. de Mentha refor. bolus.

Extrinſecus frigidam, & humidam ventriculi intemperiem emendare poterit ſtillicidium ex Aquis ſulphureis; quæ quoniam præſtò non erunt; ideo earum vicem ſupplebunt inunctiones Ol. nucis Moſchatæ, ſuperimpoſito linteo Aq. vitæ Caryoph. madefacto, vt ſolebat Fernelius.

r 3. ad Glauc. 14. ſ 8. Meth. 5.

Tertiæ intentioni ſatisfacere poſſunt omnia ex Abſinth. [r] compoſita, & præter cætera Antidota magna, Theriaca ſcil. & Mithridatica conſ. aliquot diebus aſſumenda; prout extrinſecus Lana purpurea Maſtichino imbuta abundè calenti; nam omnia tepida [ſ] ventriculi tonum diſſolnunt.

Circa victus rationem, Loca paludoſa, nec montoſa incolat. In cibo, & potu quantitas,

tis, [t] qualitas; opportunitas,& ordo ſeruentur. Sic quantitatis menſura non ſit ſatietas in prandio; parca ſit cœna, inter quam, & prandium decem ſaltem horarum ſpatium intercedat. Qualiras ſit ciborum, qui facilè conficiantur, & ſint boni ſucci; atque adeò à fructibus abſtinendum, oleribus, Lactariis, & huiuſmodi aliis praui ſucci, & frigidis alimentis. Aromatum verò condimenra probantur. Potus ſit vinum generoſum, & paucum. Somnus nocturnus diuturnus ſit. Exercitium ante [u] cibum calorem excitabit. Bis menſe ʒ i. pilul. aſſumat ex Maſſa Alephang. & Maſtich. compoſitam. Tandem alacri animo degat, vt priſtinum, imò ſalubriorem ſtatum ſibi comparare poſſit.

t Aetius.
u 4. in 6. Epid. vlt.

LXXX.

VOMITVS QVOTIDIANVS.

VOmitus, quo Nobiliſs. Patiens multis abhinc menſibus exercetur, & qui à nephritico dolore diuexare eum cœpit, eſt motus [a] deprauatus ventriculi, ab expultrice facultate irritata excitatus. Irriratur autem à copia [b] mareriæ, quæ licet chyloſa, & alibilis non ſit, ſed excrementitia, eaque (vt ſcribunt in mutilatiſſima ſcheda) phlegmatica; attamen imbecillitatem Patienti infert, & ſitim moleſtam. Materiæ autem adeò copioſæ coaceruationem in prima corporis regione delituiſſe minimè credendum; multò enim breuiori temporis ſpatio iam euacuata fuiſſet, totumque ventrem vacuum reliquiſſet. Quare quotidie eius prouentum fieri ſtatuendum, ex quotidianis alimentis, quæ in illam materiam conuerſa corpus nutrire nequeunt, unde imbecillitas neceſſariò ſuccedit. Et quoniam aliqua eiuſdem materiæ crudæ portio ad uenas influit; hinc accidit, ut eadẽ à calore iecoris & venarum liquata, vrinam crudam, & aquoſam reddat. Verùm quod potiſſima inquiſitione dignum eſt, quodque ad curationem quammaximè conducere poterit, eſt conſideratio, atque conſtitutio modi, quo ventriculus proprio munere fruſtretur, num ſcilicet imminutam ob caloris defectum, an ob eiuſdem exceſſum deprauatam ciborum patiatur concoctionem.

a 3. de Symptom. Cauſ 2.
b 3. de Nat. Fac 5.

Et quidem nos corruptioni ſubſcribimus; corrumpuntur enim & ob nephriticos dolores ex Hipp. [c] 6. Epid. uomuntque pituitam; imò aliquando, & æruginoſa &c. Quam veritatem probabili coniectura firmamus, conſiderantes vitam proximè prægreſſam, quæ natiuum ventriculi calorem abſumere non potuit: præterea ætatem iuuenilem, temperamentum potius calidum, moleſtam ſitim: quę omnia caloris exuberantiam ſignificare poſſunt, prout eandem confirmat hęmorrhoidalis illa ſanguinis euacuatio, qua perdurante vomitus prorſus ceſſauit, quoniam ab illa imminuto, & remiſſo calore, ceſſauit quoque ciborum corruptio, aliter enim uomitus ipſe ex illa ſanguinis euacuatione recruduiſſet potius, ſi imbecillitas natiui caloris uentriculi illius cauſa fuiſſet. Calor autem hic præter naturam adauctus, corruptioni magis, quàm concoctioni ciborum producendæ accommodatus, me iudice, in uentriculo primariò, & eſſentialiter non reſidet; ſed per conſenſum à viſceribus circumſtantibus, in quibus obſtructiones ſupponimus, & facilè quidem potiſſimum in meſenterio [d], & cauo lienis, aut iecoris, eaſque terreas, atque melancholicas, utpote à calore exſiccatas; quæ caloris naturalis liberam uentilationem intercipientes eundem præter naturam augent, & acriorem reddunt; vnde facilè hypochondriaca aliqua enaſcitur affectio, ex qua ut plurimùm contingit effectus huiuſmodi frigidus, cauſæ tamen calidæ ſoboles, à Medicis pleriſque frequentius non benè perceptus, neque ideo curatus. Quod ſi apud quempiam aliqua in renibus calculi vigeret ſuſpicio, eo quod à nephritico dolore ortum habuerit huiuſmodi uomitus, nephriticis alioquin familiaris, ob conſenſum peritonæi cum ipſo ventriculo; in contrarium adducimus, quod nulla adſit querela de renum vèl leui dolore; cùm tamen calculus renes obſidere non poſſit, ſine dolore, ſi non pungente, ſaltem [e] grauante, cum femoris aliquo ſtupore.

c 1. in 6. Epid. 6
d 1. de Loc Aff. 4.
e 2. de Loc. Aff. 4.

Patienti itaque Nobiliſſimo quotidie euomenti cum virium totius iactura, quamprimùm opem medicam ferre oportet, antequam obſtructiones magis exſiccentur, & rebel-

les

les fiant; ſicque uomitus tandem alimentorum quinetiam contingat, & deficiente nutritione, totum corpus gracileſcat.

Quod vt conſequamur, ventriculus, & primæ viæ emundandæ. Calor præter naturam contemperandus. Obſtructiones humectantibus aperiendæ. Et calida Iecoris intemperies corrigenda, non omiſſa, ſub finem tamen, aliqua ventriculi corroboratione. Quibus intentionibus ordine executiuo ſatisfaciemus.

Atque ideo omnium primò præbeatur ſyrup. roſat. ſolut. cum crem. tartari; vel elect. lenir. cum eodem tartaro. Inde tribus diebus matutinis horis exhibeatur ℥ i. crem. tart. in iure cort. cit. aut fruſtulo cinnam. alterato diſſoluti, tribus, aut quatuor horis ante cibum, ad viſcidam materiam abſtergendam, liquandam, & euacuandam; quorum
f 6.Aph.21. dierum intermedio apponantur hirudines f venis ſedalibus, & ſanguis detrahatur ad ℥ vi. quam euacuationem ſi renuat Patiens, apetiatur vena pedis. Mox decem, aut duodecim diebus præſcribatur quotidie caſſiæ flos ad ʒ. iii. quatuor horis ante cibum, cui, exacta hora, ſuberbibat ius malua, endiuia, & borragine alteratum. Interim Clyſteres molles (ſi eos non abhorreat) ex lacte, butyro, & ſaccharo infundi poterunt, ſi aluus non ſatis reſpondeat.

His tranſactis diebus repetatur ſyr. roſ. ſolut. cum rhab. infuſione, à quo, incepta euacuatione, bibat Patiens ſer. capr. depur. aut aſin. ad ℔ ii. Inde ad obſtructiones in quolibet viſcere impactas aperiendas, rhabarbaro opus erit, alternis diebus aſſumendo. hac ratione. ℞. flor. caſs. rec. extr. ʒ ii. rhabarb. optim. mat. ʒ ſ. m. ref. b. à quibus hora poſt bibat Patiens aquæ hordeaceæ, vel iuris hordei cyathum. Sequenti verò die exhibeatur cyathus aquæ ſtillatitiæ agrim. capil. ven. & cich. cum ℈ ſ. tart. vitriolati; uel integro ſcrupulo ſpiritus tartari ſæpius, & optimè rectificati. Horum verò alternato vſui Pat. inſiſtere debet ad quindecim, vel uiginti dies.

Iam dictis verò peractis, aliquot diebus mane comedat conſeruam roſarum, cui ſuperbibat calycem aquæ hordeaceæ; uel aquæ cich. ſtillatitiæ; vel ſeri capr. aut aſinini deſtillati, cùm hoc anni tempore aquæ uitriolatæ uſurpari non poſſint, alioquin æſtiuo tempore præſtantiſſimæ, renibuſque apprimè utiles.

Tandem ſi Ventriculo aliqua roboratio concilianda, exhibeantur à cibo conſerua abſinthii, ſal eiuſdem, ſuccus item condenſatus, ad ℈ i. pilula, vel duo grana maſtiches integra deuorãda. Extrinſecus calida non applicentur ob lobum Iecoris ſuperiorem, uentriculo incumbentem.

Victus ratio ſit quoad quantitatem mediocris, quoad qualitatem moderatè refrigerans, vel calefaciens, verbo temperata in actiuis, & humectans in paſſiuis qualitatibus: ſit etiam boni ſucci. Vinum non ſit generoſum; caueat verò à ſpritu vini, neque cibi plurimis aromatibus condiantur, excepto cinnamomo. Quæ omnia coniecturis probabilibus, præ inopia relationis à nobis elicita, & collecta, pro ſalute Nobil. Patientis, quam à D. O. M. illi enixè precamur.

LXXXI.

VOMITVS SANGVINIS.

ILluſtris Adoleſcens, temperamenti totius, & iecoris, calidi, & humidi, mediocris habitus, venoſus tamen, vini potor egregius, & otii amans, duobus abhinc annis, Verno tempore, copioſum ſanguinem vomitu reiicere cœpit, & quidem primo anno ſemel tantùm; ſequenti verò bis; quo tempore, & per aluum, & per vomitum excretus fuit, copioſè adeò, ut vires defecerint, nec plures dies è lecto Pat. ſurgere potuerit; poſtrema enim vice ſex, aut ſeptem libras æquauit, ſeroſus, ſatiſque floridus. Modò hoc ineunte Vere, huius affectionis periculi plenæ metu, præſeruationis, & curationis cauſa Patauina, veluti certiora, & præſtantiora implorat auxilia.

Sanguinem ab hoc Illuſtri Adoleſcente excretum, uomitu effluxiſſe ſupponendum; etenim licèt à pulmonibus quandoque & pectore, affatim erumpat, adeò ut à ventriculo manare uideatur; hunc tamen præcedere ſolent tuſſicula, ſalſa à capite deſtillatio, genarum rubedo, ſputum aliquod cruore tinctum, vèl ceſſante quoque ſanguinis exeretione perdurans; quorum ſignorum quoniam nullum adfuit; ideo uomitu à uentriculo ſanguinem prodijſſe dubio procul aſſerendum.

Et licet ſcribat Gal. a ſanguinis uomitum nõ inter ſymptomata, ſed naturæ opera quandoque eſſe reponendum, cùm ſcil. opportunè contingit; attamen quoniam ex eodem tunc opportunè contingit, quando, quod contriſtat, excernitur; ideo hoc caſu erit toto genere præter naturam, non ſolùm ratione ſubſtantiæ, cùm ſanguis ſit uitæ theſaurus; verùm etiã ratione loci. b *Sanguis enim ſupra, qualiſcunq; fuerit, malus.* Sicut & ratione finis, quoniam tantùm abeſt, ut fiat cum Pat. leuamine, quin potius cum virium proſtratione accidat. Quare non eſt cenſendum opus naturæ; ſed ſymptoma in excretis, toto genere præter naturam immodicè fluentibus.

a 1. de Sympto. Diff. 6.

b 4. Aph. 25.

Hoc autem ut in poſterum præuertatur, pars mittens neceſſariò cognoſcenda; ſiquidem prodire primùm poteſt à Ventriculo, Iecore, Liene, à Capite, & à toto. Verùm à ventriculi venis, in noſtro Pat. immediatè certè non effluit; exiguus enim eroſionis ſenſus, & acrium ciborum uſus, aut biliosi humoris vomitus præceſſiſſent. Non à Liene, quoniam ater eſſet, concretus, & craſſus, habitus melancholicus, & prægreſſa foret eiuſdem uiſceris aliqua tenſio. Non a Capite, quia ſuppreſſa non eſt conſueta hæmorrhagia, nec illius grauitas, rubedo genarum, aut uenarum oculorũ turgentia obſeruatæ. Quare reliquum eſt, ut uel à toto, uel à iecore ſanguis tranſmittatur; qua in re, uerè dubia, nos iecur, tanquam partem mandantẽ admittimus potius, cùm corpus plethoricum non ſit, nulla ſuppreſſa ſanguinis euacuatio per nares, aut hæmorrhoidas, nulla pars corporis mutilata. Et licet id raro contingat, cùm per aluum facilius ſanguis defluat, quàm ſurſum refluat per uomitum, unde anno elapſo, per utramque partem ſimul erupit, nihilominus à iecore uomitu nonnunquam excerni obſeruauit & ipſe Gal. c, quod etiam abundè nobis atteſtari poſſunt ſanguis ipſe ſeroſus, ac floridus, calida, & humida eiuſdem iecoris intemperies, & prægreſſus cuiuslibet uini promiſcuus potus.

c 5. de Loc. Aff. 6.

A iecore itaque exeretus fuit ſanguis, facultate expultrice, tum à copia, tum à mala eiuſdem qualitate irritata. Copia uerò, noſtro caſu, coaceruata fuit à cibis boni ſucci, & multæ nutritionis, necnon à uinis quandoque meracioribus; prout qualitas eiuſdem praua, à ſeroſitatibus bilioſis ſanguini immiſtis inducta fuit, quas auxit quoque copioſus uinorum etiam tenuium uſus; niſi dicamus, ab otio, & potibus, in toto etiam prauum ſanguinem, & iuſto copioſiorem congeſtum fuiſſe, qui neque per nares, neque per hæmorrhoidas excretus, ſed ad iecur ab expultrice uenarum irritata detruſus, & ſurſum, utpote ſeroſus, ad uentriculum transfuſus, tandem faciliori uia, per aluum quoque cum probi portione deiectus fuerit.

Cùm igitur ſymptomatica ſit huiuſmodi ſanguinis excretio, medica auxilia poſtulat, ad præſeruationem, uel ad curationem dirigenda; periculum enim imminet animi defectus,

Syncopes, & interitus; vel temporis proceſſu, calore natiuo debilitato, Cachexiæ quinetiam, & Hydropis, vel Atrophiæ, & Tabis ex alimenti defectu.

Pro præſeruatione igitur non eſt, qui non videat, cauſam antecedentem auferendam eſſe, immodicis vini potibus miſſis. Præterea Vere quoque ineunte copia ſanguinis minuēda fuerit, & eiuſdem calida qualitas contemperanda; atque adeò per venam ſectam bis educendus. Inde primis expiatis vijs herbarum ſucci, ad 20. dies, ſunt exhibendi, videl. Cich. End. ſonci; quinimò & in progreſſu ipſius quoque plantaginis, ad ℥ iij. per arenam tranſmiſſi, & transfuſi, in decoct. Cichorac. additis folijs portulacæ, plantag. & hepaticæ; & qualibet hebdomada, præbeatur purgans ex Elect. de ſucco roſ. magiſt. mechoac. & caſſia; cui ſuperbibat Pat. ſeri capr. libram. Poſt ſanguinis verò imminutionem, & contemperationem, aliquod corroborans, & adſtringens erit omnino adhibendum, quod ſimul iecoris, & venarum calorem plenius moderari poſſit; quod præſtare poterunt Aquæ acidulæ in Valle Solis ſcaturientes; etenim, ut vitriolatæ, ſanguinis ſiſtendi inſigni facultate pollent. Verùm quoniam experimentum tot abhinc annis docuit, Brandulenſes in Agro Mutinenſi peculiarem ſanguinis ſupprimendi prærogatiuam habere; ideo his utendum fuerit: multò enim Alumine conſtant, pauco Sale, & minimo ſulphure; quæ ideo frigidæ erumpunt, & longius iter ferunt.

His addatur familiaris vſus Conſ. roſ. cum congrua victus ratione, de qua inferius. Quæ omnia pro præſeruatione, quolibet Vere, tribus, aut quatuor futuris annis repetenda ſunt.

Curatio autem cautè valdè adhibenda, prohiberi quippe nō poteſt, quin aliqua, nec adeò probi ſanguinis redundantia, tum per aluum, tum per vomitum, ſtatutis temporibus, deponatur; quare non adeò citò ad eiuſdem ſuppreſſionem feſtinandum, verùm tantiſper cunctandum, donec ſuperflua eiuſdem copia diminuta, reuellentia, & ſanguinem ipſum ſiſtentia ex uſu eſſe poſſint.

Validiſſimum autem reuellens eſt venæ ſectio ex brachijs. Tundatur itaque vena, parcè tamen, & potius partitis vicibus ſanguis mittatur, ut fiat Antiſpaſis. Cucurbitula præterea ſicca, regioni iecoris affixa profuerit; prout frictiones infernarum partium, lotiones, & arctæ ligaturæ. Siſtentia interim continuò exhibenda, quorum ſilua vaſtiſſima eſt; ſelectiora tamen erunt bolus armena, cum ſucco Plantag. ex Auic. Potentes ſunt Trochiſci de karabe, de Spodio, cum ſyr. de Papau. Optimus quinetiam ſuccus Virgæ Paſtoris, in Aqua fol. Quercus. Valet item decoctio Hyperici, plantag. & hederæ terreſtris, cum gutt. Ol. Hyperic. Mirabile adſtringens eſt Aqua Vrticæ deſtillata cum ſpir. Vitr. Chalcanthum enim inſignē habet ſanguinis ſiſtendi prærogatiuam. Atque tandem, his non ſufficientibus, ſanguiniſque profluuio perdurante Gal. [d] deuenit ad Phil. Rom. rec. cui nos Laud. Nepentes Quercetani ſubſtituere poſſumus.

d 3. Pe. Lo. c. 4.

Et quia nonnunquam grumi ſanguinis in ventriculo hærent, faſtidium, lipothymiam, & Syncopen inducentes; ideo hi diſſoluendi; quod præſtare ſolet oxymel cum poſca, & omnium maximè coagulum leporinum, in lixiuio ficulneo; egregium enim, & tutum eſt remedium, adeò ut toto anno cinerem ficulneum Pharmacopolas præſtò habere iubeamus.

Circa victus rationem pro præſeruatione, primò à compotationibus omnino abſtinendum, & parcè ad menſam bibendum. Alimenta ſalſa, acria, & calida euitanda; ſicut & huius generis condimenta. Neque ſomno diuturno, & otio adeò indulgendum; imò ante cibum corpus exercendum, & animus ſtudiis potius applicandus.

Pro curatione verò conueniunt cibi incraſſantes, & adſtringentes. Vtatur itaque Amylo, & Oryza, Ptiſana, aut Lacte. A cibo ſumat conſ. roſ. antiquam. Potus ſit poſca, cum Aqua plantag. parata, & Chalybeata. In cibo verò exhibendo, Paulus, & Actuarius diſſentire videntur; hic enim ventriculum ieiunum non admittit; ille verò ait, vitandum frequentem ciborum uſum. Conciliantur tamen, cùm Paulus de ſimplici cibo; Actuarius verò de medicato locutus fuerit. Quæ tum pro curatione, tum pro præſeruatione Illuſtriſs. Adoleſcentis, ſufficiant.

SIN-

LXXXII.

SINGVLTVS.

REuerendiſs. Abbas N. 30. annos natus, temperamenti totius, & iecoris, calidi, & humidi, habitus ad obeſum vergentis, deſidioſam vitam ducens, & ventri, gulæque indulgens, multis abhinc annis ſingultibus fuit obnoxius, à quibus tamen, modò hauſtu vini aromatici, modò ſternutamentis Tabaci uſu excitatis liberati conſueuit. Verùm duo præterierunt menſes, quibus frequentior, ac diuturnior Singultus factus eſt; imò octauus iam dies agitur, quo continuò adeò Patientem exagitat, vt ſomnum uitę neceſſarium uix capere poſſit. Accedit ſtatim à cibo ad vomitum propenſio, & quandoque cibi eiuſdem vomitio, à qua quodammodò leuari videtur, illi admiſta crudæ, atque pituitoſę materiæ portione. Parum appetit, minuſque ſitit, & grauitatis ſenſus perpetuò in ventriculo illi moleſtus eſt. Aliqua quidem hactenus adminiſtrata fuerunt medica auxilia, euacuantia ſcil. demulcentia, & præparantia; quibus tamen cùm parum, aut nihil cedat affectus, ſpes omnis, Vir Præſtantiſſimè, in te ſita eſt; cuius cauſa tuam ſententiam, in hoc difficili caſu, quamprimùm expectamus.

Notiſſimus affectus, quo antehac frequenter, modò verò continuò affligitur Reuerendiſs. Abbas, Singultus eſt, actio ſcilicet facultatis expultricis ventriculi deprauatè læſa; qui licet ſub eodem genere cum vomitu ponatur, vehementiorem tamen, quàm ille, motum habet, ratione loci, in quo cauſa morbifica conſiſtit; quæ ſcil. in cauitate ventriculi vomitum; illius uerò tunicis impacta ſingultum parit, vt appoſitè conſiderauit Gal.[a] & cum eo Trall.[b] Ex quibus patet, Singultum eſſe motum uiolentum uentriculi, dum conatur expellere quod noxium eſt. Neq; audiendus Auic.[d] negans, ſingultum eſſe motum uomitu vehementiorem, eo quod in uomitu noxia expellantur, non autem in ſingultu; id namque à rebelli materia, non ab agente procedit; quod eleganter Gal. expreſſit his verbis[c]. *Sanè non idem eſt vomentibus, & ſingultientibus motus, nec idem affectus; in vomitionibus enim ea, quæ in capacitate ſunt ventris, reiiciuntur; in ſingultu verò, quæ ſunt in ipſo ventris corpore, imò quæ ſunt in ipſo ore ventriculi penitiora.*

Definitur autem Singultus à Gal.[f] quod, *Sit veluti conuulſoria quædam oris ventriculi affectio, excitata ab humore, vel grauante, vel mordente, vel frigiditate contriſtante.* Ideo neq; conuulſio eſt, neque verè motus conuulſiuus habetur. Non conuulſio, quia ſolis muſculis competit; ventriculus autem muſculus non eſt. Non motus conuulſiuus, quia ſingultus eſt merum[g] opus facultatis expultricis ventriculi; conuulſiuus verò motus, opus morbi, aut cauſæ morbificę; Quare ſingultus erit motui conuulſiuo ſimilis, ſiue conuulſoria quædam motio, ſiue conuulſiua quędam affectio; his enim loquendi modis vſi ſunt Gal. & Trall.

a 6 Aph. 39
b Lib. 7. Cap. 6
c 3. de Sym. pt. Cau. 2.
d 13. 3. T. 1.
e[?] 4. Cap. 2.
e 6. Aph. 39 & 3. de Sympt. Cau. 2.
f 2. in 1. Prorrh. Co. 23.
g 2. de Symp. Cau. 2. & 6.

Pars verò affecta ventriculus eſt, & pręſertim eiuſdem os; ait enim Gal.[h] quod Singultus eſt oris ventriculi affectus. Et licet Auic. gulam quoque addat; admittitur tamen & à Gal.[i] tanquam ori uentriculi continua. Huic autem ſententiæ quamuis reluctari videatur Ariſt.[k] aſſerens, pulmonem in ſingultu eſſe partem affectam: attamen Singultus Ariſt. non eſt idem, ac ſingultus Hipp. ut Conciliator conſiderauit: eſt enim ille halitus quidam, à pulmonibus emanans ex ingruente copioſo flatulēto ſpiritu, ab iiſdem ad Tracheam elato, in Mulieribus potiſſimum flentibus, & Pueris plorantibus: Hipp. verò ſingultus à ſolo ventriculi irritamento, ob cauſam non flatulentam, ſed humidam, & fixam procedit. Quamobrem cauſa immediata Singultus eſt irritamentum: unde ex Hipp. in repletionibus, & inanitionibus contingit, non quia materia repleat, aut euacuatio extenuet: ſed quoniam irritat, alioquin, vt notabat Gal.[l] daretur tertia cauſa conuulſionis, pręter repletionem, & inanitionem, quam ipſe nunquam deprehendit, prout experientia compertum illi fuit irritamentum ipſum. Repletionem autem in Abbate Reuerendiſs. cauſam fuiſſe ſingultus, & adhuc num eſſe, euidentiſſimè patet; ventri enim, & otio immodicè indulget; vnde cruditates coaceruantur, quę poſtea nullis corporis exercitiis attenuantur,

h 5. de Loc. Aff. 6.
i 7. Aph. Com. 3.
k 23. Probl. 1.
l 8 per Loca 3.

 dige-

digcruntur, & diſſipantur; vnde ventriculo tenaciter adhæteſcentes, facultatem expultricem valido, ſed inani conatu ſtimulant, adeò ut expulſione fruſtra tentata, ſingultus ſuccedat; prout & uomitus, eadem procedente; quod accidit, non propter facultatis imbecillitatem, ſed obluctantem materiam, quæ ab hauſtu vini generoſi attenuata, olim ceſſit, ceſſante ſimul affectu, ſicuti quoque à ſternutamento, uſu Tabaci protitato. Hinc Hipp. [m] *A Singultu habito ſternutamentum ſuperueniens liberat*. Cujus rei in Com. Gal. rationem reddens, inquit, quod. *Plenitudo violento motu opus habet*. Vnde Aetius [n]. *Singultibus ex inanitione, ſternutamentum malum*.

m 6 Aph. 13
n Tetr 3. Ser 1. 6. 5.

Affectus moleſtus equidem, & contumax; cùm medicamentis adhibitis hucuſque non ceſſerit, quem tamen ſanari poſſe confidimus; cùm irritamentum à repletione proueniat, prout lethalis eſſe ſolet, cùm ab inanitione, aut immodicis [o] ſanguinis euacuationibus, aut ſuperfluæ [p] humorum purgationi aut malignis [q] febribus ſuccedit. Lethale quoque ſignum habetur in inflammationibus hepatis [r], & Ilei [s]. Neque formidanda affectus contumacia, atque diuturnitas; Iuuenis enim eſt Patiens, qui propterea, tum morbi diuturnitatem, tum medicamentorum adminiſtrationem facilè rolerare poterit; cùm Vetula [t] etiam octogenaria anni dimidium ſingultum pertulerit.

o 5. Aph. 3.
p 5 Aph 4
q 4. Acut. 69.
ſ 7 Aph. 17
r 7 Aph. 10
t Foreitus.

Curandus itaq; eſt ablatione ſuæ cauſe (de quibus omnibus cauſis Gal. [u]) conttariis facta. Cùm autem caſu noſtro, cruditates redundent, non ſine frigida, & humida uentriculi intemperie; ideo omni conatu viſcida, & lenta materia ab eodem deturbanda, & Intemperies corrigenda, à proprietate iuuantibus non omiſſis.

u 12 Simpl Cap de Caſtoreo, & 8. per Loca 3.

Si autem Chirugica præſidia conſideremus, nulla hìc ſanguinis miſſione opus eſſe videtur. Quapropter iubet Aetius [x], vt magno, & concitato motu, vomitu, vociferatione, clamore valido, ſpiritus contentione, equitatione, ſternutamento vtendum ſit; imò & cucurbitula [y] ventriculo, & dorſo affixa, circa duodecimam, & decimamtertiam, primam ſcil. lumborum uertebram. Extremorum quoque arctas ligaturas, & lotiones præcipit, omnia tamen à Gal. mutuata.

x Tetr 3. Ser. 1 C 3.
y 13. Meth. 17.

Pharmaceutica remedia eſſe debent Euacuantia, Præparantia, intemperiem Corrigentia, & à proprietate Iuuantia. Primò autem vomitus leuiter excitandus Mulſa acetoſa, cum ſucco Raphani. Hiera repetenda, ad ʒ i. ſ. cum Lenit. Præparantibus quoque his inſiſtendum. ℞. Oxymel. ſquill. ℥ i. Mel. Roſ. ſimp. ℥ ii. Aq. Cinnam. ℥ ſ. m. pro Syr. & ſic pro aliis; & quarto quoque die præbeatur ʒ i. pil. de Hiera cum Agat. quibus in progreſſu addantur Alephanginæ, & aliquot diebus quidem, vt mox Aquæ Terrucianæ cum vehiculo Mel. Roſ. ſol. exhibeantur, quæ inſigni, tenaces, & viſcidas materias à ventriculo detergendi, & abluendi facultate pollent.

A proprietate iuuantia, quæ ſimul attenuent, atque diſſoluant, eſſe poterunt ex Gal. Ruta cum Vino Aromat. Caſtoreum, Daucus, Cuminum, Acorus; ex Trall. & Orib. Acetum Squill. ex Orib. & Aetio Mulſa cum Nitro. Sed omnibus præferendum Caſtoreum cum poſca; Zinziber viride commanſum, cum hauſtu Vini Maluatici, conditum tamen in Calecut Iudorum, vel Arabia, non vetus, quod ab Italis in aqua maceratum Saccharo, aut melle conditur. Vti quoque ſolemus vino Maluatico, uel gutt. Olei Ocymi, uel Aniſor. in Aqua uitæ. Quibus niſi cedat affectus, ad aliquod opiatum confugiendum; inter quæ Philonium, utpote cęteris minus noxium, pręfert Gal. [z] quod & ipſe feliciter expertus ſum.

z 8. per Loca 3.

Interim intemperies frigida, & humida affectum fouens corrigenda, Iure Galli Ligno Saſſafras, Zinzibere, Mentha, & Ruta alterato; cui pręmittatur bolus ex Ther. uet. uel ſaltem Sale Theriacali. Extrinſecus quoque fiant fotus, inunctiones, & illitus. Fotus quidem ex decoct. Cumini, Orig. Pulcg. Calamen. Menthę, aut Mentaſtri. Inunctiones Oleo de ſpica, & dorſo Oleo de Pipere. Illitus parentur ex Mithrid. Aqua ardente diſſoluto. Prodeſt quoque ſcutella Cinere Quercus, uel Iuniperi repleta, Vino Maluatico aſperſa, & calida appoſita: imò Auic. Sinapiſmos applicat.

Cibus ſit attenuans, & tenuis potius, & niſi urgeat ſingultus, alimenta ſint acria, & ſalſa, habita ratione cauſæ. Potus ſit uinum ligno Saſſafras medicatum. Vehementes animi, corporiſque motus conueniunt. Somnus vigilię pręfertur. Clyſteribus acrioribus quinetiam utendum. Quę pro Reuerendiſs. Abbatis ſalute abundè.

Digitized by Google

LXXXIII.

CHOLERA HVMIDA.

COmes Illuſtriſs. annos 30 natus, temperamenti totius, & iecoris, calidi, & ſicci, gracilis habitus, gelidis potibus, ſed generoſioris vini, necnon copioſis fructibus, & potiſſimum Peponibus ſemper vſus, frequentibus Diarrhœis bilioſis, multis abhinc annis, obnoxius; toto hoc anno tamen omnino ſuppreſſis, tandem hoc ineunte Autumno, prægreſſa oris amaritudine, ſiti, & circa præcordia ingenti æſtu ſubitanea ventris perturbatione, ſimulque euacuatione ſurſum, & deorſum, tenuis primò, & crudæ materiæ, moxque ſtatim bilioſæ, & valdè copioſæ, cum ſenſu eroſionis, atque torminibus, correptus eſt; quæ cum ſpatio vnius diei Comitem Illuſtriſs. adeò torſiſſent, ut faciem Hippocraticam induerit, & in lipothymiam, Iuuenis licet, inciderit, in præcipiti adeò caſu, me quoque ad conſilium Medicus Aſſiſtens acciuit, ut de agendis conſuleremus.

Valdè irritata Ventriculi facultate expultrice, à cauſa morbifica, copia, aut praua qualitate peccante, & ad noxij tum per ſuperiora, tum per inferiora, vomitu ſcil. & deiectione, expulſionem inſurgente, oritur affectus præter naturam, qui à Græcis [a] Cholera dicitur, & ab Arabum ſectatoribus Cholerica paſſio; quam tamen denominationem deſumpſit forſan Auic. [b] ab ipſo Hipp. [c] ita dicta ex Gal. [d] & Celſo, [e] à cauſa ipſa, nempe à bile; licet re-uera fieri poſſit etiam à ſolis cruditatibus; unde Trall. voluit, nomen ab inteſtinis deduxiſſe, quæ Veteres Choladas appellarunt. Vtcumque tamen, affectio hæc eſt materiæ à toto corpore in ventriculum, gulam, & inteſtina refluens motio, quæ verè incipit, ut noſtro caſu, cum duplici euacuatione; licet aliquando contingat ceſſare alteram, altera manēte, preſertim ſi debilis facultas ſit, aut valdè diminuta materia; unde apprimè hunc affectum ſic definiebat Aretæus [f]. Quare licet morbi progreſſu, altera dictarum euacuationum deſiſtat, ut in Eutychide contigit [g]; non ideo tamen Choleræ nomen amittit; ut placet quoque Auic.

Pars autem verè, & principaliter [i] affecta, eſt os utrumque ventriculi; minus principaliter verò gula, & inteſtina; harum enim partium irritatur facultas expultrix, cuius propterea deprauatè læſæ ſymptoma eſt. Et licet repugnare Valeſius uideatur, aſſerens, eſſe ſymptoma retentricis; à Gal. tamen omnino non diſſentit, qui hæc habet, *Porrò, [k] ad immodicum motum excretoria vis excitatur, quoties vis retentiua, vel ex copia excrementorum, vel ex acrimonia, vel ex propria imbecillitate laborat; ut in Lienterys, Dyſenterys, & Choleris.* Et ratio eſt, quoniam ad retentricis imbecillitatem, facultas expultrix uegetior ſit.

Vt autem irritamentum eſt immediata [l] cauſa huius affectus; ita mediata irritans eſt copia, vel mala qualitas tum ciborum, tum humorum. Et primò quidem ciborum; unde Bianti [m] voraci contigit Cholera, ex porcinis carnibus, & ebrietate ex vino odorato; prout etiam Braſauolo ruri degenti ex Phaſeolorum, Cęparū, Vuarum uſu, & muſti potu; & eiuſdem uxori ex comeſtis fungis. A frigidæ etiam potu eundem produci obſeruauit Trall. ab eſu radicum Amatus; & tandem communis malitia Cholericorum eduliorum eſt, ut notauit Gal. [o] ſi humida, & acria fuerint; ita enim facilè corrumpuntur, ac mordent; licet huius conditionis auctorem ſe profiteatur Mercatus. Ab humoribus etiam, & frequenter bilioſis concitatur; quamuis non ſemper, ut Perda exiſtimauit; Braſauolus enim curauit, & ſanauit Principem quendam, Cholera à ſanguine correptum; quæ frequenter quoque à cruditatibus; quandoque, & ab atra bile fieri poteſt. Noſtro autem hoc caſu, ab utraque cauſa, cruda ſcil. &141 bilioſa Choleram excitari cenſemus; primò enim ab immoderato fructuum uſu, & præſertim Melonū, ſuperioribus hiſce diebus, prout à potu [o] uini meracioris, bilioſos in venoſo gènere congeſtos fuiſſe humores, indicio fuere frequentes Diarrhœæ bilioſæ, quos toto hoc anno ſuppreſſos, tandem copioſè modò excerni videmus, euacuatis primò crudis, in ſpatiis concluſis.

a 3. de Symptom. Cau. 2.
b 17. 3. Tr. 2 Cap. 2.
c 7. Epid. 40.
d 2 Meth. 2.
e 4. de Re Med. 11.
f Lib. 2. Cap. 5.
g 5. Ep. 19
h Lo. cit.
i. 3. de Symptom. Cauſ. 2.
k 3. de Symptom. Cauſ. 1.
l 3. de ſym Cauſ. 2.
m 5. Epid. 68.
n 4 Acut. Com. 102.
o 4. Acut. 101. & 7. Epid. 40.

Affectus

Affectus quidem [p] peracutus; hinc habemus ex ipſo Hipp. Eutychidē ex Cholera trium dierum ad conuulſionem perductum; de quo affectu eleganter Aretæus dicebat. [q] *Initio facilis morbus eſt, dolore vacans; poſtea verò tenſiones in ore ventriculi, & gula, tormina in ventre, Anima deficit, membra reſoluuntur, cibos abhorrent, animus conſternatur, mors demum ſequitur doloribus plena, & miſeranda, per conuulſionem, ſtrangulatum, & inanem vomitum.* Et licet dentur Diarrhęæ, & Choleræ ſtatis interuallis omnem corporis redundantiam extrudentes, ut obſeruauit Gal. [r] attamen ſæpè quoque euenit, ut cum ſuperuacaneo bonum quoque excernatur, debilitata enim retentrice, expultrix ad immodicum motum excitatur, ut in præſens dubitare poſſumus. Etenim quamuis à cauſa primitiua inceperit, modò tamen, & apparatus bilioſus perdurat, atque irritamentum ventriculi, & inteſtinorum ad iecur quoq; per venas propagatur, ubi humorum congerie commota, natura ad excretionem ſtimulatur, quæ veluti furibunda, inutilia quidem primò expellit, licet in progreſſu de vtilibus quoque metuendum ſit.

Ideo curatio ſtatim aggredienda, namque vèl exigua [t] mora periculoſa eſt. Quare humorum primò ſurſum, atque deorſum euacuatio, hoc caſu, permittenda; in alijs verò quãdoque adiuuanda [u]. Secundò acres humores contemperandi. Tertiò ventriculus roborandus. Quartò contra ſymptomata pugnandum; & vires conſeruandæ.

Quibus explendis intentionibus, minorata ſatis materia, omnes Medicinæ Principes, Celſus, Aretæus, Trall. Orib. proponunt cucurbitulam ſiccam, umbilico frequenter applicitam, quam approbat quoque Rhaſis, cum balneo calidæ aquæ; quod tamen remedij genus cautè uſurpandum, ne vires deficiant.

Primam autem intentionem perficere ſolet, ex ſonte Pharmaceutico, vomitus leuioribus ſolicitatus, ut Mulſa cum Trall. copioſa aqua tepida cum Aetio. Nos tamen utimur iure hordei, & maluarum, cum Sacch. momento, vel Aqua hordei. Neque imitandus Hippocrat. qui cuidam Athenis Cholera laboranti Veratrum album cum ſucco lentium, ad vomitum, exhibuit, ipſumque ſanauit; reclamat enim contra hoc exemplum Cælius Aurelianus, & Foeſius, iniquum exiſtimantes à peregrinantium medela rectam medendi petere normam. Per inferiora quinetiam nonnunquam natura auxilium expoſcit, leuioribus tamen præſtandum, ut Caſſia cum pulpa Tamarind. aqua hordei, aut ſero capr. depur. ſuperhauſto, præmiſſa exigua Syr. roſ. ſol. portione, cum decoct. pulpæ Tamarind. Quandoque verò ſufficit ſolum ſerum depur. vel aqua hordei; addita Iulap. Violac. aut roſac. portione. Clyſteres aptiſſimi quoque ſunt, ex iure pingui, cum butyro, aut ex lacte, butyro, & ſacch. parati; quorum tamen auxiliorum nullo in caſu noſtro egemus.

De ſecunda ideo explenda intentione cogitandũ; vigente namque humorum acrimonia, irritamentum perpetuum futurum eſt. In hunc autem finem quamplures Medicinæ Profeſſores copioſam aquam tepidam exhibere ſolent; ego tamen cum Trincauella ſæpius feliciter iure pullæ ſum uſus, iterum, & tertiò, ſingula quaque hora exhibito, quod hoc caſu, endiuia, aut ſonco alterari poterit. Quod ſi aluus omnino ſupprimeretur, ſerum Capr. aut Aſin. depur. bis, aut ter ſingulo die utiliſſimum foret, contemperabit ſiquidem, & ſua exigua nitroſitate humorum ſubductionem adiuuabit.

Inde ad tertiam intentionem explendam deueniri poterit, ventriculum roborando, internis, & externis. Sic Paulus, Trall. & Aetius uſi ſunt ſucco granatorum, cum ſucc. Menthæ; noſtro tamen Pat. ſolus granatorum ſuccus ſat fuerit. Et quia Saccharata omnia ſuſpecta ſunt; ideo puluis huiuſmodi parari poterit. ℞. Pulu. Maſtich. Corall. rub. Margat. præp. Cryſtalli an. ℨ i. m. & diuidatur pro quatuor uicibus, & cum ſucco Granat. aut Cydon. exhibeatur; Cryſtallus enim in hoc affectu magnoperè à Langio extollitur. Tinctura quoque Corall. chymica, ad gutt. vi. cum ſucco cydon. vtiliſſima erit. Extrinſecus verò ſufficiat roſar. placenta, in Alembico à deſtillatione ſuperſtes, aceto, vel omphacio inſperſo, ſiue Emplaſt. de cruſta panis Montagnanæ.

Quarta intentio erit Symptomatibus occurrere, quæ eſſe ſolent, nimia euacuatio, Lipothymię, & conuulſiones.

Ad ſuperuacuam verò euacuationem, Auic. Orib. & quamplures alii probant frigidam aquam copioſam. Paulus verò decoct. ex capit. Papau. At quoniam occaſio præceps, & celeritate opus eſt; ideo ad Theriac. rec. eſſet confugiendum; ſed quoniam eius compoſitioni ego parum fido; ideo Nepenthe Quetc. ad gr. ii. libentius, & tutius uti ſoleo.

Ad Lipothymias vinum proponit Aretæus aqua frigida dilutum; de quo Trall. ſcribit, quod multi ſola uini potione præter ſpem mortis periculum euaſerunt; cuius cauſa,

p 1. Aph. Com. 12.
q 2. Acut. Cap. 5.
r 7 Meth. 11.
ſ 1. de Sympt. Cauſ. 2.
t T. al Lib. 7 Cap. 14.
u Aet. & Orib.

tum à Celſo, tum ab Orib. proponitur, & ab Aetio commendatur.

Ad Conuulſiones verò membra omnia Oleo inungantur, illinatur quoque tota ſpina Oleis Amygd. Lil.alb. & Lumbric. & ſi vires ſatis vigeant, balneum Aquæ dulcis, Malua, Althea, Chamæm. Melil.alteratæ. erit remediorum omnium optimum; quod ſi extrema frigeſcerent, Aqua vitæ calente fricentur; imò ex Aretæo, Oleo quoque cum Euphorbio, & Sinapi.

Aliqua quoque à proprietate iuuantia ex abundanti poterunt adminiſtrari, ut lapis Berillus puluetiz.in Aq.roſ. ex Nicolo. Extrinſecus verò Smaragdus, Topazius, Corallium, ſupra ſtomachi regionem geſtata; quæ à magnis Viris experta, abſque ullo ægri diſcrimine, aut detrimento in uſum reuocari poterunt.

Circa victus rationem, Aer ſit potius refrigerans, & tenebroſior. Parum, & ſæpè nutriatur, cum biliosa ſit Cholera, temperamentum calidum, & ſiccum, habitus gracilis. Conueniunt contuſa, aut expreſſa carnium aſſatarum, cum ſucco Cydon.aut Granat. Gelatina item ex pedibus Animalium, cum agreſta, ex Paulo [x], & Aetio [y]. Cibi condiantur Aqua roſar. Succo Cydon.Granat.Aurant. Potus conſuetus ſit aqua acet. uel etiam Plantag.noſtro caſu. Præbeantur offæ panis Vino Granat.imbutæ. Ius etiàm Cydonijs alteretur. Somnus accerſatur; ſiſtit enim omnes fluxiones, præter ſudorem; & tandem conſtanti, atque erecto animo Comes Illuſtriſs.degat.

x 5. de Re Med. 39.
y Tetr. 5. Ser. 1. C. 12.

LXXXIV.

CHOLERA SICCA.

ILluſtriſs. Vir quadragenarius, temperamenti totius, & iecoris, calidi & ſicci, gracilis habitus, uenoſus, hirſutus, fuſci coloris, animi intentis ſtudiis maximè deditus, utpote Sereniſs. Principis à ſecretis, & in reliquis liberè viuens, hypochondriaca affectione iamdiù conflictatus, ſex abhinc menſibus dolores, & tormina abdominis, & laterum, atque lumborum, ventriculi inflationes, & ſtrepitum, cum inani irritamento, tum ad vomitum, tum ad alui deiectionem per interualla pati cœpit, præcedentibus oris amaritudine, ſiti, & æſtuatione in ipſo ventriculo. Cùm autem dolores, & frequentius inuadant, & diutius perdurent, adeò ut bis ſaltem quolibet menſe integrum diem naturalem Patientem affligant, nec calidis medicamentis quicquam cedant, quinimò exaſperentur, nec frigidis adeo facilè Medici vti audeant; ideo ad Tripodem Patauinum confugimus, ut de affectus conditione, deque agendis pro curatione, & præſeruatione certiores fiamus.

Affectus itaque præſens, quamuis rarus cenſeatur; non infrequenter tamen contingit, licet modò Colici, modò Hypochondriaci nomine à Medicis nuncupetur; Cholera namque propriè appellatur, eaque non humida, quæ non ſolo irritamento facultatis expultricis; verùm & excrementorum ſimul per vomitum, & per aluum euacuatione ſe prodit; ſed ſicca eſt, quæ cum irritamento quidem fit, ſed inani, cùm nulla euacuatio per vomitum, aut per aluum ſubſequatur; de qua dicebat Hipp. [a] *Ab arida Cholera venter inflatur, ſtrepitus fiunt, & dolor tum laterum, tum lumborum, nihilque aluus deijcit, ſed adſtringitur.* Gal. verò in Com. habet. *Sicut Cholera humida procedit ab humoribus acribus, qui ex comeſtione aerium ciborum prodierunt; ita arida ex ſpiritu flatuoſo, aeri, qui neruoſa corpora mordens, & tendens, dolorem parit; hic poteſt retineri, & exire; aridum propter retentos ſpiritus generari, aſſerere non poſſum; nam probabilius ita appellare, qua penetrant, atque egeruntur.* Neque arguendus idem Gal. quod flatum, ſpiritum appellauerit, qui eſt ſanguinis pars purior; namque addidit ſpiritui flatuoſum, & acrem, ut vaporem explicaret; licet tamen iure argui poſſe videatur, quod in Com. Hippoc. aduerſetur dicenti, *Nihilque aluus deijcit, ſed adſtringitur.* Ipſe verò in Comm. *Hic poteſt retineri, & exire*; imò probabilius eſſe, quod penetrando egeratur, ac excernatur; namque ſi ſic eſſet, deeſſent conditiones conſtituentes aridam Choleram; quod enim uenter infletur, ſtrepitus fiant, & laterum, ac lumborum dolor, omnia ſunt ſigna ſpiritus acris flatulenti cohibiti; præterquam quod, ſi ſicca Cholera diuturna cum Hipp. & Gal. in aquam

a 4 Acut. 103.

inter

inter cutem ſiccam deſciſcit, quomodo id fieret, ſi flatus continuò excernerentur, nec intus cohiberentur? Quare Hipp. potius, quam Galeno aſſentiendum; niſi pro Gal. dicamus, quod in ſicca Cholera ſpiritum flatulentum, & acrem diſſipari, & difflari neceſſe ſit; alioquin non amplius Cholera ſicca permanet, ſed in Aquam inter cutem migrat.

Ex quibus patet, cauſam immediatam huius affectus eſſe expultricem facultatem irritatam, non quidem à materia humida; ſed flatulenta, & acri, quæ non ſolùm ab alimentis praui ſucci, & promiſcuè à noſtro Pat. aſſumptis, eleuatur; verùm multò magis à minera melancholica, & à probis quoque alimentis, à uentriculi, & Hypochondriorum calore corruptis, & in nidorulentam qualitatem mutatis (unde à calidis læſio, iuuamen à frigidis) vtraque enim cauſa ſpiritus flatulentos producit, exhalationis, non vaporis ſpecie; qui ideo craſſi, fuliginoſi, ſed & acres, & acidi ægrè diſſipantur, ac proinde ſpatia implentes, & partes ſentientes laceſſentes, dolores non ſolùm extenſiuos, verùm & erodentes frequenter excitant, frequentiores quinetiam, tum ob aſſidua ſtudia, tum ob liberalem viuendi rationem, quę cauſam fouet, præſertim non extirpatis cauſis reproducentibus; etenim cum calore ſiccitas inteſtinorum, & meſenterii quammaximè uiget, quæ contrahit, & occludit uias; unde exitus excrementis intercipitur, quę proinde ſtomachum infeſtant, coctiones turbant, & cibos corrumpunt, qui corrupti, & ſitim, & oris amaritudinem, imò quandoq; & febres [b] excitant; quorum potiſſima pars in halitus, & flatus diſcuſſa dolores, tormina, ventris inflationes, & irritamentum, tum ad vomitum, tum ad alui deiectionem inuehit.

b 8. Meth. 5.

Affectus equidem moleſtiſſimus, & qui habitualis euadere poteſt, cùm frequentius inuadat, niſi propriis remediis præſtò ſimus; in aquam enim inter cutem [c] ſiccam deſciſcere ſolet.

c 6. Aph. 21

Medicæ autem intentiones erunt flatus educere, & contemperare, atque cauſam auferre; quod fiet, uentrem emolliendo, & laxando, atque vias patentes humectantibus ſeruando.

Hippocrates autem 4. Acut. à Tex. 104. uſque ad 113. curationem aridæ choleræ proponit, à Gal. admiſſam, & quidem hoc ordine. Primò prohibet uomitum, tum quia materia flatulenta eſt, tum quia magna parte, in inteſtinis, & hypochondriis concluſa. Secundò Oleo uentrem ſubducit ad obtundendam flatuum acrimoniam, & eorundem euacuationem moliendam. Tertiò præcipit balneum Aquæ dulcis, & Olei perfuſionem, ad prædictorum coctionem, contemperationem, & diſcuſſionem. Quartò ſomnum imperat ad coctiones adiuuandas. Quintò vinum antiquum, & meracius præbet ad flatuum reſolutionem. Sextò ſi perſeueret malum, repetit Oleum per os, ad flatus contemperandos, & dolores demulcendos. Septimò prohibet cibum, ad cruditates arcendas, & coctionem perficiendam. Octauò Lac exhibet ad materiam peccantem euacuandam. Quæ omnia ad noſtram medendi methodum ita reduci poſſunt.

Primò fiant Clyſteres ex Oleis, cum pinguedinibus, aut Butyro rec.

Secundò, ſi dolores urgeant, detur Oleum Amygd. ad ℥ viii. à quo cibum non ſumat per decem, aut duodecim horas, & Clyſter mollis iuſundatur, ad oleum ſubducendum.

Tertiò remiſſis doloribus, detur Caſſia ad ʒ iii. cum ℈ i. Rhab. quotidie epoto abhis iure Malua, & End. alterato, uel Seri depur. libra, per duodecim dies, ut reſerentur viæ, ad Lactis vſum.

Quartò prębeatur Lac Aſininum ad ℔ i. quotidie per 40. dies; quod ſi fortè corrumpatur, præbeatur ad ℔ iii, more Hipp. vt calorem hypochoudriorũ moderetur, & aluum ſubducat.

Quintò ad balneum Aquæ dulcis deſcendendum eſt Malu. Viol. Bortag. & flor. Chamæm. alteratæ.

Sextò, & tandem ad flatus diſcutiendos, & ventriculum roborandum, vini antiqui loco proponit Gal. Diarrionpip. licet à Trall. immeritò reprehendatur; nam alioquin & ipſe Hipp. incuſandus foret, qui uinum antiquum probat, abſente tamen æſtu, & incendio hypochondriorum.

Hæc autem medendi ratio, non ſolùm curatiua, ſed & præſeruatiua eſſe poterit, cùm uſus Rhab. obſtructiones imminuat, Lac, & Balneum reliquias emolliant, & hypochondria humectent.

Victus verò ratio contemperans ſit. Ideo conueniunt Ptiſana hordeac. panatellæ, cum emulſ. ſem. mel. & Amygd. dulc. iuſcula, herbis præſertim contemperantibus alterata, prima menſa ſumpta. Vitentur cibi nidorulenti, ut Laſerpitium, Caſeus, Carnes bubulæ, &

Capri-

Caprinæ, oua, cæpæ, allium, raphanus, & huiuſmodi alia,ab Hipp. quoque damnata. Salita quoque, & aromatum uſus; ſicut & vina generoſa nunqnam vſurpanda. Quæ pro curatione, & præſeruatione ſatis.

LXXXV.

AFFECTVS RVCTVOSVS.

QVo tot abhinc Menſibus diuexatur Nob. Pat. Affectus ructuoſus nè, an propriè magis flatulentus ſit dicendus, dubitari poſſet. Ructuoſus ſiquidem ab Hipp. [a] deſcriptus comites habet dolorem acutum circa viſcera, & vſque ad imum ventrem, vomitus bilioſos, eum ventris inflatione, ſtrepitu, & ſtercoris, atque flatus per aluum ſuppreiſione; quæ caſu noſtro,neque obſeruantur, neque obſeruata unquam fuere, flatulenti verò non deſunt ſigna, ſi non legitimi, ſaltem ſpurij, dum perpetuò rugitus, & murmura in hypochondrijs percipit Pat.quę à liene originem ducunt,in quo obſtructiones manifeſtæ; prout in meſenterio quoque,licet obſcutiores, tactu à nobis deprehenduntur.

a 1. de Morb. 67.

Pro ſolutione igitur dicimus,ructuoſum morbum ab Hippoc.deſcriptum, inflanrem potius fuiſſe; noſtrum verò ructuoſum verè eſſe, dum perpetuam patitur eructationem, quæ rara in illo Hip.contingit,& ſi fuiſset frequẽs,ſeua ſymptomata ab eodẽ adducta ceſsaſsent. Ructuoſum itaque appellandum cenſemus, nec tamen flatulentum excludimus, cùm & ipſe Hipp. [b] ructum. ſpiritum flatulentum nominauerit, & flatum, imò flatulentam, & hypochondriacam affectionem, cauſam cognoſcat. Ructum igitur, ſiue eructationem affectum hunc nuncupabimus,cuius ſedes in ventriculo,dum eiuſdem facultas expultrix irritata à flatulenta materia, [c] motum huiuſmodi illegitimum excitat. Et licet ſine ventriculi læſione id fieri nequeat; non tamen eſsentialiter, aut primariò hoc caſu ventriculus afficitur, ſed ſecundariò, per conſenſum; ſiquidem, ſi flatulenta illa materia à ventriculi frigida intemperie, vel à pituita [d] in eodem coaceruata, vel à ciborum copia, aut frigida qualitate eleuaretur, ptyaliſmus, imò & vomitus ſæpè contingerent; & prætetea ab inſigniter calefacientibus hucuſque adminiſtratis, leuamen non ſolùm, verùm & abſolutam morbi ſolutionem Pat.adepta eſset. Ab hypochondriis igitur, & potiſſimum à liene [e] eleuatur,in quo latent obſtrúctiones, ex materia craſsa, atque morboſa; unde ſicci flatus, qui continuò ab eadem exhalantur, & per vas breue (quod niſi patens ſit, in viuentibus tamen valdè rarum, atque peruium deprehenditur) copioſi,& perenni productione venrriculum laceſſunt, exhalationis potius,quàm vaporis ſpecie. atque adeò hypochondriacum affectum, quem flatulentum appellabat Gal. [f] nobis indicant; quem tamen illegitimum eſse diximus ratione partis affectæ. quoniam in pyloro non adeſt phlogoſis illa Dioclis, & venæ illæ turgidæ à ſanguine craſso; ſed in ipſo liene. cuius cauſa ciborum non obſeruantur corrupriones, nec acidæ, aut nidotulentæ, nec ventrieuli anxietates, nec vomitus,ut in legitimo; hincque fit, ut ructus flatulentus tantùm, abſque vllo prauo, aut ſapore, aut odore emittatur.

b 3. in 2. Epid. 1.

c 2. de Sympt. n. Cau. 1.

d 2. acut. 22

e 1. de loc. Aff. 4.

f 3. de Loc. Aff. 7.

Ad huius autem mineræ congeſtionem conſpirarunt animi paſsiones, & menſtruorum ſubitanea ſuppreſsio(licet non intempeſtiuè ſecuta) ſanguinis probi à melancholica portione deſęcationem prohibens, quæ ideo, à iecore per venam cauam ad cor, indeque per Aortam primò, mox per cæliacam ad lienem conuerſa, turgidas eiuſdem reddidit venas, à quibus continuò iam dicta materia flatulenta eleuatur, natura quinetiam eiuſdem reſolutionem continuò tentante; qui caſus fuit obſeruatus à Sennerto in quodam Viro continuò eructante, ob hypochondriacam affectionem; nobis tamen, ut ingenuè fateamur,nunc primùm viſus.

Ideo vt rariſsimus, ita curatu difficillimus cenſendus eſt; coniiciendum ſiquidem, viam à liene ad ventriculum, in hac Nob. Pat. conſueto patentiorem eſse, adeò ut exhalationes melancholicæ eleuatæ, illicò, & immediatè ad ventriculum potiori parte tranſmittantur; quod ſi non contingeret,in toto abdomine copioſiores rugitus,inflationes,& forſan etiam tormina excitari neceſse foret. Difficilis autem ſanationis diximus futurum hunc affectum;

Vu quoniam

quoniam cauſam melancholicam habet, quæ niſi imminuatur, nec affectum imminui poſſe ſperandum,

Aggredienda itaque curatio, primas vias expiando; mineram melancholicam calefacientibus, & humectantibus præparando; eandem per epicraſin imminuendo: obſtructiones aperiendo: & fortioribus tandem extirpando: iecoris quoque æſtus habita ratione.

Et quidem à fonte Chirurgico repetita eſt deſumenda ſanguinis miſſio, ex iecoraria dextera, mox quoque ex ſiniſtra; & ex abundanti eodem tempore cucurbitulæ ſiccę inferius partibus apponendæ; imò, ſi è re viſum fuerit, ſaphena tandem aperienda, non quidem, ut reuocentur menſtrua, nam licet ſanguine abundet, quinquagenaria tamen eſt Nobil. Pat. verùm ad aliquam reuulſionem, & vaſorum vteri exinanitionem, ſi ea forſan fuerit opus. Cauterium parti ſiniſtræ inuſtum foueat, & frequentes pedum lotiones, aqua calente in vſum ducat,

Pro prima viarum expiatione potio ex manna clarif. magiſt. cum tart. & ſenna eligatur; mox crudi, & pituitoſi humores præparentur, tanquam cauſa antecedens, non coniuncta huius affectus; impoſſibile namque eſt, quin ventriculus continuò per conſenſum affectus, portionem aliquam cruditatis aliquando non producat; atque adeò prima præparatio fiat iulapio acet. cort. cit. alt. ad ℥ iij. additis crem. tart. ʒ iii. eodem repetito per quinque dies; atque inde iterata præſcripta potione. Mox vlterior præparatio tentanda ſuccis potius, quã ſyrupis dulcibus, & ſaccharatis, ut. ℞. ſucci deput. cichor. ℥ i. borrag. ℥ ii. decoct. endiu. ſonci, mal. lupul. bugloſſi, ℥ v. m. pro ſyr. & ſic pro aliis ſeptem. Inde ſequatur præparatorum humorum expurgatio, infuſ. rhab. & ſennæ, addito ſyr. roſ. ſol. & de polyp. à quo bibat, duabus poſt horis, ſer. capr. ad ℔ ii. Ab his noua molienda præparatio, hac formula. ℞. ſucci depurat. cichor. borrag. fumariæ an. ℥ i. decoct. bugloſſi, malu, agrim. ſcolopendrij, tamaricis ℥ v. tart. vitriol. gr. x. m. pro ſyr. & ſic pro aliis; quorum vſui inſiſtendum ad xx. dies, ſed quarto, aut quinto quoque die præbeatur ℥ ſ. elect. lenit. cum ʒ i. extract. ſẽnæ, & ℈ i. pil. de tribus: cui medicamento, hora vna exacta, ſuperbibat ius malua alteratum,

Præteritis iam dictis diebus, aliquod purgans validius erit exhibendum, quale eſſe poterit, aut decoct. epith. Meſ. ad ℥ vi. aut ʒ ſ. extrac. veratri nigri, caſſiæ immiſtis, a quibus bibat ſer. depur. ad ℔ ii. Et ſi purgatio pro voto ſuccedat, cum conſerentia, & tolerantia, iterum, & tertiò repeti poterit, tertio, aut quarto quoque die.

Tandem ad contumaces obſtructiones reſerandas, iecurque refrigerandum, ad aquas vitriolatas in Valle Solis ſcaturientes, confugiendum. Quæ quoniam nonnihil ſunt exſiccantes; ideo ab earum uſu aliquod humectans poſtulant, quod erit lac aſininum, utpote quod humectandi, & ſicciores, atque contumaciores melancholicas obſtructiones expediẽdi vim habeat, cùm caſeoſa, atque butyroſa ſubſtantia omnino careat. Et ſi demum aliqua ventriculo roboratio competat, offerantur duo, aut tria grana maſtich. integr. a cibo deuoranda; vel pil. ex ℈ I. ſucci abſinth. condenſati; vel ℈ ſ. ſalis abſinthij in pauco vino diſſoluti.

Quibus omnibus congrua victus ratio addenda, iam dictis proportione reſpondens. Ideo caueat Nob. Pat. à flatulentis quidem omnibus, ſed potiſſimùm calidioribus, & exſiccantibus alimentis; nimirum à ſalſamentis, tum piſcium, tum carnium; à condimento aromatum; à carnibus difficilis concoctionis, qualis Bubula, Suilla, Caprina, Leporina; ab acetariis; ab vſu quoque acidorum, & dulcium; ab aceti condimento, & allij, atque cæparum; A vinis item generoſis, atque dulcibus. Intercedat autem tempus decem horarum, & amplius, inter prandium, & cœnam, quæ ſit parca. Atque tandem animi paſſiones, & perturbationes fugiat, & alacriter viuat.

VEN-

LXXXVI.

VENTRICVLI INFLAMMATIO.

NOb. Iuuenis Iuriſperitus, Orator, temperamenti calidi, & humidi, carnoſi habitus, ſtudijs, & curis maximè intentus, cęterùm liberam vitam ducens, & in cibo, & potu non parum delinquens, elapſis annis ex obſtructionibus Meſenterij hypochondriacus euaſit. Cùm autem toto hoc anno uinum generoſum, etiam ad menſam potaſſet, & nudiuſtertius in conuiuio maluaticum quoque copioſè bibiſſet, heſterna die in febrem vehementiſſimam incidit, cum quibuſdam horripilationibus inuadentem, inſigni æſtu, angore in ventriculo, & dolore eiuſdem ad hypochondrium ſiniſtrum; quibus ſucceſſit vomitus ab initio materiæ heterogeneæ, partim bilioſæ, partim crudæ; ructus frequentes, ſitis moleſtiſſima, uentris intumeſcentia, ſpirandi difficultas, & ad motum impotentia, cum pulſu duro, atque uibrante. Medicus verò domeſticus Caſſiam illi præbuit, cum Sero depur. & hoc mane de agendis conſilium petitur.

Licet Febris vehemens, ſemperque ſibi ſimilis affectus primò conſiderandus in hoc Excellentiſs. Iuuene videatur; nihilominus, quia cum febre ipſa ſtatim ab initio in ventriculo dolor, æſtus, angor; quinimò & intumeſcentia uerſus læuam partem, ad fundum ventriculi obſeruatur, cum cæteris quoque ſymptomatibus, uentriculi proprijs, uomitu ſcil. & ructibus, ideo uentriculi affectus, tanquam morbus principalis ad ſe animum conuertit, à quo febrem, utpote ſymptomaticam pendere arbitramur.

Hunc itaque affectum inflammatorium ſtatuimus, quoniam dolorem, & æſtum perpetuum habet cum intumeſcentia iam manifeſta, ſitis vrget, & irritamentum ad uomitum, licet in præſens inane, obſeruatur, cum ſubitanea virium proſtratione, ob exquiſitum a ſenſum, quo ventriculus in conſenſum ſui Cor facilè trahit; hinc dicebat Gal. ad Tyrones, b quod quibus ventriculi os inflammatum eſt, accidunt Syncopes; quæ tamen hucuſque non apparuerunt, inflammatione nondum ad ſuperiores eiuſdem partes diffuſa; difficilis quoque reſpiratio accedit, calore ad ſeptum facilè propagato; atque tandem vehementiſſima c febris, ventriculi inflammationum propria, cum pulſu duro, d atque vibrante ob neruoſæ, & membranoſæ inflammatæ partis conditionem.

a 1. de Sympt. caus. Cau 7.
b Cap. 11.
c 5. de Loc. Aff. 7.
d Ad Tyron. 11.

Neque difficilis fuit huius productio, in hoc Iuuene calido, & humido, & redundante ſanguine, acriori præſertim, & copioſiori ob vini meracioris toto hoc anno potum, cuius propterea portio ſuperuacua ab æſtu hypochondriaco ad ventriculum attracta, necnon à ſtudiis, & curis e, quibus non modò ſanguis, verùm & bilioſi humores illuc facilè confluunt, venas f Meſaraicas, & potiſſimùm Gaſtricam uentriculi corpus circumambientem infarſit, à quibus tandem ſanguine in eiuſdem ſubſtantiam effuſo, affectus inflammatorius ſubortus eſt.

e 6. Aph. 50.
f 3 de Loc. Aff. 7.

Hic autem affectus ſicut rarus; ita mortiferus à Gal. g dictus; ſi enim, h *In febribus, circa ventriculum fortis æſtus, & Cordis morſus malus*, dum flaua bilis tantùm in tunicis efferueſcit; quantò grauius fuerit, ſi ſanguis uentriculum ipſum in tumorem inflammatorium eleuauerit? Ideo ſalutis ſpes, dubia non ſolùm, ſed ferè nulla, progrediente namque affectu, & Conuulſiones, & Lipothymiæ, & Syncopes contingent, unde propinqua mors.

g 10. Meth. 5.
h 4. Aph. 65.

Statim igitur agendum, reuellentibus, & repellentibus (quibus in progreſſu diſcutientia quoque addenda) refrigerantibus, & humectantibus.

Quibus intentionibus ut ſatisfiat, ſtatim ad ſanguinis miſſionem confugiendum, utpote præſentiſſimùm i omnium internarum inflammationum remedium; non tamen vſque ad animi deliquium, vt eo loco præcipere videtur Gal. cum Hipp. ob partis conditionem exanguis, & ad virium lapſum facilè proclinem. Quare cum Auic. hoc caſu melior

i 1. Aph. Com. 23.

lior erit multiplicatio numeri multiplicatione quantitatis, ſanguine videlicet hoc mane educto, & veſperi eodem iterum miſſo. Commendantur quoque arctæ ligaturæ [k] inferiores, pedum lotiones; quinimò & duo veſicantia coxis ſtatim apponenda, vt ſanguis influens à ventriculo, quantum fieri poteſt, reuocetur. Ventriculo verò ipſi repellentia illico admouenda, Ol. ſcil. Roſac. Omphac. Myrtino miſtum, uel Vng. Roſ. Meſ. cum oleo Myrt. reformatum.

k 13. Meth. 11.

Ex Pharmaceutico fonte deſumenda Lenientia, Refrigerantia, dolorem Demulcentia, & tandem Laxantia. Inter Lenientia Flos Caſ. repeti poterit; licet enim Gal. [l] medicamenta per aluum ducentia, his caſibus, reprobet; Caſſiam tamen non repudiaſſet, ſi eam cognouiſſet. Refrigerantia quoque moderata eſſe debent, potentia potius, quàm actu hac facultate pollentia; actu namque frigida poroſitates denſant, humores incraſſant, ſanguinemque in partem inflammatam impingunt, & affigunt. Præbeatur itaque Serum Capr. at non acidis depuratum; acriora [m] enim inflammationes exaſperant; cui immiſceri poteſt ſuccus pomorum dulcium. Rhaſis autem vtebatur ſucco Endiuiæ depurato, quem & nos ad ℥ iii. in decoct. Malu. Viol. & Hordei poſſumus exhibere. Tertiò dolores demulcere poterit decoctio Malu. & cap. papau. Syr. quoque de Papau. ad ℥ i. vel Emulſ. ſem. papau. ad ʒ ii. cum Aqua Lactucæ, & Malu. extracta. Extrinſecus Oleum Amygdal. Roſaceo addendum, vel Vng. Roſac. & Popul. cum Oleo Nenuphar. reformato pars dolens illinenda.

l 13 Meth. 11.

m 11. Meth. 19.

Tandem emollientia, & laxantia conueniunt. Sic ſuccus malu. depur. in iure Flor. Chamæm. alterato, accommodatus erit. Oleum item Amygdal. recens repetitum, exhibitum tantummodò ad ℥ iii. tribus, aut quatuor diebus; ſi ita, diuina ope, ferat occaſio. Quoniam autem Gal. iubet, & ratio ipſa, vt adſtringentia ſemper laxantibus immiſceantur, ne diſſoluatur ventriculi tonus; ideo hæc extrinſecus adminiſtrari poterunt; intrinſecus enim laxantibus oblatis, ventriculo eodem tempore apponi poterit placenta Roſarum, in Alembico à deſtillatione ſuperſtes, ſucco Agreſtæ aſperſa.

Quibus omnibus accuratiſſima victus ratio addenda; dicebat enim Galen. [n] quod exquiſitiſſimo victu eſt opus; eius namque munus toti Animali commune eſt, alimenti ſcilicet concoctio. Quare parum, & ſæpè cibus exhibendus, emulſ. ſcilicet ex Pulla Iuniori, cum emulſione ſem. mel. Emulſio Amygdal. dulc. in iure Maluis alterato, Ptiſana hordeacea valdè diluta; quibus ſemper præmitti poterit aliquod Cordiale temperatum, quod vires ventriculi, & ſpiritus vitales recreare, & refocillare poſſit, cuiuſmodi erit Aqua Scorzoneræ, vel ſola, vel cum Magiſt. Perlarum. Potus his primis diebus ſit Aqua Acetoſæ, cum ſucco Pomor. in progreſſu verò Aqua Malu. cum ſucco pariter pomorum dulcium, vel cum Syrup. de Ibiſco.

n 13 Meth. 13.

Ad ſomnum non valdè ſolicitetur; ſicut & aluus excitanda Clyſteribus mollioribus, ex Sacch. Butyro, & Lacte; uel ex decoctione Malu. Viol. Hordei, in qua Caſſia diſſoluta fuerit, addito Oleo Amygd. aut Violac. Interim fortis, ac præſentis animi æger ſit.

LXXXVII.

TVMOR INSIGNIS VENTRICVLI Oedematoſus.

PAtricius Illuſtriſ. annorum 33. temperamenti calidi, & humidi, obeſi habitus, cibis, potibus, uitæque otioſæ, ac ſedentariæ maximè addictus, Podagræ obnoxius, conqueri cœpit de tumore quodam inter umbilicum & mucronatam cartilaginem, in medio utriuſque hypocondrii, adeò protuberante, ut reſpirandi difficultatem eidem inducat, quinimò & ipſius motus progreſſiui, atque decubitus, qui nonniſi ſupinus, & anhelus ipſi permittitur; licet intercipiat iudicium Medicorum de utriuſque uiſceris ſtatu, potiſſimum ob eiuſdem ægri naturalem obeſitatem. Tumor autem manibus contrectatus neque tympani modo ſonum edit, nec nimis obnititur, neque calorem, neque colorem naturali abſimilem prodit; grauis tamen eſt Illuſtriſ. Patienti, qui ructibus, aut flatibus per inferiora erumpentibus leuati videtur, nec ſuppreſſam ullam habet conſuetam euacuationem. Modò de agendis pro ſalute conſulit.

Poſtulat autem deſcriptus affectus partis affectæ notitiam; ſiquidem poteſt & Ventriculus, & meſenterium, & lobus ſuperior hepatis cum eiuſdem quoque non exigua parte lædi. Præterea decernendum eſt, cuius conditionis ſit, num ſcilicet frigidus, & humidus œdematoſus, an frigidus, & ſiccus melancholicus; cura enim varia foret pro ratione eius eſſentiæ, atque conſtitutionis. Supponamus ergo tumorem Ventriculi eſſe, & non hepatis; cùm non appareant corrupti ſanguinis ſigna. Non Meſenterii, etenim facilè infra vmbilicum exporrigeretur, præterquam quod chyli ad hepar interciperetur aditus, vnde Diarrhœa chyloſa obſeruata fuiſſet. Neque ſub muſculis abdominis, quia adeò magnus non eſſet, nec ad latera ſeſe diffunderet. Ideoq; ad Ventriculum curationem dirigamus. Et quia Patiens temperamenti calidi, & humidi, carnoſi habitus, pinguis, & obeſi nobis proponitur, ventri, gulæque deditus, otio indulgens, & antehac podagræ obnoxius, quæ à diuturno tempore inuadere deſtitit, credendum eſt, ex congerie materię crudæ, atque pituitoſæ productum, & congeſtum fuiſſe tumorem eiuſdem conditionis, qui certe tactui nonnihil cedere debet; quemadmodum, ſi melancholicus eſſet, illi obſiſteret, duruſque omnino permaneret.

Cuius affectus euentus licet anceps ſit; cùm læſa pars toti corpori munus neceſſarium obeat, atque affectus ſit multùm progreſſus; quoniam tamen Iuuenis eſt Patiens Illuſtriſ. ſi Medico obſequens fuerit, ſalus ſperari poteſt.

Et primò quidem Ventriculus antecedenti, & prompta materia exonerandus. Secundò totum cautè expurgandum. Tertiò materia coniuncta tumoris per Epicraſin, tum præparanda, tum educenda, ut quartò eiuſdem frigida, & humida intemperies corrigi poſſit; ac tandem Ventriculus ipſe roborari. Quibus omnibus ordine executiuo ſatisfacere conabimur.

Atque omnium primò, materia præparata in Ventriculo, & primis viis mel. roſ. & man. eſt educenda. Inde prima præparatio fiat mel. roſ. & oxymel. addita ℥ſ. aq. cinnam. ſine diluto; ſex uerò, aut ſeptem aſſumptis ſyrupis, repetendum erit iam præſcriptum medicamentum. Mox aliquot diebus quotidie præbeatur ʒi. hieræ picræ, cum lenit. refor. & duabus pòſt horis, exhibeatur ℥ſ. crem. tart. in iure tenui cinnam. alterato diſſoluti. Inde ad vlteriorem præparationem deueniendum oxymel. ſyr. de mentha, & beton. in diluto ex decoct. cichor. borrag. meliſ. menthæ, ſaluiæ, beton. & abſint. parato, octo, aut decem diebus exhibendo. Deinde præparati humores erunt expurgandi Pot. ex man. clariſ. additis infuſ. conſuetæ Agar. ʒiii. cum portione mel. roſ. ſol. cui tribus poſt horis, ſuperbibat mulſæ dilutæ ℔ii.

His peractis ad uſum aq. Tettucianæ erit deſcendendum, cum vehiculo mel. roſ. ſolut. quinque vicibus ſaltem, quotidie exhibendæ. Mox decoctum in iure ita paretur. ℞. Lign.

Gua-

Guaiac. ping. rec. ℥ i. lentiſc. è Chio, ſalſæ elect. ſaſſaf. an. ℥ ſ. aq. com. ℔ iiii. m. f. infuſ. per horas 24. deinde adde Columbam turricolam integram. bull. ad conſump. dimidij; facta uerò colatura ſeruetur pro tribus vicibus, matutino tempore exhibenda; cui præmittatur Tereb. Cypriç lotę in Vino maluat. ʒ i. additis aliquot granis ſalis menthæ, in cuius uſu perſiſtendum 40. dies. Et licet ſalſa parum, aut nihil Ventriculo proſit, permittitur tamen, quia humores emolliendi, atque diſcutiendi inſignem facultatem obtinet. Interim aliquod emolliens medicamentum extrinſecus Ventriculo admouendum fuerit, ut Lana ſuccida ol. lilior. albor. madefacta, uel Empl. ex Oeſypo humido. Lutum item aliquod thermale, ſi Bergomi præſtò ſit, abſtinendo à validis adſtringentibus, licet partibus concoctionibus deſtinatis conuenire videantur. Ceratum verò continuò geſtet ex Diachyl. cum pingued. & cum Empl, de melil. reformatum.

Quod ſi iam dictis malum non ceſſerit, ſtillicidium ipſi Ventriculo parandum, primò ex oleis, utpote emollientibus; deinde ex Aquis ſulphur. ſi haberi poſſint. Ex oleis quidem ita, ℞. ol. Amygd. Lil. alb. maſtic. an. ℔ ii. Vini maluat. ℔ i. folior. menthæ uirid. abſint. pont. an. pug. i. cinnam. integ. ℥ ſ. macis, caryoph. an. ʒ ii. nucum myriſt. n. ii. contund. contund. incid. incid. & miſta bull. ad conſumpt. Vini; facta uerò colatura ſeruetur pro ſtillicidio, xv. diebus adminiſtrando, totidemque ex Aq. ſulph. parando. A ſtillicidio ſtatim ceratum apponendum, ex Ladano Tacam. Elemi, & maſtic. formatum.

Et dum iam dicta omnia fiunt, qualibet hebdomada pilulæ exhibendæ de Hiera cum agar. ad ʒ i. addito Alephang. ℈ i. Tandem in uſum ducat Antidota magna, Theriac. nimirum cum Mithrid. confect. matutinis horis a prandio diſtantibus, epoto ab his Vino Abſinthite, tantopetè ab Hipp. commendato.

Et his omnibus congrua addatur victus ratio, frigidi Aeris inſpirationem euitando; alimenta pariter frigida potiſſimum, ſed & humida, flatulenta, craſſa, viſcida, & glutinoſa, adeò ut ſi non tenuis, attenuans tamen eſſe debeat. Somnus permittitur nocturnus non ſolùm, verùm & breuis diurnus. Exercitium ieiuno ventriculo commendatur, & qualibet hebdomada præſcriptas pil. aſſumat, Veneremque omnino abdicet, & alacri animo uiuat.

LXXXVIII.

TVMOR PYLORI.

NOb. Patientem vidimus, quadragenarium, temperamenti calidi, & ſicci, habitus potius gracilis, fuſci coloris, & hirſutum, qui tribus abhinc annis, de ventriculi anxietate, atque dolore conqueri cœpit, potiſſimùm paucis horis ab aſſumpto cibo. Eiuſdem verò totum abdomen manibus contrectantes in ventriculi fundo, verſus læuam partem, tumorem ad oui magnitudinem extantem, atque pulſantem deprehendimus, durum ſatis, nec ſine dolore compreſſum. Præterea in meſenterio quoque obſtructiones ſe prodiderunt, à quibus neque lien immunis fuit; flatus in abdomine percipit, & ſi benè recordor, acida nonnunquam euomuit. Totum corpus extenuati cœpit. Antea libera uiuendi ratione ſemper fuit vſus; & plures, ac varias huic affectui ſanando, atque extirpando purgationes admiſit; quinimò tandem Chalybis uſum cum aliqua utilitate expertus fuit. Modò nos de agendis pro ſalute conſulit.

Hypochondriacum diuturno iam tempore fuiſſe ſupponimus Nob. Virum, cùm in ipſo, à libera uiuendi ratione, cum aliqua natiui caloris à ventriculo diſtractione potiùs, quàm ab eiuſdem frigiditate, cruditates olim productæ fuerint, à quibus meſenterii obſtructionibus à viſcerum feruore exſiccatis, ac in terream naturam conuerſis, & rebellibus inductis, hypochondriacus affectus ortum habuit. Verùm malum grauius inualuit, à pluribus quippè abdominis locis obſtructis adaucto calore, ſanguis quoque in meſentericis venis, pyloro conſentientibus craſſior, nigrior, atque exuſtus redditus eſt; qualem deſcribit Gal. [a 3. de Lo. c. aff 7.] illis verbis. *Flatuoſas vocatas hypochondriacas, credendum eſt plus caloris, quàm deceat, in illis venis habere, quæ alimentum è ventriculo excipiunt, in iiſdemque ſanguinem craſſiorem eſſe factum.* Sed neq; hic finis præſentis præter naturam affectus; quandoquidem tumor illi accedit, quem

aliquando

aliquando aliàs ſubortum obſeruaui, repletis venis illis craſſiori ſanguine, necnon ab exuſto, atque nigro tumefactis, ac varicoſis redditis, ut in diſſectis cadaueribus obſeruari aliquando accidit, cum tenuior, & ſeroſior eiuſdem ſanguinis portio à vaſis in pylori ſubſtantiam ſeſe inſinuat, & reliquo non adeò tenui vehiculum præſtat, atque adeò partem in tumorem eleuat. Hic autem tumor phlegmonoſus eſſe non poteſt, quia febre uacat Par. neq; ſcirrhoſus, quia dolet; minus œdematoſus, tum quia non parùm dolet, tum quia foueam non ſeruat. Quare habita craſſi, atque melancholici ſanguinis ratione, carcinomatis naturam ęmulari poſſet; quarum tamen opinionum quænam ſit veriſimilior, obſeruari deinceps poterit; cùm anceps apud me ſit iudicium; quinimò quia tumor continuò obſeruatur pulſare, & quidem multò magis, quàm arteria aorta, quiſpiam forſan ſuſpicari poſſet, aneuriſma in illa parte excitatum fuiſſe. Verùm hæc ſuſpicio abundè eximetur, ſi conſideretur, quod uena gaſtroepiploica ſiniſtra, à uena ſplenica, ad fundum ventriculi, in læuam eiuſdem partem exporrecta, ramum quoque cæliacum arteriæ magnæ, ad ſiniſtram partem propagatum comitem habet; ſicque pulſationis cauſa eſt, quæ cùm ſuperficialis percipiatur, & appareat, non ab aneuriſmate, ſed à ramo cæliaco illuc producto prouenire credendum eſt.

Vtcunque autem ſit, hic affectus magnifaciendus, tum ratione partis affectæ, vniuerſo corpori communi officio neceſſariæ, tum ratione eſſentiæ, atque cauſarum eiuſdem: periculum enim imminet euidens, ne adeò chylificatio lædatur, ut defectu alimenti æger tabeſcat, idque vel ob eiuſdem corruptionem, ab adaucto calore in venis illis, ad acidum quinetiam ex Tral.[b] prout uinum à ſolis calore aceſcit, & ſic ſymptomata quoque ingraueſcant: vel ob tumorem adauctum, & ad naturam carcinomatis redactum. Quare iam administratis alia remedia ſunt addenda, quæ moderatè refrigerandi, magis verò humectandi, atque laxandi vim habeant, reſoluentia namque, aut tardius, aut nunquam locum habere poterunt.

[b] Lib. 12. Cap. 1.

Et primò quidem, quoniam iam fuit ex brachiis ſanguis eductus, ex vſu eſſe poterit parca quidem, ſed repetita ſanguinis miſſio ex venis ſedalibus. Cauterium quoque alteri coxæ, ſi non geſtet, inuratur.

Statim verò aſſumat flor. caſſ. ad ℥ x. & hora poſt bibat ſer. depur. ad ℔ ii. tribus verò exactis ab aſſumpto ſero, prandeat; poſtero inſuper die perducatur ad vſum ſuccorum depurat. malu. & borrag. hoc pacto. ℞. ſuc. malu depur. ℥ ii. ſucci borrrg. depur. ℥ i. decoct. malu. viol. borrag. altheæ ℥ v. m. pro ſyr. Die verò ſequenti ℞. flor. caſſ. rec. extr. ℥ ii. ſ. b. aſſumendi; & tranſacta hora, bibat ius alteratum iam præſcriptum ſine ſuccis; quod ſi ſitis vrgeat, bibat ℔ ſeri depur. tribus verò horis ab aſſumpto iure prandeat; ſequenti die aſſumat ſuccos, & ſic alternatim perſiſtat ad viginti dies; quo tempore clyſteres frequentes ex lacte, & butyro parati non ſunt omittendi; quorum dierum intermedio, aſſumat ſyr. roſ. ſol. ad ℥ vi. aut caſſiam, ut ſupra, cum ſero depur. poſt primum, vel alterum medicamentum.

Quibus peractis, ſi parumper ceſſerit ventriculi affectus, cæteris obſtructionibus incumbendum præbendo aliquot dies ius alteratum cich. borrag. end. maluis, uiolis, & agrim. eidem additis granis duodecim tartari vitriolati, & repetito poſtea flore caſſ. & lenit. cum ſero depur. ut ſupra.

Verùm, ſi poſt ſuccorum uſum perſtiterit ventriculi affectus, cęteris neglectis obſtructionibus, ad vſum lactis deueniendum fuerit, aſinini quidem primis diebus, mox & caprini quadraginta, vel quinquaginta dies. Atque interim balneum aquæ dulcis vſurpandum, ex foliis malu. viol. altheæ, nenuph. idque tepidum; extra balneum verò emollientia ſunt adhibenda, ut œſypus lanarum; vel linimentum ex vng. roſ. malu. medulla crurum vituli, oleo amygd. & modica cera paratum. Quinimò cogitandum foret de aliquo ſtillicidio adminiſtrando, ex loturis lanarum, aut ſimplici ol. amygd. in quibus pugillus abſinthii tantùm efferbuerit.

His autem omnibus proportione reſpondebit victus ratio, adeò ut cibi ſint boni ſucci, facilis coctionis, non valdè calefacientes, nullo modo exſiccantes; inter quos ptiſana hordeacea conueniet quammaximè, necnon cibaria ex lacte parata, & oua recentia; concedantur etiam optimi piſces elixi, fructus, & lactuca, aut enduuia cum ouis, & butyro. Caueat à ſalitis, acidis, acribus, aromaticis, vinis generoſis. Exercitium fiat ante cibum, & prima menſa, continuò bibat ius malua alteratum, ad aluum emolliendam; vel aliquando aſſumat drachmas caſſiæ; vel utatur clyſteribus emollientibus, ex oleo, & butyro, vel ex butyro cum lacte; & alacri animo viuat.

LXXXIX.

TVMOR PYLORI.

VEnetiis Patauium reuerſo tuæ humaniſſimæ literæ mihi ſunt traditæ, elegantia non minus, quàm doctrina pleniſſimæ, quibus ſtatus Viri Admod. Reuerendi Patientis, vnà cum effectibus adminiſtratorum medicamentorum ſumma diligentia deſcribitur. Cui ut medicam opem afferamus, ſuppoſitis iam aliàs à me adductis, & modò à te confirmatis, vrgentiora iam ſunt conſideranda; etenim licet hypochondriaca melancholia, Patientem iandudum obſidens, ex crudo ſed exuſto ſanguine genita, totum quoque corpus afficere potuerit, ut ex habitu corporis, & potiſsimum ex miſſo ſanguine nigro nobis ſignificatum fuit; attamen in præſens, quod maius negotium faceſsit, eſt tumor pylori, ut ego quoque confirmo, manifeſtus; obſtructiones ſiquidem, licet inſignes, venarum, tum meſaraicarum, tum lactearum, tum pancreatis, ad lienem, duodenum, ventriculum propagatarum, inducias concedere facile poſſent; cùm tumor, ſicut curatu difficilior, ita grauiora incommoda minetur, cui proinde potiſsimum incumbendum; interim obſtructionibus, ac ſymptomatibus ab iis procedentibus non neglectis.

Tumor autem, qui modò pulſans percipitur, primò obſeruandus, num immediatè ſub digito pulſet, an mediatè à magna arteria. quod hypochondriacis familiare eſt. namque ſi immediatè pulſet, credendum foret, arterias à ramo cæliaco illac percurrentes plus iuſto dilataras, ſimulque venam gaſtricam dexteram, pyloricam ſcil. ſanguine craſſo, exuſto, atque copioſo repleri, atque varicoſam veluti fieri; ac proinde tum ex arteriæ dilatatione, tum ex venæ arteriam comitantis repletione, intumeſcentiam ſubortam eſſe; quo caſu duritiem inſignem non præſeferret; quòd ſi pulſatio ab arteria magna ſub pyloro proueniat, coniiciendum, ſanguinem craſſum per cæliacam in pilori ſubſtantiam euomuiſſe, ſicque tumorem excitaſſe, qui ſi dolores adiunctos habeat, ad cancrum; ſine doloribus verò ad ſcirrhum declinare exiſtimandum.

Vtcunque tamen, non eſt deſerenda curatio; licet, ſi primo modo res ſe habeat, impoſsibilis futura ſit ſanatio; ſecundo difficillima cenſenda, cùm tumor ad atrophiam, morbum exſiccatorium, & nigrum tandem deſciſcere poſsit.

Pro curatione itaque medicæ intentiones particulares deſumendæ à natura tumorum; qui cùm duri fieri poſsint vel à frigiditate congelante, vel à ſiccitate condenſante, vel à copia humorum replente; hunc à ſiccitate condenſante factum fuiſſe facilè crediderim, non tamen ſine materia condenſata. Quare potiſsimus ſcopus, à tua prudentia propoſitus, erit humectare, quantùm fieri poteſt, cum aliqua attenuatione, internis, & externis.

Et inter interna nullum præſtantius remedium lacte uſurpari poſſe, tecum ego etiam cenſeo, primò quidem aſininum, moxque caprinum, potiſsimum cùm neque ad acidum, neque ad nidorem corrumpi iam à te obſeruatum fuerit; cui (ſuccedente corruptela) ſubſtituere ſoleo ſuccum maluę depur. ad ℥ iv. & v. quem vſque ad ſeptem pręſcripſit Matthiolus in melancholicis, atque maniacis affectibus. Ab vſu verò cæterorum exſiccantium omnino deſiſtendum, à rhab. tartaro vitriolato, & meo iudicio, etiam à Chalibeatis, quibus alioqui vti ſoleo aduerſus durities, ab aliis duabus iam dictis cauſis excitatas, purgantibus vehiculi loco additis.

Extrinſecùs quoque emollientia, vt innuiſti, admouenda, quæ erunt fomenta parata ex decoct. maluarum, violarum, meliloti, radic. altheæ, lil. alb. ſem. hordei, & fœnugræci, à quibus ſtatim apponi poterit omentum uitulinum, aut ſimilum oleo amygdal. imbutum. Verùm omnium externorum præſtantiſsimum fuerit ſtillicidium ab alto, ex pingui lanarum lotura, à quo ſtatim oeſypus humida earundem applicetur, quæ ſi præſtò non ſit, eidem ſuc amygdal. dulc. rec. ſubſtituatur, vel iam dicta decoctio, addito butyro recenti, in eadem diſſoluto. Lacte quoque vaccino feliciter uſus ſum pro ſtillicidio, anno elapſo, in quadam Matrona Patricia, iuuene, melancholica, tumore inſigni pylori laborante, quæ

te, quæ (cùm ſtatim ab eo luta noſtra Patauina D. ſcil. Bartholomęi, non ſulphurea, ſed pinguia, & bituminoſa, ac proinde omnino emollientia, horam integram apponi iuſſerim) uiginti dierum ſpatio à tumore omnino, licet non ab hypochondriaca affectione, liberata fuit. Hęc ſunt, quę ex doctiſſimis ſcriptis tuis excerpere potui pro commodiori ſtatu Adm. Reuerendi Patientis, quem ut Deus, mediante prudentiſſima tua cura, eidem concedat, uouemus, & optamus.

XC.

LIENTERIA.

QVinquagenarius Vir, temperamenti calidi, & humidi, ventriculi, & capitis humidioris, boni habitus, fructibus, atque edulijs pinguibus maximè delectatus, hoc ineunte Autumno poſt prægreſſas uentriculi moleſtias, cum pituitoſæ materiæ expuitione, & aliquando vomitione, pati cœpit inſuetam per aluum deiectionem duabus, vel tribus horis ab aſſumpto cibo, citra vllum tamen dolorem, imò leuamine in euacuatione percepto, quæ ideo neglecta fuit. Sed quoniam paulatim menſis ſpatio, & copioſior, & minus ab aſſumpto cibo diſtans obſeruatur, cum virium interim diminutione, & aliqua totius corporis macie; ideo hæc mihi Medico domeſtico detegere decreuit, qui à prandio illum inuiſens, duas vidi alui deiectiones; in quarum prima, quæ etiam copioſior fuit, comeſtæ carnes, panis, & oryza nil prorſus mutata cernebantur; in ſecunda uerò mucilaginoſa quædam materia. Cùm verò Pat. deinceps iterum, atque iterum conuenirem, in euacuationibus tandem ſola alimenta obſeruaui, cum eiuſdem tanta corporis animique conſternatione, ut iuſſerit protinus, Patauium proprij ſtatus hiſtoriam tranſmitti; ut inde efficaciora, & ſelectiora remedia, pro eius ſalute, nobis ſuggererentur.

Duo in hoc affectu egregium Virum duobus ferè abhinc menſibus diuexante potiſſimam ſunt obſeruanda; deiectio nempe ciborum non mutatorum, & eiuſdem deiectionis celeritas; quas duas conditiones Lienteriæ Gal. adſcripſit, dicens[a], quod *Lienteria eſt celer ciborum non mutatorum tranſitus*. Quod ſi quæratur, quomodo Vir iſte Lientericus abſque ciborum mutatione, quod perinde eſt, ac ſine nutritione, vitam producere poſſit; ſoluitur quæſitum, quia licet alimenta non mutata omnino excernantur; portio tamen aliqua eorundem tenuior, & coctioni paratior à venis attrahitur pro vitæ uſu; unde Lienteriam Gal.[b] Diabeti aſſimilat, qua fit celer quidem potulentorum non mutatorum tranſitus; quorum tamen portio aliqua à partibus retinetur.

a 1. in 1. Ipſ'd 36 & 4 Aph. Co. 22.

b 6. de Loc Aff 3.

Dicitur autem hic affectus à Latinis etiam Læuitas inteſtinorum; quod nomen, licet & ratione partis affectæ, & ratione modi affectionis, minus proprium videatur; admittendum tamen, quoniam confunditur ab Antiquioribus, ventriculus cum ipſis inteſtinis; cùm eorum aliqui inteſtina nil aliud eſſe exiſtimauerint, quàm ventriculum elongatum. Ratione modi etiam, hoc nomen non conuenire videtur; ſi enim inteſtinorum læuor neceſſarius ſemper eſſet, concoctionem, & alimentorum detentionem non à concoctrice, & retentrice facultate; ſed à natiua aſperitate prouenire aſſerendum foret; quam tamen opinionem iurè Gal.[c] reprehendit dicens, quod, *Rerum naturis, & ſubſtantijs incognitis, ſingulis propria nomina attribui non poſſunt*; adducitque exemplum Veſicæ, quæ uillis, & aſperitate interna carens; attamen vrinam ſtato, certoque tempore retinet, non ſecus, ac Ventriculus alimentum. Nihilominus nomen hoc etiam admittitur ratione modi, quoniam licet non ſemper, ſæpè tamen & lænor concurrit, vel ipſius Gal. conſenſu.

c 6. Aph Co. 1. & de Symptom. Diff. 4.

Lienteria igitur Sympto̊ma eſt actionis naturalis, tum Retentricis, tum Concoctricis læſæ. Neque dubitandum cum nonnullis, quænam ex his facultatibus primariò lædatur, quamuis pro concoctione Gal.[d] ſcribat, *Lienteria eſt priuatio coctionis, cùm neque quoad conſiſtentiam, neque quoad colorem, vel odorem; vllamue omnino qualitatem, in ventriculo facta fuerit ciborum mutatio*. Cui Aetius[e] quoque ſubſcripſit. Pro Retentrice namque ait[f], *Lienteriam fieri, ex potentia Contentiua debilitate, qua conſequitur ad omnium inſtrumentorum intemperaturas, ventriculi ſcilicet, & inteſtinorum*; Quod etiam alibi[g] confirmauit his verbis. *Lienteria fit ex*

d 6 Aph. Com. 1.

e) Tetr. 3. Ser. 1. C. 51

f 4. Aph. Co 12.

g 3. in 3. Epid. 53.

Xx *reten-*

retentrice facultate debilitata. Quinimò omnem dubitationem tollit,[h] dicens. *Neque enim, quia remanent omnino incocti cibi, ideo citò deijciuntur; ſed quia citò deijciuntur, ideo nullam habent coctionem*. Ex quibus clarè liquet, Lienteriam eſſe primariò ſymptoma in actione Retentrice læſa; ſecundariò uerò in Concoctrice.

Huius itaque Symptomatis immediata cauſa eſt, Retentricis facultatis[i] imbecillitas; cui neceſſariò ſuccedit concoctricis læſio;[k] *Tanto enim tempore in ventriculo non morantur, vt concoctionem acquirere poſſint*. Et quoniam Ventriculus, uel primariò, vel ſecundariò patitur, vtroque modo lædi hoc caſu, non ambigo. Primariò quidem ob intemperiem humidam, cum materiæ pituitoſæ præſentia in eodem genitæ, à qua laxus redditur ipſe ventriculus, ut conſiderabat Hipp.[l] conſpirante quoque pinguium carnium, & lubricorum ciborum, fructuum ſcil. immoderato vſu; ſecundariò verò ob pituitoſam materiam, à capite in ventriculum delapſam, ut notauit idem Hipp. dicens;[m] *Fit, cùm ex capite, & ſuperiori ventre, pituitæ defluxus in ventrem inferiorem illabitur; quod vbi contingit, cibi ab ipſo frigeſiunt, & humectantur, & receſſus ipſorum non putrefactorum velox contingit*. Quibus omnibus addita quoque conſiſtente Pat.[n] ætate, necnon Autumnali[o] anni tempore, facilior fuit affectus huius productio.

Affectus hic periculo non vacat; quinimò ſi exactè legitimus foret, adeò ut celerrima, abſoluta ſuccederet alimentorum per inferiora deiectio, peracutus cenſendus eſſet, & ante ſeptimam interficere poſſet; cùm Vita hominis ex Hipp. ſeptem dierum ſit. Si tamen diuturnus Atrophia, vel Cachexia, & Hydrops, cum Hippocr.[p] ſuccederent; vel tabida febris cum Gal.[q]

Curatio itaque ſtatim aggredienda, vt aliqua concoctio fieri & ructus acidus[r] eiuſdem prænuncius obſeruari poſſit, qui vt facultatis concoquentis, non autem ut corrupti cibi ſignum eſt conſiderandus.

Medicæ autem intentiones ſunt dirigendæ aduerſus cauſas. Primò materiam pituitoſam detergendo, & educendo. Secundò ventriculi potiſſimum, & capitis humidam intemperiem corrigendo. Tandem Ventriculo robur addendo.

Verùm quoniam nonnunquam Symptomati, tanquam urgentiori incumbendum eſt, toti corpori deficiente protſus alimento; ideo tunc optimum fuerit Concoctricem, & Retentricem facultatem refocillare, ac roborare, internis, & externis. Si itaque Medicis Aſſiſtentibus operæ pretium hoc viſum fuerit, ad validiora, & tutiora auxilia ſtatim erit feſtinandum.

Quare Cucurbitulæ ſiccæ ventriculi regioni ſtatim apponendæ; necnon Dropaces à Paulo[ſ], & Aetio[t] ſummoperè commendati. Inde ad duo præſtantiſſima illicò confugiendum, internum alterum, alterum externum. Internum, quo vſus eſt feliciter Amatus Luſitanus, ita ſe habet. ℞. Conſ. Roſ. antiquæ ℥ vi. Theriacæ opt. med. ætatis ʒ vi. Pulpæ Cydon. ad pondus omnium m. ref. conditum, cuius doſis ℥ ſ. Externum verò tale eſt, ℞. Fermenti ℥ iiii. Menthæ virid. cont. m. i. Pulu. Maſtiches ℥ ſ. Aceti Roſ. Vini Malu. an. q. ſ. m. refot. pro regione ventriculi, & bis die renouetur; quibus remediis ego felici ſucceſſu ſæpius vſus ſum.

Vera autem curatio ita inchoanda. Primò vomitus prouocandus, non quidem iure carnium, vt aliqui; ſed aqua hordei, cum oxymel. & ſucco Raph. Citato uomitu materia impacta ita detergenda, & incidenda. ℞. mel. Roſ. col. ℥ ii. Oxymel. ℥ i. Aq. Cinnam. ℥ i. uel Theriacalis ℥ ſ. m. per aliquot dies. Inde leuiori aliquo medicamento eadem materia pituitoſa prorſus deturbanda, ſpeciebus ſcil. Hieræ picræ Gal. ad ʒ i. cum ʒ ſ. pil. Alephang.

Secunda intentio erit uentriculi, & capitis humidam intemperiem corrigere, cui ut ſatisfaciamus, decoctum Columbæ turricolæ inſtitui poterit, ex Medulla Guaiaci recentis, Ligni Lentiſc. è Chio, Roriſmar. & momento Saſſafras paratum; cui infundantur guttulæ Ol. Cinnam. uel de Mentha deſtill. præmiſſo etiam bolo ex ſucco Abſinth. condenſ. & Sale Theriac. confecto. Interim cibus non multus ſit, ſed boni ſucci, & facilis concoctionis, aſſus potius, quàm elixus, aromatibus conditus. Vinum autem[u] nigrum, & meracum.

Tertia intentio fuit ventriculum roborare, internis, & externis. Inter interna probantur grana Maſtich. ante cibum integra deuorata. Bolus item ex Theriaca, cum ſale Abſinth. & Corallor. paratus; uel Elect. Luſitani ſuperius deſcriptum. Commendabilis quoque eſt compoſitio Attalica Aſclepiadis à Gal.[x] deſcripta. Extrinſecus verò ualent inunctiones ex Ol. de Abſinth. de Mentha, cum pulu. Maſtich. Abſinth. Menthę,

h 6. de Loc. Aff. 2.
i 3. in 3. Epid. 53.
k 6. de Loc. Aff. 2.
l De Aer. Aq. & Loc. 27.
m De Aff. sec. 25.
n 3. Aph. 30.
o 3. Aph. 22.
p 3. de Morb. 3.
q 2. de Diff. Feb. 9.
r 6. Aph. 1.
ſ 3. de Re Med. 40.
t Tetr. 3. Ser. 1. C. 31.
u 3. Acut. 8.
x 9. per Lo. 25.

thæ, & Cera q.ſ.tefor. Verùm omnibus præſtat empl. Amati, ſupraſcriptum.

Victus ratio eſſe debet adſtringens, calefaciens, & exſiccans. Lentem biſcoctam commendat Gal. y & vinum chalybeatum. Cætera verò, prout omnium præſcriptorum uſum, Viri Excell. prudentiſſimæ directioni libenter committo.

y 1. de Alim. Fac. 18

XCI.

COELJACA PASSIO.

VIr Nob. quadragenarius, temperamenti totius, calidi, & humidi, Iecoris calidioris, frigidioris Ventriculi, in rebus omnibus nonnaturalibus liberè nimis uiuens, multùm enim ſemper comedit, gelida uina potauit, immoderata Venere eſt uſus; unde cruditates, à quibus flatus, atque rugitus in abdomine eleuari, & conſueta deijci appetentia conſueuit; aluo quoque, duobus abhinc annis conſueto liberaliori reddita, & paulatim liquidiori; tandem duobus abhinc menſibus, alimenta quoque parum mutata excreuit, euacuatione non valdè procul à cibo ſecuta. Quare aliqua, licet leniora remedia uſurpauit, & quidem non ſine leuamine. Verùm quia adaucta valdè appetentia, ſeſe diutius ab immoderata ciborum quantitate abſtinere non potuit; ideo celerius modò, quàm antea ſemicocta alimenta, quandoque etiam corrupta cum fęcibus liquidis, varij coloris, & fętidis egeruntur, & quidem aliquando cum Vermibus. Conqueritur interim Pat. de Ventriculo malè concoquente, decolor, atque gracilior factus. Quamobrem non ſolùm à domeſtico ſuo medico, ſed à nobis quoque auxilium petit.

Alui deiectio præter naturam, qua multis abhinc annis diuexatur Nob. hic Pat. Lienterica eſſe videtur; cùm alimēta parum mutata, nec procul à cibo excernātur; hinc Gal. a nullum diſcrimen inter Lienteriam, & Cęliacam paſſionem agnouit; imò neq; ipſe Hipp. b qui in leuitate inteſtinorum ructum acidum ſuperuenire, bonum exiſtimauit; quoniam fit à concoquente c calore, licet imbecilliori, qualis eſt in Cęliaca paſſione. Ex quibus apparet, hos magnos Viros Cęliacam paſſionem cum Lienteria confundere; cùm tamen inter ſe maximè differant. Et primò quidem ratione cauſæ, quia Lienteria pendet magis ab imbecillitate retentricis, quàm concoctricis; Cęliaca verò à concoctrice magis, quàm retentrice læſa; quod optimè cognouerunt, & expreſſis verbis prodiderunt Paulus, d Trall. e & Aretæus. f Secundò differunt ratione partis affectæ, nam in Lienteria ventriculus magis; in Cæliaca verò magis inteſtina læduntur; ſi enim cibi iam in ventriculo mediocrem concoctionem adepti, ab inteſtinis perfectius concoquerentur, & diſtribuerentur, non contingeret fluxus; prout fit, quia nullam ab inteſtinis concoctionem, aut diſtributionem ſuſcipiūt; unde aut crudi, aut ſemicocti, aut corrupti, & putrefacti per aluum excernuntur. Hinc & ipſe Gal. g ſcripſit, quod, *Cæliaca paſſio fit, cibis neque rectè concoctis, neque diſtributis*. Tertiò differunt etiam ratione excretorum, quia Lienteria non mutata excernit alimenta; Cæliaca verò paſſio mutata, humidiora, corrupta, fętida, & putrefacta; unde Vermes quoque produeuntur, ut caſu noſtro. Tandem differunt ratione temporis; celerior enim ſequitur ab aſſumpto cibo alui deiectio in Lienteria, tardior in affectione Cæliaca.

a 6. de Loc. Aff. 13.
b 6. Aph. 1.
c 4. Symp. 15.
d 3. de Re Med. 41.
e Lib. 8. Cap. 5.
f Lib. 2. Cap. 10.
g 5. in 6. Epid. 27.

Cęliaca itaque paſſio, affectio eſt, quæ nobis conſideranda, & curanda proponitur, Symptoma in actione naturali concoctrice, & Retentrice, præſertim inteſtinorum, ſed & Ventriculi quoque imminutè læſa; cùm enim cibus in hoc imperfectè concoctus perfectiorem ab illis coctionem non acquirat, ac propterea ad hepar non diſtribuatur, Cæliacus ſuccedit affectus; quod aſſeruiſſe videtur & ipſe Auic. h dicens. *Et quandoque fit iſte ſtomachicus affectus, propter debilitatem digeſtionis; quare corrumpitur, & appetit expelli*.

h 16. 3. Tr. 1. C. 2.

Huius igitur cauſa erit quidem Ventriculi concoctrix facultas imbecilla; ſed potiſſimum imbecillitas inteſtinorum, non modò concoquendo, verùm & diſtribuendo; unde dicebat Gal. i quod, *Celerioris quidem exitus inſeparabilia ſymptomata ſunt, deiectionis humiditas, & digeſtio in corpus diminuta*. Imbecillitas autem Ventriculi immediatè prouenit ab eiuſdem frigida, & humida intemperie ipſi naturali (unde ſemper k multùm appetiit, ſed non adeò benè concoxit) magis adhuc adaucta à gelidis potibus, immodica Venere, & copia ciborum,

i De ſym. Diff. 4.
k Art. Medic. 63.

à qua potiſſimum inteſtinis quoque, & frigiditas, & lubricitas, ſiue laxitas inducta fuit; copioſa enim alimenta ventriculus diutius nõ ferrens, eadem ad inteſtina incocta dimiſit, quę grauata nimis, & temporis proceſſu imbecilliora, ac laxiora facta, atque proprij natiui caloris imminutionem paſſa, tandem coquendi, ac diſtribuendi quoque facultate priuata ſunt; hinc cibi in Ventriculo, utcunque etiam, licet non perſectè elaborati per aluum fruſtrata inteſtinorum coctione, atque diſtributione deiiciuntur.

Affectus hic diuturnus adeò quandoque eſſe ſolet, ut in annos protrahatur, tam pernicioſus, ut tandem in Cachexiam, Hydropem, Atrophiam, & etiam Tabidas [m] febres aliquando deſciſcat; qui cùm inſuper in noſtro Pat. firmas radices egerit, mirum non eſt, ſi leuioribus medicamentis omnino non ceſſerit, præſertim congrua victus ratione neglecta, ſine qua vix quicquam boni ſperare licet; ſicuti contra, ſi Pat. ſimul cum Medico huic affectioni obſtiterint, non ſic deſperanda ſalus, quam tunc præ foribus eſſe credendum, quando acidi [u] ructus obſeruati fuerint.

l. de l Morb. 3. m 2. de Diff. Feb. 9

u 6. Aph. 1

In hunc ergo finem primò excrementa detergenda, & euacuanda. Secundò inteſtinorum laxitas remouenda. Tertiò ventriculus, & inteſtina roboranda; atque tandem adſtringentia aliquam vſum reuocanda.

o 4. de Remed. 12.

Et ex Chirurgico fonte, cucurbitulas ſiccas vẽtri apponit Celſ. Picationes pariter ex vſu erunt parum ante cibum, natiuo calori ad ventriculum reuocando. Sinapiſmus quinetiam commendatus à Trall. necnon quotidianæ totius corporis frictiones utiles fuerint.

Ex Pharmaceutico Vomitoria primò elicienda, ex iure, aut aqua ſem. cit. & rad. raphal. terata; addito oxym. Quandoque verò vomitum à cœna prouocari conſulit Aet. id à Celſo mutuatus. Citato vomitu, Leniens huiuſmodi præbeatur. ℞. elect. Lenit. ʒ vi. ſpec. hieræ ſimp. ʒ i. pulu. myrob. citr. ʒ ſ. m. f. b. Vel ℞. ſyr. roſ. ſol. mel. roſ. ſol. an. ℥ ii. decoct. pulpæ Tamar. & myrob. citr. q. ſ. m. f. p. Inde præparentur adhæreſentes humores. ita ℞. mel. roſ. col. ℥ ii. Pulu. crem. tart. ʒ ii. Aq. cinnam. ℥ i. m. pro ſyr. & ſic pro alijs; à quibus repetatur alterum propoſitorum Lenientium, ſuperhauſta mulſa diluta ad ℔ ii. Quod ſi in euacuationibus copioſæ cruditates obſeruentur, Aq. Tettuciana locum habebit.

Pro ſecunda explenda intentione, ius Columbæ turricolæ parari poterit, lentiſc. è Chio, Sant. & cort. medio Roboris, ſiue Quercus alteratum, cui præmittatur bolus ex Sale Viper. & abſinth. cum ſucco menthæ reform. quorum uſui integro Menſe inſiſtendum.

p Ibid.

Tertia intentio fuit Ventriculum, & inteſtina roborare, ante quam tamen Vrinam cientia commendat [p] Paulus, quem ſecutus Amatus Rhapontici infuſionem, in vino albo odorifero paratam, ut mirabilem ita deſcribit. ℞. Rhapont. Græci ℥ ii. Vini albi odoriferi ℔ xii. m. macerentur per noctem, & mane lento igne bulliant ad conſumpt. tertiæ, & colat. dentur ℥ vi. mane primis diebus, & temporis progreſſu etiam Veſperi; ſpatio enim 20. dierum Cœliacam ſanare profitetur. Tandem Ventriculi, atque inteſtinorum roborationi, & adſtrictioni intrinſecus inſeruiet puluis huiuſmodi. ℞. Thuris, Maſtich. Zinzib. an. ʒ i. m. f. puluis. Vel ℞. Cinnam. Galangæ, maſtic. Terræ ſigill. veræ, puluer. internæ tunicæ Ventriculi Gallinæ an. ʒ i. m. f. puluis; cuius doſis eſt ʒ i. in pauco vino generoſo. Reformari etiam poſſunt boli ex iam dictis pulueribus, cum Theriaca antiqua. Extrinſecus madefiant manus Aqua vitæ; deinde fiat inunctio totius abdominis Oleo Maſtich. & Nardino. Ceratum quoque ex Maſtiche, & Tacamahaca, Ventriculo apponatur. Circa victus rationem Aetius monet, duas cibi partes in cœna præbendas; tertiam verò in prandio. Carnes ferinas, & leporinas laudat Trall. Aſſas potius, quàm elixas commendat Celſus, Oua aceto aſperſa proponit Gal. [q] Sapam ex Sorbis, Granatis, & Cydonijs extollit Scribonius. Prima menſa conuenit Diacydon. cum pipere, aut myrobal. conditus. Multus verò potus inſenſiſſimus ab Aetio exiſtimatur; ſit autem vinum nigrum, ſubadſtringens, Lentiſco, & Saſſafras alteratum. Somni diuturniores permittantur. Venus ablegetur; licet hanc nonnunquam diuturnum alui fluorem exſiccare crediderit Ariſt. [r] necnon Paulus, & Aetius cum eo; verùm non præſente caloris naturalis imbecillitate. Tandem alacri animo viuat, ut ſub prudentiſſima Viri Excell. directione, priſtinam ſanitatem conſequi poſſit.

q 9. Simpl.

r 4. Probl. 18.

COLI-

XCII.

COLICA PASSIO FRIGIDA.

EGregius Mercator ſexagenarius, temperamenti ſecundum totum, & iecur, calidi, & humidi, habitus obeſi, ſedentariam vitam domi ducens mercium venalium gratia (cùm illi vnicus ſit filius, & quidem extra vrbem mercaturam faciens) craſſis, & frigidis cibis ſemper uſus, necnon fructibus, & vinis craſſæ ſubſtantiæ, ac recentibus delectatus, tribus abhinc annis uomitibus pituitoſis obnoxius fuit, quibus ſex abhinc menſibus omnino ſuppreſſis, hoc ineunte hyemali tempore uentris doloribus corripi cœpit, à dextro Rene in ſiniſtrum diffuſis, adeò ut Zona quadã præcingi ſibi videretur, atrocioribus equidem, modò cum quodam ſenſu grauitatis, modò cum diſtenſione, & inflatione, uentriſque rugitibus nauſea, uomitu, & alui ſtypticitate, qui nec remediis plures dies adminiſtraris ceſſerunt; quinimò immani nonnunquam cruciatu inuadebant, ut pars veluti terebra perforari videretur. Tandem tamen ceſſarunt, copioſis erumpentibus flatibus, & primò euacuatione fæcum alui innatantium, bubulorum conſiſtentia; inde excretione copioſæ pituitæ, craſſæ, viſcidæ, & glutinis, imò & vitri ſpeciem præſeferrentis. Verùm menſe elapſo rurſus dolores iidem recruduerunt, copioſis prægreſſis eructationibus, uentris murmure, pituitæ expuitione, & ciborum faſtidio, à quibus pariter flatuum, & pituitæ eiuſdem ſpeciei euacuatione, Clyſteribus carminatiuis, & ex calidis Oleis paratis ſolicitata, liberatus fuit.

At quoniam uires valdè labefactatæ ſunt, & de eorundem recurſu grauis metus impendet, ideo Pat. egregius à nobis præſeruationem, & ſi dolores recurrerent, curationem expoſcit.

Ventris dolores, quibus per interualla diuexatus fuit Vir iſte, propriè Colici à parte a affecta nuncupandi ſunt; licet Ilei nomine eoſdem pleriq; complexi ſint, & præſertim Diocles Caryſtius apud Celſum b; Colon enim ut plurimùm eſt pars affecta; unde à Celſo, *Morbus inteſtini plenioris* fuit nuncupatus, Et quamuis Gal. c Medicos reprehendat, ut populares, qui uehementiſſimos quoſque dolores in qualibet parte abdominis, Colo adſcribunt; nobis tamen ſummoperè placet loquendi formula Auic. d dicentis. *Et in Colo quidem inteſtino accidit Colica, ſecundum plurimum.* Mox ſubdit. *Et Colica quidem ſecundum veritatem habet ſuam cauſam in inteſtinis groſſis.* Quare ut colicus dolor dici mereatur, ſat ſit, in craſſis inteſtinis excitari, prout Iliacus in tenuioribus, licet noſtro caſu propriè, & exactè Colicus appellandus ſit, cùm in inteſtino Colo fuerit. Symptoma equidem in actione Animali Tactrice deprauatè læſa; in quo, quoniam ob dolores inteſtina in ſeſe contrahuntur, aliud in excretis præter naturam immodicè retentis ſequitur. Et quidem Colicum nobis manifeſtè demonſtrant qualitas doloris terebrantis, & e palo infixo ſimilis; necnon ſedes eiuſdem, Colon ſcil. inteſtinum, à dextra parte in ſiniſtram exporrectum, ac protentum. Et licet adeò Nephritico ſimilis ſit, ut Gal. in ſemetipſo fuerit deceptus, lapidem in vretere ſibi concludi exiſtimans, cùm tamen clyſtere ex Oleo Rutaceo iniecto, uitream Praxagoræ pituitam excreuerit, & liberatus fuerit; attamen Colicus dolor multò atrocior f eſt Nephritico, prout & illius ſymptomata, nauſea ſcil. vomitus, & alui ſtypticitas, ſæuiora, quàm Nephritici. Sequentia quoque Colicum dolorem teſtantur, cùm flatibus erumpentibus g, & uitrea pituita euacuata ceſſauerit; prout in Nephritico, arenoſa in urinis ſubſidentia, quæ ex eodem Gal. h omnem quæſtionem dirimit.

a 2 Meth. 2.
b 4 de Re Med. 13.
c 6 de Loc Aff. 2 & 2. de Loc. Aff. 5.
d 16. 6. Tract. 1. Cap. 1.
e 2. de Loc. Aff. 4 & 7.
f Trall.
g 6 de Loc Aff. 2.
h Ibid. C. 3

De cauſa non eſt quod dubitemus, morbum enim oſtendit ſanatio. Fuit igitur pituita uitrea copioſis flatibus immiſta, quorum cauſa ructus, ptyaliſmi, pituitæ uomitus, nauſea, & dolores præceſſerunt. Hanc autem ſemper produxit, & fouit victus ratio, pituitę generandæ opportuna, craſſorum nempe ciborum uſus, uini craſſæ ſubſtantiæ potus, uita ſedentaria, ætas quoque, temperamentum, corporis habitus, & tandem anni tempus, quæ omnia pituitoſi etiam humoris præſentiam confirmant. Hinc dolor plurimùm grauans, licet ob flatuum cum pituita miſtionem, quandoque etiam diſtendens, & uehementius diuellens

uellens

uellens, cum inflatione, & rugitibus euaderet, prægreſſo fructuum fugacium uſu, & copioſo muſti potu. Neque de flatibus dubitandum, cùm excrementorum flatulentorum innatantium, & copioſæ eorundem euacuationis per aluum certiſſima habeamus indicia; quos tamen flatus, non inter inteſtinorum tunicas, ſed in eorum cauitate concludi credendum, lethalibus ferè alioquin torminibus, [i] & cruciatibus futuris. Neque cum aliquibus mirari ſubit, tantam dari in uiuenti corpore frigiditatem, ut inde uitrea pituita, actu, & potentia frigida procreari queat; etenim cùm humor ſit maximè crudus, deſtituitur à natura, atque à proximo reſoluente calore magis magiſque in dies craſſeſcit, donec craſſiſſimus, adeoq; caloris non capax, frigidus euadat. Verùm non poſſibile ſolùm, ſed & neceſſarium omnino, frigidam pituitam Colicos dolores excitare, hancque uel ut humidam, uel ut frigidam: nõ ut humidam, ex ipſo Gal. [k] ergo ut frigidam: uehementiſſimi namq; dolores ab actiuis [l] qualitatibus pendent. Neque quis credat, huiuſmodi dolores fieri poſſe à frigida inteſtinorum intemperie: non enim tam citò ſedarentur: neque pituita per aluum excreta, ceſſarent.

[i] 12. Meth. 11.
[k] 12. Meth. 8.
[l] Art. med. 95. & de Inæq. Intemp. 3.

Hic autem affectus magnus eſt ratione eſſentiæ; unde quidam Coli dolore uexati, animi deliquio extincti ſunt, aut ſe ipſos interfecerunt, ut narrat Gal. [m] cui quandoque etiam Iliaca paſſio [n] ſuperuenire ſolet; quinimò & Hydrops [o] ſicca; & nonnunquam etiam in Paralyſin, [p] & Arthritidem, ſi humores tenues fuerint, deſinit. Neque in noſtro Sene periculo vacat; cùm vires magnoperè proſternat, unde facilis ſit in Lipothymiam lapſus. Quare, ut hanc præuertat, auxilium implorat.

[m] 2. per Loc. 1. & de Sympt. Diff. 3.
[n] 2. ad Glauc. 14.
[o] 4. in 6. Epid. 3.
[p] Paul. 3. de Remedic. 44.

Pro præſeruatione itaque, præmiſſa accommodata primarum viarum expiatione, totoq; venoſo genere cruditatibus expedito, frigida, & humida Ventriculi, atque inteſtinorum intemperies corrigenda; eædemque partes roborandæ.

In quem finem efficax fuerit Aqua Tetruciana, quinque vicibus exhibenda. Inde paretur decoctum, in iure Galli antiquioris, Medulla Guai. Ligno lentiſc. & Saſſafr. alteratum; cui præmittatur bolus ex Mithrid. confect. & Sale Menthæ; quibus 30. diebus aſſumptis, ad Thermas Aponenſes Pat. deducendus, ut ſulphureas eas Aq. 12. aut 15. diebus hauriat, deiectorias potiſſimũ; quæ tamen poſtremis diebus etiam diureticæ prodeſſent. Tandem magna Antidota in uſum reuocet iterum, aut tertiò, qualibet hebdomada; obeſum enim totum corpus calida, & ſicca medicamenta facilè tolerat.

At ſi fortaſſe, his non ſufficientibus, recrudeſceret affectio, curatio duplex eſſe poterit, Coacta ſcil. & Regularis. Coacta locum habet atrociſſimis vrgentibus doloribus, Anodynis, imò & Narcoticis perficienda; unde Gal. [q] ait, *Licet ego omnium maximè ab vſu grauiter ſopientium abhorream; ea tamen in Colico vehementiſſimo exhibeo.* Quod repetit [r] his verbis *Cogente dolore, ſtupefacientibus neceſſariò vtor.* Ad quæ tamen deueniendum non eſt, niſi poſt alia medicamenta incaſſum adhibita. *Dolores* [s] *enim ſedant, ſed diſpoſitiones non ſanant.* Hinc Aetius [t] conſiderat, ſtupefacientia calidis humoribus magis conferre; frigidis verò nocere, quia illos cogunt, atque incraſſant, & valdè refrigerant. Ita Trall. [u] & Paul. [x] ſcripſerunt, quod à ſtupefacientibus humor frigidus craſſior, & ad motum ineptior euadit, inteſtinorum tunicæ denſiores redduntur, & tandem aucta diſpoſitione prorogant morbum. Quare nobis Anodynis utendum, miſſis quoad fieri poterit Narcoticis. Anodyna autem ſint interna, & externa. Inter interna ius pingue cum gutt. Olei Chamæm. habetur pro ſecreto. Oleum item Amygd. amar. Oleum de Lino. Clyſteres ex decoct. chamæm. Anethi, melil. Pariet. addito Oleo chamæm. & Vitellis ouorum. Inter externa Oleum Amygd. Chamæm. lil. alb. pinguedines, omenta ſuilla, Vitulina, iam dictis oleis imbuta; & ex Trall. fomenta magna ſpongia valdè laxantia.

[q] 12. Meth. 1.
[r] 3 per loc. 1.
[s] 2. ad Glauc. 6.
[t] Tetr. 3. Ser. 1. C. 29
[u] Lib. 10. Cap. 1.
[x] 3. de Re Med. 43.

His non ſufficientibus mitiora quoque Narcotica uſurpanda, intrinſecus, & extrinſecus. Intrinſecus Ther. rec. Nepenth. Querc. & Phil. Rom. inſignis in hoc affectu prærogatiuæ. Per ſedem quoque iniici poterit ol. Amyg. in quo Phil. Rom. rec. ad ℥ ii. fuerit diſſolutum. Poſt horum autem uſum, iubet Gal. ut noxa calidis emendetur. Quare infundatur Clyſter vel ex Oleo Rutaceo, uel ex vino Cretico, aut Hiſpanico. Extrinſecus Viri [y] celebres ſecreti loco habent gelidam aquam affatim ventri affuſam, quod tamen Hippocrati [z] debent; nam frigida largè affuſa torpore inducto dolorem ſoluit.

[y] Taranta, & Crato.
[z] 5. Aph. 25.

Legitima verò, atque regularis curatio Cauſæ ablationem ſpectat. Quare omnium primò occluſio auferenda, aluum molliendo, & fæces laxando. Secundò pituita educenda. Tertiò flatus diſcutiendi. Quartò inteſtina calefacienda, & roboranda.

A Clyſteribus autem medela exordienda, ita paratis. ℞. Decoct. malu. mercurial. flor. Chamæm.

Chamæm. Pariet. Betar. ℔ i. mell. roſ. ſol. ol. Chamęm. an. ℥ iij. Vitell. Ou. n. ii. ſine ſale m. pro clyſt. cui ſi non ſuccedat euacuatio, repetatur alius ex ſolis Oleis, aut Amygd. aut Chamęm. addito butyro rec. quem detineat Pat. tota nocte, aut dię, appoſitis interim extrinſecus alijs emollientibus, Quod ſi nulla fęcum euacuatio ſequatur, leniens aliquod præbendum; quoniam uerò plura Lenientia ſæpè fruſtra exhibita fuiſſe vidimus; ideo ut tutiſſimum medicamentum, pluties à nobis expertum, Mannam pinguem proponimus, ad ℥ v. in iure Cinnam. alterato diſſolutam; ſua namque pinguedine, humectatione, & partium ſubtilitate, laxat, penetrat, & fæces emolliendo expellit; cui ſi forrè aluus non cedat, exhibeatur Oleum amygd. ab ℥ viij, vſque ad integram libram.

Expedito inteſtino fęcibus, pituita tenax eſt præparanda mell. roſ. ſimp. & oxym. addita aqua Vitæ Aniſ. aut Iuniper. vel etiam Aq. Cinnam. Præparata verò, euacuetur hiera picra Gal. ad ʒ ij. cum elect. lenit. ref. Quod ſi interim aluus turſus ſuppreſſa fuerit, tale præbeatur medicamentum. ℞. elect. Diaphęn. ℥ ſ. ſpec. hieræ ſimpl. ʒ ii, Philon. Rom. ʒ ſ. m. f. b. ſedato namque dolore, melius, & facilius laxantur inteſtina, & excrementa eijciuntur. Quod ſi perſiſtat affectio, repetenda erit præparatio, hoc modo. ℞. decoct. Veronicæ à Cratone commendatæ, menthæ virid. ab Actio, Rad. Imperar. ℥ v. Olei Zedoar, gutt. v. m. pro ſyrup. Zedoaria namque aduerſus vitream pituitam potentiſſima eſt, Inde ualidioribus repetatur purgatio; quicquid dicant magni Viri [a]; ijs enim uti licet, ſedato aliquantiſper dolore, minorata materia, eademq. ſatis præparata. Quare prębeatur eſſentia Troch. Alhand. vel ſpir. Vitæ aureus Rulandi; quę ſi præſtò non fuerint. ℞. Elect. Diaphęn. ʒ ii. pilul. Aleph. ʒ i. Trochiſc. Alhandal, Caſtor. an. gr. iij. m. f. b.

Tertia intentio erat flatuum diſcuſſio, Sic Cucurbitula apud Gal. [b] cum multa flamma, umbilico admota, veluti incantamentum flatus diſcutiens, dolores momento temporis ſedauit; quæ tamen efficacius operatur, ſi antequam applicetur, in vinum maluaticum calidum immittatur; vel ſucco allij crudi intrinſecus illinatur. Per os Cuminum commendat Aetius à ʒ i. ad ii, in Vino Cretico; ſic oleum Cumini, Oleum Croci, Ol. è florib. Chamæm. per deſtill. è baccis item Iunip. aut Lauri ad aliquot guttulas in iure. Potentiſſima eſt tinctura cort. Aurant, ſpiritu Vini extracta. Allium quoq; ab aliquibus commendatur. exēplo illius Ruſtici, qui ſolius Allij eſu, & uino meraciori, à Colica frigida ſeipſum liberauit; quod propterea à Cęlio Rhodigino Theriaca Ruſticorum fuit appellatum, eiuſdem efficaciæ in illis, ac in nobis Theriaca.

Tandem Ventriculo, & inteſtinis aliquod robur conciliandum uſu vini abſinth. vel Aq. vitæ Iunip. Valet prætorea Zinziber conditum, Amygd. amaræ, rotulæ ex Oleo de Citro, Aniſor. Caryophyl. Extrinſecus, umbilicus inungatur Zibetto, cum ol. nucis Myriſt. vel Balſamo Galbani Terebinthinato, necnon Oleo de Baccis Iuniper.

A proprietate iuuantia non ſunt ſpernenda, prætertim à Viris fide dignis experta. Sic à Gal. [c] commendantur Cicadæ tres cum pipere ana; cui ſubſcripſit quoque Aet. [d] Mirabilis habetur lapis Hyſtricis, Aq. chamæm. diſſolutus, ſed omnibus præcellit ſtercus lupinum [e] de quo mirabilia refert Gal. hoc enim narrat ſe vidiſse non ſolùm ſanatos, ſed Colicæ quoque obnoxios præſeruatos; datur autem potu, in vino albo, & potiſſimum in Colica frigida; quod extollitur quoque ab Aet. [f] Orib. [g] atque Trall. [h]

Circa uictus rationem, Trall. laudat panem cum pipere, aut cumino. Paulus Allium crudum, & porrum pro agreſtibus. Zinziber conditum plurimùm pollet, ieiuno ventriculo comanſum; quandoque buccella panis Aqua vitæ cum Cinnam. madefacta. Vinum alb. meracius probat Tral. cui Saſſafras infundere utiliſſimum fuerit. Abſtineat à fructibus; mittat uſum ciborum frigidorum, & craſſi ſucci, & corpus in poſterum exerceat. Quæ pro ſalute, & præſeruatione egregij Viri, ſatis,

a Maſſaria, & Septalius.

b 12 Meth. vit & 2. ad Glauc. 6.

c 11. Simp.

d Tetr. 3. Ser. 1. C. 30

e 10. Simp.

f Ibid.

g Lib 4. Cap. 87.

h Lib 10. Cap. 1.

COLI-

XCIII.

COLICA PASSIO CALIDA.

NOb. Iuuenis 31. annum agens, temperamenti totius, & iecoris calidi, & ſicci, gracilis habitus, longis itineribus aſſuetus, & venationibus quammaximè delectatus, quorum cauſa comeſſationibus, & compotationibus vini etiam meracioris magnoperè indulſit, ciboſque ſalitos, atque aromaribus conditos in vſu habuit, quinque abhinc annis Diarrhœis bilioſis æſtiuo tempore obnoxius fuit, quæ tamen æſtate proximè præterita ſuppreſſæ, (uix enim incipientes ſtatim ſubſtiterunt) dolores in imo ventre excitarunt, quibus ingens ſitis adiuncta fuit. Quare Pat. ruri degens, abſque Medici conſilio, cùm vini potus ſitim, & dolorem potius augeret, aquam è puteo hauſtam largius potauit, cuius ope per aluum admodum biliosa copioſè deiiciens, omni moleſtia vacauit. Hoc nihilominus ineunte Autumno, iiſdem doloribus correptus me cum Medico domeſtico, eadem die ad conſilium acciuit, qui illum inueni de vehementiſſimis doloribus conquerentem, iiſque vellicantibus, & lancinantibus, cum ſiti moleſta, imò lingua arida, prægreſſis vigiliis, alui ſtypticitate, ac uomitu materiæ crudæ primùm, mox amaræ, & bilioſę. Obſident autem hi dolores abdomen, tranſuerſim ſub iecoris regione, uſque ad lienem protenſi; quorum cauſa habita huiuſmodi fuit conſultatio.

Non rarò dolores hypochondriaci, præſertim in temperamentis calidis, & ſiccis, & habitu graciliori, à nobis obſeruantur, Colicos æmulantes; quorum Fernelius ſe primùm auctorem prodidit, Colicos illegitimos appellans, in peritouæo, ſeu membranis ſedem habentes, quod tamen cum aliis pluribus callidus deprompſit ab Hipp. qui in Coacis, hæc habet. *Quibus dolores Hypochondriorum, Hepatis, & partium circumſtantium, hi, ſi ſanguis excernatur, ſanantur, ſi non, moriuntur; qu a metus eſt inflammationis.* Noſtro tamen caſu huius conditionis non ſunt dolores Nob. hunc Iuuenem affligentes; infeſtant enim Coli inteſtini regionem, ſuntque terebrantes, & palo infixo ſimiles, vomitibus, & alui ſtypticitate ſtipati, qui propterea dubio procul Colici ſtatuendi. Neque Nephritici ullo modo cenſeri poſſunt; cùm iis vehementiores ſint, neque ad inguina vnquam obliquè protendantur, vt nephritici, neque vlla alteratio, aut læſio in mictione obſeruetur, qua Nephritici laborant, ad eam frequentius ſolicitati, & quidem parcioris vrinæ, eiuſque ab initio ualdè tenuis, & ferè aquoſæ, in progreſſu verò craſſæ, & turbidæ. Multò minus de Iliacis dubitari poteſt, quos comitari ſolet uomitus aſſiduus, & uehemens, potus incontinentia, & tormina in ſuperiori parte, atque Ilei regione.

De cauſa autem apud uulgares medicos dubitari poſſet, falsò credentes, Colicos dolores ab humore frigido ferè ſemper pendere; cùm tamen à calido frequentiſſimè fiant; ut contra illos Trall.[a] exclamat. Quod obſeruauit quoque Gal.[b] in illo quadragenario, cui prius, tum intrinſecus, tum extrinſecus adhibita fuerant calida remedia, fomenta nimirum, Cataplaſmata, Clyſteres, cum Oleo Rutaceo, Caſtoreum, & mel coctum cum pipere; ex quibus cùm deterius ſemper habuiſſet Pat. cognouit, bilioſos, & acres humores eſſe expurgandos, ut ſanitati reſtitueretur, quod ſpatio dierum ſucceſſit. Verùm, quoniam Ars coniecturalis eſt, experimenti cauſa, alimentum prius ægræ concoctionis, & corruptionis exhibuit; quia forſan & ipſe Collegas Medicos metuebat, cùm aliàs[c] ſolus ab initio accerſitus, illicò tutam, & certam coniecturam fecerit de morbi cauſa calida, & acri, quam etiam Hiera exhibita ſtatim ſuperauit.

a Lib. 10. Cap. 1.
b 12 Meth. 7.
c 1 de Loc. Aff. 4.

Calida itaque cauſa certò ſtatuenda, primò enim hanc atteſtantur calidum, & ſiccum iecoris temperamentum, & habitus gracilis; ſecundò uita prægreſſa exercitiis immodicis dedita, comeſſationibus, compotationibus uini meracioris, cibis calidis, atque aromatibus aſſueta; tertiò Diarrheæ bilioſæ, tot abhinc annis conſuetæ, & hoc anno tandem ſuppreſſę, quibus huiuſmodi dolores ſucceſſerunt, denique putealis aqua inconſultò epota, qua illi omnino ſedati ſunt. Quibus accedunt quoque uomitus bilioſus, oris amaritudo,

ſitis,

ſitis, cum linguæ ariditate, atque pręgreſſæ vigiliç, hoc idem certo indicio confirmantes.

Quare certi ideæ morbi, atque cauſarum, certa quoque erit ſalutis ſpes, ſtatim à medicis auxiliis petenda; cùm vrgeat affectus, neque ferre poſſit induçias, dolor enim acutiſſimus eſt, atque immanis, qui Pat. aliquando præ animi deliquio interemit,[d] aliquando verò ad mortem ſibi inferendam compulit. Præterea noſtro caſu inflammatio, & Iliaca[e] paſſio pertimeſcenda; non ſine metu pariter abſceſſus, in quem Colicam migraſſe uidit Gulielmus Fabricius.

d 2. per Loca 2. & de Symp. Diſ. 3.

Statim itaque cura regularis aggredienda, niſi obſtet doloris uehementia, tunc enim[f], *Noxa aliqua potius ex Narcoticis medicamentis, quàm Mors eligenda; crudelis enim hominis officium facit Medicus ille, qui vnà cum morbo, vitam quoque homini aufert.*

e Aret. lib. 2. Cap 8.
f 12. Meth. 4.

Ideo ſi dolor aut vires valdè proſternat, aut ſubeat naturam cauſæ, morbum augentis, aut noui imminentis ſuſpicionem præbeat, Anodynis propriis primò, deinde etiam impropriis, Narcoticis ſcil. vtendum. Anodyna propria intrinſecus erunt, Ius Altheæ, Maluæ, & Flor. Chamæm. Oleum Amygdal. ſine igne extractum. Clyſteres ex decoct. Maluç, Melil. Chamæm. cum vitellis ouorum; ex Oleis quoque Amygd. & Chamæm. Extrinſecus verò omenta ſuilla, vitulina iam dictis Oleis imbuta; Fomenta cum Trall. ex fol. Malu. Chamæm. Anethi, Melil. Rad. Alth. Lil. alb. Sem. Lini, Fænugr. in aqua communi.

Quibus non ſufficientibus, ad Narcotica audacius in cauſa calida, quàm in frigida ex Aetio[g] progredi poſſumus, interius, & exterius. Interna erunt emulſio ſem. papau. albi, Syr. de papau. Nepenth. Querc. & Philon. recens. Clyſter quoque iniici poterit ex decoct. hyoſcyami, & papau. addito Oleo Nenuph.

g Ten. 3. Ser. 1. C. 29

Quamprimùm autem ad curam regularem properandum, refrigerando, & biliofos ſuccos euacuando, unde Paulus[h] narrat Medicum quendam Siculum omnes dolores Colicos refrigerantibus curaſſe, ferèque omnes ſanaſſe.

h 3. de Re Med. 43.

Quod ſi in fonte Chirurgico, de Sanguinis miſſione uerba faciamus, quatuor potiſſimum caſibus conuenire videtur. Primò quidem in affectu inflammatorio. Secundò præſente febre. Tertiò ſi Colicæ icteritia ſuperueniat. Quartò ſi in contumaci, & diuturno dolore copioſum calidorum humorum affluxum metuamus; quæ conditiones cùm abſint à noſtro Pat. omittenda ideo quçlibet ſanguinis detractio.

Ex Pharmaceutico fonte depromenda remedia per os aſſumenda, per ſedem iniicienda, & extrinſecus applicanda. In hac verò Colica calida Aetius uomitum prouocat copioſa Aqua tepida; nos autem iure Pullæ copioſo tepido. Medicamentum deinde per os exhibendum, quod humorum acrimoniam demulcere, & ventrem laxare poſſit, quod egregiè præſtare poteſt Caſſia, ad ℥ x. uel xii. cui ſuperbibat Serum Cap. aut Aſin. ad ℔ ii. Et licet Gal.[i] Colicam à mordacibus ſuccis ſtatim hiera picra ſanauerit; ego tamen hiera vti nunquam auſus fui ante humorum contemperationem. Quare hodie Caſſia erit exhibenda, & nocte ſequenti Clyſter iniiciendus, ex Lacte, & Fl. Caſs. ad humores contemperandos. In quem finem quoque Gal.[k] quendam Colicam patientem, çſtatis tempore, ſiticuloſum ſolo aquç frigidç potu ſanauit; cui ſubſcripſit quoque Aetius, quorum exemplo ego quoque Venetiis medicinam faciens, ſæpius in Colicis paſſionibus feliciſſimo ſucceſſu gelidam propinaui. Artemperati humores expurgari poterunt eadem hiera picra, hoc pacto. ℞. Flor. Caſs. rec. ℥ i. Hieræ picræ ʒ i. m. f. b. à quibus hora exacta hauriantur Seri Aſin. depur. ℔ ii. aut iii. quod Serum ſequentibus quoque diebus, matutinis horis, erit exhibendum, & Clyſt. ex Lacte, Butyro, uel Vng. Malu. parati iniiciendi.

i 2. ad Glauc. 4.
K 12. Meth. 7.

A doloribus autem Pat. liberato, quod paucis diebus futurum ſpero, diatheſis illa, & praua inteſtini diſpoſitio erit auferenda, iecoriſque calida intemperies corrigenda. Quare ſtatim Aquas acidulas Villenſes pluribus diebus, cum uehiculo deiectorio Syr. Roſ. ſol. præberem; clyſteribus interim ex Flore Caſſiç eadem Aqua Villenſi diſſoluto iniectis.

Extrinſecus quoque refrigerantia, ſed laxantia conueniunt; inteſtinis[l] enim laborantibus, ab adſtringentibus abſtinendum. Quare illinatur venter Oleo Viol. Nenuph. Amygd. Vng. Malu. & in fine quoque Roſaceo. Nonnulli magni Viri[m] Linteum commendant, frigida aqua madefactum, & ventri appoſitum; quod tamen ſoluta aluo, & fçcibus laxatis, atque euacuatis tutius fieri poterit.

l 11. Meth. 16.
m Valeſc. de Taſſa, & Crato.

His omnibus aliqua à proprietate iuuantia non inutiliter addi poſſunt. Sic Galerita[n] toſta, & comeſta dolores ſedat, ſed & elixa[o] repetita; quam approbat quoque Aetius, & cuius cinerem ad cochlearia duo exhibet Trall. Lupi quoque inteſtinum optimum, cum

n ad Piſon. 9.
o 11. Simpl

Yy Cot-

Cornu Ceru. ex Auic. & Rhaſi. Ego verò quandoque exhibui cinerem Cammarorum, Aſtacorum, ad cochlear, & quidem cum iuuamento. Extrinſecus extollit Gal. ſtercus lupinum inguinibus appenſum, uinculo facto ex pelle Ceruina. *Neque hæc*, ait ipſe Gal. [p] *ſunt barbara præſtigia, ſed ſunt ſubſtantiæ, quas aliàs operari ſum expertus*; quod & à Sexto Empirico confirmatur. Auic. verò laudat inteſtinum Lupi eodem modo alligatum.

p 10.Simpl

Circa uictus rationem, primò uino omnino omiſſo, Aqua putealis bibenda. Cibus ſit Ptiſana ſine Sale, Lactuca quoque decocta, poma pariter cocta. Ab aceto cum Auic. prorſus abſtinendum, inteſtinis infeſto. Neque inedia Pat. præſcribenda, ſed parum, & ſæpè potius cibus exhibendus; cauſa namque biliosa eſt, temperamentum calidum, & ſiccum, habitus gracilis, & pluries quotidie cibis aſſumendis eſt aſſuetus. Quę pro curatione huius affectus in confirmationem eorum, quę à Sapientiſs. Viris adducta fuere dicta ſatis, hoc ſolùm addito, quod vt præuertatur Diarrhœa biliosa, ad vſum ſit reuocanda ſemel ſingulo menſe Pilula ex Aloe ad ℈ i. ſub cibi tempus aſſumpta.

XCIV.

ILIACA PASSIO.

REuerendiſs. Abbas, 40. annum agens, temperamenti totius, & iecoris, calidi, & ſicci, gracilis habitus, multis abhinc annis hypochondriacus, Theologicis ſtudiis addictus, & rei quoque œconomicæ quammaximè incumbens, multùm comedens, & vina meraciora bibens, nec vèl breuis omnino ieiunii patiens, natura enim vorax propemodum obſeruatur, parum tamen concoquens, pituitoſæ proinde, & crudæ materiæ vomitibus iamdiù obnoxius, ignaua tamen valdè, atque adſtricta aluo; tandem diebus proximè elapſis, Venetias petens, negotiorum ſui cœtus gratia, Conchyliorum, & Oſtreaceorum copia ſe infarſit, vinaque Cretica bibit, ſuppreſſo interim conſueto crudæ, & pituitoſæ materiæ vomitu, aluoque adſtrictiori, quàm antea, & ſtercora ſicciora egerente, quinimò tota hebdomada præterita omnino otiante, adauctis in uentre rugitibus, inteſtina inflantibus, ac diſtendentibus. Cuius rei cauſa pilul. ex Aloe cum Maſtich. ſibi familiares deglutiit, quas tamen nulla euacuatio ſubſecuta eſt; ideo ad clyſterem confugit, quo pauca, & exſiccata, atque materia pituitoſa inuoluta deiecit. Cùm autem dolores ſummum ventrem torquere inceperint, magis magiſque inualeſcentes, cum uomitu ferè continuo, & vehementi heterogeneæ materiæ, bilioſæ ſcil. atque pituitoſæ, Medicum domeſticum acciuit, qui ſtatim Potionem ex Syr. & Mel. Roſ. ſol. præſcripſit; quam tamen illicò Pat. euomuit; quibus perterritus, ſtatim me quoque, caſu tunc temporis Venetiis agentem, in conſilium aduocauit.

Licet nonnunquam Colicus dolor cum Iliaco, & hic cum illo confundatur, ut uidere
a 2. in 3. Ep.6.Ægr. 9. eſt apud Gal. [a] dicentem. *Cùm ſit omnis Voluulus periculoſus, qui in ſublimioribus inteſtinis conſiſtunt, iis, qui in craſſis, ſunt deteriores; vt qui contagio iecur, & lienem afficiant*. Cui ſubſcripſerunt quoque Aret. [b] & Trall. [c] quinimò & Diocles Caryſtius apud Celſum, [d] Coli inteſtini
b 2 Acut. Cap.6. dolorem Ileum vocauit; potiſſimum verò id experientia confirmat, qua videmus, ſtercora
c Lib. 10. Cap 1. in ſcroto obdurata, Coli inflammationem excitare, & poſtea Iliacam paſſionem, cum fæcum vomitu, cuius opinionis fuerunt quoque Petrus Salius, Mercatus, Mercurialis, &
d 4. de Re Med. 15. Fernelius, [e] qui vidit Colon pituita repletum in Cadauere Ileo defuncti. Nihilominus Ilia-
e 6.Path.8. ca paſſio non datur, niſi Ileo inteſtino affecto; quod hiſce caſibus fit ſolùm per conſenſum, ſicut primariò ſemper læditur in legitima, atque exquiſita Iliaca paſſione, quæ nomen ab Ileo inteſtino, oſſi Ilii adhærente habet, ſeu à verbo Græco Eleo, hoc eſt miſereor, ob ſęua, & miſeranda ſymptomata illam comitantia; unde, *Miſerere mei* appellata quoque fuit. Hanc autem eſſe affectionem Abb. Reuerendiſs. diuexantem demonſtrat eius proprium, &
f 7. Aph. Co. 10. inſeparabile [f] pathognomonicum ſignum, nempe quod nihil ad inferiora deſcendat; licet Medicorum uulgus falsò ſibi perſuadeat, hoc potius eſſe ſtercoris uomitum: Gal. [g] etiam
g Ibidem. ita de Ileo locutus eſt. *Et vomitus non ſemper adeſt; ſed quando exitiales ſunt, & ſi vehementius*

diſte-

diſtorqueantur, ſtercus aſtendit, atque ſingultiunt. Quod alibi [h] repetit dicens. *Vomitus autem ſtercoris aduenit eis, qui exitialiter ſe habent; & ideo ſub finem morbi conſpicitur.* Id autem confirmat hiſtoria ab Hipp. [k] allata de Muliere apud Tiſamenum, quæ tertia die voluuloſa, ſine vllo vomitu obiit. Neque obſtat, quod in eadem deiectiones tenues, crudę, & paucę fuerint; cùm enim inflammatio fuerit in ſuperioribus inteſtinis, excrementa, quę infra inflammationem hærebant in craſſioribus, attenuata, & liquata, paulatim tenuia, cruda, & pauca deſcenderunt; uerùm nihil amplius foras expuliſſet, ſi diutius affectus perduraſſet. Quod comprobat quoque Hipp. [l] dum Ilei ex inflammatione curationem proponens pręcipit, educendas eſſe fęces infra inflammationem ſtabulantes, glande ex Melle Felle Taurino illita; cui ſubſcripſit quoque Petrus Salius. Sed pręterea Iliacam paſſionem confirmat doloris ſitus, atque caſu noſtro aſſidui quoque vomitus, ob Ileum Ventriculo proximum, & potiſſimum rei potulentę, quia potus innatans facilius uomitu, quàm cibus reiicitur. Quæ tria ſigna Gal. [m] ipſe quoque confirmauit.

h 6. Aph. Co 44 & 3 de Sympt. Cauſ. 2. i 6 de Loc. Aff. 2. k 2 in 3. Epid 6. l 3. de Morb. 15. m 2. in 3. Epid. 6.

Cauſa uerò huius affectus multiplex eſſe poteſt; à caſu tamen noſtro inflammatio excluditur, quia ſebris non adeſt; excluditur item durus tumor, quia paulatim affectio facta non eſt, nec abſceſſus locum habet, quia nec diuturno tempore, nec cum ſenſu doloris illius partis genitus eſt affectus; quare ſupereſt nobis conſideranda fęcum retentio; necnon pituitoſę, & craſſę materię accumulatio. Etquidem ſi ex vna parte temperamentum totius, & iecoris calidum, & ſiccum; totius, & abdominis pręſertim gracilitatem, conſuetam alui ſtypticitatem, meracioris vini familiarem vſum, atque tandem fæcum diuturnam retentionem conſideremus, hanc eſſe huius paſſionis cauſam, ſumma cum ratione concludi poſſe videtur. Si verò ex altera conſuetam Pat. Reuerendiſs. voracitatem, quotidianam crudæ, & pituitoſæ materiæ generationem, & ſuppreſſam eiuſdem per uomitum euacuationem, vnà cum poſtrema Conchyliorum, & Oſtreaceorum ingluuie expendamus, neque hanc certè excludi poſſe cognoſcemus; atque vtramque ad Iliacæ huius paſſionis ortum conſpirare, aſſerere cogemur; potiſſimum cùm vtriuſque præſentia ſigna habeamus. Etenim fæcum retentio non ſtatim, ſed multis poſt diebus, mordacitate ſcil. acquiſita, dolores excitare ſolet, tuncque ſurſum halitus eleuantur, & cum vomitu primò bilioſo, mox etiam pituitoſo per os excernuntur. Et licet à pituitoſa materia, vtpote humida, dolores vehementes inferri non poſſint; attamen inualeſcere incipiunt; quinimò grauiores euadent à flatibus copioſis, & actibus ob ſtercoris præſentiam inteſtinum diſtendentibus, ac vellicantibus. Neque pituita induratis ſæcibus facilem exitum parare potuit; quia à feruido viſcerum calore craſſefacta, & ipſa ad motum inepta reddita eſt.

Hanc verò cauſam pituitoſam admiſit quoque Auic. capite proprio; imò & Hippoc. dum dixit [n], quod, *Quibus ex ſtillicidio vrina Ileos ſuperuenerit, in ſeptem diebus pereunt, niſi Febre ſuperueniente ſatis vrina fluxerit.* Nihilominus eam ablegare Gal. conatus eſt, negans hunc Aphoriſmum eſſe Hipp. quamuis poſtea in progreſſu illam concedat dicens. *Difficulter id euenire poſſe, at ſi placeat, & iſta cauſa ponatur.*

n 6. Aph. 44.

Paſſio Iliaca ex ſe acuta, & periculoſa cenſetur ab Hipp. [o] ipſo; quam fœtidam, & mortiferam appellauit Oribaſius; ideo [p] *Ab Ileo vomitus, ſingultus, deſipientia, vel conuulſio, malum.* Comparatiuè tamen conſiderata, minus periculoſa eſt, quàm quæ ex abſceſſu, duro tumore, aut inflammatione procedit. Neque nos prorſus deterreat, nec ſpem omnino abſcindat fęcum retentio nouem dierum; ſiquidem Rhaſis hiſtoriam narrat mulieris paralyticæ, quæ integri menſis ſpatio ventrem non exonerauit; ſicut Nicolus de quadam grauida aliam refert, quæ 45. dies nihil per aluum deiecit; quæ tamen nec in Iliacam paſſionem inciderunt, minuſque perierunt. Magni tamen facere præſentem affectum, nos cogunt Iliaci dolores, cum vomitibus; verendum enim, ne alia duo praua, & exitialia ſymptomata contingant; difficilis uidelicet reſpiratio, & fęcum per vomitum excretio, præſertim cùm ad paſſionem hanc producendam duplex cauſa concurrat.

o De Aff. 22. p 7. Aph. 10.

Statim itaque propriis, & efficacioribus remediis ſedulò agendum; & ſi medica intentio ab eſſentia eſt elicienda, omnium primò aduerſus fæcum, & materiæ pituitoſæ retentionem conuertenda laxantibus, & ſubducentibus. Quoniam verò vrgent, & in poſterum magis urgebunt dolores, Anodyna, & Narcotica quoque videntur uſurpanda; licet in hoc peracuto, imò acutiſſimo affectu locum non habeant, præ temporis breuitate. Nam dicebat Galenus [q] *Non adhibeantur opiata, niſi poſt adhibita alia medicamenta; dolores enim ſedant, ſed diſpoſitiones non ſanant.* Cauſis itaque contraria remedia opponen-

q 2. ad Glauc. 6.

da; quæ quoniam ſunt fęces retentę, & materia craſſa, atque viſcida pituitoſa, cum copioſis flatibus; ideo primo fęces internis, & externis emolliendæ. Secundò diſſolnendæ, & euacuandæ; & ſi res pro uoto non ſuccedat. Tertiò inteſtina uento replenda, & inflanda, ut facilius dura ſtercora deuoluantur. Inde quartò ſtatim Clyſter iniiciendus, qui fæces diſſoluere, & colliqnare poſſit: atque interim craſſa, & viſcida pituita attenuanda, & unà cum fæcibus euacuanda, flatuſque diſcutiendi. Quæ omnia attigit Hipp. 3. de
r Nu. 15. Morbis. r

Primò itaque exhibeatur ſtatim Oleum Amygd. rec. ad ℥ v. cum ℥ iii. Olei de Lino, ob præſentiam pituitoſæ materiæ. Sex uerò, aut ſeptem exactis horis in Balneum deſeendat ex Oleo pararum, cui ſuffundatur decoctio, emolliendi, & laxandi facultate pollens, quam etiam Oleo impertiri poſſit. Paretur autem ex Aqua dulci, alterata foliis Maluarum, Pariet. Viol. Rad. Alrh. & Lil. alb. ſem. hordei, & fœnugr. Balneo verò egreſſus Pat. & deterſus, aſſumat Flor. Caſ. recentiſ. extractæ ad ʒ x. à qua, ſi uomitus nullus fuerit metus, bibat ius emolliens, Maluis ſcil. alteratum: inde ſomnus permittatur, & tribus, aut quatuor horis ab aſſumpta Caſſia, cibus offeratur, exigua quidem copia, ſed multi nutrimenti: & à cibo rurſus ſomnus captetur, ut aliis quatuor poſt horis Clyſter fæces emolliens, & euacuans iniiciatur, ira parandus. ℞. Decoct. Malu. Betar. Mercur. Chamæm. ℔ i. Mel. Roſ. ſol. Ol. Amygd. an. ℥ iii. Salis Gemmæ ʒ ii. Vitell. ouor. n. ii. m. pro Clyſt. His peractis, ſuperſedendum opere; neque enim ad ualdè attenuantia ratione pituitæ deuenire licer, vt ad uinum generoſum, eum Aq. vitæ, Elixir uitæ cum Aq. Cinnam. præſcripta à Mercato, & Petro Salio in hoc affectu, ſed potius iterum laxantia, Ol. ſcil. Amygd. recens, Oleo Amygd. amar. uel pauco Cretico commiſtum, cum Matthiolo repetenda, & Pat. rurſus in Balneum immergendus.

Quibus ſi non cedat affectus, ad tumefacientia, & ſtercus induratum dimouentia,
ſ 3. de Morb. 15. necnon ſuo pondere extrudentia erit confugiendum. Quare folle ſ fabrili, cannula per ſedem introducta, inteſtina vento implenda, & inſufflanda; mox clyſter diſſoluens, & moderatè irritans iniiciendus, qui peti poterit à Scribonio Largo Medicinæ Principe, Lib. de Medicam. Compoſ. 118. propoſitus, & ab eodem feliciter expertus, dum Seruum cuiuſdam Vnguentarii, ſtercus per os eiicientem liberauit. Paratur autem ex Oleo, in quo decocta fuerit Ruta, addito Aphronitro, ad ſeſcunciam; valet enim flatus diſcutere, & fæces diſſoluere, ut aſſerit quoque Gal. t

t 9. de Simpl. Medic. Fac. Quibus non ſufficientibus, ponderoſa ſunt uſurpanda. Sic Trall. proponit plumbum deuorandum. Mercatus Chalybem, Parcus Argentum viuum; quod tamen remedii genus deſumpſit à Mariano Sancto, qui præbebat Mercurium viuum, ad libras, in Aqua calida, quo multos vidit in Ileo deplorato morti proximos liberatos.

Hæc autem ſunt efficaciora, & ſelectiora remedia, quæ Sapientiſſimo Viro proponere potuimus, quorum recto; & opportuno vſu Reuerendiſſ. Abbati in adeò truci malo, ſanitas reparanda; congrua addita victus ratione, quam antea innuimus, vino omnino non interdicto.

L V M-

XCV.

LVMBRICI.

ILluſtriſs. adoleſcens 17. annum agens, temperamenti totius, & iecoris, calidi, & humidi, carnoſi habitus, albidioris coloris, dulciarijs, ac fructibus extra prandium, & cęnam ſemper uſus,& in prandio potiſſimum copioſis carnibus(vnicus quippè cùm ſit, illecebris, & deliciis educatus fuit) elapſis annis ſæpè Vermes per aluum excreuit; quinimò bis etiam vomitu ſpithamam longos,albos,& viuos. Quoniam verò conſuetam impropriam viuendi rationem nunquam mutauit; ideo toto hoc anno, frequenter ſymptomatibus à vermium præſentia pendentibus, eoſdemque indicantibus obnoxius fuit; crebris nimirum tremoribus, quinimò & moribus conuulſiuis, cum ſæuis torminibus in ventre, clamoribus in ſomnis, dentium ſtridore, ac fętenti anhelitu; à quibus liberatus eſt, Vermium, & plurimæ putridæ materiæ pituitoſæ à Tart. aſſumpto euacuatione. Et tandem heſterna die, prægreſſis ad vomitum propenſione, cum aliqua materiæ crudæ per os excretione, ciborum faſtidio, capitis grauitate, & in ſomnum procliuitate, ſub mediam noctem, ob vellicationes, & morſus in inteſtinis expergefactus, dormire amplius non potuit; unde, ſummo mane,me cum Domeſtico Medico Parentes accerſiuerunt, ut de agendis conſilium haberetur. Inuenimus autem Adoleſcentulum morſibus inteſtinorum diuexatum, cuius abdomen inflatum, tympani more pulſatum reſonabat, cum pulſibus inordinatis, ſine febre tamen, anhelitus fœtore, & faciei pallore; quibus expenſis, hunc in modum diſſeruimus.

Illuſtriſſimum Adoleſcentem, frequenter olim vermibus obnoxium, nunc etiam ab iiſdem torqueri facilè coniici poteſt. Etenim ad illos gignendos fuit in primis natura pronus; cùm calido, & humido temperamento, habitu molli, atq; albeſcenti præditus ſit. Præterea viuendi modus, præſertim in cibo, & potu, ad eorum generationem quammaximè conducit, tum ſi quantitatem, tum ſi qualitatem eduliorum conſideremus; cùm enim cauſa materialis ipſorum vermium propriè ſit cruda, & pituitoſa, ut ſentit Auic. [a] (neque enim à bile flaua, utpote amariſſima, neque à nigra, utpotè frigida, & ſicca, neque à ſanguine, naturæ amico progigni unquam poſſunt) ideo ab eadem, in noſtro Patiente, facilè coaceruata, eoſdem quoque procreari neceſſariò aſſerendum. Hinc obſeruauit Meſue, in quodam plures genitos fuiſſe Vermes, ex obſtructione ductus Cholidochi, quem cum bilis permeare non poſſet ad inteſtina, pituita putrefacta facilem, & opportunum iiſdem ortum præbuit. Cuius opinionis fuit & ipſe Gal. [b] qui probat, amara omnium minimè putreſcere, minimèque vermes procreare; quod Ariſt. [c] quoque placuit; quoniam res iis nutriuntur, ex quibus conſtant; ſed tantùm abeſt, ut vermes, vel acidis, vel amaris nutriantur, quin potius illis interficiantur; ergo non poſſunt ab iſtis produci; quem ſecuti etiam ſunt Aetius [d], & Paulus [e], excepto ſolo Oribaſio, qui falsò exiſtimauit, Aſcarides à quolibet ſucco generari. Cùm autē ſubdulcis pituita vermium generationi idonea, à dulcibus immodicè ſumptis, necnon carnibus [f] copioſis, corruptis, & putrefactis facilè coaceruari poſſit, credere fas eſt, Nobil. Adoleſcentem frequenter ideo vermibus obnoxium fuiſſe, & in præſens ab iiſdem diuexari.

a 16. 3. Tr. 5. C. 1.
b 4. Simpl. 20.
c 2. de gen. Anim. 8.
d Tetr. 3. Ser. 1. C. 39
e 4. de Re Med. 57.
f 3. Aph. Co. 26.

Horum autem cauſa efficiens, eſt quidem calor, non tamen naturalis, quia ex putredine fiunt; putredo verò eſt corruptio [f] natiuæ caliditatis in vnoquoque humido, ab extraneo calore; ſed neque à calore putredinis; quoniam nihil [g] generatur putreſcens, ſed concoctum; reliquum eſt igitur, ut progignantur à calore miſti, victo tamen, & ſuperato à putri, non tamen omnino extincto; qui propterea aliquam adhuc conſeruat facultatem cogendi, [h] & quodammodo concoquendi; quam concoctionem, rectificationem appellauit Auicen. quanquam vermes procreandi vi minimè polleat, niſi ab aliquo alio calore viuificetur; vnde dicebat Gal. vermes non ex ſemine, ſed ex putredine gigni; ſola tamen putredo generationi non ſufficit; ideo calore plurimo indiget, qui neq; putris ſit, utpote ineptus; neque ſolius miſti, utpote debilis; ſed qui ubertim extrinſecus affluat, qualis calor cæleſtis,

f 4. Meteor. 2.
g 3. de Gen. An. 11
h 4. Meteor. 1.

ſeu ipſius Solis; quod expreſſit quoque Ariſt.dicens. *Viuentia in putridis rebus generantur, cùm naturalis calor eorum cogendorum facultatem acquiſiuerit.* Explico. *Viuentia,* ideſt, Vermes; *In rebus putridis generantur*, ſcil. ex putredine naſcuntur. *Cùm naturalis calor miſti facultatem acquiſiuerit.* Verùm à quoa? à calore Solis, ut ab agente communi, & uniuerſali. *Eorum cogendorum*, introducendi videlicet tantam concoctionem, ut Animal imperfectum generati poſſit; nulla namque datur generatio ſine aliqua præcedenti coctione; & ideo, *Nihil generatur putreſcens, ſed concoctum.*

Non ſolùm verò res naturales, & nonnaturales, verùm & præter naturam, vermium præſentiam confirmant; ut tremores, motus conuulſiui, tormina in ventre, clamores in ſomnis, dentium ſtridor, & fętor anhelitus; omnia ſcilicet ſymptomata Vermium propria.

i 5. de Hiſt. An. 19.
k 5. Aph. Com. 26.
l Tetr 5. Ser. 1. C 40
m 4. de Re Med. 57.

Verùm quoniam Vermium tres, communi omnium conſenſu, dantur ſpecies, Teretes nimirum, Aſcarides, & Lati; ita aſſerente Ariſt. i Gal. k Aet. l & Paul. m ideo cuius ſpeciei præſentes ſint, Nob. Adoleſcentem lancinantes, conſiderandum. Et quidem ſi præteritos iam excretos ad memoriam reuocemus, qui Teretes erant, tales quoque præſentes eſſe aſſeremus; quod pariter præſentia ſymptomata atteſtantur; non enim adſunt aſſidua ciborum appetentia, corporis gracilitas, excrementa cucurbitina, Lumbricum latum indicantia; non podicis pruritus, moleſtus Teneſmus, & exilium vermiculorum per aluum excretio, Aſcaridum ſigna; ſed morſus, vellicationes inteſtinorum, à Teretium morſu impreſſæ, propenſio ad vomitum cum aliqua excretione crudæ pituitoſæ materiæ, ciborum auerſione, capitis grauitate, in ſomnum prolapſu, ventris inflatione, pulſibus inordinatis, ſine febre; & tandem cum faciei pallore, & fętido anhelitu; quæ omnia crudam, atque pituitoſam materiam Teretes producentem, atque fouentem; necnon eoſdem non ſolùm præſentes, ſed mordicantes quoque certiſſimis indicijs nobis ſignificant; ut habemus ex Gal. n & Celſo, o tum & ex Aetio, & Paulo Locis citatis.

n 3. de loc. Aff. 5. & 3. Aph. 26. & 2. in 6. Epid. 27.
o 4. de Re Med. 17.

Vermes verò, cùm ſint toto genere præter naturam, è corpore quamprimùm expellendi, ne alioquin pernicioſa infetanr mala; ſiquidem nonnunquam inteſtina, hypochondria, inguina perforarunt, ut obſeruarunt Aponenſis, Hollerius, Pareus, Foreſtus, Nicolus Trincauella, Solenander, & alij; nonnunquam verò ori Ventriculi infixi Lipothymias, & Syncopes inducunt; quos inſuper adducto in conſenſum corde, Pueros in interitum præcipitaſſe, nos aliquando uidimus. Et quamuis Latis ſint minus noxii, Aſcaridibus tamen periculoſiores ſunt; cùm Teretes inter illos medium locum teneant. Neque his repugnat, quod ſcribit Hipp. p nempe, *Latum vermem habenti, nil graue contingere, nec mortem inferre, ſed conſeneſcere*; aliquando enim, rarius tamen id accidit, quando ſcil. Lumbricus latus à nobis nõ irritatur, nec medicamento, aut cibo ipſi contrario, aut ab exercitio, & inedia moueri cogitur, quod certè vix declinari poteſt.

p 4. de Morb. n. 27.

Medicæ igitur intentiones erunt. Primò Vermes necare. Secundò expellere. Tertiò nouam eorum productionem inhibere. Quartò ſymptomatibus occurrere.

Verùm omnium primo ſtatim Ventriculum, & inteſtina ab excrementis; quinimò & Vermium pabulo expedire conuenit, Leniente aliquo medicamento; vomitum enim prouocare non licet, ne Vermes ab inteſtinis ad ventriculum proliciantur, ubi grauiora mala inducere poſſent. Scio quidem, communem eſſe ſententiam, ad amara confugiendum eſſe; verùm ab ea diſſentio, dulcia his longè præferens, ut vermes ab inteſtinorum morſu reuocentur, & ad exitum per ſedem diſponantur. Quare mannã ad ℥ iv. in iure Cinnam. alterato diſſolutam ſtatim exhiberẽ; epota, tribus poſt horis, mulſa diluta, ex aqua hordei parata, vt Vermes ad inferiora alliciantur, & inteſtina abluantur; horis veſpertinis Clyſtere iniecto ex lacte, butyro, & ſacch. parato.

q 8. de Hiſt. An. 19.

Ad enecantia poſtmodum erit deueniendum, quorum Silua immenſa eſt. Verùm ego ſelectiora, & experta tantùm proponam. Et primò quidem prærogatiuam inſignem habet Aqua Cord. Præclariſſ. Saxon. ad ℥ ii. qui laudat quoque compoſitionem mulierculārum ex lixiuio, & Oleo communi, cui ſubſtitui poteſt Oleum Amygdal. amar. vel nucleor. Perſic. ut proponit Paulus; vermes enim q necare, & ſua lubricitate foras educere valet. Potens quoque eſt Vini hauſtus, in quo nocte Scordium maceratum fuerit. Spiritus item Salis efficax; ita & oleum ſulph. ad gutt. iv. vel v. in Aq. Cord. Celeberrimus quinetiam eſt ſpir. Chalc. vel in Aqua de ſucco Rutæ Capr. vel in ℥ i. Aq. vitæ Abſinth. vel Amygdal. amar. in adultioribus: hic enim eſt uerum vermium venenum. Curioſum verò, facile, & expertum medicamentum eſt Aqua deſtillata ex Allio, vel Cæpis, ab ℥ ſ. ad ℥ i. Omnium

tamen

Digitized by Google

tamen præſtantiſſima Theriaca legitimè parata: quæ ideo noſtro huic Adoleſcentulo præberi poterit; quinimò neque Iunioribus, neque Senibus, niſi valdè graciles, & conſumpti fuerint, ac uiribus deſtituti, exigua quantitate neganda. Extrinſecus Vermibus necandis Aetius, Paulus, & Oribaſius proponunt linimentum ex ſucco Abſinthii, Bryonia, Aloe, & felle Taurino compoſitum. Ego verò uti ſoleo uel Oleo Abacuch Venetiis parato; uel Petroleo, & Oleo de Scorp. Matth. miſtis; quandoque etiam illitu inteſtinorum, & ventriculi regionis ex Theriaca, Scordio, Aloe, Myrrha, & ſucco Citri parato; iniectis interim bis ſaltem die Clyſteribus ex Lacte, Butyro, & Sacch.

Secunda intentio erat, uermes educere. Quare poſt primam propoſitam euacuationem, Cremor Tart. Adoleſcenti familiaris ad ℥i. præſcribi poterit. A Paulo verò Aloe lota, præſertim in Pueris commendatur; ſicut in Adultis Hiera, qua 40. Vermes excretos in Muliere vidit Dodonæus, & 150. in Puero Beniuenius; quam ideo & nos exhibere poterimus, hac formula. ℞. Hieræ picræ Gal. ʒi. Pulu. Sem. Santon. Scord. Corallinæ an. ℈ſ. Lenir. q. ſ. ut refor. b. nebulis inuoluti, & exhibeantur. Mercurium quoque innoxiè exhibuit Platerus, à ℈ſ. ad ℈i. quem alii ad Vermes enecandos Vino, aut Aquæ infundunt, & Aquam, aut Vinum bibendum præbent, qui Pueris tutior vſus; licet Fallopius, & Braſauolus eundem etiam crudum, ad grana Pueris offerre conſueuerint. Quando uerò non adeò res urget, in uſu familiari haberi poteſt Conſ. è flor. Perſic. quæ tamen efficaciores, & Nob. huic Pat. Vermibus frequenter obnoxio præſentiores erunt Pilulæ à Doctiſſimo Langio deſcriptæ, domi ſemper in promptu habendæ, quarum doſis eſt ad ℈i. Sunt autem huiuſmodi. ℞. Aloes ℈ii. Rhab. Myrrhæ an. ℈i. Troch. Alhand. gr. vi. Pulu. Corallinæ ʒi. Succi Abſinth. q. ſ. m. reform. maſſa pro pilul. Extrinſecus linimentum fiat enecans, & ſimul Vermes expellens ita. ℞. Olei Amygd. Amar. Petrolei, de Abſinth. an. ℥i. Pulu. Colocynth. Aloes, Helleb. nig. præp. an. ʒi. Succi Radic. Bryon. Aceti an. ℥i. m. bulliant ad conſumpt. aceti; mox adde dimidium fellis Tauri, & Ceræ parum, ut fiat linim. molle pro Vmbilici inunctione.

Tertia intentio fuit nouam Vermium generationem inhibere, quæ congrua potius uictus ratione, quàm medicamentis explenda. Quare vitentur omnino dulcia, Lactaria, Fructus, Legumina. Frequens quoque adeò Carnium uſus mittendus, iuſtumque interuallum cibis interponendum, ut cruditates arceantur. Corpus paulò magis exerceatur. In uſu inſuper ſint Vermibus inimica, nimirum Acetum, Sal, Allium, Cæpa, Succi acidi, Citri, Lim. Aurant. Agreſtæ, Coriandrum, & ſemel per hebdomadam utatur ℈i. Aloes lotæ, uel ℥ſ. Crem. Tart.

Tandem Symptomatibus occurrendum, & præſertim Verminum morſibus, cùm aliquando ore uentriculi commorſo, mortē inferant; quo caſu blandioribus agendum, & ab amaris, acidis, uermibuſque moleſtis prorſus abſtinendum, quorum loco Lac copioſum ad libram, & amplius cum Saccharo exhibendum, prolectati enim à morſu deſiſtunt, & ad Lac ſe conuertunt, utpote dulce, ac ſibi amicum. Quæ pro curatione, & præſeruatione huius affectus, ſatis.

D Y

XCVI.

DYSENTERIA.

ILluſtriſſimus Comes, 30. annum agens, temperamenti totius, & iecoris, calidi & ſicci, gracilis habitus, ad iram pronus, deliciis deditus, & hac æſtate potiſſimum ſicca, fructibus, ficubus ſcilicet, melonibuſque niue perſrigeratis vſus, quorum frigiditatem vino meraciori niuato contemperari, ventriculumque alimentis copioſis aromatibus conditis præmuniri ſibi perſuadebat, præterito menſe, autumno ſc. ineunte, incidit in alui fluxum, quo tribus, aut quatuor primis diebus cruditates excretæ ſunt, flauo tamen colore ut plurimùm tinctæ, mox & bilioſæ ſeroſitates, non ſine infimi ventris doloribus, copioſius quidem primis diebus; mox parcius, ſed frequentius ſoluta aluus pinguia, flaui, & crocei coloris deiecit; quindecim verò poſt diebus pellicula quædam, epidermis nimirum pinguedine miſta fuit à nobis ſtatim ab initio accerſitis obſeruata. Et quoniam in dyſenteriam prolabi Illuſtriſſimum Com. coniiciebamus, de agendis conſultum fuit; quæ tamen reſpuit, quòd fluxum hunc ſibi ſalutarem fore perſuaſum haberet; nec tamen nos dimiſit, imò quotidie eum inuiſere iuſſit; ut propterea Dyſenteriæ progreſſum nobis exactè obſeruare datum fuerit; qui excrementa ſincerè bilioſa uidimus, cum doloribus uehementioribus, quibus acceſſit abſque euidenti commiſtione non ſolùm ephelcidis, ſed & interioris inteſtini tunicæ aliqua portio, ſiti inſuper aucta, & appetitu deiecto. Et quamuis inualeſcentis dyſenteriæ, ob tormina à nobis admonitus fuerit; nullum tamen medicamentum, præter clyſteres epiceraſticos admittere voluit; unde ſanguinem quoque, & ſubinde pus, & ſaniem non exiguam excretam Pat. Illuſtriſſimo oſtendimus, uitę quinetiam periculo prænunciato; febricula namque quatuor, aut quinque abhinc diebus eundem correptum, vnanimes obſeruauimus. Quare caſus hiſtoriam tibi Sapientiſs. Viro à nobis referri iuſſit, agenda pro curatione expetens, atque expectans.

Quoniam docet experientia, diarthęam ſæpius nos ab imminentibus morbis præſeruare; vndè Gal.[a] dicebat, *Sæpè fieri ex virtutis robore cum ſalubri prouidentia; quoniam eſt commune*[b] *auxilium prauos ſuccos habentibus*, ideo Comes Illuſtriſſimus ſalutarem ſibi futuram credidit incipientem diarrhœam; adſtantibus Medicis fide non adhibita, qui uentris fluxum huiuſmodi, & quartum & ſeptimum diem exceſſiſſe obſeruantes, morboſum fore cenſuerunt, cum Celſo dicente[c]; *Vno die fluere aluum ſæpè pro valetudine eſt, & etiam pluribus, ſi ſine febre, & intra ſeptimum diem id conquieſcat; purgatur enim corpus, & quod intus læſurum erat, vtiliter effunditur, verùm ſpatium eſt periculoſum; interdum enim tormina, interdum febriculam excitat, vireſque conſumit.* Ita euenit Com. Illuſtriſſimo, neglecta namque diarrhœa tormina & dyſenteriam excitauit, à parte affecta ita[d] dictam, quam Paracelſus morbum diſſolutum appellabat. In cuius affectus cognitione non eſt, quod hæſitemus; ſiquidem dyſenterię, & pleuritidi quoddam veluti priuilegium[e] hiſce verbis conceſſit Gal. *Ne requiras*, inquit, *in omni affectu huiuſmodi notas, quales in pleuritide, vel dyſenteria apparent; ſcientifica enim eſt eorum cognitio, ſicuti aliorum coniecturalis agnitio.* Sat igitur eſt, adeſſe alui fluxum torminoſum, ut incipiens dyſenteria ſtatui poſſit; cui ſi addantur excretiones mucoſæ, pingues, membranoſæ, cruentæ, abſolutam, atque perfectam dyſenteriam factam eſſe produnt. Ita caſu noſtro, fluxus quatuor dierum diarrhœa fuit ex cruditatibus, à gelidis tum fructibus, tum potionibus facilè congeſtis; at quoniam Pat. ætas, temperamentum totius, & iecoris, anni tempus, & conſtitutio[f] ſicca; præterea fructuum copioſus uſus, & uini meracioris potus conſuetus, ad bilioſos humores gignendos, & in venoſo genere coaceruandos conſpirarunt; hinc contigit, ut primò cruditatibus in primis, & circa primas uias hærentibus natura exonerata (neque enim motus ille fuit præter naturam dicendus, cùm id quod contriſtat,[g] excerneretur) deinde hoc idem tentauerit, aduerſus bilioſorum humorum apparatum, in venis latitantium. quod forſan cum Illuſtriſſimi Viri leuamine contingere potuiſſet, ſi natura medicum adminiculantem habuiſſet, qui inteſtina aduerſus bilis tranſeuntis

a de Sympt. Diff. 6.
b 6. de Sanit. Tu. 6.
c 4. de Re Med. 19.
d 2. Meth. 2.
e 12. Meth. 7.
f 3. Aph. 16.
g de Diff. Sympt. 6.

ris actimoniam præmuniſſet; uerùm quoniam ab ipſo Pat. diarrhœa omninò neglecta fuit; ideo biliosa excrementa, Colon inteſtinum corrodentia (ut doloris [h] ſitus, pinguia potius, quàm mucoſa prodeuntia, nec exacta cum excrementis permiſtio ſat nobis oſtendunt) dolores primò, ſecundò pinguedines, tertiò ephelcidis portionem abraſerunt, quæ tria tres gradus dyſenteriæ fieratis adhuc conſtituerunt [i]: prout ramentum internę tunicæ, & ſanguis cum pure primum, & ſecundum gradum vlceroſæ iam factæ demonſtrant. Quare modò ſupereſt, ut vlcus ad ſecundam, & exteriorem tunicam peruadat, vt tertius & vltimus gradus ſtatuatur, quo dyſenteriæ depaſcentes, malignæ, ſordidæ, atque calloſæ euadunt; à quarum vlcere eleuati putridi uapores ad uentriculum, & cor ipſum, inappetentiam, [k] atque febriculam inducunt; quæ cum in ſecundo quoque gradu ſuperuenerint, non exigui vlceris, & copioſi puris indicium præbent.

Dyſenteria ex ſe morbus [l] magnus, & periculi plenus eſt, [m] longus, laborioſus, & lethalis ab Hipp. dictus, ſi tertium gradum attigerit, ita vt carunculæ [n] prodeant. Et quamuis Hollerius, & Braſauolus obſeruarint, dyſenterias ſanatas, excretis licet carunculis ipſis; fuit tamen interior tunica tantùm exeſa; non autem exterior. Ita & Gal. [o] maximam vidit inteſtinorum partem putrefactam, ſuperſtitibus tamen ægris; quia tunica exterior illæſa remanſerat.

Status igitur Illuſtriſſimi Pat. adeò grauis eſt, ut parum à deplorato abſit, qui Curationis difficilis fuerit, non modò quia ulterius progreſſa; uerùm etiam quia à ſincera deiectione [p] facta eſt; unde concludebat [q] Gal. quod, *Vt ab atra bile inteſtino exulcerato auxilium negatur, ita à flaua ægrè impetratur*. Grauius inſuper periculum imminet addita [r] inappetentia, atque febricula, inflammationis, aut magni vlceris putridi indicio, ex Gal. in Com. Non eſt tamen deſperanda ſalus; quia iuuenis eſt Illuſtriſs. Pat. & nunc obtemperans, vireſque ſatis conſtant, quantum ex relatis coniicimus; cùm de atrocibus doloribus mentio non fiat; & tandem cùm nondum generoſiora, imò nec vllum remedium expertum, & adminiſtratum fuerit; licet ad gradum inſanabilem [s] nondum deuenerit.

Statim itaque aggredienda curatio; quæ duplex eſſe ſolet, Canonica altera, altera Coacta. Prima ſpectans morbum, & cauſam morbi. Secunda ſymptomata, vehementiſſimos nimirum dolores, & profluuium ſanguinis, quæ cùm caſu præſenti non adſint, vera & canonica ſtatim tentanda; vt nos quoque monet [t] Galenus, & repetit Hippocrates ipſe. [u]

Quare primò acres, & vitioſi humores euacuandi. Secundò eorum actimonia contemperanda, & ſi adſit malignitas alexipharmacis expugnanda. Tertiò ab inteſtinis praui humores diuertendi. Quartò fluxus ſiſtendus. Quintò ulcus mundandum, & conſolidandum. Et tandem contra ſymptomata pugnandum.

Quibus ut ſatisfaciamus intentionibus, in fonte Chirurgico conſideranda primò venit ſanguinis miſſio; quæ à pleriſque in dubium reuocatur, imò prohibetur. Primò quia neque ab Arabibus, neque à Gal. in dyſenteriæ curatione de ipſa fit mentio. Secundò quia fluente [x] aluo ſanguis non eſt detrahendus. Tertiò, ne bilis effrænis fiat. Nihilominus & Aet. [y] & Trall. [z] ſanguinem mittunt; quos ſequuti fuerunt Altimarus, Claudinus, Amatus, & alii, & meritò quidem, quia dum adeſt indicans, & permittens, ſanguis omnino mittendus eſt: Indicans, nimirum ſanguis ſubſtantia quantitate, & motu peccans; permittens, virium nempe robur. Argumentum verò pro parte negatiua nihil concludit. Gal. uerò auctoritates, fluēte aluo ſanguinem mittendum non eſſe, plures ægros occidunt quàm ſeruent, vt exclamabat Valeſius; dum enim euacuatio eſt alterius euacuationis curatio, omnino permittenda eſt; non autem, quando critica fuerit. Acres autem, & bilioſi humores prohibere quidem ſolent quantitatem ſanguinis, at non eductionem omnino. Quare caſu noſtro educatur ſanguis, ad inflammationem inhibendam, iecoris feruorem remittendum, & motum humorum ab inteſtinis reuocandum, ut ulcus citius, & facilius ſanari poſſit: præterquamquod & febriculæ proderit: parcè tamen emittatur, ut monet Aet. & Paul. præſertim cùm non adſit principium, ſed progreſſus morbi.

In Pharmaceutico fonte omnium primò conſideranda euacuantia, & purgantia medicamenta: non autem adſtringentia eum Medicorum uulgo. Ideo irridet Gal. [a] Herodotum, & Diocl. qui quouis tempore dyſenteriæ adſtringentia conuenire crediderunt: quinimò profitetur, dyſenteriæ [b] intempeſtiuè ſuppreſſæ melancholiam, inſaniam, pleuritidem, nephritidem, ſanguinis uomitum, epilepſiam, & hydropem ſuccedere poſſe. Opus eſt igitur humorum expurgatione, & diminutione, ut ſtatim, & affatim euacuentur humores

h 6. de Loc. Aff. 2.
i 4. Aph. Com. 26.
k 6. Aph. Co. 3. & 6 Epid. 7
l 3. de Dieta.
m de Affect. n. 24.
n 4 Aph. 26.
o 4. de Vſu Part. 17.
p 7. Aph. 24.
q de Atra Bile 7.
r 6. Aph. 3.
s 4. Aph. 26
t 2. Simpl. 12.
u de Affec. n. 24.
x 1 ad Glauc. 14. & 1. Acut. 16
y Tet. 3. Ser. 1 C. 41
z Lib. 8. Cap. 9
a 2 Simpl. 12. & 14.
b de venæ ſect. adu. Eraſ. 6.

Google

mores vitioſi, qui longo, & lento lapſu inteſtina exulcerare ſolent. Nec nos deterreat Auic. [c] monitum, quod, *Soluere ventrem ſupra ventris ſolutionem, timoroſum ſit.* Id enim ſolùm locum habet, ſi ventris fluxus criticus fuerit, tunc enim; Quæ iudicantur & iudicata ſunt integrè, neq; mouere, &c. at in dyſenteria fluxum fluxu ſanari iubet etiam [d] Hipp. ipſe. Et quoniam à toto, caſu noſtro, detruditur materia bilioſa; ideo non ſolùm de lenientibus, verùm & de purgantibus exhibendis eſt cogitandum, à Valeſio, Fuchſio, & Maſſaria damnatis; ſed forſan in principio, quo & ab ipſo Gal. [e] prohibentur; ſicut probantur ab eodem, & exhibentur ſedato fluxionis impetu ad inteſtina; cacochymiam [f] enim validο medicamento affatim expurgat.

c 4. 1. Doctr 5 Ca 3.
d 2. in 6. Epi. 3. 9.
e 13. Meth. xi.
f 4. Acut. Com. 110.

Verùm in præſens, cùm valde progreſſa ſit dyſenteria, & febricula adſit, cautiſſimè procedendum. Et primò quidem ſtatim caſſiæ ℥ vi. cum ʒ iii. pulp. tamarind. præbendæ erunt, quibus ſuperbibat ſeri capr. præpar. ℔ ii. Neque uerenda cum Foreſto tamarind. aciditas, tanquam ulcus irritans; quoniam tum à flore caſſ. tum à ſero refringitur, ut conſiderauit Heurnius, atque interim adſtringit, & exſiccat ulcus. Inde à ſaluatella dextra ſanguis ad ℥ v. educatur, ut iecoris, & venarum feruor contemperetur, humores ab inteſtinis diuertantur, & inflammatio in parte inhibeatur.

Secuta euacuatione, mox alteratio, & bilioſorum humorum contemperatio procuranda, quæ tantæ eſt efficaciæ in dyſenteriæ curatione, ut in admirationem traxerit Amatum, quòd Iuuenis quidam dyſentericus, ſine medici conſilio, ſolo gelidæ potu ſanatus ſit. At nobis ceſſat admiratio, obſeruantibus [g] Celſum, aquam frigidam dyſenteriæ curandæ, vt remedium optimum propoſuiſſe. Sed hìc locum habent decoct. herbarum, & ſucci, ſerum, Thermales Aquæ, Lac, hoc ordine, caſu noſtro adminiſtranda.

g 4. de Re Med 25.

Primo quidẽ per quinque, aut ſex dies huiuſmodi exhibeatur ſyr. ℞. decoct. end. lactuc. violar. plantagin. portulacæ ℥ v. ſucci depur. plantagin. portulac. ana ℥ i. m. pro ſyrup. & ſic pro aliis. Vel huius loco. ℞. Aqu. ſtillat. lactucæ, nymphææ, plantagin. ana ℥ ii. ſem. papauer. albi ʒ ii. m. f. emulſ. cui adde ſucci cydon. ℥ i. diamargariti frigidi ℈ i. m. pro ſyr. & ſic pro aliis. A ſacch. namque abſtinendum omnino, prout & à melle.

Vomitus interim prodeſſe ſolet, qui niſi ſpontaneus, arte ſolicitetur, bilioſi humoris copia imminuta, & acrimonia contemperata; atque adeò, ait Hipp. [h] quod, *A diuturno alui profluuio, ſpontaneus vomitus ſuperueniens, ſoluit morbum.* Leuioribus tamen excitandus.

h 6. Aph. 15

Præmiſſa iam dicta præparatione, aliqua humorum tentanda expurgatio, ut imminutis humoribus, citius, & facilius vlcus exſiccari, & obduci poſſit. Caſſiæ itaque, & pulpæ tamarind. addatur rhab. portio, ad ʒ ſ. à quibus bibat ſer. depur. ℔ ii. Rhabarb. autem ſit toſtum, quicquid dicat Hollerius, Amatus, Saluus Sclanus: Hippoc. enim [i] ad alui profluuium cohibendum aſſata, & toſta optima eſſe aſſeruit; quem ſequuti fuere & [k] Paul. & [l] Aet. hoſque Matthiol. Meſue, Foreſtus, Trincauella: ita enim minus purgat, & vlcus magis exſiccat.

i 3. de Diæta 24. & 25
k 3. de Re Med. 42.
l Tetr. 3. Ser. 1. C. 43

Dum uerò humores bilioſi diminuuntur, eorundem contemperatio nunquam omittenda, & ulceris ratio ſemper habenda. Vtrumque uerò præſtare poſſunt caſu noſtro Aquæ Thermales acidulæ ferratæ; inter quas nos ſæpius Villenſibus uſi ſumus feliciter, primis diebus, cum vehiculo deiectorio ſyr. roſ. ſol. cum decoct. pulpæ tamarind. ad vlceris detersionem, & exſiccationem, mox cum diuretico, nimirum ſpir. uitrioli, quarum uſui inſiſtendum decem, uel duodecim diebus. Animaduertendum tamen, quod ſicut læſis inteſtinis tenuioribus medicamenta conueniunt [m] aſſumpta; ita læſis craſſioribus magis iniecta, cuius cauſa clyſteribus frequenter vtendum.

m 5. Meth. 2.

Tertiò alterantis loco, ad vſum lactis perducendus eſt Illuſtriſſimus Com. quod ulceri quoque ſarcoticis curando, magnoperè proderit. Vlcus quoque detergendum, & exſiccandum, iniectis potiùs, quàm aſſumptis, ut nos docet ipſe [n] Gal. craſſis laborantibus inteſtinis: atque adeò clyſteres interim iniiciendi, dum lac aſſumet, infra deſcribendi. Lac præbeatur itaque, non obſtantibus bilioſis [o] deiectionibus, aut febricula: bilis enim potiori parte [p] expurgata fuit; præterquamquod tollitur incommodum, [q] ſi decoquatur, uel cum aqua plantaginis cum [r] Aet. uel, ut Hipp. [s] lapidibus, aut Cylindris candentibus in eodem extinctis: facultate enim imbuitur exſiccante, & corruptioni reſiſtente. Febricula autem, quia non uehemens, lactis exhibitionem non prohibet: hoc enim conceditur ab eodem Hipp. [t] ijs, qui non ualdè multùm febricitant. Sic idem Hipp. [u] lac præbuit *Critolai filio, qui circa æquinoctium autumnale dyſentericus fiebat, & eum febris tenebat: alui egeſtiones*

n Eodem.
o 5. Aph. 65.
p 4. Acut. 115.
q 1. Simpl. C. de Serm.
r Tetr. 3. Ser. 1. C 43
s 7. Epid. 1.
t 5. Aph. 65
u 7. Epid 3

bilioſæ

bilioſæ, tenues, multa, & moderatè ſubcruentæ, dolor ventris vehemens, & vbi ſerum, & lac bibiſſet, ſilice candefacto immiſſo, dolores, & ſubcruentæ egeſtiones moderatiores fiebant; ſed bilioſæ comitabantur, & ſæpè ad exonerandam aluum ſurgebat, ſed minori dolore. Tandem lacte aſinino cocto propinato, ſanatus eſt. Exhibeatur igitur ad ℥ x. quatuor horis ante cibum.

Et licet non tenuia, ſed craſſa inteſtina caſu noſtro læſa ſint; attamen aſſumpta per os exſiccantia non ſunt omittenda. Ita Cryſtallus optimè læuigatus, ut magnum remedium proponitur à Conciliatore, & Guarinonio, & ante eos à Dioſc. Ceræ item vſus in ventre pullorum, uel in cauo cydoniorum, à Dioſc. & Gal. x A Chymicis verò crocus martis conſtrict. à Paracelſo ſal lithargyri, & alumen Saturni. Nos verò frequenter, & feliciter vtimur huiuſmodi pulu. ℞. oſſis ſepiar. vſt. & pulueriz. ʒ ij. ſpongiæ pice imbutæ, & in ollula vſtæ, in cinerem redactæ, cortic. ouor. indurat pulueriz. an. ℈ ſ. margar. præpar. bol. arm. an. ʒ i. m. cuius doſis ʒ i. in aqua polygoni, aut ex foliis quercus deſtill. pluribus diebus aſſumenda. Vtimur quoque ſyr. corallor. Querc. ad cochlear vnum, procul à cibo. Commodius tamen curatur vlcus clyſteribus, primò detergentibus, ſecundò exſiccantibus, & tertiò, ſi opus fuerit, epicerasticis.

x 2 Simpl. 12.

Detergentium verò tres ſunt gradus. Primus eſt eorum, qui parantur ex mulſa, cum aqua hordei, addito melle roſ. Secundi ordinis ſunt parati ex aqua ſalita, Tertuciana, uel Montis Falconis, quæ ſalgemmea eſt; addito pariter melle roſac. Tertij ordinis parantur ex muria, addito etiam ægyptiaco, ut noſtro caſu; quia vlcus eſt ſordidum, atque depaſcens.

Et licet de Muriæ vſu dubitatum ſit, exemplo illius y Medici, qui cæparum eſu, & clyſteribus ex muria, omnes dyſentericos curabat, & conuulſionibus interficiebat; amethodus enim fuit; nos tamen in hoc depaſcente, & putrido ulcere, non ſolùm muria; ſed cauſtica quoque conueniunt, ita conſulente Gal. z ſi calloſum, quoque ſuerit, & Celſo a, quibus ſubſcripſerunt Auic. b cum Aet. c Caute tamen & muria, & cauſtica ſunt iniicienda, tribus nimirum obſeruatis conditionibus. Primò in viribus ualentibus. Secundò nonniſi narcoticis commiſtis, more Gal. Tertiò ut clyſteres non detineantur ultra horam, ut monet Aetius.

y 12. Meth. 1.

z 9 per Loca 2. & 9. Simpl. 5. & 4. de Vſu Part. 17.

a 4 de Re Med. 15.

b Libr. 2. Tractat. 2. Cap 493.

c Tetr 3. Ser 1. C. 45

Abſterſo vlcere, clyſteribus exſiccantibus vtendum, in tres pariter gradus diſtinctis. Primi gradus ſunt ex decoct. hordei torrefacti, plantaginis, rubi, roſar. myrti, polygoni, cum ol. roſ. bolo armena, & oui vitellis. Secundi gradus, ex decoctione plantag. conſolidæ, millefolij, uerbenæ, cynogloſſi, portulacæ cum bolo arm. terra ſigillata, lithargyro, & ſeuo hircino. Vel ex aqua Villenſi, & aqua Montis Ægrotorum cum ſucco plantag. Tertij ordinis, ex aqua fabrorum, uel vino nigro cum troch. de Charabe ad ʒ ij. & troch. Gal. ad ʒ i. quorum deſcriptio eſt huiuſmodi. ℞. chartæ combuſtæ, arſenici vſti, ſquamæ æris, croci, opii, calcis viuæ extinctæ an. ʒ iii. m. & cum ſucco plantag. f. troch. Quibus vtebatur Gal. ad omnia praua ulcera ſananda.

Sed circa omnium iam dictorum clyſterum uſum, nos obſeruare ſolemus materiæ redundantiam in detergentibus, & abluentibus, paucitatem in exſiccantibus, mediocritatem in epicerasticis, & temporis breuitatem in cauſticis; atque tandem ſucceſſiuum eorundem uſum, adeò ut detergentem ſequatur ſtatim exſiccans, indeque anodynus, ſi dolores vrgeant.

His uerò Com. Illuſtriſſimum ſanitatem conſequuturum ſperamus; ita ut ad victum humectantem, atque Balneum confugere atrophiæ cauſa, & tabis uitandæ minimè cogamur; ut in intemperie iecoris, & totius calida & ſicca, habitu gracili, & facilè reſolubili, deiectis viribus, nec acria medicamenta tolerantibus conſulit Tral. d ab Hipp. e forſan edoctus, dicente. *In curatione dyſenteriæ, multa calida partes ſub vmbilico lauato, maximè ſi dolor adfuerit.* Et licet aluo fluente, Balneum ab eodem f prohibeatur; id tamen ab initio fit, quando corpus excrementis abundat.

d Lib 8. Cap 9

e de Affec. 14.

f 3. Acut. 59.

Circa victus rationem nonnulla ſelectiora adnotamus. Et primò quidem, quod excrementa Illuſtriſſimi Pat. ſint qualibet vice exportanda, ne ab eorum halitibus foueatur morbus.

Ciborum verò parſimoniam commendat g Gal. cui ſubſcripſerunt Tral. & Serapio, dicens, quod ſic membra auida humores retinent, & ab exiguo ſtercore minus inteſtina moleſtantur.

g de Med. Fac. Par. 20 & 4 de Artic. Com. 41.

Qualitas verò ſit ſubadſtringens, nec acida, nec acris. Sit itaque cibus epicerasticus,

emplaſtieus, euchymus, & coctu facilis. Sic Aetius, & Paul. laudant pultes, & oryzam cum lacte. Gal. oua [h] in ſartagine cocta, aceto aſperſa; ita & Orib. addit tamen Gal. omphacium, vel granatorum ſuccum. Carnes Volucrum, & ſyluestrium animalium in progreſſu concedit Aet. Lentem [i] Gal. Portulacam Dioſc. Conceduntur Meſpila, cydonia, ſorba, pyra.

h xi. Simpl.

i 1. de Alim. Fac. 18.

Porus cum Paulo, & Aetio ſit aqua pluuialis Chalybeata, uel aqua plantaginis, & ex tenerrimis quercus foliis; cui addatur, inuirium defectu, uinum auſterum, & ſubadſtringens.

Somnus ſiſtit omnes fluxiones præter ſudorem. Concilietur itaque emulſ. amygd. dulc. & ſem. papau. albi.

Quierem imperat Celſus; omnis enim exagitatio exulcerat; & ideo non ſurgat, ſed in lecto egetat.

Et tandem arceat omnes animi affectus, atque commotiones. Quibus omnibus Deus Omnipotens aſpirare dignetur.

XCVII.

TENESMVS.

Octauus iam voluitur menſis, quo aluus Illuſtriſs. Viri ſecundum naturæ leges non benè reſpondet, & à naturali conſuetudine declinat; prægreſſa namq; ab initio diarrhęa quædam reliquit poſt ſe conſueto frequentius egerendi deſiderium, quo nonnunquam pauca, & mucoſa, quandoque fęces, modò pauciores, modò ſatis copioſas, & valdè compactas, exuſtas, atque nigras à me obſeruatas, excernere conſueuit; atque tandem, nonnullis abhinc menſibus, purulenta quoque materia, ut plurimùm cruore tincta, ſe prodidit, & quidem ſemper duabus pręſentibus conditionibus, nempe materia mucoſa, & purulenta, fœcibus non permiſta, ſed tantùm ſuperfuſa; & nixus, ſeu egerendi conatus etiam poſt fæcum excretionem, qui vel inanis euadit, vel admodum pauca, eaque mucoſa, atque purulenta emittitur materia. Fęcum autem conditio, neque conſiſtentia, neque quantitate quicquam à conſuetudine recedit, ſed tempore tantùm peccat; quatenus ſcil. una, aut altera euacuatione educenda, ob idem irritamentum vèl pauca, in propinquiori illo loco hærentia, ad rectum inteſtinum aduocantur, & extruduntur.

Quibus à Viro Illuſtriſsimo relatis, & à nobis conſideratis, Teneſmo eundem laborare exiſtimauimus, eoque non adeò recenti, ſed qui facilè, & ferè ſtatim ab initio diarrhϾ ſucceſſit: ulcus enim non adeò leue nobis demonſtrat ſanioſæ, & purulentæ materiæ copia non exigua, licet teneſmum in principio adhuc ulcere caruiſſe, non ſit dubitandum, cùm eius eſſentia non in exulceratione, ſed in conatu illo, & indeſinenti cupiditate deijciendi ſita ſit; quia & ab intemperie, frigida quinetiam ex inſeſſu diuturno ſuper lapidem; & ex pituitæ ſalſæ adhæſu, & uermibus; quinimo & per conſenſum à propinquioribus partibus, vt à calculo in veſica, ab ulcere in collo eiuſdem, à tumore hæmorrhoidum, & uteri quoque in mulieribus ipſis excitari poteſt: Teneſmus enim nil aliud, quàm conatum ſignificat, quem Leonſceno, tenſionem vertere placuit, quaſi ita dictus à tenſione podicis, nimirùm à ſymptomate; unde Gal. [a] teneſmum definiuit, per aſſiduam deſidendi cupiditatem; ſicut Hipp. [b] quod ſit voluntas egerendi ineuitabilis; qua ratione recti inteſtini dyſenteria [c] aliàs appellatus fuit; hoc tamen diſcrimine, quod niſus [d] multò vehementiores habet ipſe Teneſmus.

a 2. Meth. 3.
b 3. de Morb. uu. 3.
c 1. in 1. Epid. 36.
d 3. de Sympt. Cau. 2.

Cuius affectus cauſa immediata, ſicut eſt expultricis facultatis irritamentum; ita caſu noſtro, mediata eſt ulcus, quo excitatur facultas expultrix à ſolo dolore ex ſolutione continui, à purulenta materia in ulcere genita inualeſcente, qui fouetur cum ulcere ipſo à materia mucoſa ſalſa, à ſuperioribus partibus defluente; quinimò & à ſtercore ipſo præterlabente; hinc Gal. [e] cum Hipp. teneſmi cauſam retulit in conditionem primò materiæ; deinde ipſius partis; materia quippe tenax, & ſalſa eſſe debet, ut diù recto inteſtino adhęrens, uel ul-

e 3. in 3. Epid. 30.

cus,

mis, vel conatum multò vehementiorem, quàm ipſius dyſenteriæ concitare poſſit; cùm in hac bilis ſtatim præterlabatur. Altera conditio eſt partis illius imbecillitas; f hinc Tarſijs Teneſmi fiebant, quia illis inteſtina imbecilliora erant. Nec difficilis fuit materiæ crudæ productio in Illuſtriſs. Viro, aſſiduis ſtudijs dedito; & vitæ proinde ſedentariæ, quæ à feruido iecore, bilioſarum ſeroſitatum feraci, facilè quoque ſalſa reddita fuit.

f 2. in 1. Epid. 7.

De hoc autem affectu licet Hipp. pronunciauerit, g lethalem non eſſe; quinimò h Celſus eundem parui fecerit, dicens, quod leuior omnibus fluxionibus ſit, nec vnquam per ſe iugulet; id tamen intelligendum, ſi ſtatim ab initio curetur, ut notauit Paul. i Quare diutius negligendus non eſt; cùm alioquin in fiſtulam ægrè ſanabilem migrare poſſit, vel corroſis fibris, in inuoluntariam fœcum deiectionem deſinat.

g 1. de morb 3. h 4. de Re med. 18. i 3. de Re Med. 41.

Pro curatione itaque, hoc Veris tempore, vniuerſalis præcedat cauta euacuatio. Secundò materiæ pituitoſæ à ventriculo, & inteſtinis diuerſio, & ablatio. Tertiò aliqua iecoris, & ſanguinis feruidioris habenda ratio. Et tandem ulcus, localibus detergentibus, ſarcoticis, cicatrizantibus, & roborantibus curetur; non neglecto interim, ſi fortè ſuboriatur, dolore.

Et quidem ex fonte Chirurgico depromenda foret aliqua ſanguinis miſſio, ex iecoraria dextera, hoc caſu, ad iecoris feruorem contemperandum, & ita facilius ad acrimoniam pituitæ demulcendam; huiuſmodi operationem minimè remorante Gal. qui in hoc affectu curando, nullam de ſanguinis miſſione mentionem fecerit; quoniam argumentum à parte negatiua non valet; quod tamen Patientis arbitrio libenter committimus; cùm hucuſque nunquam ex vena ſanguis miſſus ei fuerit.

Quare à fonte Pharmaceutico remedia deſumamus; & primò quidem Leniens, ex ſyrup. roſ. & manna clarif. vel ex caſſ. & crem. tart. paratum. Inde præparans præſcribatur ex mell. roſ. & iulap. acet. compoſitum, ſine diluto; ſex autem, aut ſeptem poſt diebus, alterum ex præſcriptis medicamentis exhibeatur.

Qua ſequuta ventriculi expiatione, eiuſdem, & inteſtinorum deterſio, atque pituitoſæ materiæ, tanquam cauſæ antecedētis, expulſio procuranda, aquis Tettucianis, tribus ſaltem vicibus repetitis, cum vehiculo deiectorio mellis roſ. fol. & quidem prima die, ad ℔ v. ſecunda, ad vi. & tertia rurſus ad v. quod genus remedij nos potiſſimum in hac curatione cenſemus.

His autem peractis, iecoris calida intemperies omnino contemperanda; cùm fœces obſeri [illegible] Capr[illegible] inſtar [illegible], ac nigras; atque adeò in hunc finem, ad vſum teneantur ſucci depur. cich. ℥ ii. quē iecori valdè pro[illegible], nec ventriculo quicquam obeſſe ſcribit k Gal. & borraginis ad ℥ i. in iure pullę cich. end. acet. borrag. viol. & hepatica alterata, in calido vſu perſiſtat ſaltem ad viginti dies; quo tempore de medicamentis purgantibus cogitandum non fuerit, cùm totum per partem affectam l citra neceſſitatem expurgare non liceat, minuſque caſu noſtro, quo ulcus exſiccare & cicatrizare intendimus. Quod ſi in progreſſu, aut fine ſuccorum, aliqua primarum uiarum euacuatio neceſſaria uiſa fuerit, alterum ex præſcriptis lenientibus repeti poterit.

k 8. per Loc. 8. l 13. Meth. 11.

Quare de topicis poſt aquæ Tettucianæ exhibitionem erit omnino cogitandum; circa quorum adminiſtrationem audiendus Gal. m qui affectis ſuperioribus, & tenuioribus inteſtinis, per aſſumpta; craſſioribus verò, & inferioribus per iniecta medelam afferri iubet; unde detergentia primò conueniunt; in quem finem Aet. n uſus eſt ptiſana diluta, cum roſis, Paulus o mulſa cum muria. Trall. p lacte, cum melle; quibus tamen præſtaret ſerum. Nos autem feliciter uti ſolemus aq. Tettuciana, cum melle roſ. ſimpl. frequenter tepida iniicienda.

m 2. ad Glauc. n. n Aet Tetr. 3. Ser 1. Cap. 44. o Paul. lib p Lib. 8. Cap 6.

Secunda intentio, deterſo ulcere, eſt eiuſdem conſolidatio, quæ fieri debet iniectis, ſuppoſitis, & appoſitis. Inter iniecta laudat Trall. q decoct. roſ. myrti, & corticum pinus. Celſus r verbenæ decoctum. Potens quinetiam eſt ſuccus plantag. cum decoct. radic. conſolidæ, cortic. pinus, & flor. roſar. Nos uerò ſæpè feliciſsimè vſi ſumus decoct. Thapſi barbati, in vino parata; necnon aqua Montis Ægrotorum dicta, in Euganeis noſtris Patauinis ſcaturiente, quæ facilè exportari poterit.

q Tral. b. r Celſ loc. citat.

Inter ſuppoſita, metallica omnia conueniunt, ut Ceruſa, Tuthia, lithargyrum; præterea bol. armena, terra lemnia, ſanguis draconis; ex quibus ſuppoſitoria parari ſolent. Verùm nos inſufflari iubemus, per cannulam repletam à famulo, vel folle paruo in hunc finem fabrefacto, cannula prius hiſce pulueribus repleta; cùm enim ulceris uera curatio ſit exſiccatio, hanc facilius à pulueribus, quàm à cæteris humidioribus medicamentis nos conſequi obſeruauimus.

Appoſita tandem ſunt ſuffitus, & inunctiones. Sic Aet. utebatur decoct. gallarum, & furfurum in aceto; extollit pariter laterem perquàm vetuſtum, & à furno denigratum, contuſum, & feruenti aceto ſubactum, linteo incluſum, & ſedi appoſitum. Nos autem mirabile experti ſumus fomentum ex decoctione verbaſci, plantaginis, nicotianæ, & verbenæ. Pro inunctione Trall. laudat unguentum ex puluere plumbi, cum ol. roſ. & cera; nos verò utimur oleo de plumbo, myrtino miſto.

[f 1. per gen. 4.] Poſtrema intentio erat partis roboratio, quæ facilis eſt. Sic Gal. [f] diachalcitidem liquefactam vino, vel aqua fabrorum immiſtam clyſtere iniecit. Celſus decoctionem Verbenæ, quæ tamen in vino efficacior.

De doloribus demulcendis nil diximus, quoniam de ijs non conqueritur Patiens; ad quos tamen, ſi opus fuerit, lac tepidum Chalybeatum inijciebat Hipp. & Celſ. ſicuti Gal. decoct. capitum papau. albi; nos lac aſininum, in quo vnguentum popul. Rom. recens fuerit diſſolutum; à quibus tamen, quantùm fieri poteſt, abſtinendum; retardant enim ulceris curationem.

[t de Aff. 37.] Victus ratio à Viris Exc. Adſtantibus erit præſcribenda; circa quam adnotare ſolet Hippoc. [t] quod morbus iſte ægrè inediam tolerat; forſan quia cibi præſentia minorem inteſtino mordacitatem inferat; quod ſano modo intelligendum, ne nimio cibo cruditates, & mucoſitates augeantur. Et hæc pro ſalute Illuſtriſs. Pat. adducta ſatis.

XCVIII.

DOLOR HÆMORRHOIDALIS.

ILluſtriſſimus, & Excellentiſſimus Eques Præfectus, de rebus omnibus nimis ſolicitus, ac proinde obſcurè melancholicus hypochondriacus; præterea Nephriticus calculoſus, inæquali intemperie donatus ſupponendus, eaque iecoris renumque feruidiori, uentriculi uerò utcunque frigida; tandem in dolorem hæmorrhoidum incidit, iis tamen non ualdè tumentibus, & cæcis potius, nec aliàs expurgari conſuetis. Qui dolor certiſſimè prouenit à prauis humoribus ad uenas ſedis tranſmiſſis, non tantùm melancholicis, ut crediſſe uiſus eſt Gal. [a] uerùm caſu præſenti bilioſis quinetiam, & pituitoſis ex Auic. [b] cum Hipp. [c] à iam dictis intemperiebus productis; quæ incrementum quoddam ſuſceperunt, à motibus tum corporis, tum animi poſtremo hoc anno, cùm Brixiam petiturus eſſet. Geniti Itaque huiuſmodi humores, tum bilioſi acres, tum melancholici craſſi, & acidi non ſine miſtione uiſcidi, & crudi, à natura [d] maſſam ſanguineam degrauare tentante, itineris etiam occaſione, non ſolùm per ramos portæ, ſed & uenæ cauæ ad ſedem transfuſi, ut extruderentur, in iiſdem tum ob eorum craſſitiem, tum ob uenarum forſan anguſtiam, & inſuetam anaſtomoſin accumulati ſunt; unde diſtendendo ſoluunt continuum, intemperiem inducunt, & ſenſorium corrumpentes dolorem neceſſariò inferunt.

[a de Atra bile 4. b 17. 3. Tr. 1. C. 2. c de hæmorrh. 1. d de Sym. diff. 6.]

Qui tamen auferri poterunt, ſi Medicus iecoris potiſſimum, & humorum feruorem, atque acrimoniam contemperet; eorundem motum auertat; mox uaſa illa corroboret. Dolores interim leniat, & meo quidem iudicio ab electiuè purgantibus abſtineat, ne magis humores exagitentur, incaleſcant, & ad partem affectam perducantur.

Aſſumat itaque Par. Excell. caſſiam, cum liquiritia; mox per xv. dies alternis diebus ſuccum mal. ad ℥ iii. in iure alterato malua, uiolis, endiuia lactuca, ſonco, & diebus intermediis ℞. ʒ ii. flor. caſſ. a qua præbendum præſcriptum ius alteratum, idque quatuor horis ante prandium. Tranſactis verò octo diebus in uſu horum alterantium, ex ſuperiori uena, matutinis horis, educatur ſanguis ad ℥ v. & ut fiat Antiſpaſis, repetatur ex eodem foramine ad quantitatem eandem, ueſpertinis horis. Tandem pergere poterit in uſu conſeruæ roſ. cum cyatho aq. cich. ad motum humorum coercendum, & refrigerandum; quod remedium & torridus æſtus poſtulabit.

Inter anodyna, primò ſedi adhibeatur fotus ex decoct. lactucæ, malu. violar. hyoſcyami,

& pa-

& papau. mox inunctio, uel iniectio ex infraſcriptis; quæ tamen uarianda, cùm quæ uni proſunt, non omnibus prodeſſe obſeruentur; quinimò nec, quod vni ſemel profuit in huiuſmodi affectu, perpetuò eidem utile ſit. Valet etiam oleum balſaminæ, & uiolac. ferueſacta in B. M. cum ſcarabeis. Oleum item Armellini ferueſactum, cum aſellis. Linaria cum axungia ſuilla, aut Vitulina, aut cum vng. roſ. Oleum buxi per deſcenſum paratum, cum ol. ſem. lini. Vnguent. popul. cum pulu. opii torrefacti. Ol. expreſſum ex ſem. frigidis papau. & hyoſcyami; præſtat & Balſamum Saturni. Pluries autem profuiſſe uidi, inſeſſum in lacte Vaccino per horam bis, & ter in die; ſicut etiam Balneum Aq. dulcis alteratæ maluis, uiolis, lactuca; quod tenibus quoque, & vniuerſo corpori prodeſſe poterit.

Doloribus autem remiſſis, exſiccandum fuerit, ut pars roboretur, quod præſtabitur, balſamo ſulphuris; mox infuſ. roſar. ſolut. cum aqua aluminoſa; imò & ſpatula ferrea ignita prope ſedem admota.

Victus ratio ſit refrigerans, humectans, & potius incraſſans; meliora ſiquidem in præſens non ſuppetunt, pro ſalute Illuſtriſ. & Excellentiſ. Patientis; quod ſi quis flos delituerit inter ſpinas, excerpatur à Viro Excellentiſſimo Adſtanti, qui ueluti Apis mellificare poterit.

XCIX.

HÆMORRHOIDALIS FLVXVS.

CVm ignis propria ſit calefactio, & aduſtio, nil mirum, ſi à febre birioſa, quæ ignis ab Hippocr. vocatur, qua laborauit Illuſtiſ. hic Pat. totum non ſolùm incaluerit, verùm exuſtio quædam ſequuta fuerit, quam poſtea natura per vias hæmorrhoidales, ſibi antea familiares, ratione habitus eiuſdem melancholici excernere conata ſit; quæ quidem euacuatio, tempeſtiuè [a] facta præter naturam non eſt; cùm ſcil. quod contriſtat ab eadem excernitur; at ſi contingat, vt perſæpè fit, & modò in hoc Nob. Pat. progreſſu temporis excerni ſanguinem probum, uitæ theſaurum, à quo vires proſternantur, & vitæ periculum impendeat, tunc intempeſtiuam, & præter naturam euadere neceſſe eſt; licet enim naturæ ſcopus ſit expellere tantùm noxium; attamen attenuato ſanguine, & irritata natura, uaſis ſedis laxioribus patefactis, & calloſioribus redditis, probus etiam effluit ſanguis, qui proinde integram ſuppreſſionem poſtulat. Neque audiendi, qui vèl in extremo vitæ periculo, ſupprimendo ſanguini mitioribus adſtringentibus utuntur, quod ſcil. vnam cum Hipp. [b] adapertam ſeruandã contendant; confundunt ſiquidem abſolutam hæmorrhoidum ſanationem (ait enim Hipp. *Sanato*) cum integra, & ſubitanea ſanguinis ſuppreſſione, omnino neceſſaria, ut miſeri ægri inſtaurari, & reſtitui poſſint; præterquamquod tunc intelligendus Hipp. de perfecta extirpatione hæmorrhoidum chirurgicè facta; quam docet Lib. de hæmorrhoidibus; [c] quo caſu etiam non deſunt contentiones, utrum ſcil. omnes ſint extirpandę, uel vna adaperta ſeruanda. Ego ſiquidem cum illis ſentio, qui omnes cenſent extirpandas. Primò quia ſæpiſſimè ex aliqua earum immodicum manat ſanguinis profluuium, quæ ſola ſi patens ſeruaretur, æger præſens vitæ diſcrimen ſubiret. Secundò quia Hipp. Lib. de Hæmorrhoid. expreſſis verbis præcipit, omnes exurendas eſſe, nec ullam abſque vſtione dimittendam. Hinc Aet. [d] interpretatus Aphoriſmum Hipp. ait. *Hæmorrhoidas ſananti inueteratas, ſi non aſſeruetur, periculum eſt hydropis, aut tabis.* A quibus tamen præſeruatio, iuxta illum obtinetur ſanguinis miſſione, recta victus ratione, & exercitio. Vnde & Celſus [e] ait quod, *Ablata multa exercitatione, & ſanguinis miſſione egent.* Et quidem reuera, dum ait Hipp. *Sanato*, ait Aet. *Sanatio eſt perfecta liberatio, & legitima curatio.* Nos itaque concludamus, quod in huiuſmodi ſanguinis profluuijs, ſatius ſit euidentiſſimum periculum præſens euitare, ſanguine omnino ſuppreſſo, quàm mala formidare, quæ multò poſt forſan ſuperuenire poſſent; quæ mox etiam euitari ſolent ſanguinis miſſione, recta uictus ratione, & exercitiis.

Pro virili itaque, & nullo metu, præſenti caſu, ſupprimenda huiuſmodi ſanguinis euacua-

[a] de Symp. Diff. 6.

[b] 6. Aph. 12.

[c] de Hæmorrhoid. 1.

[d] Tetr. 4. Ser. 2. Ca. 5

[e] 6. de Re Med. 15.

euacuatio; cùm ſit præter naturam, ne in prauum totius habitum perducatur Patiens.

Hoc autem fiet, ſanguinem diuertendo à uaſis; & uaſa ipſa occludendo. Primo quidem ſatisfiet reuellendo, incraſſando, & refrigerando. Secundo exſiccando, & adſtringendo: Atque cùm fuerit iam ſanguis extractus, niſi copioſum profluuium perdurauerit, nouæ eiuſdem miſſione ſuperſederem; ſin minus, a vena brachii parcius educerem, maioris reuulſionis gratia. Cucurbitulis uerò hypochondriis applicitis inſiſterem; ſicut in lotionibus manuum calidiſſimis, & validis vinculis.

Pluries autem lenita fuit aluus, euacuati feroſi, & acres humores; unde in poſterum ſola caſſia, cum pulp. tamarind. uti poſſumus; cùm cætera medicamenta à ſanguine ex ſede vberius profuſo interdicantur, f quæ equidem ſemper mala. Quare refrigerandum incraſſandum, & quoquo pacto adſtringendum; in quem finem ex uſu erit ſummo mane ius alteratum plantagine, polygono, portulaca, roſis, myrto, acetoſa, & acido citri; ſyrup. item myrtinus, & de cydoniis; præſumendo bolum ex troch. de Charabe, de ſpodio, & pulu. terræ ſigil. ueræ, quibus tamen præſtantius ſer. capr. Chalyb. præmiſſo bolo ex diatragacantho frigido, cum bolo armena. Optima tandem aqua plantagin. ad cyathum cum gutt. x tinct. corall. chymicè extractæ; cuius aquæ loco præberi poteſt tinctura roſar. additis gutt. prædictæ tinct. corall. rub. Conſerua item roſ. antiqua cum pulu. terræ ſigil. corall. rub. lapide hæmatite hora ante prandium, & cœnam exhiberi poterit. Quæ intrinſecus pro curatione abundè. Pro præſeruatione ſiquidem efficacia erunt ius alteratum lentiſco, & ſantalo, uſus lactis, conſ. roſ. Chalybeata, & alia de quibus aliàs.

f 4. Acut. 115.

Extrinſecus uerò folia uerbaſci, & plantaginis contuſa, & applicata. Optimus item inſeſſus in aqua, cum alumine, & aceto; in qua ebullierit ſcoria ferri, vel in aqua fabrorum. Eximium quinetiam remedium eſt puluis chalcanthi vſti, cum albumine oui, uel cum toto ouo. Quibus non ſufficientibus, ad ignem confugiendum, ferrum ſcilicet ignitum, immiſſum intra cannulam multis foraminibus peruiam; g quod genus remedii eſt Hippocrat. de hæmorthoid. quo nos quoque frequentiſſimè vſi ſumus in plurimis feliciſſimo ſucceſſu; exſiccat enim magnoperè partes illas laxas humidiores, & roborat.

g de Hæmorthoid. 2.

Victus ratio ſit refrigerans, & incraſſans; ex capite ſcilicet, & pedibus uituli, oryza, ptiſana, in qua diſſoluantur tres, aut quatuor rotulæ diacodij, rec. ouis recentibus ſtatim ſine coctura abſorptis. Condiantur cibi agreſta. Vina ſint adſtringentia, & quidem Chalybeata. In probandis verò à te doctiſſimè ſcriptis, Vir præclariſſime, prolixior ſi tibi forſan uiſus fuero, excuſatum habeas, cùm in re controuerſa tanti momenti, ut ſcis, Vulgus medicorum decipi ut plurimum ſoleat; ſententia namque Hippocr. (*Quod vna feruetur*) non benè intellecta, uel uſurpata, plurimos miſerrimè perdit; unde fit ut maiori nocumento, quàm iuuamento patientibus cedat. Vale diutiſſimè, & me, quod facis, amare pergas.

H Æ

C.

HÆMORRHOIDES NVM

ex toto ſuppriınendæ.

QVæ ſalubertimæ tutelæ (Vir perilluſtris, & Exc.) committere Virum
præclarum, ingenuum, eruditiſſimum non metuam; eſt enim omni
beneficio, & honore dignus, quem à tuis moribus, animiq; præcla-
ris dotibus omnino non alienum expertus fui, qui à vita otioſa ab-
horrens, omnibus ferè Sereniſs. Dominij Vrbibus perluſtratis, & in
iiſdem Iudicis officio functus, Excell. tandem Summi exercitus Præ-
fecti Auditor electus fuit; imò & nunc, ut animo otium excutiat, &
corpus quiete leuet, Vicarij dignitatem ſuſcepit. Hic igitur ſuperio-
ribus annis valetudinarius vixit, dum ſedulò operam dedit ſtudijs, &
vitam negotijs grauioribus implicitam hucuſque tranſegit; unde neceſſariò & ventricu-
lum debilitauit, & hepatis calorem adauxit, à quibus intemperiebus crudorum, & melan-
cholicorum humorum prouentus ſubortus eſt; quos natura ad venas ſedis tandem detru-
ſit, & fluxum hæmorrhoidalem, duodecim iam annis manantem, moderatum licet, excita-
uit, cuius cauſa à quodam conſueto capitis dolore melius habuiſſe ſibi viſus eſt; non ta-
men ſine accommodatiori, quàm antea victus ratione. Modò quatuor abhinc annis im-
moderatior factus eſt præfatus fluxus; adeò ut non modò id, quod [a] moleſtat, excernatur, a de Symp. Diff. 6.
ſed ipſe quoque ſanguis probus, vitæ theſaurus, cuius effluxum natiui caloris debilitas,
imminutæ, & deprauatæ coctiones, & nutritiones ſubſecutæ ſunt; vnde inſigni totius
imbecillitate, macie inſueta, & totius colore vitiato laborauit; quorum cauſa me tandem
ſummum amicum ſupplex conſuluit; qui quoniam fluxum huiuſmodi intempeſtiuum, &
immoderatũ, ac proinde [b] præter naturam iudicaui, eiuſdem ſuppreſſionem molitus ſum; fa- b Ibid.
bulis Medicorum illorum ſpretis, qui huic profluuio modum ſe ſtatuere poſſe dictitant;
quaſi pro arbitrio, & cùm opus fuerit, eundem excitare & ſupprimere, penes eoſdem ſit; dum
interim miſeros ægros in Cachexias, Atrophias, hydropes, & interitum præcipitant. Nec
minus deridendi, qui Hippocraticum, aut Galenicum dogma tueri ſibi perſuadentes, non
melancholici, & craſſi ſanguinis ſolùm, in cuius gratiam ab initio natura excitare ſo-
let hæmorrhoides, ſed probi quoque effluxum permittunt, prout progreſſu tempo-
ris ſæpiſsimè contingit, imò ſemper, præterquam in paucis, qui ſtatis temporibus
moderatè per venas ſedis expurgantur, & à quamplurimis morbis ab Hippocrat. enu-
meratis præſeruantur, & vindicantur. Alii quinetiam ineptè Hippocratem interpreta-
ti ſunt, qui inueteratam huiuſmodi affectionem Chirurgica manu ſanare volentibus,
vnam [c] adapertam ſeruandam præcipere uidetur in Aphoriſmis (quod tamen non c 6. Aph. 12.
facit [d] Lib. de Hæmorroidibus) unde ſuſpecta habent reuellentia, incraſſantia; & ad- d de Hæmorrhoid. 1.
ſtringentia; quaſi facillimam putent huius euacuationis ſuppreſſionem. Ego verò cùm
validis præſidijs parum, leuioribus verò nihil me profeciſſe, in praxi obſeruauerim, om-
nem medicamentorum apparatum ſuppreſſioni eiuſdem adhibeo, dummodo tamen non
ſit moderata, periodica, & ſanguinis craſſioris, ac melancholici, quæ ægris mole-
ſta non eſt, cùm leuamen potius, quàm detrimentum ex illa percipiant. Cuius præſtan-
tiſſimæ doctrinæ, non me, ſed Gal. [e] auctorem exhibeo, dum ait, *Sanguis ſupra qualiſ-* e 4. Aph. 25.
cunque fuerit, malum; infra verò per hæmorrhoidas, bonum; quando nigra euacuantur, hoc eſt,
cùm natura nigrum ſanguinem accumulauerit; alioqnin non eſt aſſuefaciendum ei, quæ fit per hæ-
morrhoidas, euacuationi, vt quæ periculoſam habeat vtramque immoderantiam, ſiue ſupra mo-
dum ſanguis excernatur, ſiue ex toto ſupprimatur. Hæc Galenus. In caſu itaque noſtro, quia
ſan-

ſanguinis excretio fuit immoderata, non periodica, & probi ſanguinis, integram ſuppreſſionem indicare exiſtimo; præſertim verò, cùm, ea cohibita, Patiens vires, & carnem inſtaurari ſibi affirmet; quæ tutius in poſterum paulatim, non ſubitò tentari poterit.

Nec nos deterreat mala fortaſſe imminentia, aut potius præſentia, & proxima; namque præterquamquod probus ſanguis cohibitus in corpore non plethorico, mala producere nequit; habemus etiam ex Aetio [f] præſeruans, & accommodatiſſimum clypeum, quem libentiſſimè & facillimè Pat. noſter geſtabit.

Tria autem præſtari ſolent à Gal. [g] Auocat enim ſanguinem à parte; inde ora vaſorum occludit; & tertium, quod tutiſſimum vocat, utroque conſtat. Contemperetur itaque Iecoris intemperies calida, & laxiores ſedis partes roborentur, & occludantur, habita totius prouidentia. Fluens autem ſanguis bilioſus, & ſeroſus reuellatur, deriuetur, auertatur, incraſſetur. Nec obſtent, hoc tempore, exiguæ obſtructiones, quas ſemper fouebit imbecillitas caloris natiui, quæ neceſſariò ſanguinis effuſionem ſequetur. Quę omnia Chirurgia, Pharmacia, & Diæta pręſtabunt.

f Tetr. 4. Ser 3. C. 5.
g 5. Meth. 5.

Vere autem, & Autumno parcam ſanguinis miſſionem laudo, ex ſaluatella pręſeruationis cauſa, necnon baſilica, & communi pro curatione. Cucurbitulas quoque hypochondriis, uigente fluxione, non improbo. Sicut & ligaturas fortes brachiorum, & manuum lotiones calidas. Et licet, ex Aetio, [h] compendiaria curatio ſit Chirurgica, ab Hippocr. Lib. de Hæmorrhoidibus [i] deſcripta, ferramentis ſcilicet igniitis, qui omnes exurendas iubet, nec ullam ſine vſtione ſinendam; attamen nos, cum eodem Hippocr. docente, quod, *Morbos, quos medicamentum non ſanat, ferrum ſanat, & quos ferrum non ſanat, ignis ſanat*; poſtremò, & cęteris non ſufficientibus ad ea confugiemus. Interim tamen laxitas uenarum ſedis mirè exſiccabitur, candenti ferro propius, & frequenter illi admoto.

h Ibid.
i De Hæmorrhoid. 1.

Eodem verò tempore leues laudo purgationes, omiſſis omnino purgantibus medicamentis, [k] ab Auctoribus propoſitis; dum falſis innixi fundamentis, melancholicum, & atrum ſanguinem expurgare contendunt, ne ad venas ſedis detrudatur; non animaduertentes, quod calefactione, agitatione, & motu violento purgantium medicamentorum, effluxum, quem euitare intendunt, excitant potius, & quod grauius, non atri, ſed probi ſanguinis. Procul ergo purgantia, & ſola Caſſia ſat nobis ſit, vel cum portiuncula myrobal. addito ſecunda vice lenitiuo. Solet præterea in hunc uſum, vſurpari pulpa tamarind.; quę tamen, quia dolores excitat, quos ſequi ſolet deſidendi cupiditas, nec obſtructionibus prodeſt, ſuſpecta; neque Potiones ex ſyrupo roſ. viol. ſolutiuo, quia nimio impetu ducunt humores ad locum affectum, ſuſpicione vacant.

k 4. Acut. 115.

Præparantia erunt decoctio cichor. meliſſę, bugloſſi, ſonci, plantag. acetoſæ, polygoni, portulacæ, citri, cum portione ſucci cichorii, plantaginis, millefolij depurat. Mirabile verò, ſub finem Veris, erit ſer. capr. optimè depurat. & Chalybeatum; ut tandem plures hebdomadas mane, de more, ſumat ius lentiſco, & ſantalo rubro, aut albo alteratum. Optimum quoque, urgente fluxu, diatragacanthum cum bolo. Conſerua item roſar. antiqua cum Chalybe, & puluer. abſinth. pontici. De Balneo autem, & uſu lactis, alio tempore opportunius deliberabimus. Extrinſecus præ cæteris experimento præſtantior à Nobiliſsimo Patiente fuit obſeruatus Fotus ex decoct. roſar. plantaginis, balauſt. cortic. granatorum, myrti, gallarum, ſedi ſpongia ea imbuta frequenter admotus; qui adhuc efficacior reddetur, addito acaciæ ſucco, atque ualidior quinetiam futurus cum portiuncula aluminis crudi. Puluis item Galeni ex thure, aloe, pilis leporinis, uel ex ſe, uel cum albo oui. Mirabilis eſt puluis chalcanthi uſt. cum albo oui. Magiſt. Topazii, Tinctura corallorum. Topazium, & radicem plantaginis in manu geſtet. Quæ omnia niſi ſufficiant, ante ferri, & ignis actualis vſum, potentialem potius eligerem hoc caſu, quo Hęmorrhoides non admodum tument. Puluerem itaque ab Hippocrate deſcriptum, Lib. de Hęmorrhoidibus, experiri è re ducerem ex myrrha, Galla, alumine, & melanteria, uel Calcithide; quo profitetur, hæmorrhoides, veluti corium combuſtum excidere ſine dolore.

Congrua viuendi ratio erit omnino neceſſaria, tum pro curatione præſentis affectus; tum pro pręſeruatione ab imminentibus, ex Aetio. Ideo cibi probum generent ſanguinem

nem, ſintque adſtringentes potius, & incraſſantes. Vt ius pullę, Vina adſtringentia, imò lentiſco, & ſantalo medicata; omnia tamen Chalybeata. Habeat in uſu caſſiam, & paſſulas. Vitanda nimia exercitatio, & omnes vehementes animi motus.

Tu verò, Eruditiſſime Vir, prolixitati meę parcas, uelim; ad quam me compulit intenſus Amor, quo te optimum Amicum proſequor.

A te interim iterum, atque iterum peto, ut me amare pergas. Vale quam diutiſſimè.

Finis Secundæ Centuriæ.

CON-

Digitized by Google

Digitized by Google

CONSVLTATIONVM, ET RESPONSIONVM MEDIC. CENTVRIA III. RAYMVNDI IO: FORTIS VERONENSIS.

AFFECTVS HYPOCHONDRIACVS Legitimus.

FLatulenta, & hypochondriaca affectione diuexari egregium Patientem, ex ſcheda, luce meridiana clarius conſtat, ſi ventris diſtenſiones[a], anxietates etiam quandoque moleſtas, hypochondriorum rugitus, inflationes, flatus, & quotidianos, aut ſaltem frequentes vomitus conſideremus, quam & ptyaliſmus confirmat, qui hæc omnia ſymptomata præceſſit. Et quoniam dyſpepſiam potius, quàm bradypepſiam prædictis accedere obſeruamus, totiuſq; corporis temperamentum antehac calidum, & humidum; nunc vero ad melancholicum uergens, ideo hypochondriacę huic affectioni legitimæ melancholicam quoque adiungi, aut præ foribus eſſe cenſemus; licet de inſueto timore nulla mentio facta fuerit.

a 3. de loc. Aff. 7.

In hac autem affectione ventriculum perpetuò lædi, tradidit Gal. 3 illo de Loc. Affect. 7. ex Dioclis ſententia, quinimò docet quotidiana experientia; cuius tamen læſio, præſertim caſu noſtro, non idiopathica, ſed ſympathica potius cenſetur; unde idem Gal. b nos monuit, ut coctione in ventriculo laborante, ſtatim conſideremus circunſitas eidem partes, nimirum iecur, lienem, meſenterium, omentum, & cæteras, antequam in ventriculum ipſum culpam referamus: ſępiſſimè namque fit, & potiſſimum in hoc affectu ſemper, ut ventriculus priuatiuè, non poſitiuè afficiatur à circunfuſo feruidiori, & extraneo, tum hepatis, tum hypochondriorum calore, propter obſtructiones infarctas, à venis lacteis ad meſentericas tandem propagatas, non ſolùm ex cruditatibus; verùm & ex craſſo ſanguine, ut præſenti caſu, quo phlogoſin ſub pyloro adeſſe putamus, à qua in ventriculi fundum diffunditur calor, coctionibus improportionatus, qui proinde alimenta non concoquens, ſed corrumpens in nidorulentam, & peregrinam qualitatem conuertit, ob quam

b 3 de loc. Aff. 4.

concoctioni omnino inepta, tanquam onus inutile, etiam à facultate expultrice, ab acido quandoque irritata, per vomitum excernuntur; unde iuxta Gal.[c] monitum, ſicut anxietas à cibo, ita leuamen à vomitu Patienti contingit.

c 4 de Sanit. Tue. 1. & 6 de San. Tu 7

Neque corruptioni huic nidorulentæ aduerſantur crudæ, & viſcidæ materiæ, bilioſis, atque amaris commiſtæ; quia cuiuſcunque læſæ ventriculi concoctionis finis, & effectus eſt cruditas; minuſque repugnat aciditas, cùm plerumque à calore procedat ex Trall.[d] dum inuehitur contra Medicos, aciditatem frigiditati perpetuò adſcribentes, aceti exemplo adducto. Quinimò & atra bilis acidiſſima, terram corrodens, atque fermentans, licet frigida, calidam tamen, imò exurentem cauſam, acoris ratione, cognoſcit; ſic acetum frigiditatem, qua pollet, ſoli calori debet.

d Lib. 12. Cap 1.

Affectus hic equidem difficilis ſanationis eſt, imò impoſſibilis, iuxta Medicos vulgares, quæ tamen difficultas augetur ſępius à medicis perperam eundem curantibus, & deprauatam huiuſmodi concoctionem, pro imminuta habentibus, ventriculoque tanquam frigida intęmperie poſitiuè laboranti proſpicientibus. Attamen, cùm recens ſit, nec adhuc ſemeſtre tempus attigerit, priſtinæ ſalutis aliqua ſpes concipienda.

Et quidem primò primarum viarum expiatione. Secundò obſtructionum reſeratione. Tertiò caloris iecoris, & hypochondriorum commoderatione. Quartò aliqua, ſed leui, & cauta ventriculi roboratione. Quibus intentionibus ſtatim ſatisfacere conandum, remedijs Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

Ex Pharmaceutico, Lenita aluo caſs. lenit. cum tart. quinque continuis diebus præparentur cruditates primæ regioni infarctæ, hac ratione. ℞. iulap. acet. & aq. tot. citri an. ℥ ii. pollinis crem. tart. ʒ ii. m. pro ſyr. & ſic pro aliis. Inde expurgentur præparati humores ita. ℞. ſyr. roſ. ſolut. mellis roſ. ſolut. mannæ electæ an. ℥ ij. aq. flor. citri par. m. f. p. Vel. ℞. flor. caſs. rec. extr. ℥. ſ. elect. lenit. diacath. an. ʒ iij. m. f. b. quibus ſuperbibat ſeri depur. ℔ ii. Hinc deueniendum ad vias obſtructas aperiendas; in quem finem ſuccorum uſus aptiſſimus quidem foret, niſi herbarum ab æſtiuo feruore humida qualitate, atque ſubſtantia exhauſta, terream induiſſent; ideo illis ſubſtituantur aq. ſtillat. ex iiſdem ſuccis, ita. ℞. aq. ſtillat. de ſucco cich. borrag. agrim. an. ℥ iij. tart. vitriol. gr. vi. m. pro ſyr. & ſic pro alijs. A calidioribus enim, magiſque exſiccantibus abſtinendum; quoniam obſtructiones iam terreæ, & exuſtæ ſunt; à dulcibus quinetiam, utpote viſcera inflantibus, facilè bileſcentibus, & parum, aut nihil phlogoſi accommodatis. Sequenti verò die, ſummo mane, præbeatur caſſia, ad ʒ iii. cui hora poſt ſuperbibat ius endiuia, & malua alteratum, tribuſque horis ab eo prandeat; atque ita pergendum xx. dies, in alternato uſu aquarum præſcriptarum, & caſſiæ.

Quibus tranſactis, ſerum copioſum, ad ℔ iv. vel v. tribus, aut quatuor vicibus, tertio quoque die, erit exhibendum, cum vehiculo deiectorio ſyr. roſ. ſolut. aut mannæ clarif. ut phlogoſis. & iecoris, atque hypochondriorum æſtus contemperetur. Lac verò aſininum ab his omnino ad xxxx. dies exhibendum, ut corruptioni nidoroſæ, remiſſo calore, cõtrarium. Quibus addi quoq; poſſet Balneum aq. dulcis, ſi illud anni tempus admitteret. Subſtituatur igitur epithema iecoris, ex ſucco cich. addito ſucco lim. & aceto roſ. prout & toti abdomini, ipſique ventriculo illitus quotidiani, vnguento roſ. Meſ. conueniunt.

Tandem ventriculus roborari poterit, ſtatim à cibo, deglutitis duobus, aut tribus granis maſtic. integris, vel pil. ex ℈ i. ſucci abſinth. condenſati.

Victus autem ratio ſit accurata, humectans, parum calefaciens, optimi ſucci, facilis concoctionis, memoria recolendo, quod Gal.[d] incipientes hos affectus, euchymo victu humectante, & Balneo curare, & ſanare conſueuit. Compotationes, comeſſationes intempeſtiuas euitet. Ab applicationibus animum auertat, amicorum conuerſationes quærat, & alacri animo viuat.

d 3 de Loc. Aff 7.

AFFE-

II.

HYPOCHONDRIACA. AFFECTIO.

FLatulento affectu, ſiue hypochondriaco teneri Adm. Reuer. Patientem, adeò manifeſtum eſt, ut probatione opus non ſit, licet dubitari poſſit, num huic melancholica quoque accedat affectio; cùm in eo non adſint perpetuò ſigna pathognomonica, timor, & mœror [a], melancholiæ genuini characteres, quandoque tamen nimis [b] ſolicitus ſit de rebus propriis, & de ſanitate potiſſimùm, cuius cauſa moroſum quodammodo ſe exhibeat. Obſtructiones autem, meſenterii potiſſimùm, mox & lienis, ſunt huiuſmodi affectus cauſa; quæ utpote inductæ non à ſanguine craſſo, & melancholico in uenis ſub pyloro, uerùm à uiſcida, craſſaque materia in uentriculo genita, & temporis proceſſu à iecore exſiccata, in dictis locis ſtabulante, non ueram, & legitimam melancholiam hypochondriacam; uerùm potius hypochondriacum affectum produxere; qui licet ex ſe inſanabilis non ſit, prout vera melancholia hypochondriaca confirmata; attamen quia & conſummatus, & in ſene, ſolam imminutionē, & remiſſionem, & à grauiori malo præſeruationem admiſſurus eſt, idoneo anni tempore leniter, & per Epicraſin euacuando, calidis, & humidis alterando, leuioribus deobſtruendo; & tandem ventriculi robur conſeruando, & Iecoris feruorem contemperando.

a 6. Aph. 23.
b 3. in 3. Epid 22.

Aluo itaque lenita, libenter venam ſiniſtri cubiti tunderem, & ad ſex vncias circiter ſanguinem educerem. Præterea euacuatio [c] hæmorrhoidalis ſemper profuiſſe obſeruata eſt; prout & cauterium in coxa ſiniſtra.

c 6. Aph. 11.

Leniatur autem aluus fl. caſ. lenit. & crem. tart. Præparatio fiat quinque dies tali ſyr. ℞. iulap. acet. alterati cortic. citri ℥ iii. aq. cinnam. ℥ ſ. m. pro vna vice, & ſic pro aliis.

Expurgentur humores præſcripto medicamēto, addito ℈ i. ſpoc. hieræ, à quo tamen hora poſt bibat Patiens iuſculum hordeo alteratum. Secunda præparatio peragenda iulap. acet. ſyr. de ſucco borrag. de pomis, de ibiſco, cum decoct. cichor. borrag. endiu. meliſ. malu. cetrach. quam huiuſmodi ſequatur expurgatio. ℞. elect. lenit. ℥ i. pil. de trib. cum rhab. ʒ i. m. ref. b. quibus hora poſt ſuperbibat ℔ i. ſeri depur. & tribus poſt horis prandeat. Poſt hæc leniter tali pacto deobſtruendum; infundatur per horas xii. ʒ i. rhabarb. opt. in iure alterato borrag. malu. & cort. citri, quod aſſumat Nobil. Pat. in aurora; ſicque quotidie xv. aut xx. dies; quo medicamento ad vias vrinæ uergente, ei addi poterit ſyr. de ſucco limon. ad ℥ ii. Poſt hæc peropportunus erit uſus lactis aſinini, vel caprini; ſicut & balneum aquæ [d] dulcis, calidioribus temporibus uſurpandum.

d 3. de Loc. Aff. 7.

Congrua victus ratio iam dictis intentionibus proportione reſpondere debet; & interim ventriculo ceratum ex ſolo maſtiche, & cera apponatur, & à cœna abſinthium ſumat; uel ad flatus diſcutiendos confec. aniſ. fœniculi, cinnam. nec ultra. Familiarem uerò habebit caſſiam, ad ʒ ii. uel iii. uitatis potiſſimùm nimis calefacientibus, & exſiccantibus; atque alacriter uiuat.

III.

AFFECTIO HYPOCHONDRIACA.

HYpochondriaco Affectu detineri Nob. Virum pro comperto habendum, flatibus enim abundant ipſius hypochondria, à quibus exhalationes ſurſum efferuntur, caput grauantes, & ſpiritus quodammodo perturbantes; quæ per arterias cor petentes, tremorem eiuſdem, & animi conſternationem inducunt. Accedit præterea æſtus circa præcordia, & præſertim in uentriculo, inſignis ab eodem perceptus, qui duabus, uel tribus horis ab aſſumpto cibo magis inualeſcit, tum quia natiuus calor ad coctiones obeundas tunc temporis eò confluit, & potiſſimum noctu, eodem in lecto decumbente; tum quia difficilis redditur ipſius chyli effluxus, vt notauit Gal.[a] qui ideo dicebat, quod, *Plus caloris ineſt illis venis, quæ alimentum è ventriculo excipiunt*. Sed præterea obſtructiones quoque tactui in illa regione manifeſtæ percipiuntur, quæ primam duxerunt originem à cruditatibus in uentriculo genitis, ob diſtractionem natiui caloris ab eodem, propter inſignes animi curas, & ſtudia; quæ tamen, temporis proceſſu, à iecoris calore exſiccatæ, & terreæ redditæ, non uaporum, ſed exhalationum munera factæ fuerunt, à quibus iam dicta omnia ſymptomata promanarunt; quæ quoniam nonnihil naturam melancholicam redolere videntur, ut ex ſpirituum animalium obtenebratione, cordis tremore, atque conſternatione facilè colligere eſt, ideo ſanguinis quoque in ramis meſentericis concluſi aliquam aduſtionem adeſſe, iure merito ſtatui poteſt; quæ tamen melancholica accidentia, grauia adeò non ſunt, ut à toto conſenſum admittant.

[a] 3. de loc. Aff. 7.

Verùm ne hic affectus grauius inualeſcat, prout tribus abhinc annis ſemper obſeruauit Nob. Pat. ad nos confugit; ſiquidem confirmatus[b] medentis manum reſpuit. Quare commodiori ſtatui adipiſcendo, curatio erit in præſens à nobis inſtituenda; Autumni verò tempore peragenda, ut poſtmodum futuro Vere altera pariter à nobis præſcribenda, affectus funditus extirpetur.

[b] de Melſe- ch. ex G. R. & P.

Itaque primò Ventriculus, & inteſtina excrementis mundanda. Secundò obſtructiones aperiendæ. Tertiò iecoris calida intemperies corrigenda. Quartò, & vltimò partes affectæ roborandæ.

Et à Chirurgico fonte repetita deſumenda ſanguinis miſſio, ex iecoraria dextera nimirum, & ex venis ſedalibus, hirudinibus applicitis; cõueniunt præterea omnia genera reuulſionum, & potiſſimum ante cœnam lotiones pedum aqua calente. Cauteria uerò mittimus, tanquam remedium exoſum, nec à morbi magnitudine indicatum.

Ex Pharmaceutico penu depromenda Lenientia, ex ſyr. roſ. ſolut. & de polyp. Inde præparandi crudi humores, in primis viis forſan ſtabulantes, iulap. acet. ad ℥ iii. cortic. citr. aut cinnam. aromatiz. quinque verò poſt diebus, repetatur euacuatio iam præſcripto medicamento. Inde ad aperientia erit deueniendum, quæ ita parari poterunt. ℞. ſucc. dep. cich. borrag. an. ℥ i. ſ. decoct. cich. borrag. malu. endiuiæ, agrim. ℥ iiii. tart. vitriol. gr. vi. m. pro ſyr. & ſic pro aliis ſeptem. Quibus ſuccedat euacuatio, ita tentanda. ℞. rhab. opt. maturi ʒ i. ſ. fol. ſennæ rec. ʒ ii. cinnam. integri ʒ ſ. aq. agrim. q. ſ. m. f. inf. per hor. 12. & facta expreſs. colat. adde ſyr. roſ. ſolut. ℥ iii. de polyp. ℥ ii. aq. flor. citri par. m. f. p. b. & tribus horis ab ea, bibat ſeri caprin. aut aſinin. depurat. ℔ ii. duabus verò poſt horis, prandeat.

Ita ſat quidem corpus expurgatum eſſe poterit, licet non omnino obſtructiones expeditę; ſpatio enim trium annorum firmæ, atque rebelles redditæ ſunt. Quare quindecim dies infraſcripto ordine procedat. Poſtero die ab aſſumpto medicamento ſumat hunc ſyrup. ℞. ſucc. depur. cich. borrag. agrim. an. ℥ i. decoct. cich. borrag. malu. end. pentaphylli ℥ iiii. m. pro ſyr. Die verò ſequenti ſummo mane, quatuor ſaltem horis ante cibum ſumat rhab. hac formula. ℞. rhab. optimi ʒ ſ. flor. caſs. rec. ʒ ii. m. f. bol. & hora una ab us, bibat libram ſeri aſin. depur. tribus uerò horis ab eo, prandeat; & interim hoc tempore

cor-

Digitized by Google

corpus exerceat; mox die ſequenti ſumat ſuccos iam dictos eodem modo; & rurſus altera die rhab. cum ſero, prædicto modo, his ſic alternatis uſque ad dies 15, uel 20. Quibus exactis ad corrigendum hypochondriorum, & iecoris feruorem, totidem dies bibat mane cyathum aq. de ſucco cich. deſtill. cum conſerua de acido citri, uel ſyr. de ſucco lim. quibus autumnalis purgatio perficietur.

Verùm iam dictis addenda congrua victus ratio, abſtinendo omnino à carne bubula, ſuilla, à Caſeo, leguminibus, laganis, condimentis aromatum, allii, caparum, agreſtæ, aurantiorum, aceti; à uinis generoſis, dulcibus, & auſteris. Vinum autem ſit tenuis potius ſubſtantiæ, non tamen adeò aquoſum. Somnus conceditur conſuetus. Exercitium fiat ante cibum. Ab intenſioribus ſtudiis, quantum fieri poteſt, abſtineat, & potiſſimùm ab aſſumpto cibo; ac tandem hilaritari ſtudeat.

IV.

HYPOCHONDRIACVS AFFECTVS.

PRæſens affectus, de quo, potiſſimùm conqueritur Adm. Reuerend. Pat. hypochondriacus omnino eſt; licet non adeò certo indicio melancholiam ei adiungi ex ſcheda colligere poſſim; cum de timore, mœrore, ſolicitudinibus, & aliis huiuſmodi melancholicis ſymptomatibus nulla fiat mentio. Et quanquam difficultas in operationibus iam eidem frequenter moleſta fuerit, hæc tamen poſtea Chinæ decocto remiſſa, in præſens ope medica non indiget. Tenſiones uerò utriuſque hypochondrii, & potiſſimùm ſiniſtri, hypochondriacæ affectionis mineram produnt, vbi obſtructiones ſaltem, niſi tumores deliteſcunt, ab humoribus ſcil. crudis, atque pituitoſis, ex imperfecta uentriculi coctione olim progenitis, qui diutius concluſi in uenis, non modò eorundem viſcerum, uerùm & ipſis lacteis, à calore iecoris & circumpoſitarum partium exſiccati, craſſam, & aduſtam conditionem adepti ſunt, à quibus eleuatæ exhalationes fuliginoſæ, ſeptum diſtendentes pectoris anguſtiam; à ſiene uerò per arterias, & potiſſimum à uenis lacteis per ductum thoracicum in cor ſe inſinuantes, cordis tremorem, & legitimam aliquando palpitationem inducere ſolent. Et quoniam ex prædictis hypochondriorum inculcatis humoribus, calor natiuus intenſior neceſſariò fit, qui concoctionibus improportionatus uentriculum afficit, & coctiones turbat; hinc eſt, quod noua gignitur ſemper cruditatum ſoboles, & pituitoſæ materiæ, quæ licet frigida, calori tamen ſui ortum debet.

Quare Patienti Adm. Reuerendo ut ſuccurratur, auferendæ obſtructiones; inde uiſceribus torrefactis aliquod refrigerium conciliandum; quæ ut præſtari poſſint, primæ viæ, & uiſcerum caua prius mundanda.

Quod licet apud nos operoſum, ſicut aliis impoſſibile forſan videtur; attamen id nos conſequi poſſe ſperamus. Quanquam non hac unica; uerùm & aliis repetitis expurgationibus, accommodatis temporibus tentandis.

Pro præſenti autem medicatione, ſanguis educi debet ex iecoraria ſiniſtra, moderata quantitate, ut id præſidium repeti poſſit, aut ex hæmorrhoidibus, aut ex ſaphena ſiniſtra. Cauterium item læuæ coxæ inuſtum prodeſſe poterit.

Pharmaceutica remedia quod attinet, leniatur aluus caſs. & lenit. cum crem. tart. aut ſyr. roſ. ſolut. cum lenit. Inde præparandi humores, in uentriculo ſtabulantes iulap. acet. cort. citri, & cinnam. aromatizato, ad ℥ iii. exhibitis ab eo ʒ ii. aut iii crem. tart. in pauco iure diſſoluti, quinque dies. Mox leniente præſcripto molienda euacuatio, ut ſecunda ſuccedat ualidior, non tamen validiſſima præparatio, ſuccis potius depur. quàm ſyr. dulcibus Officinalibus, ſucco ſcilicet cich. borrag. & fumariæ an. ℥ i. in iure alterato cich. borrag. endiuia, maluis, agrim. fumaria, ſcolopendrio. Qua ſequuta ſeptem, aut octo dies præparatione, fiat expurgatio elect. lenit. & pil. de tribus cum rhab. Vel infuſ. rhab. agar. ſennæ, addito ſyr. roſ. ſolut. & ab eo epoto ſero aſinino depur. aut capr. ad arcendam à medicamento exſiccationem.

Tan-

Tandem ad validiora deobſtruentia deueniendum, non tamen valdè calefacientia, aut exſiccantia. Parari itaque poterit bolus ex ℈ i. extracti rhab. & ℈ ſ. tart. vitriolati, epoto ab eo, integro cyatho aq. ſtillatitiæ cich. & agrim.; ſequenti uerò die præbeatur caſſia, ad ℥ ii. cum iure cich. & aperientibus præſcriptis alterato. Tertia, rurſus præbeatur bolus cum aquis, ſic alternato eorum uſu ad quindecim ſaltem dies.

Neque hac uice ad ualidiora deſcenderem; ſed poſt hæc, ad uſum lactis aſinini Reuerend. Pat. perducerem, triginta, aut quadraginta dies, rectè, & ritè adminiſtrandi, hoc enim exſiccatas humorum reliquias humefacere (qua ratione deobſtruens euadet) & hypochondriorum, atque uiſcerum calorem egregiè contemperare poterit, nec coagulari, cùm butyroſa, & caſeoſa ſubſtantia careat; neque poſt reſeratas, & attenuatas obſtructiones, corruptionis adeò facilè periculum ſubibit; cuius tamen uſus ſi forſan à catarrhi præſentia prohibeatur, ſuccus borrag. depur. ad ℥ iii. in iure borrag. malu. & meliſſæ illi ſubſtituatur.

Autumno uerò proximè futuro noua, ſed leuiori peracta expurgatione, ad uſum Croci Martis aperitiui cum acido ſulphuris pręparati deueniri poterit.

Interim congrua uiuendi ratio, calefaciens, & humectans adhibeatur; quæ quoniam à Reuerendo Patiente potiſſimum exoptatur; ideo paucis hanc habeat. Non incolat loca paludoſa.

Non ueſcatur carne bubula, caprina, leporina, annoſorum animalium, fumo, aut ſale condita.

Abſtineat pariter à piſcibus paludoſis, & ſquamis carentibus, atque oſtreaceis. A leguminibus, braſſica, caſeo, lagauis, ab acidis omnibus, ſicut & à nimis dulcibus. A uini generoſi potu. Item à nimiis uigiliis.

Exercitia ſint moderata, & ante cibum. Aluus lubrica ſeruetur iuſculis malua alteratis, & uſu paucioris caſſiæ cum cibo; ac tandem moderatè ſtudiis incumbat, & hilarem ſe præbeat.

V.

HYPOCHONDRIACA AFFECTIO.

3 de Ano 10.

Licet de ſtatu Mulieris huius Nob. exactum ferre iudicium, non adeò facile ſit; ac proinde difficile etiam medelam illi afferre; nihilominus quoniam accuratæ obſeruationi, & doctiſſimæ hiſtoriæ ad nos tranſmiſſæ fidem adhibere poſſumus; ideo & noſtris præſcriptis Nob. Pat. nos profuturos ſperamus.

Ex enarrata itaque Pat. corporis diſpoſitione, calidiſſimo temperamento, habitu gracili, agilitate ad actiones obeundas, ingenio excitato, ætate conſiſtenti, necnon ex prægreſſis vigiliis, calidos non ſolùm, verùm & ſiccos, atque exuſtos humores in ipſa neceſſariò redundare cõcludimus; & facilè affectu hypochondriaco, ac forſan etiam melancholico detineri; quo, quoniam arteriæ omnes, tum ob vehementem æſtum, tum propter compreſſionem arteriæ magnæ, immodicè pulſare ſolent, & potiſſimum per horas ab aſſumpto cibo, vel à corporis motu; ideo horarum tunc ſpatio quoq; falſò ſebricitare ſe credit, cùm tamen nulla ſit febris, quæ trium, aut quatuor horis omnino cedat; licet febricula lenta putrida laborare poſſe, Adſtanti Excellentiſsimo credendum ſit, à crudis humoribus, bili commiſtis, & in ſede ignobili, circa meſenterii nempè regionem putreſcentibus, orta; cui num fixa, & habitualis accedat, non parum ambigimus, tum quia putrida præſens iudicium intercipit, tum quia corporis macies ad ſanguinem feruidum, & pręgreſſas vigilias commodè referri poteſt; prout ſudores importuni, & inordinati, tum à ſeroſitatibus melancholicis, tum à liquatis cruditatibus ab intenſo calore originem ducere poſſunt: quæ veritas ut inſuper magis eluceſcat, diligenti, frequenti, atque continua medici præſentis obſeruatione eget: cuius tamen ſi primus gradus ſtatuatur, licet non adeſſet, Nobili Patienti quammaximè prodeſſe, neque quicquam obeſſe poterit.

Status huiuſce Patientis perniciem quidem minaretur, tabem nimirum, niſi eidem ob-

uiaret

uiaret medica manus, leuioribus febriculam putridam extinguendo, hypochondriorum æſtum, & iecoris feruorem contemperando, totumque corpus ſubſtantificè humectando, atque nutriendo.

Atque adeò, ſi menſtrua imminutè procederent, ſaphena tundi poſſet, ad menſes reuocandos, & venarum ventilationem procurandam; cui alioquin ſaluatella ſubſtituenda, parcè tamen ſanguine educto.

Pharmaceutica verò remedia hoc ordine adminiſtranda cenſemus, ut primò aſſumat caſſiæ ℥ iii. ſummo mane, & exacta hora bibat ſeri capr. depur. ℔ i. tribus verò horis ab aſſumpto ſero, cibus exhibeatur; & poſtridie ſumat ſuccos depur. cich. borrag. & end. ad ℥ iii. in iure cich. borrag. endiuia, maluis, violis alterato, tribus, aut quatuor horis ante cibum. A quibus ſomnus erit ſemper permittendus, imò ſolicitandus. Et ſi ſero placuerit addere iulap. violac. optimo certè conſilio id fiet. Horum verò alternato vſui inſiſtendum, ad uiginti dies; atque interim frequentes ſint clyſteres ex lacte, butyro, & ſaccharo, cum quotidianis ventris inunctionibus vng. roſ. Meſ. ſicut totius oleo amygdal. addito quoque viol. manantibus ſudoribus.

Inde ad lactis aſinini vſum erit deueniendum, incipiendo ab ℥ v. cum ſemi cochleari ſacchari fini, & progreſſu facto ad ℥ x. cum integro ſacchari cochleari.

Interim ſi ambientis calor ſaueret, Balneum aquæ dulcis inſtituendum foret, alteratæ malu. uiol. lactuc. ſalice, tepidum primò, & ſub finem gelidum.

Quibus omnibus congrua victus ratio addenda, refrigerans, & humectans, ac ualdè nutriens; facilis tamen coctionis, & diſtributionis, qualia ſunt oua recentia, cibatia ex lacte parata, pulli iuniores, caro hœdina. Prima menſa ſorbeat de more ius endiuia, aut maluis alteratum. Somnus procuretur uſu panis martij à cœna, parati ex libra amygdalarum dulcium, & uncia vna ſem. papau. albi cum ſaccharo; cuius doſis ſit ad ℥ ii. uel iii. Sic tempora, & ſutura coronalis inungantur oleo nenuph. Clyſteres ſint in uſu ex lacte, butyro, & ſaccharo; & erecto, atque alacri animo uiuat. Quæ prudentiæ Viri Excellentiſſ. ſuggerenda habui, pro præſenti Nob. Mulieris ſtatu. Interim ſi fortè noua emerſerint, nouo conſilio erit opus.

VI.

HYPOCHONDRIACA AFFECTIO.

EXactiſſimè à perilluſtri, & Excell. Viro nobis Nobiliſſ. Patiens hypochondriaca deſcribitur, non ſine ſuſpicione melancholicæ affectionis; dolor enim grauans in inferna uentriculi parte, circa pylorum, flatus circa meſenterium [a], & per hypochondria hinc inde uagantes, anxietas à cibo, leuamen à uomitu, qui eſſe ſolet copioſæ materiæ acidæ, atræ, & nonnunquam amaræ, cum ſiti, eſt omnium ſymptomatum ſyndrome à Diocle deſcripta, hypochondriacam affectionem omnino ſignificans; quæ quidem dari poteſt etiam, ſed raro, abſque melancholia, quam tamen in præſens adeſſe credimus, dum ætas, temperamentum, & habitus corporis eandem atteſtari videntur; præterquamquod totius corporis macies inſueta melancholicis familiaris eſſe ſolet; & facilè etiam palam fiet mœror, & timor, obſcurus ſaltem, cum [b] moroſitate quadam, ſicuti certò abdomen contrectanti arteriæ magnæ pulſatio percipietur. Iuges autem cruditates, tum ab imbecillo uentriculo, tum ab obiecto improportionato genitæ, atque à feruore iecoris attractæ, in meſenterio potiſſimùm, & uiſceribus in obſtructiones conuerſæ ſedem habent, à quibus quoniam calori natiuo libera prohibetur tranſpiratio, aliqua putredo ſuſcitatur, & febricula; calor verò ipſe intenſior factus phlogoſin excitat, corruptioni potiùs, quàm coctioni ciborum idoneam; coctio enim non à quolibet, ſed à moderato calore perficitur; hinc ſequitur deprauata potius, quàm imminuta concoctio; corruptum namque quotidianum alimentum & in peregrinam conuerſum qualitatem, perfectiorem concoctionem non admittit; atque adeò

[a] 3. de Loc. Aff. 7.

[b] 3. in 3. Epid. 82.

c 4. de San. Tuen. 11. & 6. de San. Tue. 7.

d 1. de Sympto. Cauſ. 7.

adeò, tanquam pondus[c] inutile à natura quotidie per uomitum excernitur; ad quam corruptionem non parum quinetiam concurrit portio acidæ, & melancholicæ materiæ, quæ facillimè à liene per uas breue in uentriculum influit, & os eiuſdem acrius uellicando, aut lancinando, lipothymiam inducit; chylo autem commiſcetur, eidemque aciditatem impertitur; hinc deficiens nutritio, & totius macies. Obſtructiones uerò, quas diximus in Meſenterio certiſſimè deliteſcere, ex cruditatibus in uentriculo genitis, ſiccitatem, & aduſtionem contraxerunt, dum temporis proceſſu à iecoris feruore, abſumpta earum parte humidiori, in terreſtrem, & melancholicam naturam ſunt conuerſæ, unde aluus ſicca, ructus, & flatus dolentes, qui rebus calidis ſolent ingraueſcere, quia exhalationum potius, quàm uaporum naturæ ſunt participes; quod pleriſque Medicorum erroris cauſa eſſe ſolet. Quare ex iam dictis patet, calorem maiori parte concurrere ad omnia mala in Illuſtriſſima Matrona procreanda; cuius immoderationem prodit arenularum productio, cum vrinæ acrimonia, & pruritu, aut puſtulis in cutem erumpentibus. Fuſius autem, quàm pro more hæc omnia deſcripſimus; cùm ab his deſumi debeat curandi ratio.

Statim itaque horum omnium remiſſio, ſi non perfecta ſanatio, procuranda, ne ad tabem tranſitu facto, Pat. conſumpta tandem pereat. Totius itaq; leuis, & diligens molienda purgatio, à fortioribus enim irritatur huiuſmodi affectus, & grauiora parit ſymptomata, ut notauit etiam Plato in Timæo; præterquamquod valida attrahunt à circunferentia ad centrum. Caloris uerò p.n. contemperatio tentanda, tum obſtructiones aperiendo, tum refrigerando. Flatus quoque diſcutiendi, non quidem valdè calorificis, ut plerique faciunt, ſed humidioribus blandè calefacientibus, calorque tandem ipſius Ventriculi fouendus, & roborandus; totum inſtaurandum, & uires non ſolùm fouendæ, ſed & augendæ.

e 6. Aph. 11.

Venæ autem ſectio prohibetur à uirium defectu, ob continuas moleſtias, & alimenti inopiam. Quare licet melancholico humore in toto redundãte, hæc in præſentiarum omittenda, & ſubſtituenda aliqua ſanguinis eductio, à Viro Excell. propoſita, ex uenis ſedalibus; quoniam,[e] *Melancholicis ſi varices, aut hæmorrhoides ſuperueniant, bonum*; ſicuti etiam renum vitio laborantibus; imò maximum, & potiſſimum fore præſidium ſpero, ſi quolibet menſe prolectetur natura, duabus, vel tribus hirudinibus ſedi appoſitis, cum leui tamen ſanguinis effuſione, fouendo illam partem ferè quotidie ſuffumigio aquæ tepidæ ex *ſella*, dum excernendis fęcibus deſidet. Propoſitum etiam cauterium in inferiori parte laudamus.

f 3. de Nat. Facul. 7. & 2. Aph. Com. 35.

g 1. de loc. Aff. 7.

Blanda autem ſint ſoluentia, ut caſ. cum lenit. epoto ab his iure hordeo, & cort. citri alterato. Alterantia humectantia conſtent cichor. borrag. intybo, maluis, violis, hordeo, & paſſulis; cum iulap. viol. ſyr. de pomis; opt. & ſyr. de ibiſco. Interim quarto quoque die aſſumat Caſſiç ℥ iii. cum cibo, & emollientibus clyſteribus vtatur. Præparatione peracta, euacuanda erit materia Lenit. cum tantillo rhab. opt. exhibito hora poſt cyatho ſeri capr. præp. Poſt hæc repetenda præparatio, ut humectentur, & emolliantur humores exſiccati, & melancholici; quod melius, quàm dicto modo præſtari non poteſt, ut poſtea iam dicta repetatur purgatio. Hoc uerò tempore laudari ſolent aquæ Tettuc. quas tamen, ut nimis exſiccantes reprobamus; quibus extrinſecus opportunius erit ſtillicidium uentriculi calefaciens, & humectans; ſiccitas enim à ventriculo, & inferioribus partibus, quantùm fieri poteſt, arcenda; dicebat enim Gal.[f] quod oportet ſubſtantiam uentriculi eſſe pinguem, benè compactam, & carnoſam, ut perfectæ ſequantur coctiones. Sit itaque ex oleis potius, quàm aquis. Quod ſi tunc etiam perſtiterint obſtructiones, rhab. exhiberi poterit mandendum cum paſſulis, epoto ab eo iure alterato cich. aut intybo, ſpatio 15. aut 20. dierum; quæ ſi leues ſuperſtites fuerint, lac capr. audacter exhiberi poterit 20. 30. aut 40. dies, ſi facilè toleretur. Interim ſiquidem æſtiuum tempus accedet, quo ad Balneum aquæ dulcis, tantoperè à Gal.[g] commendatum deſcendere poterimus. Et licet exhalationum cauſa ablata, flatus ipſi diſſoluti fuerint, attamen aliquando uti poterit aliqua confect. arom. roſ. uel ex pulu. Saſſafras, uel ex oleis aniſorum, citri, cinnam. A frequentioribus exſiccantibus abſtinere optimum cenſemus; namque temporis ſpatio, poſtea conferre poterunt ſal menthæ ad gr. x. cum conſ. abſint. pontici, uel ſal abſinth. cum conſ. borrag.

Victus ratio iam dictis proportione reſpondeat. Attenuant autem corpus vigiles miſerabile curæ; alacriter ideo viuat, parcè bibat vinum album, tenue, in quo aurum ignitum extinguatur. Comedat carnes non recentes, cum Hipp. & iuuenes, imò contuſas pulli. Oua recentia, & panatellas faciliùs concoquet, & melius cremorem ptiſanæ cum lacte amygd. à Fernel. in huiuſmodi caſibus commendatum, qui doloribus quinetiam proderit. Aluus lubrica ſeruetur lenit. aut caſſia, cum tantillo diarrhod. Quæ omnia, vt optatum finem conſequantur, Deum enixè oramus.

E F-

VII.

AFFECTIO HYPOCHONDRIACA.

ILluſtriſs. ac Reuerendiſs. Virum affectu hypochondriaco, eoque illegi-
timo, citra melancholicam affectionem, laborare, optimè iudicatum
fuit, utpote qui non in pylori, ſed diſtantioribus Meſenterij, potiſſi-
mum verò Lienis, venis mineram habeat, obſtructiones ſcilicet ab hu-
morum miſtura progenitas, ex inæquali viſcerum intemperie. Iuges
etenim cruditates ab eadē in Viro Illuſtriſs. genitæ, quæ antehac ad ve-
nas, & inde cum ſanguine ad articulos, per modum [a] abſceſſus, à natura, [a] 7. Meth. 11.
grauiori malo præcauendo, transmiſsæ podagricos dolores excitarunt, cùm Autumno
proximè præterito, vel ob expultricis imbecillitatem, vel ob viſcidæ materiæ contuma-
ciam, in primis viis circa uiſcera hæſerint, prohibita tranſpiratione, propter obſtructiones,
ab iiſdem excitatas, putredine concepta, febriculam eſſentialiter leuiorem, tum ob mate-
riæ, tum ob loci conditionem induxerunt, & quidem inordinatam, ob materiæ varieta-
tem. Et quoniam tunc temporis materiam eductam fuiſſe non audio; ideo à febrili calore, &
ab hypochondriorum æſtu quodammodo aſſata, & exuſta, firmas produxit obſtructiones,
in Meſenterium, & Lienem propagatas, quas licet natura tentet in halitus diſſoluere,
difficilis tamen ſequitur eorum reſolutio, ac diſſipatio; unde varias cauitates diſtendendo,
& potiſſimum vaſa ſplenica, Meſenterica, necnon Omenti interſtitium, continuum ſol-
uendo dolores excitant, non ſolùm diſtendentes, verùm & lancinantes, ob harum exhala-
tionum acrem, & acidam naturam. Verùm quoniam nonnunquam ad ventriculum attol-
luntur; ideo & in ipſius fundo dolores percipiuntur, qui à cibo ſedantur, à cibis intercepta
fuliginoſa illa exhalatione; quæ ſi quandoque tunicis, & ori ſuperno eiuſdem uentriculi
adhæreat, angorem, & moleſtam adeò inquietudinem excitat, ut Virum Illuſtriſs. nocte
ſurgere cogat. Interim, ab ijſdem occluſis viis, iecoris calida intemperies per accidens,
feruidior reddita, bilioſi humoris prouentum vberiorem producit, non tamen vſque adeò,
ut Icteritia induci, ſed ut ſaltem maſſa ſanguinea coinquinata, totius color deprauari poſſit.
Nec mirum, quod naturali œconomia euerſa, Illuſtriſs. Patiens nihilominus benè ſe habear
ad oblata; cùm ab acido humore, ex ſplene ad ventriculum effuſo, id fieri conſtet, prout ſi-
tim intenſiorem, tempore concoctionis, à calore præter naturam, circa cibum agente ac-
cendi, à quo aciditatem quoque fieri opinor; quo modo docet Trall. [b] & experientia de- [b] Lib. 11. Cap. 3.
monſtrar, vinum æſtiuo tempore, & potiſſimum ſub radiis ſolaribus aceſcere; non enim
perpetuò aciditatem frigiditatis ſobolem eſſe exiſtimandum; ſicut arteriæ magnæ pulſatio,
obſtructorum, & æſtuantium hypochondriorum propria eſſe ſolet.

Quod autem affectus hic difficilis ſit ſolutionis, nobis ſatis ſignificare poteſt humorum
peccantium exuſta natura, & loci conditio; etenim multò facilius eſt exſiccare humidum,
quàm humectare ſiccum; nec adeò facilis, aut copioſa nobis ſupperit aperientium, [c] 7. Meth. 9. & 10
& non exſiccantium ſilua; cùm tamen aperiendi indicatio, huic affectui tollendo potiſſima
ſit; ſi enim habitualis euaderet earum partium intemperies, in [d] hydropem ſiccum faci- [d] 4. Aph. 11.
lè firmari poſſet. Verùm quoniam opportuna fuerunt adhibita remedia, & opportuniſſi-
ma ſuperſunt adhibenda; ideo non modò ſanitatem conſequi, verùm & diuturnitatem nos
intercipere poſſe, ſperare iuuar.

In quem finem, humoribus antecedentibus euacuatis, obſtructiones calefacientibus, &
humectantibus reſerandæ, & per epicraſin benignioribus medicamentis educendæ; hypo-
chondriorum, & iecoris feruor contemperandus, habita aliqua ventriculi ratione, ſed cau-
tè, cùm eius frigiditas priuatiua potius, quàm poſitiua cenſenda ſit.

Et in ſonte Chirurgico, ad contemperandum hypocondriorum æſtum, ad obſtructiones
rebelles expugnandas, alicuius portionis ſanguinis craſſi eductioni, ex ſecta vena in latere
ſiniſtro, & potius brachij, quàm manus, ego quoque ſubſcribo.

Ex fonre Pharmaceutico depromenda Lenientia, Præparantia, Purgantia, Deobſtruen-
tia, Contemperantia, flatus Diſcutientia, & viſcera Corroborantia, Cardiacis non omiſſis.

Lenientia omitto, cùm fuerint iam adminiſtrata; ſicut & prima præpatantia; valdè enim leue debet eſſe purgans, tum quia humores purgandi in primis viis hærent, tum quia calor à ualidiori adaugeretur, & humores à remotioribus partibus ad locos affectos attraherentur. Quare purgans non excedat Pil. de trib. modica doſi, cum Caſſia, aut Lenit. epoto ab his quinetiam iure hordeo, vel maluis alterato. Pro ſecunda, & accuratiori præparatione, ego libenter à ſyr. dulcibus ſaccharatis, & mellitis, ſicut & à valdè acidis abſtineo, cùm illi inflent viſcera, & æſtum augeant; atque hæc humoribus fermentationem inducant. Quare præbeantur ſucci depur. borrag. end. & pomor. dulc. ad ℥ iii. in iure alterato malu. borrag. cich. rad. pentaph. & petroſel. Sequenti verò die præbeatur Rhabar. ad ℈ i. vel ad ſummum, ad ʒ ſ. cum Caſ. ad ʒ ii. bolos reformando, à quibus hora poſt, bibat Illuſtriſs. Vir ius alteratum ſupra propoſitum, & tribus horis ab eo prandeat; atque ita hoc ordine alternato pluribus diebus, ut ſimul, & præparationem, & humorum euacuationem conſequamur. Quod ſi pertinaces obſeruentur obſtructiones, nec cedat affectus, ad validiora erit progrediendum, ab anni tempore tamen permiſſa. Quare conuenientiſſimus erit uſus ſyr. Fernel. addito rhab. qui quotidie ad ℥ ii. in ſemicyatho vini albi tenuis exhiberi ſolet, ad 12. dies; vel eius loco, præbeatur bolus, ex ℈ i. extr. de Rhab. & ℈ ſ. Tart. Vitriol. epoto ab eius vſu, exacta hora, pleno cyatho aq. agrim. ſtillat. idque ut ſupra, per plures dies.

Hoc verò tempore, feruor iecoris, & hypochondriorum contemperandus venit; quod commodè præſtari poterit ſero capr. aut Aſin. deſtill. à Viro Exc. propoſito, plurimis diebus, matutino tempore exhibito, addito ſyr. de ſucco lim. ut ad urinæ vias perducatur. Et quoniam dixi, frigiditatem ventriculi priuatiuam potius, ex calore circunſtantium viſcerum, & ſiccitate excitatam, quàm poſitiuam eſſe; ideo parum de ventriculo ſolicitus eſſem, contentus ſolis rotulis bis, aut ter in die aſſumendis, cùm aromatizatione gaudeat; quibus etiam flatus attenuari, & diſſipari poſſint; præſtantiſſimæ autem erunt ex gutt. ol. cinnam. cum ſacch. aq. cinnam. diſſoluto; quod tamen oleum ſi præſtò non fuerit, utpote paratu difficile, ſubſtituatur ol. de cort. citr. Cardiaca quoque aliquando uſurpanda; pulueribus tamen, & terris dimiſſis, tanquam obſtructiones augentibus; & potius aq. aliqua tot. Cit. Scorzon. Card. Sax. erit in uſum ducenda.

Quibus omnibus congrua victus ratio erit addenda, notiſſima Viro Excell. cuius prudentiſs. directioni, & adminiſtrationi lubens omnia committo.

VIII.

HYPOCHONDRIACA AFFECTIO.

NAturalis procliuitas Illuſtriſs. Adoleſc. ad hypochondriacam affectionē; ab utero matris cōtracta, facilem reddidit in eandem lapſum, ob cruditates genitas, tum à conſumptioue ſpirituū, & diſtractione natiui caloris, ex immoderatis, & importunis ſtudiis; tum ab improportionatis cibis quadrageſimalibus; unde obſtructiones diuturnæ in Meſenterio, atque Liene procreatæ fuerunt, quæ a iecoris feruore exſiccatæ, ac terreæ redditæ, hypochondriacam affectionem inducere potuerunt, illegitimam tamen, cùm non adſit ſub Pyloro phlogoſis, ſed in interioribus uenis ſedem habeant. Calor autem hypochondriorum, ab infarctu adauctus, & vnà cum iecoris feruore in uentriculum diffuſus, coctiones perturbat, & elixationis loco, aſſationem cibis inurit, ſicque difficilis non ſolùm, uerùm & deprauata ſequitur eorundem concoctio, moleſtiæ, anxietatis, atque grauitatis, quatuor horis ab aſſumpto cibo, in ventriculo cauſa.

Quibus omnibus ſtatim occurrendum, antequam obſtructiones altiores agant radices, atque obdureſcant; tunc enim non ſolùm eędem curationis difficilis redduntur; verùm & ſibi comitem aſciſcunt melancholiam hypochondriacam, dum à calore hypochondriorum,
a r. de Moib. num 28. & iecoris adaucto torrefit ſanguis, in quo a prudentia conſiſtit, & à quo melancholico reddito, ſpiritus animales per conſenſum inficiuntur, atque tandem deprauatè operantur.

Speranda itaque huius affectus, utpote non inueterati ſalus, ſi Patiens Nobiliſs. præce-

ptis

ptis Medicis obtemperabit, nec liberiori uiuendi norma morbum fouebit.

In quem finem, noſtrum erit primas uias euacuare. Secundò obſtructiones, ut ſiccas reſpicere, & humectantibus præparare, aperire, & per epicraſin euacuare. Tertiò hypochondriorum, & iecoris calorem contemperare. Et tandem parumper uentriculum per conſenſum, & priuatiuè læſum roborare.

Quibus intentionibus ut ſatisfaciamus, uenæ ſectioni ſubſcribimus, ex Iecoraria dextera, prætente [b] Medico; etenim ſi is effluxerit niger, ſex detractis unciis, ſupprimendus, & mox ex brachio ſiniſtro ſecunda uice erit educendus; ſi uerò non adeò niger, ad octo vncias effluere permittatur; unica namque eductio ſufficiet. Venæ autem ſedales in pueris, & adoleſcentibus, ut exiles, necdum à melancholico ſanguine dilatatæ, ſi aperiantur, parum craſſi ſanguinis effundere ſolent. [b] r. ad Glauc. 11

Ex Pharmacia reliqua deſummenda remedia. Ita approbamus propoſitum leniens; cui ſuccedat præparatio quinque dies Iulap. acet. cortic. Citri aromatizato, ad ℥ iii. addito Tart. polline ad ʒ iii. Inde præbeatur Minoratiuum medicamentum propoſitum; cui ſuperbibat Patiens Serum Capr. depur. ad libram ſaltem. Mox ut reliquæ expleantur intentiones propoſitæ, opportuniſſimus erit uſus Rhab. & ſuccorum apetientium, atque emollientium, ita præſcribendus, ut ſequenti die ab aſſumpto medicamento, aſſumat ſuccos depur. cich. borrag. & agrim. ad ℥ iii. in iure alterato borrag. end. Malu. lupul. & aſparagis; die uerò ſequenti parentur boli duo, ex ʒ ſ. Rhab. opt. & flor. Caſs. confecti, à quibus, exacta hora, bibat Nob. Adoleſcens cyathum, aut Seri depur. aut aquæ cich. & borrag. & tribus horis ab ea prandeat; ſicque alternatim ſuccos, & Rhab. ſumere perſiſtat, ſaltem ad 20. dies; ab his enim & emollitionem, & reſerationem, & euacuationem conſequi dabitur. Interim totum abdomen quotidie Vng. Roſ. Meſ. illini poterit. Quibus peractis, ut poſtremæ intentioni ſatisfiat, ad uſum lactis aſinini perducatur, qui utpote ſeroſus, & ſubſtantia carens, tum caſeoſa, tum butyroſa, reliquias obſtructionum pertinaces, atque exſiccatas emollire, & expedire poterit; atque interim iecoris, & uenarum calorem remittere; nec uerendum de eius corruptione; cùm phlogoſis in pyloro nulla ſit. Atque hoc eodem tempore [c] balneum quotidianum totius corporis parabitur ex Aqua dulci, foliis malu. viol. ſalic, & nenuph. alterata, ut duobus his remediis interno altero, altero externo, iecoris, hypochondriorum, & totius corporis calor contemperari poſſit, totiuſque habitus ſubſtantificè humectari. Et licet de uentriculo roborando parum ſolicitos nos eſſe deceat, nihilominus aliquam, ſed cautè eidem roborationem conciliare poſſumus, præbendo ſtatim ab aſſumpto cibo duo grana Maſtiches integra deuoranda; uel pil. ex ℈ i. Succi Abſint. condenſati confectam, uel gr. x. ſalis abſint. aut menthæ in pauco vino diſſoluta; hæc enim hoc modo, & tempore ſumpta, non adeò facilè rurſus hypochondriorum, & Iecoris feruorem accendere poterunt. [c] 3 de Loc. Aff. 7.

Quibus omnibus, & præ omnibus congrua uictus ratio erit addenda, iam dictis intentionibus proportionata, ſine qua irrita omnia, quæ ab Excellentiſs. ac Sapientiſs. Adſtante erit præſcribenda; cui pariter iam cæterorum omnium moderamen, & adminiſtrationem libentiſſimè committimus.

IX,

AFFECTIO HYPOCHONDRIACA.

a 1. de Loc.aff. 4. IVremeritò dicebat Gal. a quod coctione in ventriculo laborante, non adeò facilè in ipſum culpa ſit conferenda, ſed conſiderandas prius eundem circunſtantes omnes partes, meſenterium ſcilicet, hepar, lienem, omentum, & cæteras; ſæpiſſimè namque fit, ut per conſenſum ab hiſce partibus, non autem eſſentialiter afficiatur: quod quidem in Illuſtriſs. atque Excellentiſs. Iuuene ita ſe habere, certiſſimè credimus. Quo iacto fundamento, maius negotium faceſſere uidetur diſcernere uentriculi vitium, num in imminuta, an potius in deprauata coctione ſit; cum ſit, quæ cognitio Medicorum pleroſque decipere ſolet, quod hoc caſu etiam contigit, cùm antehac decocta ad ventriculum calefaciendum, ipſamq; coctionē adiuuandā præbuerint; à quorum uſu hypochondriorum calor increuit, indeque ventriculi vitium inualuit, quod non in bradypepſia, ſed in dyſpepſia conſiſtebat, dum alimenta in eodem à calore circunſtantium partium corrupta, perfectiorem coctionem adipiſci minimè poterant; quorum corruptionē cùm nec vomitus, nec diarrhea ſecuta eſſent, cruditatis alioquin, & corruptio-
b 6. de Sa. Tuen. 2. nis ad ſanitatem [b] compendium; ideo cruciatus aliquot horis à cibo ſuſcitati ſunt; donec ad iecur, & venas illa præterlapſa fuerint, ſanguificationi tamen, & corporis nutritioni prorſus inepta, unde macies; quorum craſſior pars in via, venis nimirum meſentericis, aut lacteis herens, obſtructiones, & tandem hypochondriacum affectum produxit.

Quod omnes obſeruantes, & agnoſcentes, aduerſus iecoris, & hypochondriorum calorem, atque ſiccitatem ſequutam, curationem direximus, obſtructionibus non neglectis; quæ quoniam ſiccam, terream, atque melancholicam conditionem obtinent, humectantibus ideo præparandas, & leniētibus euacuandas eſſe decreuimus; in quem finem, quoniam præceſſerat primarum viarum ab Exc. Viro expiatio, ideo ſuccos ſtatim depur. cich. borrag. & malu. in iure malu. uiol. & beton. alterato, ſine ſeminibus citri, uulgarium Medicorū correctiuo, quotidie exhibuimus, & tertio quoque die, caſſiam præſcripſimus; quinimò & octauo quoque, caſſiæ rhabarbari portionem addere, rationi conſonum duximus, ſero capr. aut aqua Noceræ ſuperhauſtis.

Quibus peractis, ad uberiorem viarum humectationem, ſerum copioſum cum uehiculo ſyr. roſ. ſol. exhiberi præcepimus, ut poſtea ad aquas Nocerianas, Balneumque aq. dulcis progreſſus fieret.

Quorum omnium aliqua quidem adminiſtrata fuere, aliqua uerò omiſſa, repetita nimirum euacuantia, quæ tamen neceſſaria fore proſpeximus, corruptæ materiæ frequentius euacuandæ, ne ſuccis ipſis tranſitus interciperetur; à quibus nihilominus Pat. Excell. leuamen aliquod retulit, doloribus miteſcentibus, & totius colore refloreſcente, laudabilioris nutritionis indicio. Verùm, quanquam adhibita remedia fruſtra fuiſſent, mirum peritis uideri non debuerit, cùm obſtructiones melancholicæ extirpandæ ſint, & intemperies auferendæ, atque ſiccitas contemperanda, quæ qualitatibus c materialibus eget; mala namque
c 7. Meth. 10. diuturno tempore inualeſcentia, menſium ſcil. & annorum ſpatio, paucis diebus auferri
d 2. Aph. 52. poſſe minimè ſperandum. Quare; [d] *Secundum rationem operanti, ad alia tranſeundum non eſt; ſed in decretis manendum.* Neque à ueritate aliena ſunt excogitanda; ſiquidem ſi fruſtrata eſſet hepatis facultas attractrix, alui fluxus chyloſus quotidianus neceſſariò ſuccederet; atque impenderet ſanguificatricis quoque imbecillitas, nec longè abeſſet legitimus hepaticus fluxus, indeque ipſa cachexia; cùm tamen nos potiùs de atrophia metuamus.

Cùm itaque nondum in lacteis debellatas obſtructiones eſſe credamus, ſuccis herbarum hoc anni tempore omiſſis, ob terræ ſiccitatem, aquas ſtillar. cich. malu. & agrim. ſubſtituendas cenſemus, & repetitis uicibus caſſ. cum momento rhab. exhibendā, hauſta hora poſt ℔ i. ſeri capr. deſtill. Poſt quorum uſum, ut Excell. Præfectus Patauium ſe conferat, conſulimus, ad aquarum B.V. uſum, ut quæ facilius præterfluant; proprio namque tepore, & ſpiritibus parant ſibi uiam, ſicque obſtructionum reliquias abluere, & hypochondriorum,

atque

atque iecoris æſtum compeſcere poterunt. Vt tandem ad duo efficaciſſima, & generoſiora remedia, nimirum ad Lac, & Balneum aq. dulcis, tutò, & felicibus auſpicijs deuenire poſſit.

X.

DOLORES HYPOCHONDRIACI.

CEphalicos dolores, quos duodecim abhinc annis paſſus eſt Reuerendiſs. Abb. vtpote periodicos, ſympathicos potius, quàm [a] idiopathicos fuiſſe cenſemus, non ſine tamen capitis præcedenti imbecillitate, [b] cùm non ſufficiat ad actionem robur agentis, niſi & paſſi diſpoſitio concurrat; vnde dicebat Gal. quod, [c] *Licet caput per alterius partis conſenſum laboret; affectio nihilominus ipſi capiti attribuenda ſit.* Illud autem confirmant [d] vomitus variorum humorum, (quibus hypochondriaci ſcatere ſolent) dolorem ſedantes, unde morbum [e] oſtendebat ſanatio; à uentriculo namque, & hypochondriis, tanquam ab humorum minera eleuati, uarii generis, ſed præſertim melancholici uapores, vtpote acidi, & ob bilioſi miſcelam etiam acres, partes ſentientes capitis, & potiſſimùm membranas vellicantes, continuum ſoluendo, induxerunt dolores, à vomitu eiuſdem mineræ miteſcentes; rurſus verò periodicè recrudeſcentes, prout periodica, & facilis quoque in hypochondriacis ſolet eſſe horum excrementorum congeſtio.

a 2. Per Loc. 2.
b 3. de loc. Aff. 9.
c 3. de loc. Aff. 8.
d 3. de loc. Aff. 7.
e 2. Aph. 17.

Sedem verò annorum ſpatio iidem dolores mutarunt, dum Reuerendiſſimus Patiens domicilium mutauit, mutata forſan ſimul uiuendi ratione, quoad ciborum, & vini qualitatem: vel quia in aere paludoſo accumulata, atque cohibita excrementa, nec amplius ad ventriculū tranſmiſſa, deorſum ad viſcera effluxerint, obſtructiones auxerint, à quibus exhalationes eleuatæ, hypochondria diſtendentes, dolores non propriè colicos, ſed hypochondriacos excitauerint; per meſenterii verò duplicaturam, ad os ſacrum, cui annectitur, peruadentes, & pariter per duplicatum peritonæum, tunicam ſcilicet vaginalem, in ſcrotum ſeſe inſinuantes, & eiuſdem communem tunicam, Dartos dictam, diſtendentes, & tumefacientes, dolores in præſens quinetiam inferunt, licet non ſola quantitate, verùm & acida, atque acri qualitate; ſiquidem flatulentæ, hypochondriacæ, atque melancholicę affectionis hæc omnia germina eſſe, & ab eadem iam dicta mala ſoboleſcere credimus; prout etiam ab aliqua eiuſdem exhalationis portione caput petente, & uiſorios ſpiritus inordinate commouente, uertiginis primum gradum, & præludium, Trepidationem ſcil. ab Auic. [f] & Aetio [g] nuncupatam, ortum ducere, pro certo habemus.

Affectus equidem difficilis, & diuturnus, tum quia melancholicus, tum quia olim caleſacientibus, & exſiccantibus fuit curatus. Difficilis autem, quoniam intemperiem habitualem [h] ferè in hypochondriis contractam fuiſſe ſuſpicandum; tunc enim in hydropem ſiccam firmatur; ſicut perdurantibus huiuſmodi exhalationibus, in caput expirantibus, ad gradus vlteriores vertiginis progrederetur, quibus affectus epileptici, [i] necnon apoplectici [k] ſuccedere poſſent.

Attamen, cùm tandem ſatis accommodata ſint propoſita remedia, ſperandum, fore, ut ab hiſce doloribus P. Reuerendiſſimus vindicetur, leni licet aliqua hypochondriaca affectione permanente.

f 1. 3 Trac 5 Cap. 4.
g Tetr. 2. Ser. 2 C. 7
h Galen 4. Aph. 21.
i 3. Aph. Co. 17. & 6 Epid. in fine.
k 6 Aph. Com 56.

Itaque inceptæ curationi inſiſtendum, aperientibus temperatis, benignis purgantibus, & alterantibus, humectandi præſertim, & modicè refrigerandi vi pollentibus, flatus diſcutientibus, & dolores ſedantibus. Ventriculi autem, aut nulla, aut exigua cura habenda; cùm priuatiuè, non poſitiuè afficiatur.

Et in fonte Chirurgico, nulla amplius ſanguinis miſſio hìc locum habet; niſi quod vigentibus doloribus, flatibuſque diſtendentibus, magna cucurbitula ſicca [l] vmbilico appoſita, iterum, atque iterum repetita, prodeſſe quammaximè poterit. Reliqua ex hoc fonte inferius proponenda.

l 12. Meth. Vlt. & 2. ad Glauc. 6.

Ex Pharmaceutico, iam adminiſtratis inhærentes, viarum reſerationi inſiſtendum, ſuccis potiùs, quàm ſaccharatis, præſertim hoc anni tempore. Quare ſucci depur. iam

pro-

propoſiti cich. borrag. agrim. in uſum reuocandi, in decoct. cich. borrag. end. malu. agrim. fumar. pentaph. addito ſucco lim. aut gr. tart. vitriol. His autem inſiſtendum, ad xv. vel xx. dies; verùm quarto, aut quinto quoque die præbeatur caſs. ℥ vi. cum ℥ i. pil. de tribus, cùi hora poſt ſuperbibat ſeri depur. aut aq. hordeac. aut iuris hord. ℔ ii.

Interim aduentante tempore opportuno, aquas vitriolatas in Valle Solis ſcaturientes accommodatiſſimas, quinimò neceſſarias exiſtimamus, tum ad obſtructiones omnino reſerandas, tum ad hypochondriorum, iecoris, atque renum feruorem contemperandum. Et quoniam, licet vt aquæ actu humectandi facultate præditæ ſint, potentia tamen exſiccant; ideo abſoluto earum uſu, Lac aſininum integro menſe, de more cum ſaccharo exhibitum ex vſu eſſe poterit, Quo tempore & Balneum tepentis aquæ dulcis, ſiue inſeſſum profuturum ſperamus, foliis malu. chamæm. viol. pariet. ſalic. alteratę: Tuncque aliqua ventriculo roboratio conciliari poterit, ſi ſtatim à cibo deglutiat pil. ex ſucco abſinth. pont. condenſ. uel ſalem abſinth. in pauco vino ad ℈ i. diſſolutum.

Flatus interim diſcutientia temperata eſſe debent; calidiora namque ſiccas exhalationes magis ſemper denſant, magiſque incraſſant. Sufficiant itaque cochlearia aq. totius Citri, cui immiſta ſit portio aq. cinnam. aut elixir vitæ. Atque doloribus vrgentibus, plurimùm his caſibus profuiſſe experti ſumus decoct. chamæmeli, duabus additis gutt. ol. cinnam. legit. quo tempore, doloribus perdurantibus, in Balneum deſcendat, ex aqua dulci paratum, & alteratum fol. malu. chamęmeli, parietariæ, pulegii, calamenthi, radic. altheæ, lilior. alb. ſem. Lini, fœnugræc. potius calidum, quàm tepidum adminiſtrandum.

Extra acceſſionem, ſcroto à flatibus detumeſcente, & immuui reddito, cingulo inguina ipſa muniantur, ut peritonæi maior laxitas inhibeatur, & hernia, ſaltem bubonocele, arceatur.

Quibus omnibus victus ratio reſpondeat; adeò ut in paſſiuis qualitatibus ad humidum vergat, in actiuis verò temperata ſit, præcepto Gal. qui calida & humida ſola uictus ratione [m], & balneo, affectus huiuſmodi ab initio curauit, & ſanauit. Quæ pro ſalute iſtius Abb. Reuerendiſs. ſatis, quam D.O.M. illi elargiri dignetur.

m 3. de loc. Aff. 7

XI.

CRVCIATVS IMMANES Melancholici.

a de Arte 10.

SI morbi [a] cognitio difficilis, difficilem quoque eiuſdem curationem reddit, caſu noſtro certè difficillimã illam ominor, quòd inſuper eius cauſa, licet cognita, rebellis, & contumax eſſe ſoleat, quia melancholicam cum Vitis Sapientiſs. ipſam cenſeo; ſicut enim cruciatus atroces oſſa ſterni, & ſpiritalia præcordia diuellentes, ad thoracis uertebras diffuſi, & horæ quadrante, aut paulò plus paulatim cedentes, non aliam cauſam, quàm flatulentam materiam agnoſcunt, ita eandem non vaporis, ab humida minera eleuati conditionem obtinere arbitror; ſola enim diſtenſione continuũ ſoluendo dolores excitaret; ſed exhalationis craſſæ, atque terreæ; quia non diſtendentes ſolùm, uerùm & uellicantes, atque lancinantes cruciatus inducit, quòd ſcil. à thoracis calore ægrè adeò, atque difficulter diſcuti poſſit; ſicut facilè diſſiparetur, & reſolueretur, ſi humidæ naturæ particeps foret; quinimò vt plurimùm inſenſibili reſolutione euaneſceret; cùm tamen nonniſi ſudoribus, & punctionibus præcedentibus cedat affectus, craſſitiei, necnon acrimoniæ, imò & aciditatis indiciis accedentibus pallore, refrigeratione, & brachii ſtupore.

Partes affectas neruoſas, membranoſas; ac proinde exquiſito ſenſu præditas eſſe credendum, qualis eſt pleura, qua duplicata mediaſtinum conſtat, cuius cauò maiorem exhalationis partem concludi exiſtimandum, & per conſenſum eiuſdem, ſpatularum, & uertebrarum regionem affici poſſe, vnicuique perito ſit manifeſtum, non ſolùm ob eiuſdem membranæ continuationem; uerùm quia conſenſus unus, conſpiratio una; præſertim uerò

in

in affectibus melancholicis, in quibus repentini obſeruantur dolores, huc illuc momento temporis corpus peruagantes, & linguę b inconſtantiam, ſtupores, atque languores repentè excitantes, citòque euaneſcentes. Neque cor ipſiuſue capſulam lædi, credibile eſt, quoniam palpitationes, aut ſaltus, uel ictigationes ipſius, cum pulſu valdè inæquali obſeruata fuiſſent. b 7. Aph. 41.

Dubia autem uidetur minera, à qua iam dicta eleuatur exhalatio; quæ meo quoque iudicio, in partibus ſpiritalibus non hæret; etenim frequentiores diuturniores, & hucuſque forſan lethales inuaſiones alioquin fuiſſent. Quare per conſenſum fieri, & ego crediderim. Num autem à toto, an ab hypochondriis, non adeò liquidò conſtat; eùm ex altera parte obſtructionum abſentia, probaque chylificatio obſeruetur; ex altera verò hæmatoſis laudata, autopſia confirmata ſatis conſtet. Nihilominus quoniam murmurantia perſentiuntur hypochondria, flatibuſque per os erumpentibus euaneſcit affectus; ideo in aliqua hypochondriorum parte mineram latitare exiſtimandum, in cauo ſcilicet uiſcerum, & quidem facile lienis, potiſſimum vero in pancreate, cuius ſitus profundus nonniſi in valdè emaciatis tactus iudicium admittit.

Affectus quidem grauiſſimus, cui Patientes nonnunquam ſuccumbere coguntur, dum per arterias, aut venas flatulenta materia in affecta loca ſe inſinuat: etenim uel animi deliquijs, ac ſyncope corripiuntur, vel ſanguinis per os copioſo profluuio, ac reiectione repentè ſuffocantur, atque ſi in hypochondriis hæreant dolores, in hydropem ſiccum firmantur; quos omnes infauſtos effectus memini me vidiſſe; ſicut quamplures alios conualuiſſe. Non eſt itaque hucuſque ſalus deſperanda; cùm accommodatorum huic affectui remediorum adminiſtrationem anni tempus nondum permiſerit.

Omni autem induſtria lenientibus, & anodynis intrinſecus, & extrinſecus humectandum; ita enim, tum cauſæ, tum effectui proſpectum fuerit, & flatulenta exhalatio humectantibus potius, quàm validis reſoluentibus diſcuti poterit. Cùm verò vniuerſales expurgationes iam aptè, & exactè præmiſſæ, peractæque fuerint, ad topica ſtatim deueniendum. Quare ſtatim in vſum reuocare poterit flor. caſs. ad ʒ ii. aſſumendum, à quo hora poſt ebibat ſer. depur. ad ℔ i. & tribus, aut quatuor horis à ſero, prandeat. Poſtridie verò aſſumat eadem hora, ſuccum borrag. ad ℥ iv. in iure, maluis, borrag. viol. & meliſſa alterato, à quorum omnium uſu dormiat Nob. Pat. ſi poſſit; tertia die repetatur caſſia, ita alternato hoc ordine ad plures dies. Interim tamen paretur balneum totius corporis, in quo per duas horas ante prandium, aut veſpertino tempore per horam immoretur. Sit autem tepidum, aq. dulcis, alteratæ fol. malu. viol. flor. chamæmel. fœnugręc. & radice altheæ. Et niſi aluus ſponte reſpondeat, iniiciantur clyſteres ex iam dicta decoctione, additis ſyr. roſ. ſol. aut de polip. butyro, oleo amygd. ouo, & ſale.

A quibus omnibus tandem ad lactis aſinini uſum erit æger ducendus, incipiendo ab ℥ v. & ad ℔ i. uſque progrediendo, cum ſacch. quo tamen tēpore & balneum adminiſtrari poterit; duo namque huiuſmodi remedia in hoc affectu principatum obtinere puto. Quod ſi fortè lac corrumperetur, differatur eius uſus, & illius loco exhibeatur ſer. dep. ad ℔ iij. aut iv. cum vehiculo ſyr. roſ. ſolut. tribus, aut quatuor continuis diebus; ita enim remiſſo hypochondriorum æſtu, lac facilius admitti poterit.

Et quoniam familiari aliquo remedio eget Pat. Nob. atrocibus adeò doloribus accommodato, ac præſeruante; ideo in hunc finem, clyſterem præciperem, ex ſolo lacte Vaccino, in quo ʒ i. philon. Rom. ſed rec. diſſoluta ſit; qui alternis diebus, qualibet hora iniiciatur, nec ultra tres, aut quatuor horas detineatur, ne nimium ſtuporem inducat: hoc enim ſolo, ſpero, fore, vt exhalatio præuertatur, & Nob. Pat. præſeruetur, abſque alio narcotico viſceribus officiente.

Ita præſentaneum, vigente dolore, remedium poterit eſſe ius maluis, & flor. chamæmeli alteratum, cui infundantur, aut gutt. ii. ol. cinnam. legit. vel cochlear elixir vitæ, aut aq. theriacalis, ut laxando, & leniter reſoluendo, citiùs reſoluantur exhalationes, & ipſi dolores.

Victus autem ratio iam dictis proportione reſpondebit, Præclariſs. Viris notiſſima; hoc ſolùm ſuggerendo, quod cùm exercitium, opportunis horis, neceſſarium habeatur, ad motum autem corporis, exhalatio iam dicta pernicioſa exuſcitetur, equum conſcendat æger; cùm enim abſque ulla ui, aut conatu equitet, finem noſtrum ſine moleſtia conſequemur. Quibus omnibus, ſub inculpata Sapientiſs. Virorum cura, fauente Deo, uoti nos compotes fore ſperamus.

XII.

MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA.

NOn eſt, qui non videat, Virum Illuſtriſſimum, ac Reuerendiſſimum à naturæ primordiis, dyſcraſia viſcerum naturalium laborare, & præſettim iecoris calida, imò feruidiori, qnæ vèl à pueritia vitiatam; hæmatoſin innexit, vnde à quarto ætatis anno, vſque ad duodecimum frequenti narium hæmorrhagia correptus fuit, quæ niſi vitium [a] ſanguinis, ſed vaſorum tantùm cauſam habuiſſet, eidem à duodecimo anno ſuppreſſæ, puſtulæ in toto, & alia ſymptomata non ſucceſſiſſent. Verùm quoniam feruente iecore, improbus non ſolùm, calidus ſcil. & bilioſus, atque in progreſſu melancholicus, & exuſtus gignitur ſanguis; ſed inſuper cæteris viſceribus naturalibus, præſertim ventriculo labes inuri ſolet; hinc conſueta de uentriculo malè coquente querela; cui niſi à medicis ritè, & rectè proſpectum fuerit, res ſemper in deterius ruet. Cùm verò nos lateat modus curationis Viri Illuſtriſſimi, ideo de præſenti ſtatu conſulamus.

a 3. de Sympto. Cauſ. 2.

A iecoris, & hypochondriorum feruore chyloſin in ventriculo affici, eumque labefactari, quotidiana experientia demonſtrat; licet circa modum Medicorum vulgus decipi ſoleat, qui omnia mala, uentriculo contingentia, deficienti calori natiuo adſcribunt, cùm tamen res ſecus ſe habeat; licet enim à [b] calore innato fiat concoctio, & chyloſis ſit propria ventriculi actio, [c] vt crurum ambulatio; non tamen ſequitur, quod chyloſis, ſiue imminutè, ſiue deprauatè læſæ in natiuum calorem deficientem cauſa ſit conferenda; unde Gal. monebat, quod coctione [d] in ventriculo laborante, non ſtatim ventriculum ipſum inculpemus; ſed prius conſideremus circunſitas ipſi partes, nimirum iecur, lienem, meſenterium, omentum &c. idque quoniam ſe habet ventriculus, tanquam lebes, qui ab hiſce omnibus partibus idoneum calorem ſuſcipit, chyloſi per elixationem perficiendæ, in quem finem iecur ipſum, ueluti manus [e] ventriculum amplectitur; ſed & lien pluribus arteriis perfuſus, & ſanguinem melancholicum elaborans, prout & meſenterium mutuas ipſi conferunt operas. Verùm quid de omento, quo vulnerato, & abſciſſo, Gladiator [f] ille non amplius, niſi imperfectè concoquere potuit? cùm non modò calorem ventriculo inferat, verùm & humiditatem foueat, elixationi omnino neceſſariam.

b 4. in 6. Epid. 14.
c 17. de Vſu Part. 2.
d 1. de Loc. Aff. 4
e 4. de Vſu Part. 8.
f 4. de Vſu Part. 9.

Quibus conſideratis addendum, quod calor iſte ventriculo, à iecore potiſſimum, & à reliquis iam dictis partibus, ad coctionem impertitus, debet eſſe luculentus, ſuauis, & moderatus, elixans, non torrefaciens, alioquin ſi nimius, & exuberans, vel alimenta ad nidorem corrumpit, & dyſpepſiam excitat; vel ut magna flamma, exiguam ventriculi rapit, diſſoluit, & labefactat, ſicque bradypepſiam, imminutamque coctionem inducit. Quinimò temporis progreſſu, carnoſas ventriculi partes exſiccando, etiam ſine vlla calidi innati diminutione, imbecillitatem eidem infert, vnde coctiones malè procedunt; hinc dicebat Gal. quod præter alias cauſas, quæ ad coctionem concurrunt, eſt tota ventriculi [g] ſubſtantia; ſic partes ad ventriculum ſpectantes dicebat [h], debere eſſe benè comparatas, & carnoſas; hinc tenuitas tunicarum eiuſdem coctionibus obeſt; ſemper enim ventriculus gracilis [i] deteriùs coquit: unde concludit, quod naturalia inſtrumenta, quò humidiora fuerint, eò ad nutriendum magis idonea: dura verò, & ſicca inepta.

g 3. de Nat Fac. 7.
h 2. Aph. Com. 35.
i 5. de Vſu Part. 12.
K 3. de Sympto. Cauſ. 3.
l 2. de Diut. Aff. 6. & Celſ. 1. de Re Med. 2.

Et licet ad naturalium viſcerum, imò ad totius exſiccationem, atque natiui caloris à ventriculo diſtractionem, non parum conferant intenſa ſtudia, & animi aliæ applicationes, unde dicebat Aret. quod [l], *Diſciplinarum amor, abducit nos à patria, à Parentibus, & à nobiſmet ipſis, vſque ad mortem*. Nihilominus coctionis, ſæpè imminutæ, & quandoque depranatæ, in Illuſtriſſimo hoc Viro, auctor, & fomes ſemper fuit immodicus, iecoris primò, mox & hypochondriorum feruor: prout quoque prauæ ſanguificationis, & ſanguinis in liene, ac ramis portæ exuſtionis, à quo melancholicæ obſtructiones ſpatio tēporis genitę fuere, progreſſis aliis in venis lacteis, ex cruditatibus productis: unde non ſolùm hypochondriacus, uerùm & melancholicus quoque affectus fuit ſubſequutus, cuius ſigna, ex relatis, non deſunt, ab eleuatis exhalationibus emergentia.

Verùm

Verùm quoniam, ætate inualeſcente, & ad virilitatem tendente[m], calor ſemper acrior euadere ſolet, potiſſimum cùm obſtructiones infarctæ in hypochondrijs augeantur; ideo natura melancholici ichoris portionem, ad venas ſedales, per ramum ſplenicum, indeque per meſentericum, & hæmorrhoidalem deponere coacta fuit, prout antehac ſanguinis partem corruptam in vena caua exiſtentem, ad ambitum corporis detrudere frequenter tentauit. m 1. in 6. Epid. 5.

Ad meliorem tamen ſtatum redigi poſſe Patientem Illuſtriſſimum, non dubito; adeò vt paulatim, proceſſu temporis, laudabilem habitum ſibi comparare poſſit; non enim calor eius natiuus imminutus eſt, licet vtcunque labefactatus, ſemel enim deperditus, nunquam amplius inſtaurari poteſt, cùm tamen quotidie videamus, Viros, & Senes probè, atque perfectè concoquere omnia alimenta, quorum ventres in adoleſcentia, & iuuentute cibos vèl facillimæ coctionis ægerrimè conficiebant.

Quare præcipua intentio medica ſit, adſcititium, & præter naturam iecoris, vaſorum, & hypochondriorum calorem moderare; quod quoniam omnino conſequi non datur, niſi obſtructionibus ablatis; nec obſtructiones auferri poſſunt, niſi corpore prius euacuato; ideo accommodato hoc ordine erit procedendum, vt primæ viæ expientur; inde meſenterij, & lactearum obſtructiones expediantur. Tertiò lienis, & iecoris viæ reſerentur. Quartò totum venoſum genus, quoad fieri poteſt, purificetur. Quintò iecoris, hypochondriorum, & ſanguinis calida intemperies remittatur. Et tandem partes ad ventriculum ſpectantes, necnon vniuerſum corpus ſubſtanrificè humectentur; ita enim reuiuiſcet calor natiuus ipſius ventriculi, dum à prædictis moleſtijs vindicabitur.

Quibus explendis, ſanguinis miſſio ex iecoraria dextera omnino neceſſaria, Medico præſente, ut ſi niger[n] appareat, repetatur poſt plures dies ex ſiniſtra; vtraque tamen potius parca ſit. Cauterium autem coxæ iam inuſtum foueat. n 3. de loc. Aff. 7.

Primarum autem viarum expiatio procuretur caſs. lenit. & tart. vel ſyrup. roſ. ſol. & pot. ex manna clarif. Prima præp. iulap. acet. cortic. citri aromatiz. in exigua aqua totius citri diſſol. quatuor, aut quinque tantùm diebus, vt mox repetatur alterutrum iam dictorum lenientium.

Inde ad validiora præparantia, & aperientia deueniendum, in actiuis temperata, aut moderatè calida, in paſſiuis verò omnino humectantia, cùm ſiccus, atque terreus ſit humor præparandus, in quem finem ſucci ex herbis depurat. nobis arrident magis, quàm ſaccharata, aut mellita, vt quæ hypochondriorum æſtum accendant, & viſcera inflent. Paretur itaque præparans ex ſucc. depur. cich. borrag. & pom. dulc. ad ℥ iij. in decoct. cichoraceorum, additis malu. & viol. folijs; octo autem, aut x. elapſis diebus aſſumat caſſiæ florem, ad ℥ i. cum ʒ i. pil. de tribus cum rhab. cui hora poſt ſuperbibat ſerum capr. aut aſininum depur. ad ℔ ii. & tribus horis ab eo prandeat.

Inde ad validiora deobſtruentia progrediatur; atque ita hæc decoctio parari poterit. ℞. radicum cich. petroſelini, gram. cappar. an. ℥ i. quatuor ſem. frigid. an. ℥ ſ. fol. cich. end. borrag. agrim. ſcolopendrii, capil. Ven. fum. an. m. ſ. fol. ſennæ orient. mundator. epith. radic. polypod. an. ℥ ii. radic. hellebori nigri præp. ℥ ſ. cinnam. integri ʒ iii. aq. ſtill. cich. agrim. an. ℔ i. ſ. m. macerentur omnia per horas 24. deinde bull. parum, & fiat expreſſio, colat. verò adde ſacchari fini q. ſ. ut fiat liquor ad iulapij conſiſtentiam, in quo infunde rhab. optimi, linea tela incluſi ℥ i. & ſeruetur ad vſum, cuius doſis ℥ ii. in iure pullæ end. alterato, alternis diebus aſſumendæ; quod ſi fortè caliditatem aliquam inſignem inferat, hora vna ab aſſumpto liquore, bibar ſeri depur. libram.

In huius verò vſu perſiſtat viginti ſaltem dies, & diebus intermediis, repetat vſum ſuccorum depur. quibus addere licebit ſuccum quoque, aut fumar. aut agrim. prout Sapienti Medico aſsiſtenti conſultius niſum fuerit.

Et licet iam dictum medicamentum, non ſolùm ſpectet obſtructiones reſerandas; verùm & ſanguinem cacochymum depurandum; attamen iam dictis tranſactis diebus, validior aliqua venoſi generis expurgatio ſubſequi poſſet, extracto veratri, flore caſs. miſto, à quo bibat copioſum ſerum, ad ℔ ii. vel iii; quod iterum, vel tertiò repeti poterit, ſi ita Excellentiſs. Adſtanti è re viſum fuerit.

His peractis, calida iecoris, atque ſanguinis intemperies, & hypochondriorum æſtus omnino contemperandus, atque adeò aquas acidulas Thermales Ficoncellæ, à Viris Excell. propoſitas, commendamus, primis quidem quatuor diebus cum vehiculo deiectorio, mox reliquis omnibus cum vehiculo diuretico; namque ad vrinæ vias permeare debent,

Digitized by Google

ut iecoris intemperies calida retundi poſſit.

Harum autem aquarum abſoluto uſu, nullo modo duo magna remedia omittenda erãt, vt viſcera omnia, cum toto corpore perfrigerentur, & ſubſtantificè humectentur, Lac ſc. intrinſecùs; Balneum verò extrinſecus. Lac autem ſit xx. dies Aſininum, vt quod facilius permeet, & per vniuerſum corpus digeratur; cui mox ſuccedat Caprinum, vt quod magis humectet, & nutriat, aſſumatur autem ſtatim mulctum, cum ſacchato, ad quadraginta, vel quinquaginta dies, pro more.

Extrinſecùs verò Balneum præſentiſſimum fuerit Illuſtriſſimo Viro remedium, ex aq. dulci, folijs malu. viol. nenuph. lactucæ, & ſalicis alterata, ſed tepida; cui ſub finem tantùm affundatur frigida. A Balneo verò ſtatim totum corpus molliter detergatur, & copioſo ol. amygdal. dulc. recõllinatur.

De victus ratione non eſt, quod verba faciamus; iam enim à Viris Excell. inſtituta fuit; quæ dictis tamen proportionata ſit; hoc ſolùm addito, quod prima menſa perpetuus ſit vſus iuſculi folijs, vel borrag. vel malu. alterati. Et ſi ventriculo robur aliquod conciliare placeat, cautè valdè id agendum, & nonniſi ab aſſumpto cibo; tunc enim impunè, & citra iecoris, aut hypochondriorum offenſam, ſumere poterit ſalem abſinthi, à ℈ ſ. ad ℈ i. vel pil. ex ℈ i. ſucci eiuſdem condenſati; vel duo integra grana maſtiches deglutiat. Et quoniam, vt notat Auic. *Aromatizatione ventriculus gaudet*; ideo ſuaue, & egregium erit eiuſdem remedium, confectio ex gutt. ol. cinnam. parata, ſaccharum diſſoluendo aqua cinnam. & ſi aluus ſegnis fuerit, ab Aloeticis omnino abſtineat, cæteriſque purgantibus, & flore caſſ. de more vtatur ad ℥ ii. vel iii. aut prunis damaſcenis in vino decoctis, in quo prius folia ſennæ infuſa bullierint. Quo omnia Illuſtriſs. ac Reuerendiſsimo Viro, à D. O. M. ſalutaria precamur.

XIII.

MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA;

CVilibet Medicorum facilè patere poteſt, Nob. Pat. hypochondriacum eſſe non ſolùm, verùm & melancholicum; priorem enim affectum ſatis produnt querelæ de ventriculo læſo, ut reuera affici ſolet, dum eius concoctio, noſtro caſu, imminuitur; prout quandoque in hypochondriaca legitima, ex phlogoſi in pyloro deprauatur; quod tamen in præſens non euenit; cùm hypochondriacæ huiuſce minera procul à fundo, & in parte remotiori facilè deliteſcat; præterquamquod eandem affectionem confirmant iuges, & quotidianæ cruditates geuitæ; atque tandem flatus Nob. Pat. moleſti, à quibus & paſſionem hanc flatulentam denominauit ipſe Gal. [a]

[a] 3. de Loc. Aff. 7. Verùm quoniam iam dictis accedit animi anxietas, nimiaque ſolicitudo de rebus proprijs, pluſquàm ratio poſtulet; metuit inſuper, imò futuræ ſaluti deſperat, & ob id mœrens continuò de proprio ſtatu verba facit, ſemper quærit noua remedia, conſortia, & iucundas

[b] 6. Aph. 23. animi occupationes odio habet; adeò hypochondriacæ melãcholicam quoque affectionem iungi, non eſt, qui dubitare poſſit; timor enim, & [b] mœror perpetuò affligentes, ſine cauſa manifeſta, characteres ſunt melancholici hominis; ſtatus enim præſentis conualeſcentiæ non eſt cauſa ſufficiens tanti mœroris, nec propriæ deſperandæ ſalutis.

Quaſcunque febres, acutas potiſſimum, atque autumnales, ſequi viſcerum omnium imbecillitatem, docet ipſa ratio, & experientia; cùm ſint morbi uniuerſales; ſed patitur præſertim ventriculus à frigidis alterantibus neceſſariò exhibitis, poſt prægreſſos, æſtate, frigidos potus, fructuumque vſum; vnde ſæpè fit, ut plus æquo cruditates in conualeſcentibus coacerventur, vt in Nob. iſto Pat. à quibus obſtructiones, abſque dubio, productæ fuere, tum in meſenterio, tum facilè in caua iecoris. In meſenterio quidem, quoniam ab iiſdem Aortam comprimentibus, fit pulſus alteratio, maxime verò accedente ventriculo nouo alimento; ſed & in iecore, aut ſaltem lacteis; vnde difficilior nutritio, atque ſanguificatio. A præſentibus autem obſtructionibus æſtum iecoris, & hypochondriorum auctum, ventriculi calorem inbecilliorem reddere certum eſt, non ſecus, ac maior flamma, ſimilitudinis

ratio-

ratione, minorem ad ſe attrahit, quinimò etiam extinguit; unde non poſitiuè, ſed priuatiuè imbecillior fit ipſe ventriculus; quatenus ſcil. ipſius calor, non calidum innatum, ut perperam aliqui, labem quidem, non uerò diminutionem patitur, cùm humidum primigenium eodem ſtatu uigeat. Hinc neceſſarius cruditatum prouentus, à quibus flatus, qui ratione mineræ obſtructionum, non amplius humidæ, ſed ſiccæ, & melancholicæ redditæ, exhalationum potius, quàm uaporum naturã ſapiunt, ob idque craſſiores, & ad reſolutionẽ difficiliores euadunt; prout ab iiſdem, à cruditatibus nouiter emergentibus, & corruptis in primis uijs, febres quotidianæ breuiores non ſemel ſubortæ fuere. Verùm quoniam ab intenſiori uiſcerum calore, ſanguis ipſe in portæ ramis craſſior, & melancholicus euadit; hinc mirum non eſt, ſi halitus ab eodem geniti, & ad cor, atque cerebrum eleuati, tetri, & nigri, cum Gal. ſiue cum Auerr. opaci, frigidi; & fuliginoſi cum Ariſt. non autem diaphani, timorem incutiant, mœrorem inducant, atque animales functiones, imaginatricem præſertim deprauent. Tandem naturali œconomia labefactata, euaporationes, tum calidas, tum craſſas, & crudas in caput, ut totius domus caminum, efferri, & denſatas in ſubiectas partes adinſtar pluuiæ defluere, iandiù fuit obſeruatum, & obſeruatur in dies,

Hæc autem mala, ut radicitus extirpentur, opportuniori anni tempore egent. Et licet hypochondriaci affectus auxilijs medicis adeò ſæpe obnitantur, ut ab aliquibus inexpugnabiles cenſeantur; nihilominus præſens, utpote recens, & à Viris Exc. benè curatus, quin ſuperari poſſit, non dubito; cùm recentes, ſola victus ratione humectante, & Balneo a Gal. curati, & ſanari conſueuerint, c. 1. de loc. Aff. 7.

Interim aliqua, hoc quoque tempore, ſunt agenda, non ſolùm vt augmentum inhibeatur, verùm etiam ut remittatur affectus, ne N. P. uſque in proximum Ver adeò ærumnoſam vitam ducat: commodè namque obſtructiones imminui, & melancholici humoris praua qualitas humectantibus retundi, necnon hypochondriorum æſtus remitti, ſicque vapores caput petentes reprimi poterunt.

Quibus explendis, in fonte Chirurgico, omiſſa qualibet ſanguinis miſſione, propono quotidianas pedum lotiones, ante cibum exercendas, ut fiat à capite reuulſio; ſicuti leues frictiones totius corporis, manibus copioſo ol. amyg. linunctis, & abdominis illitus ung. roſ. malu.

Ex Pharmaceutico deſumenda aperientia, & per epicraſin euacuantia, atque tandem calorem contemperantia; atque adeò, iam peractis inhærendo, apozema in uſum reuocari poterit, ritu Ferneliano compoſitum, ut quod moderatè attenuare, aperire, & per epicraſin humores educere poſſit, quod ita concinnabitur. ℞. radic. cich. petroſel. aſparag. fœnic. an. ℥ j, quatuor flor. cord. an. pug. i. fol. maluæ, borrag. end. capil. Ven. agrim. fumar. an. M. ſ. fol. ſennæ rec. mund. ℥ iij radic. polyp. querc. ℥ ii. epit. ℥ i. radic. veratri præp. ʒ ii. cinnam. integr. ℥ ſ. aq. ſtillat. cich. ℔ ii. agrim. ℔ i. m. macerentur omnia, per horas 24. deinde fiat fortis expreſs. & colat. adde ſacch. fini q. ſ. & bull. ad iulap. conſiſt. cui infunde rhab. opt. lineo incluſi ℥ ſ. ſpicæ gr. x. globulo rhab. ſemper in iulap. demerſo. Ex hoc autem præbeantur ℥ ii. in iure cich. vel end. alterato, quatuor horis ante cibum. Quod ſi aliqua ex medicamento caliditas ſuſpecta fuerit, tranſacta hora ab eodem aſſumpto, bibat N. P. ℔ i. ſer. depur. aut etiam deſtill. Sequenti vero die, cyathum ex aq. ſtill. de ſucco cich. & agrim. in qua diſſoluta ſint tart. vitr. gr. x. ſicut tertio repetat apozema iam dictum; deinde die ſequenti, aquam & ita perſiſtat 20. dies ſaltem. Et ſi fortaſſe iam dictum medicamentum Nob. Pat. non arrideat, ſubſtituatur rhab. ʒ ſ. ʒ ij. flor. caſs. miſta; cui hora poſt, ſuperbibat ſer. iam dictum, & tribus horis ab eo prandeat; ſequenti verò die, aſſumat aquas, cum tart. vitriol. & ita pergat plures dies, ut ſupra.

Quibus peractis, hypochondriorum, & iecoris æſtus nonnihil contemperandus, aqua ſtillat. end. addita conſerua de acido citri, vel de ſucco lim. per aliquot dies, mane, ieiuno uentriculo haurienda. Neque obſtet ventriculi frigiditas; quoniam priuatiua cùm ſit, calore hypochondriorum remiſſo, & ipſe ventriculus roborabitur. At ſi placeat leuiori aliquo medicamento robotante uti, exhibeatur ſal abſinth. vel duo gr. maſtic. integr. deglutita, ſtatim ab aſſumpto cibo, non autem ieiunè. Quæ nunc ſufficient. Etenim ſub finem Veris, noua expurgatio erit inchoanda, Acidulæ exhibendæ, Lac aſininum inde præbendum, & Balneum aq. dulcis uniuerſale adminiſtrandum, ut omnino affectus, cum ſuis cauſis expugnetur.

Quibus omnibus interim victus ratio proportionem habere debet; non tamen attenuans, minusque tenuis; ſed valdè humectans. Quare alimenta ſint facilis coctionis, &

diſtributionis, non flatulenta, non glutinoſa, non acria, non ſalſa; vinumq; tenuis ſubſtantię, non dulce, non auſterum; & prima menſa hauriat de more ius tenue, borrag. vel end. alreratum. Somno verò ſolicitando, à cœna comedat portionem aliquam panis martij, ex amygd. non ſolùm, verùm & ſem. lactucæ, atque papau. cum ſaccharo parati. Corpus ieiuno ventriculo exerceat, & aluo ciendæ caſſia utatur, ad ʒ ij. uel iij. ſed frequenter. Tandem alacri, ac præſenti animo viuat, neque ſuggeſtionibus, aut deceptionibus melancholicis adeò facilè fidem adhibeat.

XIV.

MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA.

Hypochondriaca, ſeu flatulenta affectione teneri Virum Illuſtriſſimum, luce clarius patet, ex accuratiſſima, atque ſapientiſſima hiſtoria Excellentiſs. Viri, dum uentriculi imbecillitas, anxietates à cibo, reſpirãdi difficultas, aurium tinnitus, & tandem flatus copioſi, in ructus erumpentes conſiderantur; à quibus ſicut iam dicta ſymptomata pendent; ita, iiſdem cedentibus, & euaneſcentibus, cedunt & ipſa. Verùm hypochondriacæ paſſioni melancholicum quoque affectum adiungi, atteſtantur mentis confuſio, & ſpirituum defectus quidam, *difficilis* negotiorum cura, tum ob confuſionem iam dictam, tum ob impatien-
a 3. in 3. Epid. 82. tiam, ſeu difficilem tolerantiam; quæ quandam obſcuram [a] mentis deprauationem perito Medico ſatis pateſaciunt, præterquamquod & inſomnia turbata turbatos quoque à
b 6. Aph. 23. uapore melancholico ſpiritus manifeſtant; ac tandem timores [b], mœrores, & in ſolitudinem seceſſus, omnino eundem confirmant.

Hanc autem in ſolis hypochondriis radicem habere credendum; cùm alioquin Patiens Illuſtriſs. boni habitus ſit, probaque à natura totius corporis conſtitutione, & conditione fuerit donatus, ſolo immodico iecoris feruore excepto, meri potu forſan etiam contracto; qui ideo ſanguinem, ſuperioribus annis, iuſto acriorem produxit, facultatem expultricem uenarum proinde irritantem, & frequentem hæmorrhagiam excitantem; quæ fortè à moleſtiis præſentibus Virum Illuſtriſſimum præſeruabat.

Et quoniam hypochondriorum nomen latius ad uniuerſam abdominis regionem extenditur; ideo & hanc affectionem, melancholicam hypochondriacam appellauimus; licet à meſenterio, & uenis lacteis originem duxerit, in quibus non ſolùm cruditates ab improportionatis obiectis, atque continuis ſtudiis accumulatas, & à iecoris calore areſactas,
c 3 de Loc. Aff. 7. ac terreas redditas; ſed & ſanguinem craſſiorem [c] in iiſdem eſſe factum, omnino ſtatuẽdum; ſicut enim ab exhalationibus terreis hypochondriaca iam dicta accidentia procedunt; ita
d 1. de Morb. n. 28. melancholica in capite, & corde, nonniſi à vaporibus, ex ſanguine [d] melancholico eleuatis, & ſpiritus animales inficientibus, atque obtenebrantibus emanare poſſunt.

Quorum omnium remiſſionem quidem, non tamen perfectam ſolutionem, vnica purgatione, ſperare nos poſſe credimus; dummodò tamen Patiens Illuſtriſſimus accommodatiori viuendi ratione vtatur, ea obſeruans, quæ à Viro Prudentiſs. & Excellentiſſimo præſcripta fuerunt.

Noſtrum interim erit, primas vias mundare; obſtructiones exſiccatas, emolliendo, aperire; hypochondriorum, & iecoris feruorem contemperare; & euaporationes, ſiue exhalationes à ſublimioribus partibus diuertere, ac eaſdem ventriculum obſidentes, & diſtendentes, ſeptumque comprimentes, cautè diſcutere, atque reſoluere.

Quibus intentionibus vt ſatisfaciamus, repetita conuenire poterit ſanguinis miſſio, ex
e 6. Aph. 11. & 21. iecoraria dextera, & ex hæmorrhoidibus; imò ſi bis anno ſaltem, uenæ [e] hæmorrhoidales hirudinibus aperiantur, optimum fore exiſtimamus; ſicuti, ſi mentis perturbatio frequentior euaderet, cauterium coxæ dexteræ inurendum foret; licet & nos ſperemus, morbum
f 8. Aph. 6. medicamentis, ſine ferro, [f] & igne, magna parte ceſſurum.

Ventriculus expiandus caſs. lenit. & tart, uel ſyr. roſ. & manna, cum aqua flor. citri. Inde præparandi humores, ventriculo inhærentes, iulap. acet, ad ℥ iij. cortic. citri, aut cinnam.

nam. aromatiz. ſine diluto. Et quinque, aut ſex exactis diebus, iam præſcripto leniente pręparati humores erunt educendi; atque vlterior tentanda præparatio, ſuccis herbarum potius, quàm ſyr. ſaccharatis, aut mellitis, ut qui viſcera inflare, & accendere poſſint. Ideo præſcribi poterunt ſucci deput. cich. & borrag. ad ℥ iij. in decoct. end. acet. malu. viol. & meliſſæ, quorum vſui decem diebus erit inſiſtendum. Deinde medicamentum nonnihil purgans exhibendum, ex infuſ. rhab. & foliorum ſennæ, addito modico cinnam. integro, in aqua meliſſæ, & expreſſoni ſyrup. roſ. ſolut. cui medicamento, duabus, aut tribus poſt horis, ſuperbibat Vir Illuſtriſſimus, ſeri capr. depur. ℔ ii. Et quoniam iam dictis ſuccis exſiccati humores, obſtructionum cauſa, nonnihil humectati fuerint; ideo deobſtruentia, ſed benigna, & leuiora in vſum reuocari poterunt, qualia, caſu noſtro, erunt rhab. ad ℈ i. vel ʒ ſ. uel commanſum, & maſticatum cum paſſulis; uel caſſia commiſtum, ita ut fiant bol. ii. & quotidie exhibeantur, xv. dies, epoto hora poſt, iure pullæ iunioris, cich. & malua alterato.

Quibus peractis, ad hypochondriorum, & iecoris feruorem contemperandum, & reliquias obſtructionum magis exſiccatas emolliendas, atque ſuperandas, Aſinini lactis vſus conuenientiſſimus fuerit (aquas enim Thermales exſiccantes, licet refrigerantes ſuſpectas habemus) cuius lactis vſui 40. ſaltem dies inſiſtendum cenſemus.

Interim victus rationem ſemper, non quidem rigidam, ſed moderatam, à Viro Excellentiſſimo Adſtanti præſcribendam, neceſſariam fore arbitramur. Circa quam pauciora, ſed præſtantiora attingemus. Aer enim craſſus, nebuloſus fugiendus; alimenta pariter ſalita, acria, aromatica, acida, craſſæque ſubſtantiæ. Vina item meraciora, & generoſa. Prima menſa, in uſu habeat ius borragine alteratum. A prandio uerò ſtatim deglutiat, duo; aut tria grana maſtic. integra, aut pil. ex ℈ i. ſucci abſinth. condenſati: à cęna uerò, quæ parca eſſe debet, conſeruam roſarum. Et intermedio tempore, ſi flatus abundent, uentriculum extendentes, & anxietates, uel ſepti compreſſionem inducentes, utatur aliquo cochleari aq. cinnam. uel aquæ uitę iuniperinę, aq. totius citri temperatę; uel rotulis ex gutt. ol. de cortic. citri, & quinta eſſentia roris marini, cum ſaccharo, aqua cinnamom. diſſoluto paratis. Somnus longior permittatur, & procuretur: exercitiumque fiat ante cibum. Moderata ſit Venus, ſicut & moderatę quoque, & intermiſſę animi applicationes. Quæ omnia à D. O. M. ſalutaria precamur.

XV.

MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA.

Hypochondriacus affectus, iſque melancholicus, octo abhinc menſibus, in Adm. R. Viro deprehenſus eſt, qui forſan antea quoque adfuit, non adeò tamen manifeſtus; & qui ſicut ab obſtructionibus originem duxit, in lacteis, & meſentericis venis delitescentibus; ita priores, à cruditatibus in ventriculo genitis ob reuocationem caloris à quotidianis, ac diuturnis meditationibus, ſtudiis, & curis, dum confitentium peccata audiret, breui temporis ſpatio, à calore circunſtantium viſcerum, & potiſſimum iecoris, ſiccæ, terreæ, atque melancholicæ redditæ ſunt; prout poſteriores, non à cruditatibus prouenerunt, ſed à ſanguine craſſo, melancholico, atque exuſto, tum à iecoris feruore; tum ex concluſo calore, ob priores obſtructiones, unde melancholicorum ſymptomatum ortus, timores [a] ſcil. atque merores; quia prudentia [b] in probo ſanguine ſita eſt. Quod autem ſanguis in hypochondriacis melancholicis, ſit huius naturæ, innuit nobis Gal. 3. de Loc. Aff. 7. dicens. *Flatulentas autem, ſeu hypochondriacas appellatas affectiones, credendum, plus caloris, quàm deceat habere, in illis venis, quæ alimentum è ventriculo excipiunt, in iiſdemque craſſiorem ſanguinem eſſe factum.* Quibus poſtea addit hypochondriaci affectus ſymptomata; inter quæ, obſeruatione dignum eſt illud, quòd æſtum habeant in præcordiis, iuuentur à frigidis, lædantur à calidis. Quod quidem ſignum adeſt in admod. hoc Reu. Pat. in cuius pyloro, venę adeò craſſo ſanguine, & feruidiori replentur, vt veluti uaricoſæ, tumoris ſpeciem intuentibus, ac tangentibus præbeant; hinc phlogoſis, & calor improportionatus, corruptionibus magis,

a 6. Aph. 23.
b 1. de Mor b. n 28.

Digitized by Google

gis, quàm concoctionibus idoneus, in ventriculum diffunditur, ex quo corruptiones contingunt, aliquando ad nidorem; unde nonnunquam vomitus, frequenter amari, & quandoque atri coloris; aliquãdo ad acidum à frigiditate, non poſitiua, ſed priuatiua ventriculi, facilè à proximo æſtu inducta, vel ab aliqua portione naturalis Melancholiæ excremẽtitiæ, ſed utilis, à liene, per uas breue (licet Veſalius in Cadaueribus id negauerit) in uentriculum transfuſæ, hincque aciditatis ſenſus; uel ex acidæ materiæ permiſtione, ut in externis quoque, ab exigua portione ſucci limonum, aut agreſtæ fieri uidemus; uel ab intenſo calore extraneo, naturalem à uentriculo, & cibis attrahente, & aciditatem, non ſecus, ac in c uino, inducente.

c Trall. Lib. 1. Cap. 1.

Affectus equidem non ſpernendus, nam præterquamquod melancholia, in huiuſmodi corporis habitu, facilè toti uenoſo generi impertiri poſſet; caſu quinetiam præſenti, facilè quoque Pat. ad Atrophiam, & rabem, aut ad morbum nigrum perducere poſſet.

Quare ſtatim quidem, ſed cautè ualdè curatio aggredienda; quæ non adeò breui perfici poterit; cuius cauſa, præcipua Medici intentio in alteratione conſiſtere debet. Secunda in apertione. Tertia in euacuatione; & quidem omnia recto ordine abſoluenda.

Et circa euacuantia, non ſolùm à purgantibus, uerùm & à lenientibus calidis omnino abſtinendum, in curationis principio; Quare primò lenita fuit aluus flore caſſ cum momento crem. tart. cui ſuperbibit ſerum capr. depur. ad ℔ ii. Et quoniam alteratio humectantibus potiſſimum, atque laxantibus perficienda, ideo illorum uſum ea ratione inſtituimus, ut die ſequenti, aſſumeret ſuccorum depur. borrag. maluarum, end. an. ℥ i. in iure cich. alterato, quatuor horis ante prandium; ſequenti uerò flor. caſs. ʒ iii. bibendo ab ea ſeri capr. aut aſin. depur. ℔ i. ita alternato horum uſu, ad 20. dies.

Interim, ſi anni tempus calidum permittat, iiſdem diebus deſcendat in balneum, uix tepidum, malua, uiolis, lactuca, nenuphare alteratum; quibus tranſactis, huiuſmodi medicamentum aſſumat. ℞. flor. caſſ. rec. extr. ℥ i. rhab. ruditer. pulueriz. ʒ ſ. m. f. b. & hora poſt bibat ſer. depur. ad ℔ ii. Ab hac euacuatione tertio, aut quarto die aperiatur iecoraria dextera, ut educatur ſanguis ad ℥ vi. mox aperiens hoc modo præbeatur. ℞. flor. caſs. rec. extr. ʒ ij. rhab. optimi pulueriz. tart. uitriol. an. ℈ ſ. m. ref. bol. iij. quibus ſuperbibat aquam huiuſmodi. ℞. aquæ ſtill. agrim. cich. an. ℥ v. m. & ita perſiſtat, ad decem dies. Poſtea aſſumat hoc medicamentum. ℞. flor. caſs. rec. ℥ j. pil. de tribus ℈ ij. m. f. b. à quibus, tranſacta hora bibat ℔ ij. ſeri depur.

Quibus peractis, progrediatur ad lactis uſum, Aſinini quidem, primis diebus, ut facilius permeare poſſit, nec in uentriculo, aut meſenterio corrumpatur; deinde Capr. ut emolliendo, & contemperando, magis quoque nutrire poſſit; ad cuius uſum prius quoque eſſet deueniendum, ſi bolos propoſitos aperientes, cum aqua, Pat. ipſe non benè ferret. Lac uero ſit illico mulctum, naturali ſuo tepore perfuſum, addito ſaccharo, pro more, in cuius uſu perſiſtat menſem integrum, niſi ſtomachi anxietates, & dolores, uomitus, & alui deiectio liquida eiuſdem corruptionem nobis indicent. Vtendum pariter inunctione uniuerſæ abdominis regionis, ung. roſ. Meſ.

Pro ventriculi roboratione, nihil propono, cùm ipſius offenſam potius per conſenſum, quàm eſſentialem eſſe credendum ſit, eiuſque frigiditatem priuatiuam, non poſitiuam; atque adeo iure Gal. 1. de Loc. Aff. 4. dicebat, quod, coctione in ventriculo laborante, ſtatim conſiderare oportet, & iecur, & lienem, & meſenterium, nec ſtatim culpam in ventriculum eſſe conferendam. At ſi lubeat aliquod corroborans aſſumere, ſit leue, & à cibo, quales forent conſeruæ miſtæ abſinthii pontici, & roſarum, vel bol. ex ſucco abſinthii pontici condenſato, ad ℈ i. vel confect. ex Diarrhod. Abb. & aromat. roſ. vel diacydonium iiſdem ſpeciebus aromatizatum. Sed quoniam his caſibus exſiccantia valdè ſuſpecta ſunt; ideo hæc omnia libenter omitto.

Omnibus iam dictis congrua, atque proportionata victus ratio in actiuis, moderatè refrigerans, aut parum calefaciens; in paſſiuis verò humectans, addenda; abſtinendo à carnibus annoſis, & pinguibus, à carne bubula, ſuilla, leporina, ab auibus aquaticis; ab oſtreaceis, conchiliis, à piſcibus ſquamis carentibus, à cibis ex paſta paratis; ſic & à ſale conditis; à condimentis item aromatum, allii, cæparum, ſuccorum acidorum, ut aurantiorum, limonum, citri, agreſtæ; prout & à dulcioribus. Conceduntur facilè fructus, exceptis ficubus, & vua, niſi appenſa ſeruetur, & tardius comedatur. Legumina omnia vitentur, excepto hordeo, farre, & oriza. Inter olera, braſſica nonnihil ſuſpecta, maximè percocta, Vinum ſit tenuis ſubſtantiæ, non generoſum, non dulce, non auſterum; quod ſi fuerit

rit

rit album, nihil intereſt. Somnus, maximè nocturnus, valdè proderit, ſin minus, ſit quoque diurnus. Exercitium moderatum ante cibum probatur. Aluus lubrica ſeruetur, non ſolùm toto purgationis tempore; verùm & purgatione completa, vel clyſter. ex lacte, butyro, & ſaccharo; vel ℥ ij. aut iij. flor. caſ. Nec ſolum animi paſſiones, atque perturbationes vitandæ; verùm & à quocunque ſtudio vacandum, & conſortijs indulgendum; nec, niſi poſt plures horas à cibo applicandus animus. Quæ omnia propoſita, vt Adm. Reuerendus Patiens à maioribus imminentibus malis præſeruetur, & vt præſens, ſi non hac vice radicitus extirpetur, plurimùm ſaltem imminuatur.

XVI.

MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA.

HYpochondriaca Affectione torqueri Virum Nob. licet non legitimæ, atteſtantur tenſiones viſcerum, & obſtructiones eorundem, in ſiniſtro magis, quàm in dextro obuiæ; cui quoniam accedunt quoque timores, & mœrores, fixæque imaginationes, & præceſſerunt vehementes, ac diuturnæ animi applicationes, corpuſque atra bile redundat; ideo melancholiam quoque hypochondriacæ affectioni adiungi, iuremeritò credendum, iuxta Viri Excellentiſſimi ſententiam. Quod ſi moleſtam magnæ arteriæ pulſationem, & inappetentiam, cum inſigni alui ſtypticitate perpendamus, non quidem incipientem, ſed confirmatam hanc cenſebimus: ſiquidem licet arteriæ pulſationis cauſa in calorem ſanguinis, & ſpiritus vulgò referatur, eam tamen in inſignes, & confirmatas obſtructiones, non meſenterij ſolùm, verùm vaſorum Pancreatis præcipuè referendam puto; à quibus dum comprimitur arteria magna, ſanguis, & ſpiritus continuò eandem præterfluentes, ac eorum transfluxu ob compreſſionem intercepto, viam ſibi parare nitentes, impetum faciunt, ſicq; non naturalis, ſed violenta quodammodo ſequitur euiſdem arteriæ pulſatio. Quoniam verò, obſtructis vaſis ſplenicis, melancholicus humor excrementitius, vtilis tamen, ad ventriculum fami excitandæ non tranſmittitur; ideo neceſſariò inappetentia ſequitur. Nec mirum, ſi tot obſtructionibus infarctis in epigaſtrica, & hypogaſtrica abdominis parte, calor haud ventilatus inualeſcat, à quo fæces exſiccentur, atque ita ſequatur perpetua alui ſtypticitas.

Hæ autem obſtructiones faciſè accumulari potuerunt à cruditatibus in ventriculo genitis, ob naturalis caloris à grauioribus mercaturæ ſtudijs diſtractionem; quæ in vaſis omnibus dictarum partium firmatæ, à calore earundem, & ipſius iecoris adaucto, exſiccatæ & terreæ redditæ, ſpatio temporis in melancholicam naturam deſciuerunt. Verùm quoniam, vt notauit Vir Excellentiſſimus, hic Patiens calido, & humido totius temperamento præditus, multo quoque ſanguine abundat; atque præſente copia muſti, ſeù vini, euidem quoque fæcem copioſam adeſſe neceſſe eſt, vt docebit Galen. ideo melancholicum humorem, in toto quoque venoſo genere redundare, facilè ſuſpicari poſſumus; ſicque melancholiam ab hypochondrijs non ſolùm, verùm & à toto conſenſum aliquem habere, coniectandum, vnde ab vtraque minera exhalationes, cor, & caput petentes, eleuentur, à quibus ſpiritus animales obtenebrentur, cor quodammodo refrigeretur, ac proinde pauidus, atque mœſtus fiat ipſe Pat. & melancholicus. Cuius conſenſus à toto colligi quoque poteſt à ſeroſitatibus, quibus abundare melancholici ſolent, quæ à toto per arterias ad ilia propagatæ, in cauo femoris concluſæ, doloribus excitatis; motum quodammodo intercipiunt, cùm dolores nonniſi motu excitentur. Quibus tamen ſeroſitatibus, cruditates quoque immiſceri credendum; etenim ſi puræ, & impermiſtæ forent, propria aciditate etiam, citra motum, neruoſarum partium continuum ſoluerent, & dolorem, quieſcente quoque ægro, inducerent.

Quamobrem quamprimùm ſtatus præſens Nob. Pat. medicam opem poſtulat, antequam melancholici humores è vaſis, ad viſcerum parenchymata influant, & obſtructionum loco, tumores ſuboriantur, ſicque non habitudinalis, ſed habitualis omnino euadat melancholica affectio; expeditis enim obſtructionibus hypochondriorum, & vniuerſi corpo-

tis

ris toto ſanguine purificato, dolores Ilium ceſſuros ſperare iuuat, etenim ablata cauſa fouente, coniuncta cùm tenuis ſit, à natiuo calore, hac ætate, vigente facilè reſolui poterit. Atque adeò hoc tempore autumnali, hypochondriacæ, & melancholicæ affectioni, totis viribus incumbendum exiſtimo.

Primò primas vias mundando. Secundò humores præparando. Tertiò obſtructiones aperiendo. Quartò præparatos humores in hypochondrijs expurgando. Quintò totum venoſum genus præparantibus, & purgantibus purificando. Et vltimò partium intemperies corrigendo.

Et ex Chirurgico fonte, non vnica, ſed repetita depromenda ſanguinis miſsio, ex iecoraria dextera, obſeruando primò iuxta Gal. a præceptum, exeuntem ſanguinem, num ſcil. niger, & craſſus effluat aliquandiù; quo caſu non modò aperienda quoque fuerit ſiniſtra, ſed ſanguis etiam non adeò parcè mittendus; qui tandem ex venis ſedalibus omnino educendus. Frequentes pedum lotiones, aqua calente, ante cenam erunt præterea adhibendæ.

a 1. ad Glauc. xi. & 3. de loc. Aff. 7.

Ex Pharmaceutico reliqua alia ſunt deſumenda, & primum quidem Leniens erit iam ab Excellentiſs. Viro propoſitum, ex ſyr. roſ. ſol. de polyp. & manna clariſ. epoto ab hoc iure malua. & tart. alterato. Præparans pariter erit iam propoſitum ex ℥ iii. inlap. acet. additis tart. ʒ iij. & aqua cinnam. Quinque verò tranſactis diebus, repetatur iam propoſitum medicamentum, cui ſi addatur rhab. aut ſennæ infuſio, ſuperbibat Par. ſerum depur. poſtquam primò medicamentum aluum ſubduxerit. Secunda præparatio erit curanda ſuccis, ab Excellentiſs. Viro propoſitis cum tart. vitriol. in decoct. propoſita diſſoluto, idque ſeptem continuis diebus; vt mox infuſum agarici, & rhab in aqua endiuiæ, addito ſyr. de polyp. vel roſ. ſolut. præbeatur, & ſerum pariter depur. ab eo ebibendum.

Et quoniam obſtructiones quamplurimæ adſunt, quæ non adeò facilè auferri poterunt; ideo prudentiſsimè à Doctiſsimo Viro, ſyr. Fernel. vſus, decem, aut duodecim vicibus, fuit propoſitus; cui ego omnino ſubſcribo, quem alternis diebus exhibendum puto; ut diebus intermedijs, extractum rhab. cum tart. vitriol. & ab eo aqua agrim. exhiberi poſsit; ita enim inſignem obſtructionum reſerationem ſperare poſsumus. Quod ſi nonnihil caloris ſyrupum Fernelianum, cum reliquis inducere, obſeruatum fuerit, ſeri depur. libra ſuperbibenda ſyrupo iam dicto concedatur.

His peractis, ventriculo aliqua corroboratio concilianda, aquis Tettucianis exhibitis, tribus, aut quatuor diebus, cum vehiculo mellis roſ. & mannæ; quæ ſicut in hoc temperamento calido, & humido admitti poſsunt; ita in ſicco, curando affectui hypochondriaco melancholico prohibentur.

Ab his, totius venoſi generis expurgatio, & purificatio erit perficienda, decoct. epithymi Meſ. ſyr. roſ. ſolut. temperata; adeò vt vnciis quatuor eiuſdem tres ſyrup. roſ. ſol. miſceantur, qua incepta euacuatione, ſuperbibat ſeri capr. depur. ℔ ii. Præbeatur autem tribus, aut quatuor vicibus, alternis diebus, & intermedijs propinetur ſer. depur. cuius vſui, ſi opus Viro Excellentiſs. viſum fuerit, poterit tandem inſiſtere Pat. ad x. vel xii. dies. Vel ſero ſubſtitui poterit aquæ ſtill. cich. cyathus cum ſyrup. de ſucco lim. vel conſerua de acido citri, vt hypochondriorum, & iecoris æſtus, ac feruor contemperetur, quibus medellæ hoc tempore finis imponatur. Ita enim Ilium, atque oſsis ſacri dolores, iam dicta vniuerſali, & totius corporis exacta expurgatione, valdè imminuti, forſan etiam omnino auferentur. Quod ſi res non pro voto ſucceſſerit, noſtra iterum conſultatio præſtò fuerit, vt priſtinæ Vir Nob. ſanitati reſtituatur, quam certò ſperare debet Pat. ex curatione prudentiſſima huius Viri Excell. cuius iudicio omnia iam dicta cum congrua victus ratione, libenter committo.

M E

XVII.

MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA.

MElancholicus Patiens deſcribitur à Perilluſtri, & Excell. Viro; timet enim, mœret, a propriæ aliquando deſperat ſaluti, & nimis de rebus proprijs b ſolicitus eſt, & quidem hypochondriaca affectione laborans, quam ſatis declarant ſymptomata obſeruata à Diocle, à Gal c. deſcripta; imò eam confirmatam arguunt totius inſueta macies, & forſan arteriæ in abdomine inſignis pulſatio. In toto tamen etiam melancholiam ſuſpicamur, ex Agnatorum relatis, ob habitum gracilem, hirſutum, colorem, venas, ætatem, & anteactam uiuendi rationem, quod tamen facilè ſanguis iam miſſus, & mittendus patefaciet.

a 6. Aph. 23. b 3. in 3. Epid. 82. c 3. de Loc.Aff.7

Cruditatũ autem ſoboles cenſetur hic affectus, tum ob natiui caloris imbecillitatem, tum ob eiuſdem diſtractionem à functionibus naturalibus, ob graues curas, & ſolicitudines. Hæ verò à feruido iecore attractæ, in meſenterio, & viſceribus in obſtructiones conuerſæ hærent, à quibus ciborũ transfluxus intercipitur, flatus fuliginoſi eleuantur diſsolutionis difficilis; utpote exhalationis potiùs, quàm vapotis naturæ participes, unde mirum non eſt, ſi diſtendendo immanes dolores partibus inducant; à quibus ob liberam prohibitam tranſpirationem, natiuus calor intenſior factus, phlogoſin excitauit, corruptioni potiùs, quàm coctioni ciborum aptam; hinc ſuperaſſatio, deficiens totius nutritio, humidi radicalis conſumptio, & natiui caloris depauperatio. Ideo ab hac, tanquam ab equo Troiano, tot mala poſtea ſæpiſſimè emanant.

Quare ineunte Vere, totis viribus, ipſius tentanda remiſſio ſaltem, ſi non perfecta ſanatio, ne eſſentialis euadat, aut breui tabes ſequatur.

Totius itaq; leuis, ac diligens inſtituẽda purgatio, & caloris p.n. procuranda remiſſio, tum obſtructiones aperiendo, tum quantùm ſatis, refrigerando. Flatus diſcuriendi, non quidem carminatiuis, ut multi, ſed humidis blandè calefacientibus. Calor tandem natiuus ipſius ſtomachi fouendus, & roborandus.

Repetitam, ſed parcam ex utroque brachio laudamus ſanguinis miſſionem, & naturam rectè operantem imitati, ex hæmorrhoidibus d largam ſatis eiuſdem extractionem admittimus, ad quam ut natura prolectetur, alternis ſaltem menſibus, duæ hirudines illis apponendæ; & reliquo tempore, in ſella aqua tepida repleta fæces Patiens deponat. Cauterium in inferna parte magis affecta, quod varicum ſolet vicem gerere, probamus, in crure quidem, ſi in coxa equitarionem impediat. Balneum hypochondriacis inutile exiſtimamus, niſi ablatis prius obſtructionibus; tunc enim poterit quoque prodeſſe maciei, & melancholiæ à toto. Stillicidium calefaciens, & humectans, ex oleis, opportunè adminiſtratum, ſtomacho profuturum non dubitamus.

d 6. Aph. 11. & 21

Blanda ſint ſoluentia, ut caſſia, lenit. ſyr. roſ. ſol. de polyp. & ad ſummum, diacathol. & à ſoluentibus potionibus ſemper exhibeatur ſerum; confeſtim enim euacuando, exſiccant. Alterantia humectent, ut decoctio cichor. botrag. intybi, malu. uiol. hord. liquirit. paſſul. quibus poſtea addi poterunt fol. tamariſ. ſcolopend. eupator. cum ſyr. de cichor. de ſucco botrag. progreſſu facto uſque ad bizantin. ſiue de duab. radic. ſed cautè. Omnes minerales aquas, ut Tettucianas, & huiuſmodi alias omnino reprobamus. Iterum verò ſic blandè corpore expurgato, ternis quoq; aut quaternis diebus, ſerum capr. præp. in quo macerata fuerit rad. Veratri nigri, per quatuor, aut quinque vices exhibendum; diebus autem intermediis, ſuccus cichor. & fumar. in iure, ut ſupra, alterato pręberi poterit. Poſtea, chalybs præp. tanquam hypochondriorum alexipharmacum, à nobis extollitur per viginti ſaltem dies; cui admiſceri poterit ſuccus abſinthij, & cichor. condenſatus, epotò ab eo iure pullæ, cum china, & herbis humectantibus, & impropriè diureticis; abſtinendo à ſaſſafras, lentiſco, & alijs huiuſmodi exſiccantibus; humido enim radicali in priſtinum reſtituto, calor natiuus reſurget, & proprias rectè obibit functiones. Idcirco, in hunc finem, uſum lactis aſinini eo tempore certò profuturum ſperamus; quod de aqua Noceræ polliceri du-

Digitized by Google

bitamus; eo namque tempore forſan humectatione ſubſtantifica potiùs, quam refrigeratione opus fuerit.

Victus ratio iam dictis proportione reſpondeat. Attenuant corpus vigiles miſerabiles curæ; ideo alacriter uiuat, procul à negotijs; parciùs bibat vinum album, tenue, auro in eodem extincto, Comedat carnes non recentes ex Hipp. & iuuenes. Bibat perpetuò ius non pingue ante prandium, & ſerò comedat cremorem ptiſanæ cum lacte amygd. à Fernel. adeò commendatum, qui proderit etiam doloribus. Aluus conſueto elect. aut ſimplici caſſia, cum tantillo diarrhod. Abb. lubrica ſeruetur; & peracta diligenter huiuſmodi purgatione, medicamentis omnino ſuperſedeat. Cœlum mntet. Deus vota ſecundet.

XVIII.

MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA.

SIcuti Reuer. Patiens, de rebus proprijs nimis ſolicitus, ideo moroſus [a], necnon timens, [b] & mœrens, ſæpè abſque cauſa manifeſta, melancholicus proinde cenſendus; ita hypochondriaca affectione potiſſimum laborare credimus; nondum tamen conſummata; non enim omnia adſunt ſymptomata, à Diocle apud Gal. [c] propoſita, quia licet adſint rugitus, fluctuationes, flatus circa meſenterium, & tenſiones, per hypochondria huc illuc uagantes, æſtus in præcordiis, aliqua anxietas à cibo, euaporationes in caput, aluus ſicca; non tamen adhuc ab improportionato pylori calore coctiones deprauantur, cibi corrumpuntur, & per vomitum reiiciuntur: nondum totius macies progreſſa, nec euidens arteriæ magnæ in abdomine pulſatio, quoniam præter obſtructiones, quæ in meſenterio manifeſtæ percipiuntur, leuiores in lobo hepatis, ventriculo incumbente, vix ſe produnt; nondum tamen tanta copia ſanguinis craſſioris in uenis infra pylorum aceruata eſt, vt eas obſtruat, alimenti diſtriburionem impediat, cibos corrumpat, cæteraque ſymptomata praua pariat, & legitimam melancholiam hypochondriacam conſtituat: ut præclarè aureis uerbis, me quoque antea cum iunioribus deceptum docuit Gal. Iuges itaque cruditates genitæ, tum à ventriculo imbecilliori, ex diſtracto calore, ob curas, intentasque cogitationes; tum ab obiectis improportionatis, & viuendi liberiori ratione, à feruido iecore etiam immaturè attractæ, in Meſenterio potiſſimum, ſed & Iecore in obſtructiones conuerſæ hærent, quæ iam ſiccitatem, & aduſtionem contraxerunt, dum proceſſu temporis, non ventilato calore, & à iecoris feruore abſumpta parte illarum humidiori, terreſtrem, & melancholicam naturam adeptæ ſunt; unde duræ tenſiones, aluus ſicca, flatus craſſi, dolorifici, difficilis reſolutionis, quique rebus calidis ſolent exaſperari; quia exhalationis potiùs, quàm vaporis naturæ participes, in quo plerique Medicorum decipiuntur, qui cruditates in primo ſui ortu potiùs, quàm à calore ſiccitatem inductam conſiderantes, calidis, & exſiccantibus obſtructiones firmant, & ventriculum curantes, per ſympathiam potiùs, & ab immoderato partium infernarum calore læſum, viſcerum, & pylori feruorem, omnium in iiſdem malorum cauſam, adaugent. Fuſius quàm pro more hæc explicui, cùm inde petenda ſit tota curandi ratio.

a 3. in 3. Epid. 84.
b 6. Aph. 23.
c 3. de Loc. Aff. 7

Remiſſio itaque affectus ſaltem procuranda, cùm perfecta ſanatio hoc tempore ſperari non poſſit, ne confirmatus medentis manus eludat, & in naturam conuerſus, apud Trai [d], inſanabilis omnino reddatur.

d Lib. 1. Cap. 17.

Quare totius, leuis, & diligens inchoanda purgatio; à fortioribus enim irritatur huiuſmodi affectus, & acerbiora parit ſymptomata, ut notauit etiam Plato in Timæo; prætereaquamquod valida attrahunt à circunferentia ad partem affectam. Calor p. n. remittendus, obſtructiones aperiendo, non quidem calidioribus, & exſiccantibus, ut plerique, ſed humidis blandè calefacientibus, ut humor exſiccatus poſtulat. Tonus ventriculi non ſpernendus. Flatus cautè diſcutiendi; & totius robur conſeruandum.

Sanguis autem moderatè ex mediana dextra educendus; ſecundo loco ex venis ſedalibus; quoniam [e], *Melancholicis ſi varices, aut hæmorrhoides ſuperueniant, bonum.* Imò maximum, & po-

e 6. Aph. 11

& potiſſimum fore præſidium ſpero, ſi ſingulo menſe prolectetur natura duabus, uel tribus hirudinibus ſedi appoſitis, cum leui tamen ſanguinis effuſione, fouendo illam partem fere quotidie ſuffumigio aquæ tepidæ in ſella ſuffuſæ, dum excernendis fæcibus reſidet. Cauterium, Varicis f loco, in coxa dextera laudamus. f 6.Aph.21

Blanda ſint ſoluentia, ut caſſia, cum lenit. & crem. tart. à qua bibat Patiens ius hordeo, & cortic. citri alteratum. Alterantia ex cichoreo, borrag. intybo, maluis, uiolis, hordeo, paſſulis, cum iulap. viol. acetoſ. ſyr. de pomis, de ibiſco. Purgans erit ex flore caſ. cum ʒ i. pil. de tribus, quatuor horis ante cibum, ſed prima poſt hora ℔ i. ſaltem ſeri caprini præp. bibat. Poſt hæc repetenda præparatio, ut humectentur, & emolliantur humores exſiccati, & melancholici, quod commodius, quàm iam dicto modo perfici nequit, niſi quod his addi poſſit ſyr. de cichor. cum Rhab. Eupatorium item, cuſcuta, & gramen. Reperenda verò purgatio fl. caſſiæ, cum diacathol. & pil. de trib. ſuperbibendo ſerum, ut ſupra; cui ſi copioſa ſuccedat euacuatio, ſemel, aut bis exhiberi poterit Decoct. Epith. Meſ. ad ℥ iii. & totidem ſyr. roſ. ſolut. cum ſero, poſt inceptam euacuationem; vt poſtmodum, probè expiatis uiis, ad pertinaces obſtructiones expugnandas, ſimulque viſcerum calorem contemperandum animum conuertamus, quod optimè præſtabitur, æſtiuo calore, ſuccorum uſu cichorei, & borrag. depur. ad ℥ iii. in iure, iam dictis herbis alterato. Hos autem alternis diebus aſſumat, & diebus intermediis, detur ʒ ſ. rhabarb. opt. cum paſſulis, & hora poſt, ius endiuia alterarum, atque ita pergat 20. ſaltem diebus. Interim utatur aliqua confectione ex Diarrhod. & aromat. roſ. ſale item menthæ, cum conſ. roſ. vel ſale abſinthii, cum conſ. borrag. & quidem à cibo. Quæ hac uice, pro uſu ſatis; Autumno enim proximo aliquid aliud moliendum fuerit. Vere autem eadem erit peragenda purgatio, ut mox, uel ad aquas thermales refrigerantes diureticas (Tettucianas enim ſuſpectas habeo) uel ad uſum lactis Aſinini ab Hipp. tantoperè commendati, & ad Balneum dulcis aquæ Reuerend. Patientem, tanquam ad ſacram anchoram perducamus; quibus huiuſmodi affectionis radices omnino auelli poſſe ſperandum eſt; ſi horum vſus prudenti Excell. Viri conſilio adminiſtretur, & congrua victus ratio ſeruetur.

XIX.

MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA.

ILluſtriſs. Matrona, unum ſupra quinquageſimum annum agens, temperamenti totius, & iecoris, calidi, & ſicci, gracilioris habitus, quæ, licet Viro iuncta, nunquam concepit; copioſè tamen uſque ad annum 50. per uterum expurgata, multis abhinc annis, prægreſſis forſan animi pathematibus, conqueri cœpit de Ventriculi imbecillitate, & hypochondriorum rugitibus, atque flatibus cum exhalationibus caput, & cor petentibus, mœrores, timores, atque angores inducentibus, necnon abdominis fluctuationibus, & alui ſtypticitate. Modò ſecundus agitur annus, quo anxietates à cibo adeò inualuerunt, ut dolores & ipſi ventriculo inſerant, per abdomen quoque, potiſſimum verſus læuam partem, diffuſos; exinanito verò ventriculo melius habet, & omni dolore uacat; unde ægrè ad cibum capiendum ſolicitatur, vèl eo maximè nomine, quod appetentia ſit quoque dejecta. Vomitu non diuexatur, niſi rariſſimè, & quidem aquoſæ, ſed acris, atque acidæ materiæ. In ſomnis frequenter tremores, atque pauores patitur, & confucto gracilior reddita eſt, potiſſimum verò circa viſcera naturalia; abdomen enim depreſſum, atque exſiccatum habet, cuius exſiccatæ obſtructiones tactu percipiuntur, in meſenterio potiſſimum, cum arteriæ magnæ pulſatione, & doloribus ad dorſum diffuſis. Modò de agendis pro ſalute nos conſulit, poſtquam purgationibus peractis, iure Columbæ ſtomachicis alterato, aromatibus, & calidioribus fruſtra uſurpatis, affectus potius augmentum ſuſcepit.

Hypochodriaca affectione iandiù laboraſſe Patientem Matronam, quam flatulentam appellabat Gal. a ex ſententia Dioclis, luce clarius apparet, ex ventriculi querela, & anxietate, hypochondriorum rugitibus, alui ſtypticitate; quæ ſola affectio, multò poſt, in me- a 3. de loc. Aff. 7.

 lan-

lancholicam deſcinit, ut ex rimore, [b] mœrore, atque cordis angore neceſſariò colligitur. Ortum autem duxit ab obſtructionibus venarum meſaraicarum, ex quibus arteriæ magnæ pulſatio acceſſit, ſpirituum, & ſanguinis, ob compreſſionem, faciliori tranſitu intercepto. Hæ autem cruditatibus in ventriculo genitis ortum debent, quarum cauſa fuit primò diſtractio forſan natiui caloris à ventriculo, ex vehementi aliqua prægreſſa meditatione, aut animi perturbatione, à qua iecoris calor augeri quoque ſolet, qui chylum crudum à ventriculo intempeſtiuè attrahens, partem eiuſdem craſſiorem vennlis illis inculcat, atque firmat, unde obſtructiones producuntur, ab eiuſdem, & circunſtãtium viſcerum calore magis magiſque in dies exſiccatæ, parte earum tenuiori, & humidiori, primò in vapores, mox in ſeroſitates, inter omenti tunicas concluſas, conuerſa, & tandem areſacta in exhalationes reſoluta; adeò ut terrea, atque melancholica minera relicta fuerit. Ab ijſdem autem obſtructionibus diuturnis, atque rebellibus adaucto calore, ſanguis quoque non modò in meſaraicis, ſed & in pancreate [c] craſſior, denſior, atque ater redditus, tetros vapores, ſpiritus animales offuſcantes exhalat, qui cor petentes, timores, mœrores, & angores pariũt; venas verò in pancreate, tum calefaciendo, tum vellicando, & diſtendendo, in dorſo, ad lumbos, dolores excitant; at tandem res eò deuenit, ut ab aſſumpto cibo Illuſtriſſima Pat. anxietates non ſolùm, verùm & moleſtiſſimos dolores patiatur, quouſque cibus, utcunque benè, uel malè in chylum conuerſus uentriculo elapſus fuerit; non aliam quidem ob cauſam, niſi quod, ſicut hucuſque, præ obſtructione uiarum, chylus nonniſi tardè, & difficulter deſcendebat, ad iecur delatus, unde angores; ita eadem ſiccitas adaucta, & ad uentriculum progreſſa eiuſdem [d] extenſionem difficilem reddit, quæ quoniam ab aſſumpto cibo, neceſſaria eſt; ideo inde dolores fiunt, qui, cedente cauſa eiuſdem extenſionis, ceſſant. Interim verò, totum corpus emaciatur, dum iuſto alimento defraudatur, viſcerum naturalium œconomia omnino turbara, viiſque chylum deuehentibus valdè obſtructis, atque exſiccatis; Ventriculus enim proprio humido deſtitutus, calore priuatur, ſicut iecur feruidum paucum, & laudatum chylum in probum ſanguinem conuertere non poteſt, quo deficiente, nec caro gignitur, unde neceſſariò macies.

b 6. Aph. 23.

c 3. de Loc. Aff. 7.

d 3. de Sym pt. Cau. 3.

Affectus equidem natura rebellis, potiſſimum in hac Nobiliſſ. Matrona, in qua altas iam egit radices, & confirmatus eſt; ut non ſolùm ab exſiccatis obſtructionibus, uerùm multò magis à [e] ſiccitate uentriculi, & gracilitate totius corporis facilè conijcere eſt; omnia tamen agenda, ne ad atrophiam, & tabem perducatur; quod conſequi nos poſſe ſperandum; cùm hucuſque propria, atque accommodata medicamenta non fuerint adminiſtrata.

e 5. de Vſu Part. 22. & 2. Aph. 25.

In hunc igitur finem, medicæ intentiones erunt. Primò excrementa ad euacuationem prompta, ac parata ex primis viis deturbare. Secundò minus parata præparare. Tertiò vias obſtructas aperire. Quartò iecur refrigerare, omniaque viſcera naturalia, cum toto corpore ſubſtantificè humectare. Et tandem leuioribus ventriculum roborare. In quarum indicationum vſu tres occurrunt cautiones obſeruandæ. Prima quod à medicamentis purgantibus omnino abſtinendum ſit. Secunda ut calida aperientia vitentur. Tertia ut præcipua medica intentio, cui diutius inſiſtendum, ſit ſubſtantifica humectatio.

Et in fonte quidem Chirurgico, in præſentiarum ſufficiat reſeratio venarum ſedalium, ut ſanguis educatur ad ℥ vi. idque non ſolùm iterum, ſed tertiò, & quartò, per annum; nam præterquamquod melancholicis [f] vtiliſſima eſt, ſupplebit quoque conſuetam [g] menſtrualem euacuationem, nuper, licet tempeſtiuè, ſuppreſſam. Cauterium iam inuſtum foueatur. Totum corpus, & potiſſimum abdomen quotidie oleo amygdalino inungatur.

f 6. Aph. 11

g 5. Aph. Com. 33.

A fonte pharmaceutico deſumenda Lenientia, Præparantia, Aperientia, benedicta Euacuantia, Iecoris feruorem Contemperantia, ſubſtantificè Humectantia, & tandem ventriculo aliquod robur conciliantia. Leniens parari poterit ex Caſſia, pauco Lenit. & Crem. Tart. exhibito, hora una ab aſſumpto medicamento, iure pullæ copioſo, maluis, uel hordeo alterato; prout pariter potu ſyr. Roſ. ſol. cum modico Elect. lenit. exhiberi poterit. Primi uerò præparantis loco, non metuerem exhibere ℥ ii. Inlap. acet. corticibus Citri aromatizati, per quinque dies, epoto ſtatim ab eo, iure pullæ alterato Cich. borrag. end. meliſſa, & cortic. Citri. Inde deueniendum erit ad medicamentum iam præſcriptis ſimile, exhibito pariter ab hoc, iure, aut aqua hordei copioſa. Ad ſecundam verò præparationem mox progrediendum fuerit. Et quoniam humores præparandi, ut iam conſiderauimus, ſicciores ſunt; ideo humectantibus egent, & quodam modo aperientibus. Quare peropportunus erit vſus ſuccorum depurat. cichor. borrag. & agrimon. ad ℥ iii. in iure tenui,

nui, alterato endiuia, malua, uiolis, meliſſa, & pentaphyllo; ſecundo uerò die, præbeantur ʒ ii. Caſs. rec.ext.alterantis loco ſtatim exhibito iuſculo alterato, ut ſupra, ſed ſine ſuccis; atque ita alternatim perſiſtendo, ad quindeci.n, imò vigiuti dies; in quorum intermedio præbeatur Rhab. ad ſemidrach. uel ad ℈ ii. cum Caſs. ad ʒ vi. uel vii. cui medicamento hora poſt ſuperbibat Illuſtriſs. Patiens ſerum Caprin. ad ℔ i. ſ. uel ad ℔ ii. mox pergat in uſu ſupraſcripto ſuccorum.

Quo abſoluto, quoniam valida humectatione egemus, & æſtuantia hypochondria refrigerationem expoſcunt; ideo quinque, aut ſex continuis diebus exhiberi poterit ſerum caprin. depuratum ad ℔ iv. uel quinque, qualibet doſi, præmiſſo vehiculo deiectorio Syr. Roſ. ſol. Quibus peractis, tandem ad duo generoſiora remedia erit omnino deueniendum; alterum internum, alterum verò externum. Internum erit lactis vſus, quadraginta, aut quinquaginta dies, & quidem Aſinini, vt magis idonei, & facilius [h] permeantis, quod etiam humectando, ſiccas obſtructiones pertinaciores imminuere, nulloque modo adaugere poterit, utpote caſeoſa, & butyroſa ſubſtantia carens; quod pro nune abundè fuerit, licet minus nutriat. Præbeatur autem ſtatim mulctum, naturali ſuo tepore perfuſum, quatuor horis ſaltem ante cibum, ſaccharo eidem addito. Interim vigente æſtiuo calore parabitur balneum aquæ dulcis toti corpori, ueſpertinis horis adhibendum, alteratum foliis maluæ, violarum, lactucæ, ſalicis; ſitque uix tepidum, & ſub finem potius frigidum, in quo maneat Nobiliſs. Patiens primis diebus, ſemihoram, ad integram uſque paulatim progreſſu facto, à quo iaceat parumper in lecto, ut leuiter totum corpus abſtergeatur, mox oleo Amygdal. inungatur. In huius autem vſu perſiſtat quindecim, aut viginti dies. Poterunt tandem nonnihil prodeſſe aliqua ventriculum roborantia, cautiſſimè adminiſtranda, tum ne magis exſiccetut; tum ne ab iis hypochondria magis incaleſcant; unde à cibo erunt præbenda. Statim itaque ab aſſumpto cibo deglutiat Patiens Illuſtriſs. pilulam unius ſcrupuli, ſucci abſinthii pontiei condenſati; uel gr. ii. Maſtiches integra: uel hauſtum uini abſinth Quę ſatis, eùm ualidiora magis obeſſe, quàm prodeſſe poſſint.

[h] 7 Meth. 6.

Quibus congrua uictus ratio accedat. Non degat autem ſub cœlo valdè exſiccante. Abſtineat à cibis valdè calefacientibus, & exſiccantibus, ab uſu aceti, aromatum, à ſalitis, à condimento cæparum, & allii, à carnibus bubulis, ſuillis, leporinis, ab omnibus leguminibus, hordeo, & oryza exceptis, à braſſica, à teſtaceis, & oſtreaceis. Piſces proximi lacus conuenientiſſimi erunt. Parentur quoque cibaria ex lacte; ſint in uſu oua recentia. Caueat à uinis generoſis, & dulcibus, & cœna ſit prandio parcior, & nouem ſaltem horis ab eo diſtans. Somnus conuenit nocturnus non ſolùm, uerùm quoque diurnus, quo deficiente, paretur Emulſio Amygdal. dulcium, cum iure Lactuca alterato, poſtrema cœna aſſumenda. Conueniet exercitium moderatum ante cibum, & ueſpertinis horis in Rheda. Aluus lubrica ſeruetur, neque abhorreat Nob. Patiens à frequenti uſu flor. Caſs. ad ʒ ii. uel iii. quotieſcunque valdè adſtricta fuerit aluus. Continuus autem ſit vſus iuris maluæ alterati, prima menſa aſſumendi; alio verò tempore ſit borragine alteratum. Et tandem alacri, & præſenti animo uiuat. Quę omnia Illuſtriſsimę Patienti à ſummo Deo ſalutaria precamur.

M E-

Digitized by Google

XX.

MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA.

MElancolico affectu teneri Adoleſcentem Illuſtriſs. luce clarius patet, dum timorem, a atque mœrorem perpetuos comites habet; quæ quidem ſymptomata, licet ab initio cauſas manifeſtas ſui ortus cognouerint, ſtudia nimirum, infortunia, perturbationes, aliaque animi pathemata; attamen, iiſdem quoque ceſſantibus, characteriſmum melancholicum inuſtum reliquerunt; unde timor, & mœror etiam ſine cauſa manifeſta perdurant, ut in Com. notauit Gal. b Hanc verò melancholiam ab hypochondrijs ortum duxiſſe, facilè atteſtari poſſunt euaporationes in caput, ab hypochondrijs eleuatæ, inflatio, & rugitus eorundem, alui ſtypticitas, heterogeneorum excrementorum copia inſignis, viſcerum obſtructiones, & quidem ab initio à cruditatibus ortæ, ex reuocato natiuo calore à ventriculo, ob ſtudia intentiora; quæ ſpatio temporis, tenuiori parte earundem à calore reſoluta, craſſæ, atque terreæ redditæ ſunt; ab his autem concluſis humoribus calor in hypochondrijs inualeſcens, ſanguinem quoque in ramis venæ portæ exuſtum, atque melancholicum produxit; atque adeò, ſicut à primis obſtructionibus ſolus hypochondriacus, & flatulentus affectus enatus eſt, à ſicca minera exhalationibus eleuatis; ita ab exuſto ſanguine tetri uapores ad cor, & caput expirantes, ſpiritibus quoque uitalibus inquinatis, & obtenebratis, timorem, mœrorem, verbo, mentis aliquam deprauationem inducunt. Et licet non adſint ſymptomata, à Diocle, apud Gal. c deſcripta, id accidit, quoniam legitima non eſt affectio melãcholica hypochõdriaca, in qua phlogoſis in pyloro, & meſaraicis deliteſcere ſolet, in eo diuerſa ab inflãmatione, quod in illa feruidus ſanguis in venis concluſus eſt; in inflammatione verò extra venas effuſus, & in aliqua parte impactus; hincq; fit, quod in phlogoſi nulla ſit febris, prout inflammationem ſemper eadem neceſſariò comitatur; quæ doctrina eſt ipſius Gal. d loco ab Excell. citato, de Loc. Aff. dicentis; *Credendum eſt hypochondriacas affectiones plus caloris, quàm deceat, habere in illis venis, quæ alimentum è ventriculo accipiunt, & in iiſdem ſanguinem craſſiorem eſſe factum*. Noſtra autem hypochondriaca melancholica affectio, non ſub pyloro, ſed in viſceribus, iecore, liene, ac meſenterio ſedem habet; atque adeò ſpuria omnino dicenda. Verùm quoniam partes coctionibus deſtinatæ, & intemperie, & organico morbo laborant; ideo multa excrementa, mòdicumque, & improbum ſanguinem gigni, indeque imminutam, atque deprauatam totius corporis nutritionem ſequi neceſſe eſt: licet multùm alioquin comedat, & fames ultra modum urgeat, tum quia melancholiæ naturalis excrementitiæ portio redundans, à liene ad ventriculum demandatur; tum quia ventriculi frigidi proprium ſit multùm appetere, & parum coquere; quæ tamen frigiditas, non poſitiua, ſed priuatiua cenſenda; ablata namque melancholici affectus radice, ventriculus ipſe ex ſe priſtinum robur recuperabit.

[a 6. Aph. 23.] [b Ibid. in Comm.] [c 3. de Loc. Aff. 7] [d Ibidem.] [e Art. Medic. 63.]

Status verò huius Nob. Pat. accurata eget opera, & auxilio, atq; exactiſſima obtemperatia, ne eſſentialis euadat; atque ita delirium, tum manifeſtum, tum perpetuũ accedat. Quod nos arcere, & ſtatum præſentem paulatim in melius mutare, atq; tandem ad priſtinam ſanitatem, Adoleſc. Nob. perducere poſſe, minimè dubitamus; licet melancholici affectus Medicorum opprobriũ apud nos nuncupari ſoleant, non quidem ipſorum culpa; ſed Pat. uitio, atq; inconſtãtia, quæ & noſtro caſu nõ ſolùm durationis præſentis, ſed multò grauioris mali cauſa foret; ſiquidẽ & Chriſtus ipſe volentes tantùm ſanauit, dum, *Vis ſanus fieri?* interrogabat. Quanquam & aſſiſtentium quoq; in hac curatione potiſſimũ, non infimæ ſint partes.

Compendioſam autem, atque iucundam curationem pollicemur, dirigendam potiſſimum, aduerſus rebelles, atque exſiccatas obſtructiones; indeque aduerſus intemperies; ut totum corpus, ut par eſt, nutriri poſſit, præmiſſa excrementorum eductione.

[f 1. ad Glauc. xi & 3. de loc Aff 7] Quibus explendis, neceſſariam fore exiſtimo iecorariæ venæ apertionem, ut exploretur venoſi generis ſtatus, ut medicamenta purgantia, recta menſura poſſint adhiberi, & quidem Medico præſente, ut monet Gal. f ut ad ℥ v. uel vj. ſanguis educatur, ſi niger, & craſſus effluat;

effluat; ſin minus, ferè ſtatim ſupprimatur. Venarum ſedalium g quoque reſeratio utiliſſima fuerit. Sicut & cauterium in coxa lateris magis affecti. Vtiles quoque futuræ frequentes pedum lotiones ante cibum. g 6. Aph. 11.

A Pharmaceutico fonte deſumenda Lenientia, Præparantia, Purgantia, Aperientia, intemperies Corrigentia, cor & ſpiritus Exhilarantia.

Leniens primum erit caſſ. & lenit. cum tart, cui ſuperbibat ius maluis alteratum. Primum præparans, ſex diebus exhibendum, erit iulap.acot. cort. cit. aromatiz. ad ℥ iij. cum ℥ ſ. aq. cinnam. Inde repetatur idem medicamentum, ut ſupra. Mox ulterior præparatio perficienda ſuccis potiùs depur. quàm ſyrupis ſaccharatis, aut mellitis, ut ℞. ſucci depur. cich. end. borrag. an. ℥ i. tart. vitriol. gr. x. decoct. cich. end. bugloſſi, agrim. meliſſæ ℥ iv. m. pro ſyrup. & ſic pro alijs octo. Interim aluus lubrica ſeruanda, clyſt. emollientibus, aut prunis, infuſione ſennæ alteratis; aut elect. Lenit. ad drachmas exhibendis. Inde ſequatur præparatorum humorum expurgatio, ſyr. de polyp. roſ. ſolut. vel caſſia, & lenit. addita ʒ i. pil. de tribus cum rhab. à quibus ebibat Pat. ſer. capr. aut aſin. depur. ℔ i. ſ.

Ad aperientia, & emollientia poſtea deueniendum, ut ℞. rhab. optimi ʒ ſ. flor. caſs. ʒ i. ſ. m. f. bol. ij. à quibus hauriat decoctionem, ſed expreſſam, ex herbis cich. end. borrag. agrim. pentaphylli, capil. Ven. petroſel. ad ℥ vi. addita ſucci lim. portione; in quorum uſu perſiſtat Par. ad quindecim dies circiter. Verùm quoniam nondum viſcera omnino deobſtructa, nec ſanguis depur. erit; ideo conuenientiſſimus ſyr. Fernel. uſus, iuxta noſtram deſcriptionem, decem ſaltem dies, ſed alternatim, ad ℥ ii. qui in iure cich. end. aut in ſemicyatho vini albi tenuis exhibendus; diebus verò intermedijs præbeantur ſucci iam dicti, depur. cich. borrag. agrim. cum prædicta decoctione.

Quibus peractis, ad uſum lactis aſinini deueniendum, ad 40. vel 50. dies, quo tempore & Balneum aquæ dulcis opportunum eſſe poterit, maluis, violis, nenuphare, & ſalice alteratæ.

Et licet ventriculus potiùs ſympathicè, quàm idiopathicè afficiatur; nihilominus & eidem aliquod robur conciliandum fuerit, cautè tamen, ne rurſus hypochondria, & iecur accendantur. Quare à prandio, & cœna in uſum reuocet Nob. Pat. ſalem abſinthij, ad gr. x. vel xij. vel deglutiat pil. ex ℈ i. ſucci abſinth. condenſati, vel hauſtum uini abſinthit. omnia tamen, ut dixi, ab aſſumpto cibo.

Atque in horum uſu, ſemper utatur aliquo cardiaco temperato, quod tamen non obſtruat, ut ſolent alioquin ex terreis pulueribus parata. Quare ſint potius liquida, ut aquæ flor. citri, totius citri, ſcorzon. quibus nonnunquam addantur cochlearia quoque aq. cord. Exc. Sax. Vel gutt. iulap. perlati, aut gemmati M.D.E.

Victus autem ratio præſidium habetur, abſque cuius ope fruſtrà omnia; debet autem eſſe modicè calefaciens, multùm humectans, non valdè incraſſans. Quantitas verò moderata. Tempus, bis tantùm in die; multiplicitas ciborum vitanda; ſicut condimenta ſint ualdè parca. Vinum tenue, nec dulce, nec auſterum, non generoſum. Ruri quidem degat, ſed ab amicis, aut conſanguineis in recta uictus ratione habendus. Somnus accerſatur longior, nocturnus, & diurnus. Moderatum quoque exercitium ieiuno ventriculo conferre poterit. Venus omnino ableganda, à ſtudiis erit reuocandus, & ad alacritatem cum amicis ſolicitandus. Quam congruam, atque neceſſariam uictus rationem ſi neglexerit, cùm ſit totius medicæ fabricæ fundamentum, tum medica curatio inutilis futura erit, tum quicquid boni ab eadem ſperari poteſt, omnino corruet.

XXI.

MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA; cum Mania.

VEſtalis admodum Renerenda, annum agens 30. duodecimo ætatis anno aſcitica non ſine anaſarca, copioſo vrinæ profluuio extempore, & præter expectationem liberata eſt. Hæc autem temperamento calido, & humido autehac prædita, modò ſicciori, feruidiori iecore, frigidiori uentriculo, obſtructionibus circa iecur, & lienem implicita, duris, & ferè in tumorem eleuatis, de vtero nunquã conqueſta; conſuetæ enim ſtatis temporibus proceſſerunt expurgationes, quæ tamen modò nonnihil imminutæ ſunt; ſeptem abhinc annis ferè continuò febricitat; obſeurè tamen, & potius tertiana periodo. Symptomata verò concomitantia fuerunt ab initio canendi procliuitas, atque ingens deſiderium, poſtea capitis dolor, & poſtremis menſibus, quod magis vrget, quædam impatientia, & proprii ſtatus difficilis tolerantia, cum iracundia, & ferè excandeſcentia, circa veſperam *potiſſimum* ingraueſcente, adeò ut propè accedat ad deſperationem, & ad uiolentas manus *ſibi* ipſi inferendas; quo tempore ſolitudinem quærit, & tandem, efferueſcentia hac declinante, lacrymas fundit, præteritorum omnium alioquin recordata. Somnos leues, atque breues habet, interceptos inſomniis, & ſpectris variis terrificis turbatos, nihil ſomno proficiente. Timorem, & mœrorem perpetuos habet comites; rugitus, & murmnra in hypochondriis percipit. Febricula perdurans, pluries qualibet die repetere videtur, nullo ordine.

Virginem Nobiliſs. atque honeſtiſs. aſcite olim ex humorum, & cruditatum colliquatione laboraſſe, iuremerito iam à Viris Sapientiſs. ſtatutum audio; cuius viſcerum feruor cùm, ætate [a] creſcente, magis magiſq; inualuerit, calidiorem non ſolùm, verùm & craſſiorem, atque limoſum ſanguinem produxit, qui temporis progreſſu vteri venas præterlabi liberè non valens, obſtruendo proinde menſes imminuit, at non omnino ſuppreſſit, quòd craſſior ſanguis in uenis maioribus, ac [b] penitioribus partibus à natura detineri ſoleat, eiuſdem elaborationis cauſa; & præterea quia tenuiorem, vtpote fluxiliorem, ad venas remotiores facilius transfluxiſſe credere eſt. Verùm quoniam iecur, & cor feruent, ideo calidior quidem, & craſſior progigni potuit, non tamen elaborari, & attenuari; vnde in ſuccum melancholicum, & fæcem, magna parte, deſciuit, melancholiam videlicet naturalem excrementitiam, & inutilem; quæ tamen exuri, & præternaturalis fieri incipit, cum difficili proprii ſtatus tolerantia, iracundia, & excandeſcentia, eò tandem progreſſa, vt violentas ſibi manus inferre Par. propè coegerit.

Inhæret autem hic humor, ſanguini aliquando, quandoque humori crudo, & pituitoſo immiſtus, in hypochondriis potiſſimum; unde hypochondriaca quam plurima ſymptomata, quibus hypochondriaca affectio melancholica ſe prodit, in qua partes omnes ſub ſepto affici poſſunt. Hinc Gal. [c] ex ſententia Dioclis ſtatuit pylorum, & venas alimentum ad iecur deuehentes; Hipp. [d] uerò ſeptum; Auicen. [e] iuxta Theophilũ, ventriculum; ex propria uerò ſententia vterum; Auerroes lienem; Fernel. ſolum meſenterium; Marcellus Donatus pancreas. Sepiſſimè autem fit, ut plures harum partium afficiantur, & obſtructionibus obſideantur, ut in præſenti honeſtiſs. Muliere; cuius iecur, & lien obſtructa, tenſa, & ferè obdurata tactu percipiuntur, non ſine eadem, licet minori uteri noxa; qui quidem humores, niſi in iiſdem partibus ſubſtitiſſent, ſed copioſi affatim ad vteri uenas fuiſſent detruſi, menſtruorum ſuppreſſio perfecta ſequuta eſſet; prout Virginei morbi præludium aliquod, atque ſpecimen nobis præbuerat affectus, canendi libidine comitatus, ob ſanguinis redundantiam, qui tot annorum ſpatio perfectionem adeptus eſſet, namque præter cordis palpitationes, [f] quæ ab exhalationibus melancholicis, à liene per arterias ad illud expirantibus, procedunt, ſequutæ fuiſſent tum oppreſſiones, tum vterinæ præfocationes,

& co-

a 2. in 6. Epid. 5.
b 3. de Loc. Aff. 7.
c Ibid.
d de Morb. Virg.
e 1 3. Trac 4. Cap. 8.
f de Morb. Virg.

& coxarum, atque tibiarum torpores; necnon uera febris errones; & tandem ad cachexiam potius, quàm ad atrophiam prolapſus; atque hucuſque œdematoſi pedum, palpebrarum, & faciei tumores ſuborti fuiſſent.

Verùm quoniam maior, & potiſſima mitera in utero non hæret (ſiquidem etiam ante menſtruorum imminutionem, hypochondriaca, ac melancholica ſymptomata iam pati cœpit) ideo febriculas, quæ contigerunt, crediderim ego, vt plurimùm pulſantium arteriarum ſola ſymptomata fuiſſe, hypochondriacis alioquin familiaria, & facillimè prouenientia; non autem ueras, & genuinas febres; non enim melancholici adeò facile febricitant; quæ tamen ſi aliquando ſubortæ fuerint, ex aliqua in primis viis cruditatum corruptela, quibus melancholici abundare ſolent, ob uentriculi frigiditatem priuatiuam, non tamen poſitiuam, originem duxiſſe exiſtimandum; veræ namque febres g erroneæ, cum horrore inuadere ſolent, nec tot vnico die acceſſiones, ac inſultus habent. Quare concludendum affectionem hanc, melancholicam eſſe hypochondriacam, & ſpuriam; atque adeò non à phlogoſi in pyloro, & adiacentibus uenis; ſed ab obſtructionibus iecoris, lienis, meſenterii, & uteri proueniſſe, à ſanguine craſſo, melancholico, excrementitio, & inutili ortis, cuius portio forſan, & in totum uenoſum genus irrepſerit, nondum tamen principem animæ ſedem, cerebrum ſcilicet obſederit. Et licet ſpiritus animales obtenebrando, perpetuum timorem, atque mœrorem, cum lacrymis etiam, ineutiat, & cor petendo, ac iraſcibilem facultatem deprauans, impatientiam, & excandeſcentiam inducat; tamen cerebrum ipſum eſſentialiter, & primariò nondum affectum cordi imperat, ut inuicta conſtantia, quæ ratio iuſſerit, exequatur, cuius cauſa adhucnum uiolentas manus cohibere ſuſtinet. g de Virg. Morb. 2.

Affectus quidem grauis, & curationis difficillimæ, melancholicus ſc. & qui cùm altas radices egerit, medentis manus reſpuere ſolet, ex Ruffo, & Poſſidonio; imò in habitum conuerſus, inſanabilis, ſi Tral.[h] credimus. Verùm quia eſſentialis nondum eſt, nec validiora fuere adminiſtrata remedia, deſperanda ſalus non eſt; & omnino agendum, ne eſſentialis euadat, neue in deteriorem deſciſcat: *In morbis enim melancholicis, ad hæc periculoſi*[i] *decubitus, ſtuporem* (alii apoplexiam) *corporis, vel conuulſionem, vel furorem, vel cæcitatem ſignificant*. Quare etiam ante æquinoctium inſtituenda purgatio, ne ad inſaniam perducatur, melancholicum humorem euacuando, eundem, & exhalationes, à capite reuellendo; obſtructiones aperiendo; intemperiem iecoris, & uenarum calidam corrigendo; cor & cerebrum roborando; & ſymptomatibus occurrendo. h Lib. 1. Cap. 17. i 6. Aph. 56.

Quibus intentionibus ut ſatisfacere tentemus. De ſanguine decernit Gal.[k] quod ſi melancholia in toto abundauerit, à ſanguinis miſſione ſit inchoanda curatio; non autem in eſſentiali, in qua ſanguinis miſſione opus non eſſe affirmat. Omnino itaque aperienda eſt brachii uena magis eminens, medico præſente, ut obſeruetur ſanguis effluens; nam ſi craſſus, & niger fuerit, eius effluxus permittendus ad ℥ vi. uel vii. qui ſi nondum colorem, & ſubſtantiam mutauerit, ab altero brachio, paucis poſt diebus, erit repetenda eiuſdem eductio, exemplo emaciatiſſimæ mulieris, ob menſes ſuppreſſos, limoſo ſanguine redundantis, cui ad libras à Gal.[l] feliciſſimè fuit miſſus: ſi vero colorem mutet, cum ſubſtantia, parcius agendum, & menſtrua ſecuta euacuatione, ſtatim hiantibus adhuc vteri venis, ſaphena aperienda; ac tandem, ſequenti intermedio menſtruæ purgationis interuallo, omnino aperiendæ uenæ ſedales, ut fiat ab utero deriuatio. Frictiones interim, pedumque lotiones frequenter adhibendę ad reuulſionem; ſicuti & cauterium, in eundem finem, & ſeroſitatibus melancholicis educendis cruri ſiniſtro inurere abs re non erit. Capiti verò cautè remedia adminiſtranda, cùm eſſentialis nondum ſit affectus. Quare & à cauterio in ſutura, & multò magis à terebrationibus; quinimò & à ſetaceo abſtinerem; prout & à veſicantibus, ne ab exſiccatione, & vigiliis detrimentum iuuamento maius conſequamur. k 3. de loq. Aff. 7. l 3. in 6. Epid. 29.

Prima autem uiarum expurgatio lenientibus temperatis, & humectantibus perficiatur, & inde ad obſtructiones aperiendas deueniendum; quæ quoniam ab exſiccata materia fiũt, & fouẽtur, humectatione prius, mox reſeratione, tandemque euacuatione opus eſt; diutius tamen ſcopo priori inſiſtendum; atque adeò uſui ſuccorum depur. borrag. & malu. in iure borrag. maluis, end. violis alterato. Clyſteribus verò mollioribus, ex lacte, butyro, & ſaccharo; additis aliquando ſyr. roſ. ſolut. uel caſſia, frequenter aluus ſubducenda, mox, medicamento ex caſſ. lenit. & pauco rhab. exhibito, ebibat ſer. depur. Atque iterum præparatio repetenda, & ab ea, euacuatio flore caſſ. ʒ ii. cum rhab. ℈ i. hora poſt hauſtis, aut li-

bra ſeri deſtill. aut aq. hord. & quidem quotidie, ad xii. uel xv dies.. Quod ſi tunc temporis obſtructiones, ut par eſſet, atque ſperandum foret, nondum ceſſerint, ad ſyr. Fernel. cum rhab. erit deueniendum; cui tamen, tranſacta hora, omnino ſuperbibat ſeri libram, continuato eius uſu pro euacuationis, & tolerantiæ ratione.

Quibus peractis, ad vteri vias reſerandas progrediendum, aliquot dies exhibendo libram integram aq. ſtillat. capil. Ven. in qua grana ſalis artemiſiæ, aut gutt. i. ol. ſabinæ fuerint diſſoluta: vteri interim regione ol. liliac. illita. Inde tribus, aut quatuor vicibus ſer. depur. exhiberem, ad ℔ iv. uel v. cum vehiculo deiectorio, ad hypochondriorum feruorem contemperandum, & eorundem ablutionem perficiendam; à quo miſſis thermalibus aquis, utpote nonnihil exſiccantibus, & laborioſis, ad vſum ſeri deſtill. iam experti deuenirem, addita exigua, & valdè diluta ſem. melon. emulſione. Et tandem ad uſum lactis aſinini, cum ſolo ſaccharo, offa panis omiſſa, ut facilius digeratur, & euitetur corruptio, cuius, obliteratis maiori ex parte obſtructionibus, & moderato viſcerum calore, nullus metus eſſe debet. Quo tempore Balneum vniuerſale tepentis aq. maluis, violis, nenuphare, lactuca, & ſalice alteratæ, erit in vſum reuocandum, ut totum perfrigeretur, atque humectetur, exſiccatæque obſtructiones, tum in vtero, tum in viſceribus ſuperſtites emolliantur. Et quoniam ſymptomata, quibus occurrendum, duo potiſſima habemus, vigilias ſcil. & fixas imaginationes, ſeu animi perturbationes; ideo blandè ſomnus conciliandus; eſt enim delirii

m 2. Aph. 2

remedium; nam [m] vbi ſomnus delirium ſedat, bonum; hoc verò commode præſtari poterit vnica uncia ſyr. de papau. in aqua lactucæ diſſoluta, à cœna exhibita, & extrinſecus vberiori inunctione temporum, & ſuturæ ol. neuuph. quo Rhaſis uti ſolebat. Fixis verò imaginationibus, & animi perturbationibus occurrendum, diuerſionibus, & blandimentis. Cordialia, ſed temperata, non ſunt omittenda, ut ſyr. corall. Querc. in aqua tot. citri. Guttulæ quintæ eſſentiæ roſar. & citri. Magiſt. perlar. Raſura Rhinocerontis, & alia huiuſmodi.

Victus ratio iam dictis intentionibus reſpondeat, & ſiti extinguendæ, concedatur, etiam à menſa, aqua ex ſucco pomorum dulcium, & borragine deſtill. Somnus blandè conciliet ur; & ab animi pathematibus auocetur. Quæ omnia D. O. M. pro uotis, propitia reddat.

XXII.

MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA ab Vtero.

NObilem hanc Iuuenem ex mœrore, ob matris obitum, in affectum melancholicum prolapſam eſſe, coniectare facile eſt, cumque primò facilè hypochondriacum, in quem frigidus ventriculus, & æſtuans hepar eam propenſam reddiderunt; unde & ex prauis concoctionibus, totum quoque prauum, & melancholicum habitum contraxiſſe credendum; prout ſanguis, ad carnem gignendam prorſus ineptus, utpote craſſus, & aduſtus iam obſeruatus, ad maciem inſignem ipſam perduxit. Verùm quia excrementorum colluuies, perpetuò in melancholicis produci ſolet, primis coctionibus; hinc doloribus uentriculus conflictatur; prout eleuati uapores, aut iidem humores in caput irrepentes, continui ſolutione, dolores tertio quoque menſe inuexerunt, qui putrefacti inſuper putridam ſæpè febrem excitarunt, ac tandem, natura onus inutile excrementorum per proprios ſibi deſtinatos uteri ductus deponere tentante; à copia, & craſſitie ſanguinis, iiſdem prius ſemiobſtructis, menſes imminuti, prout temporis progreſſu completa, & perfecta obſtructione, integra quoque eorundem ſuppreſſio tandem ſecuta eſt. Quare in præſentiarum, ab utero quinetiam, melancholicum humorem, & affectum non leue ſuſcipere

a 5. Aph. 58.

fomentum iure ſuſpicari debemus; ſiquidem, ex Hipp. [a] *Si menſtrua non fiant, ex utero morbi contingant*; impoſſibile quippe eſt, Iuuenem expurgari conſuetam, ceſſante [b] purgatione, ſanam viuere. Ideo primū intentione, debet eſſe menſtruorum prouocatio, licet ultimum

b 1. de Morbis Mulier. 3

executione, ne alioquin delitia, tabes, vel cachexiæ, & hydropes imminentes contingant.

Et

Et licet tranſacto ſexto menſe, videatur irreuocabilis menſtrua expurgatio apud Hipp. [c] id tamen ſolùm intelligendum, cùm ab uteri peruerſione prouenit; habemus enim mulierem emaciatam, [d] cui octo poſt menſes prodierunt menſtrua; Vxorem Gorgię, [e] in Lariſſa, poſt quatuor annos; & Ancillam, [f] poſt ſeptem. Quare difficultatem, non impotentiam tempus admittit. Nec narium hæmorrhagia in conſuetudinem ducenda; licet ex Hipp. [g] menſtruis deficientibus, ſanguis è naribus profluens, bonum; namque ex Gal. bonum eſt reſpectiuum, non abſolutum.

[c] 1. de morb. mul. 12.
[d] 5. in 6. Epid. 29
[e] 5. Ep 5.
[f] 4. Epid.
[g] 5. Aph. 33.

Quare, ut liberetur, & præſeruetur Pat. corpus recto ordine expurgandũ; obſtructiones primarum uiarum, mox uteri aperiendæ; iecoris calor contemperandus; ventriculo proſpiciendum, & totius maciei omnino occurrendum, non omiſſis exhilarantibus cordialibus.

Ex Chirurgico itaque fonte utiliſſima comperta fuit ſanguinis miſſio, iuxta Aetii [h] opinionem, ex ſuperioribus primò, mox & ex inferioribus venis, ex quibus ſolis, hiſce caſibus, non ſucceſſit; quia ſine præcedenri ſanguinis reuocatione, copioſior is affatim ad uteri venas attractus, effluxuque intercepto retrocedens, ſuperiora petijt. Quare, expurgatione Vere proximo inſtituenda, procul à iam conſueto menſtruæ purgationis tempore, vena mediana tundenda; &, docente Gal. [i] ſi niger effluat ſanguis, ut iam obſeruatum, copioſè educatur; mox diebus menſtruæ purgationis, aperiatur ſaphena, ut opportunè natura ad inferiora prolectetur; nec nos deterreat macies, nam & Gal. [k] extenuatiſſimæ iam dictæ mulieri tres libras ſanguinis utiliter detraxit. Quod ſi diù perdurauerit menſium ſuppreſſio, deriuationẽ ab utero, applicatione hirudinum venis [l] ſedalibus, valdè profuturam ſperarem; inculcatus enim in utero ſanguis, mouetur, & imminuitur; cuius ſpeculationis auctor habetur Aquapendens; quam mutuatus eſt à Gal. Parcè tamen ſanguis educendus, & potius repetitis vicibus; nam & melancholiæ conuenientiſſimum ab Hipp. [m] cenſetur remedium. Opportunum quoque erit cauterium in coxa.

[h] Tetr. 4. Ser. 4. Cap. 57.
[i] 3. de loc. Aff. 7.
[k] 3. in 6. Epid. 29.
[l] 5. Aph. Com. 33.
[m] 6. Aph. 11.

In uſu verò medicamentorũ, tum euacuantium, tum alterantium, & deobſtruentium, dignum animaduerſione, ut non ſint valdè calida, & ſicca, ob affectum melancholicum totius, & hypochondriorum eorundem maciem, atque ob ſanguinem iam nigrum, craſſum, & aduſtum obſeruatum.

Et primò quidem, leue vomitorium ex uſu fuerit, ut iam parata in ventriculo materia per ſuperiora excernatur. Deinde inter lenientia, lenit. flos caſs. cum crem. tart. ſyr. roſ. ſol. de polyp. Inter prima præparantia, iulap. acet. aromatiz. cortic. citri, & pauco cinnam. ad ℥ iij. ſine diluto.

Inter purgantia, infuſ. rhab. & ſennæ, cum ſyr. roſ. ſolut. vel caſſ. cum rhab. à quibus hauriat ſer. capr. præparatum more Hippocratico, ad exſiccationem arcendam. Secunda præparatio, meſenterii, & cauę iecoris cauſa procurãda, perficietur rhab. ad ʒ ſ. cum ʒ ij. flor. caſs. hora poſt epoto iuſculo alterato cich. end. borrag. petroſelino, & agrim. à quibus, tribus poſt horis prandeat. Horum autem uſui inſiſtat x, vel xij dies continuos, niſi aluus copioſius fluat. A quibus, aliquod leue purgans exhibebitur, ut ſupra.

Hoc tempore aliqui cogitarent de aqua Tettuciana exhibenda, quæ tamen mihi ſuſpecta ob exſiccationem abdominis, & præſentiam melancholici affectus; ideo, ſi noua expurgatione opus fuerit, potius ad decoct. epith. Mes. deuentrem, duabus, vel tribus vicibus aſſumendam, eamque ad ℥ iij. tribus alijs uncijs ſyr. roſ. ſolut. temperatam, exhibito ſemper ab ea ſero capr. præp.

Tandem ad uteri venas reſerandas, uſus chalyb. primas obtinet; parati tamen, more Recentiorum, cum acido ſulph. quem crocum Martis aperitiuum nominant; qui certè præſtantiſſimi uſus eſt; poterit autem parari bol. ita. ℞. croci matt. aperit. gr. iv. tart. vitr. gr. vii. troch. de myrrha ℈ i. m. & cum ſucco artemiſiæ ref. b. i. & aur. & ſic quotidie, epoto ab eo iure alterato malua, borrag. capil. Ven. artem. dictam. aut calament. & cicer. rubris; in cuius uſu perſiſtat 20. dies. Interim aluus ſolicitanda flor. caſs. cum pauco aloes, aut rhab. aut clyſt. emol. & laxantibus.

Interim æſtiuum anni tempus aduentabit, quo duo magna auxilia ſeſe nobis exhibent conſideranda, alterum internum; alterum externum; Lactis ſcil. & Balnei uſus; nullum enim præſtantius excogitari poteſt remedium in hac iuuene emaciata, cuius quoque ſanguis craſſus, niger, & aduſtus, tum denique melancholia in hypochondrijs, & toto redundat. Lac verò ſit Aſininum, ut quod celerrimè per corpus digeratur, non hæreat in hypochondriis, nec grumeſcat. Balneum [n] ſit aq. dulcis, tepidum, laxantibus alteratum, ut malua, violis, capil. Ven. mercur. namque facilè poterit venas uteri laxando, earum orifi-

[n] 3. de Loc. Aff. 7

cia aperire, ſanguinem fundere, & menſtrua prouocare. In quem finem, tempore menſtruæ purgationis, admirabilem præſtant uſum fila cannabina calida, cum cinere decocta, uteri regioni applicita, potiſſimum ſi cinis ex lauri folijs, & ligno paratus fuerit.

His omnibus congrua uictus ratio proportione reſpondebit, à Viro prudenti, & Excellentiſs. præſcribenda; cuius directioni omnia iam dicta committenda, ut à nobis optatum finem conſequantur.

XXIII.

MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA.

Illuſtriſ. Matrona, 30. annum agens, temperamenti totius ad calidum, & ſiccum uergentis, hepatis calidioris, ſtaturæ proceræ, & gracilis habitus, tenella ætate nupta, plures filios enixa, liberè uiuens, & uenationibus dedita, quatuor ab hinc annis, affectu hypochondriaco laborare cœpit, cum murmure in abdomine, rugitibus, eructationibus, in neutro tamen hypochondrio euidentes tenſiones, nullaque appetentiæ læſio obſeruantur, & aluus benè reſpondet. Omnia verò ſupradicta ſymptomata poſtremò non leue augmentum ſuſcepere, accedentibus quinetiam timore, mœrore, fletu, ac deſperatione, poſtquam ineunte æſtate, modò labente, morbillis correpta, inſenſibiliter euaneſcentibus, non ſatis maſſa ſanguinea depurata fuit; præterquamquod acceſſit quoque cauſa alia efficax, atque legitima mœroris, mors ſcilicet dilectiſſimi filii; quæ omnia melancholicum humorem accumulando, ſecundum melancholiæ gradum in toto uenoſo genere inuexerunt, non parum quinetiam opitulante totius, & iecoris temperamento, ex autopſia educti ſanguinis, qui niger, & craſſus obſeruatus eſt. Quibus accedit modò frequens cordis palpitatio, duobus iam abhinc annis adeò grauis, ut uix remedius tunc temporis ceſſerit, licet & de uteri quoque conſenſu dubium ſit. Modò de agendis conſulit.

Affectu hypochondriaco teneri, quatuor ab hinc annis, Matronam Illuſtriſ. murmura, rugitus, eructationes facilè nobis ſignificare poſſunt, qui tamen non omnino legitimus, cùm de æſtu in præcordiis, ventriculi deprauata coctione, anxietate à cibo, leuamine à vomitu, iuuamento [a] à frigidis, & à calidis nocumento, nulla ſit facta mentio; quæ cùm non
a 3 de Lo. c. Aff. 7.
adſint, obſtructiones, ad huiuſmodi affectum producendum ſemper neceſſarias non in pyloro, ſed in diſtantiori parte deliteſcere, indicium præbent, quæ à cruditatibus quidem in ventriculo genitis ab initio prouenerunt, proceſſu tamen temporis, à iecoris feruore aſſfactæ, & terreæ, atque melancholicæ redditæ ſunt; à quibus exhalationes craſſæ, & fuliginoſæ partim eleuatæ, partim in cauitatibus illis, omenti potiſſimum concluſæ, nec adeò facilè diſcuſſæ; ventris murmura, atque rugitus, & ructus continuos excitare ſolent; imò per lienis copioſiſſimas arterias cor petentes, eiuſdem frequentes palpitationes induxerunt, & modo inducunt; ſiquidem palpitatio, [b] nec à tenui vapore, nec ab humore fieri poteſt; quoniam
b de Trem. Rig. Palp. Cap. 5.
ille à cordis calore ſtatim reſoluitur; & ita eleuationem, & ſubſidentiam in eodem ſouere non poteſt, iſto vero eandem neque ſuſcitare. Neceſſarius autem eſt vapor craſſus, & nebuloſus, qualis terrea, atque melancholica exhalatio, quæ cordis eleuationem, & ſubſidentiam, ſicque palpitationem, & moueat, & conſeruet, donec à calore attenuetur, ac reſoluatur. Vterum quoque concurrere poſſe, tunc ſolùm credendum foret, ſi menſtrua non rectè procederent; Viro namque iuncta eſt Illuſtriſ. Mulier. Verùm quoniam, affectu hypochondriaco perdurante, calor hypochondriorum, & iecoris, utpote ab obſtructionibus occluſus, ſemper intenſior redditur; ideo & ſanguinem in portæ venis calidiorem, craſſiorem, & melancholicum ab eodem fieri neceſſe eſt, à quo tetri vapores ad caput irrepentes, ſpiritus animales inficiunt, & obtenebrant; atque adeò hypochondriacæ affectioni melancholiam quoque in Illuſtriſſima Matrona adiungunt; quod difficile non fuit in hac ætate, temperamento totius calido, & ſicco, feruido iecore, habitu gracili, motibus corporis, animi perturbationibus, & liberaliori uictus ratione prægreſſa, quæ omnia quantùm ad uiſcerum feruorem, & ſanguinis exuſtionem facere poſſint, unicuique liquet. Et quia pro-

xima

xima æſtate præterita, morbilli efflorescentes citò euanuerunt; hac adultiori ætate, credendum; non penitus ſanguinem per inſenſibilem tranſpirationem defæcatum fuiſſe; ſed potiùs magna parte coinquinatum permanſiſſe, ſicque maſſam ſanguineam infectam, atque conſpurcatam, melancholicam quoque affectionem à toto excitaſſe; vt patet ex ſanguine educto, qualis in melancholia tantùm hypochondriaca, ſecta vena, effluere non ſolet. c. 1. ad Glauc. 11

Vt autem Illuſtriſs. Matronæ medicam opem afferamus, ventriculus, & primæ viç cruditatibus ſunt exinaniendæ; obſtructiones aperiendæ; maſſa ſanguinea melancholico ſucco defæcanda; vapores à corde reuellendi, & cautè diſcutiendi; hypochondriorum, & iecoris feruor contemperandus; & tandem ventriculus cum corde cautè roborandus.

Quibus intentionibus, repetitis vicibus, non autem vnica purgatione ſatisfieri poſſe confido, cùm Matronam Illuſtriſs. prudentiſſimam, medicis præceptis obtemperaturam intelligam; difficilis enim, non impoſſibilis ſanationis eſt iſte affectus, niſi, vt ſæpè accidit, tum medicis perperam illum curantibus, tum Patientibus curationis continuationem non admittentibus. Noſtrum itaque erit, congruam inſtituere curationem, eandemque alio opportuno tempore repetere; ſicuti Illuſtriſſimæ Patientis partes erunt, omnia ad amuſſim executioni mandare, & per integrum annum, rectæ, & adæquatæ uiuendi rationi inſiſtere. Neque cordis palpitatio timorem nobis incurere poteſt; cùm non in corde generetur, ſed ab hypochondriis flatulenta materia eleuetur. Quare vno, eodemque tempore vtrumque affectum oppugnabimus, remediorum materias deſumendo à Chirurgia, Pharmacia, & Diæta.

Et in Chirurgia, ſanguis eſt educendus ex iecoraria dextera, qui ſi niger, ac craſſus effluat, eiuſdem eductio repetenda ex brachio ſiniſtro. Tempus autem ſit medium, æquè diſtans à præterita, & futura menſtrua expurgatione; quæ ſi diminutè prodeat, ſub eius finem, hiantibus adhuc orificiis venarum vteri, tertia vice, ſed parcè, ſecta ſaphena, mittendus.

Interim primæ viæ mundandæ caſſia, lenit. & tart. uel ſyr. roſ. ſol. & de polyp. Inde humores præparandi iulap. acet. ad ℥ iii. cort. citri rec. aromatizato, addita ſemiuncia aquæ cinnam. idque quotidie quinque dies. Mox præparati humores euacuandi, præſcripto medicamento. Deinde ad obſtructiones aperiendas deueniendum, quæ quoniam terreæ, ac melancholicæ ſunt, ac proinde ſiccæ, humectantibus egent; vt exſiccati humores, humectatione pręparati, mox expurgentur, & obſtructiones auferantur; quod nunquam præſtare potuit, mea obſeruatione, chalybis vſus, niſi iam dicta humorum humectatione prægreſſa. Quare ſequens modus accommodatiſſimus erit; ſumat Illuſtriſſima Patiens ſuccos depur. cichor. borrag. endiu. ad ℥ iii. in decoct. cichor. borrag. meliſ. malu. agrimon. capil. ven. mane ſaltem, quatuor horis ante cibum; poſtridie verò ſumat ſemidrachmam rhab. opt. maſticati cum paſſulis, hauſto ab eodem iure cichor. & maluis alterato. Mox die ſequenti ſuccos repetat, & ita alternatim ad dies xx. Quibus tranſactis, chalybs præberi poterit; cuius præparatio vtilior, & tutior apud me illa eſt, quæ fit cum acido ſulph. qui crocus martis aperitiuus nuncupatur. Detur autem ad gr. iii. cum ſemidrachma pilul. de trib. cum rhab. cui hora poſt ſuperbibat libram aquæ hordeaceæ, uel ſeri cap. depur. Nec metuendi flatus, cùm calidiores, & ſicciores, non autem frigidi, & humidi ſint, vt vulgò creditum; ſicque in huius uſu, ad xii. dies perſiſtendum. Poſt hęc autem opportuniſſimus foret uſus aquarum acidularum in Valle Solis ſcaturientium, quæ vtpote vitriolatę, ad aperiendas obſtructiones, quocunque chalybe efficaciores obſeruantur; & pręterea ęſtum hypochondriorum, & iecoris, atque renum contemperando, hypochondriacis vtiliſſimę euadunt; vt plurimis experimentis comprobatum fuit. Verùm quoniam tempus opportunum earundem non fuerit, ideo in æſtatem proximè futuram erunt differendę, pręmiſſa tamen purgatione, ſed ſine chalybis uſu. Quibus aſſumptis, ea domum reuerſa, Balneum aquę dulcis fol. malu. uiol. nenuphar. ſalicis alteratę. totius corporis, ad xx. dies inſignem pręrogatiuam obtinere poterit. Interim ut iecoris, & uenarum feruor contemperetur, hoc tempore ſubſtitui poterit ſerum capr. aut aſin. deſtil. ad ℥ x. aut ad integram libram, cum ſyr. de ſucco limon. aut de pomis dulcib. quotidie xv. dies, ſummo mane aſſumendum.

Dum iam dicta omnia adminiſtrantur, flatus moderatè calefacientibus diſcutiendi, in ore detinendo, & maſticando fruſtulum cinnam. nucis myriſticę, uel rotulam ex aromat. roſ. De uentriculo uerò nos parùm ſolicitos eſſe oportet, tum quia & benè appetit, & concoquit,

Digitized by Google

coquit, tum quia, ſi lęditur, non ſit eſſentialiter, ſed per conſenſum ab hypochondriis, & potiùs ab haliribus calidis, & ſiccis, quàm à frigiditate, aut humiditate. Vnde hoc caſu, & affectu luta, & aquas ſulphuteas omnino ſuſpecta, & hypochondriis noxia exiſtimo. Quare ſat fuetit aliquod calefaciens, & roborans, ſed ſtatim à cibo ſumptum, ne maius iuuamento damnum euadat. Sic frequenter à prandio deglutiat pil. ex ℈ i. ſucci abſinth. condenſ. ſicut à cœna duo integra maſtiches grana. Extrinſecus quoque uitentur calidę inunctiones, tum quia minimè in hoc affectu conueniunt, tum quia hepatis lobus uentriculo incumbens, prius ipſo uentriculo calefit; quod equidem mirot, in Praxi à magnis Viris perpetuò obſeruatum non fuiſſe. Cordi quoque palpitationi pręſenti opitulandum, internis, & externis. Sic ſequentem compoſitionem habeat Illuſtriſs. Mulier ſemper paratam. ℞. aqu. totius citri ℥ iii. aqu. cinnam. ℥ i. elixir vitę ʒ ii. quintę eſſentię roriſmar. gut. v. m. & palpitatione pręſente, eius cochlear per interualla iterum, atque iterum aſſumat. Extrinſecus uerò cordis regio ita illinatur. ℞. olei de ſcorp. Matth. ʒ ii. troch. de gallia moſch. gr. x. ſucci citri parum, m. f. linim. & digito intincto cor illinatur. Pro reuulſione uerò, cùm cauterium in coxa eam geſtare innueris ad pręſeruationem, præſente affectione, pedum, & crurum frictiones, uincula arcta, & lauacra prodeſſe poterunt.

Victus ratio iam dictis intentionibus proportione reſpondeat, nec permittendum, vt Matrona Illuſt. in errores incidat conſueros, in hoc affectu, dum Patientes perpetuò de Ventriculi frigiditate conqueruntur: cùm tamen ea priuatiua, non poſitiua ſit, & à feruore hypochondriorum, & iecoris proueniat, cùm flatus frigidos vapores, non ſiccas exhalationes exiſtiment. Quare victus ſit quidem boni ſucci, & facilis concoctionis, verùm in paſſiuis humectans, in actiuis temperatus, qui minus nocebit, ſi ad frigiditatem, quàm ſi ad caliditatem declinet; atque adeò condimenta ex aromatibus ſuſpecta, excepto pauco cinnamomo, & pipere rudirer contuſo. Pariter inhibenda condimenta ex allio, & cæpis. Vina item generoſa, craſſæ ſubſtantiæ, & dulcia: dulcia enim omnia inflant uiſcera, & obſtruunt. Verùm nequeo diutiùs immorari cibis deligendis, aut reijciendis, ſine tuæ ſummæ experientiæ offenſa. Quare illud tantùm addam, ſomnum longiorem eſſe debere,
d 4. in 6. Epid. vlt. & labores à antè cibum exercendos; ſicut genialis conuerſatio ab Illuſtriſs. procuranda, & ſolitudo fugienda. Quæ omnia optatum finem ſub tua prudentiſſima directione conſecutura ſpero; ita D. O. M. vota noſtra ſecundet.

XXIV.

MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA.

REuerendiſs. Vir, 43. annum agens, temperamenti totius, & Iecoris, calidi, & ſicci, capitis calidi, & humidi, octo abhinc annis, laborare cœpit flatibus in hypochondrio ſiniſtro, à quo eleuati vapores in caput eiuſdem grauantem quendam dolorem nonnunquam induxerunt; frequenter autem æſtuationem. Iam verò annus agitur, quo parte dextera ipſius capitis cruſtę quædam effloruerunt, quæ nonnunquam, veluti ſquamæ deciderunt; licet aliquæ duriores perdurent, atque emineant, quandoque cum pruritu. Præterea, duobus abhinc annis, deſtillationem à capite, per ſpatia muſculorum dexteri lateris percipit Reuerendiſs. Patiens, ad crus uſque, & genu delabentem, quæ circa genu, externa parte, dolorem continuum, ad tactum, & dum crus totum extendit, ingraueſcentem; quinimò & ſub genu, tumorem rebellem, nec, niſi rarò, cum dolore excitat; qui tamen Auſtrina conſtitutione recrudeſcit. Iuuentutis autem tempore, hæmorrhagiæ frequentes ſpontaneę contigerunt, à quibus narrat ſe leuamen aliqnod percepiſſe.

Hypochondriacus omnium primò conſtituendus eſt, octo abhinc annis, Reuerendiſs. Vir, non legitima tamen, ſed ſpuria hypochondriaca affectione ſemper laborans; ſiquidem non phlogoſin in pyloro, neque in primis venis obſtructiones; ſed in lienis vaſis delituiſſe, & adeſſe conijcere licet. Sicut autem affectio huinſmodi intemperierum inæqualitatem in viſceribus naturalibus prægreſſam ſupponit; ita eandem, affectu præſente magis, magiſque

ſempet

ſemper augeri, pro certo habendum; ſiquidem, cùm Iecoris feruida intemperies in hoc affectu primum locum obtineat; ſecundum verò Ventriculi utcunque frigida, priuatiuè tamen intemperies; iecoris feruorem ab obſtructionibus, huic affectui inducendo omnino neceſſariis, quam maximè adaugeri, minimè dubitandum, intercepta caloris natiui opportuna, & neceſſaria ventilatione; ex quibus naturali œconomia euerſa, concoctiones imminuuntur quidem aliquando, ſed & frequentius deprauantur; ſicque nutritio totius labefactatur, & caput frequentiſſimè, tum crudos humores à toto [a] venoſo genere ſuſcipit; tum fumoſas, & craſſas exhalationes ab hypochondrijs, doloris eiuſdem grauantis frequentiſſimam cauſam, ſicut & deſtillationum, quibus maximè obnoxium redditur, quod accidit Reuerendiſs. huic Viro, qui quidem ab initio grauantes dolores, & æſtuationes capitis paſſus fuit, ſed poſtea duobus abhinc annis deſtillatione, per muſculorum ſpatia, potiſſimum parte dextera, conflictatus eſt, ad crus uſque, & genu peruadente, quæ à calore quinetiam denſata, in externam partem decubuit, ad tactum, & dum crus totum extendit, dolorem grauiorem excitans, ratione ſitus, tum & tendinum muſculorum, in eum locum inſertorum, & propè articulum; ſub genu verò eadem tumorem fixum, ratione tamen ſitus, raro dolorem inferentem eleuauit; qui omnes affectus Auſtrinis [b] conſtitutionibus ingraueſcunt. Verùm quoniam materia hæc catarrhalis, & cruda, partim in capite quidem genita, partim à Venis tranſmiſſa, à calore, tum iecoris, tum capitis craſſior reddita eſt; ideo eius portio craſſior in eodem capite hærens, ut ad motum magis inepta, ac proinde exuſtionem adepta, poſtremò in cruſtas, parte eiuſdem dextera, è regione iecoris, conuerſa eſt, ex cuius portione magis exuſta, veluti ſquamulæ decidunt; prout minus exuſta, & friabilis in cruſtas duriores protuberat, cum pruritu ex calore; imò ex ſeroſitatis, aut acidæ, & melancholicæ, aut acris, & bilioſæ permiſtione, à quibus forſan preſeruerari potuiſſet, ſi frequentius hæmorrhagia, cui olim erat obnoxius, in præſentiarum contigiſſet.

[a] 1. de Diſ. Feb. 11.

[b] 3. Aph. 5.

Affectus equidem omnes permoleſti, nullius tamen periculi. Et licet capitis deſtillatio primo loco videatur conſideratione digna, cùm eius effectus euidentiores, & læſiones magis appareant; attamen Medico perito, & eiuſdem radices rimanti, huic in curatione poſtremum locum deberi manifeſtum fiet; ſiquidem nullo modo capitis calidam, & humidam intemperiem curare licebit, niſi prius viſceribus naturalibus, & reſeratis, & ad meliorem ſymmetriam redactis, non omiſſa totius maſſæ ſanguineæ purificatione, & affecti capitis expurgatione, quibus tantùm hoc anni tempore ſatisfacere nobis ſat fuerit, omiſſa capitis exſiccatione, tanquam difficiliori, & contraindicantibus obſita. Quare omni fiducia aggrediamur Reuerendiſſimi Viri huius curationem, ut ad multò meliorem ſtatum redigi ſaltem poſſit.

Quod præſtabitur, primò primas vias euacuando. Secundò obſtructiones aperiendo. Tertiò totum, & caput expurgando. Quartò iecoris, & hypochondriorum calorem contemperando. Et tandem caput, & ventriculum quoque quodammodo corroborando, localibus non omiſſis, tum ut cruſtaceæ capitis efflorеſcentię detergeantur, & excidant; tum ut materia, in genu dolorem inferens, inſenſibiliter reſoluatur.

Quibus implendis intentionibus, in Chirurgico fonte, duplicem laudo ſanguinis miſſionem; alteram quidem ex Iecoraria dextera; alteram verò ex Venis ſedalibus. Si cauterium admitteret Reuerendiſs. Vir, niſi geſtet, inuratur brachio ſiniſtro.

Leniens eſſe poterit man. clariſ. cum ſyr. roſ. ſol. Vel ſyr. roſ. ſol. cum ſyr. de polyp. Præparans primum erit iul. acet. ad ℥ iij. cum ℥ ſ. crem. tarr. tenuiſs. puluerìz. ſimul enim ritè miſcentur. Tranſactis verò quinque diebus, rurſus idem medicamentum repetendum, ſuperhauſtis, aut ſer. depur. aut aq. hordeac. ad ℔ ii. Inde ad obſtructiones expediendas, & humores in Venis hærentes præparandos, erit deueniendum; in quem finem, præſcribantur ſtatim ſucci depur. aperientes, & mundantes; cùm ſaccharata, & mellita medicamenta pauciſſimis hypochondriacis conferre ſoleant. Sic ſucc. depur. cich. borrag. end. maluat. lupul. & cetrach præbeantur, ſequenti die a medicamento; altero verò præbeatur Rhab. ad ʒ ſ. ʒ ii. flor. caſs. miſtum; à quo bibat Pat. cyathum integrum aq. cichor. & agrim. Inde poſtero die, repetat ſuccos, ſic alternato ſuccor. & Rhab. uſu ad xx. dies. Quibus exactis, præbeantur pil. totum, & caput ſpectantes, & expurgantes, quales eſſe poterunt aggregat. coch. præpar. & aur. Verùm duabus horis ab aſſumptis pil. ebibat ſer. capr. depur. aut aquæ Noceræ ℔ ij. & tribus horis ab ijs prandeat. Sequentibus verò duobus diebus, rurſus præbeantur ſuc. depur. beton. cichor. ad ℥ iij. in iure cichor. borrag. beton. & ſaluia alterato. Inde rurſus præbeantur pil. prædicto modo, dum interim iiſdem diebus, per nares quoque caput expur-

expurgari poterit, leui errhino, ex pul.maior. ireos, & nigel.parato. Qua peracta expurgatione, confer.Capital.erunt in uſum reuocandæ, potiſſimum à prandio,è florib.roſar. à cęna verò ex florib.beton.uel ror.mar. Ventriculus quoque roborandus,ſale abſint.ad ℈ ſ. in exiguo iure diſſoluto, potius à cibo, quàm ieiuno ventriculo,aſſumendo.

Localia verò quod ſpectat,caput tunc ablui poterit lixiuio dulci,ex cinere ſarmentorum vitis parato,additis agarico, beton.bacc.Lauri,& fœnugræco; mox abſterſione, & exſiccatione eiuſdem facta,inungantur cruſtæ, ſiue pars cruſtis affecta, ol. tart. cum gutt. ol.ſaturni, quod ſi in promptu non habeatur, utatur ſolo ol.tart. quod poteſt quoque ol.amygdal. contemperari.

Genu verò inungatur primò ol.lilior. albor.cum aromatibus; mox huiuſmodi inunctione. ℞.ol.lilior.albor.℥ i.ol.nuc.moſc.per expreſſ.ʒ ij.ſpiritus ſalis ℈ i.cer.parump.m.f.linim. molle, pro inunctione genu. Conferre quoque poterunt lintea, aq. vitæ ſalita imbuta, & appoſita; quæ abundè fore ſpero, pro commodiori ſtatu Reuerendiſſ. Viri, dum capitis exſiccationem in aliud tempus, & aliam ſtatus Patientis conditionem differre conſultius ducimus. Quibus addatur congrua viuendi ratio;& omnia iam dicta D.O.M. ſalutaria reddat.

XXV.

MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA.

MVlier Nobiliſſima, 37 annum agens, temperamenti ſecundum totum, calidi & humidi, habitus carnoſi, Viro nupta, 18. fœtus enixa, ſed ter abortiuos; tandem menſe Decembri proximè præterito, poſt abortum, tertio menſe ſecutum, lochiorum immodicum profluuium paſſa fuit,a quo, viribus proſtratis, lenta febre correpta eſt, non ſine aliqua hyſterica paſſione, per accidens forſan ab odoribus excitata. Præterea melancholica quoque euaſit; timet enim, & mœret, ex leui quacunque cauſa, atque priſtinæ ſanitati deſperat. Obſtructiones in caua viſcerum parte latent,tactui proinde non obuię.Expurgatur rurſus per vterum, licet antea imminutè potius id factũ fuerit. Gracilis inſuper reddita eſt, & aluum adſtrictam habet, cum æſtu in manibus moleſto. Vigiliæ potius immodicæ;ſed ſatis benè appetit.

Nobiliſſima mulier, calido, & humido temperamento totius, & habitu carnoſo à natura donata,integra quoque ſanitate gaudere potuiſſet,niſi fęcunda adeò tot partubus fuiſſet,
a 1. de Morb. Mul.98. & quod deterius, abortiuis, quos grauiores, quam iuſtos partus teſtatus eſt Hipp.[a] ligamenta enim (ait ipſe) in partu laxantur; in abortu verò lacerantur. A poſtremo autem abortu, menſe Decembri proximè pręterito, tertio conceptionis menſe, grauiorem noxam,quàm antea paſſa eſt, ob lochiorum profluuium immodicum,à quo extenuata valdè, & ab odoribus læſa, hyſterica paſſione ſemel correpta fuit. Quoniam verò, ſicuti ex prægreſſis abortibus uterus imbecillis fuit redditus; ita ex ſanguinis per uterum immoderato profluuio, calor natiuus, uentriculi potiſsimum, labem paſſus eſt, & imminutus fuit; ideo cruditates in ipſo genitæ, & ad meſenterium, uel canum iecoris tranſmiſſæ, obſtructiones produxerunt; à quibus exſiccatis,hypochondriaca affectio ortum duxit; ab hypochondriorum uerò, & iecoris æſtu ſanguine in ramis uenæ portæ exuſto, melancholica paſſio inducta, timores, mœrores, atque priſtinæ ſanitati deſperationem inuexit. Quibus omnibus,& alui ſtypticitas, & æſtus tum circa pręcordia,tum manuum, ac pedum, quinimò & vigiliæ, & totius corporis inſueta macies adiungi ſolent.

Vt autem mulieri Nobiliſſimæ medicam opem afferamus, leuis, atque ſuauis purgatio illi pręſcribenda, antequam obſtructiones magis exſiccentur, & hypochondriaca affectio confirmetur, paſſioque melancholica augeatur; recentia enim huiuſmodi mala, ſi benè curentur, auxilijs medicis haud difficulter cedere ſolent, experientia quoque ipſius Ga-
b 5. de Loc. Aff. 7 leni.[b]

Ideo primæ viæ leniter mundandæ; obſtructiones aperiendæ; Iecoris, hypochondriorum, & ſanguinis feruor contemperandus; & viſcera roboranda. Quibus intentionibus

ſatis-

ſatisſaciendum remediis Chirurgicis, Phatmaceuticis, & Diæteticis.

Et quidem à Chirurgico, primò exigua, & ſemel tantùm, depromenda ſanguinis miſſio, ex Iecoraria dextera, ad iecoris, & ſanguinis ventilationem, ad vncias nimirum quatuor, aut quinque, idque intermedio, æquè diſtanti tempore, inter vtramque menſtruam purgationem.

Ex Pharmaceutico fonte, præcipua erunt deſumenda remedia, nimirum Lenientia, Præparantia, Aperientia, Expurgantia, viſcerum calorem Contemperantia, & Roborantia. Leniens eſſe poterit potio ex manna clarificata, aut caſſia cum lenitiuo. Primum præparans erit Iulapium acetoſum, ad vncias tres, cum ſemiuncia aquæ cinnamomi, pro una doſi; & ſic ad quinque dies. Secundum euacuans erit caſſia cum lenitiuo, & tartaro; uel potio iam dicta clarificata. Inde ſecunda procuretur humorũ præparatio, ſuccis potius herbarum, quàm ſyrupis ſaccharatis, hypochondriacis infeſtis; ſint itaque ſucci depur. cich. borrag. an. ℥ i.ſ. in decoct. cich. borrag. endiuiæ, meliſſæ, maluæ; & ſeptem tranſactis diebus, præbeatur infuſio Rhab. & ſennę, cum ſyrup. roſ. ſol. uel caſſia, cum pil. de tribus cum Rhab. à quibus tamen ebibat Pat. ſerum cap. depur. ad ℔ ij.

His peractis, ad aliqua deobſtruentia erit deueniendum. Paretur itaque ſyrup. ex ſucci depurati, cichor. borrag. & agrim. an. ℥ i. in decoct. cichor. borrag. end. agrim. lupul. aſparag. in qua diſſoluantur gran. x. tartari vitriol. die verò ſequenti, præbeatur ʒ ſ. rhabarb. opt. cum ʒ ii. flor. caſs. & tranſacta hora, ebibat ſerum caprinum ad ʒ i. tribus verò horis ab eo prandeat; ſic tertio die repetat ſuccos, ut ſupra; & quarto Rhabarb. modo præſcripto; alternato ſic horum uſu ad 20. dies; quibus tranſactis, aſſumat potionem clarificatam, cum infuſ. rhab. & ſennæ; cui ſuperbibat ſerum, vel aquam Nocerianam ad ℔ ij. Tandem viſcera contemperanda, & roboranda ſuperſunt; in quem finem, 15. dies, matutinis horis, in vſum reuocet cyathum, ex aqua de ſucco cichorij, aut de ſucco borraginis deſtillata, addita vel conſerua de acido citri, vel Iulapio de ſucco limonum; & à prandio deglutiat pilulam ex ℈ i. ſucci abſinthii condenſ. à cęna verò duo, aut tria integra grana maſtich.

Atque iam dictis omnibus congrua victus ratio reſpondeat, abſtinendo à ſalitis, acribus, valdè acidis, ab aromatibus, flatulentis, à vinis generoſis. Somnus procuretur conſueto longior, & non ſufficiente nocturno, etiam diurnus. Labor aliquis ante cibum prodeſſe poterit; & aluus lubrica ſeruetur, uel exigua quantitate floris caſſiæ, uel prunis damaſcenis, cum infuſione ſennæ, in uino parata decoctione. Tandem amicarum conſortium admittat, alacrique; ac erecto animo uiuat, atque credat, propriæ ſalutis diffidentiam, atque deſperationem, non ueritatis, ſed melancholiæ, & falſæ imaginationis ſobolem eſſe.

XXVI.

MELANCHOLIA HYPOCHONDIACA

PLures recenſentur affectiones, Virum Adm. Reuerendum diuexantes, timores, atque mœrores præter rationem, capitis deſtillationes, urina in effluxu deprauata, tenſiones hypochondriorum, rugitus, æſtuationes, anguſtiæ, & de uentriculo malè concoquente querelæ; quæ omnes manifeſtas quidem cauſas agnoſcunt, augmentum tamen, & fomitem ab occulta habuiſſe, & nos confirmamus. Manifeſta ſiquidem eſt cauſa læſionis urinæ, nimirum caruncula; quæ tamen à gallica gonorrhœa originem duxit. Euidens quoque capitis intemperies, ad calidum & humidum uergens, fluxionum ferax; quam tamen à corrupto ſanguine foueri aſſerendum. Maniſeſtiſſima item uiſcerum omnium naturalium obſtructio, primò & potiſſimum meſenterij, ſecundò lienis, tertiò hepatis; licet ſuperioribus annis, in liene magis eandem uigere obſeruatum ſit, quæ & medicis auxilis imminuta fuit, ex eorundem uiſcerum, & potiſſimum iecoris, ac uentriculi intemperie, cruditatum, & humorum exuſtorum cauſa dependens; unde primò in uenis lacteis, mox meſentericis, demum in ſplenicis, atque hepatis uaſis, obſtructiones accumulari potuerunt, quæ à liberaliori

viuendi rationę adauctæ, & tum a iecoris, & hypochondriorum feruore, tum à tabo gallico (cuius proprius character eſt ipſa aduſtio) exuſtæ, atq; terreæ redditæ, ſanguine in portæ ramis excalefacto, atque craſſiori reddito, hypochondriacę non ſolùm, verùm & melancholicæ affectionis mineram procrearũt. Ab hac ſiquidem exhalationes eleuatæ, tum murmura in hypochondrijs, tum inflationes in ventriculo, tum compreſſiones in ſepto, & perfrigerationes in corde, ac ſpirituum obtenebrationes in cerebro ſuſcitare ſolent; prout in noſtro Adm. Reuer. Patiente; hinc querelæ de hypochondriorum inflatione, de læſa ventriculi concoctione, de reſpirationis anguſtia; necnon timor non timendorum, & męror præter rationem procedunt. Quæ omnia, vt diximus, licet à lue Celtica, utpote à cauſa occulta, caſu noſtro, quodammodo foueantur, à ſolis tamen cauſis manifeſtis, in Adm. Reu. præſentibus, frequentiſſimè fieri obſeruantur.

Quare, præterquamquod ordine executionis prius manifeſtæ, demumque occultæ cauſæ expugnandæ veniunt, idipſum etiam (ſi vrgentiori ſit incumbendum) ſtatus Pat. præmonſtrat; quandoquidem melancholicę affectionis characteres adeò inſculptos, atque firmatos, habemus, vt ſi hac poſtpoſita, Tabo gallico priùs operam dari contingeret, affectio melancholica, modò ſympathica, ab hypochondrijs maximè, & utcunqne etiam à toto orta, facilè idiopathica in capite euadere poſſet.

Et propterea ut Adm. Reuerendo opem feramus, recto ordine manifeſtæ prius, mox occultæ cauſæ debellandæ fuerint, vt tutò procedamus, & leuamen Pat. noſtro afferre, atque tandem optatam ſanitatem reſtituere poſſimus.

Itaque primæ viæ expiendæ. Secundo meſenterii obſtructiones obliterandæ, & extirpandæ. Tertiò eædem in iecore, & liene reſerandæ. Quartò totum venoſum genus mundandum. Quintò iecoris, hypochondriorum, & renum æſtus contemperandus, & ventriculi aliqua cura habenda.

Quas intentiones hoc verno tempore explere ſat nobis fuerit, ut locus detur cæteris indicationibus, dum eodem tempore, atque eodem medicamento, tum capitis humidam intemperiem, tum luem Celticam tandem expugnare, manuſque ope carunculam extirpare nobis licet: qua curatione, non leue quoque auxilium capiti nos allaturos ſperamus.

A fonte itàque Chirurgico repetita erit depromenda ſanguinis miſſio, ex brachio dextro primò, mox & ex ſiniſtro; & tandem, ſi aliqua fuerit antehac obſeruata naturæ propenſio ad venas ſedales, hæ quoque hirudinibus aperiendæ fuerint. Cauteria, ſi geſter, foueat: ſin minus, hoc tempore omittantur, dum purgationem eradicantem præſcribimus.

Ex Pharmaceutico depromenda Lenientia, Præparantia, Purgantia, Alterantia, & viſcera Roborantia. Lenientia erũnt, ſyr. roſ. ſol. & de polypod. vel caſs. lenit. & tart. Primum præparans ſit iulap. acet. ad ℥ iii. tribus additis drachmis tart. in pollinem redacti. Quinque vero exactis diebus, repetatur leniens. Mox meſenterij obſtructionibus explicandis erit diutius inſiſtendum, per epicraſin euacuando, ne excrementa ad hepar, aperientium uſu perducantur. Paretur itaque iulap. acet. magiſt. maceratis quatuor radicibus aperientibus in aceto, & aqua agrim. 24. horas; deinde expreſſioni ſaccharum q. ſ. addendo; ut ad ignem ſiat iulap. potius dilutum; cuius præbeantur ℥ ij. in decoct. cich. borrag. endiu. malu. meliſſæ, pentaphyli, in qua diſſoluantur gr. v. tart. vitriol. Verùm quarto quoque die præbeantur pil. de tribus cum rhabarb. ad ʒ i. cùm ℥ ſ. flor. caſs. cui hora poſt, ſuperbibat ius hordeo, vel maluis alteratum; tribus verò horis ab eo, prandeat. Ita in horum uſu 20. dies perſiſtendum; mox validioribus aperientibus erit utendum, tum lienem, tum iecur ſpectantibus; qualia eſſe poterunt ſyr. Fernel. à nobis deſcriptus, ad ℥ ij. in aq. borrag. aut meliſſę, alternis diebus exhibendus; diebus verò intermedijs, præbeatur aqua ſtillat. agrim. & ſcolopend. aut ononidis, ad cyathum, in qua diſſoluta fuerint gr. x. tart. vitriol. atque ita in horum vſu quoque erit pergendum ſaltem ad alios viginti dies.

Mox, vt totum venoſum genus ab humore melancholico vindicetur, alterutro horum Adm. Reu. Pat. utatur decoct. ſcil. epith. Mes. aut extracto veratri, tribus vicibus, tertio, aut quarto quoque die aſſumendo. Quod ſi decoctionem præferat. ℞. decoct. epith. Mes. ℥ iv. ſyr. viol. ſol. ℥ ij. aq. flor. cit. parum m. f. p. à qua, tribus poſt horis, bibat ſeri depur. ℔ ij. Si verò extractum. ℞. extr. veratri nigri ʒ ſ. flor. caſs. rec. ʒ v. m. f. b. à quibus, vnica poſt hora, hauriat ſer. iam dictum. Diebus verò intermedijs, hoc aſſumat. ℞. ſucci depur. cich. borrag. fumar. pomor. dulc. an. ℥ i. decoct. cich. borrag. end. malu. viol. agrim. ſcolopendrij ℥ vi. m. pro ſyr. & ſic pro alijs.

His

His peractis, calida iecoris, hypochondriorum, & renum intemperies erit contemperanda; in quem finem, aut ſucci depur. aut aq. ſtillat. ex uſu maximè fuerint. Si ſucci. ℞. ſucci depur. cich. malu. nymphea an. ℥ i. decoct. cich. end. violar. malu. nymph. ſem. melon. ℥ vi. m. pro ſyrup. & ſic pro aliis. Vel ℞. aq. ſtillat. cich. malu. end. an ℥ iv. ſem. melon. mund. ℥ i. f. emulſ. cui adde ſucci lim. ℥ ij. m. in quorum uſu pergendum, ad xv. vel xx. dies.

Et dum iam dicta adminiſtrantur, abdomen uniuerſum illini poterit vng. malu. ſucco abſinth. & ol. de capparibus ſubacto.

Tandem ventriculo, & iecori ſimul roborandis ſal abſinthij, ad ℈ i. in pauco iure, vel vino diſſolutus, & matutino tempore ſumptus, utiliſſimus fuerit.

Quibus omnibus neceſſariò congrua victus ratio erit addenda. Aeris inclementiam vitando. Ab alimentis praui ſucci, craſſæ ſubſtantiæ, & calefacientibus abſtinendo; à carnibus annoſis, ſuilla, bubula, leporina; à piſcibus lacuſtribus, paludoſis, à teſtaceis, & oſtreaceis; caſeo, leguminibus, hordeo, & oryza exceptis, à braſſica, ab aromatibus, & acidis; à vinis generoſis. Cœna ſit parca, & decem horis à prandio, ſine potu. Somnus nocturnus longior permittatur, diurnus prohibeatur. Exercitium ieiuno ventriculo adhibeatur. Venus interdicatur. Aluus lubrica ſeruetur iuſculis malua alteratis, prima menſa epotis. Quibus non ſufficientibus, flos caſs. ad ʒ iij. tantùm, ſed frequenter, ſupplebit. Alacriter demum viuat, & amicorum conſortio gaudeat; citra tamen comeſſationes, aut compotationes. Quæ omnia ſalutaria illi precamur.

XXVII.

MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA.

Matrona Illuſtriſs. 31. annum agens, temperamenti iecoris ab ortu calidi, & ſicci, gracilioris habitus, ætate puerili Atrophiæ, & imminētis tabis ſuſpicionem præbuit, licet nunc carnoſior exiſtat. Vix autem pubertatem egreſſa, Viro iuncta, concepit, ſemperque fœcundiſſima fuit; quamuis non ſemper partus maturos ediderit, pluries aborta. Cùm autem abortus cauſa in ſanguinem copia, & qualitate peccantem, à Viris Excellentiſs. relata fuerit; eiuſdem è ſuperioribus venis eductione, primis menſibus, inſtituta, reliquos poſtmodum fœtus feliciter geſtauit, & peperit, cum larga lochiorum, in puerperio, expurgatione. Tempore tamen geſtationis, hoc incommodo cōflictatur, quod internæ coxarum venæ, uſque ad malleolum, liuido colore ſuffuſæ adeò intumeſcunt, ut uaricoſæ omnino fiant; licet rurſus, edito fœtu, & lochijs, atque menſtruis erumpentibus, prorſus obliteſcant. Tandem à poſtremo partu, tribus abhinc menſibus, conqueritur de periodicis doloribus, circa ventriculi regionem, quos Colicos exiſtimauit; qui hypochondriorum murmure, flatibus, potiſſimum per inferiora erumpentibus, ſedantur. Præterea circa ventriculi os, frigiditatem quandam percipit, & quod grauius illi eſt, feruorem, & ut ait ipſa, ebullitionem quandam per interualla, ſyncipiti valdè moleſtam, quæ ſpiritus animales nonnunquam ita exagitat, & offuſcat, ut Pat. Illuſtriſs. ad impatientiam modò, modò ad mœſtitiam perducatur; quæ moleſtiæ frequenter per interualla recurrunt, ſecundo nempe, tertio, aut ad ſummum, quarto quoque die, citra ullum tamen capitis dolorem. Menſtruæ purgationes, ſtatis temporibus, copioſæ procedunt; neque de utero ulla querela, ſed de alui ſolùm conſueta ſtypticitate. Quoniam autem grauiora mala imminentia metuit; ideo ut & ab ijs præſeruetur, & à præſenti liberetur, de agendis nos conſulit.

Feruida uiſcera principalia, Cor nim. & Iecur, à naturæ primordijs, ſortitam fuiſſe Matronam Illuſtriſsimam, ſatis ſuperque atteſtari nobis poſſunt macies, imò Atrophia in puerili ætate, cum corporis, animique ad omnes operationes agilitate; quod poſtea ætatis progreſſu magis, magiſque confirmarunt menſtruæ purgationes copioſæ, & quidem feruidi ſanguinis, fœcunditas, lochia in puerperijs abundantia, detractio ſanguinis, primis menſibus, abortus præuertens; & tandem coxarum uenæ, uſque ad talos, tumidæ, liuidæ, & ferè nigræ grauiditatis tempore, feruidiſſimi ſanguinis certiſſimo indicio.

a 1. in 6. Epid. 5. b 3. de Loc. Aff. 7. Quoniam verò, adultiori Illuſtriſſima Patiente iam facta, temperamenti [a] calor maiorem ſemper acrimoniam, & mordacitatem meritò adeptus eſt; quinimò ſanguis ipſe [b] craſſitiem, atque aduſtionem; hinc accidit, quod craſſior eiuſdem portio, à iecore ad lienem, & meſenterium, per ramos venæ portæ tranſmiſſa, atque in iiſdem hærens, affectum melancholicum excitauerit; qui ventriculum primò ſiccis, calidiſque halitibus infeſtans, & priuatiuè refrigerans, coctiones turbauit; unde cruditates congeſtæ, quæ in lacteis venis hærentes, ibique exſiccatæ, hypochondriacam affectionem, tum producere, tum fouere poſſunt: à quibus exſiccatis exhalationes, à natura ſemper reſolutionem moliente, eleuatæ, hypochondriacos dolores, non autem Colicos inuexerunt. Interim à concluſis cruditatibus ſiccis, ac terreis, prout à craſſiori ſanguine, æſtus in hypochondriis quotidie inualuit (unde maior quoque alui ſtypticitas) à quibus expirantes exhalationes, feruidiores & ipſę Cor petentes, impatientiam, & excandeſcentiam inducunt; quæ ad Cerebrum,
c 1. in 6. Epid. 1. per venas iugulares, aut arterias Carotidas, in ſinum duræ matris inſinuatas, [c] irrepentes, moleſtum ſyncipitis feruorem excitant; prout quandoque eædem exhalationes refrigeratæ, ad os Ventriculi, Cor, & Cerebrum perductæ, in illo frigiditatis ſenſum; in his verò, timores, [d] ac mœrores inducunt, atque adeò hypochondriacum, & melancholicum affe-
d 6. Aph. 23. ctum conſtituunt.

Quamuis autem affectus præſens nullo vitæ diſcrimine grauis ſit, ſed moleſtiam tantùm Par. Illuſtriſs. inferat; quia tamen, ut Medici imminentibus quoque proſpicere tenentur; ideo curandum nobis eſt, ne ſanguine magis magiſque exuſto, affectus melancholicus ſuperiorem gradum, à toto ſcil. acquirat. Præterquamquod ab huiuſmodi ſanguine uix corpus benè nutriri diutius poſſe credendum; unde Atrophiæ metus; neque forſan ſemper Varices obliterandas eſſe exiſtimandum.

Quare, ut à præſenti moleſtia uindicetur, & ab imminentibus præſeruetur Matrona Illuſtriſsima, præcipua Medici intentio erit, exuberantis caloris remiſſio, quam quoniam aſſequi nequimus, niſi prius obſtructionibus reſeratis; ideo hæ, præmiſſa primarum viarum expiatione, aperiendæ.

Et primò quidem ex fonte Chirurgico repetita ſanguinis miſſio ex utroque brachio neceſſaria fuerit, diebus intermediis, æquè ſcilicet diſtantibus à præterita, & futura menſtrua purgatione, ne natura à proprio munere rectè peracto auocetur. Locum etiam habent frequentes pedum lotiones, ante prandium, & cœnam. Cauteria verò omitti poſſe arbitror.

A Pharmacia depromenda Lenientia, Præparantia, Aperientia, Purgantia, Iecoris, & totius uenoſi generis calorem Contemperantia, caputque nonnihil Refrigerantia.

Leniens eſſe poterit ſyr. roſ. ſol. & de polyp. uel Caſſ. cum Tart. Præparans, Iulap. acetoſ. cort. cit. alter. ad ℥ iij. quinque poſt diebus, eodem Leniente, repetito. Inde ad aperientia deueniendum, omiſſis dulcibus; atque adeò præbeantur ſucci depur. per arenam bis tranſmiſſi, ſuauiores enim euadunt. Itaque, ℞. ſucci depur. Cich. end. borrag. an. ℥ i. decoct. ſonci, maluæ, viol. pentaph. ℥ v. m. pro ſyr. & ſic pro aliis, matutino tempore aſſumendis; ſequenti uerò die, ſumat flor. caſs. ʒ iij. tart. uitriol. gr. vij. m. f. b. quibus tranſacta hora, ſuperbibat Aq. ſtillat. Cichor. uel ſeri capr. deſtill. ℔ i. tribus uerò horis ab ea prandeat. Tertio die, eoſdem repetat ſuccos, atque ita alternatim procedat, ad 15 dies; à quibus. ℞. pil. de tribus ʒ i. flor. caſs. ℥ i. m. f. b. & hora poſt, bibat ſeri depur. ℔ ij. ac tribus horis ab eo prandeat.

Poſt hæc, aliqua iterum aperientia in uſum reuocanda, ut rhab. ita præbendum. ℞. rhab. opt. ʒ ſ. flor. caſs. rec. ʒ ii. m. f. b. Vel ℞. Aq. cich. ℥ iij. rhab. opt. ʒ i. ſpicæ gr. iij. m. f. inf. per noctem; & mane præbeatur colatura, à qua præbeatur ſeri capr. deſtill. libra, quod etiam poſt præſcriptos bolos aſſumendum. Rhabarb. autem uſui, 10, aut 12 diebus inſiſtendum.

Tandem ad aquas Nocerianas deueniendum; quas primis diebus aſſumat cum uehiculo deiectorio ſyr. roſ. ſol. ſicut in progreſſu, cum diuretico ſucci Lim. aut ſpir. tart. rectif. in quarum uſu perſiſtat ad 15. ſaltem dies; quæ ſi fortaſſe ægrè permeauerint, iis ſubſtituatur Lac Aſininum; quod etiam non paruæ utilitatis fuerit, ſi ab aſſumptis aquis, per menſem ſaltem de more, in uſum reuocetur; quo tempore Aquæ dulcis Balneum toti quoque accommodatiſſimum fuerit; ita enim, & iecoris, & hypochondriorum, & totius uenoſi generis moderato calore, uentriculi frigiditas, & capitis moleſtia recedent, cuius rei gratia, ſtatim à prandio Conſerua roſar. & ſub ingreſſum lecti, Violatatur.

His

His accedat congrua uiuendi ratio, qua igni, uel radiis ſolaribus nunquam caput exponat. Salſamenta omnia, aromata, & calida alimenta, cum uinis generoſis, uitet. Diuturniori ſomno, & quieti indulgeat, & ad aluum emolliendam, prima menſa, ius malua alteratum aſſumat, cui quandoque mercurialis addatur; uel exigente neceſſitate, flor. caſs. quoque ad ℥ iij, uel iv. Alacriter interim uiuat,& ſi continga t,ut aliquando ira,aut excandeſcentia corripiatur, hauriat tunc Aq. frigidæ ſemicyathum. Quæ omnia prudentiſſimo iudicio Viri domeſtici committuntur.

XXVIII.

MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA, cum nigrorum excretione.

SI melancholicum, imò affectione melancholica laborantem dixerò Nob. Pat. nemo miretur, licet eiuſdem habitus carnoſus, inter plethoricum,& obeſum medius,contrarium;imò ſaltem diuerſum nobis indicare videatur; ſiquidem huiuſce affectionis, non in capite primatiò, & eſſentialiter; nec in toto venoſo genere, ſed in hypochondriis, ſiniſtro potiſſimum ſedem ſtatuendam cenſeo, vbi obſtructiones, à craſſo, feculento, & melancholico humore deliteſcunt; à quibus ferè continuò eleuantur vapores, vel potius exhalationes, quæ flatibus hypochondria, & potiſſimum ſiniſtrum replent, & caput aliquando petentes, aut cor, ſpiritusque tum animales, tum vitales inficientes, facillimè Viro Nob. cordis oppreſſionem, timorem, & mœrorem ignotum, & ſine cauſa forſan inducere poſſunt; vnde iuremerito affectiones huiuſmodi flatulentas Gal.[a] appellare conſueuit. [a 3. de Loc. Aff. 7.]

Quoniam verò humor melancholicus, in ipſo copioſus, partim ex ſanguine redundanti, utpote fæx eiuſdem; partim ab aliqua in iecore caloris exuperantia iure prouenire creditur; ideo non atrabilaris, & præter naturam cenſendus; ſed naturalis, partim alimentalis,at maiori parte excrementitius,tū inutilis, tum vtilis habendus; tantus enim ipſi calor non eſt, vt humores exurere poſſit; tunc enim ſæuiora contingerent ſymptomata, & lethalis euaderet eiuſdem excretio; vnde dicebat Gal.[b] ſe obſeruaſſe atræ bilis humorem lethaliter excerni; nigrorum autem euacuationem non infrequenter bonis contigiſſe auſpiciis. Sic & Hipp.[c] *Infra verò nigra deiecta bonum*. Bonum autem,quod à nigrorum euacuatione fit, Viro Nob. erit non abſolutè bonum, ſed reſpectiuum; ſiquidem longè deterior euaderet nigrorum ſuppreſſio; & ideo in euacuatione, cùm inutili humori immiſceatur quoq; ſanguinis melancholici portio,& id fiat cum ſpirituum diſſolutione, virium aliquam labem, atque imbecillitatem ſequi mirandum non eſt. Omnium interim optimum foret, ſi hic melancholicus humor non regeneraretur; licet regenitum ſatius ſit, etiam cum aliqua virium noxa, à natura expelli, quàm in corpore (quod Deus auertat) cohiberi. [b 4. Aph. 22. 23. & de Atra. B le Ca. 3.] [c 4 Aph. 45]

Colica autem corripi Virum hunc Nob. ab aſſumptis medicamentis,ex eo prouenire coniectari poteſt, quod medicamenta fuerint purgantia, aut calorifica, in halitus craſſos humorem melancholicum reſoluentia, qui hypochondria diſtendendo, dolores quoque potius hypochondriacos, quàm colicos conſtituunt.

Ad tollendum autem, & arcendum affectum huiuſmodi, purgatione,non Vere tantùm; ſed & Autumno vſus eſt Gal.[d] quam & ego conſulo in Nob. Patiente, certa ſpe, fore, vt prauus affectus iſte præcaueri poſſit,& grauior quinetiam,ſi humoris ſiſtatur excretio,priuſquam eiuſdem reproductio inhibeatur. Etenim dum idoneis medicamentis expurgabitur melancholicus humor; & potiſſimum alterantibus prohibeatur eiuſdem regeneratio, nulli non palam eſt,nigrorum humorum euacuationem neceſſariò ceſſuram,quod nos aſſequi facilius poſſe ſperandum, ob huiuſmodi affectus raritatem. [d 6. Aph. 47.]

Verùm quoniam audio, Virum Nob.ad medicamenta parum facilem, forſan quoniam ex iiſdem non adeò rectè adminiſtratis, moleſtiam, atque noxam perſenſerit; ideo ea parcius proponam, vt paucis, ſine noxa, imò cum leuamine, ab eodem expertis, integræ cu-

ratio-

rationi mox fidem adhibere poſſit.

Interim medicæ intentiones erunt, primas vias exinanire; mox obſtructiones aperire; quæ quoniam ab humore melancholico, ſicco nimirum productæ ſunt; ideo omnium prima intentio medica eſſe debet, in paſſiuis qualitatibus humectatio; ſicut in actiuis, aut valdè modica calefactio, aut ad refrigerationem potius procliuitas.

Quoad euacuationem, à validioribus omnino abſtinendum; melancholici enim blandè ſunt curandi, & potiſſimum cùm proximus ſit humor purgandus. Et tandem calor hypochondriorum, & viſcerum eſt moderatè contemperandus.

Ordine itaque executiuo, pauca illa proponam, quæ prædictis implendis intentionibus, præſenti anni tempore, adminiſtrari poterunt.

Et primò leniatur aluus ſyr. roſ. ſolut. & de polyp. cum modica aqu. flor. cit. aut lenit. caſs. & tart. Sequentibus verò ſex diebus, quotidie ſummo mane ſumat iulap. acet. cinnam. integro aromatiz. ad ℥ ii. vt nonnihil fermentetur humor; cui ſuperbibat decoctionem borraginis, cich. bugloſſi, meliſſæ, malu. cort. citri, ad ℥ vi. pro ſyrup. & ſic pro aliis. Sex verò exactis diebus, ſumat medicamentum huiuſmodi. ℞. fol. ſennæ rec. mund. ʒ ii. rhab. maturi ʒ i. cinnam. integr. ʒ i. aqu. meliſſæ q. ſ. f. infuſ. per horas 12. deinde fortis expreſſio; & colat. adde ſyrup. roſat. ſolut. ℥ iv. de polyp. ℥ ii. aqu. flor. citri par. m. ſ. p. b. Tribus verò horis ab ea, hauriat Vir Nobiliſs. ſer. capr. depur. ℔ ii. & duabus horis ab eo, prandeat. Sequentibus autem diebus, integrum menſem bibat mane, quatuor ſaltem horis ante cibum ℥ iii. ſucci borrag. depur. in iure pullæ, malu. ſummitatibus alteraro. Et qualibet hebdomada, non metuat Nobiliſs. Patiens aſſumere elect. lenit. flor. caſs. rec. extr. an. ℥ ſ. extr. ſennæ, aut polyp. ʒ i. m. a quo medicamento hora poſt, bibat ſer. depur. ad ℔ i. ſ. & ſi illud reſpuat, ſubſtituatur aqua hord. uel ſaltem ius hord. tribus autem horis à ſero, aut aqua prandeat. Neque frigida, & humida alterantia metuat, aut attenuantia medicamenta, ob flatuum præſentiam; ſunt enim exhalationes ſiccæ, à calore ex ſicca minera eleuatæ; non autem vapores ab humida, vt falsò plerique opinantur; qui ideo hieram, & alia aloetica, atque calida medicamenta perperam proponunt ægris infelici ſucceſſu.

Aliquo verò prædictorum dierum, venas ſedales hirudinibus ſibi aperiendas permittat, vt inde ſanguinis ℥ viij effluant; & leuem huiuſmodi purgationem hac vice admittat, vt in poſterum idoneis medicamentis ſumma vtilitate vti poſſit.

Quibus cautio aliqua in viuendi ratione addenda; calida enim omnia, quæ aduerſus flatus vſurpari ſolent, ſunt penitus releganda, aromatum proinde condimenta vitanda, præter duo tantùm, cinnam. ſcilicet, & piper ruditer contuſum. Vina generoſa mittenda, neque tamen flatulenta vſurpanda. Corpus validius paulò exercendum. Curæ & animi ſolicitudines arcendæ, & amicorum conſortia, citra compotationes, ſunt quærenda. Quæ pauca faxit Deus, vt pro voto ſuccedant.

XXIX.

MELANCHOLIA, ET VARII AFFECTVS Hypochondriaci.

A Naturæ primordijs Illuſtriſſimum, atque Excellentiſſimum Comitem, partium omnium principalium, necnon miniſtrantium dyſcraſiam ſortitum fuiſſe, non ſolum ex relatis; ſed multò magis ex vita valetudinaria, quam ſemper duxit, facillimè coniicere poſſumus; cuius affectiones morboſæ, iuxta ætatis augmentum, maius quoque & ipſæ incrementum ſuſceperunt; ſiquidem Infans febres malignas, & variolas perpeſſus fuit; ætatis verò progreſſu, ad dentes, & fauces deſtillationes; Adoleſcens vomitus bilioſos, acidos, dolores in abdomine, cum torminibus; mox arthriticos, atque nephriticos, mentis perturbationem, vertigines, prægreſſis hypochondriorum rugitibus, alui ſtypticitate, totius macie, & tandem ſubſecuta vniuerſi quidem corporis imbecillitate, ſed potiſſimum manuum, & nonnihil pedum, cum doloribus internodiorum, inter cubitum, & humerum eundem torquentibus. Quorum omnium malorum licet cauſæ plurimæ ſint accuſandæ; harum tamen aliquæ, vt principes ſunt conſiderandæ; aliæ verò, licet proximæ, minus tamen principales cenſendæ. Calorem igitur, ſiue calidam iecoris, totiuſque venoſi generis intemperiem, principem locum in omnibus iam dictis affectionibus obtinuiſſe, & obtinere credimus; quæ quoniam, pro ætatis incremento, inualuit ſemper magis: ideo ſemper grauiores, & multiplices fuerunt affectus ipſi; hinc dicebat Gal. [a] Ætate florentes eſſe pueris calidiores ſimpliciter. Calor autem huius viſceris, primò bilioſum ſanguinem progignere, mox etiam aduſtum, atque melancholicum, & proximas partes infeſtare cœpit; in quibus, ventriculus noxam primò prodidit, coctione non ſolùm imminuta, ſed quandoque etiam deprauata; dum corrupta alimenta ad nidorem, modò amara, modò acida per vomitum excreta ſunt, ſicque deficiente toti corpori alimento, nutritio imminuta, ac paulatim totius macies inducta, & conſeruata fuit.

a ſ. in 6. Epid. 5.

Et quoniam coctiones in ventriculo, non à quolibet; ſed à moderato calore perficiuntur; ideo à calida, atque feruida iecoris intemperie adauctus, & labefactatus natiuus calor, coctiones imperfectas, ac proinde cruditates continuò gignere potuit, licet priuatiuè, & per conſenſum, non poſitiuè, & eſſentialiter afficiatur ventriculus. Harum autem cruditatum portio ad renes tranſmiſſa, & eorundem denſitate cohibita, à calore verò exuſta, in arenulas, indeque ob propriam glutinoſam conditionem, in calculos quandoque coacta, & conuerſa fuit; vnde nephritici dolores; quarum alia portio per arterias ad caput, ab ortu calidum, & humidum, ideoque deſtillationibus obnoxium, & delata, & catarrhali materiæ in eodem genitæ immiſta, nonnunquam ad fauces, & dentes defluens, in iiſdem partibus dolores excitauit; quandoque verò per ſpatia inania, cum Fernelio, & Hipp. [b] ad articulos penetrans, circunſitas neruoſas articuli partes diſtendens [c] potius, quàm pungens, continui ſolutionem, & ſubinde articulares dolores induxit.

b de Loc. in ho 18. c 6 Aph. Com. 49. 51.

Pars tamen craſſior cruditatum earundem, in abdomine hærens, obſtructiones infarctas produxit, à quibus adaucto earum partium calore, ipſiſque propterea exſiccatis, terreiſque factis, hypochondriacus affectus ſubortus eſt, quinimò paulatim craſſiori, & exuſto ſanguine in ramis illis venæ portæ ſubſiſtente, affectio tandem etiam melancholica acceſſit. Cuius eſſentia in inflammatione quadam, phlogoſi dicta, [d] cum Gal. poſita eſt, cui ſubſcripſit quoque Paul. [e] Ex Auic. [f] verò conſiſtit in obſtructione, & cum alijs in intemperie; cùm tamen reuera ad hypochondriacam affectionem melancholicam legitimam conſtituendam, iam dicta omnia conſpirare pro certo habendum ſit.

d 3. de Loc. Aff. e 3. de Re Med 14. f 1. 3. trac. 4. Cap 18

Verùm de parte quoque affecta diſſentire videntur Medicinæ Scriptores, dum ventriculi, & pylori venas ſtatuit ipſe [g] Gal. Septum [h] Hipp. Auic. [i] modò Vterum, modò Mirach, meſenterium Fernel. Pancreas Marcellus Donatus; quinimò & partes remotiores Augenius. Nihilominus in legitima affectione hypochondriaca pars affecta, ſunt ſemper ventriculi,

g 3. de loc. Aff. 7. h de morbis Virg. i 1. 3. Tr 4. Cap. 18

k 5. de loc. Aff. 7. culi, & pylori venæ; quam deſcriptam habemus à Diocle[k] apud Gal.

Prætens autem Illuſtriſſimum, atque Excellentiſſimum Comitem affligens affectio, primam ſedem habuit iu venis lacteis, mox & in meſentericis, verſus hepar, vbi tactu obſtructiones percipiuntur; quarum cauſa non legitimam, ſed ſpuriam melancholiam hanc hupochondriacam ſtatuimus; à cuius minera exhalationes eleuatæ, & in omenti duplicatura, necnon inter inteſtinorum tunicas concluſæ, non ſolùm rugitus in abdomine conſuetos; verùm & antehac dolores hypochondriacos, à medicis pro colicis habitos, excitarunt; prout, cor petentes, palpitationem; atque in capite ſpiritus animales obtenebrantes, deprauatam imaginationem, & viſorios ſpiritus confundentes, vertigines produxerunt.

Verùm quoniam conſummata hypochondriaca affectione, vt dictum fuit, vniuerſi corporis nutritio neceſſariò corrumpitur, ex partium concoctioni deſtinatarum læſione; hinc ſuccis probo ſanguine alienis exuberantibus, & potiſſimum ſeroſitatibus melancholicis, hæ à natura, aut immediatè per arterias, aut à capite per ſpatia inania, ad partes internodiorum detruſæ, propria aciditate perioſtia vellicantes, dolores inferre ſolent; quinimò & in flexoribus potiſſimum, necnon extenſoribus muſculis digitorum infarctæ, manus præcipuè torporem, ſine ſtupore inducunt, conſtrictione, & utcunque extenſione quoque impedita.

A quibus omnibus vindicari optat Illuſtriſſimus, atque Excellentiſſimus Comes, non ignarus prauas diſpoſitiones ab ortu contractas emendari quidem, at auferri minimè poſſe, potiſſimum vbi agitur de affectibus melancholicis propulſandis, qui in habitum conuerſi, medentis manum reſpuunt, vt dicebat Gal. cum Ruſo, & Poſſidonio. Nihilominus nos Excellentiſs. Comitis votis obſecundantes, pauca quædam, ſed vtiliſſima medica auxilia proponemus; quibus ad meliorem ſaltem ſtatum eum redigi poſſe pollicemur: *nihil enim agere malum, ſed perperam agere, peſſimum*; quandoquidem à medicamentis exſiccantibus affectus hypochondriacus valdè adauctus, in morbum[l] exſiccatorium, indeque
l 2. de Morb. 64 in atrophiam, & maraſmum frigidum deſinere ſolet; vel[m] in aquam inter cutem firmari.
m 4. Aph. xi. Affectus verò melancholicus, adaucta quammaximè ſanguinis in portę venis exuſtione, in varicoſam affectionem, & inde morbum nigrum[n] degenerare, vel cum imaginatione rationem ſimul deprauare ſæpè conſueuit.
n 2. de Morb. 71

Vt itaque ſcopum attingamus, noſtra potiſſima intentio fuerit alteratio. Secunda deobſtructio. Tertia euacuatio. Quarta inſenſibilis reſolutio. Quinta, & poſtrema læſarum partium corroboratio.

Quas vt expleamus, à fonte Chirurgico aliqua ſunt auxilia petenda; inter quæ ſi conſideretur ſanguinis miſſio, parca hæc conuenire poterit ex ſedalibus venis, & quidem per interualla repetita, ut prolectetur natura ad ſpontaneam eam euacuationem; quæ ſola
o 6. Aph. xi præter ſpem artis, affectum nephriticum[o] minuere, & melancholicum omnino ſoluere[p]
p 6. Aph. 21 poteſt. Ab hoc eodem fonte deſumi poſſunt Balneum, abdominis illitus, & brachiorum inunctiones; de quibus ordine executiuo infrà agemus.

Quem vt ſeruemus, Illuſtriſs. atque Excellentiſs. Comiti proponimus, hoc hyemali tempore, ab operatione medica intrinſecùs eſſe vacandum, ab vſu ſcilicet viperini pulueris, hoc tantùm monentes, ut interim humectationem ſubſtantificam nunquam intermittat, tum ut facilius humores terrei, atque melancholici humectari, ac expugnari, tum vt corpus uniuerſum renutriri poſſit. Quare inter cætera, in uſum quotidianum reuocet, prima menſa, ius tenue foliis borraginis alteratum, & hauſtum; quod, niſi aluus reſpondeat, alteretur nonnunquam malua, & mercuriali, in quem finem, abs re non erit comedere paſſulas mundatas ante iuris hauſtum; & ſi opus fuerit, iniiciantur clyſteres, ex lacte, butyro, & ſaccharo; vel ex lactę vaccino, & ſyrup. roſ. ſolut. Abdomen verò, more conſueto, inungatur vnguento maluino, oleo amygdalino reformato; imò nonnunquam eodem oleo amygdal. recenti totum corpus madefiat. Sic capitis aliqua exſiccatio concilianda, puluere aſperſo, infrà deſcribendo, & per nares quotidie attracto pulu. deſcripto, tabaci more. Internodia tandem illinenda, vt infrà, prout & articuli, linimento pariter inferius deſcribendo.

Quibus omnibus, in viuendi ratione, hoc vnum addere nobis liceat, non adeò ſalutare, in hiſce noſtris regionibus, eſſe hypocauſtum, ſiue Stupham, in Cubiculo paratam; quippe quod caput calefaciendo, illud etiam implere poſſit, dum excalefactum, à toto corpore vapores, quinimò & humores facilè attrahit; & præterea, quod attraxit, excalefactum

fundit,

ſundir, atque liquat; quibus procul dubio foueri poteſt ad artus, & brachia deſtillatio, cùm ex Hipp. [q] habeamus deſtillationes fieri ualdè excaleſacto, & valdè perſrigerato capite; vel quando cerebrum [r] ipſum ex ſe ipſo liqueſecerit. Addamus, quod poroſitates, tum capitis, tum totius corporis, à calore cubiculi rareſactæ, ambientem frigidum mox admittere poſſunt facilius, præſertim in corpore raro, & facilis reſolutionis, cuius cauſa magis magiſque emaciari poſſet.

[q] de loc. in hom. 15.
[r] de carnibus 17.

Aduentante autem Vere erit inſtituenda purgatio, Lenientibus, Præparantibus, Alterantibus, Aperientibus, Reſoluentibus, & Roborantibus perficienda.

Et quoniam à medicamentis quammaximè abhorret Excellentiſs. Comes; ideo ſi porionem noſtram clariſ. fortaſſe reſpuat; crem. tart. ad ℥ i. ſ. cum pauco ſacchato in iure cort. citri alt. diſſoluto præberi poterit. Ad præparandos crudos humores, primas vias obſidentes, ſi iulap. acet. cort. citri alteratum, aqua cinnam. aſperſum ſortè recuſet, ſubſtituatur tart. idem ad ℥ ſ. in iure, ut ſupra diſſolutus, ſex continuis diebus, mane aſſumendus; inde repetatur præſcriptum leniens.

Sic primis uiis expiatis, terreſtrium, & melancholicorum humorum alteratio erit molienda; quæ humectatione perficienda. Ideo inſtituenda erit potio quotidiana, matutinis horis aſſumenda, hac formula. ℞. ſucci depur. malu. end. borrag. an. ℥ i. decoct. in iure pullæ iunioris, cich. borrag. end. malu. ſonci ℥ vi. m. pro potu. In cuius vſu perſiſtat quindecim continuos dies; verùm in horum intermedio, aſſumat rhab. cum tart. vitriol. ita. ℞. extr. rhab. ʒ ſ. tart. vitriol. gr. xv. m. cui tranſacta hora, ſuperbibat ſeri capr. depur. ℔ i. & tribus horis ab oo, prandeat. Vel. ℞. extracti ſennæ, pil. de tribus cum rhab. an. ʒ ſ. tart. uitriol. gr. xv. m. ſumatur, ut ſupra; quod medicamentum exactis iam dictis quindecim diebus, repeti poterit; ut mox alios xv. dies deinde aſſumat alterans ſimul, & aperiens huiuſmodi. ℞. ſucci depur. cich. borrag. agrim. an. ℥ i. tart. vitriol. gr. xii. decoct. cich. borrag. end. malu. agrim. pentaph. ℥ v. m. pro potu matutino, & ſic pro aliis. In quorum dierum intermedio, & fine, ſumat Excellentiſs. Comes pariter alterutrum iam dictorum euacuantium, epoto ſemper ab his, ſero, ut dictum fuit.

Quibus viis ita reſeratis, ad ulteriora alterantia erit progrediendum, ut iecoris, & renum calida intemperies magis remittatur; in quem finem aquæ Thermales acidulæ efficaciſſimæ fuerint, ad fontem tamen hauriendæ; quales eſſe poterunt aquæ noſtræ Patauinæ B. V. Vel in Valle Solis enaſcentes Vitriolatæ. Aſſumuntur autem primis diebus cum vehiculo deiectorio; reliquis autem, cum vehiculo diuretico. Et quoniam deiectorium vehiculum recuſat Excellentiſs. Comes, in primis ſaltem duobus cyathis diſſoluatur tartarum ad ℥ i. ſ. mox quatuor, aut quinque poſt diebus, omiſſo tartaro, infundatur primis cyathis ſpiritus eiuſdem rectificatus, à ℈ i. ad ʒ ſ. cui addi quoq; poterunt guttulæ ſpiritus ſalis, uel ſuccus lim. ſaccharo immiſtus. In quarum aquarum uſu ad xv. ſaltem dies perſiſtendum, aſſumpto neceſſario ſub finem aliquo hydragogo medicamento, quale eſſe poſſet manna, more noſtro clariſ. vel magiſt. ialap. & mechoc. bolo cum lenit. reformato.

Quo tempore, ſi dolores intermodiorum infeſtent, nec ceſſerit torpor, ſiue digitorum imbecillitas, ut Balneum tepidum ſudoriſicum, ex aqua tamen dulci, malua, & meliloto alterata paratum deſcendere poterit; & ut facilius ſudor proliciatur, & ſeroſitates melancholicæ è corpore eliminentur, puluis viperinus, hora vna ante uſum Balnei exhibeatur, cum aqua card. ſancti. In cuius balnei uſu xv. ſaltem dies pergendum. Quod ſi dolores non urgeant, balneum iam dictum omitti poterit, ob articulorum imbecillitatem, omiſſo quoque vſu pulueris viperini; etenim cùm aquæ iam aſſumptæ aliqua exſiccandi facultate polleant; ideo quamprimùm humectatione interna ſuccurrendum eſt, quam vtiliſſimam experiemur ab uſu lactis aſinini, per aliquot dies, vt quod magis refrigeret, & facilius permeet; poſtea tamen caprini, ut quod magis humectet, atque nutriat. Sumatur autem ſtatim mulctum, addito ſaccharo, nullo verò modò cum buccella panis, ne in ventriculo diutiùs hærendo, caput, replendo, lædat; cuius uſum continuabit ſupra dies 40. Interim tamen, ne eiuſdem lactis pars aliqua craſſior in meſenterio cogatur, & hæreat, decimo quoque die aſſumat crem. tart. ℥ i. in iure diſſoluti, ut ſupra, quo viæ illæ abſtergeantur.

Dum prædicta omnia adminiſtrantur, flatibus infeſtantibus nonnunquàm animum applicare cogimur, qui quoniam ſiccam potius, quàm humidam naturam obtinent, cùm exhalationes à ſicca minera, non vapores ab humida eleuentur; ideo cautè ualdè in eorum reſolutione, atque diſcuſſione procedendum; namque calidiora diſcutientia po-

tius incraſſant, nec reſoluunt, aut ſi reſoluunt, calorem tamen, & ſiccitatem hypochondriorum, cauſam nimirum affectus adaugent. Quare elegantiſſimum, atque ſuauiſſimum diſcutiens ſtomacho, & uiſceribus ualdè accommodatum erit oleum cinnamomi, paratu quidem operoſum, ex quo confici poterunt rotulæ, uentriculo idoneæ; & liquor quoque interiores flatus diſcutiens, ad cochlearia per interualla, urgenre neceſſitate, aſſumendus. Hepar uerò roborare poterit ſal abſinthii, rarò uſurpandus; ſicuti cor aqua cord. prima Præcl. Sax, cui, vigente palpitatione, cochlear addi poterit aquæ theriacalis; ſed cautè ualdè, ut iam diximus; nec niſi urgente neceſſitate, calidioribus hiſce remediis utendum.

Hoc uerò tempore, capitis curationem conſultò omittimus; quia contraindicat, cùm urgentiori potius incumbendum neceſſarium duxerimus: namque qui duos lepores ſimul ſectatur, neutrum capit.

Iam dictis omnibus congrua uictus ratio erit addenda, proportione reſpondens, in actiuis ſcilicet moderatè refrigerans, in paſſiuis uerò humectans. Alimentorum autem delectus, vtpote Excellentiſſimo Comiti notiſſimus, à nobis præſcribendus non eſt, monentibus ſolùm, ut abſtineat à ſalitis, acribus, acidis, ab aromatum copia, uinis meracioribus. Cruditates vitet, & ab affatim, & nimium ingeſtis cibis abſtineat; nouem enim, aut decem intercedere horas neceſſe eſt, inter prandium, & parcam cœnam. Quæ omnia, D.O.M. enixè precamur, ut Illuſtriſ. atque Excellentiſ. Comiti ſalutaria euadant.

Puluis capiti inſpergendus.

℞. Pulu. ligni carioſi ℥ i.
Oſs. ſepiar. combuſt. ℥ ſ.
Cor. C. vſti, Ireos, Maioranæ } an. ʒ iij.
M.

Pro Naſario.

℞. Pulu. Maioranæ, Ireos floret. } an. ℥ ſ.
M.

Inunctio pro Internodijs.

℞. Olei ſuccini ℥ ſ.
Lil. alb. cum aromat. ℥ i.
Spir. ſalis ℈ i.
M.

Rotula pro flatibus diſcutiendis.

℞. Ol. cinnam. gutt. x.
De cort. citri gutt. v.
Sacch. fini diſſol. cum aq. cinnam. q. ſ.
M. f. rot. ad ignem.

Pro fricandis articulis.

℞. Ol. de nuce moſc. per expr. facti ℥ ſ.
Spiritus Salis ʒ ſ.
M.

Liquor ad flatus diſcutiendos.

℞. Aquæ totius citri ℥ iv.
Cord. pil. Saxon. ℥ ii.
Ol. cinnam. ℈ i.
Elixir vitæ ʒ ij.
M. Doſis ad cochlear vnum, vel alterũ.

XXX.

MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA, cum Vertigine.

MEliora ingenia non rarò atrocioribus morbis capiuntur, dum immoderatis ſtudiis, atque applicationibus dedita, ſerum humorem, melācholicum ſcil. accumulant, à quo mox fera ſymptomata, ferè cuiuſcunq; generis, mediantibus morbis, procedunt; melācholia enim, utpote frigida, & ſicca, humanæ vitæ, quæ in calido, & humido ſita eſt, contraria, atque omnino inimica habetur; ſtatim enim naturalem ſubuertit œconomiam, coctiones vitiat, excrementa accumulat, totumque corpus, vel atrophia, vel cacochymia afficit; unde morborum, atque ſymptomatum ilias neceſſariò ſequitur. Ita tibi contigit, Doctiſs. & Eruditiſs. Vir, cuius mens, licet ſenilibus, & affectis organis addicta, vireſcit tamen, ſemperque perfectior euadit; etenim, cùm in operibus ſuis exercendis, intelligentia ſcil. uberiorem, & perfectiorem ſpirituum copiam requirat, ventriculum, & viſcera naturalia calore depauperat; vnde imminutæ chylificationes, indeque cruditates ſecutæ ab initio fuere, quæ in meſentericis uaſis, & ſubinde in viſceribus firmatæ, obſtructiones peperere, atque à calore tum iecoris, tum hypochondriorum æſtuante, ab iiſdem infarctis adaucto, craſſæ, ſiccæ, terreæ, atque melancholicæ tandem redditæ, hypochondriacam, ſiue flatulentam affectionem produxerunt. Ab aucto verò quotidie magis magiſque hypochondriorum æſtu, ſanguis quoque in ramis venæ portæ, & lienis exuſtus, hypochondriacæ affectioni melancholiam quoque adiunxit; dum ab eodem exuſto ſanguine ſpiritus coinquinantur, & à tetris exhalationibus ad cor, & cerebrum eleuatis, palpitationes, ſpiritus offuſcationes, à quibus & pauores, & mœrores, abſque alia manifeſta cauſa, manarunt.

Et quoniam interim viſceribus, tum ab intemperie calida, tum ab organico morbo affectis, ſanguinis productio neceſſariò praua contigit; hinc liquatæ cruditates, biliosis humoribus immiſtæ, ſalſedinem contraxerunt, & ſeroſitatibus quoque acidis, & melancholicis iunctæ, in venis affluentibus, facultate expultrice irritata, ad cutē uniuerſi corporis, tanquàm commune totius venoſi generis emunctorium, ab eadem expulſæ, & depoſitę, pruriginoſam ſcabiem moleſtiſſimam induxerunt; quæ quoniam ab externo balneo remiſſa quidem, non verò eius cauſa ablata fuit; ideo à toto venoſo genere, non modò fuliginoſa, verùm & facilè humida materia in caput irrepſit, ac tranſmiſſa eſt; quæ viſorijs ſpiritibus immiſta, eoſdem inordinatè agitans, & in gyrum voluens, non modò ſimplicem, verùm & tenebricoſam vertiginem excitauit: quæ excrementa, quoniam non ſolùm motu, ſed & copia, craſſitie, ac denſitate peccant, viſoriorum ſpirituum ad oculum influxu intercepto, tenebræ oculis obuerſantur, viſio aufertur, & niſi aliquo fulcro innitaris, in terram prolaberis. At quia vertigo perennis eſt (ſaltem enim titubatio, primus ſc. vertiginis gradus, ex Aetio, [a] & Auic. [b] ſacris operando, imò & officium recitando, te ipſū moleſtat) & præterea, [a] Tetr 2. Ser 2. C 7 quia alia quinetiā ſenſoria afficiuntur, aures enim ſibilant, ſurdaſter, & cæcutiens factus es, [b] 1. 3. Tr. pupilla ſiniſtri oculi locum mutauit, aures materiam euomunt, & dolorem quandoque 5. Cap. 4. ad radices oculorum diffuſum percipis, necnon humorem in fronte concretum non rarò obſeruas; ideo caput non ſympathicè ſolùm, ac per conſenſum ab hypochondrijs, & venoſo genere; verùm & idiopathicè, ac per eſſentiam læſum eſſe exiſtimandum; quod facilius perſuadere poſſunt affectus diuturnitas, & ætatis conditio. Quare humidam capitis intemperiem non parum adauctam eſſe, non eſt dubitandum; eamque, materiam, tum humidam, tum vaporoſam gignere, pro certo habendum, adeò ut caput ipſum patiatur etiam telis uulnera facta ſuis.

Affectus quidem omnes difficilis, & ætate ſenili, impoſſibilis ſanationis; cùm altas iam iecerint radices; remitti tamen poſſunt, adeò ut reliquum vitæ prorogare, minusq; moleſtā traducere, alioſque imminentes grauiores affectus uitare queas. Ideo omnia agenda, quæ

ętas tua perferre poſſit, ita ut, iuxta Hipp. mentem, parùm potius iuuemus, quàm quicquam noceamus.

Quare omnium primò leniter primæ viæ expiandæ. Secundò benignioribus purgantibus, præmiſſis aperientibus, uiſcera cum uenoſo genere mundanda. Tertiò caput purgandum. Et ultimò idem corroborandum, non omiſſis à proprietate iuuantibus.

Quibus omnibus ſatisfacere conabimur, ordine executiuo, ut facilior tibi euadat omnium cognitio, & Medico aſſiſtenti adminiſtratio.

Itaque primum Leniens erit ſyr. roſ. ſol. de polyp. addita portione mannæ clarif. Prima præparatio tentanda iulap. acet. cortic. citr. & cinnam. aromatiz. ad ℥ iij. quotidie, quinque continuis diebus, ut mox ſequatur, iam præſcripto medicamento, præparatorum humorum expurgatio. Inde ulterior præparatio fiet ſuccis depur. potius, quàm ſaccharatis, vel mellitis. Quare paretur ſyr. ex ſucc. depur. cich. borrag. beton. in iure ciehorac. beton. agrim. & pentaphyllo alterato; cui tamen præmitti poterit iulap. acet. ſimplex, ad ℥ i. cum ℥ ſ. ſyr. de cich. cum rhab. in cuius uſu pergendum, ad dies 12. ſaltem, quorum intermedio præbeatur caſſia, cum pil. de tribus cum rhab. epoto ab his ſoluentibus ſemper aliquo humectante, ſiue ſit ius, ſiue aqua hordeacea.

Tertia uerò die ab aſſumpto prędicto medicamento, ex caſ. cũ pil. de tribus, applicentur hirudines uenis ſedalibus, & extrahatur ſanguis ad ℥ vj. Mox aſſumptis ſuccis, præbeatur purgans ex decoct. epith. Meſ. ſyr. roſ. ſol. temperata, an. ad ℥ iij. ſuperbibendo aquam hordeaceam, aut ius pariter hordeaceum, ſed copioſum.

Hoc uerò tempore, inuri debent cauteria duo, alterum coxæ dexteræ, alterum brachio ſiniſtro, niſi hucuſque fuerint inuſta. Frequentes etiam ſint pedum lotiones, aqua calente, ante cœnam; ſicuti totius corporis, matutinis horis, leues frictiones, manibus oleo amygdalino perunctis.

Quibus in gratiam totius uenoſi generis peractis, caput erit purgandum; ſed interim tribus, aut quatuor interpoſitis diebus, repetendi ſucci iam dicti depur. mox aſſumendæ pil. cochiæ præp. & aggreg. an. ʒ ſ. cum ℥ ſ. flor. caſſ. ad pil. calorem contemperandum; duabus uerò horis ab aſſumptis pil. haurienda aqua hord. uel Noceriana, ad ℔ ij. Deinde ſucci repetendi, tribus, aut quatuor continuis diebus, & rurſus pil. aſſumendæ; tribus enim uicibus aſſumi debent. Interim diebus intermediis, eiuſdem capitis expurgatio procuranda, errhino aliquo ſuaui, qualis eſſe poterit puluis maioranæ, & Ireos an. per nares attractus, mane tantùm, ſed pluries, more tabaci; in cuius uſu perſiſtere poteris etiam toto anni tempore.

Expurgato toto, & capite, huius humida intemperies foret corrigenda exſiccantibus; quæ tamen in emaciato ſene, & melancholico corpore ualdè cautè ſunt adminiſtranda; ideo uinum tota menſa medicatum mihi ſat eſſet, ligno roriſmarini, ſantalino, & buxeo, ℥ i. pro qualibet vini ſitula.

Interim utiliſſimum fuerit ad alexipharmaca, & à proprietate iuuantia confugere, tum interna, tũ externa. Inter interna efficax eſt ſpiritus uitrioli ad gutt. iij. uel iv. in aq. pœoniæ, præſtantiſſimum quoque ol. buxi, ad gutt. in eadem aqua; ſingulare pariter remedium eſt ſtercus Pauonis, abſque ulla præparatione, pulueriz. ad ʒ i. uel paulò minus, conſeruæ roſ. uel è floribus beton. uel pœon. uel rutæ capr. commiſtum; quæ omnia mane, pluribus horis ante prandium aſſumenda; his enim inueteratas uertigines nonnunquam ſanaui. Nocte autem dormiturus, ſępè ore uerſes confectionem, rotularum forma, paratam ex quintaeſſentia ror. mar. cum ſaccharo. Extrinſecus uerò mane, & ſub ingreſſum lecti, illinantur nares, & ſutura coronalis, oleo de buxo, uel de ſuccino, uel de camphora, & ungulæ Alcis anulus in anulari digito geſtetur.

Iam dictis omnibus congrua uictus ratio addenda. Et primò quidem domicilium familiare non ſit lucidum; lux enim, & motus ſpiritus agitant, & uertigines facilè inducunt; ideo uitandus aſpectus rotarum, fluminum, præruptorum, & eminentium locorum; uitandus quoque aer nebuloſus, & auſtrinus. Caueas à lactarijs quibuſcunque, à lactuca, à cibis flatulentis, acribus, uaporoſis, ac mordacibus, à nimia repletione, à uarietate ciborum. Vinum non ſit generoſum, ſitque medicatum, ut ſupra. A cibo diacydonium, nonnunquam conſerua roſarum, quandoque duo, aut tria grana maſtich. integra deglutiantur. Somnus uitetur pomeridianus. Exercitium ſit moderatum, & ante cibum. Aluus lubrica ſeruetur, uel prunis in uino coctis, cum ſennæ infuſione, mox ſaccharo aſperſis: uel pilula aliqua maſtich. ad ʒ ſ. Et tandem animi perturbationes, cæterique eiuſdem motus arcendi, nudiſque parcè, & nonniſi ieiuno uentriculo indulgendum. Quæ ſtatim, Paſchate peracto,

erunt

erunt adminiſtranda. Faxit Deus, ut tanto Viro omnia ſalutaria euadant, atque ita mea, à vota ſecundet, dum interim me tibi totum voueo.

XXXI.

AFFECTIO MELANCHOLICA, ET Hypochondriaca, cum Vertigine.

NOn equidem decepti fuere Viri Excellentiſs. in cognitione, & curatione hypochondriaci, & melancholici affectus, ex viſcerum naturalium labe; ſiquidem Pat, temperamentum, ætas declinans, & eiuſdem malorum conditio, atque principium, inſomnia tetra, atque terrifica, non ſine ventriculi afflictione, prædictæ affectionis teſtes luculenti eſſe poſſunt; quanquam caput per conſenſum ſolùm ab his inferioribus partibus, in Adm. Reuerendo Pat. affectum eſſe, certò ſtatui non poſſit; etenim fiſtula lacrymalis prægreſſa in oculo ſiniſtro, & ab eius ſanatione, moleſtia, quam in vtroque oculo, cum prurit u oculorum, ac totius capitis, ad capillorum vſque defluuium patitur, caput eſſentialiter læſum eſſe ſat nobis ſignificant; ideoque in eodem pituitoſæ materiæ mineram adeſſe, à qua halitus frequenter eleuentur, qui viſorios ſpiritus quodammodo turbare poſſint, nec tamen in gyrum agere, qui vertiginis primus gradus, citra obiectorum circumuolutionem, frequentiſſimè excitatur, ab Auic. a & Aet. b propriè trepidatio appellatus; qui tamen ad ſecundum gradum progrederetur, niſi medicis auxiliis, & congrua victus ratione ipſi occurreretur.

a 1.3. Trac. 5. cap 1.
b Tetr. 2. Sermon. 2. cap. 7.

Interim tamen negandum non fuerit, caput ipſum & ab hypochondriis non leuem conſenſum ſuſcipere; licet non ab hoc ſolo morbi diuturni, conſtantes, atque continui foneri poſſint. Calorem itaque nonnihil exuperantem in iecore, & inde in venis admittendum cenſemus, non ſine aliqua eiuſdem, aut vicinarum partium obſtructione; vnde ſanguis feruidior, bilioſis ichoribus, atque melancholicis, acribus ſcil. & acidis redundans, pituitæ in capite genitæ immiſceatur, atque adeò ſalſedo inducatur, à qua pruritus, & capillorum defluuium. Ab halitibus autem ab hypochondriis ad caput eleuatis, non ſolùm ſpiritus viſorios confundi, ſed animales quoque, principum actionum miniſtros, nonnunquam obtenebrari credendum; unde Pat. plus æquo ſolicitus euadat de propria ſalute, & res quinetiam parui faciendas magni æſtimet, quos moroſos appellabat Hipp. c in Epidemiis.

c 3. in 3. Epid. 82.

Verum quoniam non in ſola opinione conſiſtunt, ſed veram, & certam cauſam habent prædicta mala; ideo medica auxilia Adm. Reuerendo Pat. non ſunt neganda, ne fluxio ad oculos inualeſcat, atque vertigo ad ulteriores gradus progrediatur, præterquamquod ſtatus præſens reddit Pat. ſibi, & aliis inutilem.

Ideo primò primæ uiæ ſunt expiandæ. Secundò viſcera obſtructionibus expedienda. Tertiò venoſum genus ſeroſitatibus mundandum. Quartò caput purgandum. Quintò idem exſiccandum, nec tamen calefaciendum. Sextò iecoris, hypochondriorum, & venarum calor exuperans contemperandus; ac tandem caput, & reliquæ partes roborandæ.

Quibus omnibus idoneo anni tempore erit ſatisfaciendum. Et primò quidem à Chirurgico fonte deſumenda repetita ſanguinis miſſio, parca tamen ex brachio dextero, & venis ſedalibus. Secundò omnia reuulſionum genera ſunt in vſum reuocanda, & potiſſimum quotidianæ dorſi frictiones, à nucha deorſum, & quidem matutinis horis adhibendæ; prout veſpertinis frequentes pedum lotiones aqua calente. Cauteria iam inuſta fouenda.

A Pharmaceutico primò deſumenda Lenientia, ut potio ex manna clarif. vel caſs. cum lenit. & tart. Inde primum præparans, quinque dies, erit iulap. acet. corr. citri alterat. ad ℥ iij. mox repetito alterutro prædictorum lenientium. Ad vlteriora dein præparantia, & aperientia deueniatur; qualia eſſe poterunt, ſuccus depur. cich. borrag. malu. in decoct. cich. borrag. agrim. end. uiol. quinquefolii, in quibus diſſoluantur gr. x. tart. vitriol. quo

ſeptem

ſeptem dies Pat. utatur. Quibus exactis, præparati humores ſunt expurgandi, inf. rhab. ſennæ, addito ſyr. roſ. ſolut. & de polypodio, à qua hauriat ſerum capr. depur. uel aquam Nocerianam, ad ℔ ii.

Vt autem ſanguis ſeroſitatibus exhauriatur, quarto quoque, aut quinto die huiuſmodi medicamentum exhibeatur. ℞. flor. caſs. rec. extr. ℥ ſ. rhab. opt. ʒ ſ. magiſt. mechoac. ℈ ſ. m. f. b. quibus hora poſt, ſuperbibat aq. hord. ℔ i. tribus uerò horis ab ea prandeat; diebus autem intermediis, præbeantur ſucc. depur. end. cich. borrag. an. ℥ i. in decoct. cich. borrag. end. acet. uiol. & hepaticæ.

Quibus peractis, caput erit purgandum pilulis aur. coch. exhibitis ab harum uſu, aut aqua Noceriana, aut hordeacea. Errhinum quoque præſcribendum, ex pulu. maior. ireos, & nigellæ, mox caput eſſentialiter affectum eſt quidem exſiccandum; nullo modo tamen calefaciendum, tum quia ita poſtulat intemperies eiuſdem, tum quia calefacientia à calore hypochondriorum, & viſcerum prohibentur. Tale igitur inſtituatur decoctum, ad 30. imo ad 40. dies aſſumendum. ℞. ſantal. citrin. ligni buxi an. ℥ i. ligni roriſmar. radic. roſ. damaſcen. an. ℥ ſ. aq. ſtill. cich. beton. an. ℔ ii. f. inf. per hor. 24. deinde bull. ad conſumpt. dimidii, & facta colat. ſeru. pro tribus vicibus, matutinis horis aſſumenda; quod ſi ſudor poſſit in lecto nulla ui prouocari, abs re non erit; decimo autem quoque die, aſſumat Pat. aut pot. ex manna clarif. aut lenit. cum magiſt. mechoac. Victus autem tenuior neceſſarius non eſt; verùm comedat potiùs aſſa, quàm elixa; & vinum ad menſam paretur medicatum ſantalo rubro, & ligno ror. marini ad ℥ i. pro qualibet ſitula.

Abſoluto decocto, uiſcera erunt contemperanda, uſu aquæ ſtill. de ſucco cich. ad cyathum cum conſerua de acido citri, uel ſyr. de ſucco lim. per 15 dies, matutino tempore aſſumendæ.

Et tandem viſcera erunt corroboranda. Sic uentriculo, & hepati ſal abſinthii erit accõmodatiſſimus, ſi ſub finem prandii, ad ℈ i. ſumatur in hauſtu vini generoſi. A cœna deglutiat ſub finem duo, aut tria grana maſtich. integra; ſic ſub ingreſſum lecti, vtatur conſerua, modò roſ. modò flor. beton. modò roriſmarini.

Et iam dictis omnibus victus ratio proportione reſpondeat, abſtinendo à vaporoſis omnibus, à flatulentis, à vinis generoſis, à ſtudijs diuturnis, & grauibus meditationibus; atque alacri tandem, & præſenti animo uiuat. Quæ omnia Pat. Adm. Reuerendo à D. O. M. ſalutaria precamur.

XXXII.

MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA, & Catarrhalis Deſtillatio.

Querelæ ab Illuſtriſſimo Com. Adoleſcente nobis adductæ, omnes ad duo capita, imò ad duas affectiones redigi poſſunt, & debent, ad hypochondriacã ſc. non ſine aliqua melancholica diſpoſitione; & ad catarrhalem deſtillationem, à capite calido, & humido per tracheam in pectus, non adeò benè conformatum, & multò copioſius per œſophagum in ventriculum delabentem. Et primò quidem hypochondriaca affectio originem primam, dubio procul, obſtructionibus debet; hæ autem cruditatibus in uentriculo genitis; quibus forſan anſam dedit febris illa, duobus abhinc annis Illuſtriſsimum diuexans, in cuius curatione aquarum, & ſeri copia non modò præſcripta; uerùm & ultra præſcriptum epota, quæ tunc temporis non ſolùm cruditates congerere, ſed, quod grauius, imbecillitatem uentriculi inducere cœpit, & diſpoſitionem ad eaſdem cruditates gignendas; à quibus paulatim obſtructiones in meſenterio potiſſimum, mox uerò in liene ſuccreſcere cęperunt; quibus non omnino iecur vacare percipitur; quæ omnes à calore iecoris, & reliquorum uiſcerum exſiccatæ, terream, & melancholicam conditionem induerunt, dum interim ab iiſdem concluſis, calore intenſiori facto, ſanguis in ramis, tum meſentericis, tum ſplenicis, craſſior, & aduſtior

redditus,

redditus, euaporationes ſimul cum minera terrea iam dicta expirat in cor, & caput, vbi ſpiritus animales obtenebrando, modò timorem, modò mœrorem inducunt, ſicque melancholicum affectum conſtituunt, cuius proprii, & indelebiles [a] characteres habentur. a 6. Aph. 13.
Verùm ab iiſdem exhalationibus modò hanc, modò illam partem petentibus, uaria ſymptomata ſuboriuntur; etenim ſeptum eædem comprimentes, ſpirandi difficultatem; cauitatem verò uentriculi replentes illius inflationem; ad hanc, uel illam partem muſculoſam peruadentes dolores, breui tempore cedentes excitant. Quod ſi in hypochondriis hæreant, borborygmum, & rugitus, moleſtos quidem, ſed ſine dolore producunt; præſertim uerò ſi in omenti duplicatura, ſimul cum aliqua ſeroſitate melancholica inſinuentur. Quæ quidem omnia Illuſtriſſimo Com. noſtro contingunt.

Capitis uerò deſtillatio in ſubiectas partes, ventriculum potiſſimum, & utcunque in pulmones, ſecunda ſcil. affectio, quæ exercet Illuſtriſſimum Com. quandoque tuſſim ſiccam; quotidie verò ſummo mane humidam cum ſputis excitat; quoniam ſcil. non adeò copioſa eſt materia deſtillans, ut affatim in aſperam delabens ſpiritum intercipiat, atque ita expultricem facultatem ad tuſſim ciendam moueat; ſed ut plurimum noctu materia ipſa catarrhalis paulatim per [b] parietes aſperæ arteriæ tranſmiſſa, in pulmonibus incraſſatur, & ſummo mane ſputa craſſa tuſſi expectorantur; quæ tamen nondum putrida, & corrupta obſeruata fuerunt, vt ex relatis accepimus. Et licet nonnulla cruenta iam excreuerit; attamen à capite ſanguinem emanaſſe, à Viris Excellentiſſ. præſentibus iudicatum fuit. b 2. Simpl. 17.

Status Adoleſcentis Illuſtriſſ. ope medica omnino eget; gracilis enim eſt eiuſdem habitus; & præterea malè [c] conformatus, alatus quippe, cum collo oblongo, pectore non nihil anguſto, & præhumido capite, necdum eius ætas uigeſimum attingit annum. c 1. in 1. Epid 18.

Verùm cùm utraque affectio eodem tempore, nec curari, nec tolli poſſit, conſideratione dignum videtur, vtri harum prius curatio debeatur. Solutio tamen intelligentibus facillima eſt; cùm impoſſibile ſit capiti proſpicere, & medicamenta exhibere, niſi obſtructiones viſcerum reſerentur, & probæ concoctiones, chyloſis ſcil. & hæmatoſis procurentur; prætereaquamquod à viſceribus, & toto uenoſo genere ſuſcipit excrementa caput ipſum; unde ut cauſæ fouenti, & ſine qua non, hypochondriacæ affectioni, hoc anni tempore prius eſt incumbendum, capitis curatione in aliud tempus protracta.

In hunc itaque finem primò, & quàmprimùm primæ viæ ſunt expiandæ. Secundo meſenterii venæ aperiendæ. Tertiò accuratius iecur eſt expediendum, & lienis obſtructiones reſerandæ; atque tandem iecoris, & hypochondriorum calor contemperandus, habita ſemper capitis ratione.

Quibus intentionibus ut ſatisfaciamus, ex Chirurgico fonte, repetita depromenda ſanguinis miſſio, primò quidem ex iecoraria dextera; ex uenis uerò ſedalibus, uel ex pede ſecunda. Cauteria forent quidem utiliſſima, in brachio ſiniſtro, ad catarrhalis materiæ à pulmonibus, & ventriculo diuerſionem, in Coxa dextera ad uaporum caput, & reliquas partes petentium reuulſionem, atque ſeroſitatis melancholicæ euacuationem, niſi Adoleſcentis Illuſtriſſ. ætas reclamaret. Totum abdomen illinatur quotidie vng. roſ. Meſ. & totum corpus ol. amygdalino. Frequentes adhibeantur pedum lotiones, aqua calente, ante cœnam.

Reliqua medica auxilia ex fonte Pharmaceutico depromēda. Et primò quidem lenientia ſint, caſſ. cum lenit. uel ſyr. roſ. ſol. Primum præparans, iulap. acet. cort. citri alterarum, ad ℥ iii. additis ʒ iii. pollinis crem. tart. quinque dies; inde repetatur iam præſcriptum leniens.

A quo poſtridie aſſumat ſuccos depur. cich. & borrag. ad ℥ iii. in decoct. cich. borrag. end. meliſſæ, agrim. quibus addantur tart. vitr. gr. viii. pro ſyr. & ſic pro aliis; ſequenti uerò die, aſſumat flor. caſſ. ʒ ii. & hora exacta, bibat eandem præſcriptam decoctionem, in iure paratam. Ita autem perget in horum uſu, dies viginti, alternatis caſſia, & ſuccis; quibus exactis diebus, infuſum rhab. & ſennæ præbeatur, cum ſyr. roſ. ſol. uel caſſ. cum pil. de tribus cum rhab. à quibus, hauriat Pat. Illuſtriſſ. ſeri depur. ℔ ii.

His peractis, ad ualidiora deobſtruentia erit deueniendum, qualia eſſe poterunt ſucci depur. cich. & agrim. cum tart. vitr. ut ſupra, in decoct. cich. borrag. malu. agrim. cuſcutæ, pentaph. & aſparag. Die verò ſequenti, præbeatur rhab. ad ʒ ſ. cum flor. caſſ. reformatis bolis duobus; à quibus hora poſt bibat ſeri capr. deſtill. ℔ i. & tribus horis ab eo prandeat, atque ita perſiſtat aliis uiginti diebus. His autem præteritis, aſſumat aquæ Nocerianæ ℔ iv.

aut

Digitized by Google

ant v. cum vehiculo ſyr. roſ. ſolut. quam repetat quinque continuis diebus, cum eodem vehiculo; atque ſtatim ad uſum lactis aſinini, cum ſaccharo ſe conferat ad quadraginta dies.; dum interim Balneum uniuerſale aquæ dulcis locum habere poterit, alterata foliis malu. uiol. lactucæ, nenuph. atque ſalicis; à quo quotidie, deterſa cute, totum ol. amygd. inungendum.

His omnibus congrua uictus ratio accedat, reſtigerans, & ſubſtantificè humectans, abſtinendo à carnibus, & piſcibus ſalitis, ab oſtreaceis, ab edulus ex paſta paratis, ab uſu caſei, & ualdè uaporoſis, calidis, ab aromatibus, à leguminibus, à vinis generoſis, ab aceto, & acidis omnibus, uſurpata conſerua roſarum à prandio, & à cœna. Somnus verò, & quies ſanitati conducent quammaximè. Prima menſa ad aluum emolliendam hauriat ius borragine, uel malua alteratum; nonnunquam etiam flor. caſs. ℥ ii. Tandem alacri, ac præſenti animo uiuat, perturbationes, & animi paſſiones arcendo: etenim hypochondriaca hac remiſſa affectione, aduerſus capitis deſtillationem, alio tempore, curatio dirigi poterit, ut mala imminentia arceantur, & Adoleſcens Illuſtriſſimus integræ ſanitati reſtituatur.

XXXIII.

MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA, & Fluxio Catarrhalis.

REuerendiſs. Canonicum Patientem, hypochondriaca affectione laborare, manifeſtiſſimum eſt, quam flatus in abdomine, & potiſſimum in ſiniſtro latere (quo obſtructiones tactu quoque percipiuntur) redundantes facilè demonſtrant; unde à Gal. [a] flatulenta affectio dicta fuit. Hęc verò melancholica eſt, ut ex cogitationibus, timore, atque [b] mœrore, eiuſque temperamento colligere licet; non tamen legitima; non enim à phlogoſi in pyloro, ſed in liene obſtructo procedit, ob cruditates in ventriculo genitas, calore eiuſdem iam ab animi applicationibus auocato. Et licet ſurſum expirantes exhalationes, ſpirituum animalium obtenebratio, memoriæ læſio, aurium tinnitus, vigiliæ, ſuffuſioni ſimilia, pungentes dolores in temporibus, ptyaliſmus, ſepti compreſſiones, & ſuffocationis ſenſus, poſſint haberi melancholiæ hypochondriacæ ſymptomata, à tetris exhalationibus, tum acribus, tum acidis, à minera melancholica ad caput eleuatis; reliqua tamen, ut Viſio illa titubans, qua æſtate aliquando procidere ſibi videtur, memoriæ inſignis labes, viſuſq; firma læſio, dolor grauis in pectore, tempeſtate humidiori inualeſcens, prout & in accliuium locorum aſcenſu; hæc, inquam, omnia, licet ab hypochondriis foueri poſſint, aliam tamen, & diuerſam habere cauſam ſtatuendum, catarrhalem ſcil. materiam tenuem potius, & ſubſalſam, in capite genitam, ab intemperie eiuſdem calida primùm, potiſſimum tamen humida, quod ideo ab ambiente [c] facilè alteratur; cuius materiæ portio in eodem capite hærens, & in flatulentam, ac vaporoſam ſubſtantiam à calore conuerſa, cerebro humectato, memoriæ, ad tempus, diminutionem, & ſpiritibus viſorijs immiſta, viſionem titubantem, atque agitatione ſpeciem quandam vertiginis excitat; alia verò portio per uenas ad oculos penetrans, & eorundem humores incraſſando, & diaphanum offuſcans viſionem debilitat; cuius tamen materiæ catarrhalis pars potiſſima ad pectus decumbens, & parietibus eiuſdem adhærens, cùm ſalſa ſit, triſtem ſenſum doloris excitat, & in bronchiis pulmonum copioſior, & craſſior aliquando impacta, anguſtiam quandam, ac proinde Dyſpnœam producit, quæ aliquando ad Aſthma progreditur, cùm ſtertorem aliquando, & ſonitum percipiat. Alia verò eiuſdem quoque materiæ portio ad muſculorum interſtitia defluens, tum colli, tum utriuſque humeri dolores, & totius laſſitudines producere apta eſt.

a 3 de Loc. Aff. 7

b 6. Aph. 23.

c 3. Aph. Com. 5.

A quibus affectibus Reuerend. uindicare difficillimum fuerit; cùm à duabus cauſis altam radicem habentibus ortum ducant; confirmata namque eſt hypochondriaca affectio; naturalis uerò capitis intemperies; &, quod potiſſimum, contraindicant affectus huiuſmodi. Nihilominus agendum, ne Vertiginoſus, aut Epilepticus euadat Patiens, neue Aſthmaticus,

aut

aut Hæmoptoicus fiat; atque potius ad multò meliorem ſtatum redigatur.

In quem finem, ordo procedendi poterit Medico fortè dubius eſſe, num ſcil. hypochondriacæ affectioni, an deſtillationi ſit prius incumbendum. Solutio tamen fuerit, quod urgentiori, & alium affectum fouenti ſit prius medendum, altero non neglecto. Quare, hoc hyemali tempore, aliqua præſtari poterunt contra affectum hypochondriacum, alia Vere proximè futuro, ut poſtmodum data opera capiti proſpiciatur. Primò itaque Ventriculus exinaniendus, Secundò Lienis obſtructiones leniter explicandę, Tertiò exhalationes ſurrepentes à capite diuertendæ. Quartò flatus diſcutiendi. Et tandem pars affecta roboranda. Toto verò expurgato, caput quinetiam purgandum fuerit; mox eiuſdem intemperies exſiccantibus corrigenda; ac tandem idem roborandum.

Atque in præſens, omiſſa qualibet ſanguinis euacuatione, poſt leuem expurgationem, cauteria duo conuenientiſſima erunt, alterum in coxa ſiniſtra, ad reuulſionem; alterum in brachio, ad catarrhi deriuationem, ac diuerſionem, Frequentes item pedum lotiones ante cœnam adhibendæ.

Leniens ſit Caſſia cum Lenit. & Tartaro; uel ſyrup. roſ. ſol. & de polyp. Præparans uerò ſyrup. de cort. citri, cum crem. tart. Purgans, prout leniens. Inde in uſu habeat quotidie ʒ ij. elect. lenit. aut Caſſiæ, cum ſemiſcrupulo rhabar. optimi, ſuperbibendo ius, borrag. ſumar. & radicibus Petroſelini alteratum; in cuius uſu perſiſtat ad xv. dies.

Ad flatus diſcutiendos, utatur aliqua harum rotularum. ℞. ſpecier. Aromatici roſ. Pulueris Cinnamomi ana ʒ i. ſacchari fini diſſoluti cum aqua roſar. q. ſ. m. fiant rotulæ, ad ignem. Extemporaneum uerò remedium erit, cochlear aliquod aquæ Cinnamomi, urgente neceſſitate.

Reliquo verò toto tempore, uſque in proximum Ver, vinum ad menſam paretur medicatum ligno Tamariſ. ita ut pro qualibet ſitula uini infundantur Tamariſci ℥ ij.

Vere autem ineunte, noua erit inſtituenda purgatio, ut ſupra, primis octo diebus; deinde ſecunda præparatio, hoc modo. ℞. ſucci cich. depur. borragin. depur. fumar. depur. an. ℥ i. decoct. meliſſæ, borrag. maluæ, capillor. Ven. cetrach. tamariſ. ℥ v. m. pro ſyrup. & ſic pro alijs; quod ſi ab his ſuccis abhorreat; ℞. Extracti de rhab. ℈ i. tart. vitriol. ℈ ſ. m. f. b. i. & aur. & ante decoctionē, vice ſuccorum, exhibeatur per x. dies. Deinde præparati humores ita purgentur. ℞. rhabar. opt. ʒ i. folior. ſennæ tec. Epithymi an. ʒ ii. Cinnamomi integri ʒ i. Aquę Meliſſæ q. ſ. m. f. inf. per horas xii. & facta colatura, adde ſyrup. de polyp. ℥ v. m. f. p. b. & tribus horis ab ea, bibat ſerum depur. ad ℔ i ſ.

His peractis, caput quoque erit expurgandum, per nares, hoc Naſario, inſtar Tabaci. ℞. Pulueris Maioranæ, Ireos Florentinæ an. ʒ ii. m. attrahatur per nares. Per os vero. ℞. pilul. aurear. ℈ ij. de Agarico Meſues, maſtich. an. ℈ i. m. reformentur Pilulæ, & aur. tribus vicibus repetendæ, alternis diebus, quinque horis ante prandium, ſed duabus ab aſſumptis pilulis, bibat largum hauſtum aquę hordeaceæ.

Totius, & capitis purgatione ſecuta, niſi materiæ reproductio inhibeatur, capitis intemperiem auferendo, parum certè curatio profutura eſt. In humida autem capitis intemperie corrigenda, cautè valdè procedendum; caput enim exſiccationem quidem, ſed citra excalefactionem poſtulat. Quare decoctum exſiccans, & refrigerans ita paretur. ℞. ſalſæ electæ ℥ i. ſ. Ligni buxi ℥ i. Ligni tamariſci. Ligni roriſmar. an. ℥ ſ. Aquæ communis ℔ iv. m. f. inf. per horas xxiv. deinde bulliant ad conſumpt. dimidij, & mox fiat colatura, pro tribus diebus, matutinis horis, hora una ante ſudorem aſſumenda. Sudare autem potiſſimum debet caput, ne alioquin liquati humores in toto, ab ipſo decocto, caput adhuc magis impleant, & eiuſdem intemperiem adaugeant. Sudor itaque prouocetur in hypocauſto, ſed blandè, primis diebus, per horæ quadrantē, mox per horæ dimidium nouus ſudor proliciatur in lecto; quod ut facilius fiat, præmittatur decocto pulu. cor. Cerui philoſophicè præp. ad ʒ i. in portione decocti, aut in aqua cardui ſancti. Perſiſtat autem in decocto, & ſudore, ad triginta ſaltem dies, cum uictu mediocri, bis per hebdomadam carnem, & quotidie ptiſanam hordeaceam comedendo, at ſine uino. Abſoluto ſudore, & refectis viribus, balneum aquæ dulcis conuenientiſſimum fuerit, Cerato ex Ladano, maſtiche, & Tacamahaca uentriculo appoſito, ut ipſe tunc temporis tutò præmuniatur. Intrinſecùs autem roboretur idem ventriculus conſerua Abſinthii pontici, aut ſeminibus Citri ſaccharo conditis, aut granis maſtiches integris deglutitis; Caput verò conſerua roſarum, à prandio, & conſerua betonicæ à cena.

In victus ratione, caueat omnino à ſalitis, ab aromatibus, à flatulentis, à carne ſuilla, à

caſeo, à leguminibus, à vinis generoſis; cæteriſque moderatè utatur. Cœna ſit parciſſima; Dum ſudabit, niſi aluus reſpondeat, ſub cęnam, flor. caſs. ℥ iij. aſſumat, & decimo quoque die potionem ex Manna clarificata, vel ſyrup. roſ. ſolut. bibat, & alacri, ac erecto animo uiuat.

XXXIV.

MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA, & Aſthma.

EMpyematicus dubio procul, elapſo anno, fuit Illuſtriſs. Baro; de cauſa tamen hæſitatum, num ſcilicet ex pituita à capite defluente, cùm eſſentialiter calida, & humida intemperie affectum ſit; an potius à ſanguine, quia præceſſit inflammatio, cum febre pleuriticam æmulante; ſed meo quidem iudicio à pituita, quæ cùm etiam per venas à capite in latus decubuerit, ſanguinem pituitoſum illum appellare poſſumus; *Ad* [a] *latus enim glutinatus putreſcit, tumque latus ut plurimùm inflammatur; & patitur eadem, qua ex pleuritide ſuppuratus*, ſcribit Hippocrates. Cùm itaque à capite originem habuerit, deſtillationibus valdè obnoxio, mirum non eſt, ſi ab eodem, & in præſentiarum, catarrhalis materia ad fauces defluens, ſcreatu, ſine tuſſi, copioſa excernatur, ad meridiem uſque; matutino namque tempore, natura ad expulſiones prõptior eſſe ſolet; eiuſdem verò portio in pulmones prolapſa, difficultatem reſpirandi, potiſſimum in accliuium locorum aſcenſu, dum magis agitatur, & in locum affectum decumbit, iam debilitatum, quandoque etiam puncturas inducit. Aurium uerò tinnitus, flatibus adſcribendus; quorum tamen cauſa, num in capitis humiditatem, an potius in affectum hypochondriacum conferenda ſit, hæreo; quandoquidem & in oculis ſuffuſioni [b] ſimilia, ab eodem contingere ſæpè obſeruamus; prout calorem à cibo, cum genarum rubore, ab hypochondrijs potius, quàm à pulmonibus prouenire cenſeo, ex difficili ciborum effluxu, hypochondriacis ferè conſueto; ob quem ſæpè contingit, coctiones deprauari, chylumque corrumpi ad acidum; qui quoniam corruptus perfectiorem coctionem amplius admittere non poteſt, tanquam onus inutile à natura, matutino tempore, ventriculo cibis vacuo, vomitu eiicitur.

a 2. de Morb. 11

b 5. de loc. Aff. 6. & 3. de Loc. Aff. 7.

Status itaque Illuſtriſs. Viri medico auxilio eget; namque, licet ego præteriti affectus nullas antehac, neque modò reliquias admittam; cùm, niſi [c] 40. diebus à ruptione expurgentur, ad tabem tranſeant; attamen obſeruo, Hippocratem omnes pectoris affectus graues exiſtimare, ſi fomitem à capite ſuſcipiant; prout hoc caſu potiſſimum, quo pectus ſatis malè [d] conformatum, & à præterito malo debilitatum eſt; fluxiones verò rarò ſemel noſtri corporis partem affligunt; quinimò magno tædio, & moleſtia tandem naturam frangunt, ut Libro de Glandulis [e] nos monet Hippocrates. Ideo hoc Vere congrua erit inſtituenda purgatio.

c 5. Aph. 15.

d 2. in 1. Epid. 18

e N. 8.

Caput itaque, & pulmones primò exſiccentur, viæ intercludantur, thorax roboretur, præmiſſa tamen obſtructionum meſenterij reſeratione.

Ex fonte Chirurgico, prima ſanguinis miſſio, ſed parca depromenda, ex interna brachij dexteri, & ſecunda ex hæmorrhoidibus, utpote quæ [f] affectibus pectoris valdè conferat. Cauteria quoque, ſi non geſtet, inurantur brachio, & coxæ.

f 3. in 6. Epid. 37.

In Pharmaceutico, peracta primarum uiarum expurgatione, ſecunda præparatio perfici poterit ſuccis potius, quàm ſyrupis dulcibus. Quare præſcribi poterunt ſucci cichorii, & borrag. depur. ad ℥ iii. in decoct. cich. borrag. end. meliſſæ, pentaph. malu. quibus, alternis diebus, infundatur ʒ i. rhabar. optimi, & quidem duodecim, aut quindecim dies. Mox exhibeatur purgans, ex Caſſia, & Diaphœn. vel ex caſſia, & pilulis de tribus, & de Agarico Meſues; vel ex infuſione rhab. agar. ſenne, cinnam. cum ſyrupo roſ. ſol.

Poſt hæc deueniri poterit ad decoctum, in iure galli iunioris paratum; quia verò china in prõptu non eſt, niſi antiqua, illi ſubſtitui poteſt radix cannæ vulgaris, cum ſalſa, uiſco quercino, & lentiſco, in aqua maluæ, aut endiuiæ, cui præmitti poterit hic bolus. ℞. Pulueris viperini,

perini, butyri ſulphuris an. gr. x. m. & cum terebinthina q. ſ. reformetur bolus, & aur. atque ita quotidie; puluis [g] enim uiperinus celeriter ad cutem peruadens ſudorem facilius prouocabit, cuius uſus ſit ſaltem per menſem. [g 11. Simpl. Cap. proprio.]

His peractis, deueniendum ad iecoris, & totius venoſi generis calorem contemperandum, habitumque ſubſtantificè humectandum; quo tempore ad catarrhum conuertenda curatio, qui ſi copioſus [h] non fuerit, lac aſininum erit uſurpandum, ſi autem exuperet, parabitur lac artificiale, in iure maluæ, facta emulſione ſeminum melonum, aut pineorum, & amygdalarum dulcium, cum ſaccharo, quotidie, matutino tempore aſſumenda; habitus enim gracilior redditus inſtauratione indigebit. [h 5. Aph. 65.]

Interim expectorantia nunquam negligenda, propoſita ab Excell. Viro, & roſarum conſerua in uſu habenda. Æſtiuo uerò tempore ad aquas vitriolatas ſe conferat, & congrua victus ratione, iam dictis proportionata utatur, ab Excell. Viro præſenti præſcribenda, à quo iam dicta ad bonam frugem perducentur.

XXXV.

MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA. & Abortus.

MVlier 30. annum agens, temperamenti totius, & iecoris, calidi & ſicci, gracilis habitus, ſed gracilior quoque reddita duobus abhinc annis, palpitationes, & cordis oppreſſiones pati cepit, cum timore, & mœrore perpetuo, necnon rugitibus in hypochondriis, ex flatulenta materia, quæ nonnunquam adeò hypochondria diſtendit, ut durum tumorem in aliqua eiuſdem parte exhibere videatur. Obſtructionibus inſignibus tactui obuiis viſcerum omnium laborat, & potiſſimum meſenterii, & lienis, in quo temporis ſpatio ſeroſa, & aquoſa materia copioſa accumulatur, qua euacuantium ope excreta leuamen inde percipit. Menſtruæ purgationes conſuetæ procedunt, quibus tamen aliquot dies ſuccedere ſolet materiæ aquoſæ excretio. Concepit, & feliciter quoque olim peperit; niſi quod poſtremò conceptum ſecuti ſunt abortus. Ærumnoſam vitam perpetuò ducit, & cùm iam ex purgationibus calidioribus potius, & nonnihil exſiccantibus, optatum auxilium conſequuta non fuerit, nos in præſentiarum de meliori ſtatu adipiſcendo conſulit, ut tandem repetitis purgationibus ſanitatem integram conſequatur.

Affectu melancholico detineri Nob. Mulierem perpetuus timor, atque mœror [a] ſatis ſuperque atteſtari poſſunt; quam melancholiam in hypochondriis altas radices egiſſe produnt rugitus eorundem, copioſa flatulenta materia (unde & flatulentæ affectionis nomen) & obſtructiones ſiccæ, atque terreæ tactui in viſceribus manifeſtiſſimæ; quæ licet à cruditatibus in ventriculo genitis ortum duxerint, in præſens tamen à iecoris, & hypochondriorum æſtu exſiccatæ, terreæ, atque melancholicæ redditæ ſunt; hinc prohibita naturalis caloris ventilatione, idem adauctus, ſanguinem quoque in meſaraicis, & ſplenicis uenis affluentem exurit, & melancholicum efficit; unde mirum non eſt, ſi affectioni hypochondriacæ, hypochondriaca quoque melancholia acceſſerit. Et quoniam continuò natura materiæ prædictæ exuſtæ reſolutionem tentat; hinc craſſę, & fuliginoſæ exhalationes eleuatæ, & per arterias, quæ plures per ſplenem diſcurrunt, cor petentes, oppreſſiones, ſuffocationes, & cordis, ſi non legitimas, ſaltem ſpurias palpitationes inducunt. Quibus abortus ſucceſſiſſe mirum non eſt; cùm concoctionibus corruptis toti corpori nutrimentum deficere neceſſe ſit; atque deficiente ipſi matri alimento, ac proinde fœtui, neceſſariò ſequatur abortus. Menſtruis autem conſuetis gaudet purgationibus, & concipit; quoniam non in toto venoſo genere, ſed in hypochondriis [b], portæ nimirum ramis, atque lacteis, ſedes eſt, & fons omnium malorum. [a 6. Aph. 23.] [b 3. de Loc. Aff. 7]

Quæ vt auferantur, accuratiſſima medici induſtria opus eſt, ut materia ſicca, terrea, atque melancholica, humectantibus, atque laxantibus præparetur, & per epicraſin euacue-

tur, lenientibus potius, quàm purgantibus; quia materia in primis viis hęret. Inde phlogoſis hypochondriorum, & iecoris feruor contemperandus; neque de ventriculo, per conſenſum tantùm affecto, ſolicitos nos eſſe oportet. Quibus licet non vnica vice ſatisfieri poſſit, in præſens tamen ad meliorem ſtatum redigi poſſe ſperamus.

Et quoniam nuper expurgatum fuit corpus, imò deobſtruentia, licet incaſſum, adhibita; ideo præter purgationes iam peractas, rem ſeduló aggrediemur. Quare omnium primò Nob. Pat. ſumat ſyr. roſ. ſol. & de polyp. cum pauca aq. flor. citri, & tribus poſt horis bibat ſer. dep. ℔ ii. duabus verò horis ab eo prandeat. Inde ſtatim ad exſiccatos humores emolliendos deueniendum, ut obſtructiones reſerari poſſint. In quem finem præbeatur quotidie viginti dies ſuccus depur. malu. & borrag. ad ℥ iiij. in iure alterato malua, borrag. uiolis, ſonco, endiuia, agrim. & lupulis, qualibet uerò hebdomada præbeatur ℥ i. caſſiæ, a qua hora poſt bibat ſerum depur. ad ℔ ij. & tribus horis ab eo prandeat. Tranſactis uero iam dictis viginti diebus, exhiberi poterit rhab. tempore licet calidiori, hunc in modum. ℞. flor. caſs. rec. ʒ ii. rhab. opt. ℈ i. m. f. b. à quibus hora poſt hauriat ſeri depur. libram, & tribus horis ab eo prandeat, ſicque quotidie duodecim, aut quindecim dies. Quod ſi ſeri longior uſus à Patiente non admittatur, ſubſtituatur ius borragine, ſonco & endiuia alteratum. His verò peractis perducatur Nob. Pat. ad uſum lactis, ſi non aſinini, ſaltem caprini ab ℥ iiii. uel v. cum ſemi cochleari ſacchari fini progreſſu facto ad x. cum integro ſacchari cochleari, ſummo mane, quinque horis ante cibum, ad 40. dies. Primis verò, aut quindecim, uel uiginti diebus, demergatur in balneum aq. dulcis alteratę foliis malu. uiolar. uitis, ſalicis, lactucæ, nenuph. idque ueſpertino tempore, quotidie, per horam; & quidem tepidum, non calidum, neq; frigidum, à quo inungatur totum corpus oleo amygdaliuo, toto abdomine per illud temporis ſpatium inuncto ung. roſ. Meſ.

His omnibus congrua addatur uictus ratio, medicis prædictis intentionibus proportione reſpondens, humectans ſcilicet in paſſiuis, & in actiuis temperata, Viro Excellentiſs. Adſtanti quam notiſſima, cuius ſummæ prudentiæ omnia libentiſſimè committuntur. Faxit Deus, ut ex uoto ſuccedant.

XXXVI.

MESENTERII OBSTRVCTIO, ET IECORIS Scirrhoſus Tumor.

COntinuæ cruditates, ex promiſcuo, nec opportuno cibo, ſuperioribus annis coacernatæ, à copioſo, & intempeſtiuo potu, ad meſenterium, indeque ad iecur diffuſæ, & propagatæ, nec in probum ſanguinem conuerſæ, ibidem impactæ, ingentes illius viſceris, & meſenterii obſtructiones produxerunt, quæ vnà cum calidis, & aduſtis humoribus, eiuſdem vaſis infarctæ, tandem in parenchyma quoque ſeſe inſinuarunt, tumoremque illegitimum ſcirrhoſum excitarunt; quæ omnia leuis atrophia ſequuta eſt. Quoniam uerò ventriculus frigida, prout iecur calida intemperie laborat, propter eiuſdem affectus iam recenſitos, continuos; ideo coctiones corrumpi neceſſe eſt, ac proinde iuges cruditates accumulari, à quibus in eodem viſcere flatibus eleuatis, & membrana illud circumueſtiente diſtenta, dolores quandoque non leues excitantur.

Quæ ſicuti nonniſi prompta, & diligenti manu medica auferri poſſunt; ita nec minimum ægri errorem admittunt, ne alioquin Exc. Patientem, aut in abſolutam Atrophiam, aut in aquam inter cutem tandem præcipitent.

Quare totum euacuandum; obſtructiones auferendæ; tumor iecoris emolliendus, & digerendus; & intemperies corrigendæ, ſeruato virium robore.

Sanguis itaque parcè educendus, primò ex manu dextera, ſecundò ex hæmorrhoidibus; & fonticulus ad deriuationem coxæ dexteræ inurendus; Abſceſſus enim ex Hippoc. infra morbum; & tandem extrinſecus oblinendum iecur linimento ex ol. amygd. ſucco abſinth.

adipe

adipe anſeris, pulu. abſinth. cum ol. q. ſ. paulatim progreſſu facto ad validiora emollientia, & diſcutientia, ceratum ſcilicet ex ammoniaco Gal. cum diachyl.

Aluus verò lenienda medicamento à te prudenter præſcripto. Præparandi humores in primis viis ſine diluto, iulap. acetoſ. & ſyr. de cort. cit. cum pauca aqua cinnam. Purgans conſtet lenit. & diacathol. uel infuſ. rhab. agatic. ſennæ, cum ſyr. roſ. ſolut. Secunda præparatio perficietur ſyr. de cichor. cum rhab. de eupatorio, byzant. & iulap. acet. cum dec. cichor. borrag. endiu. eupat. malu. pentaph. aſparag. Purgans deinde prædictum repetendum, vel ex lenit. cum pil. de trib. cum rhab. Ius verò alteratum mox renouandum, cum ℥ ii. ſucci cichorei dep. cui præmittatur bolus ex troch. de rhab. de eupatorio, cum ſucco eupatorii condenſato, & pulu. hepatis lupini per hebdomadam; mox totidem diebus præberi poterit ſerum capr. deſtil. ad ℔ i. cum rhab. infuſo, præmiſſo bolo ex ammoniaco, tereb. noſtra lota, & pulu. abſinth. atque rurſus per aliam hebdomadam, cum eodem bolo, ius prædictum, & tandem ſerum præſcriptum, per totidem dies; ita progreſſu facto ad dies ſupra 30. Medicamenta verò chalybeata, in Autumnum differre conſultius duco. Vtatur interim, diebus intermediis huius curationis, pil. aliqua de trib. cum rhab. temperata ſucco cichor. condenſato, qua etiam de more vti poterit. Comedat ſæpè ieiuno ventriculo x. amygdalas amaras, uel conſ. abſinth. pont. vel vinum abſinth. & ueſperi totidem piſtacia. Infundatur eupatorium uino, & cætera in uictus ratione proportione reſpondeant. Quæ omnia à tuo prudenti iudicio adminiſtrata profutura ſpero. Interim dum optimam ualetudinem patienti precor, tibi me dico, & addico, Italico autem idiomate, ut mihi in Re Medica ualdè moleſto, non vtor. Vale.

XXXVII.

MESENTERII, ET MESOCOLI ABSCESSVS.

PVer 10. annorum, diſſectus à Perilluſtri, & Excellentiſſ. Viro N. N. die 20 Aprilis, 1664. omentum exhibuit putrefactum, prolapſum ad veſicam, & tenaciter inteſtinis, & peritonæo annexum. Meſenterium quinetiam putrefactum, & ferè conſumptum, potiſſimum verſus os pubis, ubi maxima erat puris copia, coloris æruginoſi; Inteſtina plurimùm tumida, ad colorem plumbeum vergentia; at ubi pus ſtagnabat, nigricantia; Lienē tumidum ualdè. Hepar boni coloris, ſed arctius peritonæo annexum. Maxima uerò aquæ copia potiſſimum redundabat in cauitate, ſita inter Lienem, Ventriculum, & inteſtinum Colon. Vniuerſum corpus macie conſumptum. Vrinæ toto morbi decurſu apparuerunt bonæ. Circa pulmones maxima materię pituitoſæ copia exuberauit. Aqua tandem è corpore, ſectione euacuata ſtatim concreuit.

Puerum Nobiliſſ. ex abſceſſu inſignis magnitudinis fato ceſſiſſe, pro certo eſt habendum; cùm materiæ purulentæ copia in abdomine, ſecto cadauere, apparuerit, coloris plumbei ſiue æruginoſi, ex ſphacelato tandem abſceſſu. Hunc autem in meſenterio, & meſocolo potiſſimam ſedem habuiſſe exiſtimandum, utpote materia capaciſſimis; tum quia eadem magis cæteris partibus putrefacta ſe exhibuerunt, putredine quinetiam, & corruptela ad omentum diffuſa, ſimul cum ipſis putrefactum. Aquæ verò, uel ſeri copiam redundare, ubi tumet lien, qui fons aquæ ab Hipp. [a] nuncupatur, mirum non eſt; prout nec noua, & inſolens macies totius, tum quia febriculis diuturnis, abſceſſum comitantibus ſuperuenire conſueuit, tum quia dum lien [b] floreſcit, corpus totum contabeſcit. Serum uerò concreſcere, cùm humor alimentalis ſit, nouum non eſt: prout pulmones in morbis diuturnis, uel affici, uel catarrhali materia impleri, quotidie ex Hipp. obſeruamus.

[a] 4. de morb. n. 2

[b] de Loc. in Hom. 36.

Ad horum uerò malorum cauſam indagandam, licet præteritorum commemoratione opus eſſe uideatur; nihilominus coniectare nobis licet, puerum à natiuitate uiſcera naturalia imbecilla ſortitum fuiſſe, à quibus crudus, & craſſus productus fuit ſanguis, adeoq; copioſus, ut lien, licet eodem turgens, maſſæ ſanguineæ defæcandæ impar, eundem inutilem, & naturæ moleſtum, decubitu, extra uenas, & ad iam dictas partes detruſerit; qui vel in cauitatibus hærens, uel infarctus, corruptionem, & putrefactionem adeptus, ipſis quoque par-

tibus

tibus eandem impreſſerit, quæ quoniam cæteris naturalibus ignobiliores ſunt; ideo non febris inſignis, niſi primis diebus, dum pus conficiebatur, ſed lenta, corpus paulatim fortè abſumens, ſucceſſit.

Quibus, ſicut curationem adhibuiſſe nobis omnino impoſſibile uidetur; ita neque antehac præſeruationem: tenella enim ętate, uiſceribus robur conciliari ſine præcedenti totius expurgatione omnino non potuit; quæ quàm difficili negotio perfici poſſit, cuilibet palam eſt, tum ob puellum reluctantem, tum quia re uera hæc ætas, & ſanguinis miſſionem, & purgantium medicamentorum vim difficillimè tolerare poteſt. Quæ noſtra ſententia conſueta integritate in medium adducta.

XXXVIII.

LIENIS OBSTRVCTIONES.

NObiliſs. Iuuenis 30 annum agens, temperamenti totius ad calidum, & humidum uergentis, Iecoris tamen calidioris, mediocris habitus ſubfuſci coloris, poſt copioſam fructuum ingurgitationem, & craſſorum ciborum vſum, potumque vini dulcis, & muſti potiſſimum, incidit autumno nuper elapſo in febrem duplicem tertianam ſpuriam, quæ per menſem eum afflixit, cùm pro eiuſdem curatione pręſcriptæ fuiſſent potiones copioſæ, tum ſeri caprini, tum aquarum refrigerantium, quibus etiam abuſus fuit delicatus iuuenis. A febre autem conualeſcens, immodica fame ſolicitatus, ventri abundè indulſit, licet totum corpus magis magiſq; extenuaretur, & color vniuerſi corrũpetetur, dum interim de grauitate, imò tandem de dolore in ſiniſtro hypochondrio conqueſtus eſt, ad ſcapulam ſiniſtram protenſo; contrectatum autem lienem tumidiorem deprehendimus, cum tenſione non continua, verùm coutigua, & inęquali; habuit uenas ſedales aliquantò tumidas, nihil tamen ſanguinis effundentes. De agendis itaque pro ſalute, conſulit.

Partem affectam in hoc Nob. Iuuene Lienem eſſe, ſenſus ipſe iudex eſt; & quidem morbo organico, in uia, obſtructionibus ſcilicet laborare tactu percipitur; tenſiones enim diſiunctę, non unitę, non tumorem, verùm obſtructioues in eodem uobis ſignificant. Productę autem fuere ab humoribus craſſis, glutinoſis, & fæculentis, genitis primùm à naturali uon ualdè probo iecoris temperamento, [a] ut color fuſcus ſatis indicat, uerùm & à copioſo, tum fructuum, [b] tum craſſorum ciborum uſu, unde primò febris ſuborta fuit, ab eiſdem excrementis in cauo utriuſque uiſceris putreſcentibus; in cuius curatione, quoniam caloris magis, quàm cauſę, à Medico ratio habita fuit; hinc à copioſiori ſeroſæ materiæ prouentu lien tumefieri cœpit, irrita naturę ope, licet tentauerit per ramum ſplenicum annexum meſenterico, atrum ſanguinem, acidaſque ſeroſitates per uenas hęmorrhoidales excernere, forſan ob eorundem uaſorum firmam conſtitutionem; quoniam uerò poſtea ab acida melancholici humoris natura, famem pręter naturalem excitatam expleuit ſemper Patiens; hinc craſſi, & uiſcidi humores accumulati, in uaſis lienis concluſi obſtructiones induxerunt, prout ſi ad parenchyma penetraſſent, tumorem, qui nullus eſt, excitaſſent; hinc grauitas, imò & dolor grauans in eadem parte, ad ſcapulam ſiniſtram protenſus, ut obſeruauit quoque Fernelius, [c] ob ligamenti conſenſum; quibus omnibus neceſſariò tandem ſucceſſit, tum color [d] totius nigricàns magis, cùm ſanguineam maſſam lien defęcare non poſſit, tum corporis gracilitas, quia dum [e] ſplen floret, corpus minuitur.

a 5. de loc. Aff. 7.
b de Succ. bonit. &c. 4.
c 6. de Loc. Aff. 1.
d Aet. Tet. 3 Serm. 2. Cap 11.
e De Loc. in Ho. 36

Statim itaque inſtituenda accurata curatio; namque ſicuti ab initio curatur, ita in progreſſu humores in ſubſtantiam ſe inſinuantes, tumorem ſcirrhoſum producere poſſent; atque hepate [f] in conſenſum adducto, cachexiæ, Icteri nigri, & hydropes ſuccedere ſolent; hinc dicebat Hipp. [g] quod periculo non uacar, etiamſi benè tractetur. Nunquam verò breuis [h] hic affectus, niſi breuis dyſenteria ſuperueniat, qua ſplenici liberantur, ut in Epidemiis. [i]

f 5. de Loc. Aff. 7.
g de Loc. in Ho. 36
h 6. Aph. 48.
i 4. Epid. 46.

Medicæ igitur intentiones erunt, primas uias mundare; humores à liene diuertere; in

liene

liene uerò hætentes attenuare, incidere, & aperientibus obſtructiones auferre, parteſque affectas tandem confirmare.

Et quidem in fonte Chirurgico conueniet ſanguinis miſſio, non tamen ante primarum viarum expurgationem, ne attrahantur forſan ad hepar excrementa. Aperiatur autem baſilica [k] ſiniſtra; mox ſecundo loco uenæ ſedales, & temporis proceſſu proliciatur ſanguinis ex iiſdem euacuatio, una, aut altera tantùm hirudine applicita. Cauteria in ſiniſtro crure, licet humorem craſſum non euacuent, ſeroſitates tamen expurgando, præſeruant ab affectibus melancholicis, à cordis tremore, & palpitatione, ut notat Zacutus; ſed ante eum Aetius, [l] & Fernelius. Cucurbitulæ [m] quoque ſiccæ, poſt fotus lieni appoſitos, poſſunt humores dimouere, & ad euacuationem paratiores reddere.

k 2. ad Glauc. 2. & De Sang. Miſ. 16.
l Tetr. 3. Sermon. 2 Cap. 11.
m 2. ad Glauc. 2.

Pharmaciam quod attinet, primum euacuans ſit leniens. ℞. ſyr. roſ. ſol. de polyp. an. ℥ iii. elect. lenit. ℥ ſ. dec. cord. q. ſ. m. f. p. Vel. ℞. elect. lenit. crem. tart. an. ℥ ſ. ſpec. hieræ ſimp. ℈ ii. m. f. b. Præparantia non excedant primas uias. ℞. oxymel. ſ. ℥ ii. mellis roſ. col. ℥ i. m. & ſic pro aliis ſex diebus. Mox deueniendum ad purgans, de quo ſciendum, lienem fortiora perferre medicamenta, ut Hipp. [n] omnium primus obſeruauit; hac tamen vice, quia expugnari debent tantùm humores in primis viis concluſi, ſit huiuſmodi. ℞. agar. troch. ſen. an. ʒ ii. cinnam. integri ʒ i. decoct. cord. q. ſ. f. infuſ. per noctem, & facta forti expreſſione, col. adde ſyr. roſ. ſol. ℥ v. elect. diacathol. ℥ ſ. m. f. p. Vel. ℞. elect. lenir. diacar. an. ℥ ſ. ſp. hieræ. ſ. ℈ ii. m. f. b. Secunda deinde fiat præparatio, quæ ad lienem pertingat. ℞. oxymel. ſ. ſyr. byzant. cum aceto, ſyr. de quinque radic. an. ℥ ſ. decoct. ſcolopend. lupul. cuſcutæ, filicis, tamariſci, ℥ v. m. pro ſyr. & ſic pro aliis. Purgans deinde ſit huiuſmodi. ℞. ſyr. de polyp. ℥ v. elect. diaphœn. confect. hamech. an. ʒ ii. decoct. cord. q. ſ. m. f. p. b. Vel. ℞. pil. de trib. cum rhabarb. de hiera cum agar. de fumoter. an. ʒ ſ. trochiſc. alhand. gr. v. m. ref. pil. cum aceto ſquillit. q. ſ. & aur.

n 2. de Morb. 6

Hoc tempore, repetita medicamenta purgantia conuenient, in quibus eligenda decoctio Epith. Meſ. ad ℥ vi. tertio, aut quarto quoque die. Diebus uerò intermediis, aſſumat Pat. oxym. tamariſcatum, paratum cum aceto ſquillit. ad ℥ ii. in decoct. praſſii, tamaricis, ſcolopendr. fumiter. capil. Ven. Repetatur autem dec. Epith. tribus, aut quatuor diebus; & ſi Patiens potionem reſpuat, parentur boli, hac formula. ℞. extr. veratri nigri ʒ ſ. uel ℈ ii. elect. lenit. ℥ ſ. m. f. b. & hora poſt, præbeatur ius, uel hordei, uel maluarum, imò & ſerum capr. dep. ualdè enim exſiccat helleborus; diebus autem intermediis, præbeatur alterans, ut ſupra.

His peractis, in dubium reuocari ſolet à Medicinæ Profeſſoribus, num per urinam tentari debeat ſuperſtitis materiæ euacuatio, necne; cùm uia à liene ad urinam non adeo facilis conſtet; undè Fernel. nulla alia uia, quam per aluum, lienem expurgari poſſe exiſtimauit. Attamen quia Celſus [o] omnia in cibis urinam mouentia proponit, ex Hipp. [p] Bionis exemplo; idcirco & nos, qui Recentiorum hiſtorias habemus de lienis affectibus, urinis nigris, & craſſis iudicatis; ideo, poſt repetitas per aluum expurgationes, ad diuretica deuenire poterimus. Itaque. ℞. tereb. noſtræ lotæ in aqu. capil. Ven. ʒ ſ. ſalis ammoniaci gr. vi. tartari uitriol. ℈ ſ. m. f. b. à quo aſſumat ius alteratum ſol. capil. Ven. pentaph. petroſel. tamariſci, ſcolopend. & quatuor radic. aperientibus; in cuius uſu pluribus diebus perſiſtat. Extrinſecùs uerò aliquot dies fieri poteſt fotus ex lixiuio, in quo ebullierint abrotan. ruta, ſcolopend. radic. cappar. tamariſ. alth. & rad. cucum. ſylneſ. addito in fine pauco aceto, quo lien alioquin delectari ſolet. Mox apponi poteſt ceratum huiuſmodi. ℞. ammoniaci ℥ i. ſalis com. uſti ℥ ſ. diſſoluantur cum aceto ad ignem; poſtea adde puln. tamaric. ℥ ſ. adipis tauri ℥ i. ceræ, reſinæ an. q. ſ. m. f. ceratum ſ. a. & ſuper aluta, lieni applicetur.

o 4 de Re Med. 9.
p 7. Ep 20.

Roborant uerò, & à proprietate iuuant intrinſecùs quinta eſſentia ferri, à Matthiolo propoſita; oleum ſmaragdinum, ideſt ex ſilice albo paratum, intus exhibitum, & foris illitum, illi addito oleo de cera. Extrinſecùs Raphanus contuſus, & aceto miſtus, applicitus. Adeps item Struthiocameli commendatiſſimus; quo tamen ualidius oleum chymicum ex cyclamine.

Victus ratio ſit attenuans, & acris; atque adeò acetaria [q] omnia conueniunt. Ieiuno uentriculo, in uſum reuocentur amygd. amar. Cappares aceto conditi in uſu ſint; etenim Foreſtus narrat, Verulam quandam rumore annorum 20. laborantem, ſolo cappar. uſu conualuiſſe. Ita Beniuenius refert, Virum quendam ſeptennium ſplenicum adeò fuiſſe, ut ulcera in pedibus eruperint, qui ſpatio unius anni liberatus eſt uſu capparum, & ſola aqua

q Aet. Tet. 3. Serm. 2 Cap. 11.

r Aet. Ibid. Ja aqua fabrorum. Vinum ſit r tamariſcatum, & chalybeatum. Somnus meridianus pernicioſus. Exercitium ante cibum præcipuum remedium. Aluus lubrica ſeruetur, uſu pil. de tribus. Curæ arceantur, & proprii affectus obliuiſcatur. Atque hæc ſatis, ſaluti huius Iuuenis recuperandæ.

XXXIX.

LIENIS INFLAMMATIO.

QVadragenarius Vir, temperamenti totius, & iecoris, calidi, & ſicci, melancholici habitus, & fuſci coloris; potui uini generoſi aſſuetus, à nouiſſima compotatione, quatuor abhinc diebus, febre correptus fuit, cũ horripilationibus inæqualibus, integra prima die totum corpus diuexantibus, non ſine aliquo triſti ſenſu in hypochondrio, ſtatim ſub coſtis mendoſis; poſtridie verò horripilationes ſedatæ ſunt, totum corpus incaluit, ſitis inualuit, & dolor ſiniſtri hypochondrij intenſior eſt redditus, adeò ut nullo modo in latus læſum Patiens decumbere poſſet; tactui item obnititur tumor, in molem adeò eleuatus, ut lienis figuram præſeferat oculis; quem domeſtici flatulentum exiſtimantes, linteis calidis appoſitis diſcutere tentarunt, à quibus tamen ſemper peius habuit. Tandem, illuceſcente quarta die, febris recrudeſcere obſeruata eſt, cum reſpirandi difficultate, tumorque augeri, cum dolore ad ingulum protenſo, & pulſatione tactui manifeſta. Vrinas craſſas, & ſubnigras, non valdè copioſas fundit. Quare Medicum auxilium implorat.

Licet rarius, a quàm alia uiſcera, lien inflammatione conflictetur, cùm craſſo, & melancholico b ſanguine redundet, eiuſdemque tenuiori parte alatur, inflammationi proinde parum idoneo; attamẽ ſi copioſior ad eum influat, ob eiuſdem imbecillitatem c, aut attractionẽ, adeò ut uaſa ſanguinis copiam continere nequeant, in uiſcus, & parenchyma effunditur, & in tumorem inflammatorium attollitur, ſymptomatibus concomitantibus manifeſtũ; quod contigit noſtro Pat. qui ob iecoris, & totius natiuam intemperiem calidam, & ſiccam, aduſti, & melancholici ſanguinis productioni maximè idoneam, necnon ob vini generoſi conſuetum uſum, tantam praui, & aduſti ſanguinis copiam congeſſit, ut ad lienem tranſmiſſa, vaſa repleuerit, & in parenchyma natura rarum effuſa, potiſſimum verò ſub partis externæ membrana, idem in tumorem ſuſtulerit; & quidem inflammatorium, ex ſignis, quorum plurima d communia inflammationi iecori lien habet. Lien itaque eſt pars affecta, ut ex ſitu, figura tumoris, temperamento, corporis habitu, ac colore totius liquido ſatis conſtat. Et licet neruos e minimos habeat; pars tamen membranoſa, quæ præſenti caſu inflammata eſt, ut plurimo ſenſu prædita, dolorem excitat non leuem; ſicut ab eadem inflammata, horripilationes, ex primo ſanguinis ad eãdem appulſu, contigiſſe credendum; qui à iecore, & toto, atro ſanguine redundantibus, per modum tranſmiſſionis primo, uerùm poſtea, & linteorum calidorum applicatione, etiam per modum attractionis, ad partem confluxit; qua tumefactâ, & febris acceſſit, inflammato ſanguine, & ſpiritibus; quæ quarto exacerbata eſt; cùm ſanguis inflammationis auctor melancholicus ſit. Spirandi autem difficultas à diaphragmatis compreſſione manat; prout dolor ad iugulum uſque propter ligamenti conſenſum diffunditur, quo lien ipſe fulcitur, & firmatur. Et tandem pulſatio illa manifeſta cauſam agnoſcit arteriarum copiam, f quæ craſſum ſanguinem elaborant, & perficiunt in liene; quæ ab aliquibus forſan falsò principium ſuppurationis exiſtimatur.

a Tral. Lib. 8. Cap. 12.
b 4. de Vſu Part. 15.
c 2. de Diff. F. b. 11. & Tral. Ibidem.
d 6. de Loc. Aff. 1.
e 14. de Vſu Part. 13.
f 4. de Vſu Par. 15

Omnes autem lienis inflammationes grauiſſimæ ſunt, potiſſimum tamen ex ſanguine puro, aut bilioſo, utpote à lienis natura valdè alieno. Quare non adeò grauis noſtra fuerit, cùm ætati, temperamento, & affectæ parti conueniat; periculum quoque imminuere poteſt urina illa craſſa, & ſubnigra, quæ vel lienem obſtructione vacuum, humoriſq; peccantis obſequium; vel ſaltem antecedentis materiæ in iecore, & toto hærentis à liene ipſo diuerſionẽ ſignificare poteſt. Huic tamen ſoli per urinam expurgationi fidendum non eſt; nam licet Bion g huius beneficio ſuperſtes fuerit; ſimul tamen ſanguis illi de nare ſiniſtra fluxit;

g 2. in 2. Epid. 27.

fluxit, qui ualdè alioquin conferre [h] ſolet, neque tamen hucuſque apparuit; atque adeò quamprimùm auxilia medica adhibenda; neque adeò facilè ſuppuratio [i] expectanda, cùm lienis inflammationes multò facilius in ſcirrhum, quàm ad ſuppurationem conuertantur.

h 2. de Criſibus 1.
i Aet. Tetr. 3. Serm. 2. Cap. 2.

Procedendum itaque methodo inflammationis propria; atque ita conſiderandus humor qui fluxit, fluit, & fluxurus eſt; unde reuellendum, euacuandum, & repellendum; cauendo, ne medicamenta attenuantia ſint valdè calefacientia, aut adſtringentia in principio, nec valdè digerentia ſub finem.

Atque in Chirurgico fonte, omnium primò ſanguinem educendum iubet Trall. [k] & ante eum Gal. mox ſecundo loco laudat expurgationes, & tandem appoſita parti medicamenta. Educatur autem, ſeruata rectitudine; medicus enim imitari debet naturam benè operantem; quæ ſententia quinetiam, tum Paul. tum Aet. eſt, licet Auic. [l] uideatur præcipere, ſaluatellam apertam ſinendam, quouſque ſanguis ex ſe ſiſtatur; quod tamen intelligendū, cum Gal. in grauiſſima inflãmatione, & vehemẽtiſſimis doloribus, quanquam & tunc quoque cautè agendum. Rhaſis præterea monet, ut foramen amplum præcipiatur, ut craſſior ſanguinis pars effluere poſſit. Repetenda [m] autem ſanguinis miſſio, ut, ſicut prima vice reuulſio, ita ſecunda deriuatio haberi poſſit; nec abs re fuerit cogitare de tertia ſanguinis euacuatione per venas ſedales, ut quæ poſſit perpendiculari, & recta uia, à liene, & meſenterio ſanguinem tandem deriuare; non omiſſo tamen clyſtere, [n] ante, & poſt primam ſanguinis euacuationem.

k Ibidem.
l 2. ad Glauc. 2. & Paul. 3. de Re Med. 49. & Aet.
m Trall. ib.
n Aet. & Tral. loc. cit.

Educto primo ſanguine, Leniens exhibeatur huiuſmodi. ℞. elect. lenir. flor. caſs. rec. ana ℥ ſ. crem. tart. ʒ ii. m. f. b. Vel ℞. ſyr. roſ. ſol. de polyp. an. ℥ iij. decoct. cord. uel aq. flor. citri par. m. f. p. Ab his, nec ante, [o] ne humores magis parti impingãtur, topicum repellẽs apponendũ, huiuſmodi. ℞. ol. roſ. ℥ iv. ſapæ ℥ ii. aceti roſ. ℥ i. m. Interim præparantia, & contemperantia adhibenda. ℞. decoct. cich. borrag. end. malu. pomor. dulc. fum. ℥ v. iulap. acet. ſucci borrag. depur. an. ℥ i. m. pro ſyr. & ſic pro alijs. Verùm, hoc tempore, uſus quotidianus clyſterum, ex mercur. beta, cum mel. roſ. & elect. lenit. accommodatiſſimus erit.

o Tral. Lib 8. cap. 12.

A purgantibus verò medicamentis omnino abſtinendum, niſi in declinatione; [p] namque, licet lien ualidiſſima medicamenta ferat; id tamen admittitur citra inflammationem, quæ à purgationibus [q] recrudeſcit; ideo ultra præſcripta medicamenta non eſt progrediendum, poſt aliquam humorum præparationem.

p 2. ad Glauc. 5.
q 21. Meth. 19.

Dum verò hæc fiunt, aliquod reſoluens repellentibus addendum, ut. ℞. ol. roſ. ℥ iii. chamæm. ℥ i. ſ. aceti roſ. ℥ i. m. in quibus tamen ſemper coma abſinthii infuſa habeatur. Imminuta febre, dolore, & ſiti, præparantibus addatur ſcolopendrium, & tamariſcus, radix pentaphylli, & petroſelini, necnon topica magis reſoluentia, ut. ℞. ol. chamæmel. lilior. alb. roſ. compl. ℥ ii. amygd. amarar. aceti roſ. an. ℥ i. m.

Hoc uerò tempore, aliquod medicamentum purgans exhiberi poterit, ut. ℞. elect. lenit. diacathol. an. ℥ ſ. crem. tart. ʒ ii. m. f. b. Vel. ℞. fol. ſennæ, epith. an ʒ ii. rhab. opt. ʒ i. cinnam. integri ʒ i. aq. borrag. q. ſ. m. f. inf. per noctem, & facta forti expreſs. & colat. adde ſyr. de polyp. ℥ iij. roſ. ſol. ℥ ii. m. f. p. b.

Tandem, febre, ſiti, & doloribus ſedatis, ſi tumor aliquis, ac tenſio in liene ſuperſtites fuerint, nunquam deſerenda curatio, licet Patiens imaginatus fuerit, ſe ſanitati omnino reſtitutum; etenim in ſcirrhum facilè deſciſcere poſſet. Internis itaque, & externis agendum. Intrinſecùs quarto, aut quinto quoque die, tres, ex præſcriptis pilulis aſſumat Pat. duabus horis ante cœnam. ℞. pil. de tribus cum rhab. ʒ ii. extracti ſennæ, polypod. an. ʒ i. m. & cum aceto q. ſ. ref. pil. num. xii. & aur. Et quoniam ab initio obſeruauimus urinas craſſas, licet non criticas; ab aperientibus tamen, & diureticis non eſt deſiſtendum, ut. ℞. decoct. capil. Ven. radic. pentaphylli, fumar. borrag. malu. ſcolopendrii, tamariſci, radic. cappar. ℥ vi. aſſumatur ſingulo mane, præmiſſo tamen hoc bolo. ℞. terebint. noſtræ, in aceto ſquill. lotæ ℈ ii. troch. de cappar. ℈ i. tart. uitriol. ℈ ſ. m. ref. b. in quorum uſu perſiſtat pluribus diebus.

Extrinſecùs parari poteſt ceratum ex ammoniaco, cum aceto diſſoluto, & reformato, cum ſucco cyclaminis, aut ſamb. aut paretur huiuſmodi linimentum. ℞. ol. de cappar. de cyclam. amygdal. amarar. an. ℥ i. ſ. ſucci radic. filicis, radic. ebul. aceti ſquillit. an. ℥ i. m. bul. ad conſumpt. ſuccorum; poſtea adde pinguedinis anſeris ℥ i. anatis ℥ ſ. ceræ par. m. f. linim. molle.

A proprietate uerò iuuare dicuntur ſplen aſini, aut pulli equini pulueriz. ad ʒ i. in vino albo tamariſcato exhibitus; puluis pariter ueſpertilionis, in eodẽ vino; ſed omnium maximè,

urtica mortua, quæ & urtica maculata Plinii, Lamium Dioſcoridis, Milzatella dicta, Galiopſis, Arcangelica. Hæc autem duplici modo ſumitur, ſi recens habeatur, quotidie comeditur cum placenta, aut ſicca pulueriz. ad ℥ i. cum uino, ut olim à me fuit experta mirabilis efficaciæ.

e Tral. lb. f xi. Meth. 19.

Victus ratio ab initio tenuis, ita ut ſola [e] ptiſana ſufficiat. Declinante uerò inflammatione, augeatur alimentum. Vinum album concedit Trallianus. Omnia uerò dulcia [f] inflammationem adaugent. Si reliquiæ permanſerint, exercitium ualdè conueniet. Vinum medicatum paretur tamariſcatum; & pilulis præſcriptis ſemel ſaltem per hebdomadam utatur, & alacriter uiuat.

XXXX.

TVMOR SCIRRHOSVS Lienis.

Vir quadragenarius, temperamenti calidi, & ſicci, mediocris habitus, vinis dulcibus, & craſſis cibis aſſuetus, crapuliſque ualdè deditus, ineunte nuper elapſo autumno, in lienis inflammationem incidit, dum ruri moraretur. Accerſitus Medicus proximus, curauit eum ſanguinis miſſione, & parti appoſitis medicamentis refrigerantibus, & adſtringentibus, indiſcriminatim, ferè uſque ad finem morbi; ſanatis verò inflammatione, febre, cæteriſque ſymptomatibus, receſſit Medicus, à Patiente dimiſſus; qui cùm ferè perfectè ſanatum ſe crederet, conſuetæ uiuendi rationi ſe dedit; cùm tamen tumor in liene ſatis amplus, durus, cum leui tamen, & obſcuro dolore ſuperſtes eſſet, qui reſpirandi difficultatem inferebat, & infert, cum atro totius corporis colore; quibus ſucceſſit tandem, poſt aliquot menſes, tum oris graueolentia, tum ulcus in crure ſiniſtro, non purulenta, ſed ſeroſa, & acri materia manans, quod nullis medicamentis ad cicatricem perduci potuit. Modò uerò nos pro ſalute conſulit.

a 6. Aph. 0.43. & 9. per Loc. 3. b 14. Meth. 6. c 2. ad Glauc. 4. & 5. Simpl. 9. d de Succ. Bon. & Vit. 4. e Paul. 3. de Re Med. 49. f Aret. lb. 2. Cap. 14 g Aret. lb. h 1. de Diſ. Reſp. 12. i Pau. Ibid. & de Aſfect. 21. k Ibidem. l 6. de Loc. Aff. 2. & de Aff. 21 m 2. ad Glauc. 4. n Tral. lb. 8. Cap. 13

Si lienoſi [a] ſunt, qui lienem durum habent, utiq; lienoſus hic Patiens fuerit habendus. Tumorem autem ſcirrhoſum [b] potius, quàm ſcirrhum hunc nuncupabimus; quia exquiſitus ſcirrhus [c] omnino ſenſu caret; non exquiſitus uerò aliquo præditus eſt. Productus autem fuit à craſſis, melancholiciſque humoribus, atra bile ſcilicet, & pituita, multùm exſiccatis, ac miſtis; quarum ortus, tum à iecore calidiori, tum à vinis dulcibus, [d] cibis craſſis, & crapulis. Hi autem humores à iecore ad ſplenem tranſmiſſi, primò in eodem [e] infarcti inflammationem excitarunt; poſtea verò intercepta eorundē diflatione, ab importuno, imò continuo adſtringentium externo uſu, in duritiem ſcirrhoſam obriguerunt; lienis [f] enim inflammationibus ueluti hæreditario iure ſcirrhi facillimè ſuccedere ſolent; ad cuius productionem non parum autumnale [g] anni tempus conſpiraſſe credendum. Hinc difficilis reſpiratio, quia lien inſtrumentis reſpirationis annexum, & appenſum [h] uiſcus eſt. Oris verò graueolentia [i] facilè ex gingiuarum exeſione, à ſero melancholico illuc tranſmiſſo, fieri potuit; prout ex eodem erodente ulcus in crure ſiniſtro excitatum fuiſſe, nondum cicatrice obductum, ſuſpicandum omnino eſt.

Lienis affectiones ſunt ſemper magnifaciendæ; hic enim ſiniſtrum hepar ab Ariſt. uocatus fuit, propterea quia, dum ſplen floreſcit, corpus minuitur, & è contra, ut Hipp. & Plato obſeruarunt. Et licet lienis ſcirrhum diuturnum quidem; at non lethalem morbum pronuntiauerit Hipp. [k] id tamen intelligendum, niſi aliquid aliud ſuperuenerit. Verùm quoniam, adducto in conſenſum iecore, ſuccedere ſolet [l] hydrops; cùm non defuerint, qui à ſolo liene aquam inter cutem fieri poſſe putauerint; ideo periculoſus valdè hic affectus cenſendus; imò, ſicut omni ſenſu carens [m] omnino inſanabilis eſt; ita qui obſcuro ſenſu ſe prodit, non facilè ſanationem admittit. At quoniam difficultas impoſſibilitatem non includit, cum & Tral. [n] Militem quendam ſcirrho lienis laborantem ſanauerit, aggredienda eius curatio.

Toto itaque euacuato, quia tumor durus ac frigidus eſt; ideo emollientibus, o & calefacientibus curandus; necnon attenuantibus, non ſine aliqua leui adſtrictione, memoria recolentibus, quod lien eò fortioribus p eget auxiliis ipſo hepate, quò craſſiorem continet ſanguinem; ideo docuit Gal. q quod tum foris, tum intus fortiſſima tolerat medicamenta.

Ex Chirurgico itaque fonte quamplures proponuntur eliciendæ remediorum materiæ. Et primò quidem ſanguinis miſſio ex brachio ſiniſtro, ea lege, ut ſi aquoſus profluxerit, ſit ſupprimendus; ſi craſſus, fluere permittatur. Sic Aetius r laudat ſectionem venæ iuxta anularem ſiniſtrum. Tandem etiam cucurbitulas ſiccas, & ſcarificatas proponunt Gal. ſ & omnes Medicinæ Principes. Atque, ſicut hæmorrhoides ſuperuenientes ſoluunt induratum lienem t; ita nos, hirudinibus applicitis uenis ſedalibus, eaſdem prouocemus. Admittendum quidem foret in coxa dextera cauterium; ſerum namque maximè redundat, niſi ulcus cruris adeſſet. Mittimus verò barbaras u lienis regionis exuſtiones; prout ſuperſtitioſam venæ, poſt autem x ſiniſtram, ſectionem, quo ſanguine ſplenem illinebat Archigenes; necnon periculoſam Cardani inciſionem ſecuri ſuper charta, alia potiùs ualida, & tuta medicamenta topica admittentes, de quibus infrà.

Pro totius euacuatione, primò à lenientibus inchoandum, ut recto ordine, per partes utiliter procedat curatio. Itaque. ℞. elect. lenit. ʒ vi. crem. tart. ʒ iii. ſpec. hieræ ſimpl. ʒ ſ. m. f. b. Vel. ℞. ſyr. de polyp. ℥ vi. elect. lenit. ℥ ſ. decoct. cord. q. ſ. m. ſ. p. b. Prima præparatio ſit huiuſmodi. ℞. oxymel. ſimpl. ℥ ii. crem. tart. ʒ ii. aq. cinnam. ℥ i. m. pro ſyr. & ſic pro aliis. Inde educantur humores præſcriptis medicamentis, ut repetatur accuratior præparatio. ℞. decoct. cich. lupul. cynogloſſi, tamariſci, borrag. ℥ v. ſyr. de quinque radic. byzant. cum aceto, oxymel ſimpl. an. ℥ ſ. m. pro ſyrup. ſex uerò exactis diebus præbeatur tale purgans. ℞. elect. lenit. diacath. an. ʒ iii. diaphœn. ʒ ii. confect. hamech. ʒ i. m. Vel. ℞. ſyrup. de polyp. ℥ v. elect. diaphœn. confect. hamech. an. ʒ ii. decoct. cord. q. ſ. m. ſ. p. b.

Et quoniam affectus hic contumax eſſe ſolet; ideo repetenda præparatio, hac formula. ℞. decoct. borrag. malu. fumariæ, aſplenii, ſcolopendrii y cortic. radic. cappar. ℥ v. oxymel. ſquillit. ℥ i. ſyr. de cich. cum rhab. ℥ ſ. m. pro ſyr. cui præmittatur talis bolus. ℞. tart. vitriol. ℈ ſ. ſalis ſcolopendrii, ſalis ammoniaci an. gr. vi. aceti ſquill. q. ſ. m. ref. b. i. inſiſtendo horum uſui decem diebus; mox præbeatur hoc purgans. ℞. elect. lenit. diacath. an. ʒ iii. extracti ſennæ, polyp. an. ʒ i. m. ſ. b. Vel iuxta Hartmannum. ℞. extracti helleb. nigri ʒ ſ. mercurii dulcif. gr. x. m. ref. b. & præbeatur, uerùm duabus exactis horis, exhibeatur ſerum aſininum, ad ℔ i. ſ. Potu uerò, nil præſtantius decoct. epith. Meſ. parata cum radice Veratri.

Hac peracta accurata expurgatione, ad ualidiora attenuantia, & aperientia deueniendum; in quibus, aliqui ius galli antiqui præbent, cum Chalybe. Nos autem, qui hunc parum, aut nihil profuiſſe in ſcirrhoſis tumoribus obſeruauimus, potius utimur decocto ex ſalſa parilla, quæ mirabilis habetur ad duros tumores diſſoluendos. Itaque. ℞. ſalſæ parillæ opt. inciſæ ℥ ii. cort. z medii ſalicis ℥ i. cort. radic. cappar. ʒ ſ. aq. fabr. ℔ iii. m. ſ. infuſ. per horas 24. deinde bull. ad conſumpt. dimidii; ſub finem ebull. adde aſplenii, urticæ mortuæ an. pug. i bul. parum, deinde fiat colat. pro tribus vicibus, mane aſſumenda; præmiſſo bolo huiuſmodi. ℞. troch. de cappar. ℈ i. croci Martis apertiui gr. iii. aut iiii. aceti ſquillit. q. ſ. m. ref. b. & aur. In huius autem uſu, uiginti, aut triginta dies perſiſtendum, quarto, aut quinto quoque die exhibendo. ℞. pil. de tribus, extracti ſennæ an. ʒ ſ. extracti ueratri ℈ i. m. Interim extrinſecùs apponatur tale cataplaſma, inſignis efficaciæ. ℞. radic. cucum. aſinini, bryoniæ, altheæ, lil. alb. an. ℥ i. ſcyllæ n. i. ſem. lini, fœnugræci an. pug. ii. fol. malu. mercur. betæ, pariet. an. man. ſ. m. bull. in aqua fabrorum, cum ſexta parte aceti, & ſ. cataplaſma, applicandum mane, & ſerò, integram horam; quo ablato fiat illitus, linimento quodam, quo feliciter olim uti ſolebant Doctiſs. Medici Ferrarienſes, Sauonarola, Leonicenus, Hugo, Manardus, Braſauola. ℞. ol. comm. ℔ i. ſ. medullæ crurum bouis ℔ ſ. butyri rec. ℥ iii. ſucci bryoniæ, cyclam. an. ℥ vi. m. bul. lento igne ad conſumpt. ſuccorum, & colat. adde ceræ citrinæ ℥ iiii. pulu. cetrach. cort. radic. cappar. tamariſci, ſeminum agni caſti an. ℥ i. m. f. vng. pro liene.

Quod ſi his non cedat affectus, ad ſtillicidium deueniendum, ipſi lieni affundendum, ex aqua lanarum, cum aceto; uel ex oleo comm. cum aqua ardente; à quo, applicetur ceratum ex diachyl. reformato cum ammoniaco, & ſucco tabaci, ſeu herbæ Reginæ.

o 2. ad Glauc 4. & 14. Meth 14 & 9 per Loc 2.
p Aet. Tetr. 3. Serm. 2. Cap. xi
q 2 ad Glauc. 5.
r Aet. Ibid.
ſ 2. ad Glauc. 2. & 9 per loc. 2. & Aet. Paul. & Tral. Ibidem.
t 6. in 6. Epid 8
u Tral. Ibidem.
x Aet. Ibid.
y 13 Meth. 17.
z Tral Ibidem.

Tandem ad proprietate iuuantia deueniēdum; narrat ſiquidem Auic. quendam ſpleneticum ſomniaſſe, ſe conualiturum, ſi propriam biberet vrinam, quo facto, ſanatus eſt; quod tamen remedium, ut abominandum, reſpuit [a] Gal. licet alibi Caprinam lauder, [b] neceſſitate vrgente, imò & humanam [c] In achoribus. Ita Hipp. [d] ad impregnationem hanc bibendam conſulit. Sic & Dioſcorides, ut uenenorum antidotum, & aduerſus rabidi Canis morſus. Quercetanus uerò commendat, ad omnes obſtructiones, aquam ex vrina deſtillatam. Plin. eam extollit, aduerſus Cachexiam, & hydropem. Puluis hepatis Vulpis [e] à Gal. tanquam à proprietate iuuans quinetiam commendatur.

Victus ratio ſit attenuans, ex Aet. Panis [f] ſit benè ſalitus, benè fermentatus, benè coctus.

Beta [g] cum aceto conuenit; imò & cum ſinapi; capparis item cum aceto mulſo, ex Aetio. Dulcia omnia inimica, ex Celſo; Lac item, & caſeus. Acria, & ſalſa conueniunt. Potus ſit parcus, ſitque uinum, [h] uel aqua Chalybeata, imò aqua fabrorum; lienes enim coercet; unde animalia apud Fabros educata exiguos lienes habent, Celſi obſeruatione. Parentur uerò Vaſcula ex ligno tamariſci, uino continendo. Quies hoc uitium auget, ex eodem Celſo; unde Aetius vidit aliquos, ex ſolis deambulationibus, & curſibus ſanatos. Aluus lubrica ſeruetur pil. de tribus, cum extracto ſennæ. Ceterùm hilari animo uiuat.

a 1. Simpl. 15.
b 9. per Lo. c. 2.
c 1 per loc. 8.
d 1. de Morbis Mul. 96.
e 9. per Loca 2.
f 5. de Sanit. Tuen. 7.
g de Sang. Miſs. 16. & 2 de Alim. Fac. 45.
h 9. per Loca 2.

XLI.

LIENIS SCIRRHVS.

VIr annorum 52. temperamenti ſecundum totum, ad calidum, & humidum vergentis, iecoris calidioris, habitus potius obeſi, quinque abhinc annis, poſt intermiſſa exercitia, & copioſum uini dulcis potum, lienem ſibi intumeſcere, & obdureſcere obſeruauit, qui ut detumeſceret, bis in anno fuit leuiter expurgatus, eodem nihilominus magis magiſque in dies increſcente. Interim venæ varicoſe in cruribus apparuerunt, & ulcuſcula, cum maculis ſubnigris; & tandem, poſtquam in carcerem coniectus fuit, eidem & crura intumeſcere cęperunt, atque à capite calido, & humido, copioſa in pulmones catarrhalis materia deſtillauit, atq; deſtillat, quæ per tuſſim craſſa, nec adeò facilè quotidie excernitur. Tumor autem lienis, in præſens, ad tantam molem excreuit, ut ferè totum abdomen occupet, durus, & tactui obnitens, leui ſenſu doloris. Præterea lobus ſuperior iecoris obſtructus percipitur, totius corporis floridus color languet, quod & nonnihil emaciatum febre uacat, ſanguis facilè à gingiuis emanat, aluus lubrica plus æquo, adeò ut per diem quinquies, & ſexies quoque deiiciat liquidam, & crudam materiam. Modò de agendis conſulit.

Virum Lienoſum curandum habemus, nondum quidem legitimo, atque exquiſito [a] ſcirrho, ſed ſcirrhoſo [b] potius lienis tumore affectum; ſiquidem, licet ſit durus, magnæ molis, tactuique renitens, ſenſu tamen non uacat, quinque abhinc annis ipſum lienem obſidens. Huius autem productio neceſſariò ſupponit, aut pituitæ, [c] aut nigræ bilis, aut utriuſque in uenoſo genere redundantiam; prout in hoc Patiente, iecore præcalido, capite uerò, & toto præhumido, à natura donato, præter liberam uiuendi rationem, copioſum uini dulcis [d] potum, & intermiſſa conſueta exercitia, quæ omnia eius conditionis in corpore potuerunt accumulare excrementitios humores; qui ad lienem tranſmiſſi, facilè obſtructiones, indeque tumorem excitare potuerunt: licet enim rara ſit lienis ſubſtantia; craſſiori [e] tamen alimento nutritur. Et quoniam, dum ſplen [f] floreſcit, corpus contabeſcit; ideo Nob. Viri nutritio, tum imminuta, tum deprauata contigit; imminuta quidem, vnde illa macies; deprauata verò, unde totius color, non floridus, ſed fuſcus, [g] & quodammodo liuidus, uarices in cruribus, & ulcuſcula frequenter erumpentia, cum ſubnigris maculis, gingiuæ facilè ſeroſum ſanguinem fundentes, & dum in carcere concluſus fuit, tumores in cruribus œdematoſi obſeruati; ac tandem, prauis quinetiam ſuccis in cerebrū natura calidum, & humidum irrepentibus, crudæ, & catarrhalis materiæ perennis ad pectus, & pulmones decubitus.

a 2. ad Glauc. 4.
b 14. Meth. 6.
c 5. Simpl. 9.
d de Succ. Bonit. & Vit. 4.
e 13. Meth. 6.
f de Loc. in Hom. 36.
g 6 de Loc. aff. & Paul. 3. de Re Med. 49. & Hipp. de Aff. 21

Cùm

g Cùm autem in tantam molem excreuerit ipſe lien, ut prædictorum excrementorum tandem capax amplius eſſe non potuerit; hinc accidit, ut in hepate concludi, & obſtructiones quinetiam in eodem producere cœperint, cùm lienis cauſa totum hepar h affici frequentiſſimè obſeruemus; prout ab eodem intumeſcente quandoque uentriculus ipſe adeò refrigeratur, ut imminuta concoctione, cruditates accumulentur; uel à tumoris pondere, meſenterium adeò comprimatur, ut chyli tranſitus intercipiatur, indeque, ut caſu noſtro, corrumpatur, atque aluus lubrica, atque fluxa nimis obſeruetur.

h 5. de Loc. Aff. 7.

Patientem itaque Nob. ab hoc affectu uindicare, difficillimum exiſtimamus, non ſolùm quia tumor annoſus eſt, & cum leui ſenſu doloris, uerùm etiam, quia magnus i. Vnde Aetius monebat Medicos, ut ampli ualdè tumoris curationem detrectent, potiſſimum uerò in Senibus, ut animaduertit Aretæus, in quibus, difficulter; prout in pueris, & iuuenibus facilè tollitur.

i 2. ad Glauc. 4.

Attamen quoniam difficultas impoſſibilitatem non ſupponit; unde Tral. militem quendam, ſcirrho lienis laborantem ſanauit; ideo curatio tentanda, ut ab imminente cachexia, & hydrope, uel atrophia præſeruetur; potiſſimum uerò, cùm nondum ualidiora, ac generoſiora fuerit expertus remedia.

Toto itaque euacuato, quia tumor durus, & utcunque frigidus eſt; ideo emollientibus k, & calefacientibus curandus; necnon attenuantibus, non ſine leui aliqua adſtrictione, memoria ſemper recolentibus, quod lien tantò l fortioribus eget auxiliis ipſo hepate, quantò craſſiorem in ſe ſanguinem continet; ideoque docebat Gal. m quod foris, & intus ualidiſſima tolerat medicamenta.

k 2. ad Glauc. 4. & 14 Meth. 14.
l Aet.
m 2. ad Glauc. 5.

Et quidem à fonte Chirurgico, omnium primò deſumenda ſanguinis miſſio; ex qua, ſi in ſcirrho perpetuò inſignem utilitatem obſeruauit Gal. n tum ex anulari, tum ex interna cubiti, multò magis conferre poterit tumori ſcirrhoſo. Tundatur itaque ſiniſtri cubiti interna uena, & ſanguis obſeruetur, qui ſi niger, & craſſus effluat, educatur ad ℥ vi. ſin tenuis, & pallidus, ſiſtatur; & interna dexteri cubiti poſtridie ſecetur, eadem obſeruatione. Cucurbitulæ o ſiccæ lienoſo tumori erunt apponendæ, & ſæpius remouendæ; ſed toto prius expurgato. Sicut tunc temporis, magnoperè conduceret ſtillicidium, in ipſum tumorem ab alto decidens, ex pingui lanarum lotura, addito aceto; apponendo poſtea diachylon, cum ammoniaco, & ſucco tabaci, ſeu herbæ Reginæ reformatum. Proponimus uerò antiquorum p inunctiones, potius conſiderandas, quàm adminiſtrandas; ſicut & negligimus ſectionem uenulæ auris ſiniſtræ, cuius ſanguine lienem illinebat Archigenes q; ut & periculoſam Cardani ſectionem, ſecuri ſuper charta, ridiculam cenſemus.

n de Sang. Miſ. 16
o Tral. & Aet.
p Aret. & Aet.
q 9. per Loc. 2. & Aet.

Ex Pharmaceutico fonte deſumenda Lenientia, Præparantia, Purgantia, Aperientia, Liquantia, Emollientia, & Euacuantia, præcipuè quidem per aluum; ſed & per urinam.

Primum itaque leniens eſſe poterit ſyr. roſ. ſolut. mel. roſ. ſol. cum mannæ portione. Primum præparans, oxymel, cum pauca aqua cinnam. & crem. tart. 5. aut 6. dies. Inde euacuentur præparati humores ſyr. roſ. ſol. de polyp. cum diacathol. uel huiuſmodi alio; ut mox ualidior procuretur humorum præparatio ſyr. de cich. cum rhab. ratione hepatis obſtructi, byzant. cum aceto, & oxymel. in decoct. cich. end. borrag. malu. agrim. lupul. fumariæ, octo diebus. Deinde expurgentur præparati humores ſyr. roſ. ſol. de polypod. cum elect. diaphœn. & confect. hamech.

Mox repetatur ualidior adhuc contumacium humorum præparatio, ita. ℞. ſucci depur. fumariæ agrim. malu. aceti ſquillit. an. ℥ i. decoct. borrag. agrim. aſplenii, ſcolopendrii, rad. cappar. ℥ iiii. m. pro ſyr. & ita pro duobus aliis. Deinde præbeatur decoctio epith. Meſ. ad ℥ vi. cum ueratri radice parata; cui, tribus exactis horis, ſuperbibat mulſæ aceroſæ ℔ i. ſ. duabus uerò horis ab ea, prandeat; & rurſus per duos dies, ſuccos prædictos aſſumat, ut inde decoct. epith. Meſ. repetat, & iterum ſuccos, iterumque die quarta, eandem coctionem.

Quibus peractis, ad ualidiora attenuantia, & aperientia deueniendum; in quibus, Chalybis uſus uidetur principem locum obtinere, & potiſſimum crocus Martis aperitiuus, ita exhibendus. ℞. croci Martis aperitiui, cum acido ſulph. parati, ſalis ammoniaci an. gr. iii. pil. de tribus cum rhabar. ʒ ſ. m. reform. pil. n. ii. & aur. à quibus, bibat hanc potionem. ℞. aq. ſtillat. ſcolopend. agrim. an. ℥ iii. in qua diſſoluantur tart. vitriol. gr. vi. & præbeantur, quatuor, uel quinque horis ante cibum, exercitio adhibito, in cuius uſu perſiſtat Pat. ad xv. dies. Quibus exactis, efficaciſſimum experti ſumus ſalem Martis, cum decocto ſalſæ; qui mirabilis ad duros tumores emolliendos, & diſcutiendos; prout ius Galli, his

duris

duris tumoribus emolliendis parum, aut nihil profuiſſe ſemper comperimus. Sic. ℞. ſalis Martis gr. ii. ammon. ℈ i. troch. de cappar. ℈ ſ. m. ref. b. cui ſuperbibat, decoctũ ſequens. ℞. ſalſæ parillæ opt. ℥ i. ſ. ligni tamariſci ℥ i. medii. cort. [r] ſalicis, cortic. rad. cappar. an. ℥ ſ. aq. fabror. ℔ iii. m. fiat inf. per horas 24. deinde bull. ad conſumpt. dimidii, & in fine ebul. adde fol. aſplenii, urticæ mortuæ an. pug. i. ſ. colat. pro tribus diebus, poſt bol. aſſumenda; & ut facilius peruadat, & uias vrinæ permeet, addantur ſpir. tart. optimè rectif. gutt. xii. Etenim per urinam etiam Lienoſus Bion [ſ] expurgatus, & iudicatus fuit.

r Trall.

ſ 2. Epid. 27.

Extrinſecùs ante, & poſt ſtillicidium, fieri poterit fotus, magna ſpongia, ex lixiuio, in quo ebullierint melilotus, abrotanum, ruta, ſcolopendrium, radic. cappar. tamariſcus, althea, radic. lilior. alb. & cucum. ſylueſtris, addendo in fine portionem aceti, quo lien oblectari ſolet; mox apponatur ceratum iam præſcriptum, aut huiuſmodi. ℞. ammon. aceto diſſol. ℥ ii. ſalis comm. vſti ℥ i. diſſoluantur ad ignem; poſtea adde pulu. tamariſ. ℥ ſ. adipis Tauri ℥ i ceræ, reſinæ, an. q. ſ. & S. A. ref. ceratum.

Victus ratio ſit attenuans, & acris, adeò ut acetaria omnia conueniant, acria, & ſalſa. Ieiuno uentriculo, in uſum reuocet amygdalas amaras. Cappares aceto conditi ſint in uſu; narrat enim Foreſtus, Vetulam quandam tumore antiquo lienis laborantem, ſolo capparum uſu conualuiſſe. Ita Beniuenius refert, Virum quēdam, per ſeptennium ſpleneticum, adeò ut ulcera in pedibus eruperint, ſpatio unius anni, liberatum eſſe uſu capparum, & potu aq. fabrorum; quæ adeò lienes imminuit, ut animalia apud fabros educata, exiguos lienes habere, obſeruauerit Celſus. Paretur itaque uaſculum ex ligno tamariſci, uino conſeruando; uel uinum ipſum paretur medicatum, tamariſci ligno, & ſalſa. Quies hoc malum auget, ex Celſo; unde Aetius uidit aliquos, ſolis deambulationibus, & curſibus ſanatos. Venus dimittatur. Aluus lubrica ſeruetur pil. de tribus cum rhab. & ſennæ extracto, cum granis magiſt. mechoac. Curæ arceantur, & hilari, ac erecto animo uiuat. Quibus ſelectioribus, ſi non cedat affectus, ſolam opem Diuinam Patiens imploret.

XLII.

PVER LIENOSVS

Conſultatio Prima.

PVer Nob. poſt febres tertianas, quartanas, ſemitertianas, ictetitiam, ſpleneticus ſemper fuit, & ferè ſemper ſcabie infectus; necnon ſæpè bubonibus ſuppuratis cum febre conflictatus, cui & narium hæmorrhagia familiaris fuit. Hic autem, poſt varia adminiſtrata medica præſidia, & potiſſimum ſanguinis miſſionem, ius galli alteratum, vinum Chalybeatum, à febribus conualuit, & lien diminutus quidem, verùm nondum omnino priſtinæ magnitudini, & ſanitati fuit reſtitutus; quorum cauſa noſtrum implorat auxilium; cùm tamen calido, & ſicco præditus ſit temperamento, & ſubmelancholicus, difficulter integram valetudinem adipiſci poterit. *Dum enim lien floret* [a], *corpus contabeſcit*, ex Hipp.

a de Loc. in Ho. 36

Cuius petitioni ut ſatisfaciamus, prius à nobis conſiderandum uenit, ſanguine prauo ſcatere venas huiuſce Pueri; unde nutritio vitiata, & deprauata ſequitur; quod non ſolùm atteſtari poteſt color, non adeò floridus; verùm & frequēs hæmorrhagia, & ſcabies ferè cōtinua, totum corpus inquinans; necnon bubones, ad coxas, ventrem, & thoracem iam erumpentes; cuius maſſæ ſanguineæ impuræ cauſa in iecoris calidam intemperiem, & lienis, atque vaſorum à porta deriuatorum obſtructiones, referenda eſt; Iecur enim iuſto calidius, feruidum, craſſum, & quodammodo exuſtum ſanguinem gignit, quem natura, toti purificando, per vas ſplenicum, ſiuè cœliacũ deponit ad lienem ipſum, cuius puriori parte nutritur; impurior verò, copioſa quinetiam, tenuiſſimis venarum propaginibus inculcata, obſtructiones parit; quinimò ab iiſdem in parenchyma transfuſa, tumorem quoque excitat. Et quoniam non adeò leuis in ſanguine impuritas deprehenditur; hinc à iecore, per porum felleum, craſſior pars iam demandata fuit, à qua eiuſdem, aut cholidoci obſtructionem

ſubor-

ſubortam ictetitia ſecuta fuit: tenuiot verò, atque ſeroſior, utpote naturæ moleſta, frequentet ad caput eleuata, per narium uenas excreta eſt.

Quibus expenſis, nobis ſtatim vitiata nutritio corrigenda offertur; quod tamen præſtari non poteſt, niſi prius tota maſſa ſanguinea purificata; quod nec aſſequi licet, niſi naturalium viſcerum uitijs, tum intemperiei, tum malæ compoſitionis, ſublatis. Quæ omnia præcedere debet uentriculi, & primarum viarum expiatio.

Quæ omnia explenda non dubitamus, tum ob ætatem, qua natiuus calot vegetus eſt; tum quia nondum efficaciora fuerunt uſurpata remedia. In quem finem agenda ordine executiuo proponemus.

Quamprimùm igitur inchoabitur purgatio, primò aluum leniendo, lenit. & tartaro, vel pot. ex manna clarif. Inde præparentur humores iulap. acet. ad ℥ iij. ſine diluto, quod paretur, macerando radic. cich. petroſelini, & cappar. in aqua agrimon. & aceto, integram noctem, expreſſioni addendo ſacchar. ad iulap. conſiſtentiam. Quinque verò, aut ſex exactis diebus, repetatur altetutrum præſcriptorum lenientium. Deinde efficacior fiat humorum præparatio, ſyr. byzant. cum aceto, de cich. cum rhab. & de ſucco borrag. an. ℥ ſ. in decoct. cichor. addita malua, agrim. lupul. & aſparagis, per decem dies. Inde purgentur humores elect. lenit. cum pil. de tribus, & ʒ ſ. extr. ſennæ; vel potu, infuſione rhab. ſennæ, & agar. additis ſyr. roſ. ſol. & de polyp. His peractis, ſequenti die præbeantur ſucci depur. cich. agrim. & fumar. in decoct. borrag. end. malu. ſcolopendrij, lupulor, tres dies, ſed ſecunda aperiatur ſaluatella ſiniſtra, & educatur ſanguis ad ℥ vi. circiter.

Mox, tribus his exactis diebus, oppottuniſſimus erit ſyr. Fernel. ad 12. uel 15. dies, quotidie exhibendus, ad ℥ ii. uel in exigua portione iam dictæ decoctionis, uel in vino albo, non dulci, non acerbo, nec generoſo; nullum enim præſtantius obſeruamus medicamentum, ad uiſcera naturalia reſeranda, & ſuccis prauis exhaurienda, venoſumque genus purificandum.

Quod ſi tunc temporis obſtructiones ſupetſtites tactui ſint obuię, ad ualidiora aperientia, ac altius penetrantia erit deueniēdum; qualia eſſe poterunt, iam expertum medicamentum ex ammoniaco; ſupetbibendo aquam agrim. & capillorum Ven. ſcolopendrio, & tamariſco alteratam, cui gutt. x. aut xii. ſpir. tart. bis, aut ter rectif. immiſceantur. Quod ſi fortè lien tumore aliquo duriuſculo eleuatus fuerit, iam dictis aquis infundatur ſalſa parilla, quæ poſt iuſtam ebullitionem, addito ſpiritu tart. præbeatur; ad tumotes enim emolliendos, quammaximè iuuat.

Dum omnia iam dicta fiunt, extrinſecùs quoque illitus, uel ceratum conuenient. Illitus quidem, ex medulla crurum bouis, adipe anſeris, oleo de capparibus, cum modico aceto, ebullitione reſoluto, & ceræ q. ſ. ut fiat limin. molle. Vel reſ. diachylon magnum, cum ammoniaco, & ſucco tabaci.

Quibus omnibus congtua victus ratio addatur, ab Exc. Viro Adſtanti præſcribenda. Cōmendatut interim primus cyathus, ad menſam, uini Chalybeati, ligno tamariſci medicati, idque per menſem, poſt præſcriptam purgationem peractam. Et ut iecoris intemperies calida contemperetur, prima menſa, de more, bibat ius tenue cich. alteratum; hoc enim quotidie aſſumptum poterit noſtram intentionem facilè implere, abſque ullo lienis præiudicio. Exercitium magnoperè confert, ante cibum; quo tempore, & à ſtudijs vacare, alijſque meditationibus omnino debebit, ut completam adipiſcatut ſanitatem, quam à D. O. M. & nos eidem ex animo precamur.

PRO

XLIII.

PRO EODEM.

Conſultatio Secunda.

FEliciorem, quàm antea, ſtatum Splenici Adoleſcentis, ex literis Illuſtriſs. eiuſdem parentis nunc colligo. Ab expertis quippe ſubſidiis, à tua ſapientia, anno elapſo, præſcriptis, faciei uiuidiori colore, carnoſiori corporis habitu, & ſalubriori vitæ genere gaudere cœpit Nob. Iuuenis; cuius potiſſimum futuram incolumitatem eo nomine prænunciare poſſe uidemur, quod febres, hæmorrhagiæ, icteritia, atque cutaneæ infectiones non amplius recurrant. Attamen optatis hucuſque potiri non potuit; obſtat quippe morboſa radix in liene, nondum perfectè ſucciſa, licet luculenter imminuta; perſiſtit, inquam, tumor ad compreſſionem indolens, renitens, cum inſigni duritie, quanquam non ſine aliquo ſenſu; prout ex Viri Excellentiſſ. Adſtantis hiſtoria intelligo. An verò ſenſus ille tumoris ſit, an cutis, preſſius manibus contrectatæ (prout animaduertendum monet Sax.) eiuſdem Excellentiſſ. ſagaciori indagine inquirendum relinquo. Affectionem tamen hanc ſcirrhoſam, ut non omnino ſenſu uacuam exiſtimem, argumento ſunt recenſiti, ad ſalutem gradus; morborum, ac ſymptomatum, ab hac radice pullulantium, expugnatio; corpus renutritum; cutis color elegantior; & tandem lienis tumor vtcunque ſubſidens. Nihilominus aduerſus ſuperſtitem illius duritiem, ac intemperiem forſan frigidam, ſicuti hepatis præcalidam, & meſaraicarum obſtructiones, partim quidem uictas, nōdum tamen radicitus euulſas pugnandum ſupereſt. Quod ut conſequamur, eximiæ uirtutis tuæ monita, more noſtro, præfati Genitoris erga optimæ indolis Natum dilectio, meaque erga utrumque perennis obſeruantia, & beneuolentia exoptat.

Sicut [a] Lienoſus certò Adoleſcens Nobiliſſ. eſt nuncupandus; ita non adeò certè lienoſa eiuſdem affectio, tumor ſcirrhoſus, [b] aut ſcirrhus vocanda. Quare miror equidem, qua ratione Gal. præcipiat, de nominibus altercandum non eſſe; cùm tamen ipſe omnino ſenſus expertem, ſcirrhum exquiſitum; ſenſu uerò non uacantem, tumorem ſcirrhoſum potius, quàm ſcirrhum appellandum cenſuerit; atque hunc ſanabilem; [c] illum uerò proſſus inſanabilem pronunciauerit. Verùm ſi ſcirrhus, quomodo corruptus totius corporis color, [d] uniuerſalis ſcabies, corporis ſuppurationes euanuerunt? Quomodo hæmorrhagia, quæ, [e] ut oppoſiti lateris, mala fuit, ſuppreſſa eſt? Quomodo pharmaca non profuerunt, [f] nec tamen in hydropem prolapſus eſt? Et tandem, qua ratione carnoſior factus eſt Iuuenis Nob. & ſalubriori vitæ genere gaudet, ſi dum lien floret, [g] totum corpus contabeſcit, & è contra? Remiſſam itaq; iam fuiſſe lienoſam affectionem, ſumma cum ratione cenſendum; non verò adauctam, & in ſcirrhum conuerſam. Quare tumorē ſcirrhoſum potius, quàm ſcirrhum nobis appellare liceat; cùm etiam potius ab indurata [h] pituita, vnà cum melancholica naturali, quàm ab atra bile originem duxerit, & modò à toto uenoſo genere fomitem ſuſcipiat; ut ætas tenella, [i] totius temperamentum, & habitus, glaber potius, quàm hirſutus, atque prægreſſa uiuendi ratio facilè nobis ſignificare poſſunt; propterea tumorem potius à copia replente [k], quàm à frigiditate congelante, aut à ſiccitate condenſante productum fuiſſe, & foueri credimus. Cui præterea in meſenterio quoque obſtructiones accedere intelligimus; dum enim à frigiditate quadam lien afficitur, quatenus à copia replente obruitur eiuſdem calor, afficitur uentriculus ipſe, à quo cruditates, quæ in meſaraicis fixæ, à feruido iecore exſiccatæ, atque obduratæ, obſtructiones euadunt, hypochondriorum, & uiſcerum calorem accendentes, ac proinde lienis tumorem firmius obdurantes.

Cuius expugnatio tentanda, [l] emollientibus, attenuantibus, moderatè [m] calefacientibus, ac diſcutientibus. Quod illico præſtandum, antequam exquiſitus ſcirrhus euadat; ſummè namque obdurata, [n] ſummè inſanabilia ſunt. Tunc enim Iecur [o] per meſaraicas facilè in conſenſum trahitur; unde [p] hydrops, & interitus; cùm non deſint, qui à ſolo liene [q] aquam

inter

a 9. per Loc. 3.
b 14. Meth. 6.
c 2. ad Glauc. 4.
d 3. de Nat. Fac. 9.
e 3. Prorrh. 33 & 2. in 6. Ep. 12. 13.
f de Affect. 22.
g de Loc. in Hom. 36.
h 5. Simpl. 9.
i de Tum. p. n. 9.
K 3. Simpl. 9.
l 14. Meth. 14.
m 5. Simpl. 7.
n 7. per Gen. 9.
o 5. de Loc. Aff. 7.
p 3. in 1. Epid. 4.
q 6. de loc. Aff. 2.

inter cutem produci poſſe, non affecto iecore, exiſtiment. Quod tamen nos præuertere poſſe, ſpem facere uidetur ætas, & iuuamen à remediis præſtantioribus perceptum, necnon ſelectiſſima à Viro Doctiſſimo propoſita.

In quibus ſanguinis miſſio primum locum tenet, quæ iure merito à ſumma prudentia tua admittitur hoc caſu; prout à Gal. quoque liberaliter ſatis, & luculenta cum utilitate adminiſtratam [q] habemus, tum ex anulari, tum ex interna cubiti uena, non quidem ratione cauſæ coniunctæ, ſed ratione antecedentis, atque fouentis; cuius cauſa in intermittente quartana ſanguinem eduxit, [r] ad totius maſſæ ſanguineæ putrificationem; ac proinde ad humorum à putrida minera diuerſionem. Curationis autem progreſſu, Cucurbitulæ quoque lieni frequenter applicari poterunt, ſtatim poſt fotus emollientes; quas ſicuti ſemper [ſ] contuliſſe obſeruauimus ſiccas, ad materiæ motum, & calefactionem partis; ita ſcarificatas, [t] à Gal. præſcriptas nunquam admittere potuimus, ne tumor humiditate exhauſtus, facilius in ſcirrhi naturam faceſſat, pace Aetii [u], qui plurimum ſanguinem per eaſdem extraxit, quarum tamen uſum moderatur Paulus [x]. Venam quoque retro ſiniſtram auriculam aperiebant Antiquiores, & præſertim Archigenes; imò & ex profluente ſanguine, ſplenem illinebant; ut uidere eſt apud Aetium, [y] qui his auxiliis uti abſurdum non eſſe monebat; unde hoc remedii genus à Gal. commemoratum [z] uidemus. Sinapiſmi quoque à Paulo, [a] & Aetio commendati, nobis maximè arrident, utpote partis calorem uiuificantes. Neſcio tamen, qua ratione Aretæus igne duritiem emollire ſibi perſuadeat. Cruſtas potius inuſtionibus excitatas admitterem, cum Hipp. [c] & Aetio; uerùm ceteris omnibus incaſſum adminiſtratis, niſi adſit Cachexia, nec multùm redundauerit atra bilis, in his enim ulcera cancroſa, ſicut in illis gangrænoſa facilè excitarentur; ita, *Quos morbos medicamentum non ſanat, ſanat ferrum, [d] & quos non ferrum, ſanat ignis.*

q de Sang. Miſſ. 16. & 2. ad Glauc. 2. & Aet.
ſ 1. ad Glauc. xi.
t 2. ad Glauc. 2. & 9. per Loc. 2.
u Tetr. 3. Ser. 2. Ca. xi.
x 1. de Re Med 49.
y Loco cit.
z 9. per Loc. 2.
a Ibidem
b 5. de Diut Morb. Curat. 14
c de Intern Affin. 13. & Aet. Ib
d 8. Aph. 6.

Verùm, caſu noſtro, emollientia, & reſoluentia medicamenta, abſque inuſtionibus abundè fore ſperamus. Parentur itaque primò fomenta, ex decoctione aceti cum radic. maluæ, liliorum alborum, raphani, cyclaminis, bryoniæ, tamariſco, & ſcolopendrio, ante cucurbitulas uſurpanda; & mox apponatur ceratum, ex ammoniaco in aceto diſſoluto, oxelæo, & diachyl. cum pinguedinibus reformato. Quibus non ſufficientibus, ad ſtillicidium erit confugiendum, ex aqua, ſiue lotura lanarum, & aceto paratum.

Ex Pharmaceutico fonte deſumenda Lenientia, Præparantia, Purgantia, Aperientia, ad urinam Ducentia, & Roborantia.

Leniens eſſe poterit elect. lenit. cum tart. uel Potio ex manna clarificata. Præparans autem iulap. acet. alteratum cort. citri ad ℥ iii. cum ʒ iii. crem. tart. quinque dies. Deinde repetatur leniens præſcriptum.

Pro Secunda præparatione paretur iulap. acet. aperitiuum, macerando in aceto, & aqua agrimoniæ radic. cich. petroſelini, fœniculi, cort. radic. capparum, cum ſaccharo formando iulapium, ad ℥ iii. exhibendum; à quo bibat decoct. cich. borrag. maluæ, agrimon. pentaphylli, ſeptem, aut octo dies. Inde ſequatur purgatio, medicamento potius ſolido, quàm liquido, quod paucum, multum educat, ut docebat Hipp. quem ſequutus Auic. dicebat. *Vtendum medicamento forti debili*; quale eſſe poterit elect. lenit. diacathol. & diaphœn. vel pil. de tribus cum lenit.

Ad ualidiora, & efficaciora præparantia mox erit deueniendum, quæ attenuandi, & incidendi maiori facultate polleant, & ad lienem penetrent. Quare parabitur oxymel tamariſcatum, cum aceto ſquillitico, cuius præbeatur ℥ i. cum altera ſyrupi de cich. cum rhab. in decoctione cich. borrag. malu. ſcolopend. tamariſ. aſplenii, ſcil. Hemionit. & radic. cort. capparum; etenim [e] quod Iecori eſt abſinthium, hoc lieni eſt cappatis cortex; & rurſus quod Iecori eſt eupatorium, hoc lieni eſt ſcolopendrium. In horum autem præparantium uſu pluribus diebus pergendum; ſed tertio, aut quarto quoque die, lienis exinanitio procuranda tali medicamento. ℞. pil. de tribus cum Rhab. extract. ſennæ, pilul. de lapide lazuli an. ℈ i. ſalis martis gr i. m. & præbeatur quatuor horis ante cibum; uerùm, hora poſt, bibat cyathum aquæ ex agrim. & ſcolopend. deſtillatæ.

e 13. Meth. 17.

Quibus peractis, ſuſceptam non oportet arduam Prouinciam deſerere, quin potius ad ualidiora attenuantia, diſcutientia, aperientia, & urinam ducentia erit progrediendum; licet lienis ad ueſicam uia per cæliacas ad emulgentes Gal. ignota [f] fuerit, quam poſteà melius conſultus, & Bionis hiſtoriam contemplatus, licet rariorem, & difficiliorem, per recurſum lienoſi ductus ad hepar tandem [g] admiſit; unde prius deiectoria potius ſuadebat.

f 13. Meth. 17.
g 2. ad Glauc. 2.

Nos itaque per huiuſmodi viam euacuationem moliri conati, decoctum ita parandum, & adminiſtrandum præſcribimus, ℞. ſalſæ electæ, ligni tamariſci an. ℥ i. medii cort. fraxini, & ſalicis [b] an. ℥ ſ. aquæ cich. borrag. & agrim. an. ℔ i. m. fiat inf. per horas 24. deinde adde quartam partem pulli Iunioris, & bulliant ad conſumpt. dimidii; facta verò colat. ſeruetur pro duabus vicibus, matutinis horis aſſumenda; cui infundantur gutt. x. aut xii. ſpirit. tart. rectificati. Verùm eidem præmittatur bolus ex terebinth. lota in aqua malu. & ammoniaco paratus. In huius autem decocti uſu perſiſtat per menſem ſaltem; ſed qualibet hebdomada aſſumat bolos ex ſemidrachma extracti hellebori, cum flor. caſſiæ: etenim iubet Trallianus, expedito liene, vitioſos humores ualidioribus medicamentis eſſe educendos.

b Tral.

Menſe verò tranſacto, aliqua à proprietate iuuantia, & lienem quodammodò roborantia, in uſum reuocanda; in quem finem, herba milzatella, Galiopſis, Archangelica, vrtica mortua dicta, inſignem habet prærogatiuam, macerata in uino Chalybeato, ante à nobis propoſito.

Quibus omnibus congrua, & omnino idonea uiuendi ratio addenda erit, cibi & potus parſimonia ſeruata, & corporis, quantùm fieri poterit, exercitio. Vinum ſalſa, tamariſco, & aſplenio medicatum paretur. Cætera Excellentiſs. Viro Adſtanti præſcribenda committo, qui à prudentiſſimis, ac ſapientiſſimis tuis præceptis pendebit; prout ego omnia iam dicta lubens, corrigenda tibi ſubiicio. Vale diutiſſimè, & me, quo ego te, proſequi amore pergas.

XLIV.

LIENOSVS INFANS.

INfans nobis curandus, tres annos natus, cùm anno primo ætatis variolis laboraſſet, toto corpore [a] per ipſas nõ ſatis bene expurgato, licet temperamentum calidũ, & humidum à naturæ primordijs ſortitus fuerit, ſemper tamen valetudinariam vitam duxit; & tandem, menſe Auguſto proximè præterito, febre correptus, grauiſſimas uiſcerum naturalium obſtructiones contraxit, quæ ingraueſcentes, tumorem durum, ſed dolentem tunc temporis in Liene produxerunt; cui acceſſerunt febricula, totius corporis, color pallidus, ciborum inappetentia, virium imbecillitas, cum maculis crurum præſertim, partim rubeſcentibus, partim flaueſcentibus; neq; gingiuæ adeò benè ſe habent. Quare eiuſdem Parens à nobis Medicum auxilium expoſcit.

a vt Filia Schenkij.

Quoniam autem variolæ comparatæ fuerunt ad excrementi cuiuſdam menſtrualis reliquias, probo ſanguine miſtas, mediante quadam ebullitione, ut in muſto, excernendas; quæ excretio in hoc infantulo imperfecta, & imminuta fuit, ſiue ob excrementi craſſitiem, ſiue ob facultatis expultricis imbecillitatem; ideo coinquinatus ſanguis vitiatę totius nutritionis ſubinde cauſa ſemper fuit; cuius ratione Patiens ualetudinarius ſemper uixit; imò accumulatis, & congeſtis poſtmodũ excrementis, febris ſuborta fuit; cui curandæ, quoniam refrigerantes potiones exhibitæ, & prętereà, inſciò medico, potus aquæ uberiores conceſſi fuerunt; ideo cruditates ab his genitæ, & ex iiſdem graues obſtructiones in viſceribus, & potiſſimum Liene ſubortæ, & à febrili calore ſanguine exuſto, confirmatæ fuerunt. Infarctis autem plenius vaſis, in ſubſtantiam quoque, & Parenchyma uiſceris humores iidem ſeſe inſinuarunt, & tumorem durum, non quidem ſcirrhum, ſed ad ſcirrhoſum tendentem excitarunt. Cùm autem aduſtus ſanguis melancholicus, non amplius à liene repleto ſuſcipi poſſet, conſpurcatam maſſam ſanguineam defœcare tentans ipſa natura, eiuſdem potiſſimam partem ad crura, atque aliquam quoq; ad gingiuas tranſmittere cogitur, & ita incipientem affectum ſcorbuticum nobis exhibet. Verùm & ex crudi humoris aliqua portione, in primis vijs concluſa, & putreſcente febricula exoritur.

Affectus ex ſe quidem grauis, ſed grauior, ratione ætatis, quæ ægrè medicamentorum uſum admittere poterit, ſine quo irrita euadet quælibet ſalutis ſpes; ſicuti remediorum cõtinuo uſu infantulum, naturæ increſcentis beneficio, ſanitati reſtitui poſſe ſperandum.

Id verò

Google

Id verò fiet, primas uias expiando: obſtructiones paulatim, per partès aperiendo: prauos humores, tum à partibus, tum à toto expurgando, & ſempet emollientibus durum tumorem curando, uiſceraque tandem roborando, & totius vires conſeruando.

Quæ à fonte chirurgico desumenda, alibi à nobis proponenda fuerint; cùm miſſio ſanguinis in hoc infantulo, nullum locum habeat. Siquidem mittimus barbaras lienis regionis inuſtiones, ut & ſuperſtitioſam venæ poſt aurē ſiniſtram ſectionem, quo ſanguine ſplenē illinebat Archigenes; b necnon periculoſam Cardani inciſionem, ſecuri ſuper charta, ad Pharmaceuticorum remediorum uſum potius properantes. b 9. Per Loca 2.

Inter hæc autem proponemus, non quidem quæ debent, ſed quæ, hac tenella ætate, adminiſtrari poterunt. Euacuandus itaque erit uentriculus potione ex man. clariſ. mox prima præparatio perficietur Iulap. acer. cort. cit. aromatiz. uel crem. tart. ad ʒ iij. quolibet mane in iure diſſoluto. Hinc fiat prima expurgatio, eadem potiuncula, rhab. tamen infuſ. addito, & poſtea repetenda præparatio; cuius gratia, quoniam decoctiones, vel ſyrup. vel ſucc. uſurpari non poterunt; ideo præbeatur aq. agrimon. ad ℥ iv. uel v. in qua diſſoluatur tart. vitriol. ad gr. viij. vel x. & ſeptem poſt diebus, exhibeatur potio prædicta, cum Rhab. aut magiſt. mechoac. ad gr. xv. in ſpira ex paſta, decipiendo infanti. Et quoniam morbus huiuſmodi pertinax eſſe ſolet; ideo rurſus ad aperientia deueniendum, quæ eſſe poterunt eadem aq. agrim. in qua fuerit infuſ. rhab. cuius ſi reſpuat amarorem, addatur aq. iam dictę ſpir. tart. à guttulis xii. uſque ad xx. in cuius uſu pergendum plures dies, à quibus, ſi poſſibile fuerit, in uſum reuocetur rhab. ſacchar. ſaccharo ſcilicet conditum, quod habetur Venetiis, apud Pharmacopolam, ſub horologio magno, ad inſigne Abrahain; à quo hauriat aq. ſtillat. ſumariæ, aut capil. Ven. chalybeatam. In uſu verò rhab. perſiſtat plures dies; quibus, ſi fortè abhorreat infans à medicamentis propoſitis, præbeatur extr. mechoac. cum gr. iij. aut iv. magiſt. ialap.

Extrinſecùs uerò conueniunt primò emollientia, mox reſoluentia. Sic primùm paretur linimentum ex ol. de capparib. de cyclam. cum medul. crur. bouis, & cera q. ſ. Secundo loco applicetur ceratum ex Diachyl. reformatum cum Ammon. & ſucc. herbæ Reginæ; & tandem peracta purgatione, duo remedia ſint in uſu, alterum expurgans, alterum deobſtruens. Deobſtruens verò erit aqua deſtillata ex urina humana, in qua fol. tamariſc. macerata fuerint, eandem præbendo matutino tempore, hora una, aut plus, ante cibum, ad ℥ iij. uel iv. circiter. Alterum expurgans, erit uinum album, in quo maceratus fuerit cort. medianus ſamb. & fol. tamariſc. quod niſi pro uſu ſat fuerit, eidem addantur fol. quoque ſennæ, & quidem ſi non ieiuno ventriculo, ſaltem primo potu, in menſa, ad tertiam, uel quartam partem cyathi. Gingiuæ uerò ſemel, aut iterum ſingulo die perfricentur digito, tinctura corall. chymica madefacto.

Quibus omnibus addatur congrua uictus ratio, prohibendo fructus omnes, lactaria quæcunque legumina. Vinum ad potum ſit album, & tamariſ. medicatum, parcum tamen. Quæ ſuauiora quidem, habita ratione ætatis, ſed efficaciora pro morbi magnitudine, à Viro Excell. ſumma dexteritate adminiſtranda.

XLV.

TVMOR SCIRRHOSVS LIENIS.

QVæ prudentiſſimæ, ac ſapientiſſimæ curæ commendatum Puerum Illuſtriſſimum lienoſum uidi, & mœſto animo contrectaui, tumorem quippe durum, & ferè omnino doloris expertem in liene deprehendi, quem ſi non ſcirrhum exactè legitimum, ſcirrhoſum ſaltem tumorem appellare poſſumus. Hic autem, ut accepi, inflammationi non ſucceſſit; ſed à melancholici ſimul, & crudi humoris influxu,[a] ac congeſtione originem duxit, quibus ſemper redundauit etiam puerulus, aut infans; cùm ab ortu naturæ uiſcera omnia naturalia intemperata ſortitus fuerit, & præ cæteris feruidiſſimum iecur, à quo humores non modò calidi, uerùm & aduſti accumulari potuerunt, & ſitis inexhauſta accendi, addita priuatiua ventriculi frigiditate, ex feruidiori hypochondriorum calore, à qua, & forſan ab improportionatis obiectis, cruditates, imò ſanguis crudus progenitus eſt, qui aſſato, & melancholico humori adiunctus ſcirrhoſum tumorem excitare valuit. Et licet ſcirrhus omni ſenſu carens nullam curationem admittat, ſenſu uerò aliquo præditus difficillimam, potiſſimum hic, qui naturales habet radices; nihilominus pietas erga Puerum ſenili iudicio præditum, & erga Parentes Excellentiſſ. qui ſumma humanitate omnes ſibi deuinciunt, animum induxit ad hæc pauca tibi proponenda; cùm videam miſero Puero, uel cachexiam, & hydropem, uel ſcorbuticam affectionem impendere.

a 5. Simpl. 9.

Emolliendum itaque, aperiendum, ſenſibiliter, & inſenſibiliter euacuandum, iecoris, & hypochondriorum feruor contemperandus, totumque corpus ſubſtantificè humectandum.

Sic præmiſſa, quoad fieri poteſt, purgatione, & ſyr. Fernel. in uino albo tamariſcato ſæpius repetito, deuenirem ad ſalſæ parillæ cum tamariſco decoctum, in aqua fabrorum paratum; addito pugillo aſplenii, & urticæ mortuæ, milzatella dictæ; cui iniiciatur ſpirit. tart. ter rectif. ad ℈ ſ. quotidie per menſem exhibendum; egregiè namque attenuare, emollire, & per urinam fluxum fouere, ac adiuuare poterit. Præterea conſiderandus quoque proponitur Chalybs potabilis Magni Ducis Etruriæ, ſi legitimus haberi poſſit.

Dum hæc intrinſecùs adhibentur, extrinſecùs quoque in eundem finem, remedia apponenda erunt, in hac enim tenella ætate ſatis commodè penetrare poterunt. Quare hoc emplaſtrum applicetur. ℞. radic. cucum. aſin. beton. altheæ, lil. alb. an. ℥ i. ſcyll. n. i. ſem. lini, fœnugræc. an. pug. i. fol. malu. mercur. betæ, pariet. an. m. ſ. m. bul. in aq. fabror. cum ſexta parte aceti, & fiat cataplaſma, applicandum mane, & ueſperi per integram horam; quo ablato, illinatur eadem lienis regio linimento, quo feliciter uti ſolebant Doctiſs. Medici Ferrarienſes, Sauonarola, Leonicenus, Braſauola. ℞. ol. comm. maturi ℔ i. ſ. medullæ crurum bouis ℔ ſ. butyri rec. ℥ iii. ſucci bryoniæ, cyclam. an. ℥ vi. m. bul. lento igne, ad conſumptionem ſuccorum, & colat. adde ceræ citrinæ ℥ iiii. pulu. cetrach. cortic. radic. capparum, tamariſ. ſem. agni caſti an. ℥ i. m. f. ung. lieni inungendo, atque fricando.

Efficaciſſimum quoque, & inter potiſſima remedia collocandum, exiſtimo ſtillicidium ipſius lienis, paratum ex aqua lanar. cum aceto; appoſito ab eo cerato ex diachyl. & ammoniaco, cum ſucco herbæ Reginæ reformato; uel noſtro illo magiſt. ad inſigne Sanctæ Margaretæ parato.

Poſthæc erit cogitandum de iecoris feruore contemperando, & compeſcendo, toto corpore nutriendo, & duritie emollienda, quas omnes partes implebit lac Aſininum, quod tantùm abeſt, ut obſtruat, quin potius exſiccatis obſtructionibus præſentiſſimum remedium habeatur ab Aetio, Auic. & ab omnibus in arte peritiſſimis, & exercitatiſſimis; caſeoſa enim, & butyroſa ſubſtantia caret; pingui uerò, & quodammodo unctuoſa adhæret, ſeroſa penetrat, & ita emolliendo, exſiccatas, & pertinaces obſtructiones uincit, atque expugnat.

In recta uiuendi ratione contineatur. Panis ſit benè fermentatus, & coctus. Cappares

cum

eum aceto concedit Aetius [b]. Dulcia omnia infenſa, ex Celſo. Acria uerò conueniunt. Caſeus malus. Potus ſit parcus, ſitque vini potius generoſi tamariſcati; ſed, eo inſcio, aqua fabrorum prius diluti; obſeruauit enim Celſus [c], animalia apud fabros enutrita exiguos lienes habere. Paretur uas ex ligno tamariſci, uino conſeruando. Quies hoc malum auget, ex [d] Celſo; unde Aetius [e] vidit aliquos ſolis deambulationibus, & curſibus ſanatos. Aluus facilis ſeruetur pil. de tribus cum magiſt. mechoac. ſemel per hebdomadam; uel extracto ſennæ; atque hilari animo recreetur puer, & à blanditiis potius diuertatur. Pauciora hæc, tibi Viro præſtantiſſimo, tanquam ſelectiora expendenda propono, in ſalutem Pueri Illuſtriſs. quæ operoſa nimis Excellentiſs. Parentibus minimè cenſenda, dum agitur de imminenti interitu præuertendo. Ita D. O. M. uota noſtra ſecundet, teque diutiſſimè incolumem ſeruet.

b Tetr. 3. Sermo. 2. Cap. 13.
c 4. de Re Med. 9.
d Ibid.
e Ibid.

XLVI.

TVMOR LIENIS.

PVellam Nobiliſſimam lienoſam eſſe cenſendam, cùm iamdiù lienem affectum habuerit, & tandem tumidum, imò in inſignem tumorem eleuatum, pro comperto habendum eſt; ad quem à naturæ primordiis, lienem ipſam habuiſſe ualdè procliuem, coniicere poſſumus; quia ex quolibet motu dolore eiuſdem partis, etiam infans, facilè correpta fuit. Præſentem autem tumorem facilè ſcirrhoſum eſſe credimus; non autem ſcirrhum exquiſitum, primò quia non adeò facilè auctus, & diminutus tandem fuiſſet, & præterea quoniam ſenſu non omnino [b] carere ſupponimus. Hic autem poſt febrem diuturnam, & hepat plus iuſtò excalefactum, tum ab aliqua [c] melancholici humoris portione, tum à cruditatibus, & aquæ copioſiori potu originem duxit, ſiue potius perfectionem adeptus eſt, non parùm opitulante uita otioſa; atque adeò à copia potius humorum replente, [d] quàm à frigiditate congelante, uel ſiccitate condenſante productum fuiſſe exiſtimandum, & quidem potiſſimum cùm augeatur, [e] & diminuatur.

Et quoniam alterum hepar [f] lien ab Ariſt. appellatus fuit; ipſo namque florente [g], totum corpus contabeſcit; ideo mirum uideri non debet, ſi puellæ Nobiliſs. nutritio, tum imminuta, tum deprauata ſuccedat; quod ex corrupto colore, & gracilitate totius facilè patet, idque quoniam ſanguis defæcari non poteſt; & præterea quia ſpatio temporis affectus lien hepar quoque in conſenſum trahit;

Quare omnia quamptimùm ſunt agenda, antequam tumor obdureſcat, ſcirrhus perfectus euadat, atque tandem Nob. Puella ad atrophiam, uel cachexiam perducatur. In quem finem, Medici ſcopi debent eſſe, tumorem emollire, atque reſoluere, habita prius totius cura; & tandem iecoris calorem nonnihil contemperare, & partem roborare.

Quibus intentionibus ut ſatisfiat, in fonte Chirurgico, ſanguinis miſſio omnium primò conſideranda, quam non negligendam exiſtimamus; & quidem ex ſaluatella, tantoperè à Gal. commendata [h], parca tamen quantitate. Cauterium in crure ſiniſtro laudamus, quo melancholicæ ſeroſitates, in melancholicis redundantes (unde lien [i] fons aquæ dictus fuit) excerni poterunt, quas per uterum olim extrudere natura tentauit; præterquamquod menſtruas purgationes etiam celerius reuocare poterit. Reliqua uerò ex eo hoc fonte in progreſſu proponemus.

Ex fonte Pharmaceutico deſumenda Lenientia, Præparantia, Purgantia, Apetientia, Emollientia, Reſoluentia, feruorem Contemperantia, & partem Roborantia, habita ſemper tenellæ ætatis ratione.

Lenientia eſſe poterunt potio ex manna clarif. ſyr. roſ. ſol. clarif. Caſs. lenit. cum tart. vel magiſt. mechoac. Primum præparans, quinque dies, uel ſex erit iulap. acet. ad ℥ ii. uel iii. alteratum cinnam. & cortic. citri; cui ſuccedat euacuans, ſcil. uel ſyr. roſ. ſolut. & de polyp. clarif. uel lenit. cum magiſt. mechoac. Inde ſecunda ſequatur perfectior humorum præparatio, oxymel. cum aqua ſcolopend. & aceto parato; in quo per diem prius maceratæ fuerit radices capparum, tamariſci, filicis, præbendum ad ℥ i. ſ. in decoctione cichor.

bor-

a 9. per loc. 3.
b 14. Meth. 6.
c 2. ad Glauc. 4.
d 3. Simpl. 9.
e de Affec. 21.
f 3. de Part. Anim. 7.
g de Loc. in Ho. 36
h de Sang. Miſs. 16. & 6. de Anat. Admin.
i 4. de Morb. 2.

botrag. aſplenii, graminis, capil. Ven. & agrim. per ſeptem, aut octo dies; à quibus ſuccedat eorundem humorum expurgatio, infuſo rhab. agarici, ſennæ, cinnam. in aquā agrim. addito ſyr. roſ. ſolut. omnibus tamen clarificatis.

Poſt hæc opportuniſſimus erit uſus ſyr. Fernel. cum rhab. tamen, & radice nigra parati ad ℥ ii. & totidem uini albi tenuis, in quo diſſoluatur, & quidem quotidie; niſi vberior fuerit euacuatio; tunc enim alternis diebus erit exhibendus, decem, aut duodecim uicibus.

Quo tempore, caua uiſcerum parte expurgata, ad parenchyma, & gibbam eiuſdem lienis erunt dirigenda medicamenta. Sic parari poterit ius galli iunioris, ſalſa parilla, tamariſco, & radice cappar. alteratum, cui infundatur ſpiritus tartari ter ſaltem rectificati, ad gutt. x. uel xii. per menſem ſaltem.

Interim topica externa nulla ratione ſunt negligenda, & primò quidem conuenire poterunt cucurbitulæ, lieni ſine ſcarificatione admotæ, omiſſa ſuperſtitioſa ſectione uenæ poſt aurem Archigenis, quo ſanguine lienem illinebat; ſicuti & periculoſa quoque inciſione, ſecuri ſuper charta, à Cardano adminiſtrata, quibus longè conſultius, & tutius exiſtimamus ſtillicidium in ipſum lienem, ex aqua, aut lotura lanarum, cum aceto; uel ex oleo ſem. lini, cum aqua ardente, quotidie, integra hora adminiſtratum; quod ſequatur illitus ex adipe Leonino, Taurino, & ſuillo ex [k] Gal. uel apponatur unguentum de Oeſypo,
k 9. per lo. c. 2. uel ceratum ex ammoniaco, in aceto ſquillitico diſſoluto; ita enim, tum emolliendo, tum reſoluendo, intrinſecùs, & extrinſecùs procedemus.

Quibus omnibus peractis, hepar forſan aliqua refrigeratione opus habuerit, quæ nullo lienis præiudicio poſſet uſurpari, ſucco cich. depur. in iure quotidie exhibito. Sed quoniam ob amarorem non adeò facilè aſſumi poterit; ideo ſubſtituatur aqua ex eodem ſucco deſtill. ad ℥ v. uel vi. cum ſucco limonum. Et tandem aliqua à proprietate iuuantia, & uiſcus roborantia ſunt in uſum ducenda; in quibus potiſſima vrtica mortua, ſeu herba milzatella, in puluerem redacta, & in iure tamarice alterato exhibita.

His omnibus addatur congrua uiuendi ratio; circa quam licet lactaria ab omnibus prohiberi videantur, nihilominus in tumoribus viſcerum naturalium, potiſſimum cum totius corporis macie, commendat Auic. uſum lactis Aſinini; quem nec nos, præſenti caſu, reprobamus; ſicut & vinum tamariſcatum omnino laudamus. Motus quoque, & exercitia ante cibum magnoperè prodeſſe poterunt; & bis, aut ter menſe, ſumat pilulam de tribus cum magiſt. mechoac. Et tandem Puella Nobiliſſima alacri, ac præſenti animo uiuat. Quæ omnia à Deo ſalutaria illi precamur.

XLVII.

TVMOR INSIGNIS LIENIS.

Lienoſa eſt Nob. Virgo, cui ſeptem abhinc annis, poſt febres, lien manifeſtè intumeſcere cœpit, & modò in tantam molem excreuit, ut totius abdominis partem, non ſolùm epigaſtricam, ſed & hypogaſtricam quoque obſederit; ſupereminet enim, tum meſenterium, tum inteſtina, uterum, & ventriculi partem, ac ferè totum iecur; quod inſigne incrementum ſuſcepiſſe credendum, ob menſtruorum perfectam ſuppreſſionem, vigeſimum licet ætatis annum attigerit; ſuſpicandum enim, naturam ſanguinem impuriorem à iecore, per ramum cœliacum, ad lienem ipſum effundere cępiſſe, & temporis proceſſu, uas illud laxius redditum, & valdè peruium, ſanguinem craſſum, fœculentum, atque melancholicum facilè admiſiſſe, ac in lienem ipſum transfudiſſe; nec hunc rurſus ad hepar, per ramum ſplenicum remeaſſe, propter eiuſdem obſtructionem; ideo lienis venę repletæ, nec amplius nouæ materiæ capaces, humorē eundem melancholicum, ſed naturalem, in eiuſdem corpus, & parenchyma eructarunt; unde tumor in hanc magnitudinem ſuccreuit; qui tamen nondum ſcirrhus exquiſitus, ſed ſcirrhoſus dicendus. cùm tactui quodammodò cedat, & potiſſimum doloris non ſit expers; præterquamquod, ſi ſcirrhus exquiſitus foret, propriam frigiditatem partibus circunſtantibus, & potiſſimum iecori impertiret, ſicque Pat. in cachexiam, aut hydropem incidiſſet; & quidem multò promptius, & facilius, ſi iecur unà cum liene tumorem eundem pareretur, ut à Conſanguineis huius Patientis fuit dubitatum.

Affe-

Affectus equidem grauiſſimus, tum ob magnitudinem tumoris, tum quia iam inueteratus, & cauſam fouentem difficulter remouendam habet; unde imminentis hydropis periculum inſtat. Aliqua itaque hoc anni tempore hyemali ſunt agenda, ut ſaltem perniciosum hoc malum remoremur; utque accuratam curationem in vernum tempus differamus.

A nobis itaque præſtanda, cauſam potius antecedentem, quàm coniunctam ſpectabunt, ne ſcilicet tumor adaugeatur, neue iecur, hucuſque forſan obſtructum, intumeſcat, atque induretur.

Ordine iraque executiuo, ſumat primò por.magiſt. ex manna clarif. inde, quinque dies, matutinis horis, hunc ſyr. ℞. oxymel. ſimpl. ℥ ii.ſ. aq.cinnam. ℥ i. pollinis crem. tart. ʒ iij. m.pro ſyr.& ſic pro alijs. Deinde ſumat huiuſmodi potionē. ℞. pot.ex manna clarif.℥ iv.ſyr. de polyp.℥ iij. aq. flor.cit. par. m. f. p.

Qua peracta primarum uiarum expiatione, ad aliquod medicamentum aperiens, deobſtruens, & ſimul euacuans ſtatim deueniendum, ſyrup. ſcil.Fernel. à nobis præſcriptum, ad ℥ ij. alternis diebus, in uino albo, non dulci diſſoluendum, & exhibendum. Diebus verò intermediis, bibat hoc præparans. ℞. decoct. paratæ in aqua fabrorum, radic. cich.petroſelini, capparum, fol.agrim. cuſcutæ, aſplenii, ſcolopendrij, & tamariſci ℥ vi. in qua diſſolue gr.x.tart.vitriol.& Pat.ſummo mane præbeatur;ita alternarim perſiſtendo,ad dies rriginta, vel quadraginta; quibus tranſactis, ſumat ℥ vi. decoct. epith. Meſ.

His peractis, ſi poſſibile fuerit, uteri viæ aperiendæ forent, aliquot dies,horis veſpertinis, præbendo pil. ex optimo aloe non lota,ad gr.x. ſequenti verò mane, epoto cyatho aq. ſtill. capil. Ven.artemiſiæ, & matricariæ, in qua diſſoluta ſint grana ſalis eiuſdem artemiſiæ,aut gutt.ol.ſabinæ.

Interim ceratum totum lienem occupans erit applicandum, hac formula. ℞. diachyl. magni ireati ℥ iij. oxelæi ℥ ij. oeſypi ℥ i. m. & ref. ad ignem; addendo ſalis ammoniaci ℈ i. ſucci herbæ reginæ ℥ i. ref. ceratum.

Toto autem hyemali tempore, in uſum ducat puluerem archangelicæ, ſiuè Vrticæ maculotæ Plinij, quæ habetur pro Lamio Dioſcoridis, ad ʒ ſ. in uino albo tamariſcato aſſumēdum; quod ſi vinum, ieiuno uentriculo,non conferat, diſſoluatur in iure tenui tamariſcato, aut in aqua ſtill. ſcolopendrij, ſiue aſplenij.

In victus ratione ſe benè gerat, & Medici aſſiſtentis præceptis obtemperet; neque enim exiguos errores ferre poteſt ſtatus ipſius Patientis. Comedat itaque frequenter cappares, ſelinum, fœniculum, iuſcula ſint petroſelino alterata. Vinum paucum, modicè generoſum, & tamariſcatum bibat. Abſtineat omnino à carne ſuilla, bubula, à piſcibus, a lactarijs omnibus, à laganis, à leguminibus, à fructibus, exceptis piſtaciis; parum bibat, & multùm laboret, vitam mulieribus familiarem fugiat. Atque bis ſaltem menſe, huiuſmodi medicamento utatur. ℞. pil. de tribus cum rhab. de hiera cum agarico an. ʒ ſ. magiſt. mechoac. gr. x. m. ref. pil. & aur. Quæ nunc agenda proponimus; ne in deterius ruat Nobiliſſima Virgo, præſtantiora, & efficaciora, opportuniori tempore, proximo videlicet Vere præſcripturi.

XLVIII.

PRO EADEM
Conſultatio Secunda.

CVm Nobiliſs. Virgo, ſeptem abhinc annis lienoſa, ex præſcriptis à nobis medicamentis præſeruatiuis potius, quàm curatiuis, anni quoque tempore frigido, & incommodo adminiſtratis, leuamen præter ſpem conſecuta fuerit, iuremerito ſperare iuuat, iiſdem, & aliis curatiuis efficacioribus, hoc Verno tempore purgationibus idoneo, fore, ut ſalubres progreſſus ſuccedant, & in meliorem ſtatum Nobiliſs. Virgo redigi poſſit.

In quem finem primò primarum uiarum expiatio erit procuranda. Secundò iecur omnino reſerandum. Tertiò uenoſum genus depurandum. Quartò lien aperientibus, attenuantibus, incidentibus, emollientibus, & euacuantibus exhauriendum. Quintò uteri uenas aperire tentandum. Et tandem viſcera roboranda. Quæ omnia accommodato ordine erunt adminiſtranda, hac ratione.

Prima intentio medicamentis iam alia conſultatione præſcriptis perficietur. Secunda vſu ſuccorum depur. hoc pacto. ℞. ſucc, depur. cich. agrim. an. ℥ i. ſ. decoct. cich. borrag. malu. agrim. cuſcutæ, petroſelini ℥ v. m. pro ſyr. & ſic pro aliis, quinque diebus exhibendis; diebus verò intermediis, aſſumat bolos huiuſmodi. ℞. extrac. rhab. ℈ i. tart. vitriol. ℈ ſ. flor. caſs. q. ſ. m. f. bol. ii. quibus hora poſt ſuperbibat ſemicyathum aquæ agrim. In horum autem uſu ita alternatim pergendum, ad quindecim dies. Verùm die tertia, aperiatur vena magis conſpicua ſiniſtri brachii, & ſanguis ad vncias ſex educatur, accuratè conſiderandus; quo tempore cauterium ſiniſtræ coxæ inuri poterit, niſi antehac inuſtum fuerit.

Quindecim uerò exactis diebus, tertiæ intentioni ſatisfaciendum, ſanguinem, tum in portæ ramis, tum in caua purificando, ſyr. Fernel. uſu ad ℥ ii. in uino albo, duodecim continuis diebus aſſumendo; quibus exactis, decoctio epithymi Meſ. erit præſcribenda. Inde ad quartam intentionem explendam erir progrediendum, hoc decocto. ℞. ſalſæ parillæ electæ, ligni tamariſci an. ℥ i. medii cort. fraxini, ſalicis an. ℥ ſ. aq. fabror. fumar. an. ℔ i. ſ. m. f. inf. per horas 24. deinde bull. ad conſumpt. dimidii, in fine ebull. adde folior. aſplenii, ſcolopendrii an. pug. i. bull. par. & colat. ſeruetur pro duabus vicibus, matutino tempore aſſumenda; cui immiſceantur gutt. xii. ſpir. tart. ter rectif. cui decoctioni præmittantur bol. ita parandi. ℞. terebinthinæ Cypr. lotæ in aqua maluarum ʒ ſ. trochiſc. de cappar. ℈ i. ſalis ammon. gr. v. m. refor. bol. ante decoctionem exhibendi; in quorum uſu triginta, uel quadraginta dies perſiſtendum; ſed decimo quoque die præbeantur boli. ℞. extracti veratri nig. ℈ i. extracti ſennæ ʒ i. flor. caſs. ℥ ſ. m. f. bol. quibus hora poſt, ſuperbibat ſeri deſtill. uel aquæ hord. ℔ i ſ. & tribus horis ab ijs prandear.

Poſtrema ſupereſt medica intentio implenda, quæ licet difficillima, negligenda tamen non eſt. Præbeatur itaque ſummo mane cyathus aquæ ſtill. Artemiſiæ, & capill. Ven. cui immiſceantur gutt. iii. ol. Sabinæ, uel eiuſdem ſabinæ aquæ ſtill. ℥ i. præmiſſo bol. ita parato. ℞. trochiſc. de myrrha ℈ i. bortacis mineralis ℈ ſ. ſucci matricariæ q. ſ. ref. bol. In his autem pergendum ſupra 20. dies; in quorum medio, tundi poterit ſaphena pedis, parcè ſanguine educto, ad motum illi conciliandum.

Dum hæc omnia adminiſtrantur, externa medicamenta, emollientia præſertim, ſunt continuò applicanda; ut ceratum, præterita conſultatione præſcriptum, & ſtillicidium, tumenti lieni adhibitum, ex lotura pingui, & oleoſa lanarum, modico aceto addito, parandum. Verùm ut Nob. Pat. ad Luta D Bartholomęi ſe conferat omnino conſulimus, quindecim, aut uiginti dies, mane, & ueſperi admouenda; reliquo autem tempore, ceratum iam dictum lieni appoſitum geſtet. Chalybis uerò uſus erit in Autumnum differendus.

Victus rationem, paucis ſuperiori conſultatione à nobis præſcriptam, ſeruet in omnibus, ut & cætera omnia prodeſſe, & ſalutaria euadere poſſint.

PRO

XLIX.

PRO EADEM
Conſultatio Tertia.

REpetitis curationibus, Nobiliſs. Virginem lienoſam integræ ſanitati non fuiſſe reſtitutam, nil mirum; quin potius admirari ſubit, quòd in peius, verbo, in Hydropem prolapſa non fuerit, ob inſignem adeò, & amplum tumorem, qui tamen remediorum ope, dimidia ſaltem parte obliteratus; reliqua uerò mollior valdè obſeruatur, & quidem nō tactu ſolùm, ſed & uiſu. Sicut enim dum [a] ſplen floreſcit, corpus contabeſcit; ita cùm Virginis corpus quodammodo floreat, Lienem contabeſcere coniiciēdum eſt. Iure igitur, tertia uice, idoneo hoc Verno tempore, opem noſtram medicam expoſcit, vt in meliorem ſtatum redigatur, & propius ad ſanitatem accedat, ſicque hydropem arceat, quam medicamentis non proficientibus minatur Hipp. [b] oraculum.

In hunc itaque finem Medicæ noſtræ intentiones erunt primas vias expedire. Secundò emolliendo aperire. Tertiò humores emollitos euacuare. Quartò tumorem quoque laxare, & ſenſibiliter, & inſenſibiliter cautè reſoluere. Quintò totum impuritate emundare. Tandem uteri vias aperire, & menſtrua prouocare.

Pro prima itaque intentione, Leniens primò ex Manna clarif. & ſyr. de polyp. conueniens erit. Præparans inde ſit oxymel, cum polline crem. tart. aq. cinnam. irrorato; quinque uerò exactis diebus, aſſumat ſyr. roſ. ſol. & de polyp. cum elect. lenit. Inde ad vlteriorem humorum præparationem deueniendum, ſyr. huiuſmodi. ℞. ſucci depur. cich. borrag. agrim. an. ℥ i. decoct. malu. lupul. fumariæ, ſcolopendrii ℥ iiii. m. pro ſyr. & ſic pro aliis; cui præmittantur ℥ ii. oxymel. [c] ex florib. Geniſtæ parati. Secunda uerò die, aperiatur vena interna [d] ſiniſtri brachii, educto ſanguine ad ℥ vi. & ſeptem poſt diebus præbeatur infuſ. agar. ſennę, rhab. in aqua borrag. additis ſyr. roſ. ſol. & Diaphęn. ʒ ii. cui ſuccedat aquæ, aut iuris hordei potus ad ℔ i. ſiccitas enim in purgationibus præuertenda.

Et quoniam ab expertis medicamentis, aliàs utilibus, non eſt recedendum; melius enim eſt dicebat Auic. *medicamentum expertum non experto*. Ideo rurſus in uſum reuocetur ſyr. Fernel. iuxta noſtram deſcriptionem paratus, & more Ferneliano, in vino albo, tertio quoque die oblatus. Intermediis verò diebus, ſumatur ius Columbi, malua, foliis chamæd. ſcolopend. rad. cappar. alteratum, addita aceti [e] ſquill. ℥ i. in quibus alternatim perſiſtat, ad 15. dies; quibus exactis aſſumat decoct. epith. Meſ. ℥ vi. cui pariter aquam, uel ius ex hordeo Par. ſuperbibat.

His peractis, tumoris emollitio omni conatu, internis, & externis molienda. Quare ius Galli anniculi ita præſcribendum. ℞. ſalſę elect. lign. Tamar. rad. Helen. an. ℥ i. radic. gent. cappar. an. ℥ ſ. aq. ſtill. agrim. fumat. an. ℔ i. ſ. maluæ ℔ i. m. f. inf. per horas 24. deinde adde quartam partem Gall. & bulliant ad conſumpt. dimidii; colatura uerò ſeruetur pro tribus diebus, matutino tempore aſſumenda; cui præmittatur bolus ex Terebinth. Cypria, ſucco raph. lota; cui addatur croci Martis aperitiui, cum acido ſulph. parati granum; quorum uſui integro menſe inſiſtat; decimo tamen quoque die aſſumat huiuſmodi pilul. ℞. pilul. de trib. cum rhab. extr. ſennæ an. ʒ ſ. extr. Helleb. nig. ℈ i. m. refor. pilul. quatuor horis ante cibum aſſumendæ, à quibus pariter ebibat calycem aq. hordeac. aut cich.

Externa quoque ſunt adminiſtranda; quoniam verò Luta D. Bartholomæi non parum profuere, ideo repetenda, appoſito ſtatim ab iis cerato, prima conſultatione deſcripto.

Interim menſtruorum prouocatio internis, & externis tentanda. In quem finem, aſſumendus quotidie, matutino tempore, ieiuno uentriculo, cyathus aq. ſtill. capill. Ven. & lil. alb. addita aq. Sabinæ ℥ i. Extrinſecùs uerò inſeſſus in aq. ſulph. D. Helenæ, ſine rubulo, tempore, quo luta adminiſtrabuntur, poterunt adhiberi, illita poſtea uteri regione ol. lil. alb. cum aromat.

a de Loc. in Hom. 56.

b de Aff. 21

c Dioſcor.

d 2. ad Glauc. 2. & 13 Meth. 21.

e Dioſcor.

His accedat congrua uictus ratio, iam propoſita; circa quam repetere liceat, quod exercitia, & conſueti tantùm corporis motus non ſufficiunt, laborare enim oportet.

L.

HEPATIS OBSTRVCTIO.

IVuenis 38 annorum, temperamenti ſecundum totum, calidi & humidi, hepatis calidioris, poſt plures errores in viuendi ratione commiſſos, anno abhinc, diuexari cœpit viſcerum dolore, & præcipuè in dextera hypochondrij parte; qui dolor ad iugulum quoque exporrigitur, cum aliqua difficultate reſpirandi, & tuſſicula ſicca; quibus, multis abhinc menſibus, acceſſit febricula quædam, à prandio ut plurimùm inuadens; & præterea, ex ictu, ulcus in crure dextero excitatum fuit, tenui ſeroſitate manans, & acri, atque tribus abhinc menſibus, ſcabies moleſta ſuperuenit; à quo tempore, hæmorrhagia copioſa ſæpiſſimè ipſum infeſtauit; unde prauum habitum induere cœpit. Benè appetit, mediocriter concoquit, & aluum ſatis lubricam habet. De agendis conſulit.

Non deſunt nobis indicia affecti hepatis, licet ex ſolo colore hepaticos cognouerit ipſe Gal. [a] habemus autem, præter totius colorem corruptum, ex deprauata nutritione, dolorem in dextera hypochondrij parte, qui ad iugulum [b] vſque exporrigitur, cum aliqua difficultate reſpirandi, & tuſſicula ſicca; quibus tandem acceſſit febricula quædam, à prandio ut plurimùm incipiens, affecto iecori ſuperuenire conſueta, ut notauit Hippocr. [c] inueteratus enim iecoris affectus operatur putrefactionem, & febrem, ut dicere ſolebat Aetius cum Gal. Afficitur autem hepar inueteratis obſtructionibus, iiſque productis ab erroribus omnis generis, in uiuendi ratione, non parum conſpirante aere impuro, in quo commoratus eſt; ſiquidem cum Hipp. [d] habitatores paludum, & Lacuum facilè hepatici, & ſplenici fiunt. Obſtructiones autem, licet primo ſui ortu, à materia pituitoſa, & cruda, in uentriculo potiſſimum genita, & aliqua parte à capite tranſmiſſa productæ fuerint; nihilominus ab intemperie calida iecoris craſſefactæ, & exuſtæ progreſſu temporis redditæ ſunt, non ſine melancholici, & exuſti ſanguinis miſtione; unde impura tota maſſa ſanguinea reddita, neceſſariò ſecuta eſt totius deprauata nutritio; imò poſt copioſam hæmorrhagiam, ab irritata facultate expultrice, natiuo viſcerum debilitato calore, prauum habitum ad cachexiam procliuem inducre cœpit; quam tamen nonnihil cohibuit, atque præuertit vlcus cruris, à quo tenuis ſanies, & ſeroſitas acris manat; ſicut & ſcabies, ab eadem materia exuſta, ad ambitum corporis, tanquam totius uenoſi generis emunctorium, ab expultrice detruſa.

a 5 de Loc Aff. 7.
b Ibid.
c de Inter. Aff. 39. & 2 de Diff. Feb. 5.
d de Aer. Aq. & loc 55.

Status Patientis periculi plenus eſt; obſtructio enim, ex Auic. [e] omnium ægritudinum mater eſt; potiſſimum caſu noſtro, in quo ſebricula acceſſit, putrefacti humoris in eodem viſcere indicio; quæ nonniſi conſummatæ obſtructioni ſuccedere ſolet. Quare aut in tumorem inflammatorium deſciſcere, atque ita celeriter perniciem afferre; aut paulatim diuturna febricula corpus tabeſacere poteſt, uel eundem cachecticum reddere, uel ad hydropem perducere.

e 14.3. Tr. 2. Cap. 4.

Quæ mala ut præuertantur, ſumma medici diligentia, & Patientis accurata temperantia opus eſt; dum Medicus ipſe humores corruptos euacuare; inde modicis aperientibus obſtructiones auferre; febrilem calorem, ut opus eſt, moderari; maſſam ſanguineam purificare, & iecoris calidam intemperiem corrigere tentabit; hæcque omnia remediis, ex Chirurgia, Pharmacia, & Diæta deſumptis.

Atque omnium primò ſanguinis miſſio conueniet, ſecta in brachio dextero uena, medico præſente, ut ſi craſſus, & niger effluxerit, fluere permittatur; ſin uerò tenuis, & ſeroſus, ſiſtatur; quæ cautio ad uitandam hydropen omnino neceſſaria eſt. Quod ſi craſſus effundatur, ex venis ſedalibus repetatur eiuſdem miſſio. Præterea cauterium ſiniſtræ coxæ inuratur; ulcus autem dexteri cruris patens ſeruetur.

Ex Pharmaceutico fonte, primò depromenda lenientia, ex ſyr. roſ. ſol. & manna clariſ. cum

cum ℥ ſ. aq. cinnam. ſecundò ſequantur præparantia humores in primis uiis; quæ erunt iulap. acet. cortic. citri recent. alteratum, ad ℥ iii. cui immiſceatur crem. tar. ad ʒ iii. quotidie quinque dies; inde expurgentur humores in primis uiis præparati prædicto medicamento, additis ſyr. de polyp. ℥ ii. cui ſuperbibat ius hord. alteratum. Inde ad ualidiora præparantia humores deueniendum, non dulcia, quoad fieri poteſt; atque adeò primo die exhibeantur ſucci depur. cich. borrag. & agrim. ad ℥ iii. in iure cichorac. alterato, additis lupulis, & aſparagis. Sequenti uerò die, præbeantur bol. ii. ex ſucco cich. & eupat. condenſ. cum troch. de rhab. an. ℈ i. addito tartaro uittiol. ad gr. vii. à quibus bibat Pat. uel ℔ i. ſer. deſtill. uel cyathum aq. agrim. & cich. uel ius cichorac. alteratum. Sicque ſequenti die repetat ſucc. deput. altero die bol. his alternatis ſaltem uſque ad 20. dies, quo tempore ſpero Patientem omnino à febre immunem fore. Tunc uerò ad ualidiora deobſtruentia progredi poterit; cuiuſmodi erit ſyr. Fernel. cachecticus, addito rhab. apud nos euidenti utilitate uſurpatus, decem, aut duodecim dies, quotidie ſummo mane, ad ℥ ii. in ſemicyatho uini albi tenuis, non dulcis, nec auſteri. Quibus ſi non cedat affectus, exigua ſpes ſalutis ſupereſt; tuncque ad ſalſæ decoctum, in aq. cich. & agrim. paratum, accedendum fuerit, in quo per noctem inſundi poterit ʒ i. rhab. opt. præmiſſo bol. ex ſucco cich. condenſ. & ammoniaco, plures dies aſſumendum. Vt tandem diebus æſtiuis, ius cich. coma abſinth. alteratum, mane de more, ſumat, cum ſucco lim. Interim extrinſecùs quoque aliqua emollientia, & aperientia, moderatè tamen calida, hepatiſque tonum conſeruantia non erunt poſthabenda; quale foret ol. amygdal. in quo folia abſinth. macerata fuerint, ex Gal. uel ung. roſ. Meſ. cum medulla crurum uituli, ſucc. abſinth. & cera q. ſ. ad linim. mollis conſiſtentiam.

f 6. de Sanit. Tuen. 3 & 7.

Quibus omnibus congrua, & accurata uictus ratio erit addenda. Et primò quidem aer in meliorem mutandus, ſi poſſibile fuerit; mox abſtinendum ab alimentis, craſſi, uiſcidi, & glutinoſi ſucci, & eligenda, quæ facilis coctionis, diſtributionis, & pauci excrementi. Corpus ante cibum exercendum, à cibo enim labores g hepar obſtruunt. Coitus mittendus, Aluus ſolicitanda pil. aliqua de tribus cum rhab. additis gr. magiſt. mechoac. aut ialap. Et tandem alacriter, & erecto in ſpem animo, uiuendum conſulimus.

g Aduerſ. Eraſiſt.

LI.

IECORIS OBSTRVCTIONES.

VIr Nob. 40. annum agens, mediocris habitus, temperamenti calidi, & humidi, feruidi iecoris, liberè ſatis viuens, nouem abhinc annis, poſt Vxoris obitum, mœrere cæpit, & phlogoſin in regione uentriculi, atque æſtum in hypochondrijs inſignem pati; tribus verò abhinc annis, correptus fuit tertiana febre, vigiuti diebus perdurante, cum intenſo calore; in cuius curatione ſanguinis miſſio fuit neglecta, qui propterea à natura copioſus affatim fuit eiectus, tum vomitu, tum per aluum; à qua euacuatione, febris omnino ceſſit, & iudicata fuit. Verùm obſtructiones in regione iecoris, & meſenterij ſuperſtites fuerunt, feruorem circa præcordia ſemper ſouentes, mœſtitiæ nonnunquam cauſa. Hæ verò modò duræ ſatis percipiuntur, in lobo iecoris, ſuperiori potiſſimum, necnon in meſenterio. Nunquam verò accommodata, & neceſſaria remedia adhibuit. Modò de agendis pro ſalute conſulit.

Affectu hypochondriaco egregium Pat. multis abhinc annis, correptum fuiſſe exiſtimo, eoque melancholico; cùm iam ob uxoris obitum, mœrens, & phlogoſin circa ventriculum, ac æſtum in hypochondrijs, potiſſimum verò dextero pati cęperit. Quoniam verò hypochondriaci cruditates coaceruare ſolent, dum ab æſtu hypochondriorum uentriculo affecto, coctiones turbantur, nec iecur proprium munus ſanguificandi, ob calorem adauctum, obire poteſt; hinc bilioſorum excrementorum copia abundans in venis accumulata, ut caſu noſtro, & putrefacta, bilioſam febrem, tribus abhinc annis induxit; quæ medicis auxilijs, potiſſimum verò ſanguinis, quo redundat corpus, copioſa, tum vomitu, tum per aluũ ſpontanea euacuatione ſanata, & iudicata fuit. Craſſiores tamẽ humores non

 putre-

putrefacti, in hepate ſuperſtites, à libera uiuendi ratione poſtmodum adaucti, obſtructiones inſignes in eodem produxerunt; quæ tandē adeò inualuerunt, ut non ſolùm uaſis infarctæ; verùm & in iecoris carnem, & parenchyma, cum Auic. redundarint, ni propriè magis, huius duritiem tactui renitentem, tumorem appellare libeat, non immuni quinetiam ab iiſdem obſtructionibus meſenterio. A quibus omnibus feruorem circa precordia ſemper foueri, & quandoque ſine cauſa manifeſta timorem, atque mœrorem induci mirum non eſt.

Ab hoc autem affectu quamprimùm uindicandus eſt Pat. cui alioquin deteriora, eaque perniciosiora imminent mala; unde ab Auic. iecoris obſtructio mater omnium ægritudinum dicta fuit; minatur enim febrem, inflammationem, icterum, ſcirrhum, & hydropem.

Quare, Paſchate peracto, accommodata, & accurata inſtituenda purgatio euacuantibus, attenuantibus, incidentibus, detergentibus, & aperientibus, moderatis tamen (incidendi enim [a], at non ſiccandi humores) ac tandem roborantibus.

Quibus explendis, licet Gal. ſcribat,[b] quod *Venæ ſectio non purgat obſtructiones*; in diuturna tamen iecoris obſtructione curanda, [c] Paulus, & Auic. venæ ſectionem admittunt; unò Auic. [d] in firmata, à dextera, in nondum inueterata, à ſiniſtra baſilica ſanguinem educendum præcipit. Quare ſuis loco, & tempore, ex baſilica dextera ſanguis educetur; ut infrà dicemus. Cauterium quoque, ſi non geſtet, coxæ dexteræ inurendum.

[a] 5. Simpl. [b] 11. Meth. 14. [c] 3. de Re Med. 46. [d] 14 Tert. Tract. 2. Cap 6.

A fonte Pharmaceutico depromenda Lenientia, Præparantia, Purgantia, Aperientia, Alterantia, & tandem Roborantia.

Leniens eſſe poterit ſyr. roſ. ſolut. & de polyp. vel cum elect. lenit. in decoct. cord. diſſoluto. Primarum uiarum præparatio fiet ſyr. acet. cort. cit. alterato, & melle roſ. ſimpl. quinq; dies; humorum verò præparatorum expurgatio, ſyr. roſ. ſol. melle roſ. ſol. & manna.

Primis viis expeditis, ſecunda præparatio inſtituatur, ſuccis potius depur. quàm ſyrupis ſaccharatis; emollientibus enim eſt opus, Itaque. ℞. ſucci depur. cich. ℥ ij. borrag. ℥ i. decoct. cich. borrag. malu. end. agrim. ℥ v. m. pro ſyr. & ſic pro alijs; cui præmittatur iulap. acet. ad ℥ i. ſ. Octo verò, aut decem exactis diebus, præparati humores expurgentur infuſ. rhab. & ſennæ an. ʒ ij. cinnam. integ. ʒ ſ. aq. agrim. q. ſ. m. f. inf. colat. addendo ſyr. roſ. ſolut. ℥ vi. pro potu.

Inde ad validiora aperientia erit deueniendum, & quidem non breui temporis ſpatio. In quem finem, rhab. prærogatiuam obtinebit; cautè tamen exhibitum, ne magis exſiccentur humores, Sic. ℞. rhab. opt. ʒ ſ. flor. caſs. ʒ ij. m. f. b. quotidie præbendi; quibus hora poſt ſuperbibat decoct. cich. borrag. malu. end. pentaphyl. agrim. cum ℥ i. iulap. acet. decem dies. Mox reſumat potionem ex infuſ. rhab. agar. ſennæ, cum cinnam. integro, in aqua agrim. addendo ſyr. roſ. ſolut. cui, procedente euacuatione, ſuperbibat Pat. ſerum capr. depur. ad ℔ ij.

Poſtmodum repetantur deobſtruentia adhuc efficaciora, hæc ſcilicet. ℞. troch. de rhab. ſucci eupat. condenſ. tart. vitriol. an. ℈ ſ. m. ref. bol. & præbeantur quotidie, quibus ſuperbibat aquam ſtillat. agrim. ad ℥ viij. atque ſic decem alijs diebus. A quibus repeti poterit hoc purgans. ℞. decoct. epith. Meſ. ℥ iv. ſyr. roſ. ſolut. ℥ iii. aq. flor. citr. parum, m. f. p. & tribus horis ab ea, bibat ſerum, ut ſupra.

Iecoris verò caua obſtructionibus expedita, ad gibbam eiuſdem partem dirigenda medicamenta aperientia. vt. ℞. extract. de rhab. ſalis ammon. ℈ ſ. m. ref. bol. cui ſuperbibat. ℞. aq. ſtill. agrim. ℥ viij. ſpiri. tart. pluries rectif. ℈ i. m. pro ſyr. matutino, pluribus diebus aſſumendo, & ſexto quoq; die præbeatur caſſia ad ℥. ſ. cum ʒ ſ. pil. de tribus cum rhab. à quibus bibat ſeri libram.

Extrinſecùs quoque linimentum emolliens potius, quàm reſoluens adminiſtrari poterit, ex adipe anſeris, oleo de abſinthio reformato; & tandem, ad ceratum ex ammoniaco erit deueniendum.

Sic obliteratis, aut ſaltem ualdè imminutis hepatis obſtructionibus, pars ipſa, tum refrigeranda, tum roboranda uſu, plures dies, ſucci cich. ad ℥ iij. in decoct. cich. end. & hepaticæ, in qua ſal abſinthii, ad ℈ ſ. fuerit diſſolutus, uel iam dictæ decoctioni, cum ſucco præmittatur bolus, ex hepate Lupi, & ſale abſinthii paratus.

Quibus omnibus congrua addatur uiuendi ratio, attenuans, ac temperata; de more verò comedat decem amygd. amaras ieiunus. Fugiat comeſſationes, ac compotationes. Vitet exercitium à cibo; & alacriter viuat. Quæ omnia à D.O.M. Patienti ſalutaria precor.

LII.

DOLOR HEPATIS PERIODICVS.

MVlier Nobiliſs. 56 annum agens, temperamenti calidi & humidi, olim fœcunda, duobus abhinc annis, pati cœpit moleſtiam quandam circa ventriculi, & hepatis regionem, quæ licet non ſtatis diebus, ſtato tamen tempore, quatuor ſcil. horis circiter à cęna eam affligebat; à qua tamen moleſtiſſima affectione penitus conualuit, ſpontanea corporis euacuatione per aliquot dies. Superiori tamē anno circa feſta Natalitia eam iterum corripuit dolor, ſed moleſtior, adeò ut Nob. Pat. ſuffocationis metu, non ſolùm erecta ceruice reſpirare cogeretur; ſed & ob metum, & dolorem è lecto ſurgere, & ſedens plures noctis horas tranſigere coacta ſit, perdurante dolore circa dictam regionem dexteri hypochondrii, modò pungente, modò diſtendente; aliquando uerò adeo ſæuiente, ut ſuffocationem portendere uideatur. Hucuſque uerò à febre immunis fuit, præter leuiſſimam quandoque, ſęuientibus doloribus, obſeruatam.

Multa tentata fuere præſidia, in quibus aliquod ſemper leuamen ab euacuationibus percepit, & potiſſimum à decoctione epithymi Meſues, & aqua Tettuciana; quorum ope, excrementa plura, craſſa, viſcida, mucoſa excreta. Tandem ad partium corroborationem, & humorum reſolutionem præſcripto decocto ex china, lentiſco peſſimè habuit. Quare de agendis conſulit.

Dolorem, dextram hypochondrii partem epigaſtricam iamdudum aliquando, & tandem ſex abhinc menſibus, continuò affligentem, in hepate ſedem habuiſſe, & habere pro certo affirmandum, non quidem in conuexa tantùm, uerùm & in gibba eiuſdem parte; quinimò & in exteriori membrana idem uiſcus obuelante; cùm dolores modò diſtendentes ſolùm ſentiantur, ob copiā humorum uaſa replentem, modò & pungentes ſimul, à uaporoſa, ſed acri materia membranam diſtendente, ſimulque pungente, & quidem quatuor potiſſimum nocturnis horis ab aſſumpta cœna, dum cibus ingeſtus in prandio copioſior, nouo locum cedit, & hepar ſubit.

Hoc autem uiſcere affecto, reſpirationem quoque lædi mirum non eſt, imò neceſſarium ex Gal. [a] cùm enim iecur diaphragmati adhæreat, & ab eodem, ligamenti validioris ope, a 5. de Loc. Aff. 7.
pendeat, dum materia, tum liquida, tum flatulenta repletur, diaphragma ipſum deorſum trahit; unde difficilis eiuſdem eleuatio difficilem, & dolentem efficit reſpirationem.

Afficitur autem iecur à copia crudorum, & bilioſorum humorum replente, & à flatulenta materia diſtendente, ſimulque inter parenchyma, & membranam concluſa, eandem uellicante, atque pungente, præcedente ventriculi offenſa, uel ob improportionatum obiectum, uel ob eiuſdem imbecillitatem; quam materiam natura reſoluere tentans, in halitus, atque flatus conuertit, qui ad tunicam peruadentes, & continuum ſoluentes, dolores ſæuiores excitant, & ſeptum comprimentes, ſpirandi difficultatem adaugent, quo caſu, meſenterium ab obſtructionibus, & excrementis infarctis immune vix haberi poteſt. Hæc autem omnia ita ſe habere credendum, ſi morbum [b] oſtendit ſanatio; prima b 2. Aph. 17.
namque vice hiſce doloribus prorſus uacauit Nobiliſs. Matrona, à larga horum humorum per aluum ſpontanea euacuatione.

Quare experientia duce, paulatim, & per epicraſin, humorum præſertim craſſorum, ſed & bilioſorum expurgatio tentanda, naturam benè operantem imitati, eorumdem præparatione, atque viarum reſeratione non neglecta, & flatibus cautè diſcuſſis; cùm, *Quibus [c] hepar circumdolet, febris ſuperueniens dolorem ſoluat.* c 7. Aph. 54.

Quibus indicationibus ut ſatisfaciamus, cautè ualdè procedendum, in præparantium uſu, atque purgantium, ne plus æquo agitata, fuſa, atque liquata materia, iecoreque intenſius excalefacto, e venis effluat, & parenchyma eiuſdem ſubeat, ſicque tumorem, forſan etiam inflammatorium tandem excitet. De ſuffocatione verò non uidetur dubitandum

Digitized by Google

dum, cùm in partibus ſpititalibus materia nulla ſit; ſed, ut dictum eſt, ſeptum quandoque, deorſum depreſſum, quandoque à flatulenta materia extenſum, difficilem reddat reſpirationem, non parum fortè concurrente imaginatione.

Verùm tum ratione ſuffocationis, tum ad inflammationem arcendam, aliquam repetitam, ſed parcam, ex ſaluatella dextera, ſanguinis miſſionem non improbarem.

Purgans autem in uſu habendum eligerem, quod quidem humores ſolùm in iecore concluſos educere, non uerò à toto uenoſo genere ad illud attrahere poſſit, quod malum à validioribus quibuſlibet purgantibus metuendum foret. Ideo ad uſum ſyr. Ferneliani, iuxta noſtram deſcriptionem parati, Patientem Nobiliſs. perducerem, ad ℥ ii. alternis diebus, in iure, malua, & agrimon. alterato, duodecim, aut quindecim vicibus exhibendi; diebus uerò intermediis, ſuccos depurat. emollientes, & aperientes præſcriberem, ex cichor. malu. & agrimon. ad unc. iii. quibus addatur ℈ ſ. tartar. uitriol. in iure capil. Vener. ſonco, borragin. & cuſcuta alterato. A quibus ſi abhorruerit Patiens, ſubſtituatur aqua agrimon. & malu. ſtillat. in qua tartarum uitriolatum fuerit diſſolutum.

His peractis, euacuatione nondum ſuperſederem, ut nec ablutione ſimul, & omnium illarum uiarum humectatione; ſiquidem & materia cruda, à calore, glutinis inſtar, ut dicebat Gal. craſſa reddita, ut ad euacuationem apta reddatur, eget humectatione. Quare libenter ſerum ad plures libras propinarem, cum uehiculo ſyrupi, & mellis roſat. ſolutiu. quatuor, aut quinque uicibus exhibendum, quotidie, ant tertio quoque die; atque inde, ad aliquod diureticum deuenirem, ut meſenterio, & hepatis parte conuexa per aluum, euacuatis, gibba quoque, & lobus potiſſimum ſuperior, ventriculo incumbens expurgari poſſit. In quem finem, ſerum caprinum, aut aſininum deſtillatum, cum ſpiritu tartari, atque vitrioli, quotidie, ſummo mane offerri poterit; cuius loco, ſi proxima foret noſtris aquis B. V. Nobiliſſima Patiens, eaſdem magna fiducia exhiberem, primis uiis, iecorique omnino mundandis, atque huius calori, obſtructionibus, & doloribus adaucto, contemperando.

Poſt hæc verò, aliquam corroborationem ex uſu futuram ſperarem, non quidem decoctis, ſed medicamento ex abſiuthio parato; quale foret vinum abſinthite, uel eo melius, ſal abſinthii quotidie uſurpatus.

Interim, dum prædicta adminiſtrantur, aliqua diſcutientia erunt in uſu habenda, iniecta, & admota; ut Clyſteres carminatiui, flatus quidem diſcutientes; at non nimis exſiccantes; ſicut extrinſecùs fomenta, ex decoctione chamæmeli, meliloti, anethi, abſinthii, fœnugræci; neque ad ualidiora deuenirem; frequenter autem clyſteribus laxantibus uterer.

Et tandem congrua, atque accurata, hoc caſu, uictus ratio omnino neceſſaria, optimi ſucci, facillimæ concoctionis, atque diſtributionis, & pauci excrementi, ſummæ prudentiæ, atque ſapientiæ tuæ, prout reliqua omnia, notiſſima. Quæ ſolertiſſimæ tuæ curæ auſpiciis, optatum finem conſequentur.

IECO-

LIII.

IECORIS OBSTRVCTIO. Siniſtræ Partis Torpor, Stupor. Difficilis Reſpiratio.

NObiliſs. Comes, annum agens 45. temperamenti totius, à naturæ pri-
mordiis, calidi, & humidi, hepatis iuſto calidioris, & capitis humidio-
ris, ab ineunte ætate, liberam uitam ducens, multis, ac grauibus erro-
ribus in viuendi ratione commiſſis, potiſſimum uerò, more Germa-
norum, comeſſationibus, & compotationibus, immodicę quinetiam,
nec impuræ Veneri parcens; qui longa præterea itinera fecit, per im-
bres, per loca frigidiſſima, ac niuoſa; pedesq; in fluminibus, ac torren-
tibus tranandis ſæpius madefecit, diuque madentes habuit; multis ab-
hinc annis, utriuſque extremi pedis ſtupore, ac torpore laborat; po-
tiſſimum verò quatuor abhinc annis, ex eodem errore verſandi in aquis, peius ſemper in
hunc uſq; diem habuit. Interim Februario menſe proximè præterito, in febrem acutam, &
malignam incidit, à qua nunquam priſtinas vires, nec bonum habitum recuperare potuit;
imò quadrageſimali tempore, dum Cōcioni intereſſet, extempore ſenſu, & motu priuatus
omnino eſt, cum omnium actionum principum abolitione; à quo horæ quadrante libe-
ratus, veluti à ſomno expergefactus, omni malo vacauit; ſtupor tamen aliquis, & leuis tor-
por totius lateris ſiniſtri, & ſummorum digitorum manus, antea quoque obſeruatus, mox
potius augmentum ſuſcepit; prout motus quoque oculorum, cum viſionis diminutione,
ac aurium tinnitu; præter ſpirandi difficultatem, quam per interualla paſſus eſt. Quoniam
uerò ab hypochondriaca affectione immunis non eſt, cùm ad acidulas, & vitriolatas aquas
ſe conferret, febre tertiana in ipſo itinere correptus, Patauij decumbens, accommodatis
remedijs, quinto paroxyſmo fuit liberatus. Et quia iecur plures, & graues obſtructiones in-
farciunt; ideo aquarum uſum in aliud tempus diſtulimus; & de agendis inpoſterum, ut à
præſentibus malis uindicaretur, & ab imminentibus præſeruaretur Nob. Comes, ſequen-
tia præſcripſimus.

Morborum, atque ſymptomatum Iliadem, qua moleſtatur Illuſtriſs. ac Nob. Vir, ad tria
capita potiſſima redigemus, iecoris ſc. inſignes obſtructiones, continuum ſiniſtræ partis to-
tius corporis torporem, & difficilem; atque aſthmaticam reſpirationem, per interualla re-
currentem. Quarum affectionum cauſam à capite, tanquam ab equo Troiano emanare,
pro certo habēdum; unde non immerito Gal. dicere ſolebat, [a] quod *Catarrhus eſt omnium morbo-* — a 1. de Sanit. Tu. 8.
rum fons, & ſoboles, cuius vi totū corpus languere dicitur; ab Hipp. forſan mutuatus dicente [b], *Flu-* — b de Gland. 8.
xiones magno tædio, & moleſtia naturam frangere. Caput itaque Viri Illuſtriſs. à natura humi-
da intemperie præditum, eſſentialiter affectum cenſendum; ut uiſus diminutio, auditus
deprauatio atteſtari poſſunt; quæ tamen ab erroribus omnis generis in uiuendi ratione cō-
miſſis, quotidie intenſior facta eſt. Ideo catarrhi colluuies genita, & ad neruorum princi-
pia, potiſſimum ſiniſtræ partis medullæ ſpinalis, detruſa, ſpirituum animalium liberum, &
expeditum influxum intercepit, atque adeò ſtuporē quendam totius ſiniſtræ corporis par-
tis induxit, à pedum torpore diuerſum, dum animales ſpiritus illuc ad ſenſum, & motum,
confluentes, ab inſito pedum calore debilitato non ſuſcitantur; ſicque ſtupido ſenſu, &
torpido digitorum pedis motu laborat Vir Illuſtriſs. Sed quoniam à maligna febre facul-
tates omnes, tum concoctrix, tum expultrix ipſius capitis non parum labefactatæ fuere, &
debilitatæ, hinc portio aliqua tenuior materiæ catarrhalis, in cerebri uentriculis concluſa,
eoſdem obſtruens, ſpiritibus animalibus omnino uiam, & motum intercluſit; unde Vir Il-
luſtriſs. ſenſu, motu, cæteriſque actionibus principibus deſtitutus, apoplecticus horę qua-
drante iacuit; qua diſcuſſa materia, utpote tenuiori, liberatus eſt, nulla eiuſdē ad neruos ex-
pulſione, aut paralyſi, licet non ſine aliquo ſiniſtræ partis grauiori ſtupore. Mox validio-
ri reddita ipſa natura, cum ſuis facultatibus, noxia materia catarrhalis, in dies repullulans,

per

per infundibulum, ad aſperam arteriam, indeque ad pulmones detruſa eſt, quæ eorundem expultricem irritans, tuſſim moleſtam; in bronchiis verò fixa, ac iiſdem adhærens, aſthmaticam produxit affectionem, pro diuerſitate materiæ, modò tenuioris, modò craſſioris exiſtentis; cuius tamen maior pars, quoniam per œſophagum, tanquam per ampliorem, & faciliorem uiam transfluebat, vnà cum erroribus in viuendi ratione commiſſis, in ventriculo cruditates congeſſit, quæ in hepate coaceruatæ, eiuſdem obſtructiones inſignes procrearunt; ut proinde mirum non ſit, ſi has ſequatur tum hypochondriaca affectio, tum totius imminuta, atque deprauata nutritio.

Ab his autem affectionibus quamprimùm liberandus Illuſtriſ. Pat. grauiora ſiquidem mala minantur; hepatis enim obſtructio, cùm omnium ægritudinum mater ab Auic. appelletur, temporis progreſſu, Cachexiam, Hydropem, uel Tabem inducere poſſet. Stupor verò, atque Torpor à Rhaſi, via ad paralyſin dicitur; à Gal. [c] verò, modò quædam leuis paralyſis; modò diſpoſitio ad paralyſin nũcupatur. Nos verò addamus, niſi caput expurgetur, eiuſq; humida intemperies corrigatur, apoplecticam acceſſionem facilè denuò inuaſuram, vel Aſthmaticam affectionem, in orthopnoicam ſuffocationem migraturam. Et licet non adeò facilè ſanitatem inculpatam nos conſecuturos iuremerito putem; cùm non minus Viri Illuſtriſ. repugnantia, quàm affectuum peruicacia nobis negotium faceſſat; nihilominus ad longè meliorem ſtatum eundem redigi poſſe, non dubito. In quem finem, ſtatim inchoanda, imò peragenda curatio; etenim, quæ pro febris ſanatione adminiſtrata fuere, ſunt à nobis in hac curatione reputanda.

[c] 2. de Sympt. Cau 2. 2. de Loc. Aff. 3.

Præparationi itaque inſiſtendum, mox purgandum. Hepatis obſtructiones aperiendæ. Totum, & caput expurgandum. Pectus, ac neruoſum genus humoribus expediendum, & tandem partes omnes roborandæ.

Quouſque igitur domum fuerit reuerſus, in itinere, quotidie, quatuor horis ante prandium, ſumat ℥ iij. iulap. acet. cort. citri aromatiz. Domum uerò ubi peruenerit, aſſumat ſyr. roſ. ſolut. cum lenit. vel pot. ex manna clarif. addendo infuſioni conſuetæ ʒ i. rhab. opt. Inde inſtituatur præparatio humorum in hepate hærentium, ſyr. byzant. cum aceto, de eupar. & de cich. in decoct. cich. end. borrag. malu. agrim. & cuſcutæ, vij dies. Mox præparati humores expurgentur, infuſ. rhab. ſennæ, polypod. & modico cinnam. addendo expreſſ. ſyr. roſ. ſolut. cum diacathol. à quo medicamento, incepta euacuatione, bibat ſerum depur. vel aquam hordeaceam, uel Nocer. ad ℔ ij. duabus verò, aut tribus horis ab ea, prandeat.

His diligenter abſolutis, ad deobſtruentia ſtatim deueniendum eſſe cenſemus; humores enim vaſis impacti non excernuntur, niſi prius agitentur, attenuentur, atque incidantur, viæque dilatentur; quorum cauſa, aſſumat Vir Illuſtriſ. matutinis horis, bolos duos, ita paratos. ℞. ſucci cich. condenſ. extract. de rhab. an. ℈ i. tart. vitriol. ℈ ſ. m. ref. bol. ij. à quibus, hora poſt, ebibat aquæ agrim. ℥ viij. ſequenti uerò die, rhabarbarum maſticatum degluttiat ad ʒ ſ. hauſtis ab eo aquæ agrim. & cich. an. ℥ v. Tertio verò die, repetat extractum, cum tart. vitriol. ut ſupra, & ita alternatim procedat xv. dies. Mox capitis expurgatio curanda, & totius perficienda pil. ſequentibus. ℞. pil. aggreg. cochiar. præpar. aurear. an. ʒ ſ. m. ref. pil. ſummo mane aſſumendæ, & tribus exactis horis, bibat ius hordeo alteratum. Hæ verò quarto quoque die, tribus uicibus, aſſumendæ; & diebus intermediis, bibat matutinis horis hos ſyr. ℞. ſucci agrim. depur. beton. an. ℥ i. decoct. cich. borrag. end. ſaluiæ, hyſſopi ℥ v. m. pro ſyr. & ſic pro aliis. Interim mane, & per nares caput erit expurgandum, more tabaci, puluere ita parato. ℞. pulu. maioranæ, radic. Irid. Florent. an. ʒ ii. nigellæ ʒ i. m. & adducatur per nares, mane tantum. Maſticatoria verò ratione aſthmatis, ut ſuſpecta omittantur.

Ablatis obſtructionibus, purgato toto, & capite, eiuſdem intemperies humida eſt corrigenda, & materia neruoſo generi infarcta ſenſibiliter, & inſenſibiliter diſcutienda; ad quod præſtandum nullum in arte efficacius remedium decocto, cum ſudore uniuerſali in hypocauſto prolectato, quod hac formula, tum morbo, tum Pat. Illuſtriſſimo accommodatum maximè fuerit. ℞. ſalſæ electæ ℥ i. ſ. guaiaci rec. viſci querc. ueri, ligni ror. mar. an. ℥ i. ſaſſafras ʒ ij. aq. ſtillat. cich. ℔ ij. farfaræ, ſaluiæ an. ℔ i. m. f. inf. per horas 24. deinde bull. ad conſumpt. dimidij, & colat. ſeruetur pro tribus diebus, matutino tempore, hora vna ante ſudorem, aſſumenda; cui præmittatur pulu. uiperinus ad ℈ ſ. cum ℈ ſ. extracti ſalſæ, ut ref. b. qui præterquamquod neruoſam ſubſtantiã peruadere poterit, ſudorẽ quoq; facilem reddet.

In huius autem decocti, & ſudoris uſu, ad 40. ſaltem dies erit perſiſtendum, cum attenuãte, atque tenui, non tamen tenuiſſimo victu; ſiquidem panis biſcoctus, nuclei pinei potius, quàm amygdalę, & paſſulæ, erunt pro cibo quotidiano; & bis per hebdomadam concedi po-

terit

Digitized by Google

terit columba turricola, aut pullus iunior aſſus, vel caro vitulina aſſa. Potus quotidianus erit aqua huiuſmodi. ℞. reſiduum, detracto ligno indico, Aq. dulcis ℔. xv. m. bull. ad conſumpt. tertiæ partis; in fine ebull. adde cinnam. integri ʒ ij. bull. parum, & facta colar. in vaſe amplo, in eadem calente diſſoluantur ſacchari fini ℥ iv. m. pro potu; qui adhuc ſuauior parari poterit, ſi fruſtula citri rec. illi addantur. Decimo verò quoque die aſſumat Vir Illuſtriſs. pot. clarif. ℥ vi. ad aquam educendam, & eodem carnem elixam comedat; nunquam verò vinum bibat, neque ex cubiculo prodeat, corpuſque totum veſtibus benè muniat, & ab ambiente frigido defendat.

Dum verò hæc fiunt, toto 40. dierum ſpatio, ſutura coronalis, occiput, ſpinalis medulla, & pedum extrema erunt inungenda. Sic pro occipite, & ſutura coronali adhibeatur ol. ſuccini, ſummo digito parcè inungendo. Pro ſpina, ℞. ol. uulpini, lil. alb. an. ℥ i. de caſt. de euphorb. an. ℥ ſ. m. pro ſpinæ inunctione. Pro pedibus, ℞. ol. nucis moſch. per expreſs. parati ℥ i. aq. theriac. ℥ ſ pulu. caſtorei ʒ ij. m. reſ. linim. pro medii pedis illitu, bis, vel ſaltē ſemel in die.

Peracto ſudore, caput, & pulmones roborationem poſtulant. Sic mane ſumat Vir Illuſtriſs. conſeruam è floribus botridis, cum puluere pulmonis uulpis præp. Veſperi verò, ſub ingreſſum lecti, comedat conſeruam è floribus roriſmarini; aliquando verò è florib. ſaluiæ, & quandoque betonicæ. In vſu verò ſit, præ cæteris, rotula ex quinta eſſentia roriſmar. ore detenta, ita parata. ℞. ſacchari fini, diſſol. in aq. cinnam. ℥ i. ſ. quintæ eſſentiæ roriſmar. gutt. x. m. & ad ignem ref. rotulæ, ore detinendæ, etiam in ſomno. Sic de more emungat nares, digitis eadem quinta eſſentia madefactis, & iiſdem ſuturam coronalem ſæpè attingat. Conſueta verò pedum inunctio ita paretur. ℞. ol. nucis moſchatæ expreſſi ℥ i. ſpir. ſalis ℈ i. m. ref. Pro pedum illitu.

His omnibus congrua addatur viuendi ratio. Primò aerē fugiat inclementem, uentoſum, tum aquilonalem, tum auſtralem, nebuloſum, & imbribus prægnantem, aduerſus rigidum frigus, & humiditatem muniat pedes, & caput, imò & totum corpus.

Secundò vitetur cibi frequens ingeſtio; nil enim peius, quàm comeſtio ſupra comeſtionem, ut monet Auic. Sic hyeme, ientaculo mane ſit contentus; mox tardius prandeat, & cœnam mittat.

Inter alimenta, ea tantùm recenſebo, quæ à Viro Illuſtriſs. vt venefica, ſunt omnino ableganda. Omittantur itaq; inter carnes, ſuillæ recentes, agninæ, volucres paluſtres, & lacuſtres. Inter piſces, eligantur ſaxatiles, fluuiatiles, omiſſis reliquis, præcipuè anguilla, & tinca, necnon teſtaceis, & oſtreaceis. Lactaria omnia mala, & paulò minus lagana. Legumina omnia pariter peſſima, præter hordeum, oryzam, & quandoq; lentē, ſicut & ius cicer. rubeorum. Inter olera, omittenda lactuca, apium, allium, & fungi. Fructuum ſit rarus, & parcus uſus. Inter aromata, condimenti loco eligatur cinnam. & piper ruditer contuſum. Pro potu conſueto, vinum non ſit dulce, nec auſterum, modicè generoſum, tenuis ſubſtantiæ; ſugiat compotationes à prandio, & vini varia genera, ad menſam quinetiam. Claudat prandium conſerua roſ. uel, quod melius, duo, aut tria grana maſtiches integra deuorata.

Tertiò ſomnus ſit quidem longus, ſed nocturnus; vitetur verò pomeridianus; qui, ſi conſuetudini forſan ſeruiendum, ſit ſaltem breuis, & à ſedente captatus, minimè verò decumbente.

Quartò exercitium quammaximè neceſſarium, ſed ante cibum, ſi non ambulando, equitando ſaltem, aut in Rheda iter longius per ſaxa faciendo.

Quintò venter ad euacuationem ſolicitandus, niſi ſpontè benè reſpondeat, idque iure maluæ prima menſa, prunis decoctis in uino dulci, cum ſaccharo, vel paſſulis; ſed præterea ſemel ſaltem menſe, in uſum ducat, & familiares habeat duas harum pil. ℞. pil. maſtic. ʒ i. magiſt. Mechoac. ℈ i. m. reſ. pil. n. iv. & aur. pro duabus vicibus. Rara vero ſit ſemper Venus; ſed potiſſimum toto autumnali proximo tempore nulla.

Sextò alacriter uiuat, neque ſcribat, neque negotiis incumbat ſtatim à cibo. Quæ omnia ut optatum finem ſortiantur, D. O. M. enixè precor.

LIV.

ICTERITIA.

VIr Illuſtriſſimus, annum 60. agens, temperamenti ſecundum totum, ad calidum & ſiccum uergentis, at calidi iecoris, mediocris habitus, flauis capillis, cibis copioſis, potibuſque generoſioribus, toto vitæ curſu, liberè indulgens, tandem hyeme aduentante, extemporaneo aureo colore totius cutis, & potiſſimum albi oculorum correptus eſt, ſtatimque urina bile perfuſa continuò apparuit, & alui excrementa albicantia, conſiſtentia, quotidie ſpontè procedunt, pondus in latere dextero non habet, durities tamen in iecore ipſo tactu percipitur; multa expertus eſt remedia, tum deobſtruentia, tum expurgantia, hyeme elapſa, quæ cùm irrita fuerint, ab iiſdem medici conſilio deſtitit, & in Ver curationem diſtulit. Modò de agendis, pro ſalute, conſulit.

Adeò manifeſtus eſt affectus, quo tenetur Illuſtriſ. hic Pat. cùm ſenſui pateat, ut ſpeculatione non egeat eius nomenclatura; eſt enim Autigo, ab aureò colore dictus, ex Apuleio; aut Icterus ab auc Ictero, ex Plinio; aut iuxta Aretęum, & Aetium, ab Ictide, Muſtella ſyluestri, oculos aurei coloris habente. Symptoma [a] in excretis, non rectè ſeparatis, cauſa alterius ſymptomatis [b] in colore vitiato; cuius quatuor dantur differentię luteus, viridis, niger, & [c] albus. Lutei autem in præſentiarum cauſa, & cura indaganda. Hic igitur fieri poteſt nonnunquam, iecore etiam [d] non affecto; ſic in morborum [e] iudicationibus per abſceſſum; ſic Seruus [f] Imperialis à uipera commorſus. Ab epoto item ueneno [g], corruptis humoribus, corpus auriginoſum euadit. Ab imbecillitate [h] pariter attractricis, uel ſecretricis facultatis ueſicæ fellis; prout à nimia eiuſdem [i] uel repletione, uel obſtructione. Ita ab intemperie calida ſolidorum [k] corporum alimentum in bilem commutantium. Sæpiſſimè verò fit affecto iecore, aliquando ſola calida [l] intemperie; contingit enim, ut ob uehementem eiuſdem ęſtum ſanguis unà cum bile ſurſum impetu ruat, indeque corpus uniuerſum flaueſcat; uel ut ab eadem copioſiſſima bilis producatur. Et quoniam cognito affectu, curatio pendet à cognitione cauſarum, optimum, me iudice, fuerit, excludendas excludere. Et primò quidem iudicatoriè facta præſens non eſt, qnia non præceſſit morbus quiſpiam acutus. Non ab ictu uenefico, aut aſſumpto ueneno ortum habet. Non ab imbecillitate facultatis expultricis ipſius ueſicæ, quia tunc non derepentè, ſed [m] paulatim fit. Non à nimia repletione, quia dato medicamento bilem expurgante, copioſa bilis educta foret. Sic neque à bilis copia, ab hepatis calida intemperie genita: tunc enim non ſolùm vrinæ, ſed & fæces bile tingerentur. Non ab intempetie ſolidarum partium, quia eo caſu, paulatim increſcit, cutis arida eſt, cum prurigine totius: partes enim corporis nimio calore exuruntur. Quare tandem, caſu noſtro, duplicem conſpirare cauſam cenſeo, quarum altera tactu paret, rumor ſcil. durus, paruæ molis, in iecore; altera ratiocinatione facilè ſe prodit, obſtructio nempè; ex libera enim, & intemperata uiuendi ratione, haud difficilis fuit ſuccorum crudorum congeſtio (potiſſimùm uerò decſinante ætate) qui ex hepatis uaſis, in parenchyma eiuſdem tandem ſeſe inſinuarunt, cnius calore ex accidenti, ob inſarctum, augeſcente, copioſior bilis progenita eſt, unde iidem ſucci, diutius eo loco concluſi, à calore combuſti, durum tumorem, ſcirrhoſæ conditionis excitarunt. Horum autem aliqua portio à frigido ambiente inferius expreſſa, obſtruxit uas cholidochum (& forſan etiam ipſam veſicam felleam) deuehens bilem à iecore ad eandem, indeque ad duodenum inteſtinum, qua de cauſa fæces bile tingi nequeunt, & albicantes excernuntur eademque bilis in iecore ſuppreſſa, & eiuſdem transfluxu intercluſo, regurgitans in uenam cauam, cum ſanguine in totum diffuſa, aureo, & icteritio colore idem ſuffundit, urinaſque inficit; qui color iuremerito magis in albo oculorum effloreſcit, quia uenulæ eò deſinunt. Nouum autem uideri pòſſet, quod in hepatis tumore, & huiuſmodi obſtructione pondus, & [n] grauitatem in dextero latere non percipiat Illuſtriſ. Pat. aluuſque quotidie concocta excrementa deiiciat; cuius tamen ratio forſan fuerit, quod tumor non ualdè amplus ſit, ſed

a de Sympt. Diff. 4
b 3. de Sympto. Cauſ. 5.
c de Intern. Aff. 41
d 5 de Loc. Aff. Vlt.
e Ibid.
f Ibid.
g Ibid.
h Ibid.
i Ibid.
k Paulus 3 de Re Med. 50.
l 5. de Loc. Aff. Vlt.
m Paulus 3. de Re Med. 50.
n 5. de Loc Aff. Vlt.

cxi-

exiguus potius, & ſiccus, eiuſdem procul dubio conditionis, ac obſtructio cholidochi. Alui vero quotidiana excrementa concocta, non aliunde, quàm ab expultricis, & concoctricis facultatis robore procedere reor.

Affectus hic homines deturpans quidem [o]; uerùm & [p] grauis ob reſiſtentiam, quæ nobis eundem iam fixum, & conſtantem ſignificat; nam præterquamquod tumor durus in hepate tactu ſe prodit, metus quinetiam impendet, ne in uaſe cholidocho, aut ueſica fellea materia obduruerit in lapidis conſiſtentiam, quod obſeruauit Fernelius, & Patauii, in poſtrema Anatome, Fallopius [q] ipſe; tūc uerò, ſicut malum inuictum foret, ita à bile diù coercita in hepate, labefactara ſanguificatrice, aut in toto concoctrice facultate, cachexia, tandem, & hydrops, aut atrophia ſuccederent; potiſſimum uerò præſente tumore iecoris obduraro. Quamprimùm itaque, bona ſalutis ſpe, cùm nondum generoſiora expertus ſit remedia Illuſtriſſimus Vir, aggredienda curatio.

Quæ perficienda Lenient. Præparant. attenuant. ſcilicet & [r] emollientibus, Aperientibus, [s] Purgantibus, [t] & bilem in toto Reſoluentibus.

Duo uerò remedia [u] principem locum obtinent, Venæ ſectio ſcil. & purgatio; licet Purgationes [x] huic morbo ſint magis idoneæ, & familiares; imò ex Gal. [y] ſi Regio morbo laborātibus uenam ſecemus, in extremam perniciem ægrotantes præcipitamus; licet educatur aliquādo, ſi cū bile copia ſanguinis adſit, ut de cura icteri Gal. monet. At preſenti caſu, quo bilis exuperat, ſi prius non diminuatur eiuſdem copia, mittendus non eſt; cùm ſanguis ipſius bilis frænum ſit; & præterea quia icteritia hyemalis eſt, in qua ab [z] Hipp. omittitur.

In hac uerò curatione, ineunte Vere perficienda, cautè erit procedendum, nam ſi uena tundatur ad contemperandum iecoris feruorem, parcè mittendus erit ſanguis; cùm ſanguinis miſſio [a] non ſit remedium obſtructionum proprium; obſeruandumque, an uiger effluat: cuidam enim Icterico miſſus ſanguis totus [b] luteus apparuit. Nec erit poſthabenda reſeratio uenarum ſedalium. Proponitur etiam à Gal. [c] ſectio uenarum ſub lingua; ſicut & ab eodem [d] balneum ſudorificum, & frictiones aſperæ ante, & poſt eiuſdem uſum.

Lenietur uerò aluus elect. lenit. cum crem. tart. & pauca aloe. Præparabitur materia in primis uiis concluſa melle roſ. & iulap. acet. uel crem. tart. ſi dulcia ſuſpecta ſint ad ℥ ſ. in iure diſſoluto. Expurgabitur prima uice caſſ. cum lenit. & pil. de tribus; uel infuſione agar. rhabarb. & ſennæ, cum ſyrup. roſ. ſol. & lenit. ſuperhauſto iure maluæ, vel hord. Secunda præparatio perficietur ſyr. de ſucco borrag. de cich. de end. byzant. ſimpl. ſed quoniam ſaccharata in morbis bilioſis non ualdè tuta ſunt; ideo ſucci potius præferri poſſent, ad ℥ iii. uel iiii. in diluto ex cichorac. parato, additis cuſcut. agrim. pentaph. chamædr. praſſio, abſinth. & præmiſſo bolo ex extrac. rhab. cum tart. uitriol. Expurgabitur deinde paulò ualidioribus, craſſos potius humores, quàm bilioſos ſpectantibus, cuiuſmodi ſunt elect. diacath. diaphœn. uel pil. de tribus, cum caſſ. & lenit. uel ſupradicta infuſ. cum ſyr. roſ. ſol. de polyp. & iam dictis electuariis. Tunc uero opportuna erit decoctio epith. Meſ. ad ℥ vi. tertio, uel quarto quoque die, cui tribus poſt horis ſuperbibat ℔ i. ſ. ſer. capr. uel aſinini præpar. diebus vero intermediis aſſumat ſuccos cich. borrag. fumar. maln. præparatos, in præſcripto iure, & quidem quoniam [e] debilioribus purgantibus non cedit hoc malum, & quia bilem purgantia, ante humorum attenuationem, peſſima ex Actio [f], cui aſſentit Gal. [g] qui deobſtruentibus, poſtea bilem educentibus utitur; ideo ad ualidiora aperientia erit progrediendum. Et licet [h] Gal. ipſe glorietur, ſe unica purgatione illicò Ictericos ſanaſſe, icteritia fuit ex iecoris feruore, & bilis redundantia, abſque uiarum obſtructione. Accommodatiſſimus itaque fuerit uſus ſyr. Fernel. ad ℥ ii. in iure aperitiuo, aut vino albo tenui; cui ſi ſuccedat iuſta euacuatio, eius uſui inſiſtendum duodecim, aut quindecim dies; ſin minus efficaciora exhibenda aperientia, ut crocus Martis aperitiuus, acido ſulphuris paratus, cum extracto rhab. & ammoniaco, uel ſucco cich. condenſato, hauſto ab his iure, aperientibus alterato, & quarto quoque die exhibito eodem ſyr. Fernel.

His niſi ceſſerit malum, ualdè humectantia adhibenda, & à proprietate iuuantia; cui rei proponi ſolent Aquæ Thermales, Lucenſes, Calderianæ, B. Virginis, cum bolo ex lumbricis terreſtribus, & ſucco cich. Verùm mihi eo caſu conuenire magis uidetur uſus lactis aſinini, quia diutius humectat, quàm aqua; præterquamquod ad tophaceas, & lapidoſas materias diſſoluendas exhibetur ab Actio [i]. At ſi ſuperioribus remediis ceſſerit affectus, aquas potius eligerem, utpote magis refrigerantes, ad uiſcerum calorem contemperandum. Tandem Balnea humectantia ab Hipp. [l] proponuntur, ex decoctione alterata malua, uiolis, borragine, calendula, piloſella, quibus addit cucumer. ſylueſt. Ab his conue-

o Aret. 1. de Diut. Aff. 15.
p de Inter. Affec. 39.
q Fallop.
r de Loc. in Hom. 40.
s 2 de Nat. Hom. 27.
t de Purg. Med. Fac. 2.
u Aet. Tetr 2. Serm. 3. Cap 18.
x Aet. & Ruffus.
y de Purg. Med. Fac. 2.
z de Inter. Affec. 39
a xi. Meth. 14.
b Bratauolus.
c 9. per Loc. ex Archig.
d de Facile Parab. ad Solon. 34.
e de Cura Icteri.
f Ibid.
g 1 de Nat Hom. 27.
h de Purg. Med. Fac. 2.
i ad Piſ. 9. & Aet.
k Tet. 3. Serm. 3. Cap. 5.
l de Aff. 33

m Aret. lib. n xi. Simp. & Paulus ibid.

niunt aſperæ frictiones, inunctiones ex ol. amygd. feruefacto cum m roremarino. Ore verò, aſſumet ol. n ſulph. in ouo ſorbili, quotidie. Nec extrinſecùs prætermittenda emplaſtra emollientia iecoris gratia, ut de meliloto, vel de oeſypo humida; necnon luta D. Bartholomæi.

Victus ratio ſit leuis, & imbecillis, ex Auic. Ieiunus edat amygd. amaras, ex Gal. quam integram paucis perſtringit Hipp. 7. Epid. 35. his verbis. *Regio morbo correpto prodeſt laborare, ſudare, parum edere, & bibere, lauare caput calida multa tepida, vinum album bibere, ſomno non multo vti.*

LV.

HEPATIS OBSTRVCTIONES, cum Icteritia.

a Loc. in Hom. 36.

b de Aff. 21

SIcuti gratulor quammaximè, Illuſtriſsimum Filium à curatione, Vere præteriro peracta, non leue, ſed luculentum reportaſſe beneficium, dum lienis tumore imminuto, rotum a corpus floruiſſe fuit obſeruatum; ita me tæder, ac doleo, nouas in hepate obſtructiones exortas eſſe, totiuſque roſeum colorem in luteum permutatum fuiſſe, perdurāte tamen adhucnum lienis meliori ſtatu; quod quidem præter morem, & expectationem contigiſſe videtur; etenim quod à liene tumente, in conſenſum trahatur hepar ipſum, & ſpatio temporis ſuccedant hydropes, fuit iam ab Hipp. & à Gal. b pronunciatum his uerbis. *Tranſumptiones à Liene ad iecur ſunt periculoſæ; vtiles verò à iecore ad lienem.* Verùm quod liene in meliorem ſtatum redacto, hepar afficiatur, aliunde cauſa petenda eſſe videtur; quam ego nereor fuiſſe metaſtaſin humorum, qui antea meſenterium obſidentes, in eodem obſtructiones quoque fixas inuexerunt, cùm æſtate proximè præterita, ex aliquo errore ipſius Adoleſcentis genitæ cruditates, in meſenterio obſtructiones facilè producere potuerint, quæ licet reperitæ expurgationi, hoc anni tempore, ceſſerint; non tamen eductis, & euacuatis, ſed perductis potius, & per metaſtaſin transfuſis humoribus à meſenterio ad hepar ipſum, ualidè aperientium, non expurgantium medicamentorum ui; unde non ſola hepatis caua; uerùm & gibba quoque ab iiſdem excrementis, uiolenter eò raptis oppreſſa, atque obſtructa tactu ipſo obſeruatur. Conuexam autem partem obſtructam ſuppono, quia ictericus euadit Adoleſcens, cholidochi uaſis obſtructionis indicio.

c 3. de Part Anim. 7.

Quare præſens intentio noſtra hepar primariò ſpectare debet, purgatione, Vere præſenti perficienda; quantò enim c nobilitate, & excellentia iecur præcellit lieni (per accidens enim animali hunc eſſe neceſſarium aſſeruit Ariſt.) tantò grauiora mala ex eodem affecto uniuerſo corpori accidere ſolent, & præſertim Atrophiæ, uel Cachexiæ.

Expiatis itaque primis uiis, ſecundo loco meſenterij obſtructiones ſunt expugnandæ; quæ verò in iecore tertio loco referandæ. Quartò excrementitii humores in eodem, & toto uenoſo genere hærentes expurgandi. Et tandem pars affecta roboranda.

d xi. Meth. 14.
e 3. de Re Med. 46.

Quibus intentionibus ut ſatisfiat, ex fonte Chirurgico unica ſaltem eſt depromenda ſanguinis miſſio, ex iecoraria dextera, præmiſſis tamen iuſtis euacuationibus, quod ſi fortè ſanguis niger ualdè, & craſſus apparear, aperienda quoque ſiniſtra; parcè tamen ſanguine miſſo; etenim licet uenæ d ſectio obſtructiones non tollat, nihilominus, tum purgationem, tum uenæ ſectionem proponit Paul. e imò & ipſe Gal. humoribus copia, & qualitate peccantibus, miſſionem ſanguinis præfert, comparatiuè, non abſolutè ſuperius loquutus.

Secuta igitur primarum uiarum exinanitione, ad meſenterii obſtructiones expediendas erit cautè deueniendum, tum præparantibus, & aperientibus, tum purgantibus ipſis; aperientia quippe, & attenuantia paulò ualidiora humores non ſolùm præparant; ſed & ad hepar perducunt, eodem incommodo, quo & ualdè purgantia. Ideo paretur iulap. acet. aperiens, macerando quatuor radices aperientes in aceto, & aqua, ut mox facta expreſſione, cum ſaccharo fiat iulap. cui addi poteſt, uel crem. tart. in pollinem redactus, ad ʒ iii. uel

tart,

tart. vitriol. ſex grana tantùm, in pauca decoctione cich. borrag. end. pentaph. & petroſelini. Præparati uerò humores ſeptem, aut octo continuis diebus expurgari poterunt pil. de tribus, cum caſſia; à quibus bibat ſer. depur. aut aquam hord. ad caloris moderationem, necnon humorum commodam ablutionem. Inde ad iecur expediendum deueniri poterit; hoc tamen ordine, ut prius conuexa, mox gibba eiuſdem pars deobſtruatur. Et quidem in conuexa præparatio inſtituatur ſucco depur. cich. eupat. & agrim. ad ℥ iii. in decoct. cichorac. agrim. lupul. aſparag. & radice graminis additis; cui tamen præmittat bol. ex ʒ ſ. pil. de tribus cum caſs. ref. ita quotidie perſiſtendo, plures dies, ut ſimul viæ aperiantur, & excrementa craſſiora educantur; non omiſſo tamen medicamento purgante, exactis his diebus, uel infuſ. agar. rhab. & ſennæ, cum ſyr. roſ. ſolut. uel diacathol. cum pil. de tribus ref. quibus pariter ſerum, aut aquam ſuperbibat.

Expedita caua, gibba iecoris pars curanda, ualidioribus aperientibus, atque purgantibus, cuiuſmodi fuerint. ℞. extracti rhab. ℈ i. tart. uitriol. ℈ ſ. m. ref. bol. à quo bibat Pat. cyathum aquæ ſtillat. agrim. cui in progreſſu inſtillari quoque poterit ſpir. tart. rectif. ad gutt. x. Ammoniacum mitto, cùm iecoris obſtructi, non tumorum emolliendorum negotium agatur. Prędictis uerò præparantibus, atque aperientibus purgantia proportione reſpondeant, in quibus quoniam rhab. prærogatiuam habet; ideo ab eodem recedendum non eſt, hoc tamen diſcrimine obſeruato, quod ſicuti ſubſtantia cauam magis, quàm gibbam; ita infuſo gibbam magis, quàm cauam iecoris partem expurgat; cùm tenuiores partes, in infuſione amittat. Infundatur igitur ad ʒ ii. in aqua agrim. ſpica, ſenna, & polyp. additis, & expreſſioni ſyr. roſ. ſol.

Et ſi hucuſque omnino obſtructiones ſublatæ non fuerint, inſiſtendum erit uſui rhab. infuſi, in cyatho aq. cich. & agrim. ad ʒ i. quotidie, ſummo mane ad plures dies exhibendi.

Extrinſecùs quoque aliqua inunctio emolliens ita præſcribi poterit. ℞. ol. amygd. ℥ ii. butyri rec. adipis gallinæ, anſer. anatis, ol. nard. an. ℥ ſ. ſucci abſinthii ℥ ii. m. bul. ad conſumpt. ſucci; deinde adde ſchœnan. ʒ ſ. ceræ par. m. f. linim. molle.

Tandem aliquam iecori roborationem conciliabit abſinthium, uel forma conſeruæ, uel ſalis, uel uini medicati.

His omnibus congruam, & accuratam uiuendi rationem addendo, ut à medicamentis inſigne leuamen Pat. reportare poſſit, à Viro Excellentiſs. Adſtanti diligenter præſcribendam.

LVI.

ICTERITIA, CVM DOLORIBVS Hypochondriorum.

REuerendiſs. Abbas, annum agens 46. temperamenti calidi, & humidi ſecundum totum, iecoris tamen calidioris, atque adeò ad melancholiam procliuis, poſt febrem acutam, atque periculoſam, qua duobus abhinc annis laborauit, de imbecillitate uentriculi continuò conqueſtus eſt. Iam verò agitur annus, quo doloribus in abdomine, circa regionem meſenterij, periodicis quolibet menſe affligitur; qui tamen frequentius, iterum ſcil. tertiò, & quartò, quolibet menſe, imò & tertio, aut quarto quoque die inuadere ſolent; quibus icteritia ſuccedit, color ſiquidem totius flauus euadit, vrinæ pariter flauo colore tinguntur, & alui excrementa albicant, quæ tamen duorum, aut trium dierum ſpatio euaneſcunt. Quoniam verò, non modò moleſtus; verùm & frequentior euaſit affectus, de agendis conſulit.

In acutis febribus, lædi uniuerſum corpus, & potiſſimum partes principes, utpote quæ calor ſunt, naturæ inimicus, per uniuerſum corpus diffuſus, omnibus in confeſſo eſt. Iecur tamen a plurimùm accendi, & intemperie calida affici ab ijſdem febribus obſeruamus, prout in Reuerendiſs. Pat. noſtro, à cuius æſtu, ad meſenterium, atque ventriculum diffuſo, a 1. de Loc. Aff. 5.
concoctiones labefactatæ fuere, cùm non à quolibet, ſed à moderato calore perficiantur;

unde

unde iuges cruditates in Viro Reuerendiſs.ſemper productæ fuerunt, à ventriculi frigiditate, licet non poſitiua,ſed priuatiua, à prædicto exuperanti calore inducta; quæ cruditates,in meſenrerii regione fixæ,obſtructiones quaſdam in eodem induxerũt, à calore quodammodo exſiccaras,atque firmaras,ob quas cõcluſus calor,intenſior magis magiſq;in dies,ventriculum continuò grauius afficiens,cruditates ſemper accumulault, quæ primò, ſpatio menſis, mox hebdomadarum, tandem dierum, ea copia iuxta meſenterium ſunt coaceruatæ,ut primò in halitus, & flatus diſcuſſę, partes illas diſtendendo, dolores męſentericos, & hypochondriacos excirauerint; pondere uerò uas cholidochum comprimendo, bilis excretionem interceperũt,unde cùm alui excrementa tingi non potuerint,albicantia ſunt obſeruata; prout ad hepar, & venas eadem bilis refluens, totum corpus flauo colore, cum vrinis, infecit; veriſimile quippe nõ eſt, meatum cholidochũ ab humoribus craſſis,& viſcidis tunc temporis obſtructum fuiſſe; quoniam non adeò facilè, etiam abſque medicamentorum ope, obſtructiones oblitеſcere potuiſſent.

Affectus equidem moleſtus; qui quoniam ſemper magis inualeſcit, in dolores colicos, & iliacos deſciſcere poſſet, non ſine aliqua quoque illarum partium præcedente inflammatione,vel ſuccedente ſaltem. Ideo, ineunte Autumno proximo, omnia agenda, ut obſtructiones extirpenrur, indeque partium intemperies corrigantur, uentriculi ſcil. frigida, & calida iecoris, remedijs Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

Er primò quidem à Chirurgico fonte deſumenda repetita ſanguinis miſſio,nonniſi tamẽ præmiſſa primarum uiarum congrua expiatione, ex iecoraria dextera, prima, ex hæmorrhoidibus verò, ſecunda vice.

Ex Pharmacentico deſumenda Lenientia, Præparantia, Purgantia, Aperientia, & intemperies Corrigenria. Leniens itaque primò eſſe poterit, ſyr.& mel.roſ.ſolut.vel ſyr.roſ. cum elect. lenit. hauſto ab his iuſculo, malua, aut hordeo alterato. Primæ præparationi ſat erit oxymel ſimplex, cinnam.aromatizatum, ad ℥ iij. quinque dies; quam ſequatur expurgatio ſyr.roſ.ſol.& diacathol.cui ſuperbibat aquam hordeac. ad ℔ i. ſ.

Deinde ſecunda inſtituatur præparatio ſyr. de cich. de borrag. byzant. cum aceto, in decoct.cich.borrag.end.malu. agrimon. & radic.gram. ſeptem dies. Mox præbeatur infuſum rhab.agarici, ſennæ, & cinnam.in aqua end. addito ſyr.roſ.ſolut. à quo hauriat Reuerendiſ. Pat.ſerum capr. dep. ad ℔ ij.

Ab hac ſecunda expurgatione, ut cruditates è ventriculo omnino abſtergantur, idemq; quodammodo exſiccetur, & roboretur, aquam Tettucianam neceſſariam fore exiſtimamus, cum vehiculo deiectorio, tribus, aut quatuor continuis diebus exhibendam.

Quibus peractis, quoniam obſtructiones non omnino his ſublatas fore credimus, à quibus omnium malorum ſoboles: ideo ſyrupum Fernelianum,tanquam præſentiſſimum,atq; præſtantiſſimum,hoc caſu, remedium proponimus, decem, aut duodecim diebus, ad ℥ ii.in ſemicyatho uini albi aſſumendum.

Sic reſeratis obſtructionibus, tandem calor iecoris erit contemperandus; quod præſtari poterit,vel ſucco cich.ad ℥ iij.in iure cich. alterato,quotidie quindecim dies exhibendo; vel ſer. capr.deſtill. cum ſyr.de ſucco lim.ad ℔ i.totidem diebus aſſumendo.

Roborando verò ventriculo, paucis admodum opus eſt, cùm, ut dictum fuit, non eſſentialiter, ſed per conſenſum ab inferioribus partibus afficiatur. Sat Itaque fuerit, ſtatim à prandio, ſi Reuerendiſsimus Vir ℈ i. ſucci abſinthij condenſati deglutiat,forma pilulæ; poſt cœnam verò duo, aut tria grana maſtiches integra; ita namque ſatis corroborari poterit, ſine iecoris, & hypochondriorum noxa.

Quibus iam dictis congruà addatur uictus ratio. Alimenta itaque craſſi ſucci, & concoctu difficilia interdicantur, carnes ſc. bubulæ, ſuillę, paludoſorũ volatilium, caſeus, lagana, legumina omnia, piſces glutinoſi, ſquamis carentes, tubera, fungi, & inter fructus concedantur tantùm pepones, & fraga, necnon aliquando ficus, cæteris omnibus prohibitis.

Vinum non ſit dulce, non craſſæ ſubſtantiæ. Somnus ſemper concoctionibus prodeſt. Exercitium ieiuno uentriculo neceſſarium; & bis, aut ſaltem ſemel menſe, in uſum reuocentur pilulæ maſtichinæ, ad ʒ ſ.cum ℈ ſ.magiſt. mechoac.ac tandem moleſtas animi applicationes, atque perturbationes, ſi fieri poſſit, arceat. Quæ omnia Viro Reuerendiſs.Abbati, à Deo ſalutaria precamur.

IECORIS

LVII.

IECORIS INFLAMMATIO.

CLariſſimus Vir quadragenarius, temperamenti totius, & iecoris calidi, & humidi, mediocris habitus, liberè uiuens; ſed præſertim ſtrenuus uini meracioris, & dulcis potor, hac ineunte æſtate, poſtridie ſtatim à copioſo potu, circa meridiem, ſebre correptus eſt, eum horripilationibus inæqualibus inuadente, cui tardè, & nonniſi ueſpertinis horis calor ſucceſſit. Interim uomitus contigit materię tenuis, & amaræ, cum ſiti moleſtiſsima; necnon dolore grauante in latere dextero, leui tuſsi, ſine ulla materiæ excreatione. Dolor autem ſub coſtis mendoſis potiſſimum urgebat; uerùm uſque ad iugulum protenſus, cum ſpirandi difficultate; quo tota nocte adeò conflictatus eſt Pat. ut in latus affectum decumbere minimè potuerit, pręſertim ob agitationem à non leui febrili calore. Quare ſequenti mane Medicus domeſticus accerſitus, Pleuritidem adeſſe exiſtimans, iniecto ſtatim clyſtere, uenam medianam affecti lateris aperiri, atque hora poſt Flor.Caſs.cum pulu.liquiritiæ exhiberi iuſſit; pectori quoque inunctione ex Oleo Amygd. & Viol. adhibita. Expectorantia pariter ex Iulap. acet. & Syr. de Ibiſco, ueſpertinis horis, præſcripſit, & Aquam hordeaceam Iuiubis, & Siliquis alteratam, cum Saccharo, ad potum parari præcepit. Hiſce tamen, licet accuratè adminiſtratis, dolor non ceſſit, neque febris; quinimò hæc tota nocte eodem ſtatu perdurauit; ſicut & dolor quoque iiſdem ſymptomatibus comitatus, quibus inſuper acceſſit ingens cibi faſtidium, & frequens paucæ bilis uomitus cum tuſſicula, at ſine ſputis. Quamobrem, ſummo mane ſequenti, ego quoque unà cum medico domeſtico in Conſilium aduocatus, omnibus enarratis diligenter expenſis, partem dolentem contrectans, in hepatis regione tumorem durum, nec adeò exiguum deprehendi. Quare in hanc ſententiam ſermonem exorſus ſum.

Tanta intercedit ſimilitudo Pleuritidi cum Iecoris inflammatione, ut ſæpè alteram alterius loco habeant decepti medici; ut contigit Siculo Medico [a] ſe Pleuriticum exiſtimanti, quem tamen Iecoris inflammatione laborare primo intuitu, cum Glauconis admiratione agnouit ipſe Gal. ex pulſu, ſpirandi difficultate, pauca tuſſi, & arida, ſenſu grauitatis, & dolore ad iugulum diffuſo. Quare nil mirum, nos etiam, circa artem coniecturalem uerſantes aliquando decipi; iecoris ſiquidem, non pleuræ inflammatione Clariſsimus iſte Patiens diuexatur. Neque nos fallere poteſt inflammatio inter tranſuerſales & obliquos muſculos aliquando ſuborta, quæ contigit Steſiano, [b] & Medicos illius temporis decepit; etenim tumor hoc caſu ſatis immerſus, & ſub muſculis tactu obſeruatur; præterquamquod nec febris adeò uehemens eſſet, nec cætera ſymptomata adeò grauia, quæ iecoris inflammationem certò ſignificant; præter durum quippe tumorem, tangenti manifeſtum, dolor adeſt [c] grauans potius, quàm pungens, pro partis conditione, obſcuro præditæ ſenſu; qui uſque ad iugulum propagatur, cum difficili reſpiratione; quoniam ſepto iecur per ligamentum appenſum eſt; quinimò quandoque contingit, ut coſtæ nothæ etiam doleant, ſi, ut in quibuſdam, iecur ope membranæ iiſdem annectatur. Exigua quoque tuſſis excitatur, à calore quodammodo irritante ad ſeptum, & ſpiritales partes diffuſo, quæ propterea arida eſt, & ſine ſputis. Bilis uerò uomitus fit ex portione ſanguinis ab inflammato iecore corrupti, atque in bilem conuerſi, ab expultrice in uentriculum tranſmiſſi, & ab eo uomitu eiecti. Nec mirum urgere ſitim, & appetentiam [d] deiici, calore à iecore in uentriculum propagato, præſertim à uehementi febre, quæ utpote ab inflammatione dependens, hepatica, & ſymptomatica ab Antiquioribus [e] dicta eſt.

[a] 5. de Loc. Aff. 7.
[b] Ibid.
[c] Ibid.
[d] Omnia Ibidem.
[e] 2. in 6. Epid. 29.

Affectus igitur idea deprehēſa, difficile non fuerit cauſas eiuſdem indagare; inflammatio enim, à ſanguine dubio procul genita eſt, qui purus quidem foret, & legitimam inflammationem excitaret, ratione totius, & iecoris temperamenti; at quoniam conſuetus uini meracioris uſus, conſpirante nonnihil etiam ætate, iecoris, ſanguiniſque feruorem auxit; ideo potius à ſanguine bilioſo productam eſſe credendum; qui quantitate, & qualitate na-

turæ

turæ moleſtus, cùm ab arteriis in iecur effuſus, rurſus in uenas non remeatit, in hepatis non ſolùm uaſa, ſed parenchyma quinetiam transfuſus, & cohibitus, iecur ipſum in tumorem inflammatorium eleuauit. Et quamuis nulla inflammatio, [f] aut cauam, aut gibbam tan-
f Ibid. tùm partem obſidere ſoleat; multò maior tamen manifeſtè apparet in gibba, ut ex tactu, dolore inter reſpirandum ad iugulum uſque protenſo, cum tuſſi moleſta, ſed arida facillimè coniici poteſt.

g de Sang. Miſs.19 Inflammatio hæc, ut incipiens, fluentis [g] ſanguinis reuulſionem indicat; atque hic, prout copia peccans, euacuationem. Mox repellentia conueniunt; inde repellentibus aliqua digerentia addenda; poſtea repellentia, & digerentia æquis partibus commiſcenda; poſtremò digerentia ſola uſurpanda. Febris uerò, licet ſymptomatica, refrigerationem, & humectationem poſtular.

Quibus intentionibus ſatisfacere aptiſſimè iam incepit Excell. Vir, licet admodum incertũ ſit, an reliqua æquè explere poſſimus, cùm dubius adeò ſit acuti huius morbi euentus,
h 10. Meth.5. ut huiuſmodi inflammationes, etiam in ualentioribus [h] lethiferæ eſſe ſoleant, & potiſſi-
i 2. in 6. Epid. 14 mum præſenti caſu, quo [i] conuexa magis, quàm concaua pars inflammata eſt. Attamen quoniam tum propria, tum opportunè adhibita fuere medica auxilia; & præterea quia
K 10. Meth 5. uirium robur conſtat, in quo ſalutis ſpem reponebat Gal. [k] neq; corpus calidum, & ſiccum eſt, tunc enim ut plurimùm ægri [l] moriuntur; ideo præſenti animo in curatione progre-
l Ibid. diendum.

Atque in fonte Chirurgico, cùm ſtatim Sanguis extractus fuerit reuulſionis gratia, modò id repetendum reuulſionis, & deriuationis cauſa. Et quamuis in maximis inflammationibus menſura euacuationis ſit animi deliquium; nihilominus, noſtris temporibus, cum Auic. multiplicationem potius numeri, quàm quantitatis eligimus, partitis vicibus, ut
m 12. Meth.1. maior fiat Antiſpaſis, ſanguine educto. Quare iecoraria [m] affecti lateris aperiatur, & ſan-
n Aduerſ. Eraſiſt.4 guis ad libram educatur; etenim per uenæ [n] ſectionem inflammationes celerrimè euacuantur. Statim autem repellentia ſunt applicanda, quibus ſemper aliquod [o] odorum, & aro-
o Art Mod.95 maticum commiſcendum. Sic Abſinth. in Oleo Roſac. maceratum appoſuit Gal. [p] quini-
p 14 Meth. 5. & 11. Meth 6 mò ponticum, vt magis adſtringens elegit, qui etiam Roſam, [q] ut medelam increſcentium inflammationum uſurpauit; præterea Emplaſtrum [r] parari iuſſit ex pulpa Cydon. Myrob. & pulu. Ireos. Nos autem vti ſolemus ſucco Cich. depur. additis ſpeciebus Trionſant. &
q 3 Simpl. 16. aceto Roſ. pro Epith. Vel Vng. Santal. Oleo Roſ. & pauco Abſinth. ſucco refor. quæ omnia ſemper [s] tepida, nunquam frigida adhibenda. In progreſſu uerò ſucci abſinth. copia
r 10. Meth.16. augetur, & ſpecies trionſant. remouentur, & Olea adduntur laxantia, vt Amygd. Cha-
s 13. Meth.12. mæm. Liliac. ſed prope finem; ſemper tamen omnibus laxantibus, & reſoluentibus adſtringentia aliqua commiſcenda, ne in [t] Attali Theſſalici errorem incidamus, qui Thea-
t 13. Meth. 15. genem Philoſophum Cynicum, Iecoris inflammatione laborantem, ſolis laxantibus enecauit.

A fonte Pharmaceutico reliqua depromenda remedia. Et quoniam Caſſia aſſumpta iam primæ viæ expeditæ fuerunt, alterantia exhiberi poſſunt, vt Serum Aſininum, uel depur. uel deſtillatum; decoct. Cich. End. Acet. Sonci. Hepaticæ; Succi depur. atque filtrati Cich. Sonci, End. in decoct. præſcripta. Verùm ego Aquas potius ſtillatitias, de ſucco Cich. End. & Acet. exhibere ſoleo, ad ℔ i. ſ. uel ii. cum uehiculo diuretico Syr. de ſucco Lim. Etenim decoctiones, & ſucci diutius in uentriculo morantur, cùm aliqua coctione egeant; ſicque refractis uiribus refrigerantia ad hepar perueniunt. Serum uerò depur. non adeò facilè permeat, & deſtillatum igneam quandam qualitatẽ in deſtillatione acquirit, quę Aquis, utpote impenſius refrigerantibus, non inuritur, nec conſeruatur. Obſeruanda
u 1. Acut. 43. autem Gal. [u] cautio, ne quicquam actu frigidum exhibeatur; frigida enim partem denſant, & crudos reddunt humores.

Clyſteres interim molles, atque refrigerantes iniiciendi ex Lacte, Butyro, & Sacch. Vel ex decoct. Malu. Viol. addito flore Caſs. vel Syr. Roſ. ſol. cum Oleo Amygd. aut Violac. Iam dictis uerò medicamentis appoſitis, & refrigerantibus per os aſſumptis, obſeruandum quò natura uergat; materia enim, inflammationis cauſa, non ſolùm inſenſibiliter digeritur; uerùm & ſenſibiliter per aluum, ſi caua, per urinam, ſi conuexa hepatis pars laboret,
x 3. de Criſ.3. expurgari [x] ſolet, & ſi utraque, utraque etiam obſeruatur euacuatio. Nos itaque naturæ
y 13. Meth.18. imitatores, & eiuſdem rectè operantis miniſtros eſſe oportet. Quare, ſi aluum petat, Clyſteres acriores ſufficere ſolent, ad eiuſdem naturæ motum adiuuandum, ex decoct. Malu. Bet. Mercurial. cum Syr. Roſ. ſolut. uel Elect. de ſucco Roſar. Si uerò ad urinæ uias tendat

mate-

Digitized by Google

teria, quod facilius fieri poterit caſu noſtro, quo conuexa magis, quàm concaua pars læſa obſeruatur, tunc Aqua huiuſmodi præſcribi, & exhiberi poterit. ℞. Seri Aſin. depur. ℔ v. quatuor Sem. frigid. an. ℥ i. Rad. Gram. Pentaph. an. ℥ i. Folior. Capill. Ven. Agrim. an. m. i. contund. contund. incidenda incidant. & macerentur in Sero per noctem; & ſequenti die deſtillentur, ut fiat Aqua, ad ℔ i. exhibenda, addito Syr. de Succo Lim. Hoc etiam tempore applicetur Emplaſt. de Melil. utpote emolliens, ac digerens. Quæ uera, atque legitima huius inflammationis cura, eiuſdem ſuppurationem omnino prohibens; etenim ſi ad ſuppurationem tranſeat, neque curatio proponenda; dum enim pus in iecoris ſubſtantia conficitur, actum eſt de ſalute, ac uita Patientis; quod malũ ominari poſſemus caſu præſenti; tunc enim tantummodò ſpes ſalutis ſupereſt in ſuppurato iecore, quando pus confectum, inter iecoris tunicam, & eiuſdem ſubſtantiam congeſtum eſt; ſecti namque, aut uſti Patientes euadunt; unde dicebat Hipp. [a] *Quando hepar ſuppuratum aduritur, ſi pus purum fluxerit, & album, euadunt; in tunica enim his pus continetur; ſi verò qualis amurca, pereunt.* (a 7. Aph 45.) Addamus nos, quia pus in parenchymate concluditur.

Quibus omnibus congrua erit uictus ratio addenda, cibos, & potus [a] dulces uitando. (a 2. de Al. m. Fac. 8) Quare cibos tenuis ſubſtantiæ, non acres, non dulces, non adſtringentes exhibet ipſe Gal. [b] (b 13. Meth. 14.) qui commendat quoque priſanam, in cibis; quia ſine morſu detergit; ſicut in medicamentis Oxymel Aqua miſtum; cuius loco, uigente inflammatione, nos Arabum exemplo, ſucco acido Cit. & Lim. cum Sacch. uti ſolemus; prout in declinatione, Acetum cum Sacch. Iulapium ſcil. acetoſum permitti poteſt. Quod uidit quoque idemmet Gal. dum Mulſam inutilem eſſe [c] aſſeruit, quia in bilem uertatur. (c 11. Meth. 19.) Hæcque tanto malo expugnando, dicta ſufficiant.

LVIII.

IECORIS OBSTRVCTIONES, & Tumor durus.

PAt. Reuerendiſs. ætatis ſuæ annorum 50. temperamenti antehac calidi, & humidi, habitus carnoſi, & ad plethoricum vergentis, in uiuendi ratione, & poriſſimum in cibo. & meraciori potu liberè uiuens, elapſo anno correptus fuit doloribus vehementiſſimis in utroque hypochondrio, ſed potiſſimum dextero, qui ad pectus, imò ad iugulum uſque perueniebant cum difficili reſpiratione; quibus, medicis auxilijs, & prętertim clyſteribus, fuit liberatus, nunquam tamen priſtinam ſanitatem recuperauit; etenim & rugitus, & ructus, & alui deiectiones, quandoque crudas, atque liquidas inde paſſus fuit, ac tandem menſe Ianuario proximè præterito, iiſdem, ſed vehementioribus doloribus fuit rurſus correptus, aliquot dies perdurantibus, & febrem inducentibus, qui pariter medicis auxilijs, abſque ulla tamen ſanguinis miſſione, unà cum febre receſſerunt, & reliquerunt grauitatem quandam in hypochondrio dextero, & dolores quoſdam, quandoque ad pectus propagatos cum iiſdem rugitibus, atq; ructibus aſcendentibus, & quod peius eſt, cum vitiata nutritione totius, non ſolùm deprauata, verùm etiam imminuta, cùm decolor & conſueto gracilior ſit. Nonnunquam verò liquidiora excrementa excernuntur per aluum, & tactu iecur durum percipitur, non ſolùm in lobo ventriculo incumbente, verùm etiam ſecundum ferè totam eiuſdem ſubſtantiam. Quare modo de agendis conſulit.

Dolores legitimos hypochondriacos nominandos eſſe, à parte affecta cenſemus, qui Reuerendiſs. Patientem iterum, atque iterum corripuerunt; propriam enim hypochondriorum regionem obſederunt; unde hypochondriaca ſymptomata, nunc, & olim obſeruata fuere. Hi autem originem duxerunt à materia vaporoſa, aut potius fuliginoſa, exhalationis potius ſiccæ, quàm uaporoſæ, ac humidæ conditionis particeps; quia maxima parte à ſicca, ac terrea minera obſtructiones producente, eleuatæ fuerunt; etenim eruditates, ex liberaliori viuendi ratione, præteritis annis genitæ, atque cumulatæ, & tum in venis lacteis; tum in iecore diutiùs fixæ, non ſolùm ab eorundem viſcerum calore, ſed & à conſueto me-

ri potu, earundem parte tenuiori, ac humidiori conſumpta, craſſiorique relicta, ſiccitatem contraxerunt, atque in iiſdem partibus ſedem firmarunt, quæ tamen iugiter adauctæ, & uaſorum capacitatem exuperantes, in iecoris parenchyma ſeſe inſinuarunt; quo tempore dolores inualuerunt, ſicque præter obſtructiones, durum quoque tumorem excitarunt, non tamen inflammatorium, utpotè ab exſiccata materia productum.

Quæ omnia coctiones, tum in meſenterio, tum in iecore obturbarunt, unde cruditatum, in dies congeſtarum, pars utilior ad uenas influens, maſſam ſanguineam inquinauit; inutilior uerò in prima regione coercita, uiam ſibi ad effluxuum parãs, aliquando fluidam aluum reddidit, quandoque verò non excreta, & congeſtis iam ſiccis humoribus immiſta, in uapores, ac exhalationes conuerſa, copia diſtendens, & acrimonia, atque aciditate uellicans, atque mordens, ſæuiſſimos dolores in hypochondriis, & potiſſimum Iecore excitauit, qui ad iugulum uſque pertingebant, ob iecoris ligamentum, difficilemque reſpirationem efficiebant, tum ob eandem cauſam, tum ob exhalationes ſeptum comprimentes. Quibus omnibus poſtremò febris quoque acceſſit, ex accenſis à doloribus ſpiritibus; quæ ideo cum iiſdem euanuit.

Affectus grauis, nec ſanationis facilis; grauis quidem, quia ſicut omnia bona à iecore, & uentriculo nobis proueniunt, ita & ab iiſdem omnia mala; unde iuremeritò ab Auicenna, ſola iecoris obſtructio [a] mater omnium ægritudinum dicta eſt; minatur enim febrem, inflammationem, icterum, ſcirrhum, & hydropem, à Gal, [b] id mutuatus. Ægrè autem ſanabilis, cùm non in ſolis uaſis deliteſcat, uerùm & in uiſceris carnem humor effuſus ſit. Attamen quoniam, quod durũ eſt, plenum potius, quàm ſiccum habetur, ac proinde nondum prorſus ſcirrhoſum, necdũ Pat. ualidiora fuit expertus remedia, ideo ſalus deſperãda nõ eſt.

a 14 Tert. Tract. 2. Cap. 4.
b de Succ. Bon. & Vit. 2.

Caura tamen ualdè inſtituenda curatio, primas uias diligenter expediendo. Secundò obſtructiones meſenterii, & iecoris cauæ, tertiò carnis, & gibbæ eiuſdem partis auferendo. Quartò intemperies tum iecoris, tum uentriculi corrigendo. Et tandem eaſdem partes roborando.

Quibus explendis, in fonte Chirurgico, conſideranda primò ſanguinis miſſio, quæ licet non ſit obſtructionum remedium; [c] attamen conuenit caſu noſtro, quia corpus fuit plethoricum, nec in præſens adeò extenuatum: & præterea ut iecoris calor contemperetur, ne magis adurantur humores; uenoſum genus facilius putrificetur; utque humoribus à ſanguinis miſſione motus aliquis concilietur. Educatur autem à iecoraria dextera; uerùm non ante primas uias accuratè euacuatas. Venæ quoque hæmorrhoidales aperiri poterunt; parcè tamen ſanguine educto. Cauterium quoque coxæ dexteræ inurendum.

c xi. Meth. 14.

In Pharmaceutico fonte, omnium primò uentriculus euacuetur, ſyr. & melle roſ. ſolut. uel elect. lenit. & tart. Mox præparentur humores crudi, & pituitoſi recens geniti, necdum exſiccati, iulap. acet. cort. cit. aut cinnam. alterato, & polline tartari, uel melle roſ. ſine diluto; & quinque, aut ſex exactis diebus, repetatur iam præſcriptum medicamentum. Inde ad humorum in meſenterio hærentium præparationem deueniendum, qui quoniam ſiccitatem aliquam adepti ſunt, ideo aliqua quoque humectatione egent. Quare ea perſici poterit decoct. cich. borrag. end. meliſsæ, cort. cit. cum ℥ i. ſucci borrag. depur. præmiſſo iulap. acet. ad ℥ ii. cum ʒ ii. renuiſs. tart. & quidem ſeptem dies. Quibus ſuccedat expurgatio ſyr. roſ. manna clarif. & lenit. uel caſſia, lenit. & diacath. bolis refor. à quorum uſu bibat Pat. ius hordeo, aut malua alteratum.

Inde ad iecoris cauam deobſtruendam progrediendum, ſuccis potius, quàm ſaccharatis, cich. ſcil. borrag. eupat. deput. an. ℥ i. in decoct. cich. borrag. end. lupul. pentaphylli, cuſcuræ, in qua diſſoluantur gr. x. tart. uitriol. x. uel xii. dies, quorum intermedio, caſſia, uel lenit. cum ʒ ſ. pil. de tribus, ad minorationem exhiberi poterunt; ſub finem uerò infuſio rhab. agarici, ſennæ, cum integro cinnam. in aqua agrim. additis ſyr. roſ. ſolut. & de polypodio; vel repetatur lenit. cum ʒ i. pil. de tribus, quibus ſuperbibat aquam hordeaceam, aut ſerum depur. ad ℔ i. ſ. Verùm hoc caſu opportuniſſimus erit uſus ſyr. Fernel. cum rhab. ad ℥ ii. in ſemicyatho uini albi, nec dulcis, nec auſteri, Ferneliano more, decem, aut duodecim dies; mirum enim in modum caua uiſcerum explicat, atque emundat.

Quibus peractis, ualidiora aperientia, ad hepatis viſcus penetrantia, erunt uſurpanda, qualia erunt ſucci depur. cich. borrag. ſonci, capil. Ven. agrim. cuſcutæ, praſſii, lupul. aſparagorum; præmiſſo bol. ex troch. de rhab. & ſale ammoniaco paratus. Egregiè quoque deobſtruere ſolet aqua deſtillata agrim. ad ℥ viii. cum ℈ i. ſpirit. tart. pluries rectificati, præmiſſo bolo ex ℈ i. extracti de rhab. cum granis v. ſalis ammoniaci. Quorum uſui inſiſtendum

dum ad uiginti dies, interpoſito uſu pil. de tribus, ut ſupra.

Nec ad ualidiora deobſtruentia, hoc uerno tempore, deueniendum; reliquias enim, autumno aduentante, Chalybis uſu prorſus elidere, & extrudere tentandum fuerit. Quo tempore opportunus erit uſus noſtri Circulati Aperientis, ab uno ſcrup. ad ſemidrachmam in liquore aperitiuo 20. aut 30. diebus exhibendi.

Externa interim emollientia, & deobſtruentia regioni iecoris apponenda; qualia eſſe poterunt. ℞. diachyl. ℥ i. ſ. ammoniaci, bdellii aceto diſſol. an. ℥ ſ. adipis anſeris ℥ i. ceræ, reſinæ an. q. ſ. m. & ad ignem reſ. ceratum, alutæ inducendum.

Iecoris uerò, & uenarum intemperies cautè corrigenda, ſucco nimirum cich. ad ℥ iii. in iure, ſonco, & bortagine alterato, ad uiginti dies aſſumendo. Et tandem conſerua abſinthii pontici, uel ſucco eiuſdem denſato, ad ℈ i. aliquot dies deglutito, uentriculo, & iecori, eodem tempore, robur addi poterit.

Quæ omnia comitetur congrua, atque proportionata uictus ratio, attenuans, cruditates uitando, ut uoti compos fieri poſſit Reuerend. Patiens.

L I X.

TVMOR HEPATIS SCIRRHOSVS.

MAtronam hanc, quadrati, & carnoſi habitus, temperamenti totius, calidi, & humidi, hepatis verò calidioris, ac proinde ſubmelancholicã, frequentibus partubus fœcundiſſimã, plurimo, & craſſo ſanguine redundantem ſignificarunt nobis lochia imminuta in puerperio; quorũ ſupplemento, licet ſanguis ex ſaphena fuerit ſemper extractus, refluebat tamen, modò ad mãmas, modò ad caput, modò ad regionẽ coſtarum, non parum proinde Pat. ipſi moleſtus. Veriſimile autem, redundantem huiuſmodi ſanguinis copiam, nunquam ſatis, ob eiuſdem craſſitiem, à iecoris feruore inductam, per viam regiam, & communem, uterum ſcil. expurgatam fuiſſe; unde craſſior eiuſdem portio, in viſceribus naturalibus, & potiſſimùm in iecore coercita fuit, cuius uenæ repletæ, tandem in parenchymatis ſubſtantiam eundem eructarunt, quæ quoniam propria natura ſcirrhoſum, atque lutoſum quidpiam [a] in ſe continere ſolet; ideo etiam ſcirrhis maximè opportuna redditur; unde facilis in hac quoque noſtra Pat. fuit ſcirrhoſi tumoris productio, ex craſſo nimirum, & melancholico ſanguine, à iecoris calore, & ætatis ratione genito, non ſine catarrhalis forſan, & pituitoſæ [b] materiæ commiſtione, cùm deſtillationibus fuerit obnoxia; qui tamen ſanguis extremam exuſtionem nondum adeptus eſt, ita ut omnino præter naturam melancholicus ſit; ab hoc enim perfectus ſcirrhus, non ſcirrhoſus tumor ſubortus fuiſſet. Diximus autem, tumorem hunc ſcirrhoſum, non perfectum ſcirrhum eſſe; cùm [c] alicuius ſenſu participem eſſe intelligamus, hinc gibbam potius partem, quàm conuexam afficit, quia commodè tactu percipitur, & præterea, quia tum pondere, tum compreſſione ſeptum tranſuerſum coarctans, ſpirandi difficultatem, potiſſimum in locorum accliuium aſcenſu inducit.

a 13. Meth. 6.
b 5. Simpl. 9.
c 14. Meth. 6.

Grauiſſimus uerò hic affectus, quia partem principem obſidet, utpote qui, uel ad atrophiam, uel ad hydropem perducat; attamen quia nec [d] diuturnus eſt, nec [e] ſenſus expers, ideo ſanari poteſt; ſummè namque indurata, [f] ſummè inſanabilia ſunt. Ratio uerò impoſſibilis ſanationis pendet, tum ex tumore, tum ex uiſcere, tumore quidem, quia quod lapidoſum factum eſt, ab extincto iecoris calore ſolui non poteſt; viſcere uerò, quia tonus eius ab emollientibus diſſoluitur.

d 2. ad Glauc. 5.
e 2. ad Glauc. 4
f 7. per gen. 9.

Salutis itaque ſpe concepta, quod in particula eſt [g] euacuandum, ſed prius modicè calefacientibus, [h] humectantibus, emollientibus præparandum; ita Gal. ſanauit ſcirrhoſum tumorem, [i] in Cercyllii Puerulo ab eryſipelate relictum.

g 14. Meth. 4.
h 5. Simpl. 7.
i 2. ad Glauc. 4.

Et à fonte Chirurgico, aliquam ſanguinis miſſionem, à Viro Excell. propoſitam, approbamus, ſed parcam, ex iecoraria dextera, tempore intermedio, inter utramque menſtruam purgationem, quæ repeti poterit ſub finem eiuſdem, hiantibus adhuc num uenis uteri, id-

que ratione potius motus, quàm euacuationis. Quod ſi menſtrua non adeò liberè procedant, Cauterium quoque in coxa conueniet. Purgato iterum, atque iterum toto corpore, topicorum numero accenſet Aet. cucurbitulas ſiccas, [k] ſæpius repetitas, ad materiam calefaciendam, & quodammodò dimouendam. Quo tempore, & reliqua localia erunt adminiſtranda, Fomenta, Emplaſtra, Cerata, & Luta Thermalia. Fomentum hoc erit. ℞. fol. malu. hederæ, ueronicæ, abſinthii, anethi, chamæmeli, meliloti an. m. ſ. radic. lil. alb. altheæ, cucum. aſinini an. ℥ ii. ſem. lini, fœnugr. an. ℥ i. aq. comm. ℔ x. m. bul. ad conſumpt. tertiæ, & magna ſpongia hac decoct. imbuta foueatur regio hypochondriorum dextera. Inter emplaſtra, & cataplaſmata Aetius laudat emplaſtrum de meliloto; Alii emplaſtrum de foliis hyoſcyami, in aceto coctis, addito ol. amygdal. amarar. Emplaſtrum uerò de cicuta, uel de mandragora, cum ammoniaco proponunt Cardanus, Heurnius, Hildanus. Nos autem uti ſolemus oeſypo humida, & pingui ex lotura lanarum, cum oxelæo reformata. Et tandem luta noſtra Patauina D. Bartholomæi efficaciſſima erunt emolliendo; ſicut ab his, emolliendi cauſa, ac reſoluendi non minoris efficaciæ ſunt Luta his proxima Diuæ Helenæ, poſt ædes. Et quoniam nonniſi unica hora, bis die admouentur; ideo lutis remotis, applicetur ceratum diachylon magnum ireatum; vel. ℞. diachyl. cum pingued. ℥ i. ammon. bdellii in acero diſſol. an. ℥ ſ. ping. anſeris medullę crurum uituli an. ℥ i. pulu. ireos ʒ ii. ceræ q. ſ. m. ſ. ceratum.

k Tetr. 3. Sermo. 2. Cap. 3.

Ex Pharmaceutico reliqua deſumenda præſidia. Sic aluo exonerata lenit. cum tart. uel ſyr. roſ. & de polyp. oxymelite deinde primæ uiæ præparentur, & ſex poſt diebus lenit. & diacathol. cum tart. euacuentur. Inde ſecunda inſtituenda præparatio, oxymel. ſyr. de eupat. & de quinque radic. in decoct. cich. agrim. fum. pentaphylli, petroſelini; atque exactis ſeptem diebus, purgans præbeatur, ex infuſione rhab. agarici, & ſennæ, addito ſyr. roſ. ſolut. Deinde tertia adhibeatur præparatio, & eodem tempore paulatim, & per epicraſin expurgatio; in quem finem, ſyr. Fernel. à Viro Doctiſs. propoſitus locum habebit, cum rhab. & ſolutinis quoque paratus; uerùm alternis diebus tantùm exhibendus ad ℥ ii. in uino albo, more Fernel. diebus autem intermediis aſſumatur aliquod attenuans, & emolliens; unde Gal. extollebat ammoniacum, & bdellium; ſic & Aet. Chymici uerò exhibent ſpiritum terebinthinæ, ſpiritum ſalis; ſal enim ex Tral. tophos diſſoluit; ita & crocum Martis aperitiuum, cum acido ſulphuris paratum; extractum pariter rhab. cum tart. uitriol. Verùm hæc omnia uehiculo egent, ut ad iecur peruadant. Quare noſtro caſu. ℞. ſalſæ parillę opt. ℥ i. ſ. medullæ guaiaci ping. radic. altheæ an. ℥ ſ. aq. ſtill. agrim. ℔ ii. cich. ℔ i. m. f. inf. per hor. 24. deinde bull. ad conſumpt. dimidii, & colat. ſeruetur pro duabus vicibus matutino tempore exhibenda; cui præmittatur hic bolus. ℞. terebinthinæ noſtræ lotæ in aq. malu. ʒ ſ. ſalis ammon. gr. v. croci Martis aperitiui gr. iii. hepatis lupini præp. ℈ i. m. ref. bol. nu. ii. quorum alter exhibeatur quotidie ante decoctum, à quo exercitium proderit quammaximè; atque ita ad quadraginta dies, alternatim perſiſtat in uſu ſyr. Fernel. & decocti præſcripti. Quibus peractis, licet perfectam iecur roborationem admittere non poſſe credamus; aliqua tamen ex abſinthio parata conuenient, & præſertim ſal abſinthii, eiuſdem conſerua, ut & ſuccus condenſatus, uel exoticus coctus, à Viro Excell. propoſitus.

Omnibus addendo congruam uictus rationem, attenuantem quidem ſed non tenuem; qua indurata uiſcera colliquata uidit [l] Gal. Vnde cibi acres conueniunt, olera acria, ut cępe, allium, cappares ſaliti, borrago, meliſſa. Vinum ſit tenue odorum, album, ſalſa, & agrim. medicatum, & ſamiliares habeat pilulas de tribus cum rhab. animique paſſiones arceat. Quæ omnia optatum finem conſequentur, Sapientiſs. Viri prudenti adminiſtratione, quam lubentes illi committimus.

l de Atten. Vict. 1.

LX.

TVMORES VISCERVM Naturalium Scirrhoſi.

QVidquam certi vix ſcribi, ac decerni poteſt de agendis, pro Matronā Excell. cùm ſtatus eiuſdem hiſtoria à Viris Excellentiſs. aut omiſſa fuerit, aut ſaltem mutilatè valdè deſcripta; ſiquidem & rerum naturaliũ, & nonnaturalium, & potiſſimum præter naturam conditiones deſiderantur; Nobiliſſimæ namque ætas ignoratur, temperamentum verò calidum, & humidum, caſu, & perfunctoriè deſcriptum; verùm eiuſdem habitus, cum colore, eſt prætermiſſus, prægreſſa victus ratio nobis non omnino expreſſa; quot item abhinc annis laborare cęperit, pariter ignotum, nec eius affectiones, cum proprijs ſignis à Viris Excellentiſs. deſcriptæ, ſed ſuppoſitæ ſolùm; adeò ut eorum dictis, atque iudicio ſtandum ſit, nec de ijſdem iudicare, aut ptopriam ſententiam proſerre poſſimus; ſiquidem hypochondriaca affectione iamdiu torqueri aſſerunt, & tumoribus ſcirrhoſis, in regione viſcetum naturalium laborarẽ; quos tamen non in ipſo parenchymate, ſed in abdominis muſculis ſedem habere affirmant; ſed nullis adductis ſignis diſtinguentibus partem affectam; cùm tamen eos non lateat, Gal. [a] ex ſolo colore totius, primo intuitu, deprehendiſſe in Steſiano tumorem inflammatorium in abdominis muſculis, non in iecore; de quo certior fuit factus ex reliquis ſignis; & primò quidem ex figura, quę oblonga in muſculorum tumore; & quam iecoris tumor ſemicircularem exhibet; præterea ex ſitu; ſicut enim ſuperficialis percipitur tumor in muſculis; ita profundus in iecore; ac tandem iecur affectum ſymptomata proptia ſequuntur, ut totius color corruptus, ac vitiata nutritio, quæ temporis progreſſu, in atrophiam, vel cachexiam deſinit; quæ eadem affecto lieni dignoſcendo, ac proinde noſtræ proferendæ ſententiæ vſum præſtare debuerant. Quibus omnibus deficientibus, iudicio Virotum Exc. fidẽ adhibentes, & inhærentes, & unà nos cum ijſdem hypochondriacam, & facilè melancholicam affectionẽ ſtatuimus; quæ à cruditatibus in Ventriculo genitis olim originem duxit, diſtracto à Vẽtriculo calote, ob grauiora ſtudia, & mẽtis meditationes; quę ad venas lacteas tranſmiſſæ, ibidemq; firmatæ, & à Iecoris calore exſiccatę, terream, ac melancholicam naturam adeptæ ſunt; unde ab iiſdem inſarctis calor auctus, ad ventriculum diffuſus, anxietatem nauſeam, & vomitum acidæ materiæ, alimenta corrumpens excitauit, & ſanguinẽ quinetiam in meſaraicis, cæteriſque Portæ ramis exuſſit, à quo tetri, & craſſi vapores ad cor eleuati, palpitationes, & animi deliquia excitant; atque caput quoque petentes, & ſpiritus animales obtenebrantes, timorem, & mœrorem incutiunt. Cùm autem hypochondriaci excrementis ſcatere ſoleant, tum ob imminutam, tum maximè ob deprauatam chyloſin, ac proinde hæmatoſin; hinc accidit, ut huius quoque Excellentiſs. Patientis ſanguinem, pituitoſis, & melancholicis humoribus conſpurcatum natura deſęcare tentauerit, & ſeroſam eorundem portionem, acrem, & acidam ad muſculorum tendinoſas partes demandauerit, à quibus dolores, netuorum appellati, emanarunt; craſſiorem uerò iuxta Viros Excellentiſs. ad muſculos rectos, & tranſuerſos depoſuerit, atque ita tumores utrinque excitauerit, qui, partibus tenuioribus à calore reſolutis, magis magiſque in dies obdureſcentes, ſcirrhoſam naturam tandem induerunt, nondum verò ſcirrhi exquiſiti, utpote ſenſus [b], & doloris non prorſus expertes.

a 5 de Loc Aff. 7.

b 14 Meth. 6.

De parte affecta iuremerito dubitari poſſe nobis uidetur; hypochondriacis enim facilè viſcera excrementis oppleri, quotidie obſeruamus; præterquamquod rarius, difficilius, & admirabilius eſt, utramque partem abdominis, viſcera naturalia circumſcribentem, eodem tempore, duplici tumore muſculorum affici, in eorundem uiſcerum regione; atque adeò omni adhibita diligentia, de parte affecta certiores fieri Viros Excell. curationi operam dantes, neceſſarium exiſtimamus.

Interim, quid facto ſit opus, utcunque ſe tes habeat, breuiter proponemus. Et primò quidem

Digitized by Google

quidem primas vias excrementis mundare oportet, & earum obſtructiones reſerare; inde totum uenoſum genus purgare, & ſanguinem purificare; & tandem, ſi ſcirrhoſi tumores uiſcera obſideant, internis, & externis omni induſtria emolliendi, & cautè reſoluendi, eorumque materia partim ad aluum, partim ad urinas ducenda. Quod ſi muſculos occupent, interna emollientia, deobſtruentia, & euacuantia ſuperuacanea, & irrita cenſemus; ſolaque externa uſui futura credimus, corpore tamen uſquequaque, ut diximus, prius expurgato.

Quibus intentionibus ſatisfacere quidem conandum, licet tumores circa muſculos forent, etenim, & deterioris conditionis proceſſu temporis euadere, & compreſſione uiſceribus ipſis officere poſſent; quod ſi in uiſceribus oblitеſcant, ſpatio temporis in atrophiam, uel cachexiam, indeque in hydropem, Nobiliſſimam Matronam præcipitarent.

Quare ex Chirurgico fonte repetita ſaltem ſanguinis miſſio eſt depromenda, ex utroque brachio, tempore medio inter vtramque menſtruam purgationem. Venæ autem inferiores tunc forent tundende, quando imminuta euaderet menſtruorum expurgatio. Et quoniam melancholici ſeroſitatibus abundare ſolent; ideo cauterium coxæ lateris magis affecti inuri poterit; ac præterea pedum lotiones frequenter adhibere abs re non fuerit, exhalationibus à corde, & capite reuocandis. De topicis autem ſuo loco dicemus.

Ex Pharmaceutico deſumenda Lenientia, Præparantia, primas vias Deobſtruentia, Purgantia, & ſanguinem Defæcantia: ac tandem Emollientia, Diſſoluentia, & humores Educentia.

Leniens eſſe poterit, ſyr. roſ. ſolut. & de polyp. addita aqua è floribus citri, ad odoris ſuauitatem. Prima præparatio fiet iulapio acet. ad ℥ ii. cum ℥ ſ. aq. cinnam. pro vna doſi ſine diluto, & ita pro quinque aliis. Inde repetatur præſcriptum, aut ſimile leniens, & ſecunda validior præparatio, iulap. acet. ſyr. de ſucc. borrag. & de pom. in decoct. cichor. malu. agrimon. radic. graminis, & petroſel. ſeptem dies: à quibus præbeatur purgans ex infuſ. rhab. agaric. ſennæ, Epith. & polypod. in aqua meliſſæ, addito cinnamomo integro ad ʒ i. & expreſs. immiſcendo ſyrup. roſ. ſolut. ad ℥ v. cui tamen, tribus exactis horis, ſuperbibat Nobiliſs. Patiens ſer. capr. aut aſinini ℔ ij. & duabus horis ab eo prandeat. Quoniam verò maſſa ſanguinea purificanda expurgari poſtulat: ideo tribus uicibus, tertio, aut quarto quoque die, præbeatur decoctio epith. Meſ. ad ℥ vi. epoto ab ea ſer. depur. & prandio ſumpto, modo, quo ſupra. Interim, intermedijs diebus, præbeantur ſyrup. præp. iam propoſiti, addito ſyrup. de fumar. Quæ intrinſecùs ſufficere poterunt, tumoribus muſculos implicantibus.

Verùm ſi in Viſceribus tumores deprehendantur, eadem deobſtruenda, & expianda; in quem finem, ſyrupus Fernelianus mirabilem operam præſtat, deobſtruendo, & educendo; cuius deſcriptio adducetur in fine; præbeatur autem ad ℥ ii. in iure cichor. alterato, ſummo mane, quotidie, xii. dies.

Quibus peractis ad topica interna, & externa erit deueniendum. Intrinſecùs extollit Galenus ammoniacum, imò & lithontriptica; unde ſanguis hircinus, quinta eſſentia cryſtalli, locum habere poſſent; verùm nos medicamentum utrique uiſceri accommodatum parandum cenſemus. ℞. terebint. Cypr. lotæ in aqua maluæ ʒ ſ. ſalis ammoniaci gr. iij. croci Martis aperitiui, cum acido ſulphuris præparati gr. ij. m. ref. bol. ij quotidie exhibendi; qui quoniam vehiculo egent, ideo. ℞. ſalſ. parill. opt. ℥ i. ſ. ligni tamariſc. ℥ i. radic. alth. cortic. radic. cappar. an. ℥ ſ. aq. agrim. aq. fabror. an. ℔ ii. m. f. inf. per horas xxiv. deinde bull. ad conſumpt. dimidij, & colat. ſeruetur pro tribus vicibus, poſt bol. aſſumenda; in quorum uſu perſiſtat Nobiliſs. Patiens ad 30. vel 40. dies.

Verùm pro Viſcerum obſtructionibus, duriſque tumoribus auferendis, eorum parte cōcaua expedita, ſyr. iam dicto Fernel. alioue ſimili medicamento, ad penitiores, gibbaſque partes viſcerum aperiendas, & à tumoribus vindicandas, mirabile eſt Aperiens Circulatum ab Egregio Viro D. Hieronymo Rizzetto Pharmacopola ad ſignum S. Margaretę Venetijs, ſumma induſtria fabricatum, ex ſalibus Martis, & Vrinæ Pueri volatilibus, & fixis, addito quoque Sale Tartari, variis operationibus elaboratis, nimirum exaltationibus, impręgnationibus, ſublimationibus, digeſtionibus, deſtillationibus, rectificationibus, atque tandem 40. dies in Pellicano circulationibus; cuius doſis eſt à ℈ i. ad ʒ ſ. in conuenienti liquore aperitiuo, quale eſſe poteſt iam præſcriptum, ad plures dies.

Interim extrinſecùs Fomenta, Stillicidia, & Linimenta, ſiue Cerata ſunt admouenda. Et primò quidem Iecori fomẽtum paretur, ex decoct. fol. malu. hederæ, abſinth. aneth. chamæm.

mæm.

mæmel.melilot.radic.lilior.albor.cucum.aſin.ſemin.lin.fœnugræc. in aqua comm. Stillicidium verò experti ſumus, ex ol.com.& acet.ferueſactis. Efficacius tamen ex lotura ſuccida, & pingui lanarum, addito pariter aceto. Emplaſtrum de meliloto commendat Aetius, quo & alias uſi ſumus; prout emplaſtro de folijs hyoſciami,in aceto coctis,addito ol.amygdal.amarar. ſicuti & de cicuta, & de mandragora, cum ammoniaco, iuxta Cardani, & Heurnii conſilium; quibus ſi addatur quoque Oeſypus humida, & pinguis, efficacius euadet. Ceratum tandem ex diachyl.ireato, vel tale parari poterit. ℞.diachyl.cum pinguedinibus ℥ i.ammoniac.bdel.in aceto diſſolut. an.℥ ſ. pingued.anſer.medull.crurum uituli an. ℥ i. pulu.ireos ʒ ij.ceræ q.ſ.m. & S. A. f. cerat.alutæ inducendum.

Regioni uerò Lienis fomenta admoueantur, ex decoctione in aqua fabrorum, radic. cucum.aſin.bryoniæ, altheæ, lilior.albor. ſcillæ, ſem.lini, fœnugræc.fol.maluæ, mercurial. betæ, parietariæ. Linimentum efficax erit huiuſmodi.℞.ol.com.℔ ſ.medull.crur. bouis ℥ ii. butyr.recent.℥ i.ſucc.bryoniæ, cyclam. an. ℥ ii. m. bul. lento igne, ad conſumpt. ſuccor. & colar.adde pulu.cetrach,tamaric. cortic. radic. cappar. an. ʒ iij.ceræ citrin.℥ ij.m.f.vng.pro Liene. Stillicidium iam pro iecore propoſitum, opportuniſſimum erit; ſicut & ceratum ex diachyl.reform.cum ammoniaco,& ſucco tabaci,ſeu herbæ reginæ.

Quibus omnibus congrua victus ratio, attenuans ſcil. erit addenda; indurata namque viſcera colliquare poteſt, ut de Attenuant. Victus ratione 1. aſſeruit Galenus. Quæ à Viris Excellentiſsimis poterit præſcribi. Et dum nouum cum Viro ſuo concubitum,pro arbitrio, ac naturali propenſione, Excell. Matronæ committimus, omnia eidem a D.O.M. ſalutaria precamur.

DESCRIPTIO SYRVPI FERNELIANI.

℞. Quatuor Rad. aperient. an.℥ ij. quatuor flor. cord. an. pug.i.Folior.agrim.capil. Ven. cuſcutæ, ſcolopend. an. m. ſ. ſem. Carth. ℥ i. quatuor ſem. frig. an. ℥ ſ. Fol.ſen. Orient.rec. mund.Epith. rad.Polyp.an.℥ ij. Rad.Veratri nig. ℥ ſ. Agarici crudi ℥ ij. Cinnam. integr. ℥ ſ. Aq. Cich. Agrim. an. ℔ i. ſ. m. f. maceratio per horas xxiv. deinde fiat fortis expreſſio; cui adde ſacch.fini q.ſ.ut fiat liquor, ad Iulap.conſiſtentiam,ſeruandus in vaſe, in quo infunde Rhab.opt.inciſi, linteo incluſi ℥ i.ſpicæ ℈ i.& ſeruetur ad vſum.

LXI.

FLVXVS HEPATICVS LEGITIMVS.

IVuenis Præſtantiſſimi Senatoris œconomus, 30. annos natus, temperamenti Iecoris, & Cordis, calidi, & ſicci, habitus gracilioris, uinis meracioribus ſemper delectatus, & niue refrigeratis, motibus corporis, & animi continuò agitatus, & Diarrhœis biliosis frequenter obnoxius,tandem, declinante æſtate, Diarrhœa biliosa correptus, eam neglexit conſueta uiuendi ratione ſemper uſus, ea opinione, quod præteritarum more, hæc duobus, uel tribus diebus, cum leuamine ſupprimenda foret. Spes tamen illum fruſtrata eſt; plures enim dies perdurauit, cum ſiti uehementi, & tandem ciborum faſtidio; excrementis, quæ primis diebus biliosa erant, in rubida, & quandoque tenui ſanie cruenta miſta mutatis. Nihil tamen abraſionis medicus domeſticus obſeruauit, ſed pinguem potius, & oleoſam ſubſtantiam innatantem; poſtremò uerò bilem craſſam, graueolentem, ualdè coloratam, & quandoque ueluti uini fæcem. Huiuſmodi autem euacuationes, duobus aliquando, uel tribus diebus intermittunt, adeò ut Pat. melius habere uideatur; ſed mox deterioris conditionis recrudeſcunt. Accedit quoque febricula, ueſpertinis horis inualeſcens. Quoniam autem Senatori Excell. Iuuenis huius ſanitas admodum cordi eſt; ideo illius iuſſu, ad te, tanquam ad Artis medicæ fontem confugimus, ut quamprimùm ſcriptis agenda committas, exactiſſimè à nobis adminiſtranda.

Quoniam Diarrhœis,uel crudis,uel biliosis totum uenoſum genus nonnunquam exputgatur;

Digitized by Google

gatur; ideo homines à quamplurimis malis præſeruare ſolent; unde obſeruabat Gal. a quod accidunt aliquando certis temporum interuallis, dum omnis corporum redundantia per ipſas educitur; prout commodum Iuueni iſti contigit ſuperioribus annis, quibus à copioſo, & conſueto uini meracioris potu, necnon ab animi, corporiſque uehementibus motibus, calida cordis, & iecoris naturali intemperie magis magiſque adaucta, copioſa bilis coaceruata eſt, à ualida tamen uenarum expultrice ad inteſtina detruſa, & per aluum euacuata trium, aut quatuor dierum ſpatio, non ſine Patientis leuamine. Verùm, quoniam tum ratione ætatis, tum copioſioris meri potus, necnon inualeſcentibus corporis motibus, atque animi curis, ob domeſtica negotia, iecoris potiſſimum intemperies eò prouecta eſt, ut bilis à uehementi calore craſſefactæ copioſus prouentus, non amplius ab expultrice deturbari potuerit, hæc proinde in iecoris uenis ſubſiſtens, tantum æſtum in hoc uiſcere accẽdit, ut (accedente quinetiam conſueto gelido potu) eiuſdem tono labefactato, Sanguificatrix facultas debilitari cęperit; unde ab initio ſitis uehemens, cum ciborum faſtidio, intemperiei calidæ indicio; inde craſſæ bilis graueolentis, & ualdè coloratæ excretiones obſeruatæ; necnon poſtremò innatantes pinguedines b, colliquationis ſoboles; quæ omnia feruidiſſimã iecoris intemperiem produnt (prout frigidam c demonſtrant aſſiduæ excretiones, nec multæ, nec graueolentes, ſed ueluti limus, & niger ſanguis) hepaticum fluxum imminentem prænunciantes, qui poſtea luculentius ſe exeruit, rubida d proluuie apparente, quam, ingraueſcente malo, tenuis ſanguinis ſanies e ſecuta eſt, & nonnunquam ueluti uini fæx, ſemper tamen ſine eroſione; quorum euacuatio duos, aut tres dies aliquando intermittit, mox deterius recrudeſcit. Quoniam autem ſanguis f in ipſo uiſcere corrumpi cœpit, febris quoque acceſſit, quandoque medicis imperitis ignota. Omnia equidem ſymptomata g fluxum hepaticum legitimum, ex ſanguificatricis facultatis ſcil. læſione, atque imbecillitate, à calida intemperie prouenientem manifeſtiſſimè ſignificantia; ait enim Galen. h quod à qualibet octo intemperierum ſanguificatrix facultas noxam pati poteſt; unde hepaticos i appellauit illos, quibus citra manifeſtum in hepate uitium, in propriis actionibus illud debilitatur.

Vt igitur huic Patienti opem feramus, bilioſi, atque corrupti humores ſunt euacuandi. Secundò calida iecoris intemperies corrigenda. Tertiò tonus eiuſdem priſtino ſtatui reſtituendus. Et tandem iecur ipſum propriis adſtringentibus roborandum.

Et licet non adeò facilè ſit ſanitatem conſequi; cùm affectus firmis innitatur radicibus, calidę nimirum iecoris, & cordis naturali intemperiei, ab erroribus in uiuendi ratione magnoperè adauctæ, cuius ratione iecoris robur k exolui perniciosiſſimum eſt; nihilominus, quoniam Iuuenis præceptis medicis obtemperans, & ab initio propria à Viro Excellentiſs. opportunè adminiſtrata fuere remedia; ideo ſpem ſalutis concipimus, remediis à tribus fontibus deſumendis, & adminiſtrandis.

Et primò quidẽ in Chirurgico, peropportunè fuit ab initio ſanguis ex iecoraria uena detractus, poſt imminutam, & medicamentis euacuatam bilis copiam, ad contemperandum iecoris, & ſanguinis feruorem; quod remedii genus in progreſſu non adeò facilè admitti poteſt, ob eiuſdem uiſceris imbecillitatem, bilioſique humoris redundantiam. Hepatis regioni refrigerantia, & ſubadſtringentia appoſita fuiſſe ſuppono; Epithemata ſcil. ex ſucco Cich. Spec. Trionſant. & aceto parata; ſicut & illitus ex Vng. Roſ. Meſ. cui, ſub finem morbi, Santalinum quoque addendum fuerit.

Ex Pharmaceutico primò deſumenda bilem imminuentia, atque excernentia: quæ quoniam iam à Viri Excellentiſs. prudentia iterum, atque iterum præſcripta, & adminiſtrata fuere; ideo repetita Caſſia, cum Rhab. Seroq; Aſinino depur. ſuperhauſto, ad ſecundam explendam intentionẽ deueniri poterit; in quem finem, ſuccus Cich. l depur. ſicut & m Intybi, Sonci commendari ſolent. Verùm nobis experientia compertum, Aquas Thermales, & Villenſes potiſſimum egregiè huic morbo mederi: facultate enim pollent, ratione ferri, & aluminis, quibus conſtant, iecur refrigerandi, & ſubadſtrictione roborandi. Præterquamquod, in diuturno huiuſmodi fluxu, Diureticorum uſus magnoperè conferre ſolet n. Præbeantur itaque primis diebus deiectoriæ, reliquis autem diureticæ; primò ſcil. præmiſſo Syr. Roſ. ſol. cum decoct. pulpæ Tamarind. poſtea ſucco Lim. uel Spiritu Vitrioli, qui præter diureticam uim, ſubſtantiam iecoris denſare, & cogere, necnon ſanguinem quodammodo ſiſtere poterit: in quorum uſu, ad 15. imò 20. dies pergendum fuerit.

His peractis, eadem intentio continuanda, ſiquidem ex Gal. n habemus, quod, *Scopus curationis præcipuus eſt intemperiei contrarietas*. Hinc Aetius, o & Trall. p uno ore prodiderunt,

a 7. Meth. 14.
b 3. in 3. Epid. 70.
c 8. per Loca 7.
d 2. in 1. Prorrh. 27.
e 6 de Loc. Aff. 2.
f 5. de Loc. Aff. 7.
g 8. per Loca 7. & 5. de Loc. Aff. 7.
h 5. de Loc. Aff. 7.
i 8. per Loca 7.
K 11. Meth. 16.
l 8. per Loca 8.
m Trall. Lib. 8 c. 3. & Paul. 3. de Re Med. 46.
n 8. per Loca 7.
o Tetr. 3. Serm. 2. Cap. 1.
p Lib. 8. Cap. 3.

Digitized by Google

runt, quod, *Primus curationis ſcopus eſt, vt intemperiem ad contrariam deducamus, & non, vt vulgares Medici, qui nihil ſoliciti de intemperie, ſtatim ad adſtringentia, & hepatica deueniunt.* Quare eadem intentione exhiberi poterit, uel ſuccus Cich. & Sonci in decoct. End. Acet. Plantag. Portul. & Hepaticæ; uel bibatur quotidie, ſummo mane, cyathus ex Aqua ſtillatitia de ſucco Cich. End. & Plantag. addito Lim. ſucco.

Interim tertia quoque intentio expleri poterit, exhibita, hora una ante prandium, & cenam, Tinct. Corall. chymica, ad gutt. v. aut vi. in ſemicyatho Aq. Plantag. uel Auro potabili, in Aqua deſtill. ex tenerrimis Quercus foliis.

Tandem à proprietate iuuare, & prærogatiuam obtinere hepar Lupinum Gal. q aſſeruit; q 8. per Loca 8. cuius doſis apud ipſum fuit ad ʒ i. quod ab ipſo Aetius quoque deſumpſit, Reformetur igitur puluis eiuſdem Lupini hepatis, cum Conſ. Roſarum, & ſummo mane exhibeatur; cui ſuccedat hauſtus eiuſdem Aquæ Plantag. aut Quercus, Vel præbeatur cum Gal. r Eupatorio miſtum; r 6. per Loca 2. hoc enim inſigni iecoris roborandi facultate præditum eſt, Hoc etiam tempore, unà cum carnibus, iu Aqua, de more, bulliat Lignum Cydonii, à Schenchio magnoperè commendatum.

His addimus, quod ſi cruentus alui fluxus contumax fuerit, ut præſtantiſſimum remedium à Galen. proponitur Phil. Roman. iterum, uel etiam tertiò per interualla exhibendum; licet ipſe ſ eodem ſemel tantùm exhibito, hepaticam intemperiem ſe ſanaſſe pro- ſ 8. per Loca 7. fiteatur.

Victus ratio iam à Viro Excell. præſcripta diligenter ſeruanda, cui addimus, quod materia alimentorum ſit heparis ſubſtantiæ ſimilis; quale proinde erit iecur omnium Animalium, potus verò ſit Aqua Noceræ, utpote refrigerans, & quodammodo adſtringens, cùm terram ſaniam eius alueus contineat. Quando uerò uino uti licuerit, ſit album, tenue, & ſubauſterum, Quæ omnia confirmant ea, quæ à Viro Doctiſsimo, tùm adminiſtrata, tum adminiſtranda, pro Pat. ſalute propoſita fuere.

LXII.

FLVXVS HEPATICVS Spurius.

EXcell. Marchio, 30. annorum, temperamenti calidi, & humidi, habitus ad obeſum vergenris, vitam otioſam ducens, & cibis, potibus, atque Veneri magnoperè indulgens, frequentibus Diarrhœis ſuperioribus annis obnoxius, anno tamen abhinc ſuppreſſis, ventris doloribus correptus eſt, ſimulque Ephemeris febribus; à quibus euacuatione à medico ſolicitata ſæpè liberatus eſt, licet de quodam ponderis ſenſu in abdomine conqueſtus fuerit, ſemper tamen neglecto. Tandem, 40. abhinc diebus, aluus præter conſuetudinem, iterum, ac tertiò, quolibet die cruda, & liquida potius, quàm ſolida egerere cœpit, non ſine aliqua macie, & totius corporis laſſitudine, ac virium lapſu. Quibus deterritus Pat. Excell. me domeſticum Medicum acciuit, qui præter hæc omnia mihi relata, euacuationes non ſemel inſpexi, eaſq; liquidas ut plurimùm, quandoque etiam compactas, ſed & chyloſas potius obſeruaui. Decolor inſuper Patiens redditus eſt, atque conſueto gracilior; & Meſenterium obſtructionibus, prout tactu deprehendi, occluſum haber. Ideo curatione illi maximè eſt opus; quam quoniam Lenienti medicamento inchoare decreueram, Iuuenis Excell. illud renuens, reſpondit, ſe nolle currenti addere calcar equo, ſimulque iuſſit, ſtatim ſui ſtatus hiſtoriam tibi Præſtantiſſimo Viro tranſmitti, ut de huius affectus natura certiores nos facias, & pro Marchionis Excell. ſalute agenda proponas.

Quod alui fluxus 40. abhinc diebus Marchiouem Excell. excrucians, maciem totius inducat, uireſque atterat, quid mirum? cùm chyloſus obſeruetur, ac proinde quotidianum corporis alimentum, uel omnino, uel ſaltem magna parte ſubducat. Conſideratione autem dignum, & cognitu neceſſarium, quænam ſit pars in hoc fluxu principaliter læſa; & num Ventriculus, an potius Meſenterium, uel iecur ipſum, uel inteſtina ſint in-

cuſanda, ut ſcil. & affectus idea, & illius cauſa innoteſcant. Et primò quidem Ventriculus excludendus nobis videtur; quòd eiuſdem malè affecti nulla querela præceſſerit; & licet frequentes cruditates ſuperioribus annis in eodem genitæ fuerint, unde frequentes pariter Diarrhϣæ, & ab iiſdem ſuppreſſis, Ephemeræ quoque febres, quæ earumdem excretione ſoluebantur; id tamen non uentriculi uitio, ſed potius improportionatis obiectis quantitate, & qualitate peccantibus imputandum fuit; quò etiam obſtructiones Meſenterii referendas cenſemus. Ventriculo autem ſecluſo, ipſa Lienteria proinde ableganda, & quidem potiſſimum cùm deſit celer a ciborum non mutatorum tranſitus. Neque inteſtina hìc locum habere credimus; quoniam licet chyloſa obſeruetur excretio, non tamen qualitas ciborum impermutata diſcernitur; præterquamquod tempore ab aſſumpto cibo ualdè diſtanti b aluus mouetur, & chyloſa materia excernitur, cuius effluxus, læſis inteſtinis, non adeò cunctatur; quare de Cœliaca paſſione non eſt cogitandum. Supereſt igitur, ut Meſenterium, uel Iecur, uel utrumque afficiantur. Atq; ſicut de Meſenterio dubitari non poteſt; cùm ſit obſtructionibus infarctum, tactu à Viro Excell. & ab Excell. Pat. grauitatis ſenſu perceptis; ita de Iecore dubium eſſe poteſt; licet nobis pars affirmatiua præferenda uideatur; ſiquidem à promiſcua aſſumptorum qualitate iecur ipſum imbecillitatem contraxiſſe ſuſpicandum, accedente præſertim immoderato Veneris uſu, necnon uita otioſa, intermiſſo enim corporis c motu, alimenta diutius in uiſceribus hærent, & tardius diſtribuuntur; unde calor natiuus agendo tepatitur, & à diuturna mora grauatur, atque in ſuis operationibus debilitatur. Quoniam uerò calidum, & humidum ipſius iecoris temperamentum non adeò facilè alteratricis, ſiue ſanguificatricis facultatis læſionem admittere potuit; ideo attractricem d lædi non adeò difficile fuerit; cuius noxa facilius intemperiem humidam ſequitur, prout ſanguificatricis calidam. Quamobrem ob Meſenterium obſtructum, Chyli transfluxu intercepto ad hepar, ob eiuſdem uerò attractricis e imbecillitatem, eodem non attracto, duplici nomine in Meſenterio tandiù moratur, donec corrumpatur, corruptuſque, varia ſpecie coloris, & conſiſtentiæ, per aluum excernatur; unde hepaticus fluxus illegitimus conſtituitur, quem perperam Fernel. pro Cœliaca paſſione uſurpauit.

a 1. in 3. Epid. 36.
b 5. in 6. Epid. 27. & 16. 1 Tract. 1. Cap. 2.
c 2. de Nat Human. Com. 10.
d 8. per Loca 7.
e 5 de Loc Aff. 7.

Vt autem auferatur Ventriculus primò expiandus. Secundò obſtructiones in Meſenterio, & forſan etiam in caua iecoris aperiendæ. Tertiò iecur adſtringentibus, & à proprietate iuuantibus roborandum.

f 5. Aph. Co. 16. & 5. de Loc Aff. 7.
g 10. de Morb. & Sympto. Pait. Ca. 10.

Hoc autem aſſequi non adeò facilè exiſtimamus; cùm obſtructiones auferre arduum ſit. Nihilominus ſi Pat. Excell. Medico obtemperauerit, cùm obſtructiones exſiccatæ non ſint, optatæ ſalutis, tutò, & citò conſequendæ illi ſpem facimus, multò namque facilius eſt attractricem iecoris facultatem, quàm ſanguificatricem læſam corrigere.

Ex Chirurgico itaque fonte primò conſideratur ſanguinis miſſio; quam quidem affectus ipſe non exigit, tum quia nullum iecori robur addere poteſt, tum quia uenæ ſectio non h expurgat obſtructiones; ſed id faciunt inciſiones, & deterſiones; ideo uel omittenda, uel in aliud tempus differrenda, dum coniiciamus, ab aliquo iecoris calore coindicari. Quare remedia ſunt à fonte Pharmaceutio petenda.

h 32. Meth. 14.

Et primò quidem Ventriculi expiatio Caſſ. cum Tart. uel Syr. Roſ. ſol. perficienda, ut inde ad Meſenterii obſtructiones aperiendas ſtatim deueniamus, leuioribus primò; mox validioribus. Paretur igitur Oxymel ex quatuor radicibus aperientibus, in Aq. Agrim. & Aceto maceratis, ut addito Melle Hiſpanico, & fruſtulo integri Cinnam. fiat oxymel ſuaue, ſed dilutum; cuius quolibet mane tres unciæ prębeantur, epoto ab iis iure tenui Cich. Borrag. Meliſſa, Pentaph. & Agrim. alterato. Sex uerò præteritis diebus aſſumat Flor. Caſs. & Lenit. an. ℥ ſ. Deinde repetantur deobſtruentia ualidiora, additis pręſcripto Iuri alterato Tart. Vitrol. gr. xii. & exhibito alternis diebus Rhab. non torrefacto, ex Auic. & Hipp. i in uentris fluxionibus; quoniam in præſens, non agitur de Retentricis imbecillitate. Præbeatur itaque ad ſemidrachmam, ruditer pulueriz. & cum flore Caſs. refor. ut fiant bol. ii. aut. ℞. Extr. Rhab. ℈ i. Tart. Vitriol. ℈ ſ m. reform. b. & aur. His autem ſuperbibat Excell. Par. decoctionem præſcriptam; & ita alternatim procedat aſſumendo oxymel cum decoct. & Tart. Vitriol. altera uerò die Rhab. iam præſcriptum, cum eadem decoctione. Quod ſi 15. dierum ſpatio obſtructiones magna parte non obliuerint, ad ualidiora pergendum. Crocum ſcil. Martis aperitiuum, cum acido ſulphuris paratum, ut. ℞. Croci Martis aperit. gr. iii. Succi Eupat. condenſ. ʒ ſ. m. f. b. & aur. à quo bibat Aq. Agrim. ℥ vi. plures dies; ſed quarto quoque ſumat ʒ ſ. pilul. de trib. cum ℥ ſ. Elect. Lenit.

i 3. de Dieta 24.

Ablatis, aut magna parte obſtructionibus imminutis, Aquæ Tettucianæ locum habebunt

bunt, quatuor, aut quinque diebus aſſumendæ, cum Mell. Roſ. & Syr. Roſ. ſol. ad perficiendam primarum viarum ablutionem, ac deterſionem.

Deinde tertiæ explendæ intentioni, mirificè conducet Abſinth.[k] ut quod, & iecur roborare, & eiuſdem meatus expedire poſſit; nitroſa enim, & amara, cum ſubadſtrictione, id præſtant. Nonnulla quoque addenda à proprietate iuuantia; in quibus Troch. ex Aniſo, Amygd. amar. & oxymel. proponit Gal. ut & alios huiuſmodi. ℞. Amygd. amar. ℥ſ. Aniſ. ʒii. Abſinth. Sem. Apii ʒ ii. Cumini ʒ i. Vini albi generoſi q. ſ. m. f. paſtilli, quorum unus, cum exiguo Vino Abſinth. aſſumatur. Nos autem libenter aliis compoſitionibus utimur, ut. ℞. Pulu. Hep. Lup. Succi Abſinth. condenſ. Succi Agrim. condenſ. Succi Cich. condenſ. an. ʒ i. m. & cum uino albo aromatico refor. b. vi. quorum unus præbeatur, ſuperhauſto cyatho Aq. Agrimoniæ, & Cich. chalybeatæ. Vel paretur tale Elect. ℞. Paſſul. mund. uino lotat. & per Setac. tranſmiſs. ℔ i. Rhab. elect. ʒ ii. Sacch. opt. ℥ iii. m. ad ignem; ſub finem adde pulu. Caryoph. ʒ i. ſ. m. refor. Elect. cuius doſis erit ad ℥ ſ. epoto ab hoc hauſtu Vini Abſinth. Tandem iecori, & uiſceribus omnibus robur conciliare poterit Theriacà antiqua, ſequentibus tamen menſibus hyemalibus uſurpanda.

K 5. Simpl 12. & 7. Simpl.

16. de San. Tuen. 5.

His addatur congrua victus ratio. Parcius, ſed optimis alimentis veſcatur, & moderatè bibat. Corpus exerceat. Venerem hoc tempore ablegct; & alacriter uiuat. Quibus ut D. O. M. aſpiret, enixè obſecro.

LXIII.

CACHEXIA EX FLVXV HÆMORRHOIdali, cum Auris Tinnitu.

Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Vir, annum agens 47, temperamenti totius, calidi, & humidi, hepatis calidioris, humidi capitis, & ab ineunte ætate, deſtillationibus obnoxius, & quidem frequenter in ventriculum, vnde ſæpè materiæ aquoſæ vomitus; atque aliquando in partes ſpiritales, unde anhelandi difficultas; nonnunquam verò in partes muſculoſas, unde dolores; apparentibus quinetiam calidi hepatis tunc temporis indicijs, ſcabie nimirum uniuerſali. Hic verò 37. ſuæ ætatis anno, febre maligna correptus vix euaſit, hæmorrhoidibus ſuperuenientibus, cæcis primùm, atque dolentibus, mox & apertis, ſed nullo dolore, menſtruali quadam periodo recurrentibus; quarum ope à febribus, omnibuſque cæteris malis immunis vixit. Verùm, cùm quinque abhinc annis ſuppreſſæ fuerint, mentagra contumaci correptus eſt, quæ tamen multis adhibitis præſidijs, & topicis ſcarificationibus ceſſit; quo tempore, capitis doloribus ſæuiſſimis excruciatus eſt Illuſtriſs. Vir, cui molares dentes exciderunt, atque exigua fiſtula ſuborta eſt; qui tamen hæmorrhoidali euacuatione recurrente, priſtinam rurſus, atque perfectam adeptus eſt ſalutem, niſi quod anno 1659. Romæ Papulæ quædam toto corpore effloruerunt (Eſſere) dictæ, quæ acetoſæ aquæ ſpontè ſcaturientis potu omnino euanuerunt. Tandem, anno ſuperiori inclinante, catarrhalis per nares euacuatio ad os decubuit, noctu potiſſimum palato tenacius adhærens, & ad Ventriculum ipſum; quo tempore hæmorrhoides copioſum ſanguinem fundere cœperunt, & quidem quotidie; vnde vigiles, & inquietas noctes ferè ſemper tranſegit, viribus imbecillioribus redditis; totius item color prauus, & vitiatus apparuit, perdurante hæmorrhoidali fluxu immodico, dum aluus exonerabatur. Quibus omnibus tandem, ſuperiori menſe, acceſſit quidam perpetuus auris dextræ tinnitus, inſtar ventoſæ cuiuſdam auræ vehementer commotæ. In abdomine verò obſtructiones ſunt manifeſtæ, & potiſſimum in hepate. Modò de agendis pro ſalute conſulit. Inſtituta autem fuit curatio, ſanguiſque ex iecoraria dextra eductus; qui licet effluens, niger non apparuerit; attamen à nobis, poſtquam concreuiſſet, obſeruatus eſt craſſus, & aduſtus, in paucam molẽ denſatus, copioſiori ſeroſitate, eaque valdè flaueſcente redundans. Modò quid facto ſit opus expendendum, ut tantus Vir priſtinæ ſanitati reſtituatur.

Pluribus affectibus Vir Illuſtriſsimus, atque Reuerendiſs. diuexatur, colore ſcil. totius deprauato, ſuperfluo hæmorrhoidalis ſanguinis effluxu, & auris dextræ inſigni tinnitu,

a 3. de Loc Aff 7.

Quod ſi de primo verba faciamus, color totius corruptus, totius nutritionem deprauatã [a], vitiatam ſanguificationem ſcil. nobis ſignificat; quæ ſymptomata ab hepatis morbis prouenire minime dubitandum, intemperie potiſſimum, & mala conformatione; Iecur enim, ab ineunte ætate, præcalidum fuiſſe, tum prægreſſa ſcabies, tum febres frequentes, & leuamen à frigidis, abundè atteſtari potuerunt, necnon hæmorrhoidalis euacuatio 37. ætatis anno ſuperueniens; quæ non aliunde, quàm à feruido ſanguine originem duxit; qua ſuppreſſa [b], anno 42. mentagra contumax ſuborta eſt, quæ, eadem recurrente fluxione, Iecoreque ope medica contemperato, receſſit; cuius tandem nouum indicium præbuerunt puſtulæ illæ, anno 1659 erumpentes, nonniſi à tenuiori, & efferueſcente ſanguine enaſcentes. Et quoniam, æſtuante iecore, ventriculo quoque calor improportionatus, & coctionibus parum idoneus impertiri ſolet; hinc cruditates in eodem genitæ fuerunt, & potiſſimum accedente catarrhali à capite deſtillatione; unde obſtructiones in caua non ſolùm, ſed & in parte Iecoris conuexa aceruatæ fuerunt, à quibus per accidens feruida eiuſdem intemperies incrementum ſuſcepit, atque ab his omnibus innatus eiuſdem calor labem non leuem paſſus fuit; ac proinde nonnihil quinetiam uis ipſa ſanguificatrix.

b 3. in 6. Epid. 38.

c 4. Aph. Com 25.

d de Symp. Diff. 6.

Hepar verò, & viſcera omnia naturalia potiſſimum debilitauit immodica ſanguinis per hæmorrhoidas [c] euacuatio, labefactato eorundem natiuo calore, & ad propria munera obeunda iis languidioribus factis, unde totius nutritio deprauata. Sicut autem prior, non immodica ſanguinis hæmorrhoidalis euacuatio, à ſanguine calidiori excitata, quod [d] contriſtabat, quolibet menſe expulit; ita tãdem à ſanguine coproſo incaleſcente, & frequentius effluxum tentante ſtimulata natura, prauum quidem primò, ſed longo temporis progreſſu bonum quoque effudit, ad idem quoque opus concurrente venarum hæmorrhoidalium laxitate, & forſan aliqua earundem calloſitate; quod etiam confirmauit mentagra illa, quæ hæmorrhoidali ſanguine ſuppreſſo, quinq; abhinc annis ſuborta eſt, perdurante ſanguinis fluxione. Caput quinetiam infirmatum eſt, vnde vigiliæ, à quibus eiuſdem natiuum calorem imbecilliorem fuiſſe redditum omnino ſtatuendum; cuius cauſa materia catarrhalis, tenuior potius antehac, & ſalſa adeò, vt & molares dentes non ſolùm laxando; uerùm, & alueolos eorundẽ corrodendo, excutere, atque extirpare potuerit; modò craſſior, atq; denſior reddita, non adeò facilè per nares, ut antea, effluere potuit; ſed per infundibulum, ad palatum partim, partim in uentriculum tranſmiſſa fuit.

Hinc vltimo ſuperiori menſe accedit perpetuus auris dextræ tinnitus, quòd ſcil. portio materiæ catarhalis per nares non expurgara in aurem influxerit, à qua in cauitate oſſis petroſi hærente, eleuata exhalatio aerem implantatum agitauit, & ſonum confuſum, atque inconditum excitauit, ac proinde deprauatum auditum, & utcunque diminutum, quia, cùm idem aer implantatus, quietus, & immotus debeat conſeruari, ut ſpecies audibiles recipere poſſit, cùm omne recipiens debeat eſſe denudatum natura recepti, ſitque hic [e] auditus inſtrumentum, ut uiſionis cryſtallinus humor; quia uerò à uaporibus è catarrhali materia cõtinuò eleuatis inſitus hic aer agitatur, atque mouetur; hunc ualdè imminutam, atque confuſam ſuccedere opus eſt ſonorum externorum receptionem, quę ſpatio temporis prorſus aboleri poſſet, obſtructione, ex nouæ materiæ affluxu adaucta, niſi curatio adhibeatur.

e 1. de Sympto. Cauſ. 3. & 8. de Viu Part. 6.

f Celſus 6. de Re Med. 7.

Ex iam dictis, quod maius negotium faceſſit, eſt deprauata totius nutritio, caloris innati deficientis, atque imminuti indicio; prout conditio ſanguinis a nobis obſeruata caloris p. n. exuperantiam liquidò demonſtrat; quæ mala omnia à iecoris feruidiori intemperie, & ſubinde à copioſo ſanguinis per hæmorrhoidas effluxu proueniunt; prout ab eodem, caput, quod naturaliter intemperatum fuerat, maiorem adhuc imbecillitatem fuit adeptum; unde materia craſſior, & expultrix facultas imbecillior reddita eſt. Quibus omnibus conſideratis, & Cachexiæ, Hydropes, & ſurditas imminere videntur. Quæ tamen omnia nos declinare poſſe ſperamus; cùm Illuſtriſſimus Patiens ætate virili florens, firmam adhuc num totius corporis conſtitutionem præſeferat, nec in Victus ratione errores committat, ſeque medicis præceptis obtemperaturum polliceatur.

Quare Medici Intentiones eſſe debebant, primas uias expiare; obſtructiones auferre; totum uenoſum genus ſeroſitatibus expurgare, & limoſum ſanguinem imminuere; Intemperies corrigere; uenas ſedales roborare; & materiam in aure concluſam diſſoluere.

Atque adeò ex Chirurgico fonte moderata ſanguinis miſſio ex Iecoraria dextra neceſſaria exiſtimata fuit, remiſſionis cauſa ab hæmorrhoidibus, Iecori, & ſanguini contemperando; ac tandem conditioni ſanguinis explorandæ. Canterium in ſiniſtro brachio omnino ne-

no neceſſarium putamus; ſicut & alterum in coxa dextra utile ualdè cenſemus.

Ex Pharmaceutico, primum Leniens deſumendum, ex caſſ. lenit. & tart. Prima præparantia erunt, Iulap. acet. aromat. cort. cit. ad ℥ iii. cum modico iure ſem. citri, aut cort. cit. alterato. Purgans erit caſſ. cum pil. de tribus, cui ſuperbibat ſerum capr. depur. Inde ad efficaciorem præparationem deueniendum, & potius ſuccis depuratis, quàm ſyrupis dulcibus. Præbeantur itaque ſuccus cichor. borrag. & agrim. ad ℥ iii. in decoct. cich. borrag. end. acet. hepat. beton. addito tart. uitriol. ad gr. xii. f. p. ſex, aut ſeptem diebus aſſumenda. Deinde purgans exhibendum, ex elect. lenit. diacathol. & mechoac. extracto; à quo bibat ſerum depur.

Et quoniam obſtructiones ex toto nondum erunt extirpatæ, ideo aperientibus inſiſtendum, potiſſimùm cum Rhab. uti nobis non liceat, ut quod uenas ſedales reſerare aptum ſit, nec interim intemperies corrigi queant, morbo organico uigente. Quare, x. aut xii. dies huiuſmodi ſumat aperiens. ℞. ſucci cichor. depur. ſucc. agrim. fumar. dep. an. ℥ i. decoct. cichor. borrag. pentaph. aſparagor. abſinth. ℥ v. m. pro ſyr. & ſic pro aliis; quibus præmittatur hic bolus. ℞. troch. de eupat. ℈ ſ. ſalis abſinth. & ammon. an. gr. v. m. Interim aliquod hydragogum ex uſu erit, ut minuantur ſeroſitates, ut. ℞. elect. lenit. ℥ ſ. magiſt. Ialap. gr. vi. extracti mechoac. gr. x. m. reſor. bol. tribus horis, ante cibum aſſumendi; a quibus, ſumat pil. (licet hæmorrhoidibus alioquin infenſas) quæ & totum, & caput expurgare poſſint. ℞. pil. cochiar. cum helleb. ʒ i. aggregat. ʒ ſ. ſalis abſinth. gr. vi. m. cum ſucc. beton. q. ſ. reſor. pil. & duabus poſt horis, bibat aquam hordeaceam ad ℔ i. Quo tempore caput purgantia in vſum reuocanda. Sic errhinum adinſtar tabaci ita parabitur. ℞. pul. maior. ʒ iii. Ireos florent. ʒ ii. m. & attrahatur.

Hinc ad intemperies corrigendas deueniri poterit. Et primum quidem, pro Iecore, quoniam non parum prodeſſe poterunt ſucci, iam alio quoque fine à nobis ſupra exhibiti. ideo ſufficiat uſus ſeri capr. deſtill. x. aut xii. dies; qui ut diureticus euadat, addantur gr. xii ſpir. tart. poterit enim & uenoſi generis ſeroſitates per urinam ducere. Aquæ Thermales acidulæ refrigerantes, noſtro caſu, locum non habent; ab his enim natiuo hepatis calore obruto, hydropis metus impendet.

Supereſt tandem humida capitis intemperies exſiccanda, & materia in aure concluſa diſſipanda, quod conſequi difficile fuerit, ob æſtiuum calorem, qui tunc dubio procul vigebit; attamen uſurpari poterit aliquod exſiccans, nec ualdè calefaciens, quale erit præſens. ℞. rad. cannæ mont. ſantal. alb. lig. buxi an. ℥ ſ. Aq. ſtill. cichor. beton. an. ℔ i. ſ. m. f. infuſ. per horas 24. deinde adde quartam partem pulli iunioris, & bull. ad conſumpt. dimidii. colat. uerò ſeruetur pro duobus diebus, matutinis horis, per menſem quotidie aſſumenda; quo tempore uictus potius exſiccans ſit, à fructibus, & à potu copioſo abſtinendo.

Vt uerò materia in aure concluſa abſumatur, præmittantur ſuffumigia, aliquot diebus, intro admittenda idoneo aliquo inſtrumento parata ex decoct. nigellæ cymin. rutæ, rad. cucum. ſyl. uel ſ. in aceto; mox turunda bombycina in aurem inducta, illita hoc medicamento; ſumatur pomum colocynth. & ſecetur ſupra medietatem; deinde nonnihil excauetur, & impleatur oleo amygd. amar. & felle capræ, collocetur in feruentibus cineribus, miſceatur, fiat expreſſio. Nec minus efficax erit huiuſmodi; excauetur cæpa, atque impleatur pariter ol. amygd. amar. cum modico felle capr. addendo pulu. cymini, & poſtquam ebullierint omnia in olla, fiat cæpæ expreſſio ſimul cum reliquis, & ſucco illinatur turunda, in aure detinenda.

Venis ſedalibus quoque aliqua ſenſim roboratio concilianda, in quem finem, ſat erit, ut ſemper poſt fæcum eiectionem, & abſterſionem, partibus illis humidioribus pulu. boli arm. orient. inſpergatur; aut goſſypium accommodetur, quo non ſufficiente, pul. conſtrict. in officinis parato utendum.

His omnibus addenda erit congrua uictus ratio, in ſex rebus nonnaturalibus. Et primò quidem Aer caliginoſus uentoſus, matutinus, & ueſpertinus, quoad fieri poteſt uitandus, necnon inſolatus, hyemali quinetiam tempore. Inter cibaria abſtinendum à nimis calefacientibus, à frigidis quoque exhalantibus, & incraſſantibus. Sic lactaria omnia uitanda, lactuca inter olera, cæparum, & allii condimenta, legumina, hordeo, & oryza exceptis, Lagana, oſtreacea; Fructus omnes, exceptis fragis, ceraſis maturis ſubdulcibus, pepone, & ficu. Vina generoſa dulcia, auſtera, & niue refrigerata uitentur, imò medicatum in doliolo paretur, ligno roriſmarini, uel pauco ligno lentiſcino, & ſaſſafras alteratum. Abſinthium in uſu habeat, à prandio, uel conſerua, uel bolo ex ℈ i. ſucc. eiuſdem condenſ. erit

enim

enim minus iniucundum. A Cœna ſumat conſeruam è fl. beton.uel roriſmarini, & manè prima menſa, de more, ſorbeat ius cichoreo alteratum. Interdiu parum dormiat, niſi noctu uigilauerit. Exercitium opportuniſſimum fuerit, ſed ante [g] cibum. Aluus lubrica ſeruanda arte, ſi ſpontè non reſpondeat, iuſculo prima menſa hauſto, alterato malua, & fol. mercurialis. Alacri interim, & præſenti animo uiuat. Quæ omnia à Summo Medicorum Medico ſalutaria precamur.

g 4. in 6. Epid. vlt.

LXIV.

CACHEXIÆ PRINCIPIVM. Nephritici, & Hyſterici Affectus.

PLurimùm mihi placet, prout cunctis in medica facultate verſatis placere debet Placentius hic, Vir quidem Eruditiſſimus, & in Arte Præclariſſimus, ut qui tot morborum, totque ſymptomatum, Matronam Exc.iamdiu diuexantium, ideas, & cauſas adeò accuratè perſtrinxerit; & præterea cautiones, eiuſdem proprietates indiuiduales ſpectantes obſeruauerit, nobiſque palam fecerit, quibus alioquin non enarratis, congruam, & genuinam curationem præſcribere utique nobis impoſſibile fuiſſet; quibus omnibus innititur quoque prudens curatio, ab eodem Viro propoſita; qui proinde nos manuduxit in exactam, tum cognoſcendorum, tum agendorum notitiam, ita ut nullomodo falli poſſimus.

Admirationem forſan mouere poſſet medicis quibuſdam ſtatus Matronæ huius Excell. optimo alioquin torius, & iecoris temperamento à natura donatæ, carnoſo habitu, roſeo, & albicanti colore, ad plethoram potius, quàm ad obeſitatem inclinantis, innata prudentia præditæ, procul ab erroribus in uiuendi ratione educatæ; quæ nihilominus, declinante adoleſcentia, ſymptomata uaria pati ceperit, iuuentute ineunte ingraueſcentia, atq; multiplicata; quod tamen nouum non eſt Viro huic Excell. conſideranti, quod animi pathemata, quæ Exc.iam paſſa fuit, naturalem eiuſdem ſtatum atterere, ſanguinem, & ſpiritum corrumpere, facultates, & functiones ſubuertere, animum deijcere, quamplures item, & varios affectus infligere, ac mortem tandem quoque inferre maximè valent, ut non ſemel ſcribit [a] Galen. niſi Matrona Excellentiſſ. magno, & generoſo fuiſſet animo prædita; quæ tanquam princeps cauſa huiuſce mutationis inſuetę etiam à nobis habetur; dum enim ſtudia, atque animi perturbationes, ſpiritus vnà cum innato calore ad interiora reuocant, calidum, atque biliosum ſanguinem produxerunt; quinimò tandem & melancholicum; quo corrupto, quid mirum, ſi & conceptus præter naturã, molæ nempe carnoſæ, modò mẽbranoſæ obſeruatæ fuerint, & faciles abortus, cum lochijs copioſioribus non ſolùm, verùm, & ſanguinis immodicis profluuijs, quæ molis non ſolùm ſuccedere, ab iiſdem ualdè irritata expultrice; ſed & à vitiato [b] quoque ſanguine excitari ſolent: quæ licet ab vtero, ob copiã tamen toto [c] genere præter naturam euadunt; quòd [d] alia mala ex his pullularint, nimirum caloris naturalis imbecillitas, à qua cruditatum prouentus, calculorum, & arenularum cauſa materialis, hypochondriorum inflationes dolentes, necnon pedum intumeſcentiæ. Et quamuis omnia hæc natiuum calorem labefactatum ſignificent; attamen adſcititius vigere, quinimò augeri, propriaſque uires exerere nunquam deſtitit; ſiquidem, renibus accenſis, arenularum, & calculorum cauſa efficiens euadit; dum urinas quoque turbatas, cum aliqua leui dyſuria efficit, atque à toto exhalationes expirans, in capite, & cerebro phlogoſes; & liquando ad genam quandoque fluxiones, cum tumoribus producit; quinimò in toto ſanguinem ipſum accendens, circa cor, procliuitatem ad iram, interdum quoque profluuia ſanguinis ex urero, bilioſi primùm, & ſub finem menſtruæ purgationis, ob exuſtionem, nigri, & grumoſi, excitat; ſicuti ab eiuſdem aliqua portione, in portæ venis exuſta, melancholiæ hypochondriacæ apparent præludia, ventris nimirum inflationes, cordis oppreſſiones, & palpitationes, non tamen perdurantes, ſed Exc. Matronæ animo forti, atque generoſo cedentes. Non inficiamur tamen, ob iam intermiſſos Venereos congreſſus, hyſtericas quoque exhalationes in cor, & ſeptum, ab utili excremento ſuppreſſo; atq;

a 5. de Sympt. Cau. 5. & 4. de loc. Aff. 2.

b de ſympt. Diff. 6

c 3. de Sympt. Cau. 2.

d 5. Aph. 57.

cor-

corrupto eleuatis, ſuffocationes, & animi deſiquia inuehere poſſe.

Et licet, ut diximus, obſeruationes à Viro Excellentiſſimo adductæ quodammodo proprietates indiuiduales ſpectare uideantur; earum tamen ratio reddi poſſe nobis uidetur; etenim prout metaſtaſis, partem quidem grauare, ita deſtitutam degrauare ſolet; unde ex Hippocr. e, *Mulieri menſtruis deficientibus, ſanguis è naribus profluens bonum*; & præterea f. *Mulieri ſanguinem euomenti, menſtruis erumpentibus, ſit ſolutio*. Secundò alui deiectiones, præſertim ſpontaneæ, aut lenientibus ſolicitatæ ſemper profuiſſe obſeruatæ ſunt, redundante Excell. Matrona cruditatibus, tum ob ventriculi imbecillitatem priuatiuam, tum forſan etiam propter obiecta improportionata. Tertiò à purgantibus ob̄ledītur, quia in venoſo genere ſi excrementa hæreant, ut cruda, & non concocta, purgationi obnituntur. A phlebotomia quartò leuamen ſuccedit, tum quia humorum copia in venis redundans, detractione facilius, quàm ſubductione minuitur, & ſubleuata natura, ab euacuatione ſuperiorum partiū, facilius ſuperſtites ad inferna detrudit. Quę cauſa fuerit, quod forſan, quintò motus, & agitatio corporis menſtrua ſiſtere ſoleat; quoniam ab his copia humorum, à repleto venoſo genere, affatim ad uteri venas præcipitatur, obſtruit, & menſtrua ſiſtit. Hinc quoque ſextò, Thermales aquæ, licet non ad uterum, ſed circa eundem confertim irruant, humores copioſos à toto ad uterum mouent, qui ſibi ipſis uiam intercipiunt. Secus autem ſeptimò aquæ Nocerianæ, non affatim, ſed paulatim aſſumptæ, paulatim quoque à toto excrementa alliciunt ad urinæ vias; vnde vrinę copioſiores, & ſtranguriosę, g non nephriticæ redduntur, cuius aquę uſu, uniuerſum corpus ſpatio temporis, licet non ſine moleſtia expurgatum fuiſſet, ut Gal. quoque cum Hipp. obſeruarunt. Lac verò aſininum tandem, octauò, quoniam neque euacuandi, neque magnoperè alterandi, ſed reſrigerandi, humorum acrimoniam, ac mordacitatem demulcendi, ac nutriendi facultate pollet, incipienti melancholiæ accommodatiſſimum, ideo Matronę Exc. prodeſt.

e 5. Aph. 33.
f 5. Aph. 32
g 2. in 1. Epid. 8. & 41.

Quibus omnibus conſideratis, Matronam Excellentiſs. affectibus pręſentibus, non ſolùm leuari; uerùm & ab imminētibus pręſeruari poſſe ſperamus, dummodò pręceptis medicis obtemperare non detrectauerit, & propria, ac naturali optima conſtitutione benè vti voluerit.

In quem finem, medici ſcopi erunt, cacochymiam auferre, & minuere plethoram. Secundò intemperies, potiſſimum calidam iecoris, & renum, necnon ventriculi frigidam obtundere. Tertiò calculoſam diſpoſitionem corrigere; non neglectis hyſtericis exhalationibus.

Quibus omnibus, hoc anni tempore, cùm ſatisfieri omnino non poſſit; ideo, quę in præſens agenda fuerint, & quę Vere proximè futuro, ſeiunctim attingemus.

Remiſſo itaque anni temporis æſtu, de mittendo ſanguine ex ſuperiori vena erit omnino cogitandum; prout ſi non ægrè ferat, cauterium coxæ, aut cruri inurendum. Frictiones totius corporis aſperiori linteo frequenter adhibendæ.

Refrigerantia externa renibus apponenda, hoc pingui, & carnoſo corpore, conſultò omittimus, ut quæ ad partem affectam peruadere non poſſint; & partes extimas denſando, calorem potius adaugere apta ſint. Quod ſi hyſtericę exhalationes in cor, & ſeptum irrepant, quinimò & in cerebrum ipſum, ſinapiſmi coxis admoti, ſed valdè acres, ex æqua portione caricarum, & ſinapi parati, pręſentem medelam afferre ſolent.

Ex Pharmacia reliqua depromenda medica auxilia; in quibus, prçmittendum leniens familiare magis, atque conſuetum; ſequentibus verò quinque diebus, exhibendum pręparans ſiaue quidem, ex ℥ ij. iulap. acet. & totidem aq. flor. citri; aut tor. citri, gutt. aq. cinnam. aſperſis, ut rurſus repetatur leniens prędictum.

Quo tempore, libenter Matronæ Excell. exhiberem aquam Tettucianam, cum vehiculo deiectorio; ventriculo namque robur conciliat, & primas uias mirificè abſtergit, abſque iecoris vel minimo contactu, nec caloris incremento, & quidem continuo triduo; cui tamen mox ſuccedat potio, ſummo mane, quatuor, aut quinque diebus, aut ſeri, aut aq. Nocerianæ, cuius continuus tantùm, & diuturnus uſus reformidandus. Ita enim primis vijs excrementis mundatis, moxque nonnihil humefactis, tutior euadet lactis uſus, matutino tempore; prout veſpertino ius pullæ contemperantibus alteratum, ſumma induſtria à Vito Excellentiſs. præſcriptum, prima menſæ; ſicut hora 21. uel 22. Balneum aquæ dulcis, malu. violis, lactuca, nymphea alteratæ, dummodò ab aeris clementia permittatur. Aſella autem viridibus herbis reſrigerantibus, & humectantibus, hordeoque nutriatur. Et interim Clyſteres conſueti, niſi aluus reſpondeat, ex lacte, butyro, & ſaccharo; vel ex lacte vaccino, addito,

addito ſyr. roſ. ſolut. parati, erunt iniiciendi. A lacte verò, uſum matutinum iuris pullæ alterati, à Viro Excell. præſcripti, repetat Exc. Pat. his, autumnali hoc anni tempore, contenta.

Præſtò verò habeat pulueres cordiales, ſub cibum aſſumendos; ſicut & in promptu ſit liquor præſeruatiuus, matutino tempore nonnunquam hauriendus, & alter curatiuus, recurrentibus præfocationibus, ad cochleat. per interualla deglutiendus. Primus autem ita parari poterit. ℞. aq. tot. cit. ℥ iij. elixir vitæ ʒ iij. iulap. perl. M. D. ʒ i. m. Secundus. ℞. aq. tot. citr. vel cord. Sax. ℥ iv. aq. theriac. ℥ ſ. iulap. gemm. M. D. ʒ i. tincturæ gran. ſambuci ʒ i. m. Quibus omnibus addamus, tota hyeme proximè futura, ſemel ſaltem in menſe, aliquod medicamentum euacuans, & ſuauiſſimè purgans, eſſe in uſum reuocandum; quale eſſe poterit iam à Viro Excell. præſcriptum; vel extractum aliquod ſennæ, aut polypodij, ad ʒ i. additis granis, ſi non magiſt. ialappæ, ſaltem mechoac. vinumque ad menſam medicatum paretur, ligno roriſmarini, & lentiſcino; nulla enim huiuſmodi ligna inſuauitate vinum imbuere poterunt.

De victus ratione non eſt, quod loquamur, illud ſolùm attingentes, quod cruditates, tanquam peſtis ſunt hoc caſu fugiendæ; ſucci namque crudi, & calculorum minera ventriculus eſt; ideo ſi ſemel tantùm in die, cibum capere annueret Excellent. Matrona, eidem ſaluberrimum foret; ſin minus, intercedat ſaltem inter prandium, & cœnam iuſtum interuallum: nil enim peius, quàm comeſtio ſupra comeſtionem; atque prandij loco, ſolùm ſit ientaculum, cùm potiſſimum pleniorem cibum, ad cenam, aſſumere conſueta ſit.

Verùm, niſi ad validiora, & efficaciora Vere proximè futuro deueniamus, Matronæ Excellentiſs. non magni momenti leuamen, minuſque integram ſalutem polliceri poſſumus; ideo, præmiſſa iam præſcriptæ ſimili purgatione, ad aquas acidulas, & vitriolatas ſeſe conferre debebit; quas ut coronidem, & omnium remediorum præſtantiſſimum proponimus, ut quæ viſcerum naturalium obſtructiones omnino reſerare, vias urinarias mundare, iecur, atque renes egregiè refrigerare, ſicque calculoſam renum diſpoſitionem remittere, & partes omnes, quas attingunt, roborare ſint aptæ, adeò ut iuremerito, cum Ariſt. ab effectibus ſacræ nuncupari poſſint.

Quibus aſſumptis, mox lactis uſus ſuccedere debet; cùm enim frigidam quidem, ſed & ſiccam quoque facultatem obtineant aquę iam dictæ, hanc ſatis lac ipſum corrigere poterit. Quæ omnia adminiſtranda à prudentia Excellentiſſimi Viri, optatum finem conſequi poterunt.

LXV.

CACHEXIA, CVM MENSIVM Imminutione.

NObiliſs. Veſtalis 45. annum agens, temperamenti calidi & humidi, habitus ad obeſum uergentis, cùm quatuor abhinc annis imminutè per uterum expurgata eſſet, paulatim habitum cacochymum contraxit, & tandem autumno proximè præterito, febricula quotidie, ſed leui correpta eſt, à qua poſt adhibita remedia conualuit quidem; uerùm ſtomachi imbecillitate, eiborum anorexia, & totius laſſitudine, capitis titubatione, alui ſtypticitate laborare non deſtitit, quodque deterius, crura illi, & facies intumeſcere cœperunt, menſtruorum expurgatione pariter imminuta perdurante. Quare de agendis pro ſalute conſulit.

Corpus calidi, & humidi temperamenti copioſiori per uterum expurgatione dubio procul opus habuit, cùm tamen circa quadrageſimum annum Virgo Nobiliſſima intempeſtiuè, & diminutè expurgari cœperit; unde nil mirum, ſi totius maſſa ſanguinea infecta totum habitum ad cacochymiam primò, & tandem ad cachexiam perduxerit, ut ex colore uitiato, & crurum, atque faciei intumeſcentia facilè conſtat; quinimò febricula autumnalis

lis

lis prætetita, quotidianos citcuitus ſeruans, in febrem albam, erroneam ab Hipp. appellatam, vel morbum Virgineum procul dubio migraſſet, niſi medicamentorum ope ſanata fuiſſet, cùm familiaris eſſe conſucuerit, non ſolùm iunioribus: verùm & a maturis, quibus menſtrua intempeſtiuè, aut imminuta, aut ſuppreſſa fuerint; ut primò de Virg. Morb. præclarè docet diuinus Senex. (a 1. de Virg. Morb. 1.)

Status autem Nob. huiuſce Pat. ad hydropen vergit; cum cachexia hydropicorum caput dici ſoleat. Et quoniam occaſio morborum ſemper ſpectanda, & auferenda, quæ fuit menſium imminutio, hancque auferri poſſe vix ſperandum ſit; cùm annos iam [b] perduuerit, neque adhibitis remediis reuocari potuerit, tum ob humorum qualitatem, tum ob expultricis, hac ætate matura, imbecillitatem; ideo eandem ſanitati reſtituere difficillimum cenſemus. (b 1. de Morb. Mul 4.)

Attamen, quia inſignes obſtructiones, aut tumores in abdomine non adeſſe credimus, ut ex relatis percipere eſt; ideo non omnino eſt deſperanda in meliorem ſtatum mutatio.

In quem finem medicæ intentiones erunt, omnium primò humores prauos redundantes expugnare; obſtructiones, ſi non manifeſtas, latentes tamen aperire; intemperies viſcerum auferre; eorundem tonum conſeruare; &, ſi poſſibile fuerit, menſtrua reuocare.

Quibus ut ſatisfiat, in fonte Chirurgico, ſi ſanguinis miſſionem conſideremus, cùm à menſtrui ſanguinis ſuppreſſione omnia mala emanauerint; ideo eiuſdem euacuatio indicari videtur. Verùm quoniam ſanguis ſuppreſſus iam in cacochymiam abiit, [c] nec amplius ſanguinis conditionem ſeruat, ideo cacochymos humores, electiuè purgantibus educere magis è re fuerit; ablata verò cacochymia, modicum ſanguinis ex vena brachii educi poterit, intermedio tempore, & æquè diſtanti à præterita, & futura menſtrua purgatione; ita enim explorabitur natura ſanguinis; & ratione motus, ſecunda vice, ipſo tempore menſtruæ purgationis, uteri vaſis adhuc hiantibus, ſaphena aperiri poterit, ſanguiſque parciſſimè educi. Fonticuli in cruribus conducere quidem poſſent, niſi à crurum intumeſcentia, quæ ſpatio temporis, ad coxas quoque forſan propagari poſſet, inhiberentur. Crurum lotiones reſoluentes, non tamen valdè exſiccantes aptiſsimæ fuerint, ex lixiuio, aqua ſalita, & modico aceto paratæ; quibus ſuccedant inunctiones ex ol. lil. alb. cum aromatibus, nitro, & vino maluatico, ad vini conſumptionem ferueſacto. (c 1. de Morb. Mul. 1.)

Ex fonte Pharmaceutico deſumenda Lenientia, Præparantia, Expurgantia, Aperientia, tonum partium Conſeruantia. Leniens erit potio ex manna clariſ. uel elect. lenit. cum magiſt. mechoac. Primum præparans poterit eſſe oxymel ſimpl. ad ℥ ij. cum ℥ i. aq. cinnamom. quinque dies; inde præbeatur euacuans ex pot. iam dicta, cum melle roſ. ſol. verùm duabus horis ante eandem potionem exhibeatur ʒ i. ſpec. hieræ ſimpl. cum lenit. duobus, aut tribus bolis reformatis.

Hac peracta primarum viarum expiatione, vtiliſsimè repeti poterit aqua Tettuciana; iterum, aut tertiò, cum vehiculo mellis roſ. ſolut. ut primæ viæ omnino mundentur, & ventriculus exſiccetur.

Inde ad interiores humores, in venis hærentes præparandos erit progrediendum, oxymelite ſimpl. ſyr. byzant. cum aceto. & de cich. cum rhabar. in decoct. cich. borrag. beton. meliſſæ, menthæ, aut abſinthii, agrim. & cort. citri. Præparati autem humores erunt educendi elect. lenit. diaphœn. cum pauca hiera. Vel infuſ. agar. rhab. ſennæ, epith. & cinnam. in aq. agrimon. additis ſyrup. de polypod. & mel. roſ. ſolut. Ab hac Venarum expurgatione, conuenientiſsimus erit ſyr: Fernel. Cachecticus ab ipſo dictus; quem cum rhab. hic Patauii, paratum habemus. Præbeatur autem quotidie, ad ℥ ij. in vino albo, non dulci, ad 12. vel 15. dies; eodem enim tempore, & obſtructiones aperire, & totum venoſum genus purificare aptus erit.

Quo tempore, ſi vteri vaſorum reſeratio ulla tentanda fuerit, præberi poſſet cyathus aq. agrim. & capil. Ven. in qua diſſolutus fuerit ſpir. tart. iterum, aut tertiò rectif. ad gutt. 15. aut 20. in cuius uſu perſiſtendum ad 12. vel 15. dies.

Tonum verò naturalium viſcerum conſeruare, & augere poterunt, præter alia, magnæ antidoti, tota hyeme vſurpandæ. Conſerua quoque abſinthii, vel ſuccus eiuſdem condenſatus in uſu familiari eſſe poterit. Quæ omnia, tum ventriculo, tum iecori robur conciliabunt.

Quibus congruam victus rationem, ab Excellentiſs. Adſtanti præſcribendam, addere neceſſe erit; circa quam hoc unum adnotamus, quod vinum paretur ad menſam medicatum ligno roriſmarini, lentiſci è Chio, & modico ſaſſafras, ita ut cuilibet vini ſitulæ infundantur ℥ ij. ligni roriſmarini. ℥ i. lentiſci, & ʒ iij. ſaſſafras, augendo doſin, pro dolioli mole. Salis verò communis loco, vtatur ſale roriſmarini, vel theriacali. Quæ omnia Nobiliſs. Virgini à Deo ſalutaria precamur,

---

LXVI.

MALVS CORPORIS HABITVS,
cum Hypochondriaca Affectione.

IN vtero Matris, Nobiliſs. Puerum, modò vndecimum annum agentem, malum habitum contraxiſſe à paterno ſemine, ex eo patet, quod gracilis, ſiccus, emaciatus, & vix vitalis in lucem editus fuerit, conſpirante quoque & externa cauſa, nimirum inſigni metu, ab ipſa matre fœtui incuſſo, ob caſum ex ſcala, quem matri vehementem timorem intuliſſe, fortis imaginatio, ob quam ſtigmata fœtui impreſſa permanſerunt, facilè prodit. Prauus autem totius habitus viſcerum naturalium labem cùm ſupponat, hanc non in ſola intemperie, ſed in organico morbo quoque ſitam ſignificant inſignes obſtructiones, quæ in hypochondrijs, in hunc vſque diem tactui obuiæ ſunt, vnde excrementorum prouentus, à quo & ab initio vlcuſcula in præputio, & in progreſſu, brachiorum tumores duri, ac dolentes, aliquando & doloris expertes,
a a. Per Ge cera 18. imò & quandoque vlcera [a] dyſepulota excitata fuere.

Quoniam verò excrementa heterogenea fuere, ideo tenuiora in ſcrotum, & teſtem, & quandoque cutis ſuperficiem influxerunt; quandoque tamen per aluum excreta, quandoque ſuppreſſa, & craſſioribus immiſta, febriculam accederunt; nec tamen vnquam mala huiuſmodi ſymptomata Nob. Puerum affligere deſtiterunt, quoniam viſcera ſemper affecta fuere, vnde tandem, tenuiori excrementorum portione conſumpta, craſſiorique aliqua in meſaraicis, & circa viſcera permanente; hypochondriaca, & melancholica affectio ſub-
b 8. Aph. 23. orta fuit; quam neceſſario timores, [b] atque mœrores ſequuntur; alia verò ad crura demandata, tumores in ijſdem excitauit, duros, & quidem indolentes, ſed in dies magis magiſq; ſemper increſcentes.

Non tamen viſcera tantùm naturalia, ſed & cerebrum quoque intemperatum fuiſſe, alopecia, ſiue achores in capite erumpentes ſatis prodiderunt, quibus intempeſtiuè à nutrice exſiccatis, Puer balbus euaſit. Ad hæc tamen omnia producenda, gallicam nutricis labem locum aliquem habuiſſe, minimè exiſtimandum, quia iam Puer Nob. à primæ conceptionis ortu, ante nutricis contactum, ſuæ inſalubritatis luculenta exhibuit indicia.

Quare non contra occultam cauſam, ſed aduerſus manifeſtam erit conuertenda curatio, obſtructiones auferendo; intemperies corrigendo; & viſcera roborando.

Quod tamen aſſequi difficillimum fuerit, nec niſi repetitis ictibus arbor hæc, naturalibus firmata radicibus, euelli poterit. Quare hoc anni tempore, nonnulla ſunt præſtanda, vt in meliorem ſtatum redigatur; alia deinde autumno proximè futuro, adminiſtranda.

Ex Chirurgico itaque fonte in præſens, præter totius inunctionem oleo amygdalino, ſola topica tumoribus admouenda.

A Pharmaceutico verò Lenientia, Præparantia, Purgantia, Aperientia, iecur, & venoſum genus Contemperantia, viſcera Roborantia; ac tandem à Diætetico ſubſtantificè Humectantia atque Nutrientia ſunt depromenda.

Lenientia itaque ſint, potio elariſ. iam propoſita. Præparans primum, quinque dies, iulap. acet. dilutum, cort. citri alteratum; deinde repetatur eadem potio, à qua hauriat ius, malua, vel hordeo alteratum. Inde ad validiora præparantia deueniendum, qualia erunt ſuccus borrag. depur. ad ℥ ij. cui addantur gr. viij. tart. vitriol. immiſtus decoct. borrag. end.

lupul.

Digitized by Google

lupul. agrim. capil. Ven. qua utatur ad octo, uel decem dies. Quibus exactis, repetatur potio magiſt. clarif. addendo infuſ. rhabarb. ad ℨ i. cui tamen ſuperbibat ſeri capr. depurat. ℔ i.

Progrediatur poſtmodum ad uſum ſyr. Fernel. ad ℥ ij. in iure malua alterato, decem, aut duodecim vices, ſed alternis diebus; diebus verò intermediis exhibeatur ſuccus borrag. depur. modo, quo ſupra.

His peractis, iecoris, & venarum feruor contemperandus, totumque corpus nutriendum; hanc enim intentionem neceſſariam magis cenſemus, quàm rumorum reſolutionem, in aliud tempus differendam. Atq; adeò ad uſum lactis aſinini perducendus erit Nobil. Puer, eodemque tempore, veſpertinis horis, ad Balneum aq. dulcis, malua, violis, & ſalice alteratæ, non ſolùm cruribus; verùm & toti corpori adhibendum; à quo totum corpus oleo amygd. dulc. inungendum.

Tumores verò adipe anſeris, mercurio addito, erunt illinendi.

Interim, tum ventriculum, tum hepar commodè roborare poterit ſal abſinthij, ad gr. x. vel xii. in iure, mane, & ſero, ante cibum exhibendus.

Hæc autem in præſens adminiſtranda neceſſariò cenſemus, ut reſeratis obſtructionibus, & quodammodò toto corpore renutrito, proximè futuro autumno, decoctum ſalſæ, chinę, cum terebinthina, corpus ipſum perferre poſſit, ne hoc tempore, ut monet Gal. morbum curemus, & Patientem occidamus.

Addatur prætereà congrua viuendi ratio, à Viro Exc. præſcribenda; cuius prudentiſſimæ curationi cætera omnia committenda.

LXVII.

CACHEXIA INCIPIENS, cum Reſpirandi Difficultate.

VIri Illuſtriſſimi ſtatus ad Cachexiam præceps eſt; cùm illius conditiones, ab Aretæo [a] conſideratæ, multis abhinc annis apparuerint, tumor nimirum, pallor, & macies. Et quidem tumor pedum, primis diebus quiete deliteſcens, at modo perpetuus. Pallidus totius corporis color, cum extremorum perfrigeratione, & aliqua macie, hiſce caſibus conſueta; omnia quidem ſymptomata nutritionis potiſſimum deprauatæ; necnon ſecundo loco diminutæ; cuius rei indicium quoque præbuit Tuberculum illud in dextero hypochondrio erumpens. His accedit reſpirandi difficultas, potiſſimum noctu, ſed & die quoque, tribus, aut quatuor horis à cibo ingraueſcere conſueta, præſertim à motu per loca accliuia; quæ tamen materiæ catarrhalis, viſcidæ, atque tenacis excretione, ſedatur; cuius, ſicut cauſa manifeſtiſſima eſt, catarrhalis [b] nimirum materia, à capite, tum eſſentialiter, tum per conſenſum à uenoſo genere affecto, in pulmones delabens, & magna parte in bronchijs hærens; ita non adeò nobis cognita eſt cauſa cachexiæ, quæ licet ut plurimùm ab affecto iecore pendeat; nonnunquam tamen etiam ab ipſo capite emanat; unde non ſolùm Cachexias, verùm & Hydropes à catarrhali deſtillatione prouenire nos docuit Hippocr. [c] dicens. *Fluxio retrò ad vertebras, & in carnes decidit*. Ex altera verò parte, cùm iecur antehac, non modò obſtructum; verùm & tumore eleuatum à nobis tactu fuerit deprehenſum, licet de ipſo in relatis nulla fiat mentio, ſed potius de tumidiori liene; attamen ſuſpicandi occaſio non deeſt, aliquam adhuc, ſi non in gibba, in caua ſaltem latere obſtructionem, cum eiuſdem viſceris imbecillitate; quod nobis ſuadent tumores in cruribus tantùm, non verò in reliqua corporis carne enati; necnon fluxio à capite, partes ſpiritales continuò afficiens, quod non eueniret, ſi fieret ad vertebras, & reliquas corporis partes materiæ eiuſdem à pectore diuerſio. Quibus addimus pondus viſcerum [d] naturalium, à quo Diaphragma in motu deorſum trahitur; cùm utrumque uiſcus utrinque valido ligamento eidem annectatur; unde ſequitur quoque aliqua

a Lib. 1. Cap. 16.

b 7. per Loca 6.

c de Loc. in Ho. 18

d 2. de Loc. Aff. 7.

læuium arteriarum compreſſio, & ſubſidentia; hincque quandoq; pulſuum [e] inæqualitas. Deinde viſcerum affectorum non leue indicium præbet ſanguinis impuritas; quæ ſe prodit vrinis, copioſis excrementis refertis.

[e 4. de Loc. Aff. 8.]

Quare, cùm duo potiſſimum ſint à nobis conſideranda, atque expugnanda, Cachexia ſcil. & à capite in pulmones defluxio, ordo procedendi, quinimò & neceſſitas ipſa poſtulare videtur, ut prius viſceribus naturalibus; deinde capiti opem feramus, ne cachexia omnino perficiatur, moxque in hydropem faceſſat.

Primis itaque uijs ſatis expeditis, ad obſtructiones, tum iecoris, tum lienis reſerandas deuenire oportet, humoribus in caua iecoris concluſis, leuioribus medicamentis per aluum eductis; reliquis verò per vrinam, quò natura uergit, expurgatis; fit enim aliquando, ut corpus uniuerſum per urinam [f], excrementis omnino defæcetur. A quibus, caput quoque erit expurgandum, & quantùm fieri poterit, exſiccandum; fluxio à pulmonibus diuertenda, & expectoranda; ac tandem, annuente Deo, partibus omnibus affectis roboratio concilianda.

[f 2. in 2. Epid. 8. & 41.]

A fonte Chirurgico nulla depromi poteſt ſanguinis miſſio. Cauteria duo brachijs inuſta neceſſario fouenda. Frictiones quotidianæ, ieiuno ventriculo, à nucha per dorſum adhibendæ. Crura, & pedes Ol. Lil. alb. in quo Nitrum, & Vinum maluaticum ebullierint, manibus inunctis, erunt bis die perfricanda. Pectus adipe anſetis, pulu. Ireos, & Oleo Lil. alb. reformato erit inungendum.

In Pharmaceutico, præmiſſa potione ex manna clarif. quinque ſequentibus diebus, præbeatur Oxymel ad ℥ ii. cum ℥ j. ſyrup. de Cort. Citr. præparantis loco. Inde repetatur potio præſcripta. Mox paretur ſyrup. ex decoct. Cich. Borrag. End. Petroſel. Agrimon. Pentaph. Fumar. Scolopendr. & Radic. Fęnic. cui infundantur gutt. x. Spirit. Tartar. & totidem grana Salis Viper. præbeatur verò ſummo mane, poſt pectoris tamen expurgationem, conſueto Lambitiuo. Poſtridie verò aſſumat ſyrup. Fernel. ad ℥ ij. in Aq. Agrim. & Vini albi tenuis, non dulcis an. ℥ ij. diſſolutum. Tertio die, iterum repetat decoct. iam præſcriptam; quarto ſyrup. Fernel. & ita alternatim procedat, ad 20. dies, & ultrà, ſi leuamen aliquod ſenſerit. Interim errhino aliàs à nobis propoſito caput erit expurgandum, & materia à pulmonibus diuertenda; quinimò & ſub ingreſſum lecti, Conſerua aliqua pectoralis aſſumenda, uel pectorale Electuarium, parandum ex rad. Enulæ, & Liquir. decoct. ſimul cum paſſulis, addita butyri ſulphuris portione cum Sacch. vel Melle Hiſpan. ad ignem reformato Elect.

His peractis, capiti, & pectori medela afferenda, cuius cauſa tunc temporis conſilium in arena capiendum; atque adeò de ſtatu Pat. Illuſtriſs. à nobis certioribus factis, erit præſcribenda.

Quibus omnibus victus ratio, aliàs à nobis præſcripta erit ſeruanda; cui addimus uſum quotidianum Salis abſinth. à ℈ ſ. ad ℈ i. tum in prandio, tum in cœna, & lignum Tamaricis Vino medicato conſueto addendum. Quæ omnia à D. O. M. ſalutaria enixè precamur.

Digitized by Google

LXVIII.

CACHEXIA, ET HYDROPIS Principium.

PAtiens Nobiliſſimus 63. annum agens, calidam & humidam, adeoque optimam temperiem ſortitus, à naturæ primordiis, vſque ad annum 53. inculpata ſanitate degit; ſpreta deinde hac naturæ dote, plures commiſit errores in ſex rebus nonnaturalibus, & potiſſimum in venereo congreſſu; quare, nouem abhinc annis, frequenti febre bilioſa continua, ſed ſpuria diuexari cœpit, in chronicam tandem, & quartanam deſciſcente; quæ medicis præſidiis adhibitis, ſpatio duorum menſium ceſſauit; verùm mox, ob viuendi liberam rationem, ipſa quartana recruduit, qua rurſus liberatus, tertiana ſuperuenit, quæ nonniſi diuturno temporis ſpatio, & ipſa quoq; receſſit; uiribus tamen poſtea attritis, rotiusque colote deprauato, cum deiecta apperentia; quo tempore, Rus ſeceſſit, ubi ſcabie uniuerſi corporis fuit infectus. Tandem Bergomum profectus, ibique quatuor annos commoratus, deſtillatione catarrhali infeſtari cœpit, in ventriculum, & frequeuti narium hæmorrhagia; cui ſucceſſit vomitus ſanguinis ſubatri, & grumoſi, cum excretione, eodem tempore, fęcum nigricantium, & ſæuiſſimis uentriculi doloribus, lipothymia, & tenebricoſa uertigine. Sub finem verò Menſis Aprilis nuper elapſi, uertigo tenebricoſa, capitis ſtupor, & hęmorrhagia inualuerunt, à qnibus conualuit quidem, perſiſtentibus tamen ſemper eadem uirium debilitate, inappetentia, & colore totius corporis fœdo, atque pallente, non ſine aliqua totius extenuatione, pedumque tumore œdematoſo, qui quadraginta abhinc diebus auctus eſt adeò, ut crura ad genua uſque œdemate tumeant, cum aliquo principio auctæ magnitudinis ipſius uentris inſerioris, & difficili anhelitu in motu, & potiſſimum locorum accliuium aſcenſu. Modò de agendis pro ſalute conſulit.

Frequentes contingere ſolent interitus in adoleſcentia, & primo ſenio; in illa quidem ob uiuẽdi inexpertum uſum; in hoc uerò, ob præteritorum fiduciam; etenim eodem uiuendi genere utimur in primo ſenio, eodem tamen non uigente natiuo calore. Ita Reuerend. Patiens, naturalibus uiribus plus æquo confiſus, ſupra 50 annum, natiuo declinante calore, & conſueta libera uiuendi ratione uſus, in febrem acutam primò, deinde in chronicam prolapſus eſt, in quartanam tandem, per abſceſſum deciſcentem, ſanatam quidem, ſed iterum recurrentem; quo tempore, quoniam eiuſdem color totius deprauari, uireſque languere cœperunt, exiſtimandum eiuſdem uiſcera, morbo non ſolùm in intemperie, imminuto uidelicet calore; uerùm & organico, obſtructionibus ſcilicet, obnoxia fuiſſe; unde tum imminuta, tum deprauata ſanguificatio ſecuta eſt, à qua primò frequens hæmorrhagia, ex attenuato ſanguine; qui per infundibulum in uentriculum delapſus, ibidemque craſſior, nigerque redditus, uomitu quoque reiectus eſt; ſed antea uentriculo infenſus, ſtomachicę lipothymiæ, & uertiginis, adducto in conſenſum utroque principio, auctor fuit; & corruptus, ipſius quinetiam febris.

Verùm quoniam hoc tempore uiſcera naturalia, me iudice, obſtructa fuerunt, nec proinde unquam ſuo priſtino roboti reſtitui potuerunt; hinc debilitato natiuo calore, ex prægreſſa immodica Venere, accedente quoque copioſa catarrhali in ventrem deſtillatione, apparuerunt ſimul tria illa ſigna, Cachexiam conſtituentia, nimirum [a] Totius gracilitas, & pallor, cum extremarum partium intumeſcentia; quæ quoniam hydropicorum caput dici ſolet, facilis quoq; fuit in eum affectum prolapſus, atque adeò venter quoq; intumeſcere cępit, cum difficili reſpiratione, Aſcitidis indicio; prout tumores œdematoſi, tum pedum, tum crurum, incipientem Anaſarcam indicant.

[a] Areteus Lib. 1. Cap. 16.

Status Reuerendiſs. Pat. eſt periculi plenus; altas enim radices egit, cùm & intemperies, & obſtructiones ſint confirmatæ, & forſan in tumorem durum conuerſæ. Nihilominus remedia admittit, ac proinde non deſerenda eius curatio.

Duabus ſatisfaciendo medicis intentionibus præcipuis; nempe iam genita excrementa

aquoſa

aquoſa, & pituitoſa euacuando, ac eorundem regenerationem inhibendo, quod quoniam præſtari non poteſt, niſi auferantur obſtructiones, & intemperies contemperentur, ut calor natiuus reuiuiſcere poſſit; ideo tum aperientia, tum intemperiem frigidam ventriculi, & iecoris corrigentia, natiuumque calorem roborantia indicantur.

Et primæ quidem intentioni ut ſatisfaciamus, in fonte Chirurgico, ſanguinis miſſio penitus omittenda, & Paracenteſis differenda; Aqua autem per aluum, urinam, & ambitum corporis euacuanda. Interim conuenire poterunt frictiones totius abdominis, manibus calidis, aqua vitæ madefactis; & tandem Ol. amygdal. amararum, & de abſinthio.

Præſcribatur verò potio ex manna elarif. addita infuſioni iridis radice; Deinde, quinque dies, aſſumatur aqua cinnam. ad ℥ i. cum melle roſ. ſimpl. inde iteretur hydragogum ex extract. mechoac. & magiſt. iaſappæ; mox repetantur ventriculum, & viſcera corroborantia, ut aqua vitæ abſinthites cum aqua Cord. Saxon. aut aqua theriacalis; quod ſi materiæ viſcidæ portio adhuc ſuperſtes fuerit, iam dictis addatur oxymel; atque ita tertio, aut quarto quoque die hydragogum exhibeatur: aqua enim nulla indiget præparatione.

Hinc poſtea ad obſtructiones remouendas deueniendum, ſyrup. de eupat. byzant. cum aceto, & de quinque radic. addito oxymelite, in iure cich. borrag. agrim. pentaph. gramine, & abſinth. alterato, & ſeptem exactis diebus, præbeatur elect. diaphœn. & diacath. addito mechoac. extracto; quo tempore, opportunus erit etiam uſus quotidianus ſyr. cachectici Ferneliani, ab eodem ſine rhab. præſcripti.

Ita imminutis obſtructionibus in caua iecoris, ad aperiendam gibbam partem, & tonum eiuſdem inſtaurandum deueniri poterit, iure galli, vel columbæ propoſito, ex ligno roriſmarini, ſalſa, tamariſco, & ſaſſafras, in aqua ſtillat. agrim. capill. Ven. & cich. parato. Et quia diureticum exigitur, ideo eidem addatur Spiritus tartari, præmiſſo bolo ex ſale abſinthii, ſale ammoniaci, cum terebinth. reformato; in cuius uſu integrum menſem perſiſtat. Quibus peractis, mihi arridet potius diureticorum continuus vſus, quàm ad diaphoretica tranſitus, ideoque puluere uiperino miſſo, inſcio Patiente, vrinam Pueri deſtillatam quotidie de more exhiberem, ad cyathum cum ſpiritu ſalis, & ſpiritu tartari.

Tandem viſcera roborantia ſunt exhibenda, ut conſerua abſinthii pontici, cum puluere hepatis Lupini; necnon ſuccus condenſatus eiuſdem. Verùm inſignis efficaciæ erunt magnæ Antidoti, Theriaca ſcil. aut Mithridatica confectio. Extremarum verò partium adhibeantur lotiones, ex lixiuio ſequefacto, cum ſale, & ebulis, à quo fiat inunctio ol. amygd. amarar. in quo ebullierint ſal, & aqua vitæ.

Quibus omnibus addatur accommodata, & proportionata victus ratio; cibi enim debent eſſe facilis coctionis, & optimi ſucci. Vinum album, maturum, ligno ſaſſafras medicatum, ſed paucum; etenim [b] quamminimùm bibere, & quamplurimùm laborare, ſunt ad ſalutem Hippocratica documenta. Quæ omnia Reuerendiſs. Patienti à ſummo Deo ſalutaria precamur.

b 4. Acut. 118

ASCI,

LXIX.

ASCITES.

QVadragenarius Vir, temperamenti ſecundum totum, & maximè ſecũdum iecur, ad calidum & ſiccum vergentis, habitus melancholici, Patre hydrope defuncto natus, hæmorthoidalibus fluxionibus iam obnoxius, & ab his macilentus redditus; iiſdem omnino ſuppreſſis, ineunte proximè præterito autũno, poſt acutam febrem, incidit in quartanam, qua vſque in æſtatem laborauit, cum lienis obſtructionibus; atque ſub nuper elapſi autumni principium, multis medicis auxilijs incaſſum tantatis, magis magiſq; in dies extenuatus, ſuperioribus maximè corporis partibus apparuit, abdomen verò ſibi intumeſcere obſeruauit, non ſine aliqua quoq; pedum intumeſcẽtia, quæ tamen foueam permanentem non admiſit, totius corporis mutato colore. Venter autem ſemper magis in tumorem excreuit, cum ſiti moleſta, & potius inappetentia Modò pulſatum abdomen ſonum quendam edit, & ad latera conuerſo Pat. inſignes fluctuationes obſeruantur; fœces egerit aridas, vrinas paucas, & turbidas; vires tamen ſatis conſtant. Nos itaque in præſentiarum de agendis pro ſalute conſulit.

Nulli non patet, Patientem hunc hydrope laborare; cùm abdomen in amplum tumorẽ eleuatum, pedeſque [a] tumidos habeat. Hunc affectum generatim, modò Aquam [b] inter cutem, modò Hyderon [c] Græcè, modò Hydropiſin, modò Hydropicum appellant morbum. Poteſt autem contingere hydrops & in toto, & in pluribus corporis partibus; vt in capite in hydrocephalis [d], in pectore [e], pulmone [f], teſtibus [g], vtero [h], ventriculo [i]; in abdomine [k] ex veſiculis, in iecore [l] pariter ex hydatidibus, in ieiuno inteſtino [m], & lacteis [n]; in ſterni [o] cauitate; & tandem in [p] toto. Qua autem hydropis ſpecie laboret ſtatuendum, cùm tres ſint, Aſcites ab Aqua, Tympanites à flatu, & Anaſarca à pituita, aut crudo ſanguine. Et licet Hipp. duas [p] tantùm ſpecies propoſuerit, Anaſarcam ſcilicet, & Tympaniten, nulla facta de aſcite mentione; ſub flatulenta tamen, & aquoſam voluit complecti; quia flatuum portio in aquam verti ſolet, ita vt nulla ſpecies protſus ſola vnquam reperiatur. Aſcites autem præſens eſt à prædominio, cum ſubdominante tympanite; vt inſignes abdominis [q] fluctuationes, cum aliquo ſonitu abundè ſignificare poſſunt; ſicut & pedum tumores foueam admittentes, vtpote à materia ſeroſa; præterea ſuperiorum partium contabeſcentia, ex deficiente nutritione; ſitis, [r] & imminuta appetentia ob ſeroſitatis ſalſedinem; fœces aridæ, & vrina pauca, ac turbata; quia aliò confluit aquoſus humor. Eſt autem hic affectus morbus in aucta magnitudine, & ſymptoma in actione iecoris alteratrice, ſeu ſanguificatrice, imminutè, & potiſſimum deprauatè læſa;

Sicuti verò non fit, niſi iecore, vel primariò, [s] vel per conſenſum affecto; ita vtroque modo affici credimus; dum primò conſideramus Patientis temperamentum calidũ, & ſiccum, habitumque melancholicum, cum hæreditaria hac praua in iecore diatheſi, quæ omnia ex Plutarcho de Sera Numinis Vindicta, caloris natiui totius, ſed potiſſimum viſcerum naturalium eſſentialem inopiam demonſtrant; quæ poſtmodum maius adhuc detrimentum ſuſcepit, à ſanguinis copioſa, & frequenti hæmorrhoidali euacuatione, & tandem ex toto ſuppreſſa; vterque enim exceſſus periculosus, ſiue immodicè fluat, ſiue nihil; ſi [u] Hipp. Gal. [x] & ipſi experientiæ fidẽ adhibemus; hinc febris acuta [y] in quartanam per abſceſſum deſinens, hinc lienis [z] obſtructiones, à quibus omnibus adaucta natiui caloris imbecillitate, & in conſenſum quoque adducto iecore, facilè potuit contingere hydrops; qui conſenſus ſemper ſupponit frigiditatem poſitiuam; non enim fieri poteſt hydrops, niſi [b] iecore perfrigerato, dicat quidquid lubet Eraſiſtratus [c], qui exiſtimauit, viarum anguſtiam, transfluxum ſanguini intercludentem, ſemper eſſe cauſam hydropis; ideoque iecut ſemper ſcirrho affectum, quo nomine quinetiam à Gal. arguitur. Sileat item Cardanus, qui ſemper à calore hydropem fieri exiſtimauit. Nec pariter benè ſentit Fern. & cum eo Platerus, quod ſemper à ſiccitate proueniat. Non Tral. [d] qui à cauſa calida colliquante oriri cenſet; niſi dicamus, ſcirrhum, & calorem exuperantem, & ſiccitatem immodicam poſſe innatum calorem, à quo propriè, & principaliter, atque immediatè hæmatoſis, & ſangui-

a 2. Progñ. 2.
b 1. de Morb. 3.
c Trall.
d Paul. 6. de Re Med. 3.
e de Inter. Aff. 25.
f 2. de morb 59.
g de Aer. Aq. & Lo. c. 7.
h 4. de Morb 34
i Ibid. 35.
k Aretens.
l 7. Aph. Com. 58.
m 2. Progn tixt 2.
n Columbus Lib. 11. Cap 3.
o 3. de Sympt. Cau. 2.
p 4. Acut. 111.
q 4 de Dign. Pulſ 3
r 4. de Morb 13.
ſ Act Tet. 3. Ser. 2. Cap. 17.
t 5. de loc. Aff. 7. Act & Trall.
u 3. in 6. Epid. 38. & 6. Aph. 13.
x 2. de Nat. Fac. 8 & 4. Aph. Co. 25.
y 6. de loc. Aff. 1 & in Coac. 1.
z de Aer. aq. & loc. 26. & 3. Aph. 11.
a de Aff. 23.
b 6. de loc. Aff. 1.
c 2. de Nat. Fac. 8.
d Lib. 9. Cap. 3.

gui,

guificatio procedit, corrumpere, imò abſumere, adeò ut iam dicta, cauſæ mediatæ hydropis euadant, non tamen præſentis; calor etenim natiuus, ab immodico calore, aut temperamenti, aut ab alijs partibus influente, tanquam ab igne excandeſcit, vt Hippocr. [e] verbis vtar. Diſtinguere autem debet calorem innatum à calore temperamenti, & ab influente, quicunque rei veritatem aſſequi velit. Inſigni [f] itaque frigiditate, vtroque modo refrigeratum iecur, non amplius cibos in ſanguinem, ſed in aquam tranſmutauit; atque inde, ab agente calore, in flatus. Aqua autem à iecore in abdomen, non per tranſudationem, quæ quoniam nonniſi longo tempore fieri poteſt, atque quotidie aqua generatur, extenſiuus dolor continuò iecur exerceret, & diuexaret; nec per rimas eiuſdem: id enim tantùm contingit, quando iecur aqua plenum in omentum eruperit, ut 7. Aph. 57. quod non ſemper fit; alioquin omnes hydropes breui lethales eſſent; neque per exiguum lobum in caua hepatis iuxta portas, vt Spigelius; diſrumperetur ſiquidem. Ab hepate itaque aqua, per ramos venæ portæ refluit, & in omenti venas irrepit, per ramum gaſtroepiploicum; vel etiam à liene attracta, [g] per utrumque ramum epiploicum, in omentum erumpit, indeque orificiis venarum patefactis, in cauitatem Abdominis, vnde aſcitius tumor. Niſi cum recentioribus dicamus, per vaſa lymphatica aquam in omentum deponi.

Qui ut ſanetur, aqua primò ſtatim educenda; coctione [h] enim non eget, quod licet non ſanet [i], ſanitati tamen locum facit. Secundò inhibenda eiuſdem generatio, reſeratis lienis obſtructionibus, & iecori naturali tono reſtituto, frigidam intemperiem auferentibus, & eiuſdem calorem natiuum fouentibus, totiuſque vires conſeruantibus.

Hydropicos autem aliquando ſanare ſolet natura, ſpontanea in ventrem aquæ effuſione, vt notat Hipp. [k] vel ſponte diſrupto umbilico, ut obſeruarunt Valeriola, Beniuenius, Amatus, Foreſtus, Laurentius, Vidius, & Benedictus; lethalis alioquin vt plurimum eſt [l] affectus hic iam cõſummatus. Attamen quia nondum tuſſis [m] ſuperuenit, nec ſcirrhus in uiſceribus adeſt; vireſque adhuc valentes ſunt, non eſt deſerenda curatio.

Et quidem in Chirurgico fonte, de ſanguine non eſt, quod [n] loquamur. Omnium verò primò conſideratur Paracenteſis, num hoc caſu conuenire poſſit, necne; quæ licet, & ab Eraſiſtrato, & ab Auic. & à Gordonio exitioſa exiſtimetur; attamen ſi omnes adfuerint conditiones, ad tutò eam peragendam neceſſariæ, libenter illam ſtatim præciperem. Verùm quoniam, caſu noſtro, aliqua ex principalibus deſideratur; ideo omittendam cenſeo. Hæ autem conditiones ſunt ſex. Prima, qvod non ſecentur deplorati, ſed vires valeant. Secunda, ſebre multa non laborent. Tertia, non adſit ſcirrhus in viſceribus. Quarta, morbus ſit recentiſſimus, nec viſcera ab aqua corrupta ſint. Quinta, non euacuetur tota aqua. Sexta, non ſit tempus æſtiuum, aut hybernum, ſi poſſibile eſt. In hoc autem hydrope plurium menſium, ſuſpecta labes uiſcerum, quæ ſola poteſt dehortari à tanto remedio, cuius infelix euentus Medicis facilè adſcribi ſolet; hinc apparet Rhaſis error, qui ſolùm in morbi progreſſu, ad paracenteſin deueniendum cenſet; cùm tamen tunc potius conuenire poſſint inuſtiones, non ſolùm ab Auic. & Albucaſi, verùm & à Celſo [o] propoſitæ. Aliquando tamen contingit, vt à natura monſtretur ſignum aliquod euacuationis, aut in umbilico, aut in ſcroto; atque tunc facilis, & tuta eadem ipſi Medico euadit ſectio. Miſſa verò paracenteſi, euacuari poteſt aqua per vomitum, ſeceſſum, vrinam, & ſudores.

At primò quidem vomitus periculoſus, ac difficilis; licet Foreſtus viderit quendam hydropicum, in mari nauigantem, uomitu liberatum. Ita ſudores difficulter prolici ſolent, tum ob aquæ diſtantiam à corporis ambitu, tum ob cutis denſitatem Aſciticis familiarem. Per aluum itaque, & vrinam euacuatio tentanda.

Inſtituatur itaque potio magiſtr. ex manna clariſ. addendo infuſioni conſuetæ rad. ireos ℨ i. duobus verò ſequentibus diebus, aſsumat Par. Mel. roſ. aq. cinnamon. an. ℥ i. mox repetatur medicamentum huiuſmodi. ℞. magiſt. mechoac. ℈ ſ. extracti eſuſæ ℈ i. pil. alephang. ℈ i. m. ref. pil. & exibeantur; Extractum enim eſulæ arcanum fuit Rulandi, à ℈ i. ad ʒ i. Vel. ℞. elaterii, ſucci ireos an. gr. v. pil. alephang. ℈ i. m. ref. Sicque tertio, aut quarto quoque die præberi poterit aliquod hydragogum, & diebus intermediis, aliquod ventriculum corroborans, & flatus diſcutiens; qualis aqua cinnam. theriacalis, aqua vitæ abſinthites, theriaca, ad ʒ ſ. Sic ſuccus tithymali, ad gutt. vi, ab Hipp. propoſitus; ſuccus ebuli à Gal. hydragogum medicamentum Fernelii, Paracelſi mercurius, pluties ſublimatus, & dulcificatus, ad gr. iv. vel vi. Radix item cucumeris ſylueſtris, ad ℈ i. Myrepſii; eadem in uino macerata Pauli, Laureola Rhaſis; conſerua è floribus perſicorum, Auicennæ.

Chymicis verò extract. elaterii cum ſpiritu vini paratum, à gr. ß. ad iii. extract. pariter

ialappæ

[e] 5. in 6. Epid. 5.
[f] 2. Aph. Com. 11.
[g] 1. de Morb. Mul. 87.
[h] Quos Quib. & Quand.
[i] Celſ. 3. de Re Med. 21.
[k] 5. Aph. Text Co. 14.
[l] De Aff. 23.
[m] 6. Aph. 31.
[n] De Attra bil. 9. & 4. Acut. 111
[o] 3. de Re Med. 21.

Digitized by Google

ialappæ, mechoac. eſulæ; extract. troch. alhandal. in uſu ſunt.

Noſtro tamen caſu, leuiora ſunt vſurpanda, ut frequenter repeti poſſint, abſque virium, & natiui caloris detrimento. Selectiora itaque, & iucundiora ſint, ſuccus radic. ſambuci, ad ℥ i. in uino, qui leniter purgat; decoctio item radic. ſambuci, uel ebuli, in vino, uel aqua ſtillat. ad ℥ ii. à Dioſcoride commendatur; aq. item ſtillat. ex eiuſdem flor. ad ℥ ii. Inſuſ. radic. Ireos, ſennæ, & epith. in uino accommodatiſſima erit; prout extract. mechoac. ad ℈ i. placidè purgat abſque ulla uentriculi offenſa.

Imminuta uerò aqua, lienis obſtructiones aperiendæ, & interim aqua, quæ de nouo emerget, ad uias vrinæ diuertenda erit. Quare parabitur ius, alteratum ſcolopendrio, tamariſco, fumaria, capill. Veneris, & capparis cort. præmiſſo bol. huiuſmodi. ℞. terebinthinæ noſtræ ʒ ſ. ſalis ammoniac. tart. uitriol. an. ℈ ſ. m. reſorm. b. exhibendus quotidie ante, ius per dies. Mox exhibeantur vnica uice pilul. huiuſmodi. ℞. pilul. de tribus ℈ ii. extract. ſennæ ʒ ſ. magiſt. mechoac. ℈ ſ. m. reſorm. pilul. & exhibeantur quatuor horis ante cibum. Tandem ducatur aqua ad urinæ uias, iure diuretico, quod etiam hepar ſpectare poſſit. Parabitur autem ex radice chinæ, cum ligno ſaſſafras, & roriſmarini; additis apio, petroſelino, capillo Veneris, agrimon. abſinthio; ante cuius uſum cyatho inſtilletur, vel ſpiritus terebint. ad ℈ i. uel uitriol. ad guttulæ vi. Inſcio uerò ægro parari poterit vrina pueri deſtillata, exhibita ad ℥ vi. cui immiſceantur guttulæ vi. ſpiritus ſalis, aut ol. iuniperi; quod erit efficaciſſimum diureticum. In diureticorum verò uſu, iniiciantur frequenter clyſteres, ex decoctione mercurial. ſoldanel. centaur. fœniculi, baccarum lauri, cum elect. aliquo hydragogo, aut melle roſ. ſolut. aut diaphœn. aut ol. chamæmel.

A proprietate verò iuuare dicuntur, lapis columbæ, uentri alligatus; ut præcipit Hollerius, lapis item ranæ terreſtris, in capite repertus, collo alligatus, ex Myrepſio. Buſo per medium diſsectus, & applicatus, iuxta Varignanam; imò Mulier quædam, cupiens ignoto ueneno Maritum hydropicum enecare, paulatim in puluerem redactum bufonem illi obtulit, ex quo urina copioſa profluente, præter ſpem ſanatus fuit.

Aliquod autem corroborans frequenter aſſumat, ut uinum abſintithire; aquam vitæ abſinthiten, atque hoc uerno tempore magnas antidotos. Extrinſecùs conuenire poterit emplaſtrum de cochleis, cum teſtis ab Aetio, & à Gal. xi. Simpl. commendatum. Vel. ℞. emplaſtrum admirandum in Aſcite, & Tympanite. ℞. radic. cucumer. aſinini optimè contuſæ, in aceto ſquillit. per 24. horas maceratæ ℔ i. mellis deſpum. ℔ ii. m. bull. ad conſiſtentiam emplaſtri; deinde adde cymini pulueriz. ℥ iiii. m. addendo aquæ uitæ parum, applicetur, & quotidie amoueatur, applicatis cucurbitulis ſiccis, ut rurſus apponatur.

Victus ratio ſit exſiccans, & optimi ſucci. Vinum ſit album, odoratum, paucum, ligno ſaſſafras medicatum. Iulius Viator Eques Romanus, hydropicus, ab omni prorſus potu abſtinentia liberatus fuit. Sic Ruſticus per annum nihil bibit, & abſque ullo alio remedio liberatus eſt, ex Beniuenio, & Ab Aquapendente.

LXX.

TYMPANIAS.

IVuenis 30. annum agens, temperamenti calidioris, non ſolùm ſecundum totum, ſed & ſecundum iecur, mediocris habitus, poſt uarios errores in viuendi ratione, & potiſſimum uſu carnis caprinæ, porcinæ, bubulæ, caſei, aliorumque acrium ciborum, ut cæparum, allii; potu item conſueto uini dulcis, æſtum quendam in hypochondriis percipere cœpit, cum exſiccata aluo; quibus ſucceſſit aliqua uentris inflatio, cum rugitibus; hiſque paulatim ſuperuenerũt dolores, tum ventris, tum lumborum vehementes, qui uariis medicamentis adhibitis nunquam cedentes, tandem euanuerunt, toto abdomine in molem eleuato, diſtento, & in orbem circumſcripto, ſiue ſtet æger, ſiue iaceat, ſine pondere, & fluctuatione, ſed potius cum rugitibus; pulſatum uerò tympani more reſonat; lumen appoſitum alteri parti, tranſparet ex altera; cuius affectus duratio eſt iam vnius menſis. Pat. itaque medicum petit auxilium.

In huius autem affectus idea conſtituenda laborandum non eſt: Tympaniten enim, ſiue hydropem ſiccum omnibus numeris deſcriptum habemus, ex tumore orbiculari totius abdominis, qui pulſatus adinſtar tympani ſonum, edit idem ſemper permanens, tranſparens, abſque pondere, aut fluctuatione; quæ omnes conditiones ſolius flatulentæ materiæ præſentiam ſignificant. Quorum licet cauſam aſſignare haud difficile videatur, flatus ſcil. nihilominus modus, quo hi ſuſcitantur, à qua parte, & qua uia in abdominis cauitatem irrepſerint, nobis negocium faceſſit; cùm huius hydropis ortum præceſſerint ſymptomata quædam, alium affectum præteritum ſignificantia, quem choleram ſiccam, aridam ab Hipp. appellatam, & à Gal. quinetiam, dubioprocul fuiſſe arbitramur; expreſsè enim ſcribit Hipp. *Ab arida cholera venter inflatur, ſtrepitus fiunt, & dolor tum laterum, tum lumborum, nihilque aluus deijcit, ſed adſtringitur.* Gal. uerò in Com. *Vt humida cholera ab acribus oritur humoribus, qui ex alimentorum ingeſtione prodeunt: ſic arida ex ſpiritu flatuoſo, acri, qui neruoſa corpora mordens, & intendens, dolores parit.* Hæc Gal. Quod ſi dolores huiuſmodi medicamentis non cedant, ad hydropem Tympaniten æger perducitur, atque adeò Hipp. *Quibus tormina, & circa vmbilicum dolores, & lumborum dolor, qui neque medicamentis, nec aliter ſoluitur, in aquam inter cutem ſiccam firmatur*; vt noſtro quidem contigit Par. arida prius cholera correpto, ex liberaliori uiuendi ratione, in uſu [a] caſei, carnis bubulæ, caprinæ, [b] porcinæ; [c] vnde Bianti [d] uoraei contigit cholera ex porcinis carnibus, & ebrietate uini odorati; prout accidit ex uſu allii [e], cępæ, porri, necnon uini [f] dulcis; cùm flatus diù in hypochondriis concluſos excitent: etenim ex iam dictis praui ſucci, & corruptis cibis, excrementa cruda, [g] & acria genita fuerunt; ex quibus debilis calor prauos halitus exhalationis potius, quàm uaporis naturæ participes eleuauit, æſtu coctiones turbantes, & cibos quotidianos ad corruptelam diſponentes, quorum potiſſima pars rurſus in halitus, & flatus acres conuerſa, partes neruoſas feriens, dolores, tormina, & uentris inflationes, atque proinde inteſtinorum, & meſenterii contractionem, ac uiarum interceptionem inducere potuit; qui flatus, quoniam in tunicis concluſi, inter inteſtina, & meſenterium [h]; ideo dolor ad lumbos exporrectus fuit, cùm meſenterium lumborum vertebris annectatur; & tandem ab his partibus facta metaſtaſi, uel per cęcos ductus, cum Fernel, uel cum Platero, & forſan melius, per oſcula venarum meſaraicarum, in abdominis cauum ſe inſinuarunt; unde dolores ſedati, abdomen uerò in tympaniticum tumorem extuberauit, cuius minera genuina, & propria, in inteſtinis, & uentriculo deliteſcit, licet negandus non ſit ipſius quoque iecoris conſenſus.

a 4. Acut. 97.
b 4. Acut. 100.
c Ibid. 109.
d 5. Epid. 68
e 7. Ep. 80.
f 3. Acut. 2.
g 4. Acut. Co. 103.
h 4. Aph. xi

Hæc autem hydropis ſpecies omnium periculoſiſſima habetur, potiſſimum in hoc Patiente, in quo inæqualis coniicitur intemperies, cum flatibus acribus; quæ ideo à [i] Gal. implicitè inſanabilis cenſetur, prout & apud Auerroem, & Aetium [k], attamen quia Pat. iuuenis eſt, affectus uerò recens, & à leuiori [l] frigiditate, quàm aſcites fit, iuxta Gal. opinionem, & quia non omnino inſanabilis habitus fuit ab [m] Hipp. ideo ſtatim tentanda eius curatio, antequam aſcites illi ſuperueniat, prout ſæpiſſimè accidit. Primò itaque purganda excrementa in ventriculo, & inteſtinis hærentia. Secundò [n] temperantibus, & demul-

i 3. de Sympt. Cau. 2 & 4. Aph. Co. xi.
k Tetr. 3. Sermo. 2. Cap. 20.
l 4. Aph. xi.
m 4. Acut. 3.

mul-

Digitized by Google

mulcentibus utendum, quæ & valentius præparent, vt cætera medicamenta, tum flatus diſcutientia, tum calorem nativum corroborantia, tutò adminiſtrari poſsint. Tertiò flatus diſcutiendi. Quartò ventriculus, & inteſtina roboranda. n 4. Acut. 104 & ibid. 105. o Ibid. 106

Atque in Chirurgico fonte, licet in hoc affectu, nec ab Antiquioribus, neque à Recentioribus proponatur ſanguinis miſsio; imò à Gal. p omnino prohibeatur; attamen euacuatis prauis humoribus in ventriculo, & meſenterio concluſis, auderem ego hoc caſu hirudinibus applicitis venis ſedalibus, ad ℥ vi. ſanguinem extrahere; cùm venæ illæ rectà à meſenterio ſanguinem euacuent, atque deriuent. In progreſſu verò cucurbitula magna, cum multa flamma, ventriculo appoſita, veluti q incantamentum, flatus diſcutit; ſic & plures toti abdomini applicitæ repetantur, deinde calidæ perfricationes. p 4. Acut. Com. 11. q 12. Mech. 8. & 14. Mech. 7.

A fonte Pharmaceutico præcipuè deſumenda remedia, primò quidem euacuantia; circa quæ obſeruatum à nobis fuit, quod purgantia nihil proficiunt, quin potius malum exaſperant. Quare ſufficiet elect. lenit. cum hiera, ut. ℞. elect. lenit. ℥ i. hieræ ſ. ʒ ſ. m. f. b. Vel potiùs ℞. mellis roſ. ſolut. ℥ v. elect. lenit. ʒ v. aq. cinnamom. ℥ i. decoct. cord. q. ſ. m. f. p. Primum præparans ſit huiuſmodi. ℞. mel. roſ. colati ℥ ii. crem. tart. ʒ ii. aq. cinnamom. ℥ ſ. m. pro vna doſi; & diſſol. in pauco iure pullæ, & ſic ſex dies; à quibus repetatur alterutrum ſupradictorum medicamentorum, ſuperbibendo ius borrag. malu. & ſem. citri alteratum. Expurgatis excrementis in ventriculo, & inteſtinis exiſtentibus, ſecunda erit explenda medica intentio tali ſyr. ℞. ſucci borrag. depur. ℥ ii. agrim. ℥ i. decoct. cich. borrag. agrim. capil. Ven. radic. gram. pentaph. abſinth. alterati ℥ vi. m. pro ſyr. & ſic pro aliis, x. aut xii. diebus aſſumendis. Interim infundantur Clyſteres carminatiui, & hoc tempore potius ex ol. laxantibus, & diſcutientibus, chamæmel. & liliac. addita portione rutacei. Inde ad aliquod aliud medicamentum euacuans progrediendum erit. Et quoniam ut plurimùm portio materiæ flatulentæ, & vaporoſæ in aquam denſari ſolet; ideo paretur hæc formula. ℞. elect. lenit. ʒ vi. pil. alephang. ʒ ſ. extract. mechoac. ℈ ſ. balſami factitij gutt. vi. m. ref. b. & exhibeantur, tribus horis ante cibum. His peractis, deueniendum erit ad aquas thermales Tettucianas; quæ & reliquias humorum in inteſtinis, & eorundem ac ventriculi intemperiem corrigant, quarum uſus & Gal. placuit. Præbeantur autem ad ℔ v. cum vehiculo mellis roſ. ſol. tribus ſaltem vicibus. 11. Simp. 2

Tertia intentio fuit flatuum diſcuſsio, cui explendæ Hipp. ſ præbuit vinum tenue, meracum, antiquius. Gal. verò alibi diatrion pipereon; qui ideo arguitur à Tral. licet immeritò primò enim notandus Hipp. meracum proponens, ut prudenter conſiderauit Salius. Quare, licet flatus acrimoniam iam contraxerint, modò ob eorum attenuationem, & reſolutionē, iure Hippocr. meracum vinum, & Gal. diatrionpipereon proponunt, dummodo æſtus in ventriculo non amplius percipiatur. Confert itaque confect. ex aromat. roſat. cort. citri, aniſor. caryoph. confectio ſaſſafras, ut. ℞. pulu. ſaſſafras ʒ ſ. ſacchari fini diſſoluti cum aqua cinnam. q. ſ. m. f. rotulę. Præſtantiſsima verò nobis ſuggerunt Chymici, ol. nempe cinnam. genuinum magni pretii, ol. de mentha, aquam Theriacalem, aquam vitę iuniperinam, ſyr. cinnam. & caryophyl. Querc. ad cochlearia duo. Extrinſecùs madefiant manus aqua vitæ, & fiant frictiones abdominis; mox applicetur emplaſtrum de baccis lauri, de meliloto; ſed præſtantiſsimum præ aliis eſt emplaſtrum in cura aſcitis propoſitum, applicando cucurbitulas ſiccas, quotieſcunque remouetur, & renouatur. Sacculus quoque geſtatus, ex ſemin. cymini, carui, baccis lauri, fl. lauend. roriſmar. meliloti, cum aromatibus. Dum verò hæc fiunt, Clyſteres quoque carminat. diſcutientes inijciendi, quibus addatur aqua vitæ, ruta potiſsimum alterata. Tandem ventriculus roborandus. ſ 4. Acut. 100.

Inter interna, lignum ſaſſafras eſt mirabilis efficaciæ, ad natiuum calorem inſtaurandū. Quare parare poterit ius columbæ, vel perdicis, hoc modo. ℞. ſaſſafras inciſi, lentiſci è Chio, ligni roriſmarini an. ℥ ſ. aquæ meliſſæ, menthę an. ℔ i. ſ. m. f. inf. per horas 24, deinde adde dimidium perdicis, & bul. ad conſumpt. dimidii; & colat. ſeru. pro tribus diebus; ante decoctum verò ſumat hunc bolum. ℞. theriacæ med. ætatis, uel mithridati ℈ i. ſalis abſinth. aut menth. gr. v. m. f. b. Pręterea extat radix quędam ex Regno Molucenſi Indię Orient. Ambuena dicta, gingiberis forma, ſapore, & acrimonia, quam exhibitam in tympanite potiſsimum, à gr. x. ad ℈ i. aut pulu. cum uino maluat. aut rotulis 20. dies, quotidie mane certò ſanare affirmant plurimi, & potiſsimum Zacutus.

Extrinſecùs ſtillicidia in ventriculum, & infra eundem adhibeantur, aut naturalia, ex aqua Aponenſi, D. Petri; aut arte parata, cum uino odorato, alterato myrrha, ladano, nuce myriſtica, maſtiche, cinnam. mentha, & abſinthio, additis oleo amygd. & maſtichino,

quæ omnia bulliant ad vini conſumptionem.

Circa victus rationem, panis condiatur fœniculo, & cymino Vinum paretur ad menſam ligno ſaſſafras medicatum; & cæteris medicis intentionibus iam propoſitis proportione reſpondeat.

LXXI.

TYMPANITES.

Com. Illuſtriſſima Virgo, annorum 18. temperamenti calidi, & humidi, obeſa ſatis, conqueritur de abdominis tumore valdè duro, & rotundo, qui percuſſus inſtar tympani reſonat: perſentit rugitus, & fluctuationes; necnon dolores, qui antehac hypochondrium ſiniſtrum torquebant, modò magis dexterum. Paſſionibus hyſtericis obnoxia eſt. Morbus iam inueteratus, cùm quatuor abhinc annis inceperit, ſenſimque increuerit. Conſilio Medicorum varia aſſumpſit, corporis expiationem, necnon, ut ipſa ait, Lienis dolorem ſpectantia, nulla habita ratione morbi, quo nunc affligitur. Refractariam quoquo pacto Medicis ſe exhibet; quoniam lenientia, & purgantia bolo, aut forma potabili renuit, in cæteris omnino obtemperans. Purgantibus, niſi validioribus non ſoluitur. De ſpirandi difficultate conqueritur, præſertim dum mouetur. Educata eſt in Ciuitate Salisburgenſi, ubi cibos ex paſta confectos, necnon lac, & aquam inordinatè aſſumpſit, vitamque ſedentariam duxit. Vires ſunt ſatis validæ. Quo rerum ſtatu, quæritur auxilium; ſed hoc potiſſimum an poſt vniuerſalem expurgationem, poſſit uti aquis Tettucianis, & ab his acidulis Valle Solis.

Hydrope ſicco, tympanite ſcil. Virginem Nobiliſſimam modò diuexari, facilè colligere eſt, ex tumore extenſiuo, atque duro, omnino, & æqualiter totum abdomen obſidente, & tympani ſonum edente; cui, cùm fluctuationes [a] quoque percipiantur, Aſciticum quoque accedere credendum; cuius productionem paulatim, non ſubitò, & affatim factam fuiſſe cenſendum; cùm quatuor abhine annis Virgo Nobiliſſima hypochondriorum affectionibus dolentibus fuerit obnoxia, quod incertam quodammodo nobis eius originem reddit. accidit enim quandoque, ut quibus [b] ventriculi, & hypochondriorum dolores fiunt, & lumborum dolor, qui neque medicamentis, neque aliter ſoluuntur, in hydropem ſiccum firmentur; unde ſicca potius, & calida eſſe debuit tympanitis origo. Verùm quoniam Pat. valdè Iuuenis eſt, temperamenti calidi, & humidi, & habitus potius obeſi, educata in ciuitate frigida, alimentis frigidis, & craſſis vſa, ex paſta, & lacte paratis, & aquam copioſè, indiſcriminatim, & inordinatè potauit, ac ſedentariam vitam duxit: ideo cauſam fuiſſe frigidam, credere iuremerito cogimur; caloremque natiuum ipſius ventriculi ab aquæ copia obrutum, & à frigidis cibis labefactatum, imbecillem redditum fuiſſe, eiuſdem temperamento naturali facilè ad frigidum forſan vergente; vnde cruditates copioſè antehac genitæ, à quibus obſtructiones, tum in meſenterio, tum in viſceribus productæ ſint; unde affectus hypochondriacus inbortus, flatulentus à Galeno [d] vocatus, cui accedentes flatus, ab imbecilli ventriculo eleuati, ventrem in tumorem attollere potuerunt, & ſepto compreſſo, reſpirandi quoque difficultatem inducere; ab iiſdem verò quotidie cruditatibus grauato, atque infarcto iecore, proprius tonus, humiduſque calor languere cœpit, vnde in poſterum cachexiæ, ſiue praui totius corporis habitus metus immineat.

[a] 4. de Dign. Pul. 3

[b] 4. Aph. xi

[c] 1. Simp. 7

[d] 3. de Loc. Aff. 7

Quibus ut liberetur Nobiliſſima Virgo, hoc anni tempore, ad meliorem ſtatum redigi poſſe iam nobis fuerit; affectus enim huiuſmodi, ab intemperiebus prouenientes, non unica curatione ſanari poſſe certum eſt. Ideo præmiſſa primarum viarum expurgatione, obſtructionum reſeratione, ventriculi frigida intemperies corrigenda fuerit, tonuſque iecoris firmandus, ac flatus diſcutiendi.

Quod ſi de remediis Chirurgicis verba faciamus, non eſt, quod de ſanguinis miſſione cogitemus, [e] ſatis enim, & ſtatis temporibus, menſtruis purgationibus gaudet; locum vero habere poſſet ſtillicidium in ventriculum, ex aquis Thermalibus [f] ſulphureis, atque nitroſis,

[e] 4. Acut. Com. 112

[f] 1. Simpl 7

ſtroſis; vel ex oleo maſtichino, abſinthio, mentha, caryophyllis, cinnamomo, & maci alterato, cum vino maluatico prius efferuefacto; per interualla pariter cucurbitula g magna ventriculo, imò & umbilico ſæpiùs appoſita, non tamen ſcarificata; inde frictiones totius abdominis, manibus prius oleo iuniperino inunctis, mox ſpiritu vini, cum quinta eſſentia roriſm. madefactis, ſicut & clyſteres nonnunquam carminatiui, vel ex vino Maluatico, in quo Mithridatica confectio diſſoluta fuerit.

g 12 Me. th. 14.

Circa Pharmaciam non eſt, quod expiandis primis viis, Medico peritiſſimo remedia proponam; verùm obſtructionibus reſerandis parumper erit inſiſtendum; in quem finem, x. aut xij. dies, quotidie, ſyrup. Fernelianus, ad ℥ ij. in ſemicyatho vini albi erit exhibendus. Inde ad aquas Tettucianas erit deueniendum, quinque ſaltem dies exhibendas, incipiendo à libris quinque, & progrediendo ad ſex, & ſeptem; mox deſcendendo, & quidem cum vehiculo mel. roſ. ſolut. aut mannæ. Inde ad validiora deobſtruentia eſſet procedendum, cuius modi ſolent eſſe Aquæ Vitriolatæ in Valle Solis enaſcentes, ut quæ tenuiſſimarum partium ſint, & facultate exſiccante, atque roborante polleant. At quoniam anni tempus opportunum non fuerit; ideo in æſtatem proximam erit differendum huiuſmodi remedium. Atque interim aliquod aliud aperiens, & viſcera corroborans erit ſubſtituendum. Præberi itaque poterit aqua ex agrimonia deſtillata, in qua diſſolutæ ſint guttulæ xij. aut xv. ſpiritus tartari, ter ſaltem rectificati, & guttulæ v. ſpiritus ſalis, præmittendo bolum paratum ex ſemiſcrupulo extracti ligni ſaſſafras, & ſalis viperini, atque abſinthij; cuius uſui plures dies erit inſiſtendum, Mox vinum medicatum, ad menſam, viſcera roborans erit parandum, ex ligno ſaſſafras, lentiſcino è Chio, & tota futura hyeme, magnas antidotos in uſu habebit. Ad flatus verò diſcutiendos, confectiones ſemper in promptu habeat, ex ol. de cort. citri, aniſ. caryophyllorum; ſed præ omnibus ex oleo cinnamomi, ſi haberi poſſit.

Quibus omnibus congrua victus ratio proportione iam dictis reſpondens, fuerit à Viro Doctiſſimo addenda; cui & dictorum omnium rectam adminiſtrationem lubentes committimus.

LXXII.

ANASARCA.

VIR quinquageſimũ annum agens, temperamenti totius, & iecoris, calidi, & humidi, habitus tamen potius obeſi, & coloris ad album uergentis, poſt uitam otioſam, uentri, & Veneri deditam, proximo prætetito autumno, incidit in febrem, primò acutam, mox in diuturnam transmutatam, in qua errores commiſit, in cibi, & potus tum copia, tum qualitate, neque eius accuratam expurgationem admiſit. Huic uerò ſucceſſit copioſa, & exuberans hæmorrhagia, qua febris receſſit; quo tempore tamen tuſſicula ſicca eum exercuit, & ſtatim, ceſſante febre, ſub initium huius menſis, decolor omnino factus eſt, & albidior facies, manibus, & pedibus ſenſim intumeſcentibus; necnon, paucis poſt diebus, tibiis quinetiam, & femore, & tandem abdomine, & vniuerſo corpore, fouea à contactu relicta; tenſio inſuper in dextero hypochondrio tactu percipitur. De agendis conſulit.

Leucoplegmatiam, Hypoſarcidium, Anaſarcam & Hypoſarcam licet aliqui diſtinguant, ſynonima tamen eſſe, vnumq; & idem ſignificare voluit [a] Gal. qui proinde ea diſtinguentes improbat; cùm tamen Hipp. [b] leucophlegmatiam, ideſt pituitam albam, non eſſe hydropem, ſed in hydropem tandem deſciſcere cenſuerit, qui & incipientem, non albam, ſed uulgarem, & popularem pituitam appellauit. Vterque uerò affectus eſt cachexiæ affinis; namque ex Auic. in Cachexia alimentum agglutinatur quidem, ſed non aſſimilatur; in Anaſarca uerò, nec aſſimilatur, nec agglutinatur, quod à Gal. deſumpſit. Hoc igitur affectu laborat noſter Pat. qui ſicuti in [c] ſola aliqua particula œdema appellari ſolet; ita in toto hydrops Anaſarca. Symptoma in actione ſanguificatrice deprauatè læſa, quod uitium ſemper fit refrigerato iecore, & naturali calore deſtituto; præterea præſenti caſu, organico

a 4. Acut. Com. 11
b de Affec. 23. & de Inter. Aff. ſect. 24. & 7. Aph. 76
c 1. de Nat. Fac. 11.
d 3 de Sympt. Cauſ. 2.

quoque

e 5. de Loc. Aff. 7.
f de aff. 23
g 2. de Nat Facul. 8.
h 1. de Nat. Hu. 36.

quoque morbo affecto, ut patet ex tenſione, & tuſſicula ſicca; qui calor licet ſæpè ex e ſuffocatione imbecillis reddatur, ob ſuppreſſam aliquam ſanguinis euacuationem conſuetam; hoc tamen caſu, eiuſdem pauperies, & defectus ſupponenda, ex obeſo habitu, cum colore totius albicante, anteacta liberalioti vita. Veneti, & gulæ dedita, ex febre, tum acuta, tum maximè diututna, abſq; accurata corporis f exputgatione; quæ omnia iecotis, & totius calorem depopulari potuerunt; accedente externa pernicie, ex copioſa, & longè vberiori g hemorrhagia, quæ iecur, & totum refrigerans, febriculam quidem extinxit; verùm præter naturæ ſcopum, ob ſanguinem vitiatum, non ſolùm hepat, ſed totius quoque venas cum arterijs, imò & omnes eiuſdem partes refrigerauit, non parum h opitulante hyeme, cuius cauſa iecur crudum, & pituitoſum ſanguinem primò progenuit, qui in venoſo genere perfrigerato perfectiori coctione non elaboratus, neque adhærere, minuſque ob partes refrigeratas aſſimilari potuit, vnde nil mirum, ſi decolor primò fuerit Par. & poſtmodum extrema, utpote magis à fonte caloris ſemota, ac proinde primò perfrigerata intumuerint, moxque totum corpus; atque adeò hydrops Anaſarca ſubortus fuerit.

i 4. Acut. 131.
k Lib. 2. Cap. 1.
l Tetr 3. Serm. 2. Cap. 20.

Morbus equidem magnus, ratione eſſentiæ, quia magna intemperies; ratione partis affectæ, quia læſum iecur, imò totum; ratione quinetiam ſymptomatum, quia læſa ſanguificatio; ratione reſiſtentiæ & pertinaciæ, quia difficilem ſanationem admittit; imò ex Hippoc. i impoſſibilem; cui conſentire videtur & k Aret. dicens, quod, *Totum hominem permutare Medico opus eſſet, quod neque Dys ipſis facile fuerit*. At quoniam facta periculi inter ſpecies hydropis comparatione non conueniunt Auctores; Anaſarcam enim perículoſiorem exiſtimauit Hipp. & cum eo Amatus, Vega, Vidius; Tympaniten Altimarus, Valeſius, Mercatus, Pereda. Aſciten Coſtæus, Vaezius, Auic. Rhaſis. Ideo aggredienda curatio, cùm ſoli inueterati hydropes, qui totius habitum corruperint, Ab Aetio l inſanabiles cenſeantur, de quibus Hipp. 4. Acut. ſi tamen hic liber ſit eiuſdem; videtur autem Anaſarca minus periculoſus, cùm humor propius ad naturam ſanguinis accedat.

Medicæ itaq; intentiones curando huic affectui erunt quinque. Primò euacuandi humores in primis viis concluſi. Secundò auferendæ iecoris obſtructiones. Tertiò totum euacuandum. Quartò corrigenda frigida, tum iecoris, tum totius intemperies. Et tandem iecur corroborandum, totumque exſiccandum.

m 4. Acut. 3 & Tral Lib. 9. Cap. 2.
n 4. Acut. Com. 111 & Adu. Eraſt. 6.
o 9. Per Loc. 3. & 1. per Loc 3.
p Ibidem.
q 9. Simp.

Et in Chirurgico fonte, inter hydropis ſpecies, ſolus hic ſanguinis miſſionem admittit; quando fit ex natiui caloris m oppreſſione, & ſuffocatione, aut ex plethorica diſpoſitione, aut ex ſuppreſſione menſium n, vel hæmorrhoidum. Sic cum Hipp. & Gal. Auic. & Trall. verùm in principio, alioquin, cùm ſanguis in cacochymiam deſciuerit, medicamentis purgantibus utendum. Locus erit ex venis ſuperioribus, plethora vigente; ex inferioribus verò, ſuppreſſis menſibus, aut hæmorrhoidibus.

A talorum verò ſcarificatione, quantùm fieri poteſt, abſtinendum, nec niſi toto tumente corpore adhibenda; qua mente, tum à Gal. tum à Celſo propoſita fuit.

Antiqui p Pat. ad Solem, tecto capite, inungebant oleo, multo ſale admiſto, & multa ſalſugine perfundebant. Alij q arenis, potiſſimum marinis, & acribus, hydropicos cooperiebant; detergere enim, detrahere, extenuare, digerere, colliquare, & violenter exſiccare materiam ſunt aptæ; addit Nicolus & incinerationes; quorum tamen remediorum loco, nos hypocauſtis, & ſudoribus uti ſolemus, ut infrà dicetur. Interim frictiones, manibus madefactis aqua vitæ, pipere alterata, adminiſtrari debent, quibus præmittendæ linteis calidis, ſed aſperioribus factæ. Circa veſicas, cruſtas, veſicantia, cauteria, quæ facilè à pleriſque, & potiſſimum à Fernelio excitari ſolent, cautè agendum; namque copioſa attracta materia, facilè calore particulæ ſuffocato, gangrænam inducunt.

Ad primæ itaque intentionis executionem deueniamus, Lenientibus, Præparantibus, & Purgantibus. Primò itaque. ℞. elect. lenit. ʒ vi. hieræ picræ Gal. ʒ i. ſ. magiſt. mechoac. gr. vi. m. f. b. duabus horis ante cibum aſſumendi. Vel ℞. mel. roſ. ſolut. ℥ vi. elect. lenit. ℥ ſ. decoct. cord. ſem. citri alteratæ q. ſ. m. f. p. Verùm hora vna ante huius uſum, aſſumat bolum ex hiera. Præparatio huiuſmodi fiat. ℞. mel. roſ. colat. oximel. ſ. aq. vitæ cinnam. an. ℥ i. m. pro ſyr. & ſic pro aliis. Purgetur verò materia præparata hac ratione. ℞. pil. de hiera cum agar. alephang. aggreg. an. ʒ ſ. magiſt. mechoac. gr. v. m. re ſor. pil. cum uino maluatico, & exhibeatur v. horis ante cibum. Repetatur demum præparatio tali pacto. ℞. ſyr. de v. radicibus, byzant. cum aceto, oxymel. an. ℥ ſ. decoct. menthæ, cuſcutæ, pulegij, origani, calamenti, ſpicæ ℥ v. m. pro ſyrup. & ſic pro aliis; cui præmittatur bolus huiuſmodi. ℞. troch. cyphoidis, de eupatorio an. ℈ i. m. & cum vino maluatico refor. bol. & aur. Efficaces

quoque

quoque ſunt paſtilli Trall. Deinde repetatur purgans, hac formula. ℞. pil. aggreg. dè hiera cum agar. an. ʒ ſ. alephang. ℈ i. magiſt. ialappæ gr. viij. vini maluatic. q. ſ. m. refor. pil. & aur. ſequenti verò die, aſſumat bolum ex theriaca; purgantium enim medicamentorum vim deleteriam corrigit. Sed quoniam, tum iecur obſtructionibus magis expeditum, & totum accuratius expurgatum eſſe par eſt; ideo utrumque præſtare poterit ſyrup. cachect. Fernel. conſtat enim ex flor. & radic. aperientibus, & purgantibus, qui aſſumi debet ad ℥ ii. quotidie, in vino albo, xii. aut xv. dies. Et quoniam materia noxia in uniuerſum corpus redundat; ideo non ſolùm per aluũ, ſed & per omnes corporis partes hæc euacuanda. Quare ſecundo loco urinam ducentia uſurpanda, & bolus ita parandus. ℞. tereb. cypriæ, lotæ in aqua agrimon. ʒ i. ſalis agrimon. gr. v. m. reform. bol. cui ſuperbibat decoct. praſſij, chamædryos, agrimon. ℥ vi. ſpir. ſalis gutt. v. m. in cuius uſu perſiſtat 15. aut 20. diebus; & ſi res pro uoto ſuccedat, diutius quinetiam. Et tandem humor in ambitu corporis hærens, decocto, & ſudoribus diſcuti, & euacuari debet. Paretur autem decoctum ita. ℞. ligni indi raſp. ℥ ij. radic. imperat. ℥ i. ligni ſaſſafras ℥ ſ. aq. meliſſæ, agrim. an. ℔ i. ſ. m. f. inf. per 24. horas, deinde bul. ad conſumpt. dimidij; in fine ebul. adde vini albi odorati ℔ i. bul. & colat. ſeruetur pro tribus vicibus, præſumpto bolo huiuſmodi. ℞. ſalis theriac. ℈ i. ſalis abſinth. gr. v. pulu. hepatis lupini ℈ ſ. m. & cum vino maluat. refor. bol. i. & aur. In hac uerò intentione, præſentis ſunt uſus foueæ ſulphureæ, poſt hypocauſtum uſurpandæ; ſicut & luca ſulphurea, & balnea Aponenſia poterunt etiam poſtremam intentionem implere; quæ ſi preſtò non fuerint, ſubſtituatur balneum, ad pedum tumores, ex lixiuio feruefacto cum ebulis, & ſale; facta poſtea inunctione huiuſmodi. ℞. ol. amygdal. amarar. ℥ vi. ſemin. anethi, cymini, baccarum iuniperi an. ʒ iij. ſalis, aluminis an. ʒ ij. vini maluat. ℥ ij. aq. vitæ ℥ i. m. bull. ad conſumptionem vini, & aquæ, pro inunctione.

Interim in uſum reuocet abſinthium,[r] quolibet modo paratum; uel bibat aliquando cyathum lixiuij, ex uino albo, & cinere iuniperino parati, uel utatur theriaca, cum cyphoide, de qua,

Inuadat quoties hydrops mala corpora, liuor
Inficit, hac fies liber ab Antidoto.

à qua exhibeatur potu aſari decoctum. Quare parabitur bol. huiuſmodi. ℞. ther. veter. ʒ ſ. confect. cyphoid. quam de uino uocant Arabes, ℈ i. hepatis lupini ℈ ſ. m. reſ. bol.

[r] Trall. Lib. 9. Cap. 2.

Circa uictus rationem Trall. ambiens frigidum quammaximè damnat. Victus ſit calefaciens, attenuans, & exſiccans, & medius inter craſſum, & tenuem. Panis[ſ] biſcoctus. Vinum ſit paucum, tenue, & antiquum[t]; ſolo enim parco uſu uini maluatici quidam eſt ſanatus, ex Nicolo; quamminimùm bibat, &[u] quamplurimùm laboret; multùm ambulandum, currendum aliquando eſt. Vbi conualuerit, adhuc à Venere abſtineat. Ad aluum mouendam, utatur pil alephang. cum magiſt. mechoac. Et hæc in caſu præſenti ſatis.

[ſ] de Inter. Aff. 23.
[t] 4. Acut. 111.
[u] Ibid.

LXXIII.

ANASARCA.

LEucophlegmatiam, Hypoſarcidium, Anaſarcam, Hypoſarcam diſtinguentes arguit Gal[a]. ſunt enim affectus cachexiæ affines; namq; ex Auic. in cachexia alimentum agglutinatur quidem, ſed non aſſimilatur; in anaſarca verò neque agglutinatur, neque aſſimilatur; quod à Gal.[b] deſumpſit. Hoc uerò affectu laborat Illuſtriſs. Comes; qui ſicuti in quadam ſola particula, œdema appellari ſolet; ita in toto,[c] Hydrops Anaſarca.

Symptoma in actione ſanguificatrice deprauatè læſa; quod vitium ſemper fit iecore refrigerato, & naturali calore depauperato, qui licet ſæpius ex ſuffocatione imbecillis euadat, ex ſuppreſſa aliqua conſueta ſanguinis euacuatione, hoc tamen caſu eiuſdem inopia, & extinctio ſupponenda, ex uſu frigidorum, uini lymphati, continuis ſtudiis, deſtillationibus à capite, & cruditatibus à ventriculo imbecillo genitis; à quibus non ſolùm[d] iecur; uerùm &, me iudice, totius venæ, & partes frigiditatem contraxerunt,

[a] 4 Acu. 3.
[b] 2. de Natur. Facul. 11.
[c] 3. de Sympt. Cau. 2.
[d] 5 de loc. Aff. 7.

runt,

runt; adeò ut iecur pituitoſum, & crudum ſanguinem primò gignat, qui in uenis perfrigeratis perfectiori coctione non elaboratur, ac proinde neque adhærere, minuſque ob partium frigiditatem aſſimilari poteſt; unde ſub cute crudus permanet, ubi à debili calore in materiam flatulentam, craſſam, magna parte faceſſit, qua proinde magna parte facilè inſenſibiliter reſoluta, tumidæ partes flacceſcunt, tumoreſque euaneſcunt. Quod ſi ab Auic. cachexia hydropicorum caput fuit nuncupata, quid de hoc affectu dicendum fuerit, vnicuique patet; cùm deteriores, quàm ipſa obtineat conditiones, cùmque iam liquari in abdomine pituita cęperit, unde fluctuationes in eodem iam percipiuntur.

Agendum itaque, ne ad hydropem perfectum, & abſolutum deueniat; namque à pituita alba, aqua intercutem ſuperuenit ex Hipp.[e] Neque deſperandum ſaluti, cùm habeamus ex eodem, quod[f], *Si curatus fuerit æger, incboante morbo, ſanus fit: ſin minus, in hydropem tranſit, & hominem corrumpit*. Et licet alibi aſſerat, quod hypoſarcidium, ſi hominem[g] aggreditur, uitari non poteſt; loquitur tamen de conſummato; præterquamquod à Gal. quartus ille liber, ut germanus Hipp. non admittitur.

e 7. Aph. 70.
f de Inter. Aff. 24.
g 4. Acut. 114.

Cura itaque tentanda, ſenſibiliter, & inſenſibiliter euacuando, & intemperies iecoris, uenarum, ac totius corrigendo. Quibus ordine executiuo ſatisfacere conabimur.

Sanguinis uero euacuatio omittēda: nec ualde approbo Fernelium, ueſiculas in partibus tumeſcentibus præcipientem: frigidæ namque partes facilè ad gangrænam præcipitantur. Potius itaque inſenſibilis euacuatio, & exſiccatio curanda, frictionibus, madefactis manibus in aqua ardente, in qua nitrum, necnon oleum nucis myriſticæ expreſſum, fuerit diſſolutum, & piper infuſum: ſic enim & materiæ reſolutionem, & caloris natiui partium inſtaurationem conſequemur. Expurgatio uerò prima, & repetita, à Viro Excellentiſs. propoſita, omnino conueniet. Praſſium, & Chamædrys maximè ſunt infenſa Anaſarcæ. Neque euacuationes reſpuat Illuſtriſs. Patiens: ſiquidem, qui alba pituita tenentur, ſi fortis uentris fluxus ſuperuenerit, liberantur, ex Hippoc. 7. Aph. 29. Optimum itaque fuerit, medicamentum ex pilulis aggregatiuis, de hiera cum agarico, & Alephanginis compoſitum. Prærogatiuam item habet apud Saxoniam radix bryoniæ, & inter medicamenta purgantia, theriaca quandoque exhibenda. Capiti quoque, tum pilulis, tum errhinis proſpiciendum, mox ſudor omnino ciendus in hypocauſto, triginta ſaltem dies. Decoctum uerò parabitur ex guaiaco, lentiſco, uiſco quercino, & pauco ſaſſafras: cui præmittatur bolus, præ omnibus ex cyphoide, cum ſale iuniperino, aut puluere uiperino, & hepate lupino. Ab his, laudo immerſiones in aquis[h] ſulphureis, nitroſis, ac ſalitis: ſint autem uel Aponenſes, uel montis Falconis, quæ ſalgemmeæ, & ſulphureę habentur, maioris apud me fiduciæ futuræ, niſi maris fluxus, & refluxus eſſent participes, ideo de earum potu quicquam in præſentiarum decernere nolo.

h 1 Simpl. 7.

Victus ratio iam dictis proportione reſpondeat, memor uerò ſit Illuſtriſſimus Patiens, quod quamminimùm bibere, quamplurimùm laborare, & negotia uitare, quammaximè conferre poteſt ad ſanitatem conſequendam; quam ut Deus Opt. M. citò eidem largiri dignetur, enixè precor.

LXXIV.

HYDROPS CVM ORTHOPNOEA.

MVlieris honeſtiſſimæ ſtatus, deplorandus potius, quàm curandus nobis proponitur; ſiquidem tot morbis, ac ſymptomatibus, non quidē incipientibus, ſed conſummatis conflictatur, ut nullam ſalutis ſpem nobis relinquat, potiſſimum cùm hucuſque generoſiora remedia à Viro Excellentiſſ. incaſſum adminiſtrata fuerint.

Hydropis igitur ſpecies omnes Patientem obſident, Anaſarca ſcil.
Aſcites, Tympanites, cum obſtructionibus non ſolùm, ſed & duro tumore Iecoris, nec ſine febricula. Omnis generis pariter reſpirandi
difficultates, ad orthopnœam uſq; perpetitur, cum pulſuum inæqualitate. Quæ omnia poſt diuturnum, & contumacem capitis dolorē, cum dexteræ maxillæ in-
tumeſcentia ſuborta, nō aliundè certè, quā ab humida capitis intemperie cum materia pro-
manaſſe iudicatum fuit, quod non ſolùm eſſentialiter affectum fuiſſe, ſed forſan, & a toto
venoſo [a] genere crudam materiam ſuſcepiſſe, iure credendum, ob adeò celerem, atque praecipitem labem partium principum, totiuſque corporis. A diuturnis itaque doloribus, [a] 2. de Diff. Feb. 11.
caput eiuſdem natura humidum, quotidie magis debilitatum, copioſiorem ſemper mate-
riam catarrhalem produxit, cuius portio in bronchia pulmonum decubuit, unde anguſtia
inſignis, & Orthopnœa ſuborta eſt. At quoniam tum à venoſo genere cruda materia ad
arterias quoque læues tranſmiſſa eſt; ideo iiſdem obſtructis, vt Antipatro [b] contigit, pul- [b] 4. de Loc. Aff. 8.
ſus acceſſit inæqualitas. Quare cùm, iuſta, ac conſueta deficiente cordis ventilatione, calor [c] 5. in 6. Ep. d. 5.
eiuſdem innatus [c] neceſſariò patiatur, fieri non poteſt, quin & calor ab eodem influens,
ad Iecur diffuſus valdè langueat, & labefactetur, unde aſthmaticorum plerique in hydro-
pem prolabuntur, quod obſeruauit quoque Aetius; [d] hinc praua ſanguificatio, Cachexia, & [d] Tetr. 3. Serm. 2. Cap. 10.
Hydrops ſucceſſit. Pituitoſis autem, & crudis humoribus repletis non ſolùm Iecoris vaſis,
ſed & altius ad Parenchyma peruadētibus, non obſtructiones tātùm, & ab iis febriculæ; ſed
& tumor durus, ac forſan ſcirrhoſus ſubortus eſt, atq; adeò Iecur plurimis affectibus confli-
ctatum omnino ferè propriam hematoſin amiſit; licet negandum non ſit, cum Hipp. Hydro- [e] de Loc. in Hom. 18.
pem acceleraſſe quoq; fluxionem catarrhalem, retrò ad uertebras, & in carnes deſcēdentē.

Quàm certa autem ſalutis ſpes concipi poſſit, ex Hipp. 2. Prædict. xi. facilè coniici po-
teſt, ſcribente. *Salutis ſpes erit ſi Patiens bonis viſceribus ſit præditus, benè ſpiret, ſitque ſine dolore
& totum corpus aqualiter tepidum habeat, & non circa extremas partes colliquatum, meliuſque eſt,
vt tumores ſint potius in extremis partibus ſine tuſſi, ſine ſiti præſertim à ſomno, cibum facilè ſumat,
à quo non grauetur, aluum celerem habeat, laborem facilè ferat, ita ſecura erit ſalus; minus verò,
quantò magis ab his diſceſſerit.* Attamen, vt ait Trall. [f] *Benignum artis auxilium eſt, cum morbis* [f] 3. de Re Med. 11.
contendere, & non cen deploratos, relinquere miſeros ægros. Ideo cum duæ debeant eſſe potiſſi-
mę medici intentiones, prauos ſcil. humores iam genitos educere, & eorum regeneratio-
nem inhibere; neque ſecundæ ſatisfieri poſſit, niſi prima prius impleatur, unde Celſus di-
cebat, quod aquæ eductio eſt uia ad curationem; ideo circa primam verſandum. Et quia
ut conſiderauit Gal. Quos, Quibus, & Quando, noxius humor in vniuerſum corpus re-
dundat; ideo omnes euacuationum ſpecies tentandæ; & quidem omnium primò hoc ca-
ſu per aluum, ſecundò per vrinam, ac tandem quoque per diaphoreſin.

Primò itaq; uſurpanda ſunt familiaria, ut frequenter præberi poſſint. Sic conueniet
extr. eſulæ, à Rulando tantoperè commendatum, à ℈ i. ad ʒ i. ſyr. quoque de ſucc. Ireos
ab ℥ i. ad ℥ ii. quo uſus eſt Nicol. Fernelio quinetiam familiaris fuit vſus ſuc. ebuli, ab ℥ i. ad
℥ ii. Oribaſius, & Paulus uti ſolebant vino albo, in quo cucum. ſylu. tres dies macerat.
fuiſſet. Myrepſius exhibuit puluer. cucum. ſylu. ad ℈ i. tanquam leue, & ſuaue hydrago-
gum. Ego uerò, cum Dioſcoride, & Matthiol. uti ſoleo uino albo, in quo per noctem
ſambuc. aut ebuli rad. maceratæ, & tandem parum feruefactæ fuerint, ab ℥ ii. ad ℥ iv. aut
aqua ſtillatiria ex iiſdem. Verùm omnium maximè mihi probatur uſus magiſt. mechoac.
ad ℈ i. quod quidem mirum, quomodo primò aquas, mox & reliquas cruditates copioſè,

& placidè, abſque vlla ventrieuli noxa ſemper educat.

Aqua uerò ualdè imminuta, opportuniſſimus erit uſus quotidianus ſyr. Fernel. cachectici, ad ℥ ii. in ſemicyatho uini albi, addendo conſuetis medicamentis, quibus conſtat, radic. cucum. ſylu. & ebuli; eodem enim tempore, tum euacuandi, tum potiſſimum deobſtruendi inſigni facultate pollet, cuius uſui inſiſtat xii. aut xv. dies.

Inde ſecundò ad urinam ducentia deueniti poterit, ſi tempus ſuppetat, in quem finem parari poterit ius diureticum, ex aſaro, apio, & capillo Vener. paratum, facta prius infuſione in aq. agrim. lig. ſaſſaf. iuniper. roriſmar. & rad. helenii alteratæ, cui addi poterit ſpirit. ſalis, ad gut. v. uel præmitti bolus, ex ſalibus paratus ammon. theriac. uel abſinth. & agrim. cum terebint. Veneta reformatus.

Diaphoretica tandem, tum externa, tum interna, ſi ſalutis alluceat ſpes, tentari ſolent, per os præbendo decoctum milii, & card. ſancti, in uino albo, præmiſſo pulu. uiper. qui ex Gal. xi. Simpl. extenuantis eſt facultatis, ualdè exſiccans, ac digerens, & ad cutem celerrimè peruadens, ſudore in lecto, uel cucurbitis, uel doliolis, aqua medicata repletis, ſolicitato.

g 1. per Loca 3.

Quibus non proficientibus, inſtante ſuffocatione, ad uitam producendam, [g] ſcarificationes infernarum partium ſunt admittendæ, iuſto à ſe inuicem interuallo. Neque expectorantia interim omittenda, lambitiua ſcil. ex Iulap. acet. ſyr. de ibiſc. cum gut. aquæ ſulph. Aq. etiam Theriac. optima cenſetur.

Congruam iam dictis addendo uictus rationem, ut Dei ope Patiens ad ſecundam medici intentionem abſoluendam perduci poſſit, quam tunc temporis libentiſſimè inſtituam.

LXXV.

HYDROPS OMNIS GENERIS.

a 6. de Loc. Aff. 1. & in Coacis 3.
b 5. in 6. Epid. 5.

Patientem Admodum Reuerendum omni genere hydropis laborare, confirmamus, cuius cauſam à feruida [a] iecoris intemperie incepiſſe, & in eiuſdem caloris natiui tandem penuriam deſiiſſe, mirum non eſt; ſiquidem anima [b] noſtra excandeſcit ab igne, unde uentriculus ipſe iam dudum labem contraxit, à quo copioſis cruditatibus totius ſanguis inquinatus fuit, quarum aliqua portio, omni conatu à natura per urinam, excreta; aliqua uerò à feruore liquata corpus ad hydropem diſpoſuit, craſſior uerò in abdomine coercita, obſtructiones, & ab iis febriculas, ac ictericiam frequenter excitauit. Et quoniam ſanguinis maſſa bilioſa fuit, exuſta, cruda, atque impura; ideo à patefactis hæmorrhoidibus, facilè, abſceſſu præcedente, Fiſtula suborta, & ſuperſtes fuit.

Eſt equidem hydrops affectus grauis, ſed pernicioſior, qui à calore hæmatoſin extinguente, & humores colliquante procedit; qui dum contemperari poſtulat, natiuus extinguitur. Præterquamquod ab hydragogis purgantibus haud facilè Pat. leuantur, unde tum morbi, tum cauſæ difficillima euadit curatio.

c Celſ. 3. de Re Med. 21.

Nihilominus humorum redundantiam excernere, ut medicinæ [c] locum faciamus, tentandum, ut poſtea obſtructiones reſerentur, intemperies remittantur, & natiuus calor obrutus refocilletur.

Quibus præſtandis, omiſſis ferro, & igne, ex fonte Pharmaceutico primò deiectoria, mox & diuretica, utraque ualidiora ſunt in uſum ducenda; quandoquidem leuiora, & conſueta iam fuerunt incaſſum adminiſtrata. Tribus itaque diebus, interpolatis tamen præbendum proponimus Mercurium præcipitatum per oleum ſulphuris, ad gr. iii. cum conſerua roſarum, Paracelſi inuento, ſeroſos enim humores potiſſimum educit, & nos paratum habemus, ad extremos huiuſmodi morbos. Arcanum quoque corallinum conuenire poterit (quod mitius) ad gr. v. exhibendum, paratum ex mercurio dulcif. & ſpiritu nitri rectificato.

At quoniam quandoque hydropicos, tum ſanatos, tum præſeruatos urina copioſa uidimus;

dimus;

dimus; ideo ualidiora diuretica in uſu habenda. Quare præbeatur ſpiritus tartari rectificatus, ad ℈ i. uel ſpiritus ex ſale tart. ad ℈ ſ. in decocto ex ligno ſaſſafras, iuniperino, & roriſmarini, necnon nephritico, in iure columbæ parato, præmiſſo bolo ex terebinth. Cypr. cum ſale abſinth.

Interim liniment. purgans umbilicale paretur, ex elaterio, ſcam. ſquama æris, ſucco Tithymali, elleb. albo, & nitro, quæ quidem omnia felle taurino excipienda.

Quod ſi Deus remediis uim adeò afflare dignetur, ut aqua magna parte educi poſſit, non deerunt alia ualidiora aperientia, & obſtructiones reſerantia præter exhibita, ut ſyr. Fernel. cachecticus, cum tart. uitrioli, ſicut & crocus Martis aperitiuus, cum acido ſulphuris paratus, & omnibus anteponendum, Aperiens circulatum, ab eximio Viro Rizzetto Venetiis ſumma induſtria præparatum, ad ʒ ſ. exhibendum, & huiuſmodi alia. Sicut & mox de intemperies corrigentibus cogitari poſſet.

Interim natiuus calor corroborandus, atque inſtaurandus, & potiſſimum ſequenti die, ab aſſumpto medicamento purganti, theriaca, ſale theriacali, ſale abſinthii, aq. cinnam. uel iuniperina.

Congrua addita victus ratione. Hæcque pauca, & meliora adduxi, ut plurima, & optima ab eruditiſſimis Viris propoſita confirment.

LXXVI.

ATROPHIA IN PVERO.

Viri Præclariſs. & in Arte Præſtantiſs.

COnſultationem accepi, pro Infante Illuſtriſs. peregrinis equidem doctrinis ornatam, atque illuſtratam, quibus tamen minimè opus habuit exiſtimatio veſtræ ſapientiæ, quæ apud me cuilibet auctoritati præcellit. Quare & ego vobiſcum cenſeo, Nob. Infantem, ſex abhinc menſibus, in atrophiam paulatim perductum, adeò ut tandem maraſmum frigidum reformidare debeamus. Hanc autem ab alimenti defectu prouenire nullus eſt, cui nòn conſtet; non quidem ratione obiecti, ſed facultatis, aut inſtrumenti; alimenta quippe oblata, quantitate, qualitate, & ordine nutritioni accõmodata, ab imbecilli tamen facultate coctrice ventriculi probè confici nequeunt; unde abſoluta, non reſpectiua cenſenda, ab intemperie frigida, & humida prouenions. Hæc autem non ſolum naturalis, ſed potiſſimum ab impuro lacte, & deſtillatione à capite in ventriculum magis adaucta; undè rectè dicebat [a] Gal. quod à cerebro valdè humido ventris quoque conſequi- a 6. Aph. Cap. 32.
tur humiditas; cuius propria paſſio ſolet eſſe diuturnum alui profluuium. Verùm quoniã non ſola intemperie, ſed organico quoque morbo affici Infantem Nob. vobiſcum ſuſpicor; cùm facilè iam à lacte impuro, & facilius mox à ſolidioribus alimentis exhibitis; ac tandem à cruditatibus manifeſtis, quotidie in ventriculo genitis, obſtructiones in lacteis, necnon in meſentericis venis neceſſariò ſubortas eſſe conliciendum ſit; ideo imminutæ chylificationi accedit quoque alimentorum non probè elaboratorum [b] interceptus tranſ- b Fernel. & Gal. 3. de loc. Aff. 7.
fluxus, cui ſuccedit eorundem corruptio, ac proinde neceſſaria quotidiana per aluum excretio; unde ob vitium, tum facultatis, tum inſtrumenti diarrhœa fouetur, non tamen ſtomachalis tantùm, quoniam, ſi non lienteriæ, cœliacæ ſaltem paſſionis indicia hucuſque apparuiſſent; ut propterea mirachialis, ſeu inteſtinalis propriè magis ſit nuncupanda; quã flatus, umbilicum, & partes illas diſtendentes, à cruditatibus in iiſdem locis, diebus aliquot ſuppreſſis eleuati, abundè indicant. Huius autem diarrhœæ cauſas immediatas fouere potuerunt, & deinceps poterunt dolores, [c] vigiliæ, inquietudines, gingiuarum inflamma- c 3. Aph. Co 25.
tiones, quæ, dentibus erumpentibus, contingere ſolent; unde dicebat Hipp. [d] Alui profluuia d 3. aph. 25
his eſſe familiaria. Quibus ita ſe habentibus, quid mirum, ſi Illuſtriſſimus Infans non nu- e 2. de diff. Feb. 9. & 1. de Morb 3.
triatur; ſed quotidie [e] gracileſcat, cùm alimenta primò imminutè concoquantur in ventriculo, mox in via perfectiorem elaborationem vix adipiſci poſſint; tranſfluxu tandem

eorundem ad hepar intercluſo.

Vt autem nos medicam operam feramus, primis vijs cruditatibus ſatis emundatis, obſtructiones omni induſtria ſunt reſerandæ; uentriculus exſiccandus; iecur roborandum; nec dentitionis difficultas poſthabenda; & congruis alimentis corpus nutriendum.

Quæ omnia ſicut præſtari poſſent in adultiori ætate; ita hac tenella in dubium reuocātur. Nihilominus quoniam audio plurima aſſumpſiſſe Infantem, imò & vinum abſinthite, beneque ſe habere ad oblata; ideo ſalutis eiuſdem non eſt omnino abiicienda ſpes.

f 2. Aph. 33 Quare, tribus, aut quatuor continuis diebus, exhiberem mel roſac. ſimplex, vel etiam clarif. ad ℥ ii. aqua cinnam. aſperſum; mox aquam ex ſucco agrim. deſtillatam, in qua gutt. vi. aut vii. ſpir. tart. ter, quaterque rectificati diſſolutæ fuerint, quotidie, plures dies præberem; uel infunderem ℈ i. rhab. optim. in eadem aqua, vel in iure agrim. pentaphyl. & radic. gram. per noctem; eidem addendo gutt. ſpir. tart. matutinis horis pariter exhibendum. Et interim iuſcula omnia, quę cibis parandis conficiuntur, china optima, & modico lentiſco alterarem. Neque quotidianam ventriculi aromatizationem omitterem, unica guttula olei veri, atque legitimi cinnam. vel rotula; uel uini, aut iuris cochleari inſtillata, & à cibo exhibita; ſicut & uſus ſalis abſinthij, in gratiam quoque hepatis, non eſt poſthabendus.

Dum verò hæc omnia intrinſecùs adminiſtrantur, extrinſecùs quoque inunctio totius corporis, oleo amygdalino recenti uberiori, non eſt prætereunda; ſicut & totum abdomen, vnguento roſ. aliquot gutt. ol. lil. alb. affuſis, erit inungendum. Ventriculo verò emplaſtrū à me pluries expertum applicari poterit, paratum ex menta viridi contuſa, fermento, pulueribus maſtiches, & roſar. cum vino maluatico, uel ſaltem albo generoſo reformatum.

A quibus, obſtructionibus diminutis, ad uſum lactis, tanquam ad ſacram anchoram, quāprimùm confugiendum erit; faciliorem enim, quàm cætera alimenta concoctionem admittit, & quia ſatis craſſum, ventrē ſiſtit, ualdè nutrit, pauci eſt excrementi, & huic ætati eſt alimentum familiare, atque proprium. Quod ſi res benè cedat, à uino omnino erit abſtinendum; ventriculo tamen ſemper aliquam corroborationem conciliando. Dentitio autem erit promouenda, illinendo gingiuas lacte canino, aut leporis cerebro. Quæ omnia felicem poterunt ſortiri euentum, ſub ueſtra prudentiſſima, & inculpata adminiſtratione, cui ideo omnia libentiſſimè committo.

LXXVII.

ATROPHIA IN HYPOCHONDRIACO.

NObiliſs. Adoleſcens, temperamenti totius, & iecoris, calidi & ſicci, gracilis habitus, & facilis reſolutionis, poſt febrem diuturnam incidit in hypochondriacam, ſeu flatulentam affectionem; præter autem cætera mala, atque ſymptomata ab eadem promanantia, omnium maximum, atque perniciosiſſimum eſt deprauata, atque imminuta totius nutritio, quam ſequitur ſcabies in toto, macies, & uirium inſignis imbecillitas; cùm tamen ipſe appetat, & ſatis comedat. Quod aliunde prouenire non credimus, quàm à morbis in intemperie, & mala compoſitione.

Et primùm quidem in intemperie, eaq; potiſſimum calida, & ſicca iecoris, frigida, & ſicca uentriculi, quibus ſuccedit neceſſariò frigiditas, & ſiccitas cæterarum omnium partium a 5. de Vſu Part. 12. abdominis, quæ a humiditate deſtitutæ, naturali proinde calore adeò languent, ut ad coctionem, ſiue elixationem obeundam ineptæ redditę ſint; non aliam certè ob cauſam, quàm à morbo in mala compoſitione, in uenis lacteis, & meſentericis deliteſcente, obſtructionibus ſcilicet, productis ex cruditatibus, olim in uentriculo genitis, & ſpatio temporis, à calore circumiacentium uiſcerum exſiccatis, & terreis, atque melancholis redditis; à quibus quotidianæ exhalationes eleuatæ, omnibus circumpoſitis partibus maiorem ſemper ſiccitatem inducere potuerunt, potiſſimum deficiente iecori chyloſo ſucco, ob intercluſas vias unde, ſicuti quotidianus ſequitur toti corpori alimenti defectus, ita quotidie magis magiſque augetur cruditatum prouentus, atque adeò ſemper magis Nob. Pat. ad atrophiam perducitur.

perducitur. Nec mirum, ſiccitatem adeò coctionibus,& chylificationi officere poſſe;ſiquidem tenuitas, & ſiccitas tunicarum uentriculi calidum innatum exoluit; unde Gal.[b] præter alias cauſas,ad concoctionem concurrentes, totam uẽtrieuli ſubſtantiam adiicit;partes enim ad uentrem ſpectantes debent [c] eſſe benè comparatæ, & carnoſæ, quod idem [d] aliàs confirmauit dicens. *Naturalia inſtrumenta quantò humidiora ſunt, tantò ad nutritionem magis idonea, dura verò,atque ſicca inepta*. Id verò non ſolùm, quia difficilius pateſiant, & contrahantur: verùm quia calore naturali ſunt deſtitutæ.

Quare frigida,& ſicca naturalis intemperies omnium [e] difficillima nobis proponitur cõſideranda, & cutanda, cum cæterarum omnium partium abdominis ſiccitate: contumaciſſimæ verò exſiccatæ, & induratæ obſtructiones tollendæ; quæ omnia, tum atrophiam, tum frigidum maraſmum Patienti minantur.

b 3. de Nat. Facul. 7.
c 2. Aph. Com 35.
d 3. de Sympto. Cauſ. 3
e 7. Meth. 10.

Prima itaque noſtra intentio debet eſſe ſubſtantificè humectare, contemperare, & calidum innatum fouere. Secundò obſtructiones aperientibus, humectantibus, & parum calefacientibus auferre. Et tandem uiſcera coctionibus deſtinata roborare; ita enim ſcabies ex ſe ſanari poterit.

Et in Chirurgico fonte, ægrè admodum permitti poteſt aliqua ſanguinis miſſio, ob vniuerſi corporis maciem; attamen quia & Gal. [f] emaciatiſſimæ mulieri, ad libras, ſanguinem eduxit; ideo & nos uenam iecorariam, præſente [g] medico,tundere audebimus, ut ſi niger effluat ad ℥ v. uel vi. educatur; ſin minus, ſtatim ſupprimatur. Conueniet item euacuatio hæmorrhoidalis; differenda tamen,donec prius bonus [h] corporis habitus compareatur. In hoc etiam fonte totius leues frictiones, & inunctiones quotidianæ ol. amygd. rec. uſurpatæ opportunę eſſe poterunt.

f 3. in 6. Epid. 29.
g 3. de Loc. Aff. 7.
h 5 Meth. 14.

In Pharmaceutico fonte, uentriculus, & primæ uiæ fæcibus emundandę flor. caſs. epoto ab hac, iuſculo hord.aur malua alterato. Sequentibus verò diebus pręparantis loco,aſſumat flor. caſs. ad ʒ ii. quotidie, à qua hauriat ius cichorac. alteratum, quatuor horis ante cibum; atque ſex poſt diebus, flor. caſs. & elect. len. an. ℥ ſ. m. cui hora poſt,ſuperbibat ſer. capr. depur. ad ℔ i. aut i. ſ. & tribus horis ab eo prandeat. Inde noua pręparatio repetenda ſucc. depur. eich. & botrag. an. ℥ i. ſ. in decoct. cich. malu. borrag. end. pentaph. lupul. agrimon. octo dies; quibus huiuſmodi purgatio ſuccedat. ℞. flor. caſs.rec. ʒ vii. rhab. opt. ʒ ſ. m. f. b. & hora poſt,ſuperbibat ſerum ad ℔ i. ſ. aut ii. Inde ad penitiores obſtructiones referandas deueniendum, hoc modo. ℞. tart.uitriol. ℈ ſ. extr. de rhab. ℈ i. m. ref. bol.& aur. & hora una ab eo bibat cyathum aq. agrim. deſtill. quatuor horis ante cibum; in quibus perſiſtendum decem, aut duodecim dies,& tandem. ℞. flor. caſs. rec. extr. ʒ vi. pil. de tribus cum rhab. ʒ i. m. f. b. & hora poſt,bibat ſer. depur. ad ℔ ii.

Hinc ſe conferat ad uſum lactis aſinini, cum ſaccharo, à quatuor, aut quinque vnciis incipiendo,& procedendo uſque ad x. & xii. quinque horis ante prandium; in cuius uſu pergendum ad 40. vel quinquaginta dies. Interim tempus Balnei aduentabit aq. dulcis,malua, viol.lactuca, alteratæ, mane ante cibum,aut ueſperi ante cœnam, plures dies adhibendum; efficaciora ſiquidem Artis præſidia, pro huius Nob. Pat. ſalute ſunt lac, & balneum; ideoque horum uſui diù inſiſtendum.

Congrua uictus ratio iiſdem addatur, ciborum ſcil. humidorum quidem, ſed boni ſucci, facilis coctionis, & diſtributionis, & pauci excrementi; quales ptiſana hordeae. panatellæ, cum emulſ. amygd. dulc. & ſem. melon. oua recentia cibaria ex lacte, ouis, & ſaccharo parata, addito pauco cinnam. & aqua roſacea. Pulli iuniores, carnes hœdinæ, & aliquando uitulinæ tenerrimæ; Cucurbitę,& omnia potius elixa, quàm aſſa; Piſces quoque ſaxatiles, & potiſſimum Trotta. Vinum tenue, non generoſum, nec dulce, nec acerbum. Quies, & ſomnus mediocritatem excedant, & alacriter uiuat, ut ſalutem à nobis optatam conſequatur.

ATRO-

LXXVIII.

ATROPHIA, ET FEBRICVLA.

DVm heri ſimul inuiſimus Præclariſs. N. N. iam varijs, ac diuturnis diuexatum affectionibus, & à ſumma prudentia tua, Medici ſcopi, ad ipſius reparationem, ſecundum mentem meam propoſiti fuere, quid ſcribam, non haberem; niſi pro tãti Viri ſalute teneremur omnes, etiam in ſuperfluis abundare. Ideo quæ vnanimes facienda decreuimus, breuiter calamo exarabo.

Præclariſſimi Viri, totius, & iecoris temperamentum calidum, & ſiccum, gracilem corporis habitum, caput deſtillationibus obnoxium, vitam anteactam ſtudijs nimis deditam, nemo ignorat; prout eundem, Menſe Septembri proximè elapſo, febre correptum fuiſſe, à qua ſemper vitam ualetudinariam tranſegit, gracilior redditus, cum pituitoſæ materiæ expuitione, viribus paulatim deficientibus, quibus accedunt, quæ nos obſeruauimus, inſignis ſcil. viſcerum naturalium exſiccatio; obſtructiones ſiccæ in Meſenterio, cum manifeſtiſſima Aortæ pulſatione, pulſu duro, nec omnino à febricula immuni, ſicut unica viſitatione conijcere potuimus.

Dictorum autem morborum, & ſymptomatum omnium cauſa referenda in coctiones imminutas, Ventriculi primùm, poſtea Iecoris, & tandem partium omnium corporis, ob intemperiem frigidam, & ſiccam uentriculi, contractam, aut iam adauctam à febrili calore, & potiſſimum ab intentis meditationibus; cupidos namque literarum, imbecilli ſtomacho neceſſariò eſſe, Aretæus[a], ac experientia teſtantur. Quare genitæ in Ventriculo cruditates, pituitoſaque excrementa ſimul à capite tranſmiſſa, in Meſenterio obſtructiones produxerunt, à iecoris feruore, proceſſu temporis exſiccatas, quæ arteriam comprimentes, & ſpirituum liberum influxum quodammodo intercludentes, uiolentam illam pariunt, pulſationem. Alimenta autem quotidie aſſumpta, nec ritè à uentriculo concocta, partim expuitione reiiciuntur, partim ad iecur demandata, in ſuccum crudum ab eodem ſunt conuerſa, quem partes corporis imbecilles redditæ, in ſui nutrimentum ægrè tranſmutare poſſunt, unde totius atrophia. De febricula uerò nil certi habeo, num uidelicet ab aliqua, at pauca quidem pituitę in meſenterio putredine; an ab habituali intemperie producatur, quod accuratam tuam obſeruationem, & experientiam minimè fugere poterit.

[a] Lib. 2. Cap. 6.

Totis itaque uiribus incumbendum, ut ſiccitas uentriculi, abdominis, & totius corporis auferatur, humectantibus ſubſtantificis; ſiccitas enim tunicarum Ventriculi exoluit eiuſdem calidum innatum; ex Gal[b]. Præterquã quod naturalia inſtrumenta, dura, & ſicca, ad nutriendum inepta ſunt, aſſatio namque, non elixatio fit. Quod ſi uentriculo, & abdomini ſubſtantifica humiditas reſtitueretur, coctio benè procederet, ac proinde diminutis excrementis, & copioſe expuitiones, & capitis deſtillationes diminuerentur, totumq; corpus euidentiſſimè nutriretur. Interim eodem tempore, & humores exſiccati, obſtructionum cauſa, humectantibus præparationem ſuſcipient.

[b] 3. de nat. Fac. 7.
[c] 3. de Sympt. Cau. 3.

Hoc tamen aſſequi perarduum fuerit; facillimè enim Actiuæ; difficillimè uerò paſſiuæ qualitates corrigi poſſunt; materialibus enim qualitatibus curatio[d] perficiſur; coque difficilius in ſene (ex ſe enim frigida, & ſicca ſenectus) & cum atrophia adeò prouecta, ut grauis metus impendeat proximi Maraſmi, aut frigidi, ſi ſine febre; aut torridi, ſi cum febre.

[d] 7. Meth. 5.

Præſidiorum autem materiæ, licèt potiſſimùm ex Diætetico fonte deſumi debeant; aliqua tamen auxilia, tum ex Pharmacia, tum ex Chirurgia depromi poterunt.

Namque totius corporis inunctiones non ſolùm; ſed & cutis, manibus inunctis oleo amygd. rec. contrectationes, præcipuè extremarum partium, loco picationum, conferent quammaximè. Abdominis item ex eodem oleo, cum pinguedine humana, aut medulla uitulina, ſæpè interdiù repetitæ. Clyſteres emollientes, & nutrientes, ex lacte, & butyro, uel ex iure pingui, & butyro infundendi.

Alimenta uerò potius medicamentoſa, quàm medicamenta alimentaria conueniunt; poterunt tamen primò exhiberi ʒ ij. aut iij. caſs. rec. extr. diluculò, & hora poſt ius hordei,

aut

Digitized by Google

aut malu. à quibus, tribus poſt horis prandeat. Sequentibus uerò quinque diebus, alterantis loco aſſumet ius, maluis, & ſem. melon. alteratum, cum cochleari inſtaurantis. Interim ſi clyſteribus aluus non obſequatur, ad lac artificiale deueniendum; ſin minus, repetenda iam dicta, aut pauló maior doſis caſſiæ. Lac poſtea paretur, in iure alterato maluis, hordeo, & pauco cinnam. emulſionem exprimendo, ex 20. amygd. 50. nucleis pineis, & pugillo ſem. melon. mundat. cui iam paratæ addi poterit parum ſacchari fini, aſperſa, ſi placeat, aut aqu. roſ. aut aqu. fl. citri; in cuius uſu perſiſtet quotidie, mane quatuor horis ante cibum.

In alimentis uis medicatrix eſt potiſſimùm reponenda. Sint itaque facilis coctionis, & diſtributionis, ut ſunt oua recentia ſorbilia, panatellæ, inſtaurans pulli elixi, aut expreſſiones ex contuſis elixis. Ptiſana modò cum emulſ. ſem. melon. modò, ut Feruel. cum emulſ. amygd. dulc. Vinum concedatur paucum, tenue, nec dulce, nec acerbum; uentriculus enim aromatizatione gaudet, & [e] quibus ſemel, aut bis, pluranè, an pauciora offerre oporteat, conſiderandum. Quare hoc caſu, eum Gal. in Com. patum, & ſæpius cibandum, & à cœna ſæpè morſellum panis martii recentis capiat, ad nutriendum, & multò magis ad ſomnum conciliandum, & concoctiones adiuuandas. Pauca hæc attigi, plura omittens, à tuo expertiſſimo iudicio addenda, & adminiſtranda, dum me tibi dico, & Præclariſſimo Ægro, atque eius Collegæ, ex intimo cordis receſſu, me commendo. Vale quamdiutiſſimè.

e 1. Aph. 17.

LXXIX.

FRIGIDVS MARASMVS.

Conſultatio Prima.

SEnium irreparabile nobis eſſe, teſtatur quotidiana experientia, quoniam quotidie reſoluimur, tum extrinſecùs [a] ab ambiente aere, tum intrinſecùs à calore natiuo. Et licet humidum inſtauretur; ſemper tamen deperdito ſiccius euadit, operationibus quidem aliquo tempore [b] accommodatius, non tamen pro uita; prout humidum Iuuenis cum humido Pueri collatum; vnde iuremerito irridebat Gal. [c] Philoſophum quendam, qui quadragenarius librum ſcripſit, quo docebat Senium uitari poſſe; octuagenarius autem factus, adeò conſumptus fuit, ut riſum apud omnes concitaret. Sicut autem naturale eſt, quod annis labentibus euenit nobis; ita præter naturam, quod immaturè iuuenilibus annis contingit; ut in Illuſtriſſimo Com. Pat. noſtro, 29. annum agente, qui hypochondriaco affectu illegitimo preſſus, non tamen ſubiecuto [d] exſiccatorio morbo, minuſque [e] nigro, aut [f] corruptorio, ad grauem tamen adeò atrophiam, ſpatio menſium, modò perductus eſt, ut propriè magis maraſmo eundem laborare, affirmare poſſimus; cùm humidi conſumptio, ex ſiccitate, adhucnum [g] fiat, nondum verò facta ſit, tunc enim Tabes genuina propriè nuncuparetur; frigidus autem hic, non torridus, minuſque ſyncopticus habendus, cùm ſit citra febrem, & ſyncopen.

a 7. Aph. 59.
b Art. Med. 21.
c de Marc. 2.
d 2. de Morb. 64
e 2. de Morb. 72
f 2. de Morb. 75
g de Marc. 1.

Nec ſenium ex morbo hic propriè uocandus; cùm hoc ex cordis affectione promanare, dixerit Philippus [h]. Maraſmum autem conſummatum, & tabidum non eſſe, facilè nobis ſuadere poteſt eius ſignorum abſentia; flos enim [i] caloris vitalis non periit, ſqualidum corpus non eſt, cutis circa frontem nondum ſicca, & obtenſa, nec oculi adeò concaui, neque collapſa tempora. Et licet abdomen, ex hypochondriaca affectione, tum gracile, tum depreſſum ſit, præcordia tamen uehementer adducta, & contracta non ſunt, nec thoracis cutis ſicca, ac arida, & ueluti corium, digitis apprehenſa producitur, necdum pulſus adeò [k] rarus obſeruatur.

h 7. Meth. 6.
i Aretæus, & de Cau. Morb. 7.
k de Cauſ. Pul. x.

Ortum uerò duxit affectus hic ab hypochondriaca affectione, ex uenis lacteis, & meſentericis, à crudo, & copioſo cibo obſtructis procedente, non tamen pylorum primariò, & eſſentialiter afficiente; quæ ideo non legitima, ut illa [l] à Gal. deſcripta, ſed illegitima fuit.

l 3. de Loc. Aff. 7.

In

In omnibus tamen hypochondriacis ſemper ſolet Iecur accendi, cuius cauſa pylorus deinde immodica caliditate exuritur, unde æſtuationes circa partes illas, nec non arteriæ pulſatio, compreſſione facta, ſicque uentriculus ferè ſiccus eſſe ſolet, non ſolùm quia ipſius calor ab immoderato iecoris feruore, ueluti extinguitur, ſed quia turbatis ſomnis, profundis cogitationibus, necnon iugibus cruditatibus paulatim uiſcerum humidum ſubſtantificum abſumitur; quo deficiente, calorem quoque langueſcere neceſſe eſt, ob iecoris uerò incendium ſucci alimentales unà cum crudis, in noſtro Pat. Illuſtriſs. combuſti quodammodò, & liquati fuerunt, renum attractrice facultate non parùm adaucta: unde urinæ, tum copioſæ, tum in ſuperficie pingues diutius apparuere; ſicque partim ex primis concoctionibus malè peractis, (cum n naturalia inſtrumenta quanto ſicciora, tantò ad nutriendum inepta magis ſint, potiſſimum innato deficiente calore) partim ex liquatione, & inſenſibili, per halitum, ſuccorum alimentalium reſolutione, conſumptis humiditatibus, tum innominatis, tum roridis, ſiccitas modò cambium depaſcere non deſinit.

[n de Sym. pt Cau. 3. & 4. in 6. Epid. 14.]

[o 2. Meth. 2.]

Ideo ſedulò agendum, antequam partem glutinoſam corporis ſiccitas obſideat, & tabes ſuboriatur, tunc enim omnino deſperata res eſt; o *Tabem enim curare nunquam ſperaueris*, dicebat Gal. *nam licet caliditas, ſi adſit, remitti poſſit: remanet tamen ſiccitas, quæ ſenectutis ritu, hominem interficit.*

[p de Marc. 6.]

In quem finem, Medicæ intentiones ex fonte Diætetico potiſſimum ſunt deſumendæ; eſt enim omnino humectandum, ſed ſubſtantificè, ut totum renutriatur; moderatè autem calefaciendum, maiori namque calefactione egeret, ſi ſenium p ex morbo adeſſet.

[q 7. Meth. 6.]

[r Ibidem.]

His itaque intentionibus ſatisfaciãt alimenta, Quoniam verò cibus non ſeipſum ad omnes corporis partes deuehit, ſed ab ipſis egenis trahitur, & partes inualidæ, præ ſiccitate, ſunt ad attrahendum infirmæ; ideo alimentum, ut facilè attrahatur neceſſe eſt; hoc autem erit tenuium partium, & moderatè calidum; cùm tamen hoc parùm admodum nutriat: craſſum namque, viſcoſum, firmum, & difficilis reſolutionis debet eſſe, ut promptè aſſimiletur; ob hanc ideo contrarietatem non adeò facilè alimentorum copia ſuppetit. Quare utrumque dumtaxat præſtare poterit lac humanum, utpote quod magis aſinino nutriat, præcipuè ſi æger muliebrem mammam ore ſugat q, ut Euriphon, Prodicus, & Herodotus Gal. Præceptores cenſebant; idque quoniam lac ſtatim mulctum, ut genitale ſemen r, uim ſuam, & facultatem amittit: cùm præterea, ut non modò concoquatur, ſed & diſtribuatur, ac partibus alendis aſſimiletur, natiuus eiuſdem, & ſpirituoſus proprius calor, iam dictarum facultatum imbecillitati non parùm prodeſſe poſſit. Quare, poſtquam poſtremis hiſce diebus, lactis aſinini uberiori uſu, naturalia inſtrumenta in abdomine concluſa abundè humectata, & peruia reddita fuerint, ſtatim Nutricibus erit committendus Par. Illuſtriſs. ut altera interdiu, noctu altera lac ipſi præbeat, quarta, aut ad ſummùm quinta quaque hora, & qualibet uice, antequam mammam ſugat, ſacchari fini cochlear deglutiat. Quantitas uero lactis ſit ad mammæ dimidiam exinanitionem.

Et quoniam aliorum alimentorum lac ſocietate non gaudet, ideo per aliquod temporis ſpatium, ſolo lacte contentus ſit; bis tamen in die, tum mane, tum ueſperi, uini albi ſubdulcis, & parumper aromatici ſemicyathus, cum offa panis madefacta concedi poteſt, cùm frigido maraſmo conueniat.

Sed quia exſiccatæ ſunt totius corporis partes, ac uenæ, præter attractricis facultatis imbecillitatem, unde difficilis euadere poſſet etiam lactis diſtributio: ideo in hunc finem picationes ab Antiquoribus commendantur; quibus nos manibus oleo amygdal. abundè inunctis, cutis non ſolùm; uerùm & muſculorum contrectationes, & placidas euulſiones ſubſtituimus, iterum, uel tertiò in die adhibendas. Dum eodem tempore, inunctiones uberiores præcipimus, (cùm temporis inclementia balneum non admittat) ut autem oleum iam dictum penetratius euadat, bulliat cum pauco uino maluatico.

Menſe uero exacto, ſola ſufficere poterit nutrix, lactis inopiæ ſubſtituendo ptiſanam hordeacam dilutam, cum emulſ. amygd. dulcium, & nucleorum pineorum, cum pugillo ſacchari, & cochleari inſtaurantis ex capone, in pauco iure diſſoluto, bis in die, quinta, aut ſexta quaque hora,

Et dum iam dicta omnia fiunt, aluus clyſteribus ex lacte, & butyro, uel ex iure pingui, & butyro, uel ex ol. amygd. & butyro, erit prolicienda, & quandoque ſaccharo fino addito, ſolicitanda. Somnus, utpote maximè neceſſarius, erit conciliandus martio pane, ex amygd. & ſaccharo, cum ℥ i. ſ. ſem. papau. albi pro qualibet libra, ſimul contuſis; cuius doſis erit ad ℥ ii. quo non ſufficiente, iniiciatur clyſter ex lacte, in quo diſſoluta ſit ʒ i. philon.

lon. Rom. rec. qui tamen non vltra tres horas, aut quatuor contineatur. Et tandem, ad inhibendas pollutiones, quibus, ob renum, & vaſorum imbecillitatem, à calore contractam, obnoxius eſſe ſolet, hac inunctione illinatur renum regio. ℞. vng. roſ. Meſ. ℥ ii. popul. ℥ i. ol. ſaturnini, ideſt de plumbo ℥ ii. camphoræ ℈ ſ. ſucci ſemperuiui, ol. nenuph. an. q. ſ. m. ſ. in mortario plumbeo. Abdomini continuò applicetur lana oleo amygdal. imbuta, addita exigua portione maſtichini; interdum omenta ſuilla, & vitulina iiſdem oleis madefacta.

In cæteris Aer ſit temperatus, utraque enim exuperantia, tum frigoris, tum caloris nocere poteſt. Nutrices ſelectioribus refrigerantibus, & humectantibus cibis alantur abundè, vinumq; dulce iiſdem exhibeatur; ſubſtantifica namque debet eſſe earum victus ratio; etenim Gal. [f] Aſinis quoque victus rationem præſcripſit. Quies quàmmaximè conducit. Animi pathemata arceantur. Et læto, ac præſenti animo viuat. f 7. Meth. 6

LXXX.

PRO EODEM,

Conſultatio Secunda.

Viſa curatio præſcripta, & adminiſtrata refrænandæ, & tandem ſuperandæ atrophiæ vniuerſali, quæ Pat. Illuſtriſs. ad tabem, ſine febre, maraſmũ ſcil. frigidum perducere videtur, cùm duorum menſium ſpatio nihil profecerit, cogitandi anſam nobis præbuit, ne in eadem perſiſtentibus, maraſmus, qui non adeſt, tandem ſuccedat. Ex duabus autem cauſis nos reſoluentibus, conſideranda potiſſimum vniuerſalis diaphoreſis, ſiue inſenſibilis reſolutio, qua non procedente, neque corporis nutritio, neque alimenti appetentia fieri poteſt; cùm totius exinanitionem [a] ſequatur exinanitorum deſiderium naturale; huic verò ſuccedat ſuctio, dum vaſa maiora in centro à minoribus in circunferentia ſanguinem attrahunt, ut neceſſarius appulſus ſanguinis ad cor conſetuetur; quare exuguntur quoque venæ ventriculi, diuinum cibi promptuarium à Gal. [b] dicti, quam ſuctionem mox percipit ipſe Ventriculus; cui ſuccedit tandem fames, appetitus animalis; & ita, quò copioſior facta fuerit totius habitus corporis reſolutio, & inanitio; eò maiori, copioſiori, & craſſiori alimento indigebit corpus; morboſa namque tunc temporis euadit, & affectum illum conſtituit, à Gal. deſcriptum, his verbis. [c] *Quandoque Pat. multos aſſumit cibos, qui neque crudi ſunt, neque per aluum deyciuntur, neque plenitudinem efficiunt, neque etiam probè alere poſſunt; ſed diſſipantur, diſcutiunturq; celeriter*. Hocque nobis perſuadet, quòd ſufficiens alimentũ, lac nimirum Illuſtriſs. Pat. præbetur, quòd chylificationis nec imminutè, nec depratatè elaboratæ ſignum exhibet, quòdque ſanguificationem ſatis idoneam ſubire coniiciendum; quoniam totius color probus eſt. Quod ſi, aut ob vaſorum exſiccationem, ad partes nõ permearet, aut calor partium, ob imbecillitatem, hoc ipſum non actuaret; inutile certè in corpore retineretur, ſicque cachexiæ iam præludium adeſſet; quæ iam dicta cùm noſtro caſu non appareant, alimentum inſenſibiliter reſolui credendum; eo potiſſimum, cùm caloris immodici, & acrimoniæ alia ſigna non deſint; frequentes nimirum nocturnæ pollutiones, cum ſimulacris iucundis; atque adeò ab irritata, non laxata facultate prouenientes; & præterea moleſtæ, ac contumaces vigiliæ, corpus diſſoluentes.

a 1. de ſym. Cau. 7.

b 4. de Vſu Part. 1.

c 6 de loc. Aff. 3.

Quare deliberatum fuit, non ſolam alimenti qualitatem, verùm & quantitatem eſse alterandam; magis enim glutinoſum, nec adeò facilis reſolutionis debet eſſe, & quodammodo plenius; atque interim totius corporis obſtructio continuò procuranda, pollutio inhibenda, & ſomnus conciliandus.

Quibus intentionibus ſatisfieri debere cenſemus, bis in die, lacti naturali ſubſtituendo artificiale, ex iure pedum uituli, borragine alterato, quo extrahatur emulſio ex amygdalis, nucleis pineis, & ſem. mel. cum modico ſaccharo. Quod ſi fortaſse obſeruetur ventriculus aliquo pacto grauari, addatur quoque cochlear aquæ cinnamom. vt frigiditati eiuſdem, & cordis proſpiciatur; progreſſu verò dierum, addatur quoque inſtaurans pullæ, non omiſso interim lactis muliebris vſu, duabus aliis vicibus, intra diem naturalem, addito pa-

he, vino albo ſatis aromatico madefacto, ita vt quater in die alimentum aſſumat.

Extrinſecùs verò inungatur totum corpus oleo violac. addito quoque myrtino. Somno autem conciliando, iniiciatur Clyſter ex lacte, in quo Phil.Rom. rec.ʒ i. diſſoluta fuerit; & tempora, atque ſutura coronalis ol.nenupharino inungenda: hoc enim ſolo, ad contumaces vigilias, uti ſolebat Rhaſis.

Ad nocturnas pollutiones ſiſtendas, præberi poterit camphora; verùm à proprietate pariter prodeſſe ſolet puluis oſſium ſepiarum, ad ℈ i. Mirabilis quoque cenſetur à Medicinæ ſcriptoribus tinctura corallorum chymica. Extrinſecùs verò, cæteris incaſſum tentatis, præſtat oleum ex ſeminibus hyoſcyami expreſſum, quo illinantur pudenda, & potiſſimum perinæum. Quæ tamen omnia ab Excellentiſſ. Viris præſentibus ſumma obſeruatione adminiſtranda, & ad lubitum corrigenda.

LXVI.

PRO EODEM
Conſultatio Tertia.

Hiſtoria, tum præteritorum, tum præſentium de ſtatu Illuſtriſſ. Com. adamuſſim ab Excell. Viro deſcripta, ac delineata, nos mouet ad renouanda ea, quæ poſſint ipſum ad meliorem ſtatum redigere, qui quoniam in nutritione conſiſtit, victus quoque potiſſimum alterationem deſiderat: in quem finem, parumper immorandum præteritorum conſiderationi, & quærendum, cur à iuſta alimentorum quantitate corpus rotum inſtaurari, ſiue carnis moles augeri non potuerit? quod dubio procul, non aliunde promanare poteſt, niſi quia alimentum in ſanguinem non conuertatur; vel quia ſanguis à partibus ſuſcipiatur quidem, non verò aſſimiletur; qui rurſus non aſſimilari poteſt, vel quia ab earundem partium imbecilli calore non actuetur, vel quia ſenſibiliter, & inſenſibiliter diſſipetur, ac reſoluatur. Vitium primum non adeſſe credimus, quia copioſiora excrementa, & cruditates in primis coctionibus accumularentur, & obſeruarentur, neque ſecundum, quoniam ſi ſanguis copioſus produceretur, neque à partibus abſumeretur, venæ copioſo ſanguine turgidæ, huius nobis ſignum aliquod præberent. Supereſt igitur, vt vel non actuetur ob imbecillitatem natiui caloris partium corporis, vel diſſipetur. Quorum utrumque noſtro caſu concurrere credi poteſt, ſicut enim partes, caloris principio proximæ, ſatis humeſcunt, atque nutriuntur, ita remotiores exſiccatæ magis apparent. Veriſimilius tamen, quod, cùm corpus totum raræ texturæ, ualdè tranſpirabile, & reſolubile ſit; ſenſibiliter ideo per ſudorem, & per halitus inſenſibiliter alimentum, non tam citò à caloris imbecillitate in partes conuerſum, continuò reſoluatur, eòque facilius, cùm propter vaſorum, & viarum exſiccationem, ægerrimè ad partes deuehi poſſit, quæ mora ipſi reſolutioni commodum, & opportunum tempus præbet.

Quibus ita habentibus, medicæ intentiones eſſe debent, alimenti quantitatem augere: qualitatẽ alterare; illud opportuno tẽpore deuehere; & totius corporis poroſitates denſare.

Et primò, ſi de quantitate loquamur, ea fuerit, quántam ventriculi vires tolerare poſſint: ſi de qualitate, craſſior, & reſolutionis difficilioris præſcribenda erit; ſi de alimenti diſtributione, laxantibus quidem, & humectantibus, ſed & attrahentibus utendum. Et tandem cutis denſitas ea cautione procuretur, quæ neceſſariam excrementorum reſolutionem, & caloris natiui tranſpirationem intercipere nequeat.

Itaque lacti bis aſſumendo, ouum recens tremulum addi poſse credimus: emulſioni verò ſubſtituere ptiſanam hordeaceam, ab Excellent. Viro propoſitam, è reducimus, cui addatur emulſio amygd. more Fernel. & pineorum nucl. cum pulli inſtaurante, cum qua tamen ſimul bulliat uituli pes, omiſſis ſeminibus melonum, & plantaginis foliis, à qua ebibat hauſtum vini odoriferi, potius generoſi. Mox quibuſdam exactis diebus, poterit minutim incidi pulpa pulli, & ſimul cum ptiſana miſceri, maſticationi inſtituendæ, omiſso tamen inſtaurante: quæ ſi à ventriculo benè tolerentur, maſticatio erit augenda pullis nuper natis,

& ſor-

Digitized by Google

& ſorbitiones minuendæ; ita enim maioris durationis, magiſque firma euadet ipſa nutritio; cùm a, *Eorum, quæ facilè nutriunt, veloces quoque ſint excretiones*. Totum uerò corpus erit oleis conſuetis inungendum; quæ inunctio ſi Viris Excellentiſs. non ſufficere uideatur, paretur illitus totius corporis, manibus leuiter faciendus, ex duabus partibus vng. roſ. Meſ. & tertia medullæ crurum uiruli, ſic enim maiori poros cutis obſtruendi, nec exigua humectandi, ac nutriendi vi pollebit. Sed interim aliqua attractione omnino opus fuerit; quare loco moleſtarum picationum, manibus amygdal. oleo inunctis contrectentur cutis, & muſculi coxarum, tibiarum, atque brachiorum, idque quinque horis ab aſſumpto cibo, quod tempus diſtributionis proprium eſt. (a 2. Aph. 18.)

Et quoniam aliqua de vigiliis querela obauditur, & inunctiones capiti nocere ferunt, panis martius, utpote medicamentum alimentarium, à nobis proponitur, exigua quantitate aſſumendus. Quæ iam dicta ſalutaria fore ſperamus, Sapientiſſimæ Excell. Virorum administrationis ope.

LXXXII.

PRO EODEM.

Conſultatio Quarta.

SI longè difficilius eſt humectare ſiccum, quàm exſiccare humidum, cùm illud nō ſimplicibus, ſed materialibus qualitatibus remitti debeat, quid dicendum fuerit, quid cogitandum de ſubſtantifica humiditate, quæ in hoc Illuſtriſſimo Comite iam ferè ex toto fuerat abſumpta? Vnde Hipp. [a] multò magis ſemper errores in tenuiori, quàm in paulò pleniori uictu reformidauit, prout pariter exinanitiones, quàm repletiones ipſas; quia non adeò difficulter euacuantur, prout ægerrimè implentur corpora, atque inſtaurantur. (a 1. Aph. 5. Gal. in Com.) Rationi itaque conſentanea, quinimò neceſſaria fuit hæc paulatim, & gradatim procedens in priſtinum reſtitutio, dum de humiditate ſubſtantifica reparanda, & prius de intemperiebus ſiccis [b], omnium peſſimis, auferendis ſemper hucuſque actum fuit. Neque ideo mirandum, ſi, hyemali aduentante frigida tempeſtate, aliqua ſymptomata emerſerint, inofficioſa nempè aluus, ſedimentum urinarum conſueto craſſius, atque limoſius; & tandem ſomni breues: (b 7. Meth. 2.) etenim primò uentris ſegnities ſicuti ex defectu blioſi excrementi ſæpè prouenire ſolet; ita caſu noſtro à congeſtis cruditatibus, ab ambiente frigido primò à capite in uentriculum expreſſis; mox & ab eodem refrigeratis uiſceribus, & uentriculo potiſſimum, productis (cùm antiperiſtaſis in iſtis gracilibus corporibus locum non habeat) à quarum prouentu bilis facultas refracta, imò & partium expultrix oblita, & ſegnior reddita, aluum à proprio munere uacare coegit; cuius rei indicium præbere poteſt plumbeus ille color, inſtar non benè confectæ ptiſanæ. Adauctis autem cruditatibus, & eodem tempore conſtipata diaphoreſi, & inſenſibili conſueta euacuatione neceſſariò imminuta, quid mirùm, ſi ſedimenta in urinis craſſiora apparere cęperint? Tandem ſomni breuitas melancholicis familiaris eſſe ſolet, quia ſiccitas primum locum obtinet in uigiliis excitandis; unde habet cum Hipp. Gal. quod ſenibus facilè vigiliæ fiunt, tum quia [c] ſenectus plena curarum, tum quia ſenes exſiccatum [d] corpus habent; quibus nos addere poſſumus uigilandi conſuetudinem, quæ in Illuſtriſſimo Viro, ab animi ſtudiis, ſiue timore facilè originem duxit. (c 3. Aph. 31 d Gal. in Com.) Quæ omnia licet à nobis paruifacienda uideantur; in Illuſtriſſimo tamen Iuuene omnino negligenda non ſunt, ne confirmentur, neue augeantur, & ne abſque medicis auxiliis, anxius propria mala foueat.

Quare proba concoctio eſt adiuuanda, Somnus conciliandus. Et quia illa non parum ab alimento concoquendo pendet; ideo alimenta concoctu facilia, nec adeò craſſi ſucci, quibus conficiendis, uentriculus agendo non repatiatur, ſunt deligenda; atque uentriculo robur aliquod conciliandum; licet enim de nulla eiuſdem querela fiat mentio; edulia tamen adhuc cruda dimittere credendum.

Ptiſanæ itaque uſus omnino reiiciatur, ut quæ non niſi febricitantibus, æſtuanti uentri-

culo, & hypochondriis continuò conueniat, craſſumque ſuccum producat, pineis præſertim adiuncta; & ui deterſoria prædita, reliquos quoque cibos à uentriculo citius, quàm par eſt, expellat; huius autem loco, aſſumat edulium aliquod ex ouis paratum, uel ex Apula paſta, uel ex oryza dilutiori, uel ex endiuia, & borragine, in iure coctis, ouis additis. Nec caro pullæ amplius contuſa, ſed commanſa aſſumatur, ut ita uentriculus magis vniatur, nec adeò, ut à liquidis laxetur. Ita conuenient caro tenerrima Volucrum ſylueſtrium, non tamen aquatilium. Piſces quoque ſaxatiles, & oua recentia. Vinum ſit potiùs generoſum, quàm tenue, nigrum, non tamen omnino meracum. Quod ſi inter cœnam, & prandium primis horis matutinis, pauco aliquo alimento opus fuerit, hoc ſit ius pullæ, cum oui uitello conquaſſatum; quod nonnunquàm malua, aut mercuriali alterari poterit, ad aluum emolliendam.

Aliqua quoque uentriculum roborantia in uſu habenda, ut grana maſtiches, hora una ante cibum integra deglutita; aut ſal abſinthii, aut eiuſdem conſerua; prout extrinſecùs pannus coccineus uentriculo admouendus, & geſtandus, ut calor eiuſdem proprius foueatur potius, quàm alienus accedat. Somnus uerò accerſendus auxiliis aliàs à nobis propoſitis, & potiſſimum uſu panis martii, qui parari poterit ex ℥ ii. ſem. papau. albi, pro qualibet libra amygd. & ſacchari, ita enim unica ſufficiet uncia, à cœna aſſumenda, ſuauius etenim, nec minus noxium præſcribi poteſt familiare ſomniferum. Meditationes ſub ingreſſum lecti ablegandæ, his enim præſentibus, ſomnum conciliare impoſſibile foret. Quæ in gratiam perfectæ ſalutis, à nobis, ex intimo pectore Viro Illuſtriſ. optatæ, raptim ſcripta fuere, à ſumma prudentia Viri Excellentiſſimi Adſtantis melius diſponenda.

LXXXIII.

PRO EODEM; CONSVLTATIO V.
Medico Præclariſſimo Campodegallo.

Vicit, ut Leo, Fortis, quia Gallum non hoſtem, ſed amicum, imò commilitonem habuit, qui arena, ſiue campo potitus, Leoni gloriam comparauit, licet palma cum campo, Gallo debeatur. Vtinam verò in mearũ conſultationum executione pro cõmilitonibus, Medicos aduerſantes, ſiue remediorum ſubuerſores frequentes non haberem, qui aut ignari, nè vnguem quidem à præſcriptis diſcedunt; aut arrogantes, præſcripta mutare contendunt. Quare tibi potiſſimum, in omnibus quidem, ſed præſertim in re medica pereruditο, atque prudenti Comes Illuſtriſ. priſtinam ſanitatem debebit.

Duo autem nobis ſuperſunt in præſens conſideranda; Vrinæ à naturali ſtatu alienę, & Victus ratio in cæteris obſeruanda. Vrinæ quidem, primò coloratiores, aliquando verò cum tela ſupernatante, denſa adeò, ut quandoq; pelliculam referat. Craſſior verò eſt eiuſdẽ hypoſtaſis, quæ ferè ſtatim à mictione in media matula filamenta exhibet, & fundum petens, limoſa, ſubrufa conſpicitur, rubrum pollinem potius, quàm arenulam referens; quarum urinæ conditionum unica cauſa eſt, nimirum imminuta concoctio, cum vitioſo, atque exuperanti calore; quæ quoniam in omnibus partibus perficitur; ideo cruditates variæ conditionis ſeſe nobis exhibent, prout vel à iecore, uel à venoſo genere, vel à partibus ipſis excrementitia cruditas ſupereſt, ac ſecernitur; & quidem ſupernatans à partibus, filamenta à uentriculo, & iecore; & à venoſo genere limoſum, atque ſubrufum tranſmittitur, quod & arenoſum quoque in venis ipſis euadere poſſet, ſi maior in iiſdem vigeret caliditas; rum verò parietibus matulæ adhæreret, atq; adeò nunquam calculo cogendo idoneum; neceſſe quippe eſt, arenoſa in [a] vrinis ſubſidere, non autem limoſa, nec arenoſa parietibus adhætere, ut calculũ efformare ſint apta; quæ enim in renibus generantur arenulæ [b] ſubſident omnes. Lithiaſin autem præcedere ſolet materia tartarea, & meiendi aliqua difficultas; etenim lapis in veſica cogi non poteſt, niſi præcedente eiuſdem [c] inſigni calore, à quo conſtringitur eiuſdem muſculus; unde urina coercetur; ita Hipp. [d] *Veſica excalefacta vrinam non dimit-*

[a] 4. Aph. 79. & 3. de loc. Aff. 5.
[b] 2. de Nat. Hum. 18.
[c] de Aere Aq. & Lo. 24.
[d] de Aere Aq. & Lo. 22.

dimittit, ſed retinet, & quod craſſiſſimum, ac turbidiſſimum eſt, circunuoluitur, & concreſcit. Ex quibus colligere eſt, coctiones omnes imperfectas, & imminutas eſſe; nam ſi perfectæ forent, tanta alimentorum copia velociſſimè corpus, non modò nutrire, ſed impinguare potius deberet.

Quare nutriendi modum, quoad quantitatem, & ordinem ſaltem, ſi non quoad qualitatem, mutandum eſſe cenſemus. Et quoniam cum Auic. nil deterius, quàm comeſtio ſupra comeſtionem; ideo tempus diuturnius inter unam, & alteram alimenti aſſumptionem, erit interponendum; atque adeò ter die nutriendum, ita ut ſummo mane lac ſugat muliebre, ad ſummam doſin, cum ſaccharo, & ſtatim ab eo, ſumat cochlear aquæ cinnamom. Quinque verò, aut ſex horis ab aſſumpto lacte, prandeat, ſitque prandium quandoque ptiſana hordeacea, cum oui recentis vitello; quandoque panis, iure optimo imbutus, quandoque edulium ex ſubtiliſſima paſta Apula paratum; mox pullum gallinaceum iuniorem comedat, bibatque uinum album, odorum, iterum, aut tertiò in prandio. Hora verò prima noctis, ad cœnam ſe conferat, ex panatella cum emulſione amygdal. dulc. & pineorum, cum ſaccharo, & quarta parte, uel dimidia pulli iunioris iam dicti, duabusque uicibus bibat. Interim mane ſurgat, & duabus ſaltem ante prandium horis, ambulans in cubiculo corpus exerceat; mox à cibo, hora tranſacta, decumbat, & hora 21. aut 22. rurſus ſurgat, & leniter ambulet, imò & in apricum nonnunquam prodeat; calor enim natiuus, ſicut à motibus uiolentis reſoluitur, à nullo torpeſcit, ita à moderato viuificatur, ſicque coctiones perfectiores, & excrementorum excretiones, uel copioſiores, uel promptiores euadunt. Siti verò non ſemper indulgendum, ſed oris collutionibus deludenda, uino albo tenui, quouſque iecoris, & renum calor accommodatis contemperari poſſit. Atque hæc potiora, reliqua Exc. Viro diiudicanda, & ſtatuenda committentes.

LXXXIV.

MACIES EX INTEMPERIE SICCA VENTRICULI, & Hypochondriaca Affectio.

EXcell. Princeps 29. annum agens, à natiuitate temperamenti totius, & iecoris calidioris, puerilibus annis habitus gracilioris, tenuiori forſan victui aſſuetus; adultior enim, aſſiſtētibus, & uictus ratione mutatis, carnoſior redditus eſt; feruidioris ſanguinis externum quoq; ſignum exhibuit, prurigine quadam, veſiculis, ſiue maculis in uolis manuum apparentibus. Caput quoque, utpote calidum, & humidum, nec adeò benè conformatum, facilè deſtillationibus in ſubiectas partes obnoxium ſemper fuit. Tandem anno elapſo, apprehendi cœpit P. E. mœrore quodam citra ullam manifeſtam cauſam; de quo ideo anxiè querebatur. Interim, duobus tranſactis menſibus, Auguſto ſcilicet præterito, febre acuta biliofa correptus fuit, quæ ſanguinis miſſione, aliiſque medicis præſidiis, 14. omnino ſanata eſt; in cuius curatione, cùm gelidam, habita conſuetudinis ratione, Medici concederent, ex eiuſdem leui hauſtu, in animi deliquium ferè incidit. Et quoniam non adeò cauta fuit conualeſcentia, cùm Septentrionalibus ſpirantibus uentis, ſe Romæ expoſuerit, catarrhalis propterea à capite deſtillatio inualuit, in partes tamen naturales potius, quàm ſpiritales decumbens, ob quam Setaceo Occiput tranſmiſſum fuit, breui tamen ut inutile, ac noxium obductum. Præterea uentriculi, & hypochondriorum ſymptomata, anxietas nimirum à cibo, euaporationes calidæ in caput, modò genam dexteram, modò ſiniſtram, modò totum caput afficientes, & animi mœrorem fouentes, cum rugitibus uentris, & flatibus copioſis, ſubortæ ſunt, quibus demum Vigiliæ quoque acceſſerunt. Quæ omnia cùm modò ſæuiora, modò remiſſiora perſtiterint, uaria adhibita fuere remedia; quinimò quoniam Macies quoque totius corporis obſeruari cœpit, cum aliqua pulſus, præſertim ab aſſumpto cibo, inſueta frequentia, de febris hecticæ principio falsò dubitatum fuit. Verùm iure Chinæ exhibito, coctiones perfectiores euaſerunt, unde corpus inſtau-

rari

rari cœpit, atque hecticæ ſuſpicio euanuit. Varia poſtmodum aperientia chalybeata adhibita fuere; ſanguis ab hæmorrhoidibus extractus; ſuauia narcotica, ſomno conciliando, in uſum reuocata, & tandem ab eximio quodam Chymico Sal Abſinthii Spir. Salis impregnatus fuit feliciter exhibitus, (ita aſſerente Principe Excell.) anxietates quippe, & flatus ceſſiſſe, obſeruatum eſt. Mox ad vſum Lactis Aſinini, & Balneum uentum eſt, quorum tamen neutrum profuit, quin potius nocuit, atque utrumque proinde intermiſſum fuit. Solum uerò, & Cęlum frequentibus itineribus mutare P.E. decreuit, qui cùm ad noſtras manus perueniſſet, de ſtatu, & agendis pro inculpata ualetudine recuperãda noſtrum ſcriptis conſilium reportaturus, totum eius abdomen diligenter explorauimus, ut pars principaliter affecta nobis innoteſceret. Inuenimus autem utrumque viſcus, iecur ſcil. & lienem, prorſus ab obſtructionibus immunia, ſicut & Pancreas; ſed ſolùm, ſtatim ſub pyloro, obſtructiones in Meſentericis uenis tactui facilè obuias, ubi dolor, non ſolùm ad tactum, uerùm & citra illum, ab Excell. Principe perceptus, qui ſurſum uſque ad uentriculi regionem, & mucronatam cartilaginem protenditur; aſſeritque P. E. ab aſſumpto cibo, ſe moleſtam quandam anxietatem circa illas partes pati, uſque ad ciborum diſtributionem perdurantem, moxque paucis horis cedentem: etenim iiſdem partibus cibo uacuis, eadem anxietate corripitur, eò iam prouecta, ut aſſerat, malle ſe mori, quàm calamitoſam adeò vitam trahere.

Non eſt uèl mediocriter in Arte uerſatus, qui non uideat, Excellentiſſimum Principem omnium primò affectu melancholico fuiſſe correptum, dum abſque ulla manifeſta cauſa mœruit. Et quoniam de mœrore [a] inſueto conqueſtus eſt, ideo melãcholicum fuiſſe, obſcurè [b] tamen, non manifeſtè, leuiter læſa imaginatione, & ratione prorſus illibata. Quoniam verò à corporis malis uim animæ affici, luce clarius cenſuit Gal. [c] ideo non ſine cauſa interna præter naturam, in corpore agente, melancholicum euaſiſſe Principem Excell. pro certo habendum; quam non in capite, non in toto uenoſo genere, ſed in hypochondriis ſedem habuiſſe credimus, ubi excrementa heterogenea quidem, ſed præſertim cruda congeſta fuiſſe arbitramur, eaque in uentriculo genita, à uitiata chylificatione, non ſolùm ob eiuſdem imbecillitatem, uerùm & ob perennem capitis deſtillationem, conſpirante forſan etiam errore aliquo in cibo, & potu; unde cruditatum copia, quæ uias illas occludentes, atque adeò calorem præter naturam accendentes, biliſque copioſum prouentum producentes, nec liberum illi motum permittentes, putredinis tandem cauſa fuerunt, unde климатbilioſa ſuborta febris, ope medica 14. terminata.

a 6. Aph. 23
b 3. in 3. Epid 2.
c Quod Animi mor 5.

Sed quoniam caput, antea imbecillum, infirmius quinetiam ex febre euaſit; hinc in conualeſcentia, uento Septentrionali ſpiranti expoſitum, non ſolùm ad nouam materiæ productionem aptius factum eſt; uerùm & repentino ambientis frigidi occurſu, iam genitæ expreſſio in uentriculum, & partes ſubiectas, ueluti à manu ſpongia, contigit; ſicque adauctæ obſtructiones, quarum ſuperſtites nos in Meſenterio tactu percepimus, tunc temporis facilè quoque ad lacteas uenas propagatas, unde uitiata non ſolùm prima concoctio, uerùm & quodammodo nutritio apparuit, ac proinde macies. Hæ autem à iecoris calore paulatim exſiccatæ [d], terreęque redditæ, ac melancholicæ, hypochondriacam affectionem, eamque melancholicam confirmarunt; exuſto [e] nimirum inſuper ſanguine in illis uenis, à caloris efferueſcentia, ab iiſdem infarctis neceſſariò excitata, qua perdurante, hypochondriorum partes, & præſertim uentriculus, magis magiſque in dies exſiccantur; quæ exſiccatio, utpote elixationi contraria, uentriculoque moleſta, non ſolùm eiuſdem concoctionem corrumpit, atque imminutam, & nonnunquam deprauatam, ac nidorulentam efficit, uerùm & alia quamplurima ſymptomata Principi Excell. inuehit; etenim à calore continuò reſoluente, & à minera ſicca exhalationes eleuante, flatus copioſi, modò Ventriculum, modò hypochondria diſtẽdunt, & ad dorſum etiam quandoque per Meſenterii duplicaturam propagati, flatulentam [f] affectionem liquidò nobis ſignificant. Verùm quia ab exuſti ſanguinis præſentia craſſi, atque tetri uapores ad Cor, & Cerebrum irrepentes, & ſpiritus ipſos inficientes, timores, atque mœrores, abſque externa manifeſta cauſa iam excitarunt, ideo non hypochondriacum ſolùm, ſed & melancholicum affectum conſtituerunt, qui in præſens medicis præſidijs ſatis remiſſus obſeruatur; perdurante tamen uentriculi moleſtia, hypochondriaci affectus propria, in quo, circa [g] uentriculum, & prima apparent, & poſtrema deſinunt ſymptomata; conqueritur enim modo Princeps Excell. de Ventriculi anxietate à cibo aſſumpto, eaque augeſcente ſub effluxũ ipſius chyli, & perdurante, donec chylus ipſe è uentriculo fuerit elapſus. Eadem autem ferè moleſtia uentriculum

d de Melãchol. ex Gal R. & P.
e 3. de loc. Aff. 7.
f Ibid.
g Ibid.

lum

lum infeſtat, cibo vacuum; cuius utriuſque effectus cauſam, non in ſolam frigiditatem priuatiuam; ſed multò magis, & poriſſimum in ſiccitatem referendam eſſe cenſemus; ſicut enim frigiditatis, ſimulque ſiccitatis indicium præbuit difficilis tolerantia gelidi, & copioſi potus; ita ſiccitatis potiſſimum exhibet anxietas à cibo, & præſertim tempore eiuſdem elabentis ab ipſo ventriculo, cùm ob illam ęgrè fundus eiuſdem, & pylorus recludantur, & dilatentur; cuius ſiccitatis effectum moleſtum experitur Excell. Princeps ieiunus, dum ob humidi alimenti penuriam conſtringitur magis, magiſque, exſiccatur, atque affligitur ventriculus ipſe. Hinc facilè conijcere eſt, ſiccitatem, ventriculo præſertim, & cæteris quoque naturalibus partibus noxiam, ab affectu melancholico, & hypochondriaco contractam, & à meſentericis obſtructionibus ſiccis conſeruatam, omnium ſymptomatum Excell. Principem moleſtantiū in præſens cauſam fieri; unde dicebat iure [h] Gal. quod naturalia inſtrumēta, quantò humidiora fuerint, tantò ad nutriendum magis idonea; ſicca verò, & dura inepta, difficilius enim & laxantur, & contrahuntur. [h 5. de Sympto. Cauſ. 3.]

Hinc apparet ratio, cur ſpiritus ſalis, & ſalis abſinth. poſtremus uſus, affectus, flatuum ſoboles, remiſerit quidem, verùm moleſtiæ ventriculi cauſam non abſtulerit; eadem ſcil. ratione, quæ lactis vſum non admiſit, non quidem ob eiuſdem corruptionem, quæ nunquam obſeruata eſt, ſed quia cùm diutius in ventriculo hærere non debeat, ſed celerem poſtulet effluxum, qui à tunicarum, & pylori ſiccitate intercipitur, ideo in eodem ventriculo fluitans, moleſtiam induxit, ob quam illius uſus neceſſariò fuit intermiſſus; quod non contigiſſet, ſi poſt ſalem Abſinth. & Spir. ſalis, aliquot diebus, humectantia affatim, & copioſè præmiſſa fuiſſent.

Licet affectus hic, vtpote melancholicus, diuturnus [i], & difficilis, ægręque ſolutionis videatur, ita ut inueteratus medentis [k] manum reſpuat; nihilominus præſentem Excellentiſs. Principis, nec adeò diuturnum, aut difficilis ſanationis fore exiſtimamus; quoniam cauſa eiuſdem organica leuis eſt, obſtructiones nimirum, ratione etiam loci facilius expediendæ, quàm heparis, ac lienis, & pancreatis, quæ omnium difficillimæ. Intemperies autem ſicca ventriculi, pylori, & meſaraicarum, frigiditati iuncta, licet omnium deterrima à Gal. [l] exiſtimata fuerit; non adeò tamen mala à nobis habetur, caſu præſenti; primò, quoniam recens eſt, nec plurium annorum, ut in pleriſque melancholicis obſeruari ſolet; ſed præterea quia frigiditas hæc priuatiua certè, nullo modò poſitiua cenſenda eſt, de qua ſiccitati adiuncta dicebat Gal. [m] Iuuenes ſenum ventriculum habere, priuſquam conſeneſcant. Quare ſicut idem Gal. [n] incipientem hunc affectum frequentibus balneis, & victus ratione humida, ac boni ſucci, abſque aliis præſidijs, curare, arque ſanare ſolebat; ita nos Balneis, & congruæ victus rationi leuia medica auxilia addentes, de priſtina, atque integra ſanitate Exc. Principis minimè dubitamus. Horum autem remediorum aliqua præſenti æſtiuo tempore adminiſtranda; alia verò, ſi opus fuerit, Autumno ineunte. [i 6. Aph. Com. 47.] [k de melāch. ex Gal. R. & P.] [l 7. Meth. 10.] [m 7. Meth. 6.] [n 3 de loc. Aff. 7.]

Prius autem medici ſcopi à nobis proponendi ſunt, & conſiderandi, qui duo potiſſimum, prout duas quoque diximus eſſe huius affectus cauſas, obſtructiones nimirum auferre, & Ventriculi, ac ſubiectarum partium ſiccam intemperiem corrigere, parum de priuatiua frigiditate ſoliciti, ex ſe namque euaneſcit, cæteris ablatis.

Et quamuis obſtructiones ſiccitatem ventriculi fouere ſtatuerimus; attamen quoniam vrgentiori ſemper incumbendum, altero non neglecto, cùm ventriculi, & pylori ſiccitas vrgear, & Principem Exc. magnoperè excruciet; ideo ab hac incipienda curatio, & quidem potiſſimum, cum eodem tempore materia ſicca, obſtructionum cauſa, humectatione emēdari, ſiue præparari adeò poſſit, ut mox ſecundo loco multò facilius extirpandas fore, ac obliterandas certiſſimè ſperandum ſit.

Quibus intentionibus ut ſatisfaciamus, ac proinde ſanitatem conſequamur, ordine executiuo, infrà proponendo, procedendum erit.

Primò itaque, omiſſa qualibet ſanguinis miſſione, ut quæ ſiccitatem augere apta ſit, cùm tamen humectatione indigeamus, ſtatim ad primas vias expiandas, Potionem aliquam clarif. vel ex manna, ut apud nos; vel ex ſyrup. roſ aur. vel ſuauem aliam Romæ familiarem aſſumat P.E. cui duabus poſt, vel tribus horis, ſuperbibat ſeri capr. depurati ℔ iii. aut iv. Sequentibus verò decem, aut duodecim diebus, quotidie ſummo mane, bibat ius pullæ, tenue, borragine alteratum, cui immiſceatur ſuccus Maluæ depur. & per arenam percolatus, ad ℥ ii. hora verò ante prandium, aſſumat flor. caſs. ℥ ij. & prima menſa bibat ius pullæ ſimplex: ita enim perſiſtendo, ventriculi fundus humectabitur, eiuſdemque pylorus, ſiue portinarius à flore Caſsiæ laxabitur, ſicque alimento chylificato, atque concocto, è ventriculo effluxus

xus

rus facilior parabitur. Et quamuis forſan adeò citò optato fine P. E. non potiatur, non tamen ab inceptis, & præſcriptis deſiſtendum; prima namque adminiſtrata remedia partes, & & humores diſponunt, ad ſanitatem conſequendam, vt tandem ea integra remediorum continuò uſu comparetur.

Tranſactis autem decem, aut duodecim his diebus, ad lactis vſum erit deinceps magis præparandus ventriculus, & partes infra ipſum, aſſumptis quotidie, tres dies, ʒ iv. aut v Seri Capr. deput. præmiſſo tamen vehiculo deiectorio, ex Pot. aliqua ſuaui clarif. ut ſupra, protracto prandio ad tres ſaltem horas ab aſſumpto ſero.

Sic ventriculo, inferioribuſque partibus humectatis, ac peruiis, & lubricis redditis, ad Lac [o], & Balneum, tanquam ad duo, caſu noſtro, præſtantiſſima remedia erit confugien-
[o] 7. Meth. 6. dum; quibus ſicca intemperies corrigetur, & obſtructiones, ſi non omnino expugnabuntur, ſaltem adeò humectabuntur, vt facili negotio, ineunte poſtmodum Autumno, eaſdem prorſus extirpandas eſſe, ſit certò credendum.

[p] de Nat. Mul. 45. Lac autem ſit Aſellæ [p] nigræ, quod erit aſſumendum primò, ad ℥ v. cum ſemicochleari Sacch. fini, paulatim progreſſu facto ad ℥ x. cum cochleari integro eiuſdem Sacch. quinque horis ante cibum, quo aſſumpto, omnino non dormiendum (niſi vrgerent vigiliæ) ne caput impleatur, in cuius uſu pergendum, ad dies 40. Interim autem hora 22. circiter in Balneum deſcendat E. P. Aq. dulcis, folijs malu. viol. borrag. ſalicis, & lactuc. alteratæ, quod tepidum ſit, & foueatur; non autem calidum, aut frigidum, per horæ dimidium ab initio, vſq; ad integram horam in progreſſu, abſterſo autem leuiter vniuerſo corpore, abdomen totum ol. amyg. illinatur.

Quod ſi fortaſſe neque præſcriptæ humectandi cautiones, ante lactis uſum, ſufficiant, & idem, ob ſiccitatem, ex ventriculo non adeò citò elabatur, ſed fluitet, & moleſtas anxietates, ac flatus excitet, [q] Gal. exemplo in curatione Iuuenis illius, ſicca intemperie Ventri-
[q] 7. Meth. 6. culi laborantis, ſummo mane, Balneum Lacti præmittendum, ut humectato prius ventriculo, totoque abdomine, lac facilius, ac celerius diſtribuatur, & deducatur. Statim itaque à balneo Lac exhibebimus, & quatuor, aut quinque interiectis horis, prandium P. E. concedemus.

Dum verò Lac aſſumitur, abſtineat Exc. P. à fructibus, niue, vel glacie refrigeratis; à piſcibus, præſertim aſſis, à Conchilijs omnibus, & parciſſima vtatur cœna. Quod ſi contingat aliquando, ut ſummo mane ventriculus cibo vacuus non videatur, omittatur illa die lactis potus.

Aduentabit interim Autumnus, quo, niſi P. E. pancraticè degat, obſtructiones ſuperſtites iam humefactæ, facilè obliterari poterunt (præmiſſa leui primarum viarum expiatione) uſu Tart. Vitriol. in iure Pullę, folijs End. Malu. Borrag. & Agrim. alterato diſſoluti, ad gr. xii. vel xv. Verùm tutiſſimum, & expertum maximè habemus Aperiens noſtrum Circulatum, ex Salibus Martis, Vrinæ Pueri, & Tart. volatilizatis, & fixis, variis operationibus, nempe exaltationibus, imprægnationibus, ſublimationibus, digeſtionibus, deſtillationibus, rectificationibus, & tandem ad 40. dies in Pelicano circulationibus, cuius doſis eſt ab uno ſcrup. ad ſemidrachmã, in aliquo liquore aperiente; qualis, caſu noſtro, eſſe poterit Aq. ſtil. de ſucco Cich. & Agrim. ad cyathum, vel calens, vel frigida exhibenda, minimè verò gelida; dierum enim ſpatio obſtructiones explicabuntur. Verùm quoniam exſiccandi aliqua facultate pollet, ideo poſt huius uſum, ius multa borrag. alteratum, prima menſa, in uſu habeat E. P. quod ſibi eodem tempore familiare fieri optamus; prout tempore quoque inculpatæ valetudinis, verùm paucis tunc borrag. foliis alteratum.

Dum hæc omnia adminiſtrantur, ſymptomatibus quoque ſubortis occurrendum, quæ duo potiſſimum eſſe poſſent, Vigiliæ ſcil. & flatulenti halitus, per abdominis cauum huc illuc oberrantes, vel ad ventriculum irruentes. Quare vigilijs obſiſtendum, Conſerua viol. nenuph. Lactuca condita, & tandem ſyr. de Sem. albis, ad duo cochlearia, ſub horam ſomni aſſumendo; pertinacioribus verò vigilijs, grano vnico Laud. Nepenth. quo in cochleari Aqu. Roſaceæ diſſoluto, nares quoque, & tempora illini poterunt. Flatus verò diſcutientia, at non valdè calida, & ſicca conuenient, vt Cochlear Aq. Cinnam. duobus alijs cochlearibus Aq. tot. Cit. immiſtæ. Suauiſſima quoque, & efficaciſſima erit Confectio, in rotulis, ex Ol. Cinnam. legitimè parato, & Sacch. in Aq. eiuſdem Cinnam. diſſoluto; ventriculus enim, vt dicebat Aui c. valdè aromatizatione gaudet; nec ad efficaciora abſque inſigni offenſa deueniri poterit.

Quibus iam dictis congrua addenda viuendi ratio. Et primò quidem vitanda iſtius cœli

incle-

inclementia Principi Excell. notiſſima. Secundò, cum Aetio, ciborum quantitas, qualitas, opportunitas, & ordo ſunt obſeruanda. Circa quantitatem, hoc vnum monemus, ut cœna ſit ſemper parca, & quandoque parciſſima. Quoad qualitatem, ſit moderatè calefaciens, & humectans; & exuperantibus primis qualitatibus, frigiditas potius, quàm caliditas præferatur. Varii, & multiplices cibi, ut ualdè noxii, damnantur. Ex fructibus, concedi poſſunt ficus; nam licet ſint craſſæ ſubſtantiæ, humectant tamen; ſic & pepones ſqualido uentriculo conceſſit Gal.[r] fructus etiam horarii, licet non adeò commendentur, quia tamen citò [s] ſubducuntur, caſu noſtro, conueniunt. Ex condimentis, abſtinendum ab aromatibus, excepto Cinnamomo, & pipere ruditer contuſo; ab allio pariter, cæpis; ab acidis, & primò ab [t] aceto; mox etiam à ſucco Aurant. Cit. Lim. & Agreſtæ. Vinum ſit potius [u] album, maturum, non tamen dulce, non auſterum, non generoſum. Quoad opportunitatem, nouem ſaltem, ſed etiam decem horæ intercedant prandium, & cœnam. Et tandem, quoad ordinem, cum Antiquioribus, [x] humidiora, & fluidiora alimenta ſunt ſolidioribus ordine præmittenda; humidius enim alimentum, ait Hipp. facilius tranſmutatur. Quod ſi aliqua corroboratione Ventriculus fortaſſe indigere uideatur, ſtatim à cibo leue aliquod corroborans exhiberi poteſt, ut Sal Abſinth. à ſemi ad ſcrupulum vnum; quo tamen præſtantiora duo grana Maſtiches integra deglutita, maſtiche enim eſt ueluti uentriculi balſamum; neque adeò exſiccat, cùm ſit pinguis Lentiſci lacryma; quibus tamen non eſt aſſueſcendum. Tertiò ſomnus quoque diuturnior ſalubris erit, quia ſomnus [y] concoquit, ſicut vigilia digerit; & præterea uniuerſum corpus humectat; in ſomno enim facultas concoctrix intrò ſe recondit, & cibos melius elaborat, ac conficit; & licet primò imbecillius reddere totum corpus videatur, paulò poſt tamen, dum fruitur alimento, illud roborat potius, ita ratiocinante Gal.[z]. Quartò exercitium non erit inutile, ſed ieiuno uentriculo; unde dicebat Hipp.[a] Labores ante cibum, uel ſaltem poſt primam, & ſecundam concoctionem, ex Gal.[b] imò caſu noſtro, inutilis non erit leuis deambulatio poſt cibum. Quintò ad aluum ſolicitandam, medicamenta omnia ſunt omittenda, ſed præſertim purgantia: quinimò & Aloetica omnia, tanquam peſtis, fugienda; in uſu autem ſint, ſi opus fuerit, iuſcula ſummitatibus Maluæ alterata, prima menſa; uel Clyſteres ex Lacte, Butyro, & Sacch. parati, ut quibus humectandi quoque uis inſignis inſit. Vltimò uehementia ſtudia ſunt arcenda, præſertim uerò moleſta, quorum loco geniales conuerſationes captandæ, & habitatio frequenter mutanda; neque otio omnino indulgendum, quo mens cum calore natiuo torpeſcit. Hæcque omnia Excell. Principi ſalutaria precamur.

r 2. de Alim. Fac. 11.
ſ 2. de Alim. Fac 3.
t 1. Simpl. 31.
u 5 de Loc. Aff. 6. & ex Gal. R & P.
x Hipp. de Alim.
y 4. in 6. Epid. 20.
z 3. de Cauſ. Pulſ. 9.
a 4. in 6. Epid Vlt.
b 2 de San. Tuen. 2.

LXXXV.

PRO EODEM PRINCIPE
Conſultatio Altera.

ILluſtriſs. ac Excell. Princeps, annum agens circiter trigeſimum, temperamento bilioſo à prædominio donatus, & ſubdominio, melancholico; vel potius atrabilari, carnoſi olim, modò verò gracilis habitus, ſed exquiſitiſſimi ſenſus, acutiſſimique ingenij, ſuperiori anno acuta febre correptus fuit, à qua, ope medica, liberatus quidem eſt, non tamen ſine hypochondriacæ paſſionis varijs inſultibus, cùm febrilis caumatis characteriſmum viſceribus naturalibus inuſtum habuerit. Etenim multa aliena, & erronea cœpit imaginari, & quidem ſemper circa morbum, quo affligitur, & potiſſimum circa ventriculi functiones, in reliquis alioquin adeò argutè, ac prudenter ratiocinatur, ut ſocios, ac familiares ſuos in admirationem rapiat. Quibus deprauatis imaginationibus adeò anxius fuit P. E. ut vitam tantùm non exoſam habuerit, quanquam mortem pertimeſceret, & uitæ continuò deſperaret. Neminem verò, niſi de ſuo morbo loquentem admiſit, quamuis ut plurimùm omnium conſortia odio habuerit.

Hiſce autem malis ut proſpicerent, omnem mouerunt lapidem clariores in Vrbe Viri, irrito tamen ſemper conatu, nouem menſium ſpatio. Circa finem autem Aprilis proxi-

mè elapſi, accerſitus ego, eum commodiori ſtatu deprehendi, varia quidem abſurda de morbo opinantē; haud multùm tamen aliena, Phantaſiæ non adeò deprauatæ indicio; quinimò ſe multa inepta olim protuliſſe ingenuè faſſus eſt, quæ proinde tanquam inania, & futilia damnauit. Perenni verò tunc temporis deſtillatione à capite ad ventriculum conflictabatur, copioſoq; adeò flatuum prouentu premebatur, ut ab ipſis, tanquam à pandoræ vaſe, malorum in ſe Iliadem effuſam eſſe opinaretur. Inter moleſtiora uerò ſymptomata, perpeſſus eſt compreſſionem quandam grauem, ſeu conſtrictionem, ur ipſe refert, & exprimit, in medio ventre, circa præcordia, ab iiſdem flatibus oriundam. Manibus hypochondria, ante cuiuslibet medicaminis uſum, iuxta Hipp. documenta contrectaui, ipſorum ſtatum exploraturus, molleſque omnes illas naturales partes obſeruaui, excepta quadam duritie in lienis regione, cum tenſione, adeò ut obſtructionibus non leuibus illam obſeſſam iudicauerim. Præterea de eorundem hypochondriorum continuo æſtu conqueſtus, huius cauſa frequentiſſimè exſiccatum os abluere coactus eſt; quibus acceſſit quotidie, ueſperi, ſex, uel ſeprem circirer horis à cibo, tempore ſcil. diſtributionis Chyli, intenſiſſimus genarum rubor, uſque adeò ad aurium alteram diffuſus, ut inflammationis propemodum metum incuteret.

Ex his antem ueriſimilius coniiciens, P.E. Hypochondriaca affectione laborare, quia Cœli inclementia uigebat, rotulas quaſdam ſolùm illi præſcripſi, ex Diacod. ſimpl. cum ſpec. Aromat. roſ. & Diarrh. Abb. aromatizatas quoq; guttulis aliquot ſpir. Cort. Cit. ut incommodis occurretem, ex præſentium flatuum copia, & præſertim pectoris anguſtiæ, quam P.E. ægertimè ferebat; & quidem non ſine leuamine. Interim, aduentante opportuniori tempore, iterum accitus, primis viis expiandis, lenitiuum exhibui ex infuſ. fol. ſen. Orient. Tamatind. & Tart. crudi; addita uncia Man. electę, cum totidem ſyr. roſ. ſol. & de Pomis, Sabor Regis; cuius medicamenri vi (licet antea octiduum, alternato Clyſmatū uſu, ex Iure ſolo, & Sacch. rubro; aliquando uerò ex lacte patatorum, necnon naturæ ope, ſpontè mouentis, magnā æruginoſæ, ac atræ bilis copiam excteuerit) copioſiſſimè eoſdem ferè humores deiecit. Poſtea, ut præpararentur humores, iuſculum Cichorac. alteratum illi exhiberi iuſſi; cui, ut obſtructionibus quoque, & flatibus occurrerem, & ventriculum pariter roborarem, addidi ℈ i. ſpir. ſalis coagulati, quo 15. dierum ſpatio, ſumma felicitate uſus fuit; nam vegetiori appetentia deinceps comedit, bilioſa continuò excreuit, ſenſibiliter percipiens, à lienis regione ad inteſtina materiā diuelli. Nec propterea Clyſteres omiſi, alternis ſaltem diebus, naturæ motui obſecundando iniectos, ex lacte ſemper, uel iuſculo, cum Sacch. rubro. Octauo verò die ab aſſumpto lenitiuo, venis ſedalibus quatuor hirudines admotæ fuere, quibus ad ſeptem, uel octo circiter uncias ſanguis extractus; hoc quidem ſcopo, ut aſcititius hypochondriorum calor refringeretur, & fęculentus humor, obſtructionum fomes imminueretur. Tandem iam pręparatis humoribus expurgandis ad aliquod catarcticum deuenire animus quidem fuit; uerùm quia ex primo leniente copioſa, abſque moleſtia, euacuatio proceſſit, ne fortiori medicamento proritaretur natura, & furens magis atrabilaris redderetur humor, ut aliàs Excell. Patienti contigerat, ideo idem lenitiuum repetere conſultius duxi, quo pariter copiosè, & cum tolerantia deiecit. Demum, ut morbus radicitùs extirparetur, calida illa, & ſicca viſcerum naturalium intemperie ablata; cùm iam lienis obſtructiones reſeratæ contrectantibus apparerent, ad aliquod ſpecificum refrigerans, & humectans deuenire decreui, & quidem lac cæteris præſtantius, mihi uiſum fuit, utpote aliis naturæ familiarius, & quod indicationes omnes implere poſſer, emaciationi ſcil. adurenti uiſcerum calori, imò ventriculo, & obſtructionibus, ſi nonnullæ adhucnum fortè ſuperſtites forent, utile. Verum hoc P.E. ſex duntaxat diebus, matutinis horis admiſit, primò ad 4. inde 5. poſtmodum tandem ad vncias ſex, quod poſtea tanquam noxium reliquit, noxam potius, quàm leuamen ſe pereepiſſe aſſerens, cùm maiorem circa pectus adſtrictione modò ſe premi exclamaret, ac à flatuū uberiori copia ſe lancinari opinaretur. Deuenimus itaque ultimò ad uſum balneorum aq. dulcis, à Gal. ac omnibus ferè medicis, hiſce caſibus, ſummopetè celebratorum; quæ uix expertus, flatibus, utris inſtar, corpus turgere, omnibus inſinuabat, atque leuamen antehac perceptum periiſſe, falsò ſibi perſuadebat; cùm alioquin circa nonnaturalia ex naturæ lege ſe haberet, optimè enim ingerebat, digerebat, & egerebat quotidie, & copiosè excrementa, veluti ſanorum, Veneris æſtu quandoque adeò percitus, ut aliquando bis nocte ſomnians pollutiones pateretur. Interea melius ſibi conſulens, longo itineri inopinato ſeſe committere decreuit; poſtquam decem menſium ſpatio inter domeſticos parietes ſeſe continuiſſet, feneſtris ut plurimùm

clauſis,

clauſis, ob aeris iniuriæ metum, omnibus admirantibus. Hic itaque eſt ſtatus Excell. Principis, Roma diſcedentis.

Doctiſſima, atque accuratiſſima hiſtoria ſtatus præteriti, ac præſentis Excell. atq; opulentiſſimi Principis ad nos delata, tum in cognitionem, tum in genuinam eiuſdem curationem nos manuducere poteſt, cùm res naturales, nonnaturales, & præter naturam abundè contineat; adeò vt nil amplius in ipſa deſiderari poſſit. Etenim cùm P. E. temperamentum, & corporis habitum, melancholicis affectibus vtcunque opportunum à natura ſortitus ſit, procliuiorē ad eoſdem redditum eſſe, ætate augeſcēte, conijcere eſt, quod acutior & acrior ſemper eiuſdem calor euadat; ideo hypochondriacæ affectionis præludia etiam ante ſebris acceſſionem exhibuit, quæ mox magis inualuit, poſt febriles inſultus, adaucto nimirum præcordiorum æſtu, & ex refrigerantium neceſſatio uſu cruditatibus, atque obſtructionibus multiplicatis, ab initio quidem pituitoſam, ſed in progreſſu terream, atque melancholicam naturam adeptis, quæ tunc temporis lienis regionem, modò meſenterij, & facile quinetiam lactearum obſederunt antehac, & nunc obſident; quæ dum in halitus à calore reſoluuntur, flatus acres, & acidos ſuſcitant, penis vaſa replentes, & b Venerem concitantes. Sed præterea hypochondriorum calore, & ipſius iecoris ab iiſdem adaucto, fœculenti à liene in pancreas depoſitio intercepta eſt; vnde (cum hominis prudentia in probo ſanguine conſiſtat) ab impuritate eiuſdem vapores ad caput eleuati, ſpiritus animales obtenebrantes, præter hypochondriacum, melancholicum quoque affectum induxere, quo ſola imaginatio deprauari obſeruata eſt, cuius tamen error poſtea à ratione, tum cognitus, tum emendatus fuit. Remiſſior autem affectio huiuſmodi fuit poſt reſeratas à Viro Excell. obſtructiones, dum ſanguis, ſtagnans antea, & quietus, motum acquiſiuit, & quodammodo ventilatus, aduſtionem primam depoſuit, imminutis ſimul, tum magno hypochondriorum æſtu, tum oris exſiccatione; quinimò & ipſa hypochondriaca ſymptomata non parum remiſſa ſunt, flatus diſcutientibus adhibitis, à quibus compreſſo diaphragmate, pectoris anguſtia premebatur. Nihilominus eadem hypochondriaca affectio modò perdurat, perſiſtentibus quinetiam meſenterij, & lactearum venarum obſtructionibus; & quod peius eſt, ſicca ventriculi, & calida circumiacentium viſcerum intemperie inuſta, à quibus quandoque ciborum corruptiones nidorulentæ ortum ducunt, vnde ventriculi, & eorundem viſcerum contractio, & ab ea conſtrictio, & poſt chyloſin peractam, difficilis, atque moleſta ciborum diſtributio; tandem imminuta nutritio, & totius corporis macies.

a 1. in 6. Epid. 5.
b 30. Probl. 1.
c 1. de Morb. N 28.
d 3 de loc. Aff. 7.
e de ſymp. Diff. 3. in Theoph.
f 3. de loc. Aff. 1. Gal in lemet. ipſos.

Cognita igitur affectionis P. E. diuexantis idea, necnon cauſa, de priſtina, atque meliori ſanitate comparanda, non eſt, quod dubitemus; ſanabilis enim ſui natura affectus eſt, licet medicamentis reluctari videantur ſicciores, & pauciores obſtructiones ſuperſtites, ac poriſſimum intemperies ſicca, quæ nonniſi materialibus qualitatibus auferri ſolet; multò namque facilius eſt refrigerare h calidum, & calefacere frigidum, quinimò & exſiccare humidum, quàm humectare ſiccum. At difficultas huiuſmodi, licet diuturnitatem aliquam, impotentiam tamen non includit; diuturnitatem ſiquidem ſuperare poterit conſtantia Excell. Principis, in præſcriptis adhibendis; ſicut diuturnitas non minus ex melancholicorum inconſtantia, atque diffidentia, quàm ex ipſius melancholici humoris natura pendere ſolet. Quare, ut propoſito, ac optato fine potiamur, obſtructiones aperientibus reſerandæ; ſiccitas ventriculi, & viſcerum humectantibus corrigenda, calor viſcerum, & hypochondriorum refrigerantibus contemperandus.

g 7. Meth. 10.
h 7. Meth. 5.

Ex his autem illi præcipuè, & magis incumbendum, quod magis vrget, cæteris tamen non neglectis, qualis, caſu noſtro, ſiccitas eſt, tum quia magis E. P. moleſta, tum quia reliquorum curationi impedimento foret; ſicut e contra, præmiſſis humectantibus, remiſſaque ſiccitate, alimento in ventriculo concocto effluxus, & diſtributio facilior parabitur; ſiccæ obſtructiones eodem tempore ad euacuationem aptiores reddentur, atque, cùm ſiccitas ſit lima caloris, calor ipſe iecoris, & hypochondriorum quodammodo ſimel remittetur: donec, ablatis leuioribus illis obſtructionibus, aut ſaltem humectatis viis atque laxatis, refrigerantia citra moleſtiam, imò cum Excellentiſsimi Pat. delectatione exhiberi poſsint.

Atque adeò, quæ prægreſſa noſtra conſultatione adduximus, eadem, eodemque ordine, hoc æſtiuo tempore, adminiſtranda confirmamus. Quod ſi Excellent. Viro adſtanti quicquam mutandum uiſum fuerit, reſcriptis illud lubentiſsimè expendemus. Velim interim P.E. admonitum; quod, dum eidem ſanitatem comparare, & morbum profligare intendimus, contrariis oppugnandæ cauſæ ſunt, cuius pugnæ arena cùm corpus eiuſdem ſit,

impoſſibile fuerit, aliquod, licet leue huius certaminis incommodum non percipere, ac pati; nec propterea tamen tanti momenti opus deferendum eſſe.

LXXXVI.

MACIES CVM SEROSITATIBVS, Ex Viſcerum Calore.

IAm à teneris annis de iecoris, & hypochondriorum æſtu, ſimulque de imbecillitate, ſiue frigiditate ventriculi conqueri cœpit Em. Princeps; quibus mox in adoleſcentia acceſſerunt querelæ de redundanti humiditate, non ſolùm catarrhali, à capite delabente; verùm & ichoroſa vberiori à toto venoſo genere; atque tandem de ſiccitate corpus vniuerſum macie abſumente. Quare, licet totius calidam, & humidam temperiem, habitumq; ſatis laudabilem à natura ſortitus fuerit, & ſano maximè Patre natus; nihilominus toto vitæ curriculo, in hunc vſque annum 68. valetudinariam ſemper vitam traxit; quinimò ſymptomata ſemper noua apparuerunt, olim, & nunc Principem Clementiſs. atque moderatiſſimum diuexantia. Huius autem aduerſæ, adeòque pertinacis calamitatis cauſam indagare, & aſſequi omnino neceſſum duco, ut tantorum malorum radice cognita, niſi hoc tempore illam prorſus euellere liceat, germina ſaltem ab eadem pullulantia facilius refringere, & amputare poſſimus.

Calor itaque, & frigus, duæ fuerunt cauſæ primæ ſtatus morboſi in Eminentiſs. Principe, & quidem efficaciſſimæ, vt qualitates primæ, inſigni agendi vi in nobis præditæ. Conſideratione autem dignum videtur, vtra harum vrgens magis, atque potentior fuerit, calor nimirum hepatis, an ventriculi frigiditas. Verùm quis non videt, quod ſi frigiditas ventriculi poſitiua fuiſſet, tandiù Eminentiſs. Princeps vitam non protraxiſſet. Igitur priuatiuam fuiſſe, à iecoris, & hypochondriorum feruore exuperanti pendentem, omnino neceſſe eſt; vnde iuremerito monebat Gal.[a], quod coctione in ventriculo laborante, ſtatim circunſitas ipſi partes conſiderare oporteat, nimirum iecur, lienem, meſenterium, &c. Quare calorem immodicum, fontem, & auctorem omnium malorum fuiſſe cenſemus; ab hoc enim, labefactatur quidem, at non imminuitur ventriculi calor, vnde coctiones quandoque diminutæ, quandoque verò deprauatæ ſucceſſerunt. Et licet aciditas ſæpè fuerit percepta, frigida hæc quidem fuit, at non à frigiditate, verùm à nimia caliditate, ut à prima, & potiſſima cauſa promanauit, vt conſiderabat Trall. quotidiana compertum experientia, dum vinum æſtate, & ſub radiis ſolaribus aceſcit; veriſimile quippe non eſt, in adeò tenella ætate, poſitiuam frigiditatem viguiſſe; cùm tamen à Medicis aduerſus frigiditatem, & imbecillitatem ventriculi tunc temporis pugnatum fuerit decoctis, & aliis calefacientibus medicamentis, à quibus adaucto magis magiſque calore, humorum quoque colliquationes originem habuerunt; ſiquidem excalefacto[b] capite, deſtillationes inualuerunt, prout & liquatis cruditatibus, in ventriculo genitis, & totius maſſæ ſanguineæ humoribus, ichores vberius ſuccreuerunt; quos pariter non à frigiditate congelante, ſed à qualitate colliquante, in adoleſcentia, temperamento calido, & humido, & boni habitus corpore, prouenisse, extra omne dubium eſt; hinc[c] deſtillationes ad oculos, ad fauces, ad pectus, & ad alias corporis partes.

a 1. de loc. Aff. 4.

b de Carnib. 17. & de Loc in Hom. 15.

c 3. de San. Tu. 8.

Verùm quoniam ventriculum primò ſympathicè læſum, temporis proceſſu noxam idiopathicam, & eſſentialem adeptum exiſtimandum eſt, hinc perpetuo perdurante iecoris, & hypochondriorum calore, non ſolùm eiuſdem tonus quodammodo elanguit, verùm & humiditas ſubſtantifica nonnihil abſumpta eſt; eiuſdem tamen labe adhucnum fouente viſcerum, & hypochondriorum calore, in præſens non ſolùm ab intemperie, verùm & à morbo inſtrumentali, obſtructionibus ſcil. adaucto, & quidem potiſſimum cùm antehac Medicorum ſcopi ad ventriculum calefaciendum, non autem, ut par erat, ad hepar refrigerandum collimarint: refrigerationes enim iecoris, & hypochondriorum ventriculo ipſi opitulatæ procul dubio fuiſſent, & chyloſin, per elixationem, ex Ariſtot. à ſuaui, & moderato

calore

calore perficiendam, ad ſtatum naturalem perduxiſſent; quem calorem à circunſtantibus partibus ſuſcipit ventriculus ipſe, veluti lebes, igne moderato, non autem torrefaciente circumpoſito; hinc Gal. d Eraſiſtratum arguebat, dicens, quod leuis calor huic elixationi ſufficiens eſt; non enim æſtuans Ætna ventri ſubiiciendus fuit, ad concoctionem, quæ à iecore, veluti manu ventriculum amplectente, adiunatur, niſi eiuſdem calor feruidior fuerit. Sic & Auic. cum eodem Gal. & Hippoc. confirmauit, coctionem in ventriculo fieri, non ſolùm à calore carnis eiuſdem, ſed etiam à vicinis partibus communicato. Sed præterea, refrigerantibus multis, & calefacientibus adminiſtratis, ſanguis craſſior, & quodammodo aduſtus, redditus, lienem inquinare cœpit, ibique propriam elaborationem impedire, dum ab eiuſdem copia, atque præſentia, ſpiritus arterioſi, quo lien abundare ſolet, vis, atque facultas quodammodo retuſa fuit; ſicque, eodem craſſiori ſemper manente, ſuccreuerunt obſtructiones in ramis quoque meſentericis, adauctuſque calor, qui liquandi, fundendi, & ichores coaceruandi tum bilioſos, & acres, tum potiſſimum melancholicos, & acidos vim obtinet; ſed præterea, nec raró. cibos corrumpendi, unde flatus, rugitus, ructus, ptyaliſmus, & frequens aquoſæ materiæ vomitus, ſymptomata hypochondriorum propria, atque familiaria.

d 3. de nat. Fac. C. 7.

e 1. 3. Tr. 1. C. 1.

f 4. de loc. Aff. 7.

Verùm quoniam, licèt tum crudi humoris, tum ſanguinis craſſioris productio vberior in dies euadat, nondum tamen natura adhuc valida cauſis morbificis cedit, ſed ſeipſam tueri nunquam deſiſtit; ideo dum excrementis ſuperfluis exonerare ſe tentat, melancholici, & craſſi ſanguinis craſſiorem portionem à liene ad vas breue detrudit; quod quoniam obſtructum iam eſt (vnde inappetentia procedit) hic ideo aliquo temporis interuallo hærens, tenſionem, indeque continui ſolutionem, & dolores excitat; in halitus veró, & fumoſas exhalationes conuerſus, per coſtam ad vertebras vſque ſeſe exporrigit, quò & ipſi dolores protenduntur: pars autem melancholici ſanguinis ſeroſior, & aquea, cruditatibus quoque nonnihil immiſta, à valida expultrice, in Aortam transfuſa, per emulgentes ad veſicam, cum vrina permeans, frequentem, & incommodam mictionem efficit; unde dicebat Hipp. g nonnunquam obſeruari vrinas ſtrangurioſas, non nephriticas, ſed alia pro aliis, quibus Galen. in Comm. addit, dum uniuerſum corpus per vrinam expurgatur.

g 1. in 1. Epid. 8. & 41.

Ad ſanitatis autem ſtatum redigi poſſe Eminent. Principem, optandum quidem, non tamen impertandum fuerit; cùm naturales radices affectus habeat, à præpoſtera medendi ratione firmiſſimas redditas. Nihilominus, quoniam totius eiuſdem temperamentum longæuum eſſe ſolet, & ut videmus, conſumptioni tandiù renitens, & præterea quoniam obſtructiones tantùm, nondum vero tumores in viſceribus ſuborti fuerunt; ideo moderatam curationem; & quidem eradicatiuam quinetiam, nedum palliatiuam toleraturum ſperari poteſt; quam propterea tentare tutum, & optimum cenſem is, quandoquidem, niſi ſymptomatum cauſæ nonnihil imminuantur, ſed ſola palliatiua curatio adhibeatur horum ſymptomatum, ni præceps, celerrimum ſaltem eorum augmentum ominari licet. Quare, ut nouiſſima ſymptomata obliterentur, & forſan etiam priora imminuantur, Vere proximè futuro, infraſcripta adminiſtranda proponimus, ut aliqua parte, intentionibus medicis ſatisfaciamus.

Erunt autem, ventriculum, & primas vias emundare; obſtructiones tum meſenterii, tum lienis nonnihil reſerare: humores, tum crudos, tum præſertim melancholicos imminuere, eoſdem ſalſos, & acidos demulcere, & à viis vrinariis ad aluum diuertere: ventriculum cautè roborare; totumque corpus ſubſtantificè humectare: ita enim capitis minerium fomes remitti poterit, abſque eiuſdem expurgatione, & corroboratione, præſidiis validioribus.

His autem intentionibus explendis, de ſanguinis miſſione non eſt, quod cogitemus: licet aliqua ſpontanea ex venis ſedalibus moderata eiuſdem excretio, præſertim à venis internis, hypochondrijs non parum conducere poſſe videatur. Verùm de hac arte ſolicitanda, in præſens ne verbum quidem. Cauteria tot abhinc annis ſeroſitates effundentia, me iudice, ſunt fouenda, cùm parum, aut nihil corpus emaciare poſſint. Veſicantia veró, purgato corpore, ineunte æſtate, amoueri poterunt, utpote valdè incommoda. Totum corpus quotidie ol. amygd. rec. erit inungendum, atque humectandum: ſicut & abdomen ung. roſ. malu. eodem ol. rec. illinendum.

Ex Pharmacia deſumenda leuis, ſed neceſſaria primarum viarum expiatio pot. ex manna clarific. vel caſs. lenit. & tart. quibus ſuperbibat ius hord. vel maluis alteratum. Inde, quinque, aut ſex continuis diebus, aſſumat iulap. acet. ad ℥ ii. vel iii. aq. cinnam. aſperſum.

Quibus

Quibus exactis, alterutrum præſcriptorum medicamentorum aſſumat. Et niſi abdomen depreſſum, & exſiccatum habeat Em. Princeps, libenter, vna ſaltem vice, aq. Tettuc. vſum repeterem, ad primas vias detergendas, atque abluendas; & præterea, ut facilior via ſternatur alicui aperienti medicamento, ad Lienem; quale eſſe poterit more Fernel. ita deſcriptum.
℞. radic. cich. petroſel. cappar. gram. an. ℥ j. ſem. mel. ℥ ij. ſem. carth. ℥ ſ. fol. borrag. malu. capill. Vener. aſplenij, ſcolopend. an. m. ſ. fol. ſennæ orient. rec. mundat ℥ iij. radic. polypod. ℥ i. ſ. radic. veratri nigri præp. ℥ ſ. cinnam, integr. ℥ ſ. aq. ſtillat. cich. agrim. an. ℔ i. m. macerentur omnia per 24. horas; deinde par. bull. & fiat fortis expreſſio; colat. verò adde ſacchari fini q. ſ. ut fiat liquor ad iulap. conſiſt. cui affunde rhab. opr. linteo incluſi ℥ i. ſpicæ gr. xij. recondatur in vaſe, cuius dosis erit ad ℥ ij. matutino tempore, aut in vino albo tenui, aut in iure pullæ, quod, noſtro caſu, fortè melius. Sumitur autem tertio quoque die, decem, vel duodecim vicibus; diebus autem intermedijs, præberi poterit ſuccus depur. borrag. pom. dulc. ad ℥ iv. in iure malu. & fumar. alterato. Cuius medicamenti vſu, acris forſan, acidus, & ſalſus humor à vijs vrinarijs abducetur, per aluum expurgabitur, & obſtructiones non parum imminuentur.

Quare tunc temporis, ad duo magna remedia erit animus conuertendus, uſum ſcil. lactis aſinini, & Balneum aq. dulcis. Lac enim acrimoniam, mordacitatem, ac ſalſedinem prauorum humorum egregiè demulcere poteſt, quo, ad ventriculi frigidam, & ſiccam intemperiem corrigendam, nullum præſtantius excogitare potuit remedium ipſe Gal. præterea obſtructiones quoque ab humoribus terreis, atque melancholicis productas, expediendi facultatem obtinet; atque (quod maximè intereſt) totum ſubſtantificè humectandi. Nec quod ſit tenue, facilè permeans, & parum in ventriculo hæreat, caput lædere poterit. Debet autem eligi ex aſella nigra, & ſtatim mulctum cum ſaccharo ſummi. Quod ſi Viris Exc. ſuſpectum habeatur, neque multò maius beneficium detrimento ab eo ſperari poſſit, ſubſtituatur naturali iam dicto, lac arte paratum, ex emulſ. quatuor ſem. frigid, & nucleor. pincor. in iure pullæ extr. addito ſacch. & aſperſione alicuius aq. odoriferæ.

Quo tempore, Balneum quoque adminiſtrari poterit aquæ dulcis, malu. uiol. nenuph. fol. ſalicis alteratæ, prima quidem demerſione tepidæ, quæ, noua frigida affuſa, ſub finem frigida reddatur. A quo totū corpus linteis ſubtiliſſimis leuiſſimè detergatur, & inde ol. amygdal. rec. totum inungatur. Sicut autem in uſu lactis ſaltem ad quadraginta, aut quinquaginta dies perſiſtendum; ita viginti ſaltem, in vſu Balnei.

Iam dictis autem poſtrema ſymptomata refringi poſſe ſperamus; quod niſi ex uoto ſuccedat, adeò ut dyſuria, aut ſtranguria, necnon ſiniſtri hypochondrij dolor non cedant, tunc ut vrinæ ardor demulceatur, ſimulque humores in hypochondrio hærentes remoueantur, in vſum reuocet Em. Princeps bolum ex terebinth. noſtra, aq. malu. imprægnata, addito exiguo liquiritiæ puluere, à qua bibat aquæ hordeac. ex aqua malu. paratæ, cyathum vnum; cui, ſi lubeat, infundantur iulap. violac, aut de ibiſco ℥ ii. in quorum vſu integrum menſem perſiſtat; dum enim diuerſio humorum à viis vrinarijs obtineri non poterit, eorundem eductio facilis, epiceraſtico auxilio erit procuranda.

Quoniam verò ſeroſitatum copia quammaximè abundat, ideo per aluum etiam ſemel menſe, aut bis, earundem imminutio molienda, adijciendo, vel pil. imperialibus conſuetis, vel modico elect. lenit. gr. x. aut xii. magiſt. mechoac. quo die, ptiſanam hordeac. aſſumere non tenuat.

Capiti exſiccando, quotidianæ aſperſiones ex puluere exſiccanti adhiberi debent, parato ex maiorana, radic. iridis Florent. fol. roſat. damaſcen. cornu Cerui uſto, oſſibus ſepiar. combuſt. & poll. ligni carioſi. Sed præterea in uſum reuocet puluerem in nares adducendum more rabaci, ex maiorana, iride, & nigella compoſitum.

Sal verò menthæ, ſal abſinth. tum ventriculo, tum iecori robur conciliare poterunt, ſed cautè, & à cibo potius, quàm ante præbendus; ſicut ſub ingreſſum lecti, aliqua conſerua ex floribus, modò roſar. modò ror. mar. modò beton.

Quibus omnibus addere libet, proximò ineunte autumno, carnibus coquendis chinæ portionem, de more, adiici poſſe, duobus, aut tribus continuis menſibus.

Victus ratio hucuſque adeò accurata à Viro Eminentiſs. obſeruata, non parum mihi ſuſpecta videtur, tum quia inutilis ſemper fuit, cùm tamen nullus ferè detur affectus diuturnus, qui [h] congruæ viuendi rationi conſtanti non cedat. Quare vereor, ne omiſſa frigida, & humida alimenta tantoperè formidata, hypochondriorum, & iecori feruori obeſſe potuerint; ſcimus enim ventriculi vel leuem frigiditatem, ſe nobis ſenſibilem exhibere, quia ex-

h Lib. de Atten. Vic. Rat.

exquiſito ſenſu prædìtus eſt, non ſic autem iecoris, & hypochondriorum calorem, qui non niſi effectibus ſe exerit. Quare crediderim, humida alimenta, tum actu, tum potentia, certiſſimè profutura; ſicut in actiuis qualitatibus, actu, & potentia moderatè calida, in calido enim, & humido uita conſiſtit, & conſeruatur; atque adeò in uſum ducat ius borragine alteratum, prima menſa, cui, æſtiuo tempore, endiuia quoque impunè addi poterit; Cætera verò intentionibus noſtris proportione reſpondeant.

LXXXVII.

MACIES, VIGILIÆ, ET ARENVLÆ.

ILluſtriſs. & Excellentiſs. Senator, Patronus Optimus, annum agens quinquageſimum, temperamenti totius, iecoris, atque cordis, calidi, & ſicci, capitis ſatis temperati, ad calidum tamen, & humidum potius vergentis, mediocris habitus, ad operationes promptiſſimus, ac prudentiſſimus, in publicis rebus adminiſtrandis anxius, atque adeò Legationibus, & arduis pro Sereniſſima Republica negotijs, ſumma omnium admiratione, & magna ſui nominis gloria ſemper feliciter functus, licet non ſine aliqua ſalutis noxa; duobus abhinc annis, grauem adeò in ſomno offenſam paſſus eſt, ut cùm antea nocturno ſomno moderato, breui verò pomeridiano placidè uteretur, modò non ſolùm diù dormire omnino deſtiterit, ſed noctu etiam interruptus, breuior, & quandoque breuiſſimus ſit illi ſomnus. Verùm ante hoc tempus, Nephriticos dolores ſemel fuit perpeſſus, quos tophaceæ, & arenoſæ materiæ excretio ſecuta eſt. Inde doloribus hæmorrhoidalibus vehementibus correptus fuit, aliquot dies perdurantibus; mox in Hiſpanica Legatione, Hypochondriacam affectionem, illius Regionis Endemicam, contraxit; qua tamen, domum reuerſus, congrua, prudentique viuendi ratione, paucìſque Medicis auxilijs breui vacauit. Ab his tamen impetigo, atque prurigo in pectinis regione ſuborta eſt, cum eruptione non adeò pauca biliofæ feroſitatis; cui, anno exacto, ſuppreſſæ hæmorrhoidalis interna quædam moleſtia ſucceſſit, in fęcalium excrementorum deiectione recrudeſcens; tunc enim dolor excitabatur, una, aut altera hora perdurans, licet à leui quadam excoriatione humor non alicuius momenti emanaret; quæ tamen etiam tandem ſedata fuit, & ferè omnino ſanata, longa purgatione, & iecoris, totiuſque maſſæ ſanguineæ refrigeratione, atque humectatione. Ab his verò totum ſtatim corpus adeò extenuari cępit, ut macies proximè præteriti anni ſpatio inſignis obſeruetur. Attamen nunquam publicis negotijs ſe abdicauit, nec diurnum ſomnum in vſum reuocauit, nocturno ſolo, & quidem breuiori gaudens. Quoniam uerò multis abhinc annis inſtrumento quodam, induſio, & cæteris veſtimentis calefaciendis, atque exſiccandis accommodato utitur; ideo extenuationis, & maciei cauſa huic adſcripta fuit; unde eiuſdem intermiſſus uſus. His accedunt craſſæ arenulæ, & globuli tophacei, poſtremis hiſce ſuperioribus diebus, non ſine tamen externa occaſione, vnà cum vrina excreti, abſque ullo doloris ſenſu. Quare magni Senatoris ſtatus diligentiſſimè pro vitili expendendus, ut & præſentes moleſtiæ tollantur, & imminentes præuertantur.

Eorum itaque, quæ habentur in Scheda, præterita in gratiam ſalutis Præſtantiſſimi Senatoris ſunt à nobis conſideranda; præſentia verò corrigenda; quorum tamen alia principalia ſunt, alià ſuperuenientia. Conſideranda itaque erunt, priores Nephritici, & hæmorrhoidales dolores, Hypochondriaca affectio, impetigo pubis, & poſtrema hæmorrhoidalis moleſtia. Corrigenda verò, ut principalis, inſueta totius macies; vt ſuperuenientia verò, Vigiliæ.

Præterita autem quod ſpectat, hæc nobis clarè demonſtrant, excrementa in Excell. Viro redundaſſe, à prædominio calida, biliosa, & quodammodo exuſta; ſubdominio uerò cruda, & pituitoſa; quorum illa ab exuperanti Iecoris calore, naturali quidem, verùm & ab animi cogitationibus feruidiori reddito; hæc verò à ventriculo per accidens, ob grauia ſtudia, debiliori genita ſunt, à quibus præſentes quoque affectus, tum principalem, tum ſuperuenientem emanare, ac foueri cenſemus. Etenim Vita, quæ eſt Animæ [a] Vegetatiuæ in calido

[a] Ariſt. de Vita, & Morte.

calido innato ſedes, Deorum [b] donum, atque depoſitum, ut cuſtodiatur, & conſeruetur; tribus [c] potiſſimum eget. Primò, ut ſiccitas, quoad fieri poteſt, arceatur. Secundò, ut excrementorum prouentus inhibeatur. Tertiò, ut ſubſtantiæ continuus effluxus inſtauretur. De primo dicebat Gal. [d] ſiccitatis culpa omne corpus genitum mortale fieri, cùm calidum, & humidum ſint vitæ [e] principium; hanc verò non ab internis ſolùm, ſed potiſſimum ab ambiente nos Aere procedere, expreſſis verbis prodidit Ariſt. [f] dicens. *Aer ambiens eſt cauſa, ob quam nullum Animal diù viuere poteſt, non ſolùm quia humidum reſoluat, ſed etiam quia contrarijs qualitatibus alteret*. A diaphoreſi igitur, noſtro caſu, nimium peruia, ob induſia, ac veſtes ab inſtrumenro iam dicto nimis excaleſactas, atque exſiccatas, reſolutum, & ſupra modum exſiccatum fuiſſe totum corpus arbitramur. Verùm inter cauſas externas, totum exhaurientes, & extenuantes, non minoris efficaciæ fuere Vigiliæ, voraces ideo ab Hipp. [g] dictæ, curæ, ſolicitudines, animi anxietates publicis rebus adminiſtrandis; unde Poeta,

Confiteor, facere hoc annos; ſed & altera cauſa eſt,
Anxietas animi, continuuſque labor.

De ſecundo ita ratiocinamur; ſicut motus corporis eſt cauſa caloris; ita multò magis motus animi, quo viſcera, potiſſimum Cor, & Iecur adeò incaluere, ut ad bilioſos potius, atque exuſtos humores producendos, quàm probum ſanguinem diſpoſita fuerint, quibus cùm iamdiù degrauaretur natura, facta tenuiorum ad hæmorrhoidas, & pubem; craſſiorum uerò, atque crudorum ad renes metaſtaſi, læſo priuatiuè ob diſtractionem natiui caloris uentriculo, his euacuationibus ſuppreſſis, ac proinde excrementitijs humoribus in uenis hærentibus, ſanguinem antehac dulcem, & ſatis purum, amarum, acidum, ac impurum factum fuiſſe credimus; atque adeò ad gignendas carnes ineptum, ex quo neceſſariò Macies, & gradus ad Atrophiam.

De tertio denique ſtatuimus, quod niſi [h] loco eius, quæ effluxit, ſimilis alia ſubſtantia reſtituatur, confeſtim corpus noſtrum dilabi, & diſſipari neceſſe eſt. Quoniam uerò vires, quibus regimur, & operamur, non in vno conſiſtunt; ideo cibo quicquid ſiccioris; potu verò, quicquid humidioris ſubſtantiæ diſſipatū eſt, inſtauramus, aerea, ac ignea ſubſtantia, à nobis continuò effluente, ope reſpirationis, & arteriarum pulſationis reparata. In horum igitur uſu, licet non ualdè aberrauerit Excell. Vir; quia tamen nutritiua facultas finita eſt, & eius, quod diſſoluitur, inſtaurationem quidem ſimilem molitur, non verò idem omnino reſtituit, eum quod [k] apponitur, ſemper deterius ſit eo, quod abſumitur; ideo corpus quotidie in deterius labi neceſſe eſt, quod prohiberi non poſſet, licet cum cauta uictus ratione proba totius temperies, firma corporis compago, clementia Cœli, Soli, ac Regionis bonitas, rerum utilium uſus, à nocentibus abſtinentia, & uoluptatum fuga, atque abominatio ſimul conuenirent; hæc enim omnia longiorem quidem, beatiorem, ac ſalubriorem; non uerò perpetuam uitam facere poſſunt, ut propterea Mors [l] naturalis, quæ eſt [m] caloris mareor, extrema rerum linea dicta fuerit; ſicut & uiolenta eiuſdem [n] caloris extinctio. Reſolutio igitur ab hac tertia cauſa proueniens, hoc caſu, cùm naturalis ſit, effectus præter naturam, ac uiolentos, præſentem ſcil. Maciem inferre non potuit. Quare à ſiccitate, & ab humoribus bilioſis in uenoſo genere congeſtis, tum Maciem, tum Vigilias, ſi non maciem efficientes, fouentes ſaltem, ortum duxiſſe aſſerendum ſupereſt.

Cùm autem Vitæ [o] principium in calido, & humido conſiſtat; ſiccitas ideo uia eſt ad interitum, quem uitare quandoque, & prorogare poteſt Medicus, humanos errores corrigens. Neque obſtant Sacræ literæ [p], *Breues dies hominis ſunt. Numerus menſium eius apud te eſt. Conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt*. Iob namque & ipſa natura aſſentitur, ore Auic. [q] pronuncians. *Vnumquodque terminum præfixum habet, qui indiuiduis varij ſunt, propter temperamentorum diuerſitatem; & hi quidem ſunt termini naturales; ſunt verò & alij termini abbreuiati*. Sed naturaliter, & religioſè ſimul locutus fuit Raymundus Lullius [r], dicens. *Vnicuique vitæ terminus eſt ſtatutus, quem nullo ingenio transgredi poſſumus; ſed intra illum terminum mortem accelerare in promptu omnibus eſt. Ideo à Medicina petendum remedium, quo corpus noſtrum à putredine præſeruemus, & infirmitatem arceamus, donec veniat is poſtremus dies, à Deo præſtitutus*. Quare ſi penes Medicum, quem Deum tutelarem appellabat Gal. [s] eſt, uitam producere, quantò facilius eidem fuerit inchoanti Atrophiæ progreſſum intercipere, & diſſolutam exiguam humiditatem non radicalem, ſed carnoſam tantùm, & adipoſam reſtituere.

Hoc autem adiectione, & ablatione præſtandum; ſiccitas enim humectationem ſubſtantificam poſtulat (prius tamen ſanguinis impuritate electiuè purgantibus emendata) & calida Iecoris, renumque intemperies refrigerantia deſiderat; quibus ſi Vigiliæ non ceſſerint,

b Plutarch. ad Apoll.
c Auic. 3. 1. Cap. 1.
d 5. & 6. de San. Tuen.
e de long. & breu. Vitæ.
f 4. de Gen. Anim. vl.
g 4. in 6. Epid. 20.
h 1. de San. Tue.
i 12. Meth. 5.
k 1. 1. Doct. 3. C. 3.
l Flaccus in Epiſt.
m De Vita & mort. Cap. 10.
n Ibid. 1. 5. & 7.
o de long. & Breu. Vitæ.
p Iob.
q 1. 1. Doct. 3. C. 3.
r Lib. de Sec. Nat.
s In Lib. Med.

rint, ſomnum conciliantia addenda erunt; Renum interim cura non neglecta.

His intentionibus ut ſatisfaciamus, à fonte Chirurgico vnica, & parca depromenda eſt ſanguinis miſſio ex Iecoraria, tum ad euentilandum Iecoris, & uenarum calorem; tum ad explorandam ſanguinis conditionem, ut de eiuſdem receſſu à naturali ſtatu certiorem coniecturam faciamus. Quotidiana etiam vniuerſalis inunctio Oleo Amygd. ſtatim inſtituenda.

Et licet Macies, atque Vigiliæ eandem fouentes, euacuationem, ſeu exinanitionem, nec exigere, imò nec facilè admittere uideantur; nihilominus, ut tota maſſa ſanguinea purificetur, & ab acribus, amaris, & bilioſis humoribus vindicetur, neceſſaria ſunt electiuè Purgantia, ſed benigniora, non calida, quibus tamen Lenientia præmittenda fuerint. Quare aſſumere poterit ſyr. roſ. ſol. cui tamen Flos Caſſiæ rec. præferendus; cùm potiones magis exſiccent, ſpirituſque reſoluant. Præparantia, eodem etiam tempore refrigerantia, ſint ſucci, per arenam deput. Cich. Borrag. & Malu. ad ℥ iij. in iure pullæ End. Sonco, Malu. Viol. Hepatica alterato, quibus ſex diebus aſſumptis, repetatur Caſſia, hauſto ab ea Sero depur. ad ℔ i. ſ. Inde per hebdomadam repetantur iidem ſucci; quibus ſuccedat electiuè huiuſmodi purgans. ℞. F'or. Caſs. rec. ext. ℥ ſ. Pulu. griſei, hoc eſt, Diagryd. fumo Sulph. præp. gr. xv. Magiſt. Mechoac. gr. x. m. f. b. à quibus, hora poſt, bibat Seri Capr. depur. ℔ i. ſ. & tribus horis ab eo prandeat.

Nondum tamen calidorum humorum præparatio, ac refrigeratio erit dimittenda; ſed ulterius ita tentanda. ℞. Sem. Melon. mund. ℥ i. Quatuor ſem. frigid. an. ℥ ſ. Seri Capr. aut Aſin. ℥ x. m. f. Emulſ. cui adde Iulap. Viol. ℥ i. m. & ita decem alijs diebus. Deinde repetatur præſcriptum purgans cum Sero, ut ſupra. Hæc verò ſint quoad primam intentionem.

Secunda eſt Iecur, & Renes refrigerare, quod commodè conſequi poterit Aquar. B. V. potu: moderatè ſiquidem hæ refrigerant Renes, & Vreteres laxiores, ac ampliores efficiunt. Præterea materiam arenoſam detergere, eiuſdem ſuppreſſionem, & calculi productionem inhibere, necnon eoſdem Renes quodammodo roborare poterunt, pauco enim Sale, & quamminimo Sulphure conſtant. Et licet nonnihil exſiccare uideantur, ſiccitatis tamen impreſſionem tollit Aquæ copia, quod non faciunt Vitriolatæ, quia multò maiori exſiccandi ui pollent.

Tertia intentio fuit, totum ſubſtantificè humectare; cui ſatisfacere poterunt duo magna remedia, alterum internum, externum alterum, Lac ſcil. & Balneum. Lac autem 20. primis diebus, ſit Aſininum, ut quod magis refrigeret, licet minus nutriat, quàm Caprinum; ſequentibus verò quadraginta diebus Caprinum, cum Saccharo, ut moris eſt. Animalia autem nigra [f] ſint, & optimè nutriantur, Hordeo, Pane, folijs Lactucæ, End. & Maluæ. Quod ſi fortaſſe Lac naturale, aut occulta proprietate, aut qualitate manifeſta Excell. Senatoris naturæ minimè arrideat, illi ſubſtituatur artificiale; primis pariter diebus magis refrigerans, quàm nutriens; reliquis uerò refrigerans, & nutriens. Quare ℞. Sem. Mel. mund. ℥ i. quatuor ſem. frig. an. ℥ ſ. Aqu. Malu. Cucurbitæ an. ℥ v. m. f. Emulſ. cui adde Sacch. fini ℥ i. Aqu. Roſ. aut Fl. Cit. ℥ ſ. m. pro potu matutino, quatuor horis ante prandium, ad quindecim dies aſſumendo. Poſtea. ℞. Sem. Mel. mund. ℥ i. Amygd. dulc. num. 20. Nucleor. pineor. num. 40. Iuris pullæ ℥ x. m. f. Emulſ. cui adde Sacch. fini ℥ i. Aq. Flor. Cit ℥ ſ. m. pro potu quotidiano, quinque horis ante prandium ſumendo.

[f] de Nat. Mulieb. 46.

Interim ueſperi deſcendat in Balneum Aqu. dulcis, Malua, Viol. Lactuca, Nenuph. Salice alteratæ; quod ſit in principio tepidum, in fine uerò frigidum; cui ſuccedat uniuerſalis inunctio Ol. Amygd. rec. 20. ſaltem diebus adminiſtrandum.

Extant uerò aliqua uitam longæuam producentia; narrat enim Haly, [t] quod Triphera Indica, ſiue Saracenica colorem totius floridum reddit, concoctionem adiuuat, & iuuentam in longum protrahit. Sic Athenæus [u] ſcribit, Cyrnios Corſicæ populos, uitam producere Melle, quo fertur etiam Democritus, vſque ad centeſimum, & nonum annum uixiſſe; vnde Pythagoras, eiuſque Sectatores, ut diuturna uita fruerentur Melle intus, & Oleo foris vtebantur. Verùm non omnibus Mel prodeſſe, tradidit Gal. [x] dicens, Mel eſſe bilioſis aduerſiſſimum, ſicut & pituitoſis amiciſſimum; unde frigido Ventriculo nihil Melle præſtantius, calido nihil nocentius. Quare cùm calidum, & ſiccum ſit ſupra ſecundum gradum, noſtro caſu minimè conueniet, quo humectatione egemus, tum nutritionis totius cauſa, tum quia [y] naturalia inſtrumenta, quò humidiora, eò nutritioni magis idonea: prout ſicciora, & dura valdè inepta.

[t] 1. Art. Med. Co. 103.
[u] 2. Deipnoſoph. C. 3.
[x] 7. Meth. 7.
[y] 3. de Sympto. Cauſ. 3.

Vuu Quæ

Quæ omnia iam præſcripta ſomno quoque conciliando aptiſſima erunt, quem ſi non conſequemur, in hunc finem alia addenda, ut & diuturnus, nec adeò leuis, ſed profundior captetur, ſomnus enim [z] concoquit, ac proinde nutrit, unde Homerus,

Vt lauit, ſumpſitque cibum, dat membra ſopori.

[z] 5. in 6. Epid. 32.

Pauca tamen ſint, nec operoſa, ſed ſuauiora. Statim itaque à prandio ſemicyathum uini conſueti bibat, in quo multis diebus macerata fuerint Papau. ſemina: & ſtatim à cęna cochlear Syr. de ſem. eiuſdem Papau. albi deglutiat. Extrinſecùs diſſoluantur gr. vi. Laud. Nepenth, Querc. in cochieari Aq. Roſar. & ſummis digitis intinctis nares inunguntur, ac tempora, & ſutura coronalis illinantur.

His addenda congrua in omnibus uiuendi ratio. Primò itaque quoad Aerem, cùm humidus [a] aptior ſit ad producendam viram, quæ in calido, & humido conſiſtit; ſiccus uerò conſeruandæ ſanitati commodior, Pat. Excell. humidum incolat, & ſiccum nonnunquam delibet, & leuiter hauriat, quæ mutatio ex ſalubri [b] in grauem, ineunte hyeme, è graui uerò in ſalubrem æſtate fiat. In craſſo autem, & humido aere, tenuiori: in tenui verò & ſicco, pleniori uictu utatur. In vtroque tamen domo non egrediatur, antequam Sol efficacior illum purificauerit, ut innoxiè inſpiretur: frigiditatis enim exuperantia, ut plurimùm, ſiccitati, atque tenuitati adiungi ſolet.

[a] Coſtæus.
[b] Celſus.

Secundo Cibus Viri Excell. ſani, temperamento ſimilis ſit, in naturalibus enim ſimilia ſimilibus conſeruantur, & in ſymbolicis facilior fit transmigratio [c], cùm reſiſtentia à contrarijs dependeat; humidiori tamen, in præſens, facultate polleat; ſiquidem cùm non adeò facile ſit inuenire corpus inculpatè ſanum; ideo, licet hæc vera ſint, veriſſimum tamen, quod alimentum [d] humidum, & fluidum facilius tranſmutatur, vnde dicebat Hipp. [e] quod, *Facilius eſt impleri potu, quàm cibo*. Etenim ſicut calido uiuimus [f], ita humido nutrimur, vnde idem Hipp. [g] *Ignis omnia per omnia mouere poteſt*, *Aqua omnia per omnia nutrire*. Et quamuis Senatori Ampliſs. habita maciei ratione, craſſiora alimenta, nec adeò facilis reſolutionis conuenirent; ratione tamen calculorum, glutinoſa minimè conducunt. In ſecundis uerò qualitatibus, dulcedo [h] ualdè nobis amica eſt; cibi namque, quatenus ſunt guſtabiles, nutriunt; maximè verò guſtabile eſt ipſum dulce, quod mediocri caliditate, & humiditate præditum, noſtræ naturæ ſimile ferè omnino eſſe videtur. Hinc notauit Ficinus [i] ex Auic. corpus dulcedine, ſpiritum verò aromatica quadam odoris ſuauitate nutriri. Non tamen dulciſſima ſint alimenta; ſcripſit enim Hipp. [k] quod, *Robuſtiſſima edulia maximè, & conſpicue homines affligunt; ea autem ſunt inter dulcia dulciſſimum, inter amara amariſſimum, inter acida aciſſimum, & in omnibus rebus adeò vigor ipſe, & ſummum*. Subdulcia igitur non rarò ab Excell. Viro ſunt uſurpanda, & comparatiuè dulcia amatis præferenda. Menſura autem certa haberi non poteſt, niſi per ſenſum, inquit idem Hipp. [l] hoc eſt, per obſeruationem; licet certiſſimum ſit, maiorem & tolerari, & poſtulari Hyeme, & Vere, quàm Æſtate, & Autumno. Tempus verò pleniori cibo accommodatius erit matutinum, prout tenuiori veſpertinum; tanti enim eſt conſuetudo, ut naturæ uires æmulata, aduerſus iniurias quoque, & labores nos tueatur, ac muniat. Quod ſi ſemel anno contingeret, ut in conuiuio cibi plus iuſto aſſumeret, tunc [m] ſomnus, & motus augeantur, & conſueti cibi dimidiū ſubtrahatur. Quoad ordinem, ait Gal. quod præpoſterè alimentis utuntur, qui non præmittunt humida ſiccis, lubricantia adſtringētibus: addit Auic. acidis dulcia: & licet fuerit Platonis ſententia, quod edulia in Ventriculo cæca quodam confuſione miſceantur, prior tamē ſententia, ut tutior præferenda eſt. Circa potum, *Vina bibant homines, Animalia cætera fontes*. Vinum autem ſit nec ualdè uetus, quia corpus exſiccat: nec recens, quia uiſcera obſtruit: non ualdè nigrum, & craſſum: quia iecur, & ſanguinem calefacit, materiamque denſandis arenulis diſponit; nec tenue nimis, quia ſeroſitates in uenis coaceruat, & putredinem facilè concitat; non dulce, utpote biliosū, & calculos in renibus facilè producens; non auſterum, utpote exſiccans, & in hypochondrijs hærens; non album, ut quod exiguum præbeat alimentum, & cruditates ad renes facilè perducat. Sit itaque fuluum, tenuis ſubſtantiæ, & ex agris non lapidoſis, nec ualdè pinguibus, odorum, ſubſtypticum, & quandoque ſubdulce: facilè namque in ſanguinem [n] uertitur, quicquid dicat Mercurialis, vberrimos ſpiritus gignit, Cerebrum roborat, atque calefacit, & animum recreat: unde Plato dicebat, Vinum nobis potiſſimum datum eſſe aduerſus ſenectutis rigiditatem.

[c] Auerr.
[d] Hipp. de Alim. n. 12
[e] 2. Aph. 11.
[f] Ariſt. de Vita, & Morte.
[g] 1. de Dięta nu. 4.
[h] Ariſt. de Sen. & Senſi.
[i] Lib. de vit. Cord.
[k] de Vet. Med. n. 14
[l] Ibidem.
[m] Rhaſis, & Auic.
[n] 3. de Temp. 3.

Tertiò Somnus diuturnior Viro Ampliſſimo conueniet, arcet enim caloris, & ſpirituum diſſipationem, ipſi in negotijs peragendis familiariſſimā, etenim Cerebro robur conciliat, toti corpori laſſitudinem ſubmouet, calefacit, humectat, impinguat, & curas arcet, unde Orpheus.

Somne

Digitized by Google

Somne Beatorum Rex, & Rex Somne Virorum,
Quem fugiunt curæ &c.

Nec eſt, quod Endimionis ſomnum prohibeamus; quia caput grauet, & repleat, mentis hebetudinem, ac tarditatem inducat, memoriæ iacturam importet, & corpus uniuerſum pigrum, ac ignauum reddat; ſed potius Scopeliani Vigilia Viro vigilantiſſimo interdicenda venit, ut quæ ſpirituum, & tenuis ſubſtantiæ potiſſimam partem diſſipet, carnes colliquet, cruditates accumulet, tòtum corpus ad tabem redigat, ac propterea ſenectutem ante diem accerſat.

De motu, & quiete, quamuis ex Hipp.o habeamus, quod, *Non impleri cibis, & impigrum* [o 4. in 6. Epid. 22.] *eſſe ad labores, ſint duo ſanitatis fundamenta*; nihilominus quieti potius, quàm motui indulgendum; hic enim calorem acuit, corpus exſiccat, & ſenectutem accelerat; & præterea motus potius cohibitione, quàm excitamento natura uiuaciſſima eget. Illud tamen ſubdere liceat, quod qui ſola deambulatione contenti ſunt, in otio viuere iudicauit Gal.

Quintò, quoniam quælibet coctio duplex emittit excrementum, tenue nimirum, & craſſum; ideo quotidiana fieri debet eorundem euacuatio; in Chyloſi quidem ſtercoris, & vrinę; in Hæmatoſi bilis, & limi, ſeu melancholiæ, in Homotoſi ſudoris, & ſordium. Primis itaque ciendis, ſat ſit ius malua alteratum, prima menſa eporum. Secundis, obſtructiones arcendæ; quod difficilè illi non fuerit, congrua viuendi ratione utenti. Tertijs, totius diaphoreſis veſtibus peruia moderatè ſeruanda, & totum corpus ſemel, aut bis anno, à ſordibus lotione detergendum.

Venus in præſens prorſus ablegãda; corpore verò ad bonum habitum redacto, & priſtino ſtatui reſtituto, ita moderatè exercenda, ut ab ea p ſenſus purior, ſomnus iucundior, mens [p Celſus.] rectior, & appetitus melior euadant.

Tandem Animi pathemata arcenda; quod Prudentiſſimo, ac Sapientiſſimo Viro haud difficile fuerit; ſapientes q enim ſuapte natura, timores, & mœrores frangere ſolent; ſicut [q 3. de loc. Aff. 7.] prudentes, atque magnanimi iram; unde Cleon non fuit dignus Cæſaris ira. Quæ faxit Deus, ut Præſtantiſſimum Senatorem ad Neſtoreos annos perducere poſſint.

LXXXVIII.

ARENOSA DISPOSITIO.

PRæfectus Excellentiſs. annum circiter 35. agens, temperamenti ſecundum totum, calidi & humidi, ſecundum iecur verò, & Renes iuſto calidioris, boni habitus, roſei coloris, motibus animi, & corporis non parùm agitatus, anno abhinc cum dimidio, renum dolorem pati cœpit, cum arenularum rubratum excretione, qui ſemper in dies hucuſque ingraueſcit; & in præſens grauitas, in Renum regione, cum intenſo adeò calore percipitur, vt continuò, ueluti à cingulo ferreo non leuis ponderis præcingi ſibi videatur, ex quo ad motus, præſertim proni, & curui impotentiam ferè redactus eſt. Modò de agendis conſulit, tum vt à præſenti moleſtia uindicetur; tum ut ab imminenti calculorum procreatione præſeruetur.

Licet nondum omnino calculoſus ſit Eccell. Vir; ne tamen in poſterum euadat, ualdè ſuſpicandum, ſiquidem arenularum præſentia, cum renum inſigni imbecillitate, & feruenti calore, quæ cingulum magni ponderis repræſentant, & motus difficultatem inducunt, calculi cauſam, tum materialem, tum efficientem clarè demonſtrant; non enim arenulæ ſine crudo ſucco a, à uentriculo primùm, inde à uaſis ad renes tranſmiſſo produci poſſent; ne- [a 3. de Alimen. Fac. 17.] que crudus humor torrefieri, & in arenulas cogi, ſine præſentia ignei caloris torrefacientis. Vt autem calculus producatur, nil aliud ſupereſt, quàm ut arenulæ à mucilaginoſa [b de Inter. Aff. 15.] materia ſimul cogantur, & concreſcant; atque tandiù in renibus hæreant, donec ab eodem calore (parte earum humidiori reſoluta) obdureſcere, & lapideſcere poſſint; ad quod de- [c 2. de Aliment. Fac. 5.] ſideratur tertia cauſa, à Recentioribus, ſine qua non appellata, quæ apud b Hipp. c Gal. Orib. d & omnes Medicinę Principes, praua eſt uaſorũ cõformatio, ſita in laxitate emulgen- [d 9 Synop. 25.] tium, à qua crudi ſucci copioſi ad renes patet aditus, & in ureterum, atque renum anguſtia,

ac denſitate, à qua eiuſdem intercipitur effluxus; unde diù in renibus hærens, lapideſcit; qua ratione tegulæ, & fictilia ut perficiantur, terra argilloſa cum igne fornacis, ſine aliqua in eadem mora, minimè ſufficerent. De huius autem cauſæ præſentia ambigendum caſu noſtro; prout ſi Parentes fortè calculoſi fuiſſent, pro certa, & rata eſſet habenda; ideo enim hereditaria eſſe ſolet huiuſmodi affectio, quia [e] ſemen à toto quidem, ſed præcipue à renibus promanat.

e de Offib. nu. 6.

Præſeruatio itaque, atque curatio omni arte tentanda, ſic enim eodem modo, ac tempore, à præſentibus quoque moleſtiis liberari poterit Excell. Vir. Quæ quidem deſperanda non eſt (dummodò hæreditaria non ſit affectio) nondum enim ad calculos prouecta eſt, ætaſque longè ab anno 50. diſtat. [f]

f 6. Epid. 7

Id autem præſtabitur primò cauſam materialem auferendo, cruditatum ſcil. productionẽ prohibendo. Secundò Renes expurgando, hoc eſt arenulas abſtergendo. Tertiò cauſam efficientem compeſcendo, iecoris ſcilicet renum, & ſanguinis calorem contemperando. Quartò eoſdem à proprietate iuuantibus roborando. Quibus intentionibus implendis, omnia ordine executiuo proponam.

Primò, ut cruditates arceantur, ſummopere conducit congrua uiuendi ratio; mox uentriculi corroboratio. Huiuſmodi autem erit, ſi cibus ſit moderatus, boni ſucci, & ſimplex. Satietatibus abſtineat [g]; parca, & quandoque nulla ſit cœna; uitet lactaria omnia, lagana, pinguia, oſtreacea, paluſtria, teſtacea; omittantur carnes ſuillæ, bubulæ, annoſæ; & extrema, ac uiſcera animalium. Abſtineat pariter à piſcibus grandioribus, ſquamis carentibus, ſalitis, exſiccatis; meliores autem fuerint ſaxatiles, minus fluuiatiles, Pelagici, minimùm maritimi; tandem lacuſtres, atque paluſtres. Interdicantur condimenta aromatum, excepto pauco cinnam. ac pipere ruditer contuſo; ſic & allij, & cæparum. Vitentur omnia diuretica in cibo, dum agitur de præſeruatione. Vinum ſit nigrum, tenue, non petroſum. Aquam tepidam, prima menſa, renum calorem extinguere dixit Aetius. Nos autem iure tenui paruæ pullæ vti ſolemus, endiuia alterato. A cibo ſtatim diacydonium, cum pipere; uel duo integra grana maſtiches deglutiat. Si aliquando ob comeſſationes, cruditates coaceruet, plus conſueto ſomno indulgeat, & in plumis [h] non dormiat. Exercitium commendat Paul. [i] ſed moderatum; nam ex Tral. [k] nec multùm ſtare, nec moueri debent; ſed conſideant. Ventrem laxum ſeruare oportet; nam ſi benè proceſſerit, puriora lotia effundentur; ideo, ſi non ſpontè, arte ſolicitetur, uſu pil. ex aloe roſata, uel maſtichin. ſed ad ℈ i. ſolùm. Solo uomitu Ægyptii præſeruabantur; ideo præcipit Aetius [l], ut aliquando euomant à cœna, & abſinthium aſſiduè bibant. Quare, ſi pronus ad uomitum fuerit, bis menſe uomat, ſed mane; ſin minus, omittatur. Venus rara ſit, & decumbendo. Sodalitia quærat, ut alacriter uiuat: ſed nullis compotationibus, aut comeſſationibus. Quæ uiuendi ratio paucas cruditates coaceruabit, ac proinde renibus ſubducetur cauſa materialis arenulis gignendis; potiſſimum uerò, ſi aliqua quoque uentriculo accedat roboratio, præmiſſa tamen eiuſdem, & primarum uiarum expiatione, ut etiam ad renes, tum medicamenta abſtergentia; tum calorem, atque feruorem contemperantia, & roborantia ſine excrementis perduci poſſint.

g de Ren. Affect. 5.
h Ibid.
i 3. de Re Med. 45.
k Tral. lib. 9. Cap. 4.
l Tetr. 3. Sermo. 3. Cap. 5.

Proximo itaque ineunte Autumno, tentanda purgatio. Et primò uentriculus exinaniendus leniente, quod potu poterit eſſe potio clarif. cum crem. tart. uel bolo, lenit. cum tart. Inde quinque dies humores eidem adhærentes præparandi iulap. acet. aromatiz. cort. citri, ad ℥ iii. additis ʒ ii. crem. tart. mox repetito præſcripto medicamento. Hac uerò peracta uentriculi expiatione, ad eiuſdem perfectam ablutionem, atque roborationem, præbeantur aquæ Tettucianę, tribus continuis diebus, à ℔ v. ad ℔ vi. cum uehiculo deiectorio mellis roſ. ſol. aut pot. clarificatæ.

Quo tempore, licet diuretica prohibeantur ab Auerroe, & Nicolo, dum agitur de præſeruatione, ne ſcil. cauſa materialis ad renes perducatur; permittuntur tamen, imò exhibentur à Paulo, [m] & Auic. [n] ſed tamen aliqua cautione, metuit enim Auic. diuturnum uſum diureticorum, propterea ait, interciſis vicibus eſſe danda, quandiù ſcilicet opus fuerit arenoſam materiam in renibus hærentem, abſtergere, & educere, atque adeò licebit huiuſmodi ſyrupum præſcribere. ℞. decoct. cich. end. bortag. malu. nenuph. uiol. capill. Ven. ſem. mel. ℥ vi. ſyr. de ſucco lim. ℥ ii. m. pro ſyr. & ſic pro aliis; atque ad maiorem renum munditiem, iam dicto ſyrupo præmittantur boli duo, ex ℈ ii. terebinthinæ noſtræ lotæ in aqua malu. & ℈ i. pulu. liquiritiæ, à quibus ſtatim prædictam decoctionem aſſumat; & in eorum uſu perſiſtat quindecim ſaltem dies. Secunda uerò die uſus horum ſyruporum,

m 3. de Re Med. 45.
n 28. 3. Tr. 2 Cap. 29 & 16.

apetia-

Digitized by Google

aperiatur uena iecorarià dextera, educto ſanguine ad ℥ viii. qui ſi niger fuerit, ad x. progrediendum. In horum uerò ſyrup. intermedio, exacta nimirum hebdomada, poterit Vir Excellentiſs. aſſumere flor. caſs. rec. ʒ vi. cum ʒ i. pil. de tribus cum rhab. ut nouus diuertatur materierum à renibus ad aluum influxus; quod medicamentum reperere quoque è re fuerit, ſub finem ſyruporum, epotis hora poſt, ſeri depur. uel aquę Nocerianæ ℔ ii. mox tribus horis poſt, prandio ſumpto.

Toto itaque, atque renibus expurgatis, tertiæ intentioni incumbendum, calidam Iecoris & renum intemperiem remittendo, atque contemperando; à qua eorundem laxitas, atque imbecillitas, unde ponderis ſenſus; cuilibet namque debili omnia ponderoſa euadunt. Nil autem præſtantius, huic explendæ intentioni, acidulis aquis, & præ cæteris, uitriolatis, in Valle Solis agri Tridentini ſcaturientibus; ſed quoniam illùc ſe conferre debet Vir Excellentiſs. non enim exportantur à fonte, nec tempus, hoc anno idoneum habetur, cùm ſub cane aſſumantur; ideo in annum proximè futurum differendus earum uſus, nullo modo negligendus, utpote quæ ualdè refrigerare, emundare, & renes corroborare quàm maximè poſſint. Interim in præſens, dictis aquis aliquod aliud ſubſtituendum medicamentum aquæ ſcil. ſtillar. fragorum viol. portulacæ, plantag. hordei; emulſ. ſem. mel. imò & quatuor ſem. frigid. uerùm mihi magis arridet uſus ſeri aſinini deſtill. ad ℔ i. quolibet mane, ad xx. dies, & amplius, primis diebus, eidem immiſcendo iulap. roſac. uiolac. nenuphar. poſtremis uerò, gutt. v. ſpir. uitr. uel tincturæ corall. chymicæ, ad renum robur.

Eodem uerò rempore ſemel die, aut nocte, extrinſecùs quoque aliquod refrigerans, atque renes corroborans erit apponendum; & ne Excell. Viro vnguentis, & emplaſtris nauſea concitetur, deſtillentur albumina ouorum, & in aqua illa diſſoluatur portio aluminis crudi, nempe pro qualibet libra ſemiuncia; mox addatur tertia pars aquæ roſarum, & octaua ſucci citri, aut lim. & pannus lineus duplicatus, aut ſimplex, ſed craſſus, aqua illa tepida mediocriter imbutus, renibus applicetur.

Quarta intentio fuit, à proprietate iuuantibus, calculi generationem prohibere; inter quæ præſtant renes ſuilli, uino abluti, & exſiccati, deinde pulueriz ati, & vſque ad ʒ i. frequenter ieiuno uentriculo aſſumpti. Quæ pro ſalute Excell. Viri propoſita Deus ſecundare dignetur.

LXXXIX.

CALCVLOSA, ET HYPOCHONDRIACA Affectio.

EX accuratiſſimis Viri Doctiſſimi ſcriptis, difficile non eſt ideas affectuum, quibus in præſens diuexatur ſenex Illuſtriſs. conſtituere; ſiquidem inappetentia, tarda concoctio, hypochondriorum pondus, ſuffocationis ſenſus, alui ſtypticitas, ſitis, hypochondriacæ affectionis ſymptomata habẽtur; ſicuti ſitis, cordis palpitationes, vigiliæ, nocturnæ inquietudines, laſſitudo oſtocopos, capitis imbecillitas, leuamen à frigidis, dictam hypochondriacam affectionem melancholicam factam eſſe ſignificant; cuius characteres proprij ſunt non conſueti [a] timores, atque mœrores citra cauſam manifeſtam; a 6.aph.23
Renum verò grauitas, & calculorum freqnens excretio, nephriticum, ſeu calculoſum Patientem Illuſtriſs. demonſtrant. Ilias autem horum ſymptomatum cauſam habet intemperiem feruidam iecoris, cum calore, & ſiccitate hypochondriorum, non ſine aliqua uentriculi frigiditate; quam tamen potius priuatiuam exiſtimamus; ſed prętерea, & organicum morbum, obſtructiones videl. Calorem uerò, & ſiccitatem atteſtantur vita anteacta, ſtudiis, & meti compotationibus dedita: necnon morbi prægreſſi, Diarrhœa bilioſa, Dyſenteria, Pleuritis; ac tandem ſymptomata præſentia, ſitis, alui ſtypticitas, & leuamen à frigidis. Exuſtionis uerò, melancholicæ ſcil. exhalationis, atque fuliginoſæ, & exuſti ſanguinis in portæ ramis concluſi præſentiam nobis ſignificant palpitationes, ſuffocationes, oſſeæ laſſitudines, inquietudines, læſoque capite, & obtenebratis ſpiritibus animalibus, tum vigiliæ, tum timores, atque mœrores, non ſine ſuſpicione conſenſus à toto uenoſo genere. Verùm licet

cet utriuſque affectionis minera in obſtructionibus ſita ſit; earum tamen materia va-
ria eſt; cruditates enim in uentriculo olim genitæ, & in venis lacteis exſiccatæ, hypochon-
driacæ affectioni originem præbuerunt, ob quas calor non ventilarus, ac proinde efferue-
ſcens, ſanguinem in meſentericis venis, iuſto antea calidiorem, magis magiſque exurendo,
atrum, & melancholicum efficere potuit; vnde hypochondriacæ affectioni melancholia
hypochondriaca facilè ſucceſſit; à quibus mineris flatulenta materia eleuata, non ſolùm in
ventriculo coctiones turbare, ac remorari poteſt; verùm & diſtendens, anxietates à cibo;
ſeptum verò comprimens, ſuffocationes; atque uaporis ſpecie cor petens, palpitationes ex-
citare poteſt. Et quoniam læſa quoque in ventriculo prima coctione, cruditates neceſſariò
generantur, quæ tartareæ materiæ, atque bilioſæ immiſtæ, ad renes influentes, in [b] iiſdem,
b 1. de Aliment. Fac.Ca.5. ob malam conformationem, coercentur; idcirco ab eorundem immoderato calore, illa-
rum tenuiori parte abſumpta, in tophos concreſcunt, non autem in marmoreos calculos;
friabiles enim, & ob permiſtionem bilis ſubflaui, non albi coloris excreti fuere.

Vt autem Illuſtriſs. ſeni opem feramus, ut, ſi non omnino, magna parte ſaltem eum à
c 6.Aph.6 prædictis moleſtiis vindicemus, agendum; Renum enim, & Veſicæ [c] vitia ſenes comitantur
uſq; ad mortem, ut teſtatum reliquit Hipp. præterquamquod & hypochondriacam affectio-
nem conſummatam prorſus abliterare arduum exiſtimauit Trall. [d]

d Libr. 1. Cap 17. Quare medicæ intentiones erunt, primas vias expiare. Secundò obſtructiones auferre.
Tertiò venoſum genus expurgare. Quartò intemperies uentriculi, iecoris, & renum
corrigere. Quintò à renibus excrementa pro uirili diuertere. Et tandem viſcera robo-
rare.

Quibus implendis, remedia à fonte Chirurgico, Pharmaceutico, & Diætetico deſumen-
da. Et quidem in Chirurgico, ſi conſideretur ſanguinis miſſio, hãc indicat eiuſdem uitium, &
coindicat iecoris intemperies calida, necnon hypochondriorum æſtus; licet ſenilis ętas re-
clamare uideatur. Verùm quia robuſta eſt; ideo locum, & quantitatem ſolùm prohibere
poterit. Abſtinendum itaque fuerit à venę ſectione, hoc caſu (licet in acuto affectu tundi
e 6.Aph.11 poſſet) & ſanguis ex venis ſedalibus, ad ℥ vii. educendus, cum Hipp. [e] aſſerente, quod, *Melan-
cholicis, & vitio renum laborantibus, ſi hæmorrhoidalis euacuatio ſuperueniat, bonum*. Potiſſimum
verò, cum iam eidem conſueta fuerit. Cauterium pariter in coxa commendamus.

A pharmacia reliqua depromenda remedia. Ideo uentriculo exinaniendo, prębeatur mel.
roſ.ſol. cùm man. uel elect. lenit. cum tart. Prima præparatio mihi magis arridet, ex iulap.
f 7.Meth.7 acet. cort.citr. alterato, cum polline tart. quàm mel.roſ. cum oxymel. mel [f] enim ab hypo-
chondriacis ægrè tolerari poteſt. Hanc verò ſequatur huiuſmodi expurgatio, præſcripto
medicamento; & mox ualidior præparatio, humidis potius, quàm ſiccis, & moderatè cali-
dis, ac temperatis; ſiccæ namque ſunt obſtructiones, & æger iuuatur à frigidis; in quem
finem ſuccis potius herbarum depuratis, quàm mellitis, aut ſaccharatis utendum; bileſcũt
enim hæc, & uiſcera inflant. Præbeantur itaque ſucc.depur.cich.borrag.& agrim.ad ℥ iij. in
decoct.cich.borrag.end.meliſs.lupulor. ſeptem, aut octo diebus; mox fiat expurgatio infuſ.
rhab.agat.ſennæ, cinnam.integr. in aq. agrim.colat. addendo ſyr.roſ.ſol.& de polyp. & pro-
cedente euacuatione, epoto iure hordei, uel aq.hordeac.

Quibus peractis, aq.Tertuc. cum uehiculo mell.roſ.ſol. aut man. exhibita, opportuniſſi-
ma fuerit, tum ad excrementorum ablutionem, tum ad uentriculi exſiccationem; cùm
enim fluida ſit, & facilè, ac celerrimè permeet recto curſu, parum, aut nihil exſiccatis obſtru-
ctionibus obeſſe poterit. Inde ad aperientia ualidiora erit deueniendum, ad uſum ſcilicet
rhabarb. uel cum paſſulis, ad ʒ ſ. maſticati, aut ʒ ij. flor. caſſ. permiſti; cui hora poſt, ſu-
perbibat ius borrag. & malua alteratum; eius uſu continuato ad xij. ſaltem, uel xv. dies.

Ablatis obſtructionibus, aut ſaltem ualdè imminutis, atque adeò uijs expeditis, iecoris,
uenarum, & renum calida intemperies erit corrigenda; quod quidem præſtare poſſent aq.
Thermales acidulę. Verùm quouiam illarum uſus ab ætate, nec à Ventriculi reſpectiua
imbecillitate impune admitti poſſet; ideo iiſdem ſubſtitui poterit uſus ſeri capr. aut aſin.
deſtill. ad ℔ i. cum uehiculo diuretico succ. lim. aut ſpir.uitr. uel melius, ſpir.tart. pluries re-
ctificati, qui eodem tempore, ſuperſtites obſtructiones obliterare, atque renes abſter-
gere, & mundare poteſt, 20. ſaltem dierum uſu. Diuretica autem calidiora uitanda, ne cal-
culorum cauſa efficiens inualeſcat; quinimò remiſſo renum feruore, ab omnibus, & qui-
buslibet diureticis abſtinendum fuerit, & calculorum materia à renibus diuertenda, atque
aliò abducenda, ad aluum ſcil. qualibet hebdomada præſcribendo ʒ ſ. pil. maſtic. cum ℈ ſ.
magiſt. mechoac. & tandem uentriculus roborandus, ſed cautè, ne calor, tum hypochon-
drio-

Digitized by Google

drlorum, tum Iecoris, & renum iterum accendantur. Quare à eibo, & forma ſolida, uentriculum calefacientia, & toborantia ſunt præcipienda. Statim itaque à cibo, de more, degluriat Illuſtriſ. duo, aut tria integra gt. maſtic. uel pil. ex ℈ i. ſucc. ab ſint. pont. cond. aut duas ex huiuſmodi rotulis. ℞. ſpecier. arom. roſ. ʒ i. ſ. ſpecier. diarrhod. abb. ʒ ſ. ſacch. fini diſſol. cum aq. cinnam. q. ſ. m. f. confec. in rotul. & ſi æſtiuo tempore calorem in hypochondrijs percipiat, utatur etiam conſer. roſar.

Quibus omnibus congrua addatur uiuendi ratio, & præ cæteris cruditates, tanquam peſtis fugiendæ. Quare non multis, nec varijs cibis repleatur, intercedatque tempus, & interuallum 9. & x. horarum, inter prandium, & cœnam; quæ de more, ſit parca. Abſtineat uerò a cibis craſſi ſucci, vt à carnibus ſuillis, bubulis, à piſcibus lentorem habentibus, ut ſunt anguilla, Tinca, & alij huiuſmodi, ab oſtreaceis, & conchilijs, à laganis, caſeo, leguminibus, & ab omnibus diureticis, ut lupulis, aſparagis, raphanis, rapis, ſucco limonum, & huiuſmodi alijs. Vinum ſit nigrum, non dulce, non acidum, modicè generoſum, & tenuis ſubſtantię. Vitet decubitum ſupinum. Exercitia ſint moderata, & ante g cibum; Alui lubricitas paretur prunis decoctis, ſaccharo aſperſis; & prima menſa de more, ſumat ius uel ſimplex, uel malua alteratum. Arceantur animi pathemata, & alacriter uiuat. Quæ omnia à D. O. M. Illuſtriſ. Patienti ſalutaria precamur.

g 4. in 6. Epid. vlt.

XC.

NEPHRITIS, CVM HYPOCHONDRIACA Affectione.

ILluſtriſ. Patiens, temperamenti calidi, & humidi, carnoſus, annorum 46. exercitijs potius animi, quàm corporis plurimùm indulgens, iamdiù melancholicus hypochondriacus, 40. abhinc diebus, à nephritico dolore liberatus eſt expulſione calculi. Nonus verò iam agitur dies, quo febre correptus eſt tertiana duplici continua, cum perenni, & pertinaci uigilia, quæ tamen à mictu calculi Nobiliſ. Patientem multò ante eiuſdem febris acceſſionem affligere cœperat. Medicamenta verò purgantia; leuiora tamen illi exhibita fuere. Vomitu quoque eiecta fuit ante febrem pituita adeò lenta, & craſſa, ut uitream Praxagoræ propè æmularetur; cuius reiectione à doloribus ventriculi, quibus excruciabatur liberatus fuit. Septima die febris, vrinæ, licet ſubſtantia tenues, attamen nubeculam ſatis denſam, & compactam exhibuerunt. Caſſia 8. die exhibita eſt, quam promptè, & celeriter euacuatio materiæ vitellinæ craſſæ ſecuta fuit. Pulſus conſtantes, ſatis ſcil. magni, ualidi, nec tactui cedentes. De ſalute conſulit.

Virum Illuſtriſſimum iam fuiſſe nephriticum, lapis excretus indubitatam fidem facit, melancholicum quoque [a] timor, & mœror produnt, hypochondriacum quinetiam obſtructiones inſignes tactui obuiæ, in meſenterij regione. Febre autem correptus eſt, eaque tertiana duplici; cuius ſicut cauſa materialis genita eſt in uentriculo, ex cruditatibus in eodem productis, forſan ob auocatum natiuum calorem, à continuis meditationibus; ita obſtructiones meſenterij, ab eadem cauſa originem duxiſſe credendum; quæ à calore circunſtantium viſcerum exuſtæ, ſiccam, terream, & melancholicam naturam adoptæ fuere, à quibus uapores ad cor eleuati mœrorem; ad cerebrum uerò timorem, ratione nigredinis, cum Galeno [b], aut opacitatis, cum Auer. ſpiritus animales obtenebrantes; quinimò ab exſiccante qualitate, humiditate cerebri, utpote ſomni pabulo, abſumpta, & exhauſta, uigilias continuas produxerunt; quoniam verò ex infarctis obſtructionibus hypochondriorum, calor naturalis, ſuauis alioquin, & blandus, in iiſdem viſceribus acris, ac mordax euaſit, hinc bilis procreatio vberior cruditatibus immiſta, putredinem in caua iecoris concepit, unde febris.

a 6. Aph. 23.

b 3 de Loc. Aff. 7.

Noſtrum autem fuerit, præſenti, caſu, primò febri incumbere, euacuando, præparando, alterando, & uires conſeruando; quas quoniam immoderatæ vigiliæ atterere

ſolent;

ſolent; præterquamquod cruditates, tum ciborum, tum humorum pariunt; ſomnus ideo conciliandus. Secundò obſtructiones meſenterij aperiendæ; & tandem ventriculus corroborandus renum feruore contemperato, ad prohibendam calculorum concretionem. Quæ omnia partim in præſens, partim verò proximè futuro Vere præſtanda, certa ſpe fore, ut febris breui omnino auferatur, obſtructiones proinde valdè imminuantur, & calculoſa diſpoſitio non parum emendetur.

Itaque præter ea, quæ à Viro Excellentiſſimo peracta fuere, repreſſis vigilijs, de ſanguine ex hæmorrhoidibus mittendo cogitandum equidem foret, niſi nuper fuiſſet excretus. Lotiones à cœna, ex decoctione tepida lactucæ, violariæ, capit. papau. erunt valdè opportunæ; prout illitus narium, & temporum, ex laudano Nepenth. aqua roſ. diſſoluto. Clyſteres pariter ex lacte, & butyro recenti; uel ex decoctione iam dicta, cum oleo viol. ex uſu eſſe poterunt. Interim præparans adhibendum ex iulap. acet. cortic. citri aromat. prout alterans, ius ſcil. cichoraceis alteratum. Quod ſi calor, aut ſitis urgeant, tutò exhiberi poterit ſerum, ſi non capr. vaccin. ſaltem optimè præpar. quod præterquamquod æſtum præcordiorum contemperabit, ſomnum etiam conciliabit. Atque ante 14. exhibeatur rurſus caſs. ad ℥ j. ſi aluus non reſpondeat; cui ſuperbibat, aut ius malu. aut ℔ j. ſeri depur. nec ad ualidiora febri extinguendæ deuenirem; verùm conciliando ſomno, vterer emulſione ex ſemin. papau. alb. aut ℈ i. theriacæ recen. cum gr. i. laudani Nepenth. à cœna; quæ non ſemel, ſed iterum, aut tertiò, 3. aut 4. quaquenocte præberem. Suauem quoque ſomnum inducere ſolet, ex Trall. diacod. recens, cum emulſione ſemin. eorundem paratum, tribus, aut quatuor ex eodem rotulis, ſerò panatellę immiſtis.

Febre verò ſuperata, octo, aut decem dies, de uiribus inſtaurandis cogitandum fuerit; mox de obſtructionibus meſenterij expugnandis, quod maximè præſtari poterit rhabarbari uſu, ad ℈ j. cum ʒ ij. caſs. quotidie exhibiti, xv. ſaltem dies, à quo hora poſt, bibat ius end. alteratum; à quibus poſtea quieſcendum.

Menſe vero Maio, præmiſſa leui purgatione, ad uſum ſuccor. depur. cichor. borrag. & ſonci, erit progrediendum, 20. & plures dies, interpoſito uſu caſs. ad ℥ ſ. cum ʒ ſ. rhab. 4. aut 5. quoque die, à quibus rurſus Illuſtriſs. Patiens omnibus medicamentis ſuperſedeat. Verùm ſi affectus calculoſus perdurauerit, uel calculi, aut ſaltem copioſarum arenularum productio, ad Thermales aquas, tanquam ad ſacram anchoram confugiendum fuerit, æſtiuo tempore aſſumendas; & primò quidem ad aquam Tettucij, tres dies; mox & ad Villenſes, 15. At ſi opus abſolutiſſimum uoluerit perficere Illuſtriſs. Patiẽs, aquarum Tettucij, & Villenſium loco, ſe conferat eo tempore ad aquas uitriolatas, in Valle Solis agri Tridentini ſcaturientes, nullum quippe medicamentum, tum obſtructionibus hypochondriacis reſerandis, tum renibus abſtergendis, & roborandis facultate his prępollet.

Quibus omnibus congrua victus ratio addenda, quæ licet Viro prudentiſſimo, & Excell. quam notiſſima ſit, attamen, ut patienti Illuſtriſs. morem geram, pauca, ſed potiſſima attingam. Abſtineat itaque à carnibus ſuillis, bubulis, & cęteris valdè pinguibus, à laganis, & oſtreaceis: à lactarijs, & conchilijs, à leguminibus, & ualdè ſalitis, à uinis item generoſis, & curis, ac ſolicitudinibus. Exerceat corpus ante cibum; & alacriter uiuat.

RENVM

XCI.

RENVM CALCVLVS.

CAlculoſus Adm. Reuerend. Patiens, & Nephriticus ad nos acceſſit, cum tophis à renibus in veſicam prolapſis, & in eadem concluſis, quorum duo cum exigua vrethræ moleſtia ſpontè eiecti, ſimul cum vrina pituitoſa, & ſabuloſa, ac eiuſdem aliqua difficultate, & quandoque etiam interceptione perdurante. Quare ad nephritidem diſpoſitione affectum, cum metu lithiaſis, ipſum in præſens conſideramus. Cœpit autem renum calculo laborare Menſe Iunio ſuperiori, quo medicorum auxiliorum ope, integrum annum commoda valetudine uſus eſt; verùm quoniam à libera uiuendi ratione, cauſa materialis, & efficiens incrementum ſuſceperunt, cauſa ſine qua non, praua ſcilicet vaſorum conſormatione, eadem ſemper, ut inſanabili permanente; ideo affectus huiuſmodi, ut ſolet, recruduit, calculis tophaceis, non verò lapidis duritie eiectis; quorum duo, aut tres à veſica expulſi, perdurante arenoſæ, & pituitoſæ materiæ à renibus ad veſicam, & ab hac extra corpus expulſione.

His ita ſe habentibus, curatione, lithiaſis metu; & præſeruatione à nephritide opus habet Adm. Reu. Pat. idque nulla interpoſita mora, ne forſan fragmenta tophacea, in ueſica diù hærentia, à pituitoſa materia agglutinata, & obducta augmentum ſuſcipiant, atq; adeò mox grandiora, ac marmorea reddita non amplius, niſi manuum [a] opera, ſanationem admittant.

[a] 5. in 6. Epid. 26.

Quare Patientem Admod. Reuerend. preſtantiſſimo auxilio, eodem tempore, tum curatiuo, tum præſeruatiuo admittendo, paucis idoneum effecimus. Primò alui lenitione. Secundò uentriculi, & primarum uiarum præparatione mel. roſ. ſimpl. & iulap. acet. Tertiò humorum præparatorum expurgatione. Quartò uentriculi deterſione, exhibita aqua Tettuciana triduo continuo, & tandem uiarum reſeratione, uſu aquæ agrim. cum ſpiritu tartari. Interim uenæ ſedales, ſanguine ſpontè nunc manantes, ſi placuerit, quolibet tempore reſerari poterunt. Verùm dum aperientia ab ipſo uſurpantur, ingrediatur iter Tridētum uerſus, ad uitriolatas aquas, in Valle Solis ſcaturientes, aſſumendas; à quibus redundantibus, & ad ueſicam affatim, per urinam, affluentibus, ſi quiſpiam tophus fortè in eadem ſuperſtes fuerit, dimotus facilè, & auulſus ſimul cum ea educi poterit. Sed præterea hepatis, & renum ſeruorem contemperare, eorundemque, atque uaſorum inferiorum anguſtiam laxare, ac ampliare, adeòque, & cauſam efficientem, & prauam uaſorum conformationem reparare valebunt.

Domum uerò reuerſus, præſeruationis loco, uentriculi aliqua cura habenda, ne noua cauſa materialis coaceruetur, atque adeò quotidie ab aſſumpto cibo, ſtatim deglutiat duo, aut tria grana maſtiches integra, uel pil. ex ℈ i. ſucci abſinth. pont. cond. Et quoniam neceſſariò cruditates tempore accumulantur, à renibus omnino hæ diuertendæ, cauendo ab errore uulgari, uſu ſcil. diureticorum toto anno, cùm tamen ſint potius ad aluum perducendæ. Quare bis menſe pilulas duas aſſumat, hora ante cęnam, ita paratas. ℞. pil. maſtic. ʒ ſ. magiſt. mechoac. gr. vii. m. f. ſ. pil. n. ij. & aur. Tribus verò continuis annis, ad Vallem Solis ſe conferat Adm. Reu. Pat. leui præmiſſa expurgatione, & ſanguinis miſſione, ad aquarum uſum; ſolius enim anni ſpatio uota implere nequeunt.

Congrua uerò uictus ratio potiſſimas partes in præſeruatione à calculo habet. Et quoniam non dierum ſpatio, ſed toto uitæ curriculo obſeruanda fuerit; ideo commodior, & indulgentior præſcribi debet; prohibendo tamen quammaximè noxia, quæ huiuſmodi caſu uenefica. Et inter carnes, omnino prohibetur ſuilla, potiſſimum recens, extrema animalium, & volatilia paluſtria. Inter lactaria, interdicitur omnino [b] caſeus, & potiſſimum uetus. Inter piſces, ſquamis carentes, ut anguilla, tinca, &c. ſicut & oſtreacea, piſces ſcilicet omnes armati. Inter fructus, vitandi nimis acidi, pepones, mala perſica, poma, caſtaneæ. Inter olera, fœniculum, ſelinum, aſparagi, raphani, tubera terræ, fungi. Exu-

[b] 3. de nat. Facul. 15.

lent omnino lagana, & omnia diuretica, ſiue urinam ducentia. Atque adeò præſeruationis loco, uini albi uſus ultandus; ſicut & dulcis, ac generoſi; non tamen ſit acerbum, quod ſi fuerit ſubſtypticum, poterit quoque concedi ſubdulce; hoc eſt *abboccato, & racente*, uulgo dictum; ſit tamen tenuis ſubſtantiæ, hoc eſt diaphanum, neque petroſum, nec pingue. Dormiat ultra ſeptem horas. Exercitium utile c erit ieiuno ventriculo. Commodum uerò ipſi contigit, mulieri non adſtrictum eſſe. Vtatur bis menſe pilulis præſcriptis, & alacri animo uiuat.

c 4. in 6. Epid. Vlt.

XCII.

PRO CALCVLOSO.

Patritius Illuſtriſſimus calculoſus, à nobis preteritis diebus curatus, & ſanatus, calculo variegato excreto, ad flauitiem tamen potius inclinante, & friabilis conſiſtentiæ, licet integram præſeruationem ſperare non poſſit, cùm, *Calculorum generationem*, vt ait Aret. a *è ſæcunda ſterilem omnino reddere nemo poſſit*; potiſſimum verò, cùm quinquagenarius b ſit, & vltrà, ſitque nephritis in illorum morborum cenſu, qui c ſenes comitantur ad mortem; nihilominus, ut rarius, quoad fieri poteſt, affectu corripiatur, & facilius liberari poſſit, partem præſeruatiuam à nobis poſtulat.

a 2. de Diut Aff. Ca.3.
b 6 Epid.7
c 6. Aph.6.

Quæ quatuor intentionibus perficienda. Primò inhibendo materiæ craſſæ generationem. Secundò genitam à renibus diuertendo. Tertiò, ſi aliqua eiuſdem portio ad renes permearit, eandem abſtergendo, & euacuando. Quartò corrigendo intemperiem calidam, & prauam renum diſpoſitionem.

Prima itaque intentio perficitur potiſſimum congruo, & rectò uiuendi uſu, & preterea aliquo quoque præſeruatiuo medicamento. Secunda aliqua phlebotomia, & purgatione per uomitum, ſi ad eundem fuerit procliuis; ſed quinetiam per aluum, & per inſenſibilem tranſpirationem. Tertia improprijs lithontripticis, & abſtergentibus, propria namque locum non habent in præſeruatione. Quarta refrigerantibus medicamentis, aliſque à proprietate iuuantibus.

Et cùm Valeſcus de Taranta eleganter ſcribat, ſuperuacaneum, & ridiculum eſſe, medicamentis incipere operari, niſi prius diætæ conſideratio, & obſeruatio ſubſternatur; ideo ab hac incipienda erit præſeruatio.

Primò igitur aerem quandoque mutet, paludoſum, & locorum ſtagnantium uitet, & ad puriorem frequenter ſe conferat.

Secundò victus ratio ſit potius attenuans, non tenuis. Vitentur frequenter cibi ingeſti, nil enim peius, quàm comeſtio ſupra comeſtionem, dicebat Auic. Ita fugiat, quoad fieri poteſt, ciborum uarietatē, & copiā, ac varia condimenta, coquorum enim apparatus, eſt potiſſima eruditatum cauſa, quæ hoc caſu omnino fugiendæ. Cibus itaque ſit moderatus, boni ſucci, & ſimplex, à ſatietatibus abſtinendo, & ab omnibus carnibus antiquis, extremis, ac viſceribus animalium; ſicut à ſuilla, bubula, atque ſylueſtrium uolucrium, ac paludum, & lacuum. Ex lactariis ablegandus omnino d caſeus, & aſſiduus butyri uſus. Edulia item ex paſta, & pulmentaria omnia. Ex piſcibus grandiores fugiat, ſquamis carentes, ut anguillam, tincam, & huiuſmodi; conchilia item, teſtacea, & oſtreacea omnia, ſalita, & exſiccata non admittat; præſtabunt pariter ſaxatiles, minus verò fluuiatiles, adhuc minus pelagici, minimùm maritimi, atque ultimo loco paluſtres. Ex leguminibus hordeum ſolum, & oryza concedantur. Ex herbis abſtineat ab omnibus e urinam ducentibus, vt à raphano, apio, fœniculo, ab aſparagis, lupulis; & præterea à fungis, & tuberibus. Ex fructibus, eorum ſolùm copiam caueat. Ex condimentis vitentur aromata omnia, excepto cinnamomo, & modico pipere ruditer contuſo; acria item omnia, vt allium, cepe, limonis ſuccus, atque omnia ſale condita, & exſiccata. Ex vinis à nimis dulcibus, auſteris, albis, & generoſis ſibi temperet. Aquam verò tepidam primum, menta, iecoris, & renum feruorem extinguere, ſcripſit Aetius. Nos autem ius tenue aliquando endiuia alteratum illi ſubſtituimus. A cibo, grana maſtiches integra de more deglutiat

d de Ren. Affec.3.

e Tral Lib. 9.Cap. 4.

glutiat, uel diacydonium modico pipere contuſo aromatizatum.

Tertiò ſomnus nocturnus ualdè confert, & quidem diuturnior, ſi aliquando cruditates congeſſerit. Diurnus verò, ſi conſuetus, admittitur, non tamen dormiat f ſuper plumas. f de Ren. Affec. 5.

Quartò exercitium commendat Paulus, at moderatum, nec niſi ventriculo uacuo; tunc enim, ex Gal. nec multùm ſtare, nec moueri debet, ſed conſideat.

Quintò uentrem lubricum ſeruare oportet; nam ſi aluus benè proceſſerit, puriora lotia effluent, ut dicebat Aetius. Ideo prima menſa paſſulas comedat, & iuſcula ſuperbibat; ſemel autem menſe familiares ſibi habeat pilulas maſtichinas, ad ʒ ſ. cum ℈ ſ. magiſt. mechoac. Et ſi aliquando contingat, ut ciborum appetentia langueat, uomitus à prandio, uel à cœna erit efficaciſſimum remedium.

Sextò ſodalitia g ſibi comparet, vt alacriter viuat; ſed abſque compotationibus, aut comeſſationibus. g Paul. 3. de Re Med. 45.

Secunda intentio fuit, ſemel anno, corpus à redundantibus humoribus expurgare, ſanguinis miſſione, & medicamentis. Quare quammaximè proderit parca ſanguinis eductio ex uenis h hæmorrhoidalibus. Medicamenta uerò quod attinet, leniens primò exhibeatur, ex ſyrup. roſ. melle roſ. & electuar. lenitiu. vel ex electuar. lenitiu. cum tartaro. Inde præparentur humores, in uentriculo, & primis viis, oxymelite, ad ℥ ij. cum aquæ cinnamom. ℥ j. ſine diluto, idque quinque tantummodò diebus; mox præbeatur infuſum rhabarbari, agarici, & ſennæ, cum ſyrupo, & melle roſat. ſolut. Vel elect. lenit. cum crem. tart. & modica hiera, aut lenit. cum pilul. de hiera cum agarico. h 6. Aph. xi

Qua peracta expurgatione, aquam Tettucianam tribus diebus ſaltem exhibendam conſulimus; vt poſtmodum ſe conferat, quartæ intentioni explendæ, ad aquas nimirum acidulas thermales, aut Diui Caſſiani, quæ Aqua Ficoncellæ appellari ſolet; uel ad acidulas in Valle Solis ſcaturientes, æſtiuo tempore aſſumendas; quæ ut optatum beneficium præſtent, non ſolo anno, ſed duobus, aut tribus ſunt aſſumendæ. Interim quouſque ad has perueniat Illuſtriſſimus Vir, tertiæ intentioni erit danda opera, renes ſcilicet abſtergendo, & viam iam dictis aquis ſternendo; quod præſtari poterit uſu Terebinth. noſtræ, lotæ in aqua maluarum, cui ſuperbibat decoctionem, in iure paratam ex cich. end. borragin. capill. Ven. malu. agrim. ſem. melon. additis ſyrup. de ſucco lim. & de althea ad ℥ i.

A proprietate verò aliqua interna, & externa iuuare dicuntur. Sic renes ſuilli, vino abluti, exſiccati, & puluerizati à calculo præſeruant, vt obſeruauit Capiuaccius, ſi frequenter, non cum terebinthina, vt aliqui perperam, ſed in uino, ad ʒ ſ. præbeantur. Vſum quoque auellanarum à calculo præſeruare, refert Amatus, quod Auic. eſt remedium. Hæcque pauca dicta, pro præſeruatione Illuſtriſs. Viri, quæ nos ex intimis cordis penetralibus à D. O. M. ſalutaria precamur.

XCIII.

CALCVLVS FIXVS IN RENIBVS.

a 1. in 6. Epid 6. b 6. de loc. Aff. 3.

NEphriticos fuiſſe dolores, quos Dom. tua Excell. non ſemel perpeſſa fuit, extra omne dubium eſt, non ſolùm quia omnia obſeruata fuerunt ſymptomata, ab Hipp. deſcripta, his verbis. [a] *In Rene dolor grauis*, & quæ ſequuntur; verùm etiam, quia ſt Gal. nephritidem à colica diſtinguens, ſcripſit, quod, [b] *Si in vrinis arenoſa ſubſideant, tollitur omnis quæſtio*, potiori ratione dubium ceſſare debet, caſu noſtro, quo non ſolùm arenoſa; verùm & calculoſa, ſiue tophacea materia excreta fuit. Neque eſt, quod à flatibus decipiamur, ſiquidem non minus nephritico, quàm colico ſunt [c] communes. Dubia nihilominus, & anceps eſt cognitio ſtatus præſentis, an ſola ſit nephritis, an verò lithiaſis illi accedat; etenim dum antehac nephriticis doloribus correptus eſt, nulla calculorum, aut copioſarum arenularum excretio fuit obſeruata; licet ſedatis doloribus, certiſſimum ſit, materiam illam, quæ eoſdem excitabat, vel in renum cauo hæſiſſe; vel per ureteres ad veſicam deſcendiſſe, atque adeò, uel nephritidem, hoc eſt calculum in rene; uel lithiaſin, in veſica ſcil. procreaſſe. Quibus omnibus ita ſe habentibus, ſicut de lapide in rene ſuperſtite, & hærente, certiſſimè ferè nobis conſtat, ita de eodem in veſica non leuis eſt ſuſpicio; namque, ſi conſideremus dolores noctu, menſe Iulio in hypochondrio dextero obortos, cum meiendi deſiderio, vomitu, flatibus copioſis, ſexdecim horarum ſpatio difflatis, abſque ulla calculi excretione; mox verò addamus, quod duobus abhinc menſibus, dolor in renibus [d] grauans factus ſit; quodque ad motum urina inſtar iumentorum, imò & cruenta excreta fuerit, & tandem, quod vix ſine dolore inſigni grauante deambulare queas, urinaque ſtatim ad motum turbetur, & ad nigrum mutetur, non poſſumus non aſſerere, aliquod corpus durum præter naturam in renibus hærere, quod motu proximas partes diſgregans, & rarefaciens, urinam nondum purificatam ad excretionem ſtimulet, & irritet; cùm à ſola renum imbecillitate affectum huiuſmodi fieri raró obſeruemus, potiſſimum verò, cùm iam dictis accedat perpetua in renibus grauitas; ut propterea ægrè, & uèl inuiti, calculum in renibus adeſſe, nec adeò exiguum, ſtatuere cogamur. De veſicæ uerò calculo, à renibus prolapſo, leuior quidem ſuſpicio ineſt; quia poſt mictionem teneſmus, & libido illa [e] meiendi non obſeruatur; ſicuti neque materiæ mucoſæ, uel tartareæ, in urina ſubſidentes, quæ ſpatio temporis neceſſariò ſe exhibent; attamen, ſi frequens perſiſteret mictio, abſque noua renum afflictione, ſiue intenſo dolore, irritamentum illud facilè veſicæ calculo imputari poſſet; cùm, abſente piruita ſalſa, quamrariſſimè à ſola urinæ acrimonia proueniat.

c Ibidem.

d Paul. 3. de Re Med. 45.

e de Aere Aqu. & Loc. 23.

Vtcunque uerò hæc ſe habeant, urgentiori incumbendum eſſe: nimirum renibus affectis, nullus eſt, qui nô uideat: etenim, licet ex hiſtoriis diutius aliqui incolumes alioquin uixerīt, calculis in renibus delteſcētibus, non adeò quinetiam paruę molis; multos tamen breui interijſſe uidimus; atque adeò intentionibus ab Hipp. 6. Epid. propoſitis, curatio eſt blandè tentanda; præmiſſa uiarum expiatione, laxantibus primò, & aperientibus. Secundò impellentibus. Tertiò lapidem frangentibus; quod nobis innuit Hipp. illis uerbis. *Vrinarias mundare, tenuare, atque mollire*. Omittimus uerò intentionem inflammationis arcendæ, & & dolorum demulcendorum; quoniam nec illam impendere, nec dolores urgere obſeruamus.

Quos equidem omnes ſcopos perfectè explere potuiſſent aquæ Vitriolatæ, in Valle Solis enaſcentes, ſub Cane hauriendæ, à nobis, hoc tuo caſu, antehac propoſitæ, & ad ſidera uſque laudatę, quas quoniam uſurparas non fuiſſe intelligimus; ideo ad alia medica auxilia erit confugiendum, conſultò omiſſis iis, quæ primis uijs mundandis ſunt neceſſaria, utpote tibi notiſſima; erunt autem primò Laxantia, Contemperantia, & ſimul etiam demulcentia. Quas intentiones non ſemel impleuiſſe obſeruauimus, aquam huius deſcriptionis. ℞. fol. maln. Man. iv. ſragat. pariet. an. m. ii. radic. ononid. rec. althеæ an. m. i. liquirit. m. ſ. aquæ deſtill. è thecis fabarum, ononid. capil. Ven. an. ℔ ii. Villenſis, aut Nocerianæ

℔ x.

Digitized by Google

℔ x. ſucci lim. ℥ vi. m. fiat macer. per horas 15. deinde fiat expreſſ. in expreſſione uerò diſſoluo flor. caſſ. rec. ℥ iii. ponantur omnia in alembico uitreo, & B. M. deſtill. cuius doſis eſt ad ℔ i. uſu eiuſdem continuato, ſupra 20. imò ad 30. dies; in progreſſu tamen præmitti poterit terebinth. noſtra, lota in aqua, uel ſucco raphani, [f] cum pulu. eryſimi, bol. reformando. Quo tempore Balneum quinetiam aquæ dulcis, laxantibus alteratæ, adeò ut renum regio in aqua demerſa ſit, opportuniſſimum erit, poterit enim laxando calidam quoque renum intemperiem contemperare, & humorum, atque vrinę acrimoniam demulcere, tepidum adminiſtrandum. [f Paracelſus.]

Quibus peractis, ad impellentia, & lithontriptica deueniri poterit, qualia erunt ſpirit. ſalis, ad gutt. vii. aut viii. ſpir. tart. ad gutt. xii. uel xv. ſpirit. terebinth. ad ℈ i. quinta eſſentia cryſtalli ad ʒ ſ. ol. camphoræ ad gutt. v. puluis oſſium meſpil. ad ʒ i. in vino albo, ex Dioſcoride, ita &, iuxta eundem, gummi ceraſorum, uel perſici lacryma in vino. Spiritus uerò pręſcripti diluuntur aqua ſaxifragiæ, è thecis fabarum, ononidis; quanquam melius, aqua à nobis præſcripta.

Et dum hæc omnia adminiſtrantur, corporis motibus potius, quàm quieti erit indulgendum. Quæ pauciora, ſed præſtantiora, quæ tenuitas noſtra in medium adducere potuerit, ut tibi ſatisfiat, faxit Deus, ut uſui ſint.

XCIV.

NEPHRITICI DOLORES.

NEphriticis doloribus conflictatum fuiſſe Patientem Illuſtriſſimum, non eſt, quod dubitemus; prout de cauſa eorundem non ſatis conſtat, num ſcil. ab arenularum copia in renibus congeſta; an potius à tophaceo, & duro corpore, ex iiſdem arenulis, glutinoſæ materiæ ope conglobatis, & concretis, excitati fuerint; etenim licet, arenularum copia excreta, dolores ceſſauerint; nihilominus, cùm tophi natura friabiles ſint, non rarò obſeruatum fuit, eorundem fragmentis minutiſſimis, imò & in ipſas arenulas rurſus concretis, deturbatis, & expulſis, nephriticos dolores ceſſiſſe; neque enim leuis momenti apud nos huiuſmodi conſideratio; cùm ex altera parte multi, annorum ſpatio, arenulas etiam ſubſidētes minxerint, abſque calculi procreatione, forſan quia, licet cauſa materialis in uentriculo, efficiens verò in renibus præſtò forent, alterutrum horum deficere potuerit, aut diatheſis lapidifica in ipſa materia (cùm non ex qualibet terra lapides concreſcant) uel hæreditaria inſtrumentorum mala conformatio, à ſemine contracta, in laxitate emulgentium, renum denſitate, & ureterum anguſtia ſita. Et licet rarò contingat, ut à ſola arenularum præſentia nephritici dolores ſuſcitentur; nihilominus eorundem aceruata copia poteſt ſibi vias obſtruere, continuum ſoluere, & dolores inducere. Ex altera autem parte, conſideratione digni ſunt in præſens dolores, in vtraque renum regione, grauantes, & perdurantes, qui tophaceæ materię in renibus ſuperſtitis ſuſpicionem inicere poſſent, cùm nullus tophus, neque eiuſdem fragmenta à nephriticis doloribus excreta obſeruata fuerint, ſed ſolùm arenoſa materia. Attamen quia, neque ſtupor [b] ſemorum percipitur, neque de uentriculi anatrope conqueritur Pat. neque tactu ingraueſcit dolor, & tandem neque equitando, neque in Rheda iter faciendo, urinæ ullam mutationem, ſiue alterationem ſuſcipiunt; ideo calculum in renibus non adeſſe ſperare iuuat, ſed dolorem tantùm grauantem, à præterita continui ſolutione renum, & ab eorundem imbecillitate, ex calida intemperie procedente, prouenire exiſtimari poteſt. [a 14 Meth. & Orib. 4 de Loc Aff. C. 101] [b 1. in 6. Epid. 6.]

Vt autem Patienti Nobiliſſimo opem feramus, aliqua, hoc autumnali tempore, & iterum alia ineunte æſtate proximè futura erunt adminiſtranda; nam licet, cum Aretæo, [c] calculorum procreationem è fœcunda ſterilem reddere nemo poſſit, poteſt tamen ualdè remitti, & expulſio in actuali eorundem concretione reddi facilior. [c Libr 2. Cap 3.]

Cauſa itaque materialis imminuenda, uentriculum roborando; efficiens moderanda, iecoris ſcil. & renum calida intemperies, & tandem cauſa ſine qua non, praua ſcilicet renum conformatio, reparanda, renibus mollioribus, & ureteribus amplioribus redditis.

Quibus

Quibus intentionibus, quoad fieri poterit, repetitis dictis expurgationibus, erit à nobis ſatisfaciendum, ſanguinem primò ſemel ex iecoraria dextera; mox & ex hæmorrhoidibus [d], hoc tempore, educendo, reliquis præſidijs ex hoc fonte omiſſis.

d 6. aph. 21

Mox primarum viarum perficienda expurgatio, Lenientibus tantùm, & Præparantibus ſine diluto; prout ſecunda quoque erit procuranda validior præparatio, & expurgatio Viro doctiſſimo quamnotiſſima.

Quibus peractis, aquam Tettucianam ab eodem propoſitam probamus, dummodo omnino per aluum effluat, ſicut & uenoſi generis purificationem non reijcimus, ut poſtmodum ad renes mundandos, & eorundem meatus laxandos, atque expediendos deuenire poſſimus; æſtiuo namque tempore cauſæ efficienti erit incumbendum.

Atq; adeò in præſens terebin. noſtrę Venetę uſus per menſem, & ultra erit inſtituendus, in aqua [e] raphani lotę; cui immiſceri poterit puluis, aut oſſium meſpil. aut oculorum cancri, utpote caloris expertium, & à proprietate iuuantium; bolis autem duobus aſſumptis, haurire poterit cyathum uel aq. hord. uel aq. malu. uel aq. Nocer. quibus noctu lignum nephriticum infuſum fuerit, quæ hoc tempore abundè fuerint: Lac enim aſininum, præterquamquod hoc tempore, ratione paſcuorum, non adeò refrigerat, nec eſt probi ſucci, atrophia, qua corpus laborat, omnino non poſtulat.

e Vt Paracelſus.

Sub finem autem proximè futuri Veris, totius expurgatio repetenda, prout ex ſanguine miſſo, & tunc temporis mittendo, necnon ex excrementorum euacuationibus neceſſarium Excell. Viro viſum fuerit; ut inde ad aquas uitriolatas aſſumendas, in Valle Solis enaſcentes, ſe transferat Nobiliſs. Pat. vt vrinariæ viæ omnino mundentur, obſtructiones, ſi quæ fuerint in hypochondrijs, reſerentur, intemperies calidæ, tum iecoris, tum renum contemperentur, & uentriculus ipſe firmetur, & tandem, præter iam dicta, renum contextus denſus, à copia illarum aquarum laxetur, & ureteres patentiores reddantur.

Quibus omnibus congrua uictus ratio, à Viro Excell. præſcripta, & præſcribenda omnino addi debet; hoc verò magni momenti obſeruandum, ne pars curatiua cum præſeruatiua confundatur, in diureticorum uſu; à quibus, tempore præſeruationis, omnino eſt abſtinendum; prout iiſdem, curationis tempore, vtendum, atque adeò uſus uini albi ad menſam, toto anno, eſt reprobandus, potiſſimum diureticis alterati; ad aluum enim potius ſunt abducenda, & auocanda excrementa. Quæ omnia à prudenti cura Excell. Viri administrata optatum finem, Deo anuente, conſequi poterunt.

XCV.

NEPHRITICVS DOLOR.

DOlore nephritico correptam fuiſſe Matronam Illuſt. in dubium reuocari non poteſt; ſiquidem & regio affecta renis dexteri (per ureterem enim ad ueſicam obliquè diffunditur) doloris conditio, & actio læſa, mictio nimirum ſolito frequentior, & excrementa mutata, vrina ſcil. cruenta id luculenter atteſtantur. Et quoniam in dubiis, ſi arenulæ ſubſideant, ut Gal. [a] dicebat, tollitur omnis quæſtio; ideo cùm arenulæ rubrę, licet tenuiſſimæ apparuerint, nullus relinquitur dubitationi locus, potiſſimũ cùm uomitus, & reliqua omnia ab Hipp. [b] de calculo prolata, obſeruata fuerint. Nec ullus in arte peritus, & exercitatus ambigere poſſet de cauſa huiuſce doloris, nimirum de calculi præſentia caſu noſtro; licet uideatur Hipp. [c] ſemel aſſeruiſſe, etiam ex pituita craſſefacta, & in renibus conglobata dolores excitari, quales à calculo; non enim ab eadem uenulę renis diſruptæ, & laceratæ fuiſſent, nec proinde ſanguis copioſus extra uenas effuſus eſſet, qui mox in grumos concretus, propriis fibris inuolutus, & à calore denſatus, multis poſt diebus, à facultate renum expultrice tandem fuit excretus, unde dolor non parum imminutus, cedente nimirum diſtenſione, continuum ſoluente, ex tanta ſanguinis copia. Verùm quoniam lapis in rene adhucnum deliteſcit, ideo dolor quoque in præſens perdurat, & urina cruenta tunc redditur, quando à concitato aliquo motu ren ipſe concutitur, calculuſque mouetur, & in motu ipſo, ab eodem orificia uenarum, in renibus,

a 6. de Loc. Aff. 3.
b 1. in 6. Epid 6.
c In Coacis num. 4.

forſan

forſan etiam corroſarum, refricantur, aut rurſus lacerantur.

Quibus ita ſe habentibus, non eſt quod de calculorum præſentia, cauſa materiali, cruditatibus ſcilicet, aut ſucco d crudo, & de huius origine quidquam dicamus; neque de cauſa efficiente, nimirum renum e ardore, aut cauſa ſine qua non; mala f ſcil. conformatione, in denſitate renū, & emulgentium laxitate, ſiue amplitudine ſita, uerba faciamus; ſiquidem iam dictorum conſideratio ad præſeruatiuam, non curatiuam partem ſpectat.

d 3. de Aliment. Facul 16. & 17.
e Ibid.
f 3. de Aliment. Facul. 5.

Quare pars curatiua eſt à nobis ſtatim expendenda, cùm calculum præſentem habeamus lancinantem in rene, ordine ab Hipp. g loco citato ſeruato. *Quieſcere non conducit, non repleri cibis; iuuenes veratro purgare, poplitem incidere, vrinarios meatus mundare, vel expulſione, vel fractione lapidis, & emollire.*

g 2. in 6. Epid 6.

Quibus intentionibus ſtatim incumbendum, antequam calculus grandior euadat, aut in eodem rene veram inflammationem, uel ulcus excitet. Ideo conſultiſſimum fuerit ſaphenam apetire, illi præcauendæ, licet Patiens Nobiliſs. iuuenis non ſit; dolorem enim compeſcit, & lapidem mouet, ut exiſtimauit Paulus h. Et præterea, quia phlogoſin adeſſe in rene omnino credēdum, quæ colligata omnia habet; hanc uerò ſoluit ſanguis eductus ex pede, ut aſſerit, cum Hippocrate, Aretæus i ipſe. Quod ſi copioſa eſſet ſanguinis per vrinam excretio, ſaphenę loco, ſaluatella manus tundi poſſet. Et quoniam primas uias iam expiatas eſſe ſuppono; ideo renibus remedia ſunt accommodanda, quæ primò vias laxare, & aperire poſſint. Secundò urinarios ductus mundare, quibus non ſufficientibus, ad lithontriptica, attenuantia ab Hipp. dicta erit deueniendum, habita ſemper ſanguinis effluentis ratione, qui utinam curationem non prohibeat.

h 3. de Re Med. 45.
i Libr. 2. Cap 3.

Emollientia verò erunt interna, & externa, Inter interna ſyrupus de althea Fernelii, ab Excell. Viro propoſitus præſtantiſſimus eſſe ſolet, in aqua maluæ, capillorum Veneris, & ononidis. Verùm Terebinthina noſtra, in aqua maluarum lota, inſignem habet prærogatiuam, cum iiſdem aquis; qua tamen efficacior eſſe ſolet ſpiritus terebinthinæ, ad ℈ i. in iiſdem pariter aquis; necnon oleum quoque amygdalarum, cum ſucco limonum. Extrinſecùs verò vnguentum de althea cum ſucco parietariæ reſormatum, & oleo de ſcorpionibus.

Quæ omnia, quoniam hucuſque à prudentiſſimo, & doctiſſimo Viro iam adminiſtrata fuiſſe ſuppono; ideo ad lapidem impellentia, poſt laxantium, & emollientium uſum deuenire tutiſſimum fuerit. Quare exhiberi poterit ſpiritus tartari rectificatus, ad ℈ i. in aqua parietariæ, & ononidis; cui, ratione ſanguinis effluentis, ſpiritus quoque vitrioli admiſceri poterit; quo bis exhibito, at nullo, vel paruo iuuamine, ad lithontriptica accedendum fuerit, inter quæ apud nos feliciter uſurpantur quinta eſſentia cryſtalli, à ʒ ſ. ad ʒ i. ſi prætò fuerit, uel ſanguis k hircinus præparatus, ad ʒ i. cum iam dictis aquis parietariæ, & ononidis. Ac niſi adeſſet ſanguinis effuſio, omnium efficaciſſimum eſſet, quod nunquam me fefellit, remediū in hoc. ℞. ſucci ceparum albarum, aquæ parietariæ, uini moſcatelli albi an. ℥ iv. m. & ſemel exhibeatur; duabus verò horis ab his Patiens Illuſtriſſima pedibus ſtet, & permittat, mulierem manibus inunctis oleis emollientibus, & laxantibus renis regionem perfricare obliquè, ad regionem uſque ueſicæ progrediendo; ac niſi obſtaret ſanguinis effuſio, aut cum febre inflammatio, cucurbitulam quoque ſiccam regioni renis affixam, & deorſum obliquè verſus ueſicam attractam Aretæus, & Aetius l ſummoperè laudant. Verùm ſi res urgeat, adeò vt ſanguinem copioſum, & frequenter meiat, ſieque contrariæ perdurent medicæ intentiones, in anguſto res fuerit; difficillimum enim eſt in arte remedium inuenire, quod oppoſitas edat operationes, aperiat nimirum, & adſtringat; frangat, & cogat, atque ideo cæteris omnibus miſſis, ad remedium ſacrum ab Ariſtotele m dictum, erit illicò confugiendum, nimirum ad aquas thermales; in quibus eminet vitriolata nuper in Valle Solis agri Tridentini detecta, cuius facultatis eſt ferè illa, quæ in Engaddina, apud Sanctum Mauritium ſponte enaſcitur, à Viro Excellentiſs. quoque propoſita, qua nullum caſu noſtro, nec tutius, nec præſtantius excogitari poteſt, nec uſurpari remedium. Hæ enim aquæ ualidiſſimè, & efficaciſſimè expellunt, & propterea lithontripticæ ſunt; at ratione vitrioli ſanguinem ſiſtunt; præterquamquod omnia uiſcera roborando, hepar, & renes ualdè refrigerant; uerùm exportari à fonte nequeunt; celerrimè namque earundem ſpiritus, utpote ſubtiliſſimi euaneſcunt, & reſoluuntur, atque ita inutiles omnino euadunt; Quare cautè illuc perducenda Matrona Nob. nec niſi in lecto decumbens, in lectica ſtrato, ſi non quotidie, alternis ſaltem diebus; ſedens enim ſemper in lectica renes ipſos nimium laxaret, & ſanguinem forſan copioſum funderet. Atque interim, ſi ſanguinis mictio

k Tert. 3. Sei. 4. C 5 & Trall. Lib. 9 C. 4
l Loc. cit.
m 24 Probl. 18.

magis,

magis, quàm præſentia calculi urgeat, antequam ad aquas perueniat, ſanguini effuſioni erit incumbendum, à mitioribus, ad validiora progreſſu facto; atque adeò primò exhiberi poterit aqua plantaginis Chalybeata, immixto diatragacantho frigido, cum bolo. Secundò ualidius erit medicamentum aqua ex foliis quercus deſtillata, cum tinctura corallorum chymica, & ſpiritu vitrioli. Tertiò crocus Martis, ad reuerberationem ſemel calcinatus, ſcil. conſtrictiuus, ad ℈ i. cum iiſdem aquis, Quartò omnium efficaciſſima erit tinctura eiuſdem croci Martis ab uno ſcrupulo, ad drachmam integram, in iiſdem aquis, utpote magis permeans. Exteriora omitto, eorumque uſum Excellentiſs. Viro committo, ſicut & congruam victus rationem, & reliqua omnia, pro ſalute Matronæ Illuſtriſs. ſuperius propoſita.

XCVI.

RENVM CALCVLVS.

Qvinquagenarius Vir, Patre Nephritico natus, temperamenti totius, iecoris, & renum, calidi, & ſicci, liberaliori vitæ ſemper aſſuetus, ſuperioribus annis articulares dolores paſſus fuit, quo tempore, Medicus in vrinis ſedimenta ſæpè craſſa, aliquando & arenoſa ſubſidentia obſeruauit, nec unquam, licet admonitus, conſuetam uiuendi rationem in meliorem mutauit, quin potius promiſcuè quibuslibet cibis, & potiſſimum lactarijs, teſtaceis, oſtreaceis, laganis, & vinis craſſæ ſubſtantiæ vſus eſt. Modò diebus elapſis, quoddam pondus in rene dextro continuò percepit, cum vrina alba, cruda, & tenui; & nocte ſuperiori, dolore atrociſſimo dexteri lateris correptus eſt, cum frequenti, & parca mictione cruenta; quibus acceſſerunt nauſea, & uomitus pituitoſæ, ac bilioſæ materiæ; hoc verò mane, dolor ſæuus adeò remiſſus, & in grauantē mutatus eſt; hodie tamen, ut antehac, inualuit, qui licet fixus ſit, pali inſtar, ad inguen tamen dextrum, uelut radius ſeſe diffundit, cum torpore ſemoris, & teſticuli, è regione poſiti contractione; adeſt alui adſtrictio, licet flatus erumpant; urinæ non amplius cruentæ, ſed albæ, & tenues apparent. Pro ſalute itaque conſulit.

Oraculum illud Gal. ſæpiſſimè in praxi obſeruatum, etiam in hoc Pat. locum habet, quod,[a] qui ſolutam magis uitam ducunt, in diuturnos morbos incidūt, quibus tota vita explicare ſe nequeunt; inter quos ab eodem recenſentur Arthritis, & Nephritis,[b] gemelli affectus, qui Pat. olim, & nunc exercent; dum enim antehac cruda materia, à victu intemperante genita, vehiculo bilioſi humoris, ab eiuſdem feruido temperamento producti, ad articulos perducta eſt, articulares dolores excitauit; in præſens verò, ad renes tranſmiſſa, vnà cum æſtu[c], calculorum productioni valdè idonea efficitur, potiſſimū in hoc Pat. in quo adeſt calculoſa illa Fernelij diſpoſitio, quæ apud Hippoc[d]. Gal. & Oribaſium nil aliud eſt, quàm emulgentium laxitas, & ureterum, ac renum anguſtia, atque denſitas, quam à Patre contraxit; ſemen enim à toto quidem, ſed potiſſimum[e] à renibus deciditur; quæ iure cauſa ſine qua non appellari poteſt; prout cauſa efficiens eſt feruor ille iecoris, & renum natinus; quibus omnibus ſimul iunctis, quin calculus concreſcat, fieri non poteſt; etenim ſi e[f] Gal.[f] ex ſolo lactis uſu cuidam calculus productus fuit, prout quoq; à ſolo uſu uini[g] craſſi, nigri, ac dulcis, cur quæſo cogi non debuit viuendi ratione adeò ſoluta, & indulgentiori uſu ciborum ex lacte, oſtreaceorum, &[h] laganorum? Itaque ab his congeſti[i] craſſi ſucci, à feruore iecoris, & renū celerius, & uiolenter per amplas emulgentes rapti, ibidemque ob renum[k] denſitatem, & ureterum anguſtiam diutius concluſi, ab eodem calore, tanquā efficiente[l] cauſa, tenuibus partibus conſumptis, areſacti in arenulas, & tandem in calculū; ope mucilaginoſæ materiæ (quæ[m] nis eſt lapidifica, in materia hærens, à Scaligero, & Sennerto in medium adducta, at non benè percepta) coagmentati ſunt, cuius habemus omnia indicia ab Hipp. 6. Epid. relata[n]. Et primò quidem dolor grauis, cum urina tenui,[o] & alba; quia craſſi humores renibus impacti fuerūt, mox acutiſſimus[p], cum urina cruenta, quia calculus, iam genitus in renum carne, in cauitatem eorundem ſtatim excidit; ideo ruſus dolor grauis ſucceſſit; quo tandem ad ureteres perueniente, ut foras extruderetur, acutiſſimus

a 6. de Sanit. Tue. 7.
b Mercur.
c 3. de Alim. Fac. 17.
d de Inter. Affect. 15
e de Oſſib. n. 6.
f 5. de San. Tu. 7.
g 5. de San. Tuen 5.
h 1. de Alim. Fac 3
i Ibid
k 14. Meth 16.
l Aret. Lib. 2. Cap. 3.
m Mōtan.
n 5. in 6. Epid. 6.
o de Ren. Affec 3.
p 1. in 6 Epid. Co. 6

cutiſſimus recurrit, adinſtat pali [q] infixi, ad inguen tamen propagatus, ob ureteris conſenſum; cum [r] teſticuli retractione, ob compreſſionem uenæ, arteriæ, ac uaſorum ſeminalium; cum ſtupore femoris, uel [ſ] ex Gal. ob uenarum, & arteriarum coniunctionem; uel melius, cum Recentioribus, ob compreſſionem muſculi pſoas; ſicuti uentriculi anatrope, & uomitus fit, ob renum cum uentriculo conſenſum, ope peritonæi; quæ omnia & colico dolori [u] communia uidentur; hoc tamen diſcrimine, quod in colico multò grauiora, & uehementiora ſunt, ita ut non ſolùm adſit alui ſtypticitas; uerùm ne flatus quidem erumpere poſſint. Quia uerò arenoſa ſubſidebant, antequam à calculo obſtruerentur uiæ, [x] hoc ſignum omnem quæſtionem adimit, & calculum in rene confirmat, qui urinas, tum arenoſas, tum craſſas fundet, quoties calculus loco dimouebitur, & in ueſicam prolabetur.

A præſenti affectu Par. noſtrum liberari poſſe ſperandum, nam cùm aliàs affectu calculoſo non fuerit detentus, primus prægrandis eſſe non ſolet; quare bona ſpe, [y] ſtatim ad curationem accedendum, ne torminibus, uoluulo, urinæ retentione, renum inflammatione ægri uita pericliterur.

Præſeruationi autem omnino deſperamus; ſicut enim Senibus [z] familiaris eſſe ſolet, [a] ita eos concomitatur ad mortem; præterquamquod Hipp. quinquagenarios [b] nephriticos, neque ſanari, neque ſe uidiſſe ſanatos pronunciauit. Quare uel in mortem, uel in ueſicæ calculum migrare ſolet. In hoc autem Patiente integra præſeruatio minus ſperanda, ob hæreditariam calculoſam diſpoſitionem, quam, ut dicit Aretæus, [c] *è fœcunda ſterilem nemo reddere poteſt; facilius enim eſt*, ait ipſe, *uterum à pariendo prohibere*. Quare expulſio eiuſdem tentanda, ordine ab Hipp. præſcripto, [d] ita ut primæ uiæ expientur, uomitu, clyſtere, & leniente medicamento. Secundò, imminẽte inflammatione, ſanguis educatur. Tertiò demulceantur dolores. Quartò emolliantur renes, & uaſa. Et tandem urinarij meatus mundentur; uel expulſione, uel attritione calculi.

Curatiuæ explendæ intentioni, poplitem incidere oportet, ait [e] Hippoc. dum tamen imminet inflammatio, & dolores uehementes, ac diuturni fiunt; inflammatio enim colligata [f] tenet omnia, quam ſoluit eductus ſanguis ex malleolo; præterea dolorem leuat, [g] & lapidem mouet; idque quoniam corpus huiuſmodi non eſt plethoricum, nec ætate uiridi; tunc enim; cum Gal. & Aetio [h] prius uena ſuperior, ad reuulſionem tundenda foret. Quantitas ſit copia, & uiribus minor [i], ob uires futuras. Cucurbitula [k] ſicca, à rene ad ueſicam obliquè attracta, inflammatione non prohibente, ex uſu eſſe ſolet; ſoluit enim calculos inhærentes; cuius celebres effectus referunt Paſchalius, & Cordæus. Et tandem uel ob doloris uehementiam, & diuturnitatem, uel ob calculi firmam ſedem in balneum ex oleo pararum deſcendat, cum decoctione emolliente, ex malua, chamæmelo, parietaria, radice altheæ, lil. alb. raphani, ſem. lini, fænugræci, fœniculi. Lithotomia uerò non proponitur, quia ſine ipſa ægrum conualiturum ſperamus, & quia hoc tempore negligitur, ob imperitiam Chirurgorũ, licet antiquitus uſurpata ſit; ideoq; propoſita [l] ab Hipp. Serapione, à Gal. uerò neglecta, qui hoc nomine à Cardano arguitur. Quod uerò felici euentu adminiſtrari poſſit, teſtatur Pareus, qui uidit quendam morti deſtinatum, & ſectum in renis regione, ſuperſtitem euaſiſſe, & muneribus à morte liberatum fuiſſe.

In fonte Pharmaceutico, uomitus ſtatim prouocandus, infuſo radice raphani, & ſem. citri alterato, cum oxymel. Clyſter deinde paretur, [m] non acris, ſed laxans. Aetius præſcribit decoct. furfurum, caricarum, fœnugræci; quibus addantur, malua mercur. parietar. chamæm. cum copioſo ol. & butyr. & mel. roſ. Inde leniẽs exhibeatur, aut elect. lenit. cum crem. tart. aut ſyr. roſ. ſol. mel roſ. ſol. cum elect. lenit. omiſſis hiera, & caſſia; quia primas tantummodò uias expurgare, nec quicquam ulterius ad renes perducere animus eſt. Dolores autem demulcent placentæ ex ouis, malua, parietaria, oleo amygd. vng. de althea, cum ol. lil. alb. & de ſcorpionibus reform. Veſica oleo, & butyro ſemiplena. Clyſteres epicerastici cum pauca copia liquoris. Per os, oleum amygd. puluis radicis altheæ, ſyr. de papauere; &, his minimè ſufficientibus, opiata. Theriaca rec. Phil. Rom. rec. Laud. nepent. omnia tamen non magno uſui futura, ſi calculus in uretere hæreret.

Ideo ad laxantia deueniendum, extrinſecùs quidem vng. malu. cum oleo amygd. amarar. & de ſcorpion. reformat. Laxat item, & aperit ſuccus parietar. cum aq. ardente, & oleo de Scorpionibus, laneo filtro his imbuto, calido appoſito, more Trall. nunquam uerò permittantur medicamenta [n] ſuper partem refrigeſcere. Quia uerò dolor in ureteris capite facile in hoc Pat. ſedem habet, huiuſmodi cataplaſma conuenientiſſimum erit. ℞. parietar. petroſel. ſaxifrag. an. m. i. cæparum ſub cineribus coctar. n. iij. m. contuſis omnibus ſimul cum

Yyy ol.

q Paul. 3. de Re Med. 45.
r de Ren. Affect. 3. & Paul.
ſ 1. in 6. Ep. Co. 6.
t 6. de An. Adm. 16.
u 6 de loc. Affect. 3. Trall. Lib. 9 Cap. 4. & Paul de Re Med. 45.
x 6 de loc. Aff. 3.
y Aret. Lib. 2. Cap. 3.
z 5. de San. Tu. 8.
a 6. Aph. 6.
b 6. Ep. 7.
c Aret. Lib. 2. Cap. 3.
d 1. in 6. Epid. 6.
e 6. Epid. 6.
f Aet. Ib.
g Paul 3. de Re Med. 45.
h de San. Miſſ. 18. Aet. Tetr. 3. Serm. 3 Cap. 5.
i Ibidem.
k Ib Aret. Loc. Cit.
l de Inter. Aff. 15.
m Trall. Loc. Cit.
n Aet. Loc. Cit.

ol.amygd.amarar.dulc. & de ſcorp.q.ſ. ref. cataplaſma, & calidum apponatur.

Interim laxantia interna ſunt adhibenda. Et primò quidem ol. amygd. dulc. recens ſine igne extr. ad ℥ v. cui addatur vinum creticum ad ℥ iij. pro potu. Efficax item erit aqua ita parata. ℞. fol. malu. m. iii. lim. inciſorum n. 20. aq. Noceræ ℔ xv. m. f. inf. per diem, deinde colaturæ adde fl. caſs. rec. extr. ℥ v. m. B. M. deſtill. cuius doſis eſt ad ℔ i. Efficacior verò reddi poterit, in quibus tantus non adſit æſtus, additis rad. ononidis, eryngio, ſaxifragia, & althea. Efficaciſſima quinetiam terebinthina lota in aqua raphani, ut placuit quoque Paracelſo; à qua hauriendum ius alteratum malua, althea, liquirit. Capil. Vener. & ſaxifragia, addita ℥ i. ſyrup de althea Fern.

Calculos verò expellunt leporini renes, pulverizati, in vino albo epoti, ut tradit Plinius; Auenzoar verò vidit lapidem expulſum, balſamo exhibito, ad tertiam partem uncię. Quibus omnibus incaſſum adhibitis, in Balneum o prædictum deſcendat.

o Aret. Loc. Cit.

Si calculus laxantibus, aperientibus, & impellētibus non ceſſerit, ad lithōtriptica, & eundem frangentia deueniendum; quorum ſelectiora ſunt aqua ononidis ad ℔ i. cum gutt. v. ſpir. ſalis. Item. ℞ ſucci raphani, ſucci lim. ſyr. de althea Fernel. an. ℥ i. aq. ononid. gram. an. ℔ ſ. m. pro potu. Pariter ſyr. Cratonis, de ſuccis dictus; paratur enim ex ſucco veronicæ, hederæ terreſtris, & portulacæ, cum ſaccharo; qui ſeruatur ad uſum, ad ℥ ij. uel iii. in prædictis aquis. Frangunt lapidem ol. camphoræ, ad gutt. vi. cum aqua fabarum. Puluis oſſiculorum meſpilorum, cum ſale tartari. Puluis oculorum cancri præparatus, in aqua ononidis, ad ℈ i. Singulare item eſt ſemen eryſimi. Lapidem ſpongiæ, Lapidem Iudaicum p commendat Gal. Cicadas q præparatas Trall. ſanguinem r hircinum quoque, quem manum Dei appellabat Aet. Item ℞. pulueris leporis combuſti, cineris ſcorpion. cineris radic. caulium, pulu. cryſtalli combuſti, lapidis ſpongiæ, ſanguinis hircini præparati, cineris corticum ouorum, è quibus pulli ſunt extracti, lapidis iudaici, gummi nucis arboris, acori an. ʒ ii. petroſelini, dauci, pulegii, gummi arabici, ſem. altheæ, piperis an. ʒ i. mellis hiſpanici q. ſ. m. ref. Antidotus; cuius doſis à ʒ ii. ad ʒ iii. in aqua, aut iure diuretico. Modum uerò comburendi uitrum, ſcorpiones, & radic. caulium, docet Auic. & ex eo Amatus; quæ eſt Antidotus mirabilis efficaciæ ad lapides frangendos, qua utebatur Auic.

p 9. Simpl. q Trall. Loc. Cit. r Aet. lib. de [illegible]

Eiecto uerò calculo, licet nihil mali ſit reliquum; attamen ego ſoleo duobus, aut tribus poſteris diebus perfectam abſterſionem, & renum munditiem procurare, præbendo bolum terebinthinæ noſtrę, lotæ in aqua malu. cum puluere liquiritiæ; cui ſuperbibat emulſ. ſem. melon. extract. cum aqua malu. aut hordei, ſed dilutam.

Victus ratio ſit attenuans, & aperiens; uigentibus doloribus contēperans; quod ſi aliquis adfuerit febrilis æſtus, à uino abſtineat. Et quidem omnia primò, quia dolores ab aſſumpto cibo magis recrudeſcere ſolent; ſecundò quia imminens inflammatio arcenda. Et hæc de curatione, ſatis.

XCVII.

PRÆSERVATIO A RENVM CALCVLO.

QVoniam affectus, quo premitur Nob. hic Vir, medicamentis renes mundantibus, atque corroborantibus eget, in quibus efficaciora feruido æſtiuo tempore in uſum reuocantur, ideo purgationem in finem Veris differendam conſultum duxi, ut eadem abſoluta, ſtatim tempus ſuccedat, iam dictis remediis adhibendis idoneum. Et licet Patientis ſtatus ſtatim auxilia expoſcere uideatur; attamen quoniam, peracta purgatione, in diuturno diureticorum uſu continendus eſſet, quo tempore accuratiſſima opus eſt uiuendi ratione, quam Patientem obſeruaturum, iure ſperare licet; ideo purgationem differre, & interim præſeruatiuam potius, quàm curatiuam medicinę partem Patienti ipſi præſcribere decreui; quæ in duobus conſiſtere debet, inhibendo ſcil. nouo cruditatum prouentu; & diuerſione, quantùm fieri poteſt, à renibus, aliqua parte productarum. a

a Auerr. & Nicol.

Primæ intentioni ſatisfacere poterit congrua uiuendi ratio, quà primò renes nunquam Soli, aut igni, aut frigido aeri exponendi, ſed in ambientis mediocritate habendi. Secun-

dò

dò, cibi ſint boni ſucci, concoctu faciles, nec ullo modo aliis ſuperingeſti; nil enim peius, cum Auic. quàm comeſtio ſupra comeſtionem. Sit autem ſimplex, uarietas enim eſt cruditatum proxima cauſa; deteriora uerò alimenta inter carnes ſuilla, bubula, agnina, & potiſſimum ſalitę, & pingues, atque annoſæ; inter piſces oſtreacea omnia, paluſtres, teſtacei, necnon pingues, & glutinoſi, ſquamiſque carentes, ut anguilla, tinca, & huiuſmodi alii. Inter lactaria caſeus, & potiſſimum antiquus, & ſalitus; licet omnia damnentur à Gal. [b] 3. de Alim. Facult. Pariter legumina omnia ableganda præter oryzam, & aliquando hordeum. De fructibus hoc tempore non loquor; quoniam eorum copia non habetur. Inter olera uitentur diuretica, vt lupuli, aſparagi, fœniculum, apium, & alia huiuſmodi. Radicis quoque, ſiue raphani uſus pernicioſus, ſicut & petroſelini; ſic & condimentum ex allio, cępis, & ſucco lim. paratum. Vinum ſit nigrum, tenue, neque dulce, neque auſterum, nec generoſum; vitet compotationes, & à prandio, & in ipſo prandio. Somnus, ex Aetio [c] ſit parum conſueto longior; nec dormiat in culcitris ex plumis, vt aduertit [d] Tral. Exercitium, ſicut corpore à cruditatibus immuni, quammaximè prodeſſe poteſt, & quando potiſſimum curationi incumbimus, iuxta Hipp. [e] dicentem, quod *Oportet exerceri, neque quieſcere*. Ita caſu noſtro, hoc tempore nonnihil ſuſpectum; attamen quoniam ſegnities, & otium ex Aetio, & Fernelio ſemper in hiſce affectibus nocere ſolent; ideo ieiuno uentriculo ſe exerceat, labores enim ante cibum cum Hipp. [f] non tamen multùm ſtet, ſed moueatur, ut conſiderabat Tral. [g] Aluus hoc tempore lubrica ſeruanda, & præter conſuetudinem ſolicitanda, ut ſi quæ cruditates producantur, omnino à renibus diuertantur, & ad aluum abducantur; in quem finem ſemel ſaltem, aut bis, per hebdomadam, in uſu habeat ʒ ſ. pilul. maſtich. cum granis vii. aut viii. magiſt. mechoac. hora una ante prandium, aut ante modicam cœnam. Pariter, & conſuetum habeat prima menſa ius pullæ, aut uituli tenue; ſicut poſtrema, ſtatim ab aſſumpto cibo, deglutiat tria grana maſtiches integra, aut abſinthii pont. conſeruam; uel pil. ex ℈ i. ſucci abſinth. condenſati. Tandem mœrores arceat, alacriter uiuat, & ſtatim ab aſſumpto cibo, à ſtudiis, & meditationibus abſtineat.

[b] Cap. 15. 16. 17.
[c] Tetr. 3. Ser. 3. C. 5
[d] Libr. 9. Cap 4.
[e] 1. in 6. Epid. 6.
[f] 4. in 6. Epid. vlt.
[g] Loc. cit.

XCVIII.

PRÆSERVATIO A RENVM CALCVLO.

Calculoſus Pat. à nobis curatus, & liberatus, calculo excreto, rubri coloris, & friabilis ſubſtantiæ, licet integrę præſeruationi deſperet, cùm quinquagenarius iam ſit, & hæreditarius affectus; attamen, ut quam rarius fieri poteſt, ab eodem diuexetur, curationem præſeruatiuam à nobis exposcit, quæ quatuor perficienda. Primò inhibendo materię craſſæ generationem. Secundò genitam diuertendo à renibus. Tertiò ſi aliqua materiæ portio ad renes penetrauerit, eandem abſtergendo, & euacuando. Quartò corrigendo intemperiem calidam, & prauam renum diſpoſitionem. Primum quidem perficitur recto uſu rerum nonnaturalium; ſed & aliquo quoque pręſeruatiuo medicamento. Secundum phlebotomia, & purgatione per uomitum, per aluum, & per diaphoreſin. Tertium non legitimis lithontripticis, & abſtergentibus, propria enim locum non habent in præſeruatione. Quartum repetita ſanguinis miſſione, aquis Thermalibus, aut lacte aſinino, & rebus à proprietate iuuantibus. Atque cùm Valeſcus de Taranta eleganter ſcripſerit, ridiculum eſſe, cum medicamentis operari, niſi prius diętæ conſideratio, & obſeruatio ſubſternatur, ideo ab hac incipienda præſeruatio.

Et primò quidem uictus ratio ſit media inter attenuantem, & craſſefacientem; cùm corpus calidum, & gracile ſit. Cibus itaque ſit moderatus, boni ſucci, & ſimplex; à ſatietatibus [a] omnino abſtinendo. Vitet lactaria omnia, oſtreacea, pinguia, [b] paluſtria, teſtacea. Fugiat omnes carnes antiquas, atque extrema, ac viſcera animalium. Caro autem Coturnicis à proprietate lapidem [c] frangit. Abſtineat à piſcibus grandioribus, ſquamis carentibus, ſalitis, exſiccatis, in quibus præſtant ſaxatiles, minus fluuiatiles, minus pelagici, minimùm maritimi, & ultimo loco lacuſtres, & paluſtres. Vinum ſit nigrum, neque alimenta, neque medicamenta diuretica ſint, ut monet Tral. Aquam tepidam primo cibo calorem renum extinguere dixit Aet. Nos autem ius tenue paruæ pullæ exhibeamus. A cibo diacy-

[a] dē Ren. Aff. 5. & Aet.
[b] 3. de Alim. Fac. 15. 16. 17 & Trall. Lib 9. C. 4
[c] Ibidem

donium, cum pipere uel integra grana maſtiches deglutiat. Si aliquando cruditatibus grauetur, ſomno indulgeat, nec dormiat ſuper plumas [d], Exercitium commendat Paul. ſed ſit moderatum: nam ex Tral. [e] nec multùm ſtare, nec moueri debent, ſed conſideant. Ventrem laxum [f] ſeruare oportet: nam ſi benè ſubierit, puriora lotia prodibunt: ideo habeat in uſu familiari, aut aloem roſatam, aut pilul. maſtich. ſed pauca doſi, ad ℈ i. aut ad ſummùm, ad ʒ ſ. Solo uomitu Ægyptii ab hoc affectu preſeruabantur; ideo Aet. præcipit, ut uomant à cena, abſinthium aſſiduè bibant, & pro tempore purgentur, Sodalitia quærat, ut alacr uer uiuat, ſed abſque comporationibus, aut comeſſationibus.

d. de Ren. Affect. 5.
e Tral. Loc cit.
f Aet. Tetr. 3. Serm 3. Cap. 5.

Veris verò tempore, purgetur corpus, redundantes [g] enim humores, uel phlebotomia, uel purgatione tollere oportet, atque adeò conueniet ſanguinis miſſio, ex iecoraria dextera, repetita quinetiam [h] ex hæmorrhoidibus.

g Paul. 3. de Re Med. 45.
h 6. Aph. 11.

In Pharmaceutico fonte, primò uomitus cieatur decoctione raphani, & ſem. citri, cum oxymelite. Deinde præbeatur leniens huiuſmodi, ℞. ſyr. roſ. ſol. mel. roſ. ſolut. an. ℥ iij. elect. lenit. ʒ v. decoct. cord. q. ſ. m. f. pot. breuis Vel. ℞. elect. lenit. ℥ j. crem. tart. ʒ iij. m. f. bol. Inde fiat præparatio hac formula. ℞. oxymel. ſimpl. mellis roſ. ſimpl. an. ℥ i. ſ. m. pro ſyr. & ſic pro aliis. Exactis verò ſex, aut ſeptem diebus, præbeatur tale purgans. ℞. rhab. optimi, agar. troch. fol. ſennæ an. ʒ i. ſ. cinnam. ʒ i. aquæ borrag. q. ſ. m. f. infuſ. per horas 12. & facta forti expreſſione, colat. adde ſyrup. roſ. ſol. ℥ iij. mel roſ. ſol. ℥ ij. m. f. p. b. Vel. ℞. elect. lenit. ʒ vi. crem. tart. ʒ ii. ſpec. hieræ ſimpl. ʒ ſ. elect. diaph. ʒ i. ſ. m. f. b. Ab hac verò primarum uiarum expiatione, ad perfectam uentriculi ablutionem, necnon eiuſdem exſiccationem, atque corroborationem, Aqua Tettuciana tribus ſaltem diebus, de more exhibita, cum vehiculo mellis roſ. ſol. opportuniſſima erit.

Hoc autem tempore, licet à diureticis abhorreant in præſeruatione Auer. & Nicolus, exhibentur tamen à Paul. & ab Auic. ſed cum diſtinctione, timet enim Auic. diuturnum uſum diureticorum, ideoque dicit, per interpolatas uices eſſe danda, nimirum dum opus fuerit aliquam materiæ portionem in renibus hærentem detergere, & euacuare; atque adeò licebit præſcribere talem ſyrupum, ℞. decoct. cich. borrag. end. capill. Ven. malu. agrim. ſem. mel. ℥ vij. ſyr. de ſucco lim. ℥ i. de althea, de duabus radic. an. ℥ ſ. m. pro ſyr. & ſic pro aliis; imò licebit deuenire ad uſum terebinthinæ noſtræ, lotæ in aqua malu. addito puluere liquiritiæ, cui ſuperbibat decoct. præſcriptam; uerùm tertio, aut quarto quoque die aſſumat ʒ. i. pil. de tribus cum rhab. ut nouus auocetur materię influxus à renibus ad aluum.

Tandem ultima intentio eſt, corrigere Iecoris, & renum feruorem, tanquam cauſam efficientem ipſius calculi. Sic ualent aquæ fragorum, violarum, portulacæ. hordei, emulſ. ſem. frigid. ſerum capr. aut aſin. cum ſyr. violac. nenuphar. Vſus quoque lactis aſinini valdè utilis, ſed in emaciatis. Noſtro autem Patienti præbendæ aquę Thermales ferratæ, tanquam medicamentum cæteris omnibus præferendum; in quibus Lucenſes, quia conſtant ferro, nitro, & alumine, cæteris præſtare videntur, utpote quæ tum refrigerandi, tum corroborandi facultate polleant; licet Aquæ Diui Caſſiani magis permeent. Aqua Portetana minus ventriculo infenſa quidem eſt; ſed & minus quoque refrigerans. In quarum adminiſtratione ſciendum, quod ut optatum beneficium præſtent, non vnico anno, ſed duobus, uel tribus ſunt aſſumendæ. Sunt, qui præcipiunt Balneum aquæ dulcis, quod tamen ſuſpectum habeo, ut nimis laxans; cuius loco, inungantur Renes vng. roſ. Meſ. & infrigid. Gal. applicitis foliis nymphea.

A proprietate aliqua iuuare dicuntur, tum aſſumpta, tum geſtata. Sic renes ſuilli vino abluti, & exſiccati, puluerizati, à calculo præſeruant, ut obſeruauit Capiuaccius. ℞. huius pulu. ʒ i. terebint. ℈ ſ. ref. bolus; ſed melius forſan fuerit omittere terebinthinam, tanquam diureticam; cùm hic puluis exhiberi debeat frequenter, anno; præbeatur autem in vino. Præterea auellanarum continuo uſu quidam Calculoſus omnino liberatus eſt, ut refert Amatus, quod Auic. remedium. Et hæc de præſeruatione.

XCIX.

RENVM INFLAMMATIO.

VIr quadragenarius, temperamenti ſecundum totum, & ſecundum ie-
cut calidi, & humidi, habitus plethorici, cibis craſſis, acribus, & uinis
generoſis uſus, quolibet Vere purgationibus, & potiſſimum ſanguinis
miſſioni aſſuetus, cùm ſuperiori anno has neglexiſſet, ſemper de totius
corporis grauitate, & inerti motu conqueſtus fuit; elapſis verò diebus,
ob graue negotium iter facere coactus, continuo biduo equitans illud
confecit. In itinere autem lumborum dolorem, & grauitatem paſſus
eſt, cum frequenti mictione; & nocte ſequenti febris acceſſit cum vni-
uerſalibus horripilationibus, & dolore grauante in regione renis dex-
tri, quorum cauſa, nec medicum acciuit, niſi hodie 4. febris die, qua grauius quidē, ſed ſine in-
ordinatis perfrigerationibus affligitur. Dolor non modò grauans, uerùm & acutus factus
eſt, & ad hepar uſq; exporrigitur, cum coxæ ſtupore, uentriculi anatrope, imò billoſis quo-
que uomitibus. Vrinæ ſunt paucæ, frequentes, & rubræ. Modò medicum petit auxilium.

Renem dextrum, caſu noſtro, eſſe partem affectam atteſtantur ſitus [a] doloris, actio de- a 2. de Loc. Aff. 4.
prauatè læſa, excreta mutata; & præterea doloris conditio, grauans enim incepit, qui reni
proprius eſſe ſolet. Qua autem affectione laboret, facilè dignoſcetur, conſideratis rebus
naturalibus, nonnaturalibus, & præter naturam; omnium enim ſyndrome inflammatorium
affectum prodit in renibus: multo enim abundat ſanguine Pat. ut plethoricus, eoq; acri[b], b Trall. Lib 9. C. 5
& prauæ qualitatis, & quidem per accidens, ob uini generoſi conſuetum potum, necnon
ciborum, tum acrium, tum craſſorum uſum, quo cùm quolibet Vere degrauari conſueuiſ-
ſet per venæ ſectionem, commodè propterea hucuſque ab omnibus affectionibus fuit præ-
ſeruatus; verùm quoniam euacuationem eandem prætetito ſtatuto tempore neglexit, ideo
natura exuperātiam ſanguinis ægrè tolerans, cum totius corporis grauitate, atque inertia,
tandem ob laborioſam [c] equitàtionem ad debilitatos renes eam tranſmiſit; cuius copia, non c de Inter. Aff. 16.
modò vaſa uerùm & parenchyma renis repleuit, & in tumorem inflammatorium eleuauit;
unde febris, cum horripilationibus, internarum inflammationum incipientium proprijs,
atque conſuetis, cum rubris urinis, & paucis, quia frequentibus. Et quoniam uſq; ad quar-
tam medica neglexit auxilia; ideo inflammatio aucta cum febre, & non ſolùm carnoſas par-
tes, verùm & membranoſas, [d] tum internas, tum externas, necnon venas, atque arterias d 6 Aph. Com. 5.
obſedit, undè dolor, qui primò ſolùm grauans, tandem acutus redditus eſt, & ad hepar uſq;
exporrigitur; dextero namque reni uena maxima proxima eſt, & adducto in conſenſum
uentriculo, ob communem peritonei membranam, tum ventriculi ſubuerſio, biliſque vo-
mitus tandem acceſſerunt, & coxæ ſtupor, conſentiente muſculo pſoas; etenim ferè omnia e Act. Tet. 3 Serm. 3. Cap. 16.
accidentia [e], quæ in calculo renum obſeruantur, eorum etiam inflammationem comitari
ſolent.

Affectus iſte grauis eſt; læditur enim pars, quæ neceſſarium uniuerſo corpori officium f 3. de Alim. Fac. 12.
præſtat; unde [f] renes uiſceribus aliqui accenſent. Tentanda autem eſt cautè inſenſibilis ma-
teriæ reſolutio, ne ſuppuret inflammatio, aut in [g] ſcirrhum obdureſcat, concoctionem au- g 13. Meth. 16.
tem eiuſdem indicabunt urinæ [h] craſſæ, & multæ, ſecus aquoſæ, & puræ. h Act. Tet. 3. Ser 3. Cap. 16.

Medicæ itaq; intentiones uniuerſales erunt, primo plenitudinem auferre. Secundò ſan-
guinis, & iecoris caliditatem [i] moderatè contemperare. Tertiò fluxionem à parte læſa re- i 13. Meth. 16. & Tral Lib. 9. C. 5. & Paul 3. de Re Med. 45.
uellere. Quartò fluxam materiam diſcutere. Et tandem affectam partem roborare.

Niſi vero uentriculus prægreſſis vomitibus ſatis exinanitus fuerit, ſtatim prouocetur
vomitus aqua, aut iure hordei, cum iulap. acet. mox iniiciatur talis Clyſter. ℞. decoct.
malu. [k] viol. betæ, hordei ℥ vi. pulpæ caſſ. rec. extr. ʒ vi. vel ſyrup. roſ. ſol. ℥ iv. uit. ouorum
n. 1. ſalis parum. M. F. Clyſter.

Ab hac euacuatione, educatur ſanguis ex [l] iecoraria dextera, ad plenitudinem minuen- k Act. Loc. Cit. & Auic.
dam, & reuulſionis cauſa, ad ℥ x. relicta vena aperta, primò olei inunctione, mox moneta
argentea appoſita, ut veſperi, aut ſequenti mane, ex eadem rurſus educatur ſanguis ad ℥ vii. l de Sang. Miſſ. 18.
ſeptima

Digitized by Google

m 6. Aph. 12. n Trall. Loc. Cit. o Aetius Loc. Cit. p 13. Meth. 12.

ſeptima verò tranſacta die, cohibita humorum fluxione, deriuationis gratia, ſaphena eiuſdem lateris tundenda, & durante affectione cum dolore, uenæ quoque m hæmorrhoidales apetiendæ. Interim linimentum reni adhibeatur repellens, ex ol. roſ. vel vng. roſ. cum n ſucco polygon. & portul. reformato; cui, ſi dolores infeſtent, addatur & o populeum. Fiat deinde humorum euacuatio, per os aſſumpto medicamento; caſs. p uerò in principio ſuſpecta, licet ipſi addatur pulpa tamarind. tutius autem erit medicamentum potu, ex ſyrup. roſ. ſol. ad ℥ vi. cui ſuperbibat Patiens ℔ i. ſ. aut ij. ſeri caprin. præpar. Iecoris uerò, & humorum contemperationem conſequemur, hac ratione. ℞. Aquæ end. frag. an. ℔ ſ. ſyrup. de end. de ribes, de berberib. a n. ℥ ſ. m. Interim clyſt. epiceraſtici, & contemperantes erunt repetendi. In progreſſu verò inflãmationis, extrinſecùs addatur oleum chamæm. & intrinſecùs, iam dictis aqua malu. & ſyrup. de ibiſco. In ſtatu extrinſecùs, augeantur reſoluentia, ut oleum lil. alborum, chamæm. adeò ut repellentia ſuperentur. Intrinſecùs. ℞. emulſ. ſem. mel. extractę cum decoct. endiuiæ, borrag. uiol. malu. capill. Ven. ℥ x. ſyr. de ibiſco, de capill. Ven. an. ℥ i. m. In declinatione fiat cataplaſma ex farinis hordei, ſem. lini, fęnugr. cum rad. alth. & malu. decoctis, necnon floribus chamæmeli, additis oleo chamæmel. & mulſa q. ſ. Intrinſecùs uerò. ℞. decoct. q malu. borrag. petroſel. capill. Vener. rad. gram. fœniculi ℥ viii. ſyrup. de quinq. rad. byzant. cum acet. an. ℥ i. m. pro ſyr. A quibus, medicam. purgans non tamen ualidum conuenire poterit, quod antea pernicioſum r fuiſſet. ℞. Flor. caſs. rec. extr. ℥ i. rhab. opt. ʒ i. cort. myrob. citr. ℈ ſ. ſpicæ gr. iij. m. f. b. & hora poſt, ſuperbibat ſerum caprin. ptęp. ad ℔ ij. Vel. ℞. rhab. opt. ʒ ii. cort. myrob. citr. ʒ ſ. ſpicæ gr. vi. ſeri capr. q. ſ. m. f. infuſ. per noctem; deinde facta forti expreſs. colaturę adde ſyr. roſ. ſol. ℥ v. m. F. P. & tribus poſt horis, bibat ℔ ii. ſeri capr. præp. & duabus horis ab eo prandeat.

q Aetius Loc. Cit.

r Act. Ibid.

A proprietate, pro ſecreto habetur ſuccus Aſtacorum, ideſt cancrorum in aliqua aqua refrigerante, ad cochlear unum; cui præmitti poterit conſ. roſ.

At ſi inflammatio ad ſuppurationem tendat, quamcelerrimè adiuuanda eſt, ut monet Aet. ſpongiis madefactis, & imbutis decoct. flor. & rad. altheæ. chamæm. fœnugr. ſem. lini. Item F. cataplaſma, ex malua, parietar. althea, rad. altheæ, lil. alborum fœnugr. ficubus, in lacte coctis. Diſrupta inflammatione ulcus detergendum mulſa, cum melle roſ. atque remedia petenda erunt ab ulceris renum curatione.

Victus rationem quod ſpectat, habet Aetius, quod diuturna inedia urinæ puriores, & acriores redduntur, atque adeò uehementiſſimos morſus infligunt. Quare idem Aet. & Tral. ptiſanam, emulſ. amygd. dulç. oua Gallinarum, & intybum concedunt. Si acres fuerint humores, copioſior ſit potus, iuxta Celſum, Paul. & Tral. Sit autem aqua hordei, cum mulſa. Quies ut neceſſaria præſcribitur ab Orib. Et hæc ſatis, pro ſalute huius Patientis.

C.

RENVM VLCVS.

VIr quadragenarius, temperamenti ſecundum totum, & ſecundum Iecur calidi, & humidi plethorici habitus, cibis craſſis acribus, & uinis generoſis uſus, quolibet Vere ſanguinis miſſioni aſſuetus; tandem euacuatione illa omiſſa, poſt uiolentam equitationem, tribus abhinc menſibus, in renis dexteri inflammationem incidit, quæ ad ſuppurationem deuenit; etenim poſt dolores, & febres circa veſperam, cum inequalibus horripilationibus, extempore circa 14. morbi diem, pus copioſum per urinam, imò cum eadem erupit; cuius euacuatio tres dies inſignis perdurauit, poſtmodum ualdè diminuta, prout & dolores, ac febris adeò remiſſa, ut ęger ſe ſanum exiſtimans dimiſerit Medicum; nunquam tamen benè habuit, aliquis enim dolor ſemper in rene permanſit, & in urinis craſſis aliquid puris apparuit in fundo; imò diebus elapſis modò quædam ramenta, modò ſanguinem, cum urina excerni obſeruauit; tandemque & paruas carunculas adeſſe innotuit. Quare domi manere coactus, cum aliquo etiam febrili calore, horis nocturnis inualeſcente, modò de agendis conſulit.

Si quis ſanguinem, aut pus meiat, aut renum, aut ueſicæ exulcerationem ſignificare, di-

cebat

cebat Hipp. 4. Aph. 75. Notauit verò Gal. in Com. vocem meiat, non minxerit; namque ſi duobus, uel tribus diebus tantummodò minxerit, pus ab aliquo ſupra renes abſceſſu promanare potuiſſet; ſi verò meiere perſeueret, præcedente renum dolore, uelut in patiente noſtro, eorundem inflammatione prægreſſa, cum urinis craſſis, & purulentis, ceſſat quodlibet dubium. Vlcus itaque à ſuppurata, & rupta, tribus abhinc menſibus, renis dexteri inflammatione ſubortum fuit in hoc Patiente(quod & perſiſtit) quia a pure confecto, & euacuato, tum febris, tum dolores remiſerunt; ideoque Patiens ſe ſanum exiſtimauit, medicumque dimiſit. Et quia renum b ulcera quamcitiſſimè oportet ad cicatricem perducere, quod neglectum fuit; hinc vlcus non ſolùm fuit conſeruatum, unde ſempet quidam c dolor perſtitit, cum urinis craſſis, & purulentis; ſed recruduit quinetiam, & depaſcens redditum eſt, carunculis quandoque, quandoque vero ſanguine cum urina excretis, quæ vlceris erodentis d, & depaſcentis ſignum efficaciſſimum nobis præbent; quas licet negauerit Gal. e diceus f ſe nunquam ueras carunculas uidiſſe cum urinis excretas; ſed eſſe quædam carunculis ſimilia, ex aduſto ſanguine ſedimenta; attamen expreſſiſſimis uerbis illas admiſit tandem, & faſſus eſt; hinc obſeruata fuit à celeberrimo Saxonia, uniuerſa renum ſubſtantia in carunculas reſoluta, ex qua urinę ſuppreſſio lethalis accidit, à Platero item, ſola tunica externa illęſa manente, quam tandem poſtea perforatam quoque uidit.

a Hipp. 2. Aph. 47.
b Orib. 9. Synop. 25
c Gal. 6. de Loc. Aff. 3
d Ibid.
e 4. Aph. 76 & Celſ. 2. de Re Med. 7.
f 6 de Loc. Aff 3.

Renum vlcera ſanata raro uidit Aetius g, ratio eſt, quia renum h opus perenne eſt; cùm tamen ſanatio quiete egeat; præterquamquod acris ſuperfluitas vlcus continuò irritare poteſt. Et licet renem ulceratum, & uulneratum ſanari aſſerat Fallopius, quia ſanguis ille craſſus, parenchyma ſcil. concreſcit in carnem; id tamen de recenti vlcere intelligendum, ut conſiderauit Oribaſius i. Non eſt tamen deſerenda curatio, potiſſimum cùm k pus nec fœtidum, nec liuidum, ulceris maligni indicium exhibeat, atque Iuuenis l ſit patiens.

g Tetr. 3. Sermo. 3. Cap. 28.
h 6. Aph. Com 6.
i 9. Synop. 25.
k Aet loc. ſup. Cit.
l 6 Aph 6.

Curatio uerò in duobus ſita eſt, auocatione ſcil. humorum ab ulcere: & ulceris cura. Primæ explendæ intentioni conuenit congrua uictus ratio, ſanguinis miſſio, uomitus m; Lenientia medicamenta: ualidioribus enim locus non eſt. Pro Secunda verò, tria indicantur Anodyna à doloribus, Detergentia ab ulceris ſordibus, & Incarnantia, atque cicatrizantia ab ulcere ipſo.

m Aet. Ibid

Ad humores influentes ad renes auertendos, conuenit aliqua, ſed parca, & potius repetita ſanguinis miſſio ex Iecoraria dextra.

In Pharmacia primo loco primæ uiæ mundandæ uomitu, n & alui deiectione. Vomitus cieatur iure raph. & ſem. cit. alterato, cum oxymelite. Alui deiectio ita ſolicitanda. ℞. fl. caſs. rec. ext. ʒ vi. crem. tart. ʒ iij. pulp. tamarind. ʒ i. m. f. b. & hora poſt, aſſumat ſerum caprinum, ad ℔ ij. Vel potu. ℞. ſyr. roſ. ſol. mel. roſ. ſol. an. ℥ iij. ſeri caprini parum m. f. p. b. & tribus poſt horis aſſumat ſerum, & duabus horis ab eo, prandeat. Si verò ex hac euacuatione conijciamus, cruditates adeſſe in primis vijs, quinque dies præparari poterunt ſic. ℞. mel. roſ. ſimpl. ℥ ij. oxymel. ſimpl. ℥ i. m. poſtea repetatur ſupra propoſitum medicamentnm, cum ſero, addendo quidpiam Rhab. prouocato interim aliquando uomitu.

n Aet. Ibid.

Inde ſtatim ad ulceris deterſionem deueniendum; primò aqu. hordei, uel mulſa, parata cum aqua hordei, & mel. roſ. & quidem primis duobus, aut tribus diebus; mox præbeatur terebinth. noſtra lota in aqua maluarum, & plantag. ob carunculas excretas, & hæc per hebdomadam.

Mox ad exſiccantia, & cicatrizantia deueniendum, primò ita parata. ℞. tragacant. boli arm. terræ ſigill. far. amyli an. ʒ i. ſuc. plantag. q. ſ. m. & f. paſta; cuius doſis ſit ʒ i. diſſoluta in decoct. plantag. polyg. portul. burſæ paſt. conſol. ad ℥ viij. vt ad renes permeare poſſit. Efficacius autem erit huiuſmodi. ℞. tragacant. terræ ſigill. ſang. drac. acaciæ croci Mart. conſtrict. an. ʒ i. ſucc. plantag. q. ſ. m. f. paſta, cuius doſis eſt ʒ i. Inde exhibeatur ſuccus plantę Aloes, cum lacte aſinino, à Garzia feliciter expertus. Noſtri uerò exhibent pil. ex aloe, cum puluere lumbricorum terreſtrium, & Chalybe. Troch. item de Charabe, de ſpodio, de terra ſigillat. A Chymicis habemus ſpiritum Mercurij dulcis, qui quidem mirabilis eſt in ulceribus renum, & ueſicæ, ad gutt. iij. quotidie plures dies, in aqua plantaginis, uel fol. quercus.

Quibus omnibus non iuuantibus, confugiendum eſt ad aquas Thermales, aut acidulas, qualis eſt Sancti Mauritij, in Engaddina; aut Vallis Solis, in Agro Tridentino; aut ad ferratas, ut Calderianas, Villenſes, aut Brandulenſes, in agro Mutinenſi; ſicut enim ſanguinem ſiſtere, ita & carunculas firmare forſan poterunt.

Sed

Sed neque his iuuantibus, deplorata fuerit ſalus; tunc uerò Patienti lactis uſus diuturnus erit præſcribendus, primò aſinini, tandem & Vaccini; cui præmittere poterit diatragacanthum frigidum cum bolo.

Extrinſecùs apponatur Empl. ex roſis, myrto, cydoniis, plantagine, uel unguentum ſantalinum. Dum omnia hæc adminiſtrabuntur, ſi urgeant dolores, ſedandi ſunt; tunc verò præbeatur decoct. uiol. lact. nenuph. pap. Aet. [o] laudat emulſ. ſem. cucum. cum amylo, imò parari poteſt emulſ. quatuor frigidorum, cum aqua malu, aut ſero lactis. Hipp. [p] præbet lac ipſum.

Circa uictus rationem, uitet dulcia, pinguia, amara, ſalſa, acria. Conueniunt extrema animalium, oua recentia, cruda abſorpta præſtantiſſima ſunt; pariter & poriones ex amylo, lactaria, emulſ. amygdal. dulc. nucleor. pineorum. Inunctio, [q] Nauigatio, & uita in mari acta, ſunt renum remedia.

o Ibid.

p de tot. Aff. 17.

q Aretæus Lib. 2. Cap. 3.

Finis Tertiæ Centuriæ.

CONSVLTATIONVM, ET RESPONSIONVM MEDIC. CENTVRIA IV. RAYMVNDI IO: FORTIS VERONENSIS.

DIABETES.

NObiliſſimus Iuuenis ſtudioſus, 25.annum agẽs, tempetamenti ſecundum totum, ad calidum, & humidum vergentis, hepatis tamen calidioris, cum renum incendio, & laxitate, pluribus abhinc annis frequenter, ac copioſè mingens, poſt liberam victus rationem, in omnibus, ſed potiſſimum in uſu ſalitorum, & potu uini generoſi, viginti abhinc diebus, incepit vrinam reddere conſueto adhuc copioſiorem, diu, noctuque, cum moleſtiſſima ſiti, in dies ſemper adeò adaucta, ut illi in ſomno lingua aſpera, & arida fiat, & noctu quoque bibere cogatur, potiſſimum verò interdiu ſrequentiſſimè bibit, & mingit, ut plurimùm tamèn aquam, quam celeriter ſerè immutatam per vrinam excernit, quibus, poſtremis diebus, acceſſerunt imminuta appetentia, æſtus in præcordijs, & virium aliqua inſueta imbecillitas. De agendis itaque pro ſalute conſulit.

Effluxus celer potus ferè immutati, cum ſiti inextinguibili, nullo alio nomine, quàm Diabetis appellari poteſt; qui affectus [a] & Hydrops ad matulam, à copia urinæ, & Dipſacus, à ſiti immani nonnunquam nuncupari ſolet. Hinc malè Aretæus [b] illius cauſam in colliquationem retulit; cùm tamen in ueloci effluxu potus immutati ſita ſit; quem rarum affectum eſſe teſtatur Galenus [c] ipſe, qui toto vitæ curticulo bis tantùm eundem legitimum vidit. Quoniam uerò potus, uini potiſſimum, non omnino immutatus egeritur, dubitatur, num ſpurius, ac illegitimus diabetes; an potius incipiens, & nondum perfectus dicendus ſit. Nos autem potius non omnino legitimum hunc nuncupabimus, cùm legitimi tum principium, tum augmentum, ne dicam & ſtatus nos lateat; etenim, tum renum, tum [d] uaſorum deſiderium naturale tantummodò eſt, non animale, hoc eſt, nobis perceptibile, niſi tandem, cùm ad os uentriculi peruenerit; atque adeò in cæteris conuenit

a 6. de loc. Aff. 3.
b Aret. Li. 2. Cap. 2.
c 6. de loc. Aff. 3.
d Ibidem.

Digitized by Google

hic affectus cum lienteria, & fame canina, in hoc ſolùm diuerſus, quod in canina fame principium ex eo patet, quod ſtatim ab initio mouetur facultas animalis, in diabete verò tantummodò in fine, eoque iam perfecto.

De cauſa uerò non conueniunt Auctores, forſan quia Gal. eam abſolutè non expreſſit. Sic à frigiditate fieri credidit [e] Aretæus; à caliditate [f] Paulus, & Tral. [g] à calidis, & acribus humoribus Aetius [h]. Ex Recentioribus, Fernelius aliud quid certè accedere exiſtimauit. Trincauella intemperiem frigidam, Platerus colliquatiuam, Rudius iecoris calorem, & uentriculi imbecillitatem, Io: Baptiſta Syluaticus inſignem calidam intemperiem, tum Iecoris, tum Renum, & totius maſſæ ſanguineę; quæ poſtrema, licet uerisimilior nobis uideatur, potiſſimum in hoc Patiente, ex ſalitorum, & uini generoſi uſu, necnon impenſioribus ſtudijs, vel contracta, vel ſaltem adaucta, non tamen immediatam, ſicut minus cæterarum nullam admittimus, de qua quoniam Gal. anceps, uel ſaltem non adeò ad rem locutus fuit, cùm [i] renum imbecillitatem primò accuſauerit, quam tamen neceſſariò præcedit attractricis robur, & uires immodicæ; ideò nos, cum Auicenna potius cenſemus, primario lædi renum, poſtmodum uaſorum, & iecoris attractricem facultatem, ab intenſo renum, iecoris, & uaſorum calore, tum attrahente, tum colliquante (unde [k] præcordiorum æſtus, & uirium defectus) quæ vehemens continua attractio, ut renum propria actio, ſemper exhauriens per partem poſt partem, ad os uentriculi pertingens, inextinguibilem ſitim excitat, atque fouet, famemq; extinguit. Sitim autem Patiens copioſiſſimo, & continuo potu explere cogitur, qui ſtatim, & affatim ad renes attractus neceſſariò copia, & pondere, renum retentricis facultatis naturalem imbecillitatem adauget, & ſecundariò lædit. Quibus omnibus ſi quis addat læſionem concoctricis, dicamus, potum non concoqui, neque permutari, potius ob illius celerem effluxum, quàm ob facultatis concoquentis imbecillitatem. Ex quibus patet, Renes eſſe partem primariò affectam, ne quis [l] falsò credat eſſe ventriculum; quia ibi ſitis accendatur immodica, tunc enim potus in eodem diutius hæreret.

e Aret. Loco cit. f Paul de Re Med. 45. g Tral. lib. 9. Cap. 8. h Tetr. 3. Ser. 3. C. 1 i 6. de Loc. Aff. 3. K Aret Loco Cit. l 6. de Loc. Aff. 3.

Affectus hic, ſicut in ardente febre, & colliquatione inſanabilis eſt; ita in cæteris difficilis, niſi ſtatim ab initio curetur; namque proceſſu temporis ad tabem, & ad colliquationem Patientes ducit, ex Auic. [m] indeque ad interitum, ut eleganter notat Aretæus [n]. Ideo ſtatim illi ſuccurrendum; torquetur enim Patiens ab indeſinenti, & perenni ſiti, quę Aretæi teſtimonio [o], omnium dolorum maximus eſt.

m 19. 3. Tr. 2. Cap 17 n Aret. Loc Cit. o Aret. Ib.

Quare primò totum, quod ſuccis redundat euacuandum. Secundò renes acribus [p] humoribus emundandi. Tertiò potus ad uomitum [q], aluum, & ſudorem conuertendus. Quartò calor renum iecoris, & totius contemperandus. Et tandem eorundem renum laxitas roboranda. [r]

p Aet. Loc. Cit. q de Remul 19. r Tral. Loc Cit.

Atque in Chirurgico fonte conuenit, caſu præſenti, ſanguinis miſſio; quia morbus recens, quæ, eo inueterato [s], ſuſpecta, ob uirium defectum; quod ſi primus ſanguis aduſtus appareat, repetenda parca eiuſdem miſſio ex utraque baſilica.

s Paul. Loc. Cit.

In Pharmaceutico fonte primò cieri poteſt uomitus, ſi Patiens ad eum procliuis fuerit, aqua hordei tepida, cum iulap. acet. & ol. amygd. prima uice; morbi uerò progreſſu, poſt copioſum frigidæ [u] potum. Citato uomitu, euacuentur humores per aluum, ita. ℞. flor. Caſs. rec. extr. ʒ vii. pulpæ tamarind. ʒ iii. m. f. b. & exacta hora bibat ſerum capr. aut aſin. depur. ad ℔ ij. atque tribus horis ab eo, prandeat. Vel potu. ℞. ſyr. roſ. ſolut. ℥ vi. decoct. pulpæ tamarind. q. ſ. m. f. p. cui tribus poſt horis, ſuperbibat ſerum. Inſtituatur deinde præparatio, iure pullæ, alterato ſonco, uiolis, plantag. portulaca, roſis, myrto, & ſympthyto, cum ſucco depur. plantag. & intybi. Et quia, hoc tempore, uirides herbæ deſunt, ſubſtituamus huiuſmodi præparans. ℞. aq. plantag. portulacæ an. ℔ ſ. roſ. ℥ iii. ſucci mororum immatur. aut cydon. ℥ ii. m. pro ſyr. & ſic pro aliis. Bilioſi uerò humores ſunt deinde expurgandi. ℞. flor. caſs. rec. extr. ʒ vi. rhab. immaturi ℈ i. cortic. myrob. citrin. ℈ i. pulp. tamarind. ʒ ii. m. f. b. à quibus bibat ſerum, ut ſupra. Vel potu. ℞. rhab. immaturi. cortic. myrob. citrin. an. ʒ i. ſpicæ gr. iii. pulpæ tamarind. ʒ ii. ſeri q. ſ. m. f. inf. per horas 12. & facta forti expreſs. colat. adde ſyr. roſ. ſolut. ℥ v. m. f. p. b. epoto ab ea ſero, ut ſupra.

t Aet. Loc. Cit. u Ibid.

His peractis repetantur alterantia huiuſmodi. ℞. aquæ cucurbitæ, plantag. lactuc. an. ℥ v. ſyr. de nenuph. de portul. de papau. an. ℥ ſ. m. pro ſyr. & ſic pro aliis, decem, aut duodecim diebus. Atque interim, niſi aluus benè reſpondeat, clyſteres blandiores, & humectantes conuenient; quinimò ſi urina cum aliquo ſenſu caloris, & ardoris procedat, ad abſtergendos acres à renibus humores, aſſumat bolos hac formula. ℞. flor. caſs. rec. extr. ℥ ſ.

crem.

crem. tart. ʒ ii. rhab. immat. ℈ i. m. f. bol. aſſumendi, in medio ſyruporum uſu. Tandem repetatur præſcriptum medicamentum, aut bolo, aut potu, cum ſero.

Hoc uerò tempore ſudores prolectari ſolent à quibuſdam in balneo tepentis aquæ; licet hoc tempore melius in lecto, cucurbitis aqua plenis id ſuccedat. Aliqui uerò præbent decoctum pentaphylli, & chinæ. Verùm conſultius duco, ut aſſumpta ʒ i. cornu C. philoſoph. præparati, bibat copioſam x gelidam aquam, & ſtatim in lecto calido cooperiatur, cucurbitis ad latera aqua calidiſſima repletis. x Paul. Loc Cit.

Quod ſi ſudor facilè non procedat, & Patiens ab æſtu, tum ſtrati, tum cucurbitarum diuexetur, ad incraſſantia, contemperantia, & adſtringentia deueniendum; atque adeò in uſum reuocetur lac coctum, de quo Zacutus affirmat, ſe deploratos, ab aliis medicis derelictos ſanitati reſtituiſſe ſpatio unius menſis, potu lactis aſinini chalybeati, & Philonio Romano, uel Perſico, per interualla aſſumptis.

Tandem ad refrigerantia, & adſtringentia, tum interna, tum externa progrediendum. Intrinſecùs parari poterit hoc elect. à Gal. præſcriptum. ℞. pulu. pellicular. uentris gallinæ ʒ i. thuris, glandis ſiccæ, balauſt. gallar. an. ʒ iii. conſeruæ roſ. antiquæ ℥ vi. m. & ad ignem reſ. elect. cuius doſis ad ℥ ſ. à quo mox præbet aquam frigidam; nos uerò aquam foliorum quercus. Ego uerò hoc uſus ſum. ℞. conſeruæ roſ. antiquæ ℥ vi. pulu. ueſicæ uitulinæ exſiccatæ ℥ ſ. pulu. ſanguinariæ ʒ ii. croci Mart. conſtrict. ʒ i. ſucci cydon. q. ſ. m. ad ignem reſ. elect. cuius doſis ad ʒ iii. mane, & ueſperi, hora una ante cibum. Vel. ℞. diatragacanthi frigidi cum bolo ʒ ii. comedat, bibat uerò quod ſequitur. ℞. aquar. plantag. fol. quercus an. ℔ ſ. tincturæ corall. gutt. vi. m. & aſſumatur quotidie matutinis horis.

Cæteris autem non iuuantibus, ad narcotica y quoque deuenire licet, tum interna, tum externa. Interna erunt, Philon. Perſic. & Rom. recens, Theriaca recens, Emulſ. ſem. pap. extracta cum aqua lactucæ. Externa, mandragoræ ſuccus, & folia, & ſuccus papau. Sic à Chymicis habemus eſſentiam croci Martis, à Crollio deſcriptam. Tinctura quoque ſmaragdina optima eſt; ſic & tinctura corallorum, & ſal eorundem. y Aet. omnia Loco Cit.

A proprietate uerò iuuare dicitur, aqua ranar. & aſtacorũ cum oxalide, & plantagine deſtillata. Extrinſecùs illinantur renes hoc linim. ℞. vng. roſ. Meſ. infrig. Gal. ſantalini, popul. an. ℥ i. ol. de papau. ℥ ſ. m. reſ. uel. ℞. ol. ſem. iuſquiami, roſ. omphac. nenuph. an. ℥ ſ. pulu. balauſt. acaciæ, bol. arm. an. ʒ i. opij gr. v. ceræ par. m. reſ. linim. pro renibus.

Victus rationem quod ſpectat, cibi ſint boni ſucci, non mordaces, acrimoniam potius obtundentes, refrigerantes, & adſtringentes, nec qui adeò facilè conficiantur. Sic conueniunt oua ſorbilia, lactaria, potiſſimùm caſeus recens, carnes porcinæ benè coctæ, & extrema animalium. Offæ condiantur amylo, diacodio, emulſ. ſem. pap. & amygd. dulc. Conuenit priſana, lactuca, intybus, portulaca, oxalis. Inter piſces, ſaxatiles. Inter fructus, poma pyra, meſpila; cydonia tamen ſuſpecta. Potus ſit aqua Chalybeata, cum pomis decocta; uel cum ſucco aurantiorum, aut granatorum. Atque deficientibus uiribus, uinum adſtringens Chalybeatũ. Declinante autem affectione, parcè bibat, & omnia ſemper Chalybeata. Exercitium interdicit Rhaſis, & ſomnum commendat. Venus diabeticis inimica. Aluum lubricam ſeruet clyſteribus refrigerantibus, & humectantibus; atque conſtanti animo uiuat; puſillanimes enim, ex Aretæo, Diabetici.

II.

VRINÆ SVPPRESSIO SVPRA VESICAM.

Præclariſſime Vir.

MIhi, tibiq; ſummoperè gratulor, Vir doctrina, & ingenio præſtātiſſime, quòd ex ſola hac tua accepta cōſultatione, ab ungue Leonem, eximiā ſcil. virtutem tuam agnoſcere mihi datum ſit, atque iudicium Medicum, ab Hipp. difficile iam exiſtimatum, facilè in teipſo illuceſcere videam. Summa igitur animi mei voluptate, dum tuas perlegi literas, in mentem uenit, urinas ſtrangurioſas, non nephriticas, ſed alias pro aliis ab Hipp. [a] conſideratas; dum (ſcribit Gal. in Com.) *Vniuerſū corpus per vrinam expurgatur ab excrementis*; quod quidem & ſeni noſtro contigiſſet, ſi uiſcida, & glutinoſa materia, à toto venoſo genere ad renes tranſmiſſa, ad veſicam, non affatim, ſed paulatim permeaſſet. Verùm quoniam confertim, & copioſa à renibus fuit demandata, in vrinariis meatibus, antequam ad veſicam pertingeret, inculcata permanſit, obſtructionem pariens, atque adeò urinæ effluxum intercepit, & iſchuriam, ratione tantùm urinæ ſuppreſſæ impropriè dictam, in Sene Nob. excitauit; cuius materiæ præſentiam nobis indicauit, ante ſuppreſſionem, turbida, & craſſa urina, atque ſtranguria quædam ſuperueniens, dum per eandem materiam percolata vrina, ad paucas vncias excreta fuit; quod tandem ſatis ſuperque confirmauit, ſymptomate ſoluto, effluuium eiuſdem copioſum. Neque difficile fuit ob ætatem, liberam uiuendi rationem, & prægreſſos colicos, atque nephriticos dolores excrutiare ſolitos, eiuſdem perennem prouentum colligere.

[a] 2. in 1. Epid. 8 & 41.

Quod autem veſicam ab initio non obſederit huiuſmodi materia, adeò patet, ut probatione non egeat; ſiquidem, immiſſa candela, aut cathetere, repulſa, & à muſculo ſubmota, uel quodammodo confracta, & diſſoluta, primò urinæ non exigua copia profluxiſſet; ſed præterea aliqua quoque ſimul cum vrina eiuſdem materiæ portio obſeruata fuiſſet; præterquamquod tanta urinæ quantitas, ad libras uſque quindecim, euidentiſſimam in regione pubis, & circa totam ueſicam, dolentem extenſionem neceſſariò excitaſſet. Quare & ego in ureteribus hæſiſſe potius, quàm in emulgentibus crediderim, ut ſitus doloris, & renes à ſenſu grauante, ac intumeſcentia immunes, nobis perſuadere uidentur.

Calculum autem in renibus concretum, & ab iiſdem, utpote exiguum, ſenſim tranſmiſſum fuiſſe, pro certo habendum; cùm nec in veſica, nec circa eandem, poſt 42. annum coagmentetur; ni antea coaluerit, uel à renibus in veſicam tranſmiſſus fuerit, quod longa experientia ab Hipp. [b] obſeruatum fuit; qui tamen calculus ſupra veſicam, & ſupra iam dictam materiam ſubſiſtebat, ut docuit excretionis ordo; nec ullo modo ueſicæ collum, quinimò nec uix ipſam urethram adeò exiguus obſtruere potuiſſet. Quod noſtrum eſt ſolidioribus firmatum rationibus, ac fundamentis, à tuo minimè diſcrepans, hac de re iudicium. Vale.

[b] in Coac. 3.

MICTIO

III.

VRINA SANGVINEA.

CRuenta mictio, affectio eſt, qua duobus abhinc annis premitur Nobiliſs. hic Pat. differt autem à ſanguinis mictione, [a] quæ cōtingit, uel ex rupta uena in renibus; uel ex uaſe recluſo, per conſuetos [b] circuitus, totum uenoſum genus degrauante, quæ tunc renum hæmorrhagiæ nomen meretur. Hanc autem huius conditionis eſſe, confirmat mictio ipſius ſanguinis cum urina, adeò ut propriè urina ſanguinea, non autem ſanguinis mictio appellari mereatur.

a 4. Aph. Com. 4.
b Aretæus Lib. 2. C 3.
c Paul. & Aet. 3. de Re Med. 45. Tet. 3. Ser. 3. C. 2.

Nec eſt, quod caſu noſtro quicquam de parte affecta dubitemus; etenim dum à vaſis urinariis emanat, modicus eſt ſanguis, & cum dolore meitur; dum à vaſis ſeminarijs, immodicæ Veneri ſuccedit; dum verò à veſica, non adeò copioſus, nec urinæ miſtus, ſtatimque ſubſidet, & in imo [d] ventre, circa pectinem, & ſenitur, labor præcedit, atque perſiſtit; à collo verò, præcedit urinam, cum ardore, & dolore; & tandem à pene, & modicus, & ſine urina quoque prolabitur ſanguis.

d 4. Aph 80.

A renibus itaque defluere certò affirmandum; circa quorum regionem, hebetem quendam ſenſum, & laxitatem percipere cœpit Nobiliſs. Pat. quorum uenas laborare neceſſariò dicebat Gal. [e] caſu uerò noſtro, laborarunt iam calculis, quibus facilè imbecillitas ſuccedere ſolet, ut obſeruauit Montanus; ſed & modò laxitate afficiuntur renes ipſi, atque imbecillitate, ab intemperie calida inducta, cuius proprium eſt dilatare; laxi verò, & debiles redditi vrinam diù continere non poſſunt; ſed ampliores, cruentam & craſſam eandem profundunt; colatorio namque ampliato, mingitur neceſſariò cruenta. Cuius cauſæ præſentia licet probatione non egere videatur; attamen confirmari poteſt, reiecta primò diapedeſi, qua paucus ualdè ſanguis effunditur, uix vrinam tingens; diæreſi itē, qua ſpatium ſex menſium intercedere non potuiſſet primam, & ſecundam, ſecundam, & tertiam mictionem ſanguineam; præterquamquod dolores in renibus, & cauſæ erodentes præceſſiſſent. Diauroſis tertiò; ſiue ruptura excludenda; quia non præceſſit ictus, ponderis eleuatio, uel caſus, ut contigit illi à Gal. [f] enarrato; tunc enim potius ſanguinis mictus, quàm vrina cruenta obſeruari ſolet. Et tandem non admittitur anaſtomoſis, à plethorica diſpoſitione procedens, quia hæc non adeſt, ætaſque repugnat, & periodica proportionata foret puri, & copioſi ſanguinis mictio, non urinæ cruentæ.

e de Nat. Hum. 19.
f 6. de loc. Aff. 4.

Duo autem alia, præter iam dicta, circa ſtatum Par. Nob. nobis expendenda ueniunt; quorum alterum accommodati remedij adminiſtrationem prohibere poſſet; alterum Par. ipſum in perniciem, atque exitium præcipitare. Primum eſt tenſio, ſiue hypochondriorum obſtructio, non mediocris, à cruditatibus in ventriculo genitis producta; quę non ablata, aut ſaltem ualdè imminuta, aquis diureticis adminiſtrandis tranſitum rurſus præcludere poterit: ſecundum impedimentum eſt à gonorrhœa in urethra ſuperſtes, ex caruncula, non ſine callo (quia antiquum eſt) immediatè dependens, quod propterea ſubmouendum, ſiue imminuendum conſideramus, quia grumis iter intercludens, præſenti malo prauam, atque pernicioſam conditionem accerſere poſſet.

Affectus certè magnifaciendus, qui ut conſiderauit Gal. [g] tandem interficit, vel ob uiriū iacturam, uel grumis, à quibus urina ſupprimitur, & veneuata ſymptomata procedunt, dum, in progreſſu, mictio hæc cruenta in ſanguineam deſciſcit.

g 6. de loc. Aff. 4.

Ad validiora itaque remedia properandum, reuellendo, incraſſando, refrigerando, adſtringendo, renes corroborando, & accuratè grumos diſſoluendo; prægreſſa tamen primarum uiarum expiatione, necnon obſtructionum cauta reſeratione.

Quibus explendis intentionibus, à Chirurgico fonte, repetita, ſed parca deſumenda ſanguinis miſſio ex venis ſuperioribus; & cucurbitularum ſine inciſione, uiſceribus, non autem lumbis, ut aliqui, appoſitio. Renibus uerò refrigerantia, & roborantia applicanda, ut unguentum ſantal. & roſac. ſucco ſemperu. ſubactū; vel alia huiuſmodi emplaſtra notiſſima.

Ex

bare plenioris, & certioris doctrinæ gratia, alijs partibus ſemotis, dum enim à locis ſupra renes, toto ſcilicet, uel iecore profluit [b], per circuitus excernitur, adeſt plethora, præceſſit aliqua ſanguinis ſuppreſſio, maiori copia exit, eſtque urinæ adeò immiſtus, ut non ſubſideat. Si ex vaſis urinariis modicè, & cum dolore meitur. Si à ueſica, ſtatim ſubſidet, paucus tamen. Si à collo eiuſdem, præcedit urinam, prodit cum urinæ ardore. Si ex uaſis ſeminariis, poſt nimiam Venerem. Si ex pene, effluit etiam ſine urina. Si tandem à renibus, ut noſtro caſu, eſt quidem miſtus, ſed mox ſubſidet, & ſecernitur. Et quoniam prodire poteſt per diapedeſin, anaſtomoſin, diæreſin, diautoſin, & ſyntexin; diapedeſin admittimus, dū in principio, rarefacto uaſe, tenuis, & paucus ſanguis tranſudans, cruore tinxit urinas; Anaſtomoſin autem excludimus, quia copioſior, ſine præcedenti dolore, aut ſenſu corroſionis, & à corpore plethorico manaret. Diautoſin item, aut uenæ rupturam; quia non præceſſit ictus [c], caſus, conatus, aut quid ſimile. Syntexin pariter, quia non præceſſerunt cauſæ colliquantes, neque in urina colliquationis ſigna apparuerunt. Quare neceſſariò concludendū, ab urinæ acrimonia, primò naturali, mox ex liberaliori uiuendi ratione adaucta, necnon à ſalſa pituita, ad renes, ab equitatione frequenti imbecilles redditos, tranſmiſſa, & aliquando ab eorūdem æſtu in arenulas concreta, antehac urinæ ardorem fuiſſe excitatum; mox & temporis proceſſu eroſionis ſenſum; tandem poſt hæc ab utriſque [d] uenæ corroſionem ſequutam fuiſſe, & ab ea [e] ulcus.

Mictio ſanguinis per circuitus facta, euacuationi hæmorrhoidali non abſimilis habenda, quam, ſi ſupprimatur, uarios, ac multiplices affectus inferre, obſeruarunt Aetius [f] & Aret. copioſa ſiquidem ſanguinis mictione iuuenem febricitantem uidit criticè ſanatum Amatus Luſitanus; ſicut & Nicolus obſeruauit hepatis inflammationem, ſanguinis mictione ſolutam. Verùm, caſu noſtro, nullum leuamen (cùm non adſit plethora) imò vitæ periculum minatur; de medio enim tollere ſolet, uel ob uirium iacturam, uel ob grumos, ex quibus uenenata ſymptomata ſuboriuntur, neque facilè erit ſanguinem ſiſtere, tum quia illuc medicamenta refracta, ob diſtantiam pertingunt, tum quia uas, ut ſpermaticum, reparationem non admittit; callo tamen, medico auxilio, facilius obduci poterit; atque adeò ſtatim ad agenda deueniendum.

Quare ſicut [h] anaſtomoſis adſtringentibus, ruptura agglutinantibus, ita eroſio ſarcoticis opus habet. Verùm quoniam uitium non ſoli uaſi, ſed & ſanguini ineſt, ideo eiuſdem prauus motus reuellendus, & ſiſtendus, narcoticis quinetiam, ſi fuerit opus; mox purificandus, & contemperandus; & ſi fortè grumeſcat, diſſoluendus.

In Chirurgico fonte, ſtatim, aut prouocato uomitu, aut infuſo clyſtere, educatur ſanguis ex iecoraria dextera; ſed parcè [i], ut repeti poſſit iterum, & tertiò eodem die; progreſſo uerò affectu hirudines deriuare poterunt, hæmorrhoidibus applicitæ; renalibus [k] enim affectionibus ſemper conferre ſolent. Tandem etiam cucurbitulæ ſiccæ, lumbis apponendæ à pluribus proponuntur, quanquam nobis ſuſpectæ, ne potius ſanguinem è uaſis maioribus ad renes attrahant. Cæteræ reuulſiones conueniunt ſuperioribus partibus, ut manuum lotiones, & uincula brachiis.

In fonte Pharmaceutico primò expiari debent primæ uiæ ſyr. roſ. ſol. cum decoct. pulpæ tamarind. ſuperbibendo ſerum depur. uel caſs. cum pulpa tamarind. pariter cum ſero. Inde præparentur, & alterentur humores hoc modo. ℞. aq. end. nymph. plantag. an. ℥ iii. ſucci plantag. ſucci portulacæ depur. an. ℥ i. m. pro ſyrup. & ſic pro aliis. Interim, dum cauſæ medemur, ſymptomati occurrendum, ut ſiſtatur ſanguis, atque adeò ſyr. præmitti poterit bol. huiuſmodi. ℞. trochiſc. de Charabe cum opio, pulu. lapidis hæmatit. an. ℈ i. ſucci cydoniorum, uel tragacanthi q. ſ. m. ref. bol. & aur. præbendus ante ſyrupum; ex uſu item eſſe ſolet diatragacanthum frigidum cum bolo, ad ʒ ii. ante ſyrupum; quibus non ſufficientibus, præcellunt aquæ ſtillatitiæ ex Tragopogone, uel piloſella, uel perforata, ad libram, ut ad renes peruadere poſſit medicamentum, addito ſucco [l] ſanguinariæ depurato. Verùm neque his conferentibus, ad narcotica confugiendum, ad theriacam ſcilicet rec. reformato bolo, cum lapide hæmatit. pulueriżato, uel ad Philonium Perſicum, ab Amato Luſitano, his caſibus, expertum, à quo bibat Patiens præſcriptam aquam; uel [m] decoc. radicis ſymphyti.

Extrinſecùs quoque eodem tempore apponenda medicamenta adſtringentia, & exſiccantia. Sic laudat etiam Orib. lanam [n] cum roſaceo, & acero. Verùm huiuſmodi cataplaſma conuenientiſſimum fuerit. ℞. farinæ fabarum, hordei an. ℔ ſ. ſucci portulacæ, ſemperuiui an. ℔ ſ. pulu. boli armenæ, ſang. drac. aluminis an. ʒ iii. alb. ouor. rec. n. ii. aq. roſ. aceti roſ.

b Aret. lib. 2 Cap. 3. Aet. Tetr. 3 Serm. 3 Cap. 3. Paul. 3. de Re Med. 45. Saxonia.

c 6. de Loc. Aff. 4.

d 4. Aph. 78. & 2. de Nat. Hum. 19.

e 4. Aph. Tex. Co. 75. & de Inter. Aff. 16.

f Aet. Tet. 3. Serm. 3 C. 3. Aret.

g 6. de loc. Aff. 4. & Aet. Ibid. Cap. 2.

h 7. per Loc. 4.

i Aet Loc Cit.

k 6. Aph. 11.

l Aet. Ibid.

m Ibid & Orib. Lib. 4. C. 105.

n Ibidem Cap. 3.

ti roſ. an. q. ſ. m. ref. cataplaſma. Suppreſſo uerò ſanguine, cura Methodica continuanda, atque ita poſt alterantia, exhibeatur tale purgans. ℞. flor. caſs. rec. ext. pulpæ tamarind. an. ℥ iiii. rhab. torreſacti ℥ ſ. cort. myrob. citr. torreſac. ℈ i. m. ſ. b. & hora poſt bibat ſerum Chalybeat. ad ℔ ii. Mox ſtatim ad lactis Chalybeati uſum deueniat Pat. per menſem & ſupra, tum ad iecoris, & ſanguinis ſeruorem contemperandum, tum ad ulcus, quantùm fieri poteſt, carne replendum. Verùm ſi interim ſanguinis mictio inualeſcat, tunc tanquam ad ſacram anchoram, ad aquas Brandulenſes erit confugiendum, quæ adeò accommodatæ ſunt, ut huic ſoli affectui dicatæ uideantur.

Contingit tandem nonnunquam, ut ſanguis in grumos concretus ſupprimatur, unde eodem corrupto, praua & pernicioſa ſymptomata ſuboriuntur; ideo tunc Medici intentio conuertenda ad grumos diſſoluendos. Sic Aretæus proponit oxymel, cum poſca; uel mulſam, cum pauca calce. Apud Recentiores ſufficit ſola ſatureiæ decoctio. Nos uerò ſæpius
o Ibid. ſumus experti Coagulum leporinum, à Paulo [o] quoque propoſitum, quod diſſolui iubemus in lixiuio dulci, ex cinere ficulneo parato.

Victus ratio ſit refrigerans, adſtringens, & incraſſans. Abſtineat omnino ab vrinam mouentibus, uigente affectu. Potus ſit aqua ſantalina Chalybeata, mox & uinum ſubadſtringens, ſantalis medicatum.

V.

VRINÆ DIFFICVLTAS.

A Gonorrhœa olim à Nob. Viro, ex cauſis tum manifeſtis, tum occultis, laborioſis nimirum venationibus, necnon ex coitu contracta, tanquam ab Equo Troiano, plurima mala, atque ſymptomata emanarunt, renales nempè dolores, & tumores reſtium, cum dolore, tum genu, tum internodij ipſius tibiæ, atque aliarum corporis partium, & præterea ſtrangurioſo urinæ ſtillicidio, quod nonnunquam ad ipſam iſchuriam, ſiue vrinæ ſuppreſſionem progreditur, quibus affectibus ſanandis, tum Methodica, tum empirica fuere adminiſtrata medicamenta, nec prorſus incaſſum; ſiquidem & gonorrhœa ſuppreſſa fuit, & dolores, tùm articulorum, tum internodiorum ſanati, totumque corpus probè nutritum, atque validius in omnibus operationibus obſeruatur. Verùm circa renes dolor, & imbecillitas, atque in mictione noxa adhucnum uigent; guttatim ſiquidem extillat urina, & aliquando ſupprimitur, adeò ut cerea candela non ſolùm, uerùm etiam cathetere uti coactus fuerit.

Horum itaque affectuum cauſa eſt à nobis conſideranda, & extirpanda, ſi poſſibile fuerit; quæ cùm in præſens manifeſta, non occulta à nobis cenſeatur (luis enim Gallicæ occultæ ſigna deſiderantur, unde ueriſimile ſit, tum à gonorrhœa ipſa diuturna, tum à medicamentis adminiſtratis omnino fuiſſe extirpatam; cùm laudata totum corpus nutritione, integriſque uiribus gaudeat) ideo renum dolores, atque ipſorum imbecillitatem, tum in calidam eorundem intemperiem, & laxitatem, à uenationibus contractam, necnon in cruditates, à iecore, & altius à capite, ac uentriculo tranſmiſſas, & à renum calore in arenulas ſæpè concretas referendam eſſe exiſtimamus, prout urinæ difficultatem ab anguſtia in urethra; hanc uerò à callo eiuſdem prope ueſicæ collum prouenire credendum, dum à gonorrhœa, diuturna acri, & gallica qualitate prædita, illius partis excoriatio, indeque caa 4. Aph. 83. runcula [a], & tandem callus coaluerunt, quæ continuam ſtranguriam & urinæ ſtillicidium; iſchuriam autem nonnunquam, & integram ſuppreſſionem excitarunt, accedente ſcilicet materiæ pituitoſæ coaceruatione, quæ meatum prorſus obſtruit, unde inſtrumento aliquo, ut materia illa à callo ſuppreſſa, propulſa, ac effluens, urinæ quinetiam locum cedat nonnunquam opus ſit.

Status equidem huius Nob. Viri ope medica, atque chirurgica eget, ne temporis ſpatio, increſcente callo, urina ex toto cum præſenti vitæ diſcrimine intercipiatur; uel in renibus calculus quiſpiam concreſcat, qui in ueſicam prolapſus, anguſtam uiam peruadere non potis, in eadem hærens coagmentetur, ſuccedatque lithiaſis.

Ideo

Ideo corpus euacuandum; renes emundandi; materiæ pituitoſæ productio inhibenda; eaque à renibus diuertenda; iecur, & renes refrigerandi, ac roborandi; interim tamen callus à perito Chirurgo, uel atterendus, uel ſaltem minuendus.

Quas intentiones ut implere tentemus, inter Chirurgica remedia, ſanguinis miſſio ex uſu quammaximè fuerit. Et quoniam à venę ſectione ſolent ipſi contingere animi defectus, & lipothymiæ: ideo aperiantur uenæ ſedales b, utpote quæ renibus affectis magnoperè prodeſſe ſoleant. b 6.Aph.11

A Pharmaceutico primò deſumenda Lenientia, mox Præparantia, & primas uias expiantia. Leniens eſſe poterit. ℞. pot. ex manna clarif. ℥ vi. pro potu. Præparans ſit huiuſmodi. ℞. iulap. acet. ℥ ii. ſ. aq. cinnam. ℥ ſ. m. pro ſyr. & ſic pro aliis quatuor. Inde hoc ſequatur euacuans. ℞. pot. ex manna clarif. ℥ iv. ſyr. roſ. ſol. ℥ iii. aq. fl. citri par. m. f. p. Ab his ad ſecundam humorum præparationem deueniendum oxymel. ſimpl. ad ℥ ii. à quo bibat ius alteratum cich. borrag. end. malu. agrim. meliſſa, beton. quo tempore ſanguis educatur, & Chirurgus topico, callo medeatur. Octo uerò, aut decem exactis diebus, & ſyrupis aſſumptis, prębeatur hoc purgans. ℞. agar. trochiſc. ʒ iii. fol. ſennæ rec. ʒ ii. rhab. opt. cinnam. integri an. ʒ i. aq. meliſſæ q. ſ. m. f. inf. per noctem; deinde facta forti expreſſ. colat. adde ſyr. roſ. ſol. ℥ v. m. f. p. & tribus horis ab ea bibat ſerum depur. ad ℔ ii. & duabus horis ab eo prandeat.

His peractis pituitoſæ materiæ nouus prouentus inhibendus, eademque à vijs urinarijs diuertenda; quæ omnia egregiè præſtare poterit aqua Tettuciana, quatuor, aut quinque continuis diebus aſſumenda, cum vehiculo deiectorio mell. roſ. ſol. aut mannæ clarif. incipiendo à ℔ iv. uſque ad vi. progreſſu facto.

Interim & catarrhalis à capite ad uentriculum defluxio, ad nares deriuanda, naſarijs, more tabaci adminiſtratis. Quare paretur puluis hujuſmodi. ℞. pulu. maior. ireos Flor. an. ʒ ii. nigellæ ʒ i. m. pro errhino, potiſſimum ieiuno uentriculo uſurpando.

Poſt hæc, calidam iecoris, & renum intemperiem corrigentia, reneſque roborantia erunt adhibenda; in quem finem, aquæ uitriolatæ, in Valle Solis enaſcentes principatum obtinere minimè dubitandum; renes enim, & omnes vias urinarias mirificè emundant, calorem, tum renum, tum iecoris contemperant, adſtrictionem ab earum uſu, & corroborationem conciliantes. Quod ſi ob loci diſtantiam, uel itineris incommodum illuc proficiſci renuat Illuſtriſſimus Pat. ad montem Ortonis ſaltem ſe conferat, & aquas B. V. iam dictis ſubſtituat, quæ ad fontem epotæ omnino, & ſine difficultate permeare ſolent, & iam dictis intentionibus, licet non omnino, magna tamen parte ſatisfacere poterunt. Ab aquarum uerò uſu, uentriculus roborandus, ſed cautè; atque adeo poſtrema menſa deglutiat pilulam ex ℈ i. ſucci abſinth. condenſati, uel tria integra maſtiches grana, aliquot dies. Inde poſtea cruditates à renibus ad aluum deflectantur, qualibet hebdomada, aut bis menſe, pilulas duas in cœna aſſumendo, ex ℈ i. maſtichin. & gr. viij. magiſt. mechoac.

Quibus omnibus congrua uictus ratio addenda; atque in primis, à cibis diureticis abſtinendo, ut aſparagis, lupulis, ſucco limonum, raphano emulſ. ſem. melon. à melonibus ipſis, uinis albis, & ab huiuſmodi aliis. Caueat quoque à condimentis aromatum, allii, cæparum; ab alimentis craſſi ſucci, ut à caſeo, carne ſuilla, extremis animalium, leguminibus, laganis, uinis craſſæ ſubſtantiæ, & generoſis. Exercitia fiant moderata, & ante cibum, & alacri animo uiuat. Quibus omnibus D. O. M. optatum finem concedat.

VI.

VRINÆ ARDOR, AC DIFFICVLTAS.

ILluſtriſsimus Vir, ſexagenarius, temperamenti totius, & potiſſimum Iecoris calidi, & ſicci, vrinæ difficultate, aut potius ardore correptus, non tamen continuo, ſed per hebdomadas intermittente, noctu rarò, ſed copioſè meiens, cum ſubſidenti materia, in hiſtoria non expreſſa, num ſcil. tartarea, ſabuloſa, an mucoſa ſit; interdum uerò cum aliquo teneſmo, poſt experimentum à peritis factum proprijs inſtrumentis, ut de veſicæ calculo certiores fierent; a cutaneo prærerea uniuerſali pruritu diuexatus, modò à nobis quærit, num Thermę ex uſu illi eſſe poſſint, & quales.

Vrinæ ardorem, non modò à materia ſalſa, ex miſtione bilis cum cruditatibus producta; ſed & à ſola urinarum a acrimonia prouenire poſſe, nulli dubium eſſe debet. Er licet aliquis teneſinus, forſan cum ſubſidenti mateтia, craſſa, & tartarea, aliquam nobis calculi ſuſpicionem injiciat; attamen experimentum factum, & potiſſimum apud nos diuturna intermiſſio difficultatis vrinæ, Illuſtiſſimum Patientem à calculo immunem eſſe poſse atteſtari videntur. Quare in eam deuenimus ſententiam, quod cruditates à ventriculo genitæ, & forſan etiam à capire tranſmiſſæ, bilioſis ſeroſitatibus, à feruido iecore productis immiſceantur; quarum pars craſſior ad urinæ b uias, tenuior uerò ad ambitum corporis effundatur, atque adeò urinæ ardorem, & difficultatem, totiuſque corporis pruriginoſum affectum inducat.

a 6. de loc. Aff. 3.

b 2. in 1. Epid. 8 & 41.

Licet autem renum, ac veſicæ uitia in ſenibus c difficulter ſanentur, & pruriginoſæ affectiones iiſdem familiares eſſe ſoleant; attamen omni induſtria agendum, ut ægro Nob. Medicam opem feramus, materiam iam genitam educentes, atque eiuſdem nouum prouentum inhibentes.

c 6. Aph, 6

Quod ut aſſequamur, neceſſarias præmiſsas fuiſse totius expurgationes ſupponimus; cũ iam ad Thermarum, & Balnei uſum progreſsus ſit, et de iiſdem à Viris iſtis Excell. deliberatum fuerit, in quibus tamen (omnibus expenſis) nos libentius adhæremus uitriolatis aquis, quàm ſulphureis; quales ſunt S. Mauritij in Engaddina ſuperiori, vel propinquiores in Valle Solis agri Tridentini, quę iiſdem pollent facultatibus; reſrigerant ſiquidē, abluunt, & potiſſimum renes roborant, nec ventriculo nocent. His autem copioſè, & affatim aſſumptis, poterunt primò detergeri primæ uiæ, quia primis potibus deiectoriè procedunt; mox & renes, & ueſica; & quia uitriolatæ ſunt, eodem tempore, eaſdem partes adſtringunt, atque roborant. Quod ſi fortaſse calculus in ueſica laterer, ab his omnino auelleretur, & exrruderetur. Aquarienſes uerò, ut ſulphureas, & calefacientes ſuſpectas habemus. Nocerianas, parcò ſumptas, nullius uirtutis; copioſè uerò, ægrè permeantes, neque adeò corroborantes exiſtimamus, cùm minerales minimè ſint, ſed ſola terra ſamia conſtenr.

Balnea uerò ſummoperè commendamus, uerùm aquæ dulcis, alteratæ foliis maluarum, uiol. borrag. lactucæ, ſcabioſæ, tepida primò, mox & frigida adminiſtranda. Pluribus uerò diebus ab aſsumptis aquis, proponimus uſum ſucci intybi depur. ad ℥ iii. in iure cichoraceis alterato; atque ſæpè, ſed leui aliquo familiari medicamento, excrementitij humores ab urina ad ſeceſsum deriuandi, ut pilula aliqua maſtichina, cum granis aliquot extracti mechoac. præſcripta inſuper congrua uiuendi ratione.

VRINA

VII.

VRINÆ ARDOR.

ILluſtriſſimus Vir, mediocris habitus, uentriculi frigidi, temperamenti ſecundum totum, & potiſſimum ſecundum iecur, & renes, ad calidum, & ſiccum uergentis, uigilijs obnoxius, frequenti, ac immoderata Venere uſus, nec ab Hypochondriaco affectu omnino immunis, quinque abhinc annis gonorrhœam paſſus fuit, non diuturnam, eamque ex nimis ſolicitata, non uerò ex gallica Venere contractam, à qua conqueri cœpit de urinæ ardore, & illegitima ſtranguria, quam tamen, & ante gonorrhœam quandoque, ſed aliquot tantùm dies paſſus fuerat, qua mox continuò hucuſque Illuſtriſs. Vir laborauit. Medicorum uerò aliqui in materiam pituitoſam forſan, alii in vrinæ acrimoniam eius cauſam retulerunt; unde alii aquas refrigerantes, alii chinæ decoctum exhibuerunt, omnes tamen carunculam ex eroſione à gonorrhœa iam excitatã in meatu urinario præſentem ſunt ſuſpicati; cuius cauſa Pat. Venetias petiit, ut Medicorum illius Vrbis ſententiam audiret. Nos autem, ut cauſas indagare, curamque tutò, & ad rem proponere poſſemus, neceſſarium fore duximus, urinas obſeruare, & meatum urinarium explorare; quo præſtito, eaſdem uidimus, non guttatim, neque frequenter, uerùm liberè, & per longa interualla, copioſaſque excretas; ſed cum materia uiſcida oberrante, & tandem fundum petente; necnon exigua arenularum ſubſidentium copia. Explorauimus quinetiam & fiſtulam urinariam, & veſicæ ſphincterem cereis candelis, nullo in iiſdem obice deprehenſo. Conſueta verò gaudet, & copioſa euacuatione hæmorrhoidali. De agendis conſulit.

Ex præfata hiſtoria facillimè quilibet colligere poteſt, deprauatum huiuſmodi meiendi modum, potius urinæ ardorem, quàm ueram ſtranguriam appellandum eſſe; in ſtranguria ſiquidem urina, tum guttatim, tum aſſiduè effluere ſolet, ſphinctere muſculo affecto; ut notauit Gal.[a] Et quia ulcus non adeſt, potius veſicæ ſymptoma, quàm affectus ab eodem Galeno[b] dicitur. Huius autem ardoris cauſa eſt materia, tum pituitoſa, tum arenoſa; illa quidem ab imbecillitate ventriculi, immodica Venere, & diuturnis vigiliis coacernata, atq; à iecoris feruore ſalſeſcente; hæc verò ab eadem cruda materia in renibus à calore arefacta, & tandem in arenulas coacta; & quidem utraque ad vrinæ uias à natura tranſmiſſa, fiſtulam urinariam, exquiſito ſenſu præditam permeans, triſtem illum ardoris ſenſum produxit, quem in veſicæ muſculo minimè fieri credendum; tunc[c] enim frequenti meiendi deſiderio laboraret. Quare abſque ulla veſicæ, & penis noxa, vniuerſum corpus expurgatur, & fiunt ſtranguriolæ,[d] non nephriticæ vrinæ, ſed alia pro aliis, ut ex 1. in 3. Epid. 4. Pythioni contigit. Gonorrhœa autem, quia non ex gallica lue, ſed ex renum, & uaſorum ſeminalium laxitate, cum ſeminis calore, expultricem facultatem irritante, fuit excitata; ideo excoriationem, & vlcus non inflixit in veſicæ muſculo, aut pene.

a 6. de Loc. Aff. 4. & Aetius.
b Ibid.
c 2 de Motu Muſc. 8.
d 2. in 1. Epid. 8.

Affectus hic non ſpernendus, namque progreſſu temporis, in ueſicæ, aut penis exulcerationem deſciſcit, ut ominatur Gal.[e] præterquamquod arenulę renum calculum prænunciare uidentur, ſi Hipp. fides[f] adhibenda, dicenti. *Quibus in vrinis arenoſa ſubſident, ys veſica calculo laborat.*

e 6 de Loc. Aff. 3.
f 4. Aph. 79.

Si medicas intentiones ex iam dictis elicere facilè non foret, eaſdem nos docet elegantiſſimè Paul.[g] dicens, quod, *Si vrinæ bilioſa fuerint, contemperantibus vtendum; ſi vrinæ tenues, & albæ calefacientibus; ſi albæ & craſſæ, attenuantibus, & aperientibus.* Cùm autem vrinæ Illuſtriſſimi Patientis ex dictis miſtæ appareant, craſſæ namque ſunt, ſed bilioſæ; miſta quoque oritur intentio. Quare euacuanda, & expurganda materia iam genita, attenuando; iecoris, renum, ac totius calor contemperandus; uentriculus roborandus, & renum laxitati proſpiciendum, habita ratione expurgationis nuper ſecutæ ob febrem, qua tempore quadrageſimali proximè præterito laborauit.

g 3. de Re Med. 45.

Et licet non ignorem, quod plerique medicorum ex iecoraria ſanguinem educendum cenſent; ego tamen naturæ euacuationem huiuſmodi committerem, ueritus ne ſuperiori

ſanguinis miſſione, hæmorrhoidalis, uel omnino ſupprimi, uel ſaltem imminui poſſet; quæ quanti ſit facienda docet Hippocrates, [h] inquiens. *Melancholicis, & renum paſſionibus obnoxijs hæmorrhoides ſuperuenientes, bonum*. Opus itaque medicæ naturæ committendum.

h 6. Aph. 11.

Primæ autem viæ leniantur potione ex manna clarificata, aut caſſia, aut lenitiuo, cum cremore tartari. Inde præparentur humores iulapio acetoſo cortícibus citri aromatizato, uel melle roſat. cum iulapio acetoſo, & pauca aqua cinnamomi. Deinde fiat expurgatio caſſia, & diacatholico, cum tartaro, epoto ab his ſero depurato. Mox aſſumat Pat. Illuſtriſſimus ius alteratum endiuia, uiolaria, nymphea, malua, hepatica, cum ſyrupo de Ibiſco; idque plures dies, quod ſi ante huiuſmodi iuris uſum, parum rhabarbari optimi, maturi, maſticati cum paſſulis deglutierit, obſtructionibus quoque meſenterio infarctis ualdè prodeſſe poterit; præterquamquod & portio aliqua bilioſi humoris in iecore, & renibus concluſi facilè euacuabitur. Tandem proficiſcendum illi omnino fuerit ad Thermales aquas aſſumendas, quæ tum iecur, tum renes refrigerent, & roborent, antè quarum uſum ventriculus muniri, & abſtergi poterit aqua Terruciana, tres, aut quatuor dies, cum uehiculo de more ſumpta. Thermæ uerò refrigerantes quamplures habentur, nimirum aquæ Beatæ Virginis Patauinæ, Calderianæ, Veronenſes, Nocerianæ, Villenſes, Lucenſes, Acidulæ in Valle Solis, Engaddinæ aquis non abſimiles, ex quibus præſtantiores eligendæ.

Aqua autem Beatę Virginis conſtat Alumine, paueo Sale, & paueiſſimo Sulphure. Calderianæ primò ferrum, ſecundò alumen, tertiò ſulphur admittunt. Nocerianæ non ſunt minerales, ſed ſola terra ſamia permiſtæ. Villenſium minera eſt ferrum, paucum alumen, & ſulphur, quod poſtremum aliqui non admittunt. Acidulæ uerò, & uitriolatæ, in Valle Solis, continent uitriolum, Modò, caſu noſtro, egemus contemperantibus, & renes roborantibus, ne humores adeò facilè admittant, & arenularum, imò tandem calculorum generationem prohibeant. Huius uerò conditionis ſunt, experientia quinetiam compertę, Villenſes; ferrum enim, ſiue chalybs, tum refrigerat, tum ualdè roborat. Vitriolatæ autem hoc idem præſtare, & propterea hypochondriacas obſtructiones aperire feliciter poterunt. Tertio loco Calderianę. Beatę itaque Virginis aquę, licet ſtomacho minus infenſæ, quomodo opem Patienti noſtro neceſſariam afferre poſſint, non uideo; ſalſedinem enim augebunt, nec, niſi parum, renes roborabunt. Quare ſi Illuſtriſſimus Vir ad Lucenſes ſe conferat, tempus accommodatum fuerit, à principio Menſis Maii, uſque ad dimidium Iulii. Ad Vitriolatas uerò non proficiſcatur ante principium Iulii. Balneum quoque totius corporis perutile cenſemus, aut aquæ Villenſis, aut aquæ dulcis, plures dies.

Quibus omnibus proportione reſpondeat congrua uictus ratio, moderatè refrigerans, & humectans, ut optatę ſanitati reſtituatur, & à grauioribus malis preſeruetur.

STRAN:

VIII.

STRANGVRIA, ET DYSVRIA CVM Carnoſitate.

NOb. Iuuenis, iam lue gallica infectus, poſt gonorrhœam intempeſtiuè ſuppreſſam, gracilis & exanguis paulatim redditus, modò tandem in deprauatam mictionem, & quodammodo quoque imminutam, in ſtranguriam ſcil. atque dyſuriam incidit, tum ob exulcerationem colli ueſicæ tum ob fiſtulę urinariæ carunculam; ex priori namque ſtranguriam; ex poſteriori uerò dyſuriam proueniſſe credendum. Hęc uerò omnia ex acribus humoribus, à feruido iecore genitis, &, quod peius, gallica lue infectis, & ſeorſum, & ſimul cum vrina ad veſicam, & fiſtulam urinariam tranſmiſſis, ortum habuerunt, qui corrodendo, excoriationem, & exulcerationem inducere potuerunt; ſiquidem ex ſola vrinę acrimonia nonnunquam ulcus excitari poſſe teſtatur Gal.[a]

Huic autem debetur curatio, tum uniuerſalis, tum particularis. Vniuerſalis quidem, quę prauos humores iam genitos educat, iecoris feruorem contemperet, & potiſſimum gallicam luem extirpare poſſit. Particularis uerò, quæ ulcus in collo ueſicæ emundare, & carunculam erodere, tandemque ad cicatricem ducere poſſit, habita ſemper doloris, uirium, & vniuerſi corporis gracilitatis ratione.

[a] 5. Aph. 58 & 6. Aph. 1. & 6. de Loc. Aff 4.

Quibus occurrere perarduum fore uideo, tum ob uirium imbecillitatem, tum ob tempus importunum. His tamen non obſtantibus, ad meliorem ſtatum, uèl hoc anni tempore, ægrum redigere, totis uiribus connitendum, ne in habitualem incidat febriculam, & tandem tabe conſumptus pereat.

Et primò quidem ſanguinis miſſionem omittendam eſſe omnino ſubſcribo; namque licer adſit indicans, nimirum uitium ſanguinis; non tamen adeſt permittens, uirium robur.

Lenis itaque inſtituenda purgatio, purgantibus omnino miſſis, niſi poſt primam præparationem, parum rhab. opt. caſſiæ addatur, ſuperbibendo ſerum depur. aut aquam hord. copioſam. Præparatio verò ſit à Viro Excellentiſſimo præſcripta. Prima autem peracta purgatione, ad feruorem iecoris, & humorum acrimoniam contemperandam, doloreſque demulcendos, paretur ſerum deſtill. hoc pacto. ℞. ſem. melon. anguriæ, cucum. papau. albi an. ℥ i. ſeri depur. ℔ vi. m. f. emulſ. & B. M. deſtill. cuius præbeatur ℔ i. quolibet mane. Vel. ℞. aq. B. V. ℔ x. flor. caſs. rec. extr. ℥ ii. m. diſſolu. poſtea adde fol. malu. violariæ inciſor. an. m. ii. & in B. M. deſtill. & præbeatur ſaltem ad ℔ i. uel paulò plus; quæ duo medicamenta, ad contemperandum renum, ac ueſicæ ardorem, & huius dolores demulcendos tutiſſima habentur.

Interim de lue Venerea debellãda cogitandum. Et quoniam decoctum cum ſudore nullo modo admittitur ab anni tempore, minus uerò à ſtatu Pat. ideo peropportunus erit uſus aquæ noſtræ magiſtr. ex ſalſa, china, ſantalis, lapide pumice, & àntimonio paratæ; cuius elaboratio exſtat apud noſtrum Pharmacopolam D. Rizzetum, quæ poterit ab amico iſthuc tranſmitti, cum recto uſu eiuſdem præſcripto; cuius certè mirabiles obſeruaui effectus.

Partes affectas quod ſpectat, peracta expurgatione, dum aſſumet hanc aquam alexipharmacam, candela immiſſa, exploranda carunculæ ſedes, ut à peritis in arte corrodatur, & ſi fieri poſſit, cicatrice obducatur. Quod ſi præter hanc, ulcus in collo veſicæ delituerit, eidem mederi non adeò facilè fuerit; quanquam efficacius conſolidans penes me ſit, hac formula. ℞. radic. conſolidæ ℥ i. ſ. folior. plantag. equiſeti, ſolani, polygoni, burſæ paſtoris an. m. i. flor. roſ. hyperici an. p. i. m. bull. in aq. hord. aut Virginis Chalybeata; cui addi poteſt pompholyx, aut Ceruſa, aut lapis hæmatites. Verùm omnibus efficacior eſt ſpiritus Mercurii dulcis, ad gutt. in dicta decoctione, ſyphone iniectus, quo ego feliciter uſus ſum,

& paſ-

& paſſim quoque Paræus, atque Fabricius. Inungatur interim perinæum, & regio pubis vng. malu. reform. cum ol. nenuph. Vrgentibus autem doloribus, clyſter iniiciatur ex lacte Vaccino, in quo diſſol. fuerit philon. Rom. recens; & uigiliis, leuioribus occurratur, exhibita ℥ i. ſyr. de papau. à cœna.

Victus ratio ſit ſubſtantificè humectans, adeò ut poſt iam dicta, neceſſariò adminiſtranda, ad uſum lactis aſinini ſit Pat. perducendus. Oua recentia, & cruda, adhuc calentia deglutita, doloribus, & eroſionibus quammaximè conferunt; de quibus hiſtoriam elegantem narrat Tral. [b] Reliqua, prout omnia iam dicta, adminiſtrationi prudentiſſimæ Excell. Viri lubens committo.

b Libr. 8. Cap. 3.

IX.

VRINA VITIATA.

PAtet Admod. Reu. 45. annum agens, temperamenti ſecundum totum, necnon ſecundum iecur calidi, & ſicci, mediocris habitus, duodecim abhiuc annis pati cœpit meiendi difficultatem, adeò ut quandoque, non tamen ſemper, conſueto frequentius meiat; nonnunquam verò, ſed rarius, cùm aliquo ardore, ſiue urinæ acrimonia; frequentiſſimè autem, dum meiere conatur, ſupprimitur, ſiue potiùs cunctatur urina ipſa, quæ poſtea procedit; aliquando tamen intercipitur, mox effluit, & liberè excernitur; ſæpiùs verò integras ducit noctes, ſine ulla mictione: nunquã tamen paſſus eſt dolores nephriticos. Subſident in urinis arenulæ rubrę; interdum verò, ſed raro, aliqua filamenta in iiſdem obſeruantur. Color urinarum ut plurimùm citrinus eſt, minimè lacteus. Candela, ſiue catherere peritus experimentum fecit; nec tamen lapidem, aut carunculam in vrinario meatu deprehendere potuit. Plures peregit, huic affectui ſanando, purgationes, à quibus parùm, aut nihil leuaminis percepit; licet uſu aquæ B. V. præmiſſa Tettuciana, utcunque leuatus ſit; recrudeſcente tamen rurſus, ut anteà, affectu. Modò de agendis nos conſulit.

De vitiata mictione conqueritur Adm. Reu. Pat. quæ cùm ſit actio, tripliciter lædi poteſt, prout cæterę omnes, abolitè, imminutè, & deprauatè. In hoc autem Pat. non abolitè, quia meit, non imminutè, quia totam effundit urinam, nulla, uèl minima portione eiuſdem in ueſica ſuperſtite; ſed depranatè læditur, tum quia non adeò expeditè, pro lubitu meit, tum quia nonnunqnam intercipitur, & præterea quia aliquando cum ardore, & acrimonia vrinam effundit. Pendet autem hoc deprauatæ actionis ſymptoma ab alio ſymptomate facultatis expultricis ueſicę, immodicè irritatę; quę duo à morbo in mala compoſitione proueniunt, anguſtia ſcilicet ſphincteris ipſius ueſicę; quæ quidem non ab aliqua materia obſtruente procedit, ſed[illegible], dum ab vrinę acrimonia, modò cum arenulis, modò abſque his, alliditur, & uellicatur, imò mordetur muſculus ipſe, unde contrahitur, & coarctatur. Cui anguſtiæ neceſſariò ipſius vrinę ſuppreſſio, atque cunctatio, & remora ſuccedit, quanquam paulò poſt, & muſculus ipſe cedit, expellentibus ueſicę fibris, ob naturę neceſſitatem, à primo illo morſus inſultu; hæc tamen acrimonia tanta non eſt, quę in muſculo ſemper ab ipſo Pat. percipi poſſit; tunc enim ulcus excitaretur (prout à ſola uehementi urinarum acrimonia diuturna [a] obſeruault Gal. & à lotio [b] billioſo) ſed quæ ſaltem moleſta ipſi muſculo euadat, atque adeò, dum laxari deberet, ut urinę exitus pateat, nonnihil conſtringitur, &, ut diximus, effluuium urinę remoratur; tunc nerò acrimoniam, & ardorem quendam in urethra percipit Patiens, quando arenulæ copioſæ, uel aliquid ſalſum, filamentum ſcil. ſiue materia, cum ipſa urina, tenax excernitur.

a 6. de Loc. Aff. 3.
b 5. de Vſu Part. x

Affectus hic, licet parui momenti uideatur, prout eſt, ſpernendus tamen non eſt, ut qui uel in ueſicæ ulcus, uel in renum calculum deſinere poſſit. In ueſicę quidem ulcus, ſi urinę acrimonia, aut pituitę ſalſę prouentus augeatur; tunc enim fit ueſicę teneſmus; in renum uerò calculum, quoniam ex Hipp. [c] *Quibus in vrinis arenoſa ſubſident, ij calculo laborant*; prout & Patientem hunc, ſi non reipſa, ſaltem potentia laborare ſtatuendum. Quare, ut à pręſenti moleſtia uindicetur, & à grauioribus imminentibus malis pręſeruetur.

c 4. Aph. 79.

Primę

Google

Primæ viæ ſunt exhauriendę. Secundò ſeroſitates bilioſæ à maſſa ſanguinea expellendæ. Tertiò renes abſtergendi, atque emundandi. Et tandem iecoris, uenarum, & renum ca-lida intemperies corrigenda. Hæc uerò omnia remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

Et à Chirurgico fonte depromenda eſt repetita ſanguinis miſſio, ex iecoraria dextera prima, ex hæmorrhoidibus ſecunda.

Ex Pharmaceutico deſumenda Lenientia, Præparantia, Diuretica impropria, re-nes mundantia, & iecur, renes, ac totum Refrigerantia. Leniens eſſe poterit ſyrup. roſ. ſolut. uel pot. ex manna clatif. cui, exacta hora, ſuperbibat ius hordei, aut maluæ. Mox primum præparans erit iulap. acet. ad ℥ iii. cum tenuiſſimi crem. tartar. ʒ iii. & aquę cinnamom. ℥ ſ. pro una vice, & ſic pro alijs quatuor. A quibus aſſumat hanc potionem. ℞. pot. ex manna clatif. magiſtr. ℥ vi. addendo infuſioni conſuetæ rhabarb. optimi ʒ i. ſpicæ gran. iii. m. f. p. & tribus horis ab ea ſuperbibat ſeri capr. depurat. ℔ ii. Inde deueniat ad perfectiorem humorum in uenis hærentium præparationem, hac ra-tione. ℞. ſucc. depurat. cichor. borraginis, endiuiæ an. ℥ i. decoct. cichor. acet. ſonci, uiol. malu. hepaticæ ℥ v. m. pro ſyrup. & ſic pro aliis octo. Quibus abſolutis, præparati hu-mores ita expurgentur. ℞. ſyrup. roſ. ſolut. ℥ vi. electuar. de ſucco roſar. ʒ iii. aquæ borraginis q. ſ. m. f. p. & tribus horis ab ea bibat ℔ ii. aut ſeri caprin. depurat. aut aquæ No-cerianæ.

Et quoniam ſanguis bilioſo excremento emundandus eſt; ideo, decem, aut duodecim dies, rhabarbarum ita quotidie erit exhibendum. ℞. rhab. optimi ʒ ſ. flot. caſſ. rec. ʒ ii. m. f. b. iii. ſummo mane ſumendi, & exacta hora, hauriat ſeri capr. depur. ℔ i. tribus verò ab eo prandeat.

Quibus peractis, renes erunt emundandi, & eorundem, iecoris, atque uenarum cali-da intemperies corrigenda. In quem finem, nihil præſtantius, hiſce noſtris temporibus, excogitari poteſt aqua acidula uitriolata, in Valle Solis agri Tridentini ſcaturiente; omnia enim iam dicta ad miraculum præſtare poterit. Sed quoniam ante Iulium menſem aſſumi non ſolet; ideo interim aquæ ſtillatit. de ſucco cichor. cyathum, cum ſyr. de ſucco lim. uel conſerua de acido citri, mane haurire poterit Pater Adm. Reuerend. in cu-ius uſu perſiſtet uſque ad tempus uitriolatas aſſumendi.

Quibus aſſumptis, uentriculo aliqua erit concilianda corroboratio; atque adeò, quindecim dies, & ultra, à prandio, & cœna, duo aut tria grana maſtiches integra deglu-tiat.

Atque iam dictis congrua, atque proportionata victus ratio reſpondere debebit, ab-ſtinendo omnino à ſalitis, tum carnibus, tum piſcibus, ab acribus, caſeo, ab oſtreaceis, leguminibus, hordeo, & oryza exceptis, ab aromatibus, condimento cęparum, & allij, & glutinoſis omnibus. Cætera conſideranda omittuntur, cùm Pater Adm. Reuerend. iam antehac inſtructus, obſequentiſſimus, & continentiſſimus ſit.

X.

STRANGVRIA.

COmes Illuſtriſs. 66. annum agens, temperamenti calidi, & ſicci, habitus gracilis, varijs deſtillationibus catarrhalibus, ad uarias corporis partes obnoxius, proximè præterito autumno 1662. conqueri cœpit de pruritu inter meiendum, cuius tamen urina palearis fuit, clara, cum optima ſeparatione, & hypoſtaſi; aliquando verò cum arenulis, modò rubris, modò albis. In vehementi ambulatione, prope radicem penis, pondus quoddam, veluti pilę plumbeę perſenſit. Quibuſdam tamē leniētibus, & refrigerantibus ſe remiſit pruritus ille; verùm aduentante Vere, rurſus cum ardore repullulauit, cum eodem ponderis ſenſu in veſica, prope penis radicem, atque in mictione, acri ardore, ex motu ſemper grauiori; urinis tamen, ut antea, ſemper affluentibus, à motu uehementi nunquam ſanguineis redditis. Quo verò tempore multùm vrgebat pruritus, frequentibus purgationibus, ſanguiniſque miſtione, atque ſumpto decocto ex china, lentiſco, ſantalis, herbis refrigerantibus, & ſeminibus, per dies 40. utcunque mitior factus eſt, perdurante tamen aliquo eiuſdem ueſtigio, & acrimonia, ab uſu contemperantium, & anodynorum epiceraſticorum contemperata. Hoc uerò tempore, ex coitu, gallicam gonorrhęam contraxit, cum excretione materiæ uiridis, uriniſq; ſubiugalibus, craſſis, & ſubſidentia materiæ craſſę, mucoſæ, & in mictione, dolore acri, & conatu quodam in eiuſdem principio. A purgantium uerò, & refrigerantium uſu, ceſſauit quidem illud materiæ albæ effluuium; non tamen conatus, dolorque acris, in ipſa mictione, neque vrinæ craſſæ, turbidæ, & mucoſæ. Varias huc uſque expertus eſt purgationes, Aquas Nocerianas, & decoctum aſſumpſit, conatu tamen frequenti, dolore acri in ipſa mictione, urinis turbidis, non tamen cum materia craſſa ſubſidente, ſed ſolis arenulis, perdurantibus. Nullus fœtor in urinis obſeruatur, nec ſanguinis mictus. Puſtulę quędam in brachijs, collo & pectore apparent. Pulſus ſunt ęquales, magni. Nullus calor febrilis. Modò, ut ab hac moleſtia liberetur, medicum poſcit auxilium.

Deprauatus, & ſtrangurioſus meiendi modus, quo excruciatur Com. Illuſtriſs. duobus ferè abhinc annis, veſicæ læſionem, & ſphincteris potiſſimum manifeſtè demonſtrat; quæ quoniam immediatè pendet ab irritata expultrice, urinam frequenter effundente, & muſculum ad contractionem coarctante; hinc frequens quidem, at laborioſa mictio cōtingit, urinæ nempe ſtillicidium. Irritari uerò poteſt facultas expultrix, nonnunquam à ſola urinę acrimonia, quandoque etiam ab acribus humoribus, [a] uel bilioſis, uel ſalſis pituitoſis, aliquando ab arenulis, interdum & ab ulcere, ac tandem à calculo. Caſu uerò pręſenti, licet res anceps uideatur; concurrere tamen exiſtimo primo ſalſam ad uias urinę fluxionem: ac præterea corpus forſan tophaceum, ſeu calculoſum, non quidem in ueſica genitum, cum ultra 42. [b] annum in ueſica concreſcere non poſſit; ſed à renibus, inſcio ægro, ſine dolore in ueſicam prolapſum; nunc uerò ſenſim facto accremēto coagmentatū; à quo uiſcida, & cruda, tum à uentriculo, tum à capite promanantia, ad urinæ uias aduocari, in quacunque lithiaſi quotidie uidemus; cuius utriuſque cauſæ ſigna ex hiſtoria facilè colligere eſt. Nec tamen omnino excludi poteſt aliqua in muſculo corroſio, & excoriatio, ſi non à gallica pręgreſſa gonorrhœa, à ſalſa ſaltem, & acri, ac uiru gallico infecta fluxione contracta; non à calculo, quia ſi aſper, & angularis foret, poſt exercitium in curru, urinam cruentam profudiſſet Illuſtriſſimus Patiens, nec forſan ab initio urina ſuppreſſa fuiſſet.

[a] 3. de Sympt. Cau. 2.

[b] de Coac. 3.

Quod ſi res ita ſe habet, incaſſum cedet omnis labor, medicamentis curationem tentantibus; manus [c] enim duntaxat opera hic affectus ſanandus foret, namque, præſente calculo, ulcus ad cicatricem ducere impoſſibile eſt; neque fluxio ullo modò auocari, & flecti, ſed tantùm eius acrimonia, atque ſalſedo demulceri poſſet; atque adeò, ſi non cathetere, candela ſaltem cerea, à perito calculum explorari omnino iubeat; quoniam niſi adfuerit,

[c] 5. in 6. Epid. 26.

iam

Digitized by Google

iam ritè, & rectè peractis pauca, ſed experta addam uſurpanda, ad urinæ ardorem, & ſtillicidium contemperandum. Paretur itaque aqua hordei, cum aq. ſtillatitia maluæ, ſub finem ebullitionis, addita pauca liquiritia, & facta colatura, eiuſdem ℔ i. præbeatur quolibet mane Illuſtriſs. Viro, præmiſſis, hora una ante dictam potionem, ℈ iv. terebinth. noſtræ lotæ in aq. malu. plures dies: niſi enim adfuerit calculus, breui ſiſtetur ſtillicidium.

Verùm, ſi calculus latuerit, licet impoſſibile ſit ſtillicidium ſupprimere; nihilominus aliquod ægro leuamen afferre poſſumus, aſſumptis, uel iniectis. Itaque huiuſmodi aqua parari poterit, quotidie, ſummo mane, ad ℔ i. præbenda. ℞. folior. malu. rec. m. iv. violar. m. ii. lactucæ m. i. ſem. melon. mundat. & ruditer contuſ. ℔ i. radic. liquirit. inciſæ ℥ i. aquæ Noc. ℔ xii. ſucci lim. ℔ i. incidantur folia, m. & macerentur in loco tepido, per diem naturalē; deinde fiat fortis expreſſio, & in colat. diſſolue flor. caſs. rec. ℥ iii. m. & B. M. fiat deſtill. cuius aquæ integra libra, mane, ieiuno uentriculo, procul à prandio exhibenda; quod ſi dolores, & conatus urgeant, ſimul cum caſſia, diſſolui quinetiam poterũt Philon. Rom. rec. ʒ ii. mox omnia B. M. deſtillari, ut dictum fuit.

Et quoniam dolor, ex hoc ſtillicidio, immanis adeò nõnunquam excruciat, ut noctes pleraſque inſomnes ducere cogat, ad clyſterem, ſedando dolori, & ſomno conciliando accommodatiſſimum confugere ſoleo, paratum ex libra lactis vaccini, in quo Phil. Roman. rec. ſit diſſolutum ad ʒ i. ad ſummum, quem ſat fuerit detinere duas horas circiter; minimè uerò permittendum, ut tota nocte contineatur, ne plus æquo caput repleatur, & ſopor inducatur. Extrinſecùs quoque illini poterit perinæum, & partes circunpoſitæ vnguento maluino, cum oleo nenuph. ſubacto.

Quibus congrua uictus ratio erit addenda, abſtinendo à ſalſis, acribus, calidis, à uinis generoſis; ac tandem opportuniſſimus erit uſus lactis aſinini, ad ſalſedinem permulcendam, calorem contemperandum, dolores ſedandos, & totum nutriendum. Quæ pauca mihi ſuppetunt, plurimis addenda hucuſque à Viris Excell. adminiſtratis, ad meliorem Illuſtriſsimo Viro ualetudinem comparandam. Ita Deus uota ſecundet.

XI.

MICTIO VITIATA.

MOrborum, atq; ſymptomatum Iliade conflictatus Illuſtriſsimus Vir, tandem in deprauatam mictionem prolapſus eſt, qua urinam reddit, cum materia uiſcida, lenta, & ponderoſa, quæ ſtatim in matula ſubſidet, & tenaciter continuò cohærens, ad inſtar terebinthinæ, non niſi tota è vaſe effundi poteſt, adeòque copioſa, ut ipſius urinæ dimidium excedat. Affectus equidem urinæ capillirio [a] ſimilis, non tamen idem, licet ſub Trichiaſi [b] collocari poſſit. a 4. Aph. Co. 76. b Braſau. & Card.

Cauſa verò huius proxima eſt uentriculi frigida, & humida intemperies, hepatis immodicæ caliditati coniuncta; Ventriculus enim ob natiui caloris pauperiem, à prægreſſis erroribus in uiuendi ratione, & à lue Celtica contractam, cruditates copioſas iam producere cœpit, quæ à iecore feruido attractæ, atque liquatæ, ſimul cum bilioſis ſeroſitatibus ad crura detruſæ, ſua acrimonia in iiſdem ulcera excitarunt, unde à medicamentis calefacientibus nullum leuamen percipere potuit, prout à refrigerantibus melius habere ſibi uiſus eſt, contemperata acrimonia, & colliquatione humorum, qui perfrigerati, atque craſſiores redditi, non amplius ad crura prolabi potuere, unde Pat. ab ulceribus immunis euaſit. Verùm quoniam pituitoſæ, atque crudæ [c] materiæ durauit generatio, hæc ad imbecilliora loca, ab irritata expultrice demandata, atque expulſa fuit, ad uias ſcil. vrinarias, & ad penem, pluribus abhinc annis gonorrhœam, primò gallicam, atque legitimam; mox etiam ſpuriam, & diuturnam perpeſſas, qua corpus vniuerſum, ut in profluuio muliebri, expurgatum fuit, à uentriculo ad renes, & veſicam præcipitata, atque continuò per penem educta materia, ut dictum eſt, cruda, & pituitoſa, quæ à partium, quas præterfluit, calore maiorem ſemper craſſitiem adepta, atque tandem magis magiſque denſata, aliqua ſui parte ferè in tophos concreuit; imò & calculi quin- c 6 de loc. Aff. 3.

d de Coac. 3. etiam in veſica coagmentati poſſent, niſi quadrageſimum ſecundum annum [d] longè excederet Patiens nobiliſſimus.

Omnia autem agenda, ut ab hoc affectu uindicetur Illuſtriſ. Pat. etenim ſi materia huiuſmodi in renibus ſupprimeretur, in iiſdem calculos procrearet, prout huçuſque contigiſſet, ſi adeſſet mala uaſorum naturalis conformatio, [e] quæ ut cauſa ſine qua non, ad eorundem concretionem concurrere ſolet; imò materia eadem, craſſa adeò, atque copioſa in ipſa ueſica accumulari poteſt, ut urinæ per urethram præcludatur effluxus, eoque facilius, ſi caruncula, olim ex genorrhea ſuborta occalluerit, unde tandem ab eadem materia ſuppreſſa, atque coacetuata, urina ipſa non ſine vitæ diſcrimine ſiſti poſſet.

e 3 de Alim. Fac. 17

Quæ ut arceantur, malaque præſentia tollantur, in Ver proximum curatio protrahenda non eſt; cùm à præſenti medendi indicatio deſumatur, & in mora periculum ſit.

Quare ſtatim primæ uiæ ſunt expiandæ; materia, quæ iugiter repullulat, ad aluum ducenda; interim eiuſdem nouus prouentus inhibendus, tum medicamentis, tum congrua victus ratione.

Et primò quidem conueniet pharmacum ex manna clarif. & melle roſ. ſol. Inde præparans inſtituatur, ad ſex dies, ex ℥ ij. oxymel. ſ. ℥ j. mel. roſ. ſimpl. ʒ iij. crem. tart. & ʒ ſ. aq. cinnam. quatuor horis ante cibum, quotidie aſſumendum. & ab eo, os uino albo generoſo abluendum. Expurgetur præterea præparata materia potione ex manna clarif. addendo infuſ. conſuetæ agar. troch. ℥ ſ. quæ ſumatur mane, quinque horis ante cibum, hauſta mulſæ dilutæ ex aq. hord. paratæ, incepta euacuatione, ℔ i. ſ. uerùm pridie, hora vna ante cœnam, ſumat Pat. pil. de hiera cum agar. ʒ i. Ab hac euacuatione, ad earundem uiarum deterſionem, ac ablutionem, uentriculique exſiccationem, conuenientiſſimæ erunt aquæ Tettucianæ, quinque ſaltem diebus hauriendæ, incipiendo à ℔ iv. & progreſſu facto uſque ad vi. & mox paulatim retrogrediendo uſque ad iv. cum vehiculo mel. roſ. ſol. hac cautione, ne portio earundem ad urinam ducatur, quo caſu, iis ſuperſedendum. Hac verò commodè poterit materia in uentriculo genita ad aluum duci, eiuſdemque adeò copioſus prouentus inhiberi; in quem finem, ſtatim à cibo, mane, & ueſperi, deglutiat Illuſtriſ. Pat. duo, aut tria grana maſtiches integra, uel pil. ex ℈ i. ſucci abſinth. condenſ. etenim, quæ uentriculum caleſaciunt, ſi ante cibum aſſumantur, hepari ſunt inſenſa. Interim ſemel, aut iterum hebdomada, in uſum ducendum aliquod familiare medicamentum, quod cruditates, licet minus copioſas ab urinæ uijs auocet, eaſque ad aluum ducat, quale hoc eſſe poterit. ℞. pil. maſtic. ʒ ſ. magiſt. mechoac. gr. vi. m. ref. pil. n. iii. hora una ante cibum aſſumendæ. Extrinſecùs quoque uentriculi fundus parum ſupra vmbilicum, ad læuam, ne caleſiat hepar, illiniatur ol. de cortic. citri, uel de cinnam. ſi præſtò fuerint, uel è nuce moſchata expreſſo.

Quæ pauca hoc tempore agenda, quibus niſi poſſit materia, tum imminui, tum ab vrinæ uiis abduci, curatio efficacior, atque ualentior proximo Vere repetenda fuerit, omniaque in prædictum finem agenda. Interim autem uſque ad illud tempus, ſi diuerti non poſſit, per urinam eiuſdem effluxus prolectandus, ſi difficilis foret, uſu terebint. noſtræ, aq. capill. Ven. lotæ; cui ſuperbibat ius tenue, malua, & ſem. melon. contuſ. alteratum; uel cyathum aq. malu. uel capill. Ven.

Quibus omnibus congrua accedat uiuendi ratio; abſtinendo à lactariis, laganis, carne ſuilla, ab extremis animalium, à piſcibus glutinoſis, & teſtaceis, à leguminibus, à uinis craſſæ ſubſtantiæ, & generoſis; patetur uerò medicatum lentiſco è Chio. Fugiat omnino frequenter ingeſtos cibos, & ieiuno uentriculo, mel in uſum ducat.

XII.

VESICÆ CALCVLVS.

TOta ſanguinea maſſa cruditatibus, aliiſque uarii generis excrementis conſpurcata, à uentriculo, capite, & iecore genitis, atque tranſmiſſis, nonnunquam facultas expultrix inſurgens, per urinam eadem detrudere conatur; tunc autem & dyſuriæ, & ſtranguriæ contingunt, renibus, atque urinariis meatibus minimè affectis; unde Hipp.[a] hæc pronunciauit. *Strangurioſa, non nephriticæ, ſed alia pro aliis.* Galen. in Com. *Dum uniuerſum corpus per urinam expurgatur.* Quod quidem in Reuerendiſs. Veſtali contigiſſe conîici poſſet, ſi ſpatium diuturnum immunitatis à dolore, poſt aquæ uitriolatæ uſum, abſque ullius calculi excretione conſideremus; & præterea, ſi materiam phlegmaticam, uiſcidam, quotidie cum urina effluentem ſpectemus, non ſolùm abſque calculorum; uerùm etiam ſine arenularum excretione. At ſi hęreditariam calculorum procreationem, in Patiente Reuerendiſs. perpendamus, ſi poſt lateris primum dolorem, urinam ſabuloſam, & rubri coloris fuiſſe memoria recolamus; ſi calculos rubri coloris, cum arenulis rubris iam excretos, calculoſam, atque nephriticam Veſtalem Nobiliſs. eſſe omnino concludemus; cùm, aqua copioſa uitriolata olim aſsumpta, lapillum ab eadem inſcia excretum fuiſſe exiſtimemus; cuius aquæ beneficio diutius calculorum procreatione, ipſiſque doloribus uacauit; licet in præſens lithiaſi eandem laborare non leuis ingruat ſuſpicio; quinimò certis coniecturis colligemus, calculum à renibus in ueſicam prolapſum, & à mucoſa, ac glutinoſa materia circunfuſa, ac iuxta poſita, in molem excreuiſse; cuius indicia luculenta adeò ſe exhibent, ut neceſſariò id nobis, uèl inuitis perſuadere poſſint; urina enim clara, craſſæ ſubſtantiæ, uitrei coloris, & adinſtar ſeri, lapidis[b] præſentiam in ueſica prodit. Et licet arenulæ ſubſidentes non obſeruentur; materia tamen obſeruabitur tartarea, quæ calculorum in ueſica deliteſcentium propria eſt; prout calculi renum, arenulæ rubræ. Pręterea in ipſo mictus[c] articulo dolore affligitur, & urina paulatim fluit, ueluti in eiuſdem ſtillicidio. Accedit, quod ex meiendi conatu, extuberant, & adeò inflammantur uenæ ſedales, ut Pat. Nobiliſs. non abſimilem utriuſque partis dolorem exiſtimet. Nec obſtat pituitoſa, uiſcida, & ſalſa materia; ſiquidem ueſicæ calculum concomitari ſolet, qui tum pondere, tum irritamento humores ad ueſicam allicit, plerunque in hoc affectu crudos, quòd ob dolores, & uigilias coctiones in uentriculo, & hepate debilitari, & corrumpi neceſse ſit. Quod autem nullum pondus, nullusque dolor in perinæo à Patiente Nobiliſs. percipiatur, licet calculus, nec quidem exiguus, in ueſica concludatur, cuilibet in anatome perito mirum non uidebitur; ſiquidem ueſicæ ſubiacet uterus, ueluti puluinar, à quo ſuffulcitur; atque adeò nullum pondus, intercepto quoq; doloris ſenſu, quominus ad perinęum peruenire poſſit. Atque de hoc ſatis.

Tumor autem abdominis, & iecoris inſignis obſtructio conſideranda ueniunt; quæ omnia à prauo aquarum olim uſu prouenisse autumandum; ob improſperum, & interceptum earùndem transfluxum, quòd ſcil. earum facultas Medico tunc temporis omnino ignota fuerit; aquæ enim illæ uitriolatæ, in Valle Solis ſpontè ſcaturientes, ſpiritibus tenuiſſimis conſtant, qui breuiſſimo temporis interuallo omnino ſimul cum aciditate euaneſcunt, dũ longius à fonte aquæ ipſæ hauriuntur, & aliò exportantur, adeò ut horę ſpatio euanidę omnino, & inualidæ euadant; ut propterea ad fontem ipſum ſe conferant Pat. omnes; quoniam ſpiritibus, atque tenuiori parte deſtitutæ, minimè penetrant, ſicque in uiſceribus hærent; unde nil mirum, ſi & tumorem abdominis, & obſtructiones uiſcerum produxerint.

Quibus omnibus ita conſtitutis, atque conſideratis, difficilem fore, tumoris, & uiſcerum ſanationem credimus; prout impoſſibilem, medicamentis, calculi attritionem; eſt enim in illorum morborum cenſu, qui manuum[d] duntaxat opera ſanantur. Nihilominus quoniam ars coniecturalis eſt, & de ueſicæ calculo cathetere experimentum fieri ſolet; ideo aduerſus ea, quæ certiſſima habemus, curationem dirigere poſſumus, aquam minuendo, obſtru-

Cccc 2 ctiones

[a] 2. in 1. Epid. 8. & 41.

[b] de Aere Aquis, & Loc. 24.

[c] 4. de Morb 29

[d] 5. in 6. Epid. 26.

ctiones aperiendo, pituitoſam materiam à vijs urinarijs diuertendo, uentriculum roborando, & dolores demulcendo.

Quare, ſi ſanguis extractus non fuerit, educatur ex iecoraria dextera, ſed parcè. Primum Leniens ſit pot. ex manna clarif. cum crem.tart. ad ℥ vi. Præparans uerò ſine diluto, iulap. acet. cum melle roſ. quotidie ad ℥ iii. quinque dies exhibitum. Inde repetatur prædictum leniens, & incepta euacuatione, bibat mulſam dilutam, ex aqua hord. paratam. Mox ulterior inſtituenda præparatio, oxymel. ſimpl. ſyr. byzant. cum aceto, & de agrim. in decoct. cich. borrag. end. meliſſ. agrim. cuſcut. & ſeptem poſt diebus, præbeatur purgans, ex infuſione agar. ſennæ, & rhab. in aqua agrim. addito integro cinnam. & expreſſioni addictis ſyr. & mel. roſ. ſolut. Die uerò interpoſito, præbeatur aq. Tettuciana, cum uehiculo mel. roſ. ſolut. quatuor, aut quinque continuis diebus, ſi uires ferendo fuerint, ſin minus alternis.

Quibus peractis, & obſtructionibus perdurantibus, ad uſum ſyr. Fernel. deueniendum; decem ſaltem dies, ad ℥ ij. cum ℥ iij. uini albi tenuis, more Fernelij; aut in iure, ſi uinum reſpuat, ieiuno uentriculo, Nob. Patiens. Quo tempore, ſi calculus in veſica non delituerit, melius habebit Reuerendiſs. Veſtalis. Quod ſi res pro uoto non ſucceſſerit, adhibeatur uſus terebint. noſtræ, lotæ in aqua malu. à qua hauriat aquã hordei, liquiritia alteratam, ad humorum acrimoniam demulcendam, doloreſq; placandos; in quem finem, illini quoque poterunt partes illæ ung. malu. & popul. ol. nenuph. reformatis. Verùm leniendis doloribus, & compeſcendo irritamento, præſtantiſſimum, & tutiſſimum remedium fuerit clyſter in anum iniectus, ex modico lacte uaccino, & ʒ i. philon. recentis in eodem diſſoluti, quem contineat duabus, aut tribus horis ueſpertinis, & poſtea excludat; ita enim ſopientur dolores, & ſomnus ſuauis conciliabitur.

Quibus omnibus congrua victus ratio addenda, Viris Excell. quàm notiſſima, quorum prudentiſſimę adminiſtrationi iam dicta omnia committuntur.

XIII.

VESICÆ CALCVLVS.

EMinentiſs. S. R. E. Cardinalis, annum agens 54. temperamenti totius calidi, & humidi, hepatis calidioris, uentriculi frigidi, & humidi capitis, carnoſi habitus, obeſo proximi, ad annum uſque 44. incolumis quidem degit, exceptis quibuſdam ad dentes deſtillationibus, licet ſatis alioquin cibo, & potui indulſerit; tandem decem abhinc annis, nephriticis doloribus opportunus fieri cœpit, cum nauſea, uomitu, meiendi frequentia, & ardore, multorumque calculorum, rubri coloris, & copioſa arenularum excretione; quorum ratione acidulas aſſumpſit, præmiſſis Tettucianis, & quidem cum leuamine. Dolores tamen quinque iam abhinc menſibus recruduerunt, calculorum excretione ſecuta; perſtiterunt tamen ſtrãguria, imò & urinę interceptio, ob ſuperſtitem calculum in ueſica, mox à lithotomo volſella extractum; unde omnia miteſcere obſeruata ſunt; licet perduret adhucnum dolor, modò renes, modò ureteres lancinans, copioſis flatibus comitatus, & quod peius, cum meiendi moleſtia circa ueſicam, & ſenſu grauitatis. Excludit uerò arenulas uarii coloris, cum craſſa, & uiſcida materia; frequens eſt mictio, non intercepto prorſus urinę curſu; facilius autem ſupinus, quàm pronus meit. Quę ſymptomata, ſicut à motu magis ingraueſcunt, ita quiete ſedantur. Quęritur modo de ſtatu Eminentiſs. Principis, & pro eiuſdem ſalute, quid facto ſit opus.

Eminentiſs. Vir, decem abhinc annis, nephriticus, & calculoſus factus eſt, aucta in uentriculo calculorum minera, ab improportionatis obiectis, dum forſan eadem libera uiuendi ratione uſus eſt, uentriculi licet natiuo calore quodammodo debilitato, atque imminuto, cùm tamen pro ætatis mutatione, uiuendi quoque modus mutandus ſit, ne alioquin à copia[b], & praua alimentorum qualitate obruatur, & labefactetur, tum uentriculi, tum iecoris naturalis calor; prout ab immodicis, atque intentis animi ſtudijs, à concoctionibus auocatur; unde neceſſariò ab ipſo uentriculo cruditates, & ſuccus crudus ab hepate

[a] de Ren. Aff. 5.

[b] 3 de Anim. Fac. 16.

te

ſe congeritur, qui ſi ad articulos c à natura detrudatur, podagrici; ſi ad renes, ut caſu noſtro, nephritici ſuboriuntur affectus; quinimò calculoſi, cùm Eminentiſsimi Viri renes æſtu flagrent, qui, vt d cauſa efficiens, cruditates in arenulas ita cogit, ut, glutinoſæ materiæ portione intercedente, coagmententur, conglobentur, & aſſentur in calculos. Verùm cauſæ, tum materiali, tum efficienti iam dictæ, tertiam quoque accedere omnino neceſſe eſt, nimirum e emulgentium, renum, atque ureterum malam conformationem, quæ in eorundem uaſorum laxitate, cruditatibus facilè peruia, & renum, atq; ureterum anguſtia, difficulter eaſdem excludente, ſita eſt, quam Recentiores cauſam ſine qua non iuremerito nominarunt.

c 2. per Loc. 2.
d 3. de Aliment. Fac. 17.
e 14. Meth. 6. & 1. de Alim. Fac. 6.

Aduerſus uerò huiuſmodi calculoſam diſpoſitionem, præſeruatiua adminiſtrata fuere remedia à Viris Excellentiſs. Adſtantibus, & quidem accommodatiſſimè; atque poſt totius expurgationem, aquæ Tettucianæ, mox acidulæ exhibitæ, uentriculo corroborando, renum feruori contemperando, & eorundem, atque ureterum anguſtiæ laxandæ, ac dilatandæ. Quæ tres cauſæ, materialis ſcilicet, efficiens, & ſine qua non, ſi non ex toto auferri, imminui ſaltem, atque remitti quidem poſſent; uerùm quoniam calculorum procreationem è fœcunda ſterilem reddere nemo poteſt, ut conſtanter afferit Aretæus; ideo nil mirum, ſi rurſus Eminentiſs. Princeps, tum doloribus nephriticis, tum calculo correptus fuerit, & præſertim ſi quinque iam abhinc menſibus, à nephritico dolore liberatus, in lithiaſin inciderit, cum dyſuria, ſtranguria, & urinæ interceptione; quæ omnia calculi veſicæ luculentiſſima indicia; de quo, num à renibus prolapſus, an in ueſica genitus fuerit, non eſt, quod dubitemus; primò quia præceſſerunt nephritici dolores; & præterea quia lapis in ueſica non concreſcit poſt 42. f annum. A renibus itaque certiſſimè elapſus, uolſella 18. poſt diebus fuit à perito lithotomo extractus, & quidem albi coloris; quoniam, ſicut primò in renibus ex arenoſa, & facilè rubra materia conflatus; ita in ueſica hærens tartarea, atque alba inſuper obductus, in aliquam molem excreuit.

f de Coac. 3.

Extracto autem è ueſica calculo, urinę effluxus facilis fuit, uerùm paulò poſt, adhucnum percepit Eminentiſs. dolores, modò renes, modò ureteres excruciantes, cum flatibus, tum per ſuperiora, tum per inferiora, non ſine leuamine erumpentibus. Prȩterea in mictu, moleſtia quadam afficitur circa ſphincterem, & ueſicam, cum earundem partium grauitate, redditque g arenulas uarij coloris, imò & calculoſa fragmenta, cum craſſa, & uiſcida materia, ſine tamen urinę interceptione; quanquam facilius h meiat decumbens, omniaque ſymptomata à motu inualeſcant, prout quiete ſedantur, quę calculum aliquem in ueſica adhucnum concludi nobis ſuſpicionem iniiciunt, qui ideo urinam non intercipit, quoniam ueſicę collum non ſubit. Et licet non adſint omnia prorſus ſigna ab Hipp. adducta, uidelicet dolor in mictione, urinę ſtillicidium, ardor ueſicæ, urina ſubcruenta, & arenoſa exeuntia, uel lapides; attamen, lapide grandiori facto, cætera accedunt, & pręſentia euidentiora ſe exhibent; imò ſuperueniunt frictio k, & uellicatio pudendorum, penis tenſio, ponderis ſenſus, teneſmus, & pręſens calculus in ſcalarum aſcenſu, & pede pulſato ſolo, l à Pat. percipitur. Sed neque renes ab arenularum infarctu immunes credimus, cùm & eorundem, ac ureterum regionem dolores excrucient, cum flatibus nephriticis familiaribus; calculi tamen præſentiam aſſerere non audemus, tum quia rarò in veſica, ac renibus ſimul lapis concluditur, ut obſeruauit Mercurialis, tum potiſſimum quia non adſunt ſigna ab Hipp. tradita. In rene dolor grauis, cùm cibo implentur, uomuntque pituitam, & urgentioribus doloribus, ęruginoſa, arenulę ſubſident, cruentum meiunt, ſtupor femoris è directo poſiti &c. Quę omnia fuit expertus Eminentiſſimus Princeps, in pręteritis nephriticis doloribus. Et quamuis abſque his calculus in renibus diutius hęrens nonnunquam obſeruetur; neceſſariò tamen ſaltem adſunt grauitas in renibus, uentriculi anatrope, & ſtupor femoris è regione poſiti. Statutum itaque ſit, in ueſica calculum aliquem exiguum, à renibus prolapſum adhucnum deliteſcere; in renibus uerò arenoſam ſaltem materiam adeſſe, atque continuò coagmentari.

g 4. Aph. 49. & 1. de Loc. Aff. 5.
h 1. de Loc. Aff. 1.
i 4. de Morb. 29
k de Aere, Aquis, & Loc. 23.
l Saxon.

Quibus ita ſe habentibus, ſtatim curatio medicamentis tentanda, antequam grandior euadat ueſicæ calculus; tunc enim manuum m duntaxat opera ſanari poteſt, prout renes quoque quamprimùm ab arenularum copia expediendi, antequam à glutinoſa materia in unum coaleſcant, & ui caloris in calculum obdureſcant. De præſeruatione uerò aliàs erit ſermo.

m 5 in 6. Epid. 26.

Præmiſſa itaque primarum uiarum accurata expiatione, & humorum, tum in iecore, tum in uenis hærentium, ſtatim facta minoratione, renes erunt abſtergendi, atque mundandi,

dandi,

dandi, & calculus in ueſica dimouendus, atque omni induſtria, per collum eiuſdem, & urethram educendus, imò deturbandus.

Quibus explendis, nulla ſanguinis miſſio hic locum habet, neque alia præſidia à Chirurgico fonte depromenda.

Verùm ex Pharmaceutico petendum Leniens ex melle roſ. ſol. & manna, aqua flor. citri diſſol. paratum. Mox ſeptem continuis diebus, aſſumat oxym. longum, ad ℥ iij, cum ʒ iii. pollinis crem. tart. aqua cinnam. aſperſum. Deinde leniens præſcriptum repetendum, atque vnico die interpoſito, aquam Tettucianam, ad ℔ v. aut vi. cum uehiculo deiect. mell. roſ. ſol. aut mannæ clarif. cum tart. ter ſaltem aſſumat. Poſtmodum, ſi fuerit opus, præbeatur infuſum rhab. agarici, ſennæ, addito ſyr. roſ. ſol. uel elect. lenit. cum diaph. & elect. de ſucco roſar. quibus ſuperbibat aquam Nocerianam, ad libitum.

Quibus peractis, ad aliquod efficax diureticum erit neceſſariò deueniendum, quod non ſolùm renes abſtergendi, atque abluendi, uerùm & affatim ad veſicam confluendi facultate polleat, ut calculum dimouere, & eiuſdem cauo ueluti innatare cogat, ut facilius illius collum ſubeat, & uel expellatur, uel uolſella à perito Chirurgo iterum extrahatur. Neque ab hoc opere nos deterreat Auic. & ferè omnium medicorum præceptum, quod nimirum in ueſicæ calculo, diureticorum uſus ſit prorſus uitandus, quòd ſcil. eum mucilaginoſa ueluti tunica exuere, ac proinde cruciatus atrociores, & ſæuiores inferre poſſint; ſiquidem obiectio locum haberet, ſi de præſeruatione ageretur, quæ à ueſica diuerſionem exigit; uerùm in præſens, dum agitur de curatione, nimirum de calculo exiguo adhuc nunc exturbando, conueniunt diuretica, imò ualidiora, antequam grandior factus, non amplius ueſicæ collum ſubire, minuſque urethram permeare poſſit. Quare, præmiſſis præmittendis, quamprimùm aquæ Lucenſes Eminentiſs. Principi de more exhibeantur, primis quidem tribus diebus, cum uehiculo deiectorio, mox & diuretico, ſpiritu nimirum tart. ter rectificato, uſque ad ſemidrach. in primis cyathis affuſo; ita namque aquę copioſæ inundanti calculus innatare, & efferri poterit, ac proinde ad ueſicæ collum, & ductum urinarium extrudi; quinimò, ut facilior aquis effluxus pateat, ueſperi, ante parcam cœnam, deglutire poterit ʒ i. terebinth. noſtræ, cum ℈ i. pulu. ſem. eryſimi refor. Nec obſtet anni tempus frigidum, diaphoretica ſiquidem, non uerò diuretica medicamenta inhibere poteſt, præterquamquod ſtatus Eminentiſs. Principis ad ualidiora remedia uſurpanda nos cogit, antequã grandior euadat calculus, & manuum operam expoſcat. Quod ſi fortè hoc remedii genus renueret Eminent. Princ. illi ſubſtituatur alicuius aq. ſtillat. uſus, in eundem finem, ut ononidis, capill. Ven. parietariæ, graminis ad ℔ i. ſ. addito ℈ i. ſpir. tart. ter rectif. & præmiſſa terebinth. ſummo mane, duabus horis ante aquarum uſum, data opera urina ſuppreſſa, ut innatans calculus urinæ meatum ſubire poſſit: licet minor apud nos huic remedio, quàm aquis ſuprà propoſitis fides ſit; cùm renes validè mundare, eorundẽ calorem contemperare, denſitatem rarefacere, & explicare commodè poſſint, nec quidquam ueſicæ obeſſe, præſente, uel abſente calculo. Quæ pauciora, ſed præſtantiora pro ſtatu hoc vrgente præſcripſimus. Pro præſeruatione uerò alia addemus, cùm de euentu, & ſtatu futuro Eminentiſs. Principis certiores facti fuerimus.

Interim hoc potiſſimum circa uictus rationem admonemus, ut parca ſit cœna, uinum album bibat, neque hoc tempore à diureticis abſtineat, ita enim noſtris propoſitis ſcopis, atque medicamentis reſpondebit quoque uictus ratio. Faxit Deus, ut res pro uoto ſuccedat.

V E-

Digitized by Google

XIV.

VESICÆ CALCVLVS.

VIR annorum 63, temperamenti ſummè calidi, nec adeò humidi, triginta annis cōtinuis, dyſpnœa, Aſthmate, & Orthopnœa, per interualla recurrentibus, cum periculo aliquando ſuffocationis, laborauit; qua tamen tribus abhinc annis remiſſiori facta, nunc liberiore fruitur anhelitu, ut tantùm non immunis ab eo affectu degat. Suborta tamen eſt moleſtiſſima meiendi difficultas, cum dolore, eo diſcrimine, ut ſi maximam urinæ copiam effundat, uix doleat; quod ſi guttatim hæc fluat, ſæuius excruciet, & quidem pariter per uices, modò ſc. quindecim, modò viginti dierum. Huic verò ægro, antequam Aſthmate premeretur, per nates, os, oculos; quinimò & per anum, tanta ſeroſitatis copia effluxit, ut mirum omnibus fuerit; qua tamen ſpatio temporis, ſimul cum difficultate reſpirationis ſuppreſſa, cœpit prædicta meiendi difficultas ſæuire, atque ſub illud principium, quædam ſanguinis guttæ cum urina emanarunt; modo uerò quædam arenulæ rubræ, tophaceę, cum quibuſdam ſedimentis capillatis, abſque dolore prodeunt, ſęuiuſque torquetur, cùm ſine illis urina effluit. Variis adhibitis medicis pręſidijs, diuerſionem, pręparationem, euacuationem, necnon partium mandantium, & affectarum, ut hepatis pręcalidi, & uentriculi frigidi tutelam ſpectantibus, receſſit Aſthma, perdurante dolorifica mictione, cui conſilium, opemque medicam expoſcimus, habita in auxiliorum administratione, ratione ætatis, & imbecillitatis uirium Patientis.

N. N.

Totum ſeroſitatibus, atque cruditatibus ſcatens, in Nobiliſſimo Patiente, à ventriculo, capite & iecore genitis, ſuperioribus annis, eaſdem partim per hæmorrhoidales uenas expulit, partim ad caput extulit, & ad pulmonis bronchia præcipitauit; unde anguſtia, & anhelitus difficultas. Horum autem excrementorum euacuatio, necnon ad caput, indeque ad pulmones tranſmiſſio, quoniam tribus abhinc annis ſuppreſſa, ac intermiſſa fuit; hinc illa in uaſis concluſa maſſam ſanguineam colnquinarunt; quare facultas expultrix exurgens per urinam eadem extrudere, & excernere coacta fuit; hinc primùm ſtranguria, renibus quidem, atque urinarijs meatibus minimè affectis; ut propterea Hippocrates [a] pronunciauerit. *Stranguriosæ, non nephriticæ; ſed alia pro alijs.* Et Gal. in Com. *Dum vniuerſum corpus per vrinam expurgatur.* Quæ & in Nob. Patiente certò nobis ſtatuere licuerit. a 2. in 1. Epid. 8. & 41.

Verùm quoniam portio crudorum humorum craſſior, in renibus diutius hærens, & ab eorundem calore exuſta, in arenulas concreuit, ex quibus conglomeratis, ſimulque agglutinatis, tophacea quædam corpuſcula coacta obſeruata fuere; ideo tophum aliquem, ſiue calculum, à renibus in ueſicam prolapſum eſſe iure dubitari poteſt, qui ex aggeſta cruda, & pituitoſa materia incrementum ſuſceperit, & cum prædictis uiſcidis excrementis urinæ difficultatem, & ſtranguriam adauxerit.

Calculi autem præſentiam nobis indicari poteſt, quia dum mingere tentat, dolore torquetur, & urina paulatim effluit, ueluti in eiuſdem ſtillicidio, eaque aliquando cruenta, ex Hippocrate [b]. Quoniam uerò calculus exiguus eſt, hinc fit, quod copioſa affluente urina, hic in ueſica quodammodo innatans, non adeò facilè eius collo allidatur, ipſa quoq; urina impetum obtundente, qua diminuta, calculus illico muſculum obterit, & eidem adhęreſcens meiendi libidinem, inanem quinetiam diutius ſouet. Hęc autem non adeò mordicùs, & conſtanter aſſerimus, licet magis in partem affirmatiuam inclinemus. Obſeruari uerò poterunt urinę lacteę, cum ſedimento tartareo, ſcalpendi perinęum pruritus, hæmorrhoidum intumeſcentia, ac tandem, niſi remedijs, craſſę, & pituitoſę materiæ deſtinaris malum ceſſerit, candelę, ſiue etiam catheteris experimentum aduocandum fuerit. b 4. de Morb. 29 & de Aer. Aq. & Loc. 24.

Ad

Ad meliorem autem ſtatum perduci poterit Nobiliſſimus Patiens, remediis à nobis præſcribendis; dummodò tamen non adſit calculus, quo in ueſica hærente, malum non niſi manus opera ſanari poteſt.

Materia itaque pituitoſa erit euacuanda, & à renibus diuertenda; quæ verò in renibus, & ueſica hæret, diureticis educenda. Deinde eiuſdem nouus prouentus inhibendus; atque interim dolores demulcendi. Quibus intentionibus omnino nos ſatisfacturos, hoc anni tempore hyemali, minimè ſperandum; ea tamen perficienda, quæ ab eo iam permittuntur.

Et primo quidem ex fonte Chirurgico aliqua ſanguinis miſſio eſt depromenda, ex ſaluatella dextera, ad ℥ iv. uel ℥ v. ad iecoris feruorem contemperandum, & excrementorum acrimoniam permulcendam.

A Pharmaceutico deſumenda Lenientia, Præparantia, & Abſtergentia, Euacuantia, Diuertentia, & dolores Sedantia. Lenientia erunt ſyr. roſ. mel. roſac. ſolut. cum elect. lenit. uel pot. ex manna clarif. cum melle roſat. Vel electuar. lenit. cum tart. Præparantia ſine diluto quinque, uel ſex dies, ex melle roſ. ad ℥ iii. cum ʒ iii. crem. tart. additis gutt. aq. cinnam. Inde expurgentur humores iam præſcriptis medicamentis. Mox ad accuratiorem præparationem erit deueniendum, decoct. cich. bortagin. endiu. betonic. meliſſæ malu. cum oxymel. ſeptem, aut octo dies, à quibus expurgentur præparati humores ſyr. & melle roſac. ſolut. cum diacath. uel elect. lenit. cum diaphen. exhibita ab his aqua hordei ad ℔ ii.

His peractis, aqua Tettuciana, tribus ſaltem diebus, exhibenda, ad ℔ v. progreſſu facto ad vi. ſecunda uice, & regrediendo tertiò rurſus ad v. cum uehiculo mellis roſat. ſolut. quæ ſi tertia uice, turbida, & excrementis referta obſeruetur, repetatur quater, & quinquies; mucoſitates ſiquidem à uentriculo abſtergere, & eaſdem per inteſtina euacuare potis eſt.

Vt autem uiæ urinariæ cruditatibus emundentur, præbeatur terebinth. noſtra, lota in aq. malu. ad ʒ i. cui ſuperbibat cyathum plenum aqua, aut iure hord. liquiritia alterato, & ſeminibus melon. in cuius uſu perſiſtat Pat. ad xii. uel xv. dies; quod ſi ab hoc remedio leuamen percipiat, illud continuet per menſem; ſolet enim tum materiam educere, tum dolores commodè demulcere.

Interim, dum iam dicta adminiſtrantur, extrinſecùs quoq; topica aliqua, dolores lenientia ſunt quotidie in uſum ducenda, qualia fomenta, illitus, & iniectiones. Fomenta parari poterunt ex decoct. malu. uiolar. nenuph. radic. altheæ, ſemin. fœnugræci, & hordei, additis capitibus papaueris albi. Illitus ita parabitur. ℞. vng. malu. populei, ol. nenuph. an. ℥ i. m. ref. linim. pro perineo, & tota regione veſicæ. Iniectio ita fiet. ℞. lactis Vaccini ℥ viii. philon. Rom. rec. ʒ i. m. & fiat clyſter, qui dolores quidem veſicæ demulcere poterit, ob viciniam inteſtinorum, & ipſius ueſicæ; uerùm non continendus ultra quatuor, aut quinque horas, remedium alioquin tutum, & efficax, ad quoſcunque dolores ſedandos.

Excrementorum autem noua ſoboles inhibenda ſupereſt; cui intentioni Vere proximo operam dabimus; quod ſi calculus adſit, iuuari quidem iam dictis poterit Pat. non verò ſanari. Quæ omnia eidem à Deo ſalutaria precamur.

X V.

VESICÆ CALCVLVS, cum Iſchiade.

PEtilluſtris, & Reuerendus Patiens, 60. annum agens, temperamenti ſecundum totum calidi, & ſicci, habitus melancholici, hæmorrhoidali fluxione gaudens, ualidis exercitijs, ſuperioribus annis, uſus, necnon libera uictus ratione, potiſſimum largiori meri potu, languente ciborum appetentia, duobus iam abhinc annis, poſt ſuppreſſam conſuetam per hęmorrhoidas euacuationem, derepentè incidit in ſanguinis puri mictum copioſum, qui ter recurrit citra dolorem, ne quidem grauantem in renibus, aut ueſica. Verùm copioſa uiſcidiſſimi, ac tenaciſſimi humoris colluuies per vrinam excerni cœpit, quam ſecuta eſt ſtranguria moleſtiſſima. Cathetere uerò lapidis præſentia innotuit, & præſenti animo lithotomiæ ſe expoſuit, qua extracti fuere lapides numero 37. quilibet ʒ ii. eiuſdem omnes figuræ; 44. verò die vlcus omnino coaluit, ſed circa 60. rurſus meiendi difficultate excruciatus fuit, cum dolore ex vulnere, potiſſimum verò dum ſedebat, cuius cauſa rurſus accerſitus lithotomus, catheterē induxit, ut obicem remoueret; neque tamen aliud, quàm ſanguis manauit. Verùm paucis poſt diebus lapillos numero 14. excreuit, milij grani mole, albos, à quibus uiſcidæ, atque tartareę materiæ copiam cum ardore per urinam ſemper profudit, cum dolore è regione uulneris per dextrum hypochondrium, uſque ad renem peruadente, cum ſenſu caloris, & ponderis; concomitantibus confucta, toto hoc tempore, alui ſtypticitate, & moleſta ſiri; & tandem accedente iſchiadico dolore. Multa uſurpata fuere remedia, ſed incaſſum omnia; quinimò à ſanguine ex talo educto peius habuit. Pręterea canteria duo brachio, & femori inuſta fuere. Poſt ſectionem uerò ſanguis rurſus extractus ex uenis ſuperioribus, & inferioribus, exhibitumque ius lentiſco, china, & ſantalo alteratum, bolo præmiſſo ex terebinthina Cypria; vinumque iiſdem lignis medicatum paratum fuit; dolenti item peringo oleum è balſamo Peruuiano illitum, & in ueſicam iniecta, de more, infuſio maluarum, in ſero chalybeato. Modò nouam ueritus lithiaſin ob affluentes uiſcidos humores, quotidie per urinam excretos, Prophylacticam à nobis curam expoſcit.

Relata præterita, quæ iam Perilluſtr. & Reuerend. Patientem afflixerunt ſunt à nobis conſideranda, in gratiam præſentium, ut quæ iiſdem medela afferri poterit, nonniſi optima ratione proponatur.

Mirum equidem uideri poteſt, calculoſum fuiſſe Nobiliſs. Patientem, nulla prægreſſa arenularum mictione, licet plerique calculoſi arenulas nunquam excreuerint, quia ex Ar- a c. Aph. 79
chigene, & Philagrio, ſæpè arenulę redduntur, b quando calculus in ueſicam deſcendit. b Gal. in
Latitaſſe tamen genitos calculos perquàm exiguos in renum ſubſtantia, non diù tamen, Comm.
ut credamus, nobis ſuadet modus, quo in veſicam prolapſi ſunt, & ea, quæ mox apparuerunt; renes enim à prægreſſis exercitiis excalefacti, & laxiores redditi, cruditates glutinoſas, non ſolùm à frigiditate uentriculi; ſed & à libera quinetiam uiuendi ratione productas, ſuſceperunt, & ob aliquam malam conformationem continuerunt; ob materiæ uerò conditionem, non in friabiles tophos, ſed in marmoreos lapides coagmentarunt, quorum
cauſa aliquantò laxiores facti, ſarcinam quoque ſanguinis, ex ſuppreſſa conſueta c hæmor- c Aret. 2.
rhoidali euacuatione, in naſis coaceruatam ſuſceperunt, cuius affatim ter recurrente per de Diut.
anaſtomaſin effuſione, calculi quoque puſilli à renum parenchymate ad cauum, indeque Aff. 3.
per ureteres ad ueſicam deuoluti fuerunt, qui utpote parui, ac rotunda facilè figura prædi-
ti, dolorem nec in concretione, quia per renum ſubſtantiam d pauci, & exiles neruis diffun- d 2. de
duntur, nec dum elaberētur, induxerunt; à quorum excretione, mox copioſæ, ac uiſcidæ ma- Loc. aff. 3
teriæ uia patefacta, & ab eadē poſtmodum calculi in ueſica coagmentati ſunt, quæ effluens, ut pote tartarea reddita, & acris (forſan etiam ſalſa) ut ex totius, & hepatis temperamento coniicere licet, tenaciter ſphincteri, & urinario canali adhærens, ſtranguriam teneſmo

non abſimilem excitauit, calculis quoque ſub finem mictionis eidem muſculo alliſis. Nec vlla adeſt ſuſpicio, eos in ueſica fuiſſe genitos; ſiquidem habemus ex Hipp. [e] quod lapis in
e de Coac. n. 3. ueſica non fit poſt annum 42. ſed metus potius eſſet, calculum aliquem poſtremò à lithotomo, poſt cæterorum extractionem, relictum fuiſſe, ut Sanctiſſimo Pontifici, nunc regnanti, Alexandro VII. iam contigiſſe ferunt, niſi aliquot diebus à cicatrice obducta, liberè minxiſſet. Quare cùm nullus affectus recidiuæ hoc magis opportunus ſit, alios calculos à renibus deciđiſſe, pro certiſſimo habendum, quia iam paruuli illi quatuordecim excreti fuerunt, albi, & marmorei, grandiori aliquo, ut ſuſpicor, alio in ueſica relicto, à quo poſtrema ſuccreuerunt recrudeſcentia ſymptomata.

Neque illorum procreatio difficilis adeò fuit, dum cauſa materialis redundans, materia ſcilicet tenax, & argilloſa, ui lapidifica prædita, à uentriculo, atque hepate continuò renibus miniſtratur; & fœcundiſſima cauſa efficiens, calor ſcilicet exuberans, in renibus viget, non ſine preſentia quoque uitiatæ conformationis, utpote cauſæ ſine qua non. Et quoniam dolor quodammodo grauans ad renem uſque propagatur, uerendum quoque, ne in renum cauo, aut alii lapilli, aut materiæ glutinoſæ ſaltem aliqua portio eodem in loco hæreat.

Nil mirum, uidere nephritidi affectum articularem copulatum; ſiquidem gemelli ſimul naſcuntur. Sic in Nobiliſs. noſtro Patiente, crudi ſucci portio, bilis vehiculum nacta, per
f de Aff. 3. uaſa [f] ad coxæ articulum decubuit, qua imbutum ligamentum, liberum motum intercipit, & extenſione circunſitas neruoſas particulas comprimens, & continuum ſoluens, dolorem excitat; ad quam continui ſolutionem conſpirat quinetiam eadem materia, cauum articuli infarciens, & iſchiadicum affectum conſtituens.

Status Nobiliſs. Patientis eſt uſquequaque difficultatibus obſitus, ut unicuique in arte perito patere poteſt; ſiquidem non ſola prophylacticam, uerùm & curationem quoque exigere putamus, quę contraindicantia poſtulant, ut propterea nil certi polliceri poſſimus; ſi
g 5. in 6. Epid. 26. enim in ueſica calculi hæreant, morbus manuum opera duntaxat [g] ſanari poteſt. Si ue-
h Libr. 2. Cap. 3. ro de nephritico ſit ſermo, Calculorum procreationem è fœcunda ſterilem reddere poſſe
i 6 Ep. 7. neminem, dicebat [h] Aretæus; præterquamquod quinquagenarios nephriticos nunquam ſa-
k 6 de San. Tu. xi. nauit, neque uidit ſanatos [i] Hipp. Augetur difficultas, quia nephritici graciles difficulter curantur [k] ob neceſſariam attenuantem medendi, & uiuendi rationem; quibus accedit iſchiadicus affectus, inter articulares, ſanationis difficilioris. Attamen omni induſtria medica his omnibus, quantùm fieri poteſt, occurrendum, & incumbendum.

Diximus autem curatione, & præſeruatione opus eſſe; materia namque glutinoſa, &, ut ſuſpicor, calculoſa, in ueſica, & rene concluſa curatione eget, eductione ſcilicet, ſi poſſibile fuerit, ſin minus præſeruatione, ne videlicet augeatur. Iſchiadicus uerò dolor utrumque ſcopum admittit. Quibus omnibus congruo ordine ſatisfaciendum, & ſemper urgentiori incumbendum.

Et primò quidem quoad præſeruatiuam medendi rationem, totum per partes euacuandum, & pro uirili à renibus diuertendum. Secundò uentriculi intemperies frigida corrigenda. Tertiò calor hepatis, & renum contemperandus. Quartò ad curatiuam partem accedendum, ordine ab Hipp. [l] nobis præſcripto. Et licet id uideatur ab affectu in ueſica
l. in 6. Epid. 6. non admitti, hoc tamen dubium inferius ſoluam. Vltimò demulcendi, in remediorum uſu, ipſi dolores. Pars autem præſeruatiuam iſchiadico quoque affectui opem feret, illius augmentum inhibendo, & forſan etiam eundem imminuendo; diximus namque, quod urgentiori ſit incumbendum. Quibus omnibus ordine executiuo ſatisfacere conabimur.

Expediantur itaque primæ uiæ, ſyr. & mell. roſ. ſolut. Vel elect. lenit. cum tart. Inde ſuccedat, quinque dies, præparatio, melle roſ. ſimpl. & iulap. acet. cum pauca aqua cinnam. mox repetatur iam præſcriptis euacuatio, atque efficacior præparatio fiat oxymel. longo, non ualdè acri, in decoct. cich. borragin. endiu. acet. beton. agrim. ſeptem dies. Mox ſequatur euacuatio infuſione agar. & rhab. addito ſyr. & melle roſ. ſol. uel elect. lenit. & diacathol. cum portione diaphœn. & duabus, aut tribus poſt horis, à potione, præbeatur ſerum capr. aut aſininum depuratum, ad ℔ ii. ſaltem, duabus uerò horis ab eo prandeat.

Poſt hæc, aqua Tettuciana, de more, exhibenda, tribus, aut quatuor diebus, cum uehiculo mell. roſ. ſol. Deinde ad uſum ſuccorum depur. iecoris feruori contemperando, erit deueniendum. Sit autem ſuccus cich. ut qui uentriculo minimè officere, & iecori tantopere proficere poſſit. Præbeatur uerò ad ℥ iii. in decoct. cich. endiu. ſonci, borragin. acetoſæ, & hepaticæ; in cuius uſu perſiſtat quindecim, aut uiginti dies; in quorum medio,

aperia-

aperiatur iecoraria dextera, & educatur ſanguis ad ℥ vi. Dum verò hæc fiunt, clyſteres infundantur frequentes, ex lacte, butyro, & melle roſ. parati; uel 4. quoque die, hora vna ante prandium, aut cœnam, ſumat pil. maſtic. ℈ i. extracti mechoac. (nullo modo uentriculo infenſi) ℈ ſ. quod nos hic paratum habemus; & ſtatim à cibo, duo grana maſtiches integra degluriat, aut ℈ i. ſucci abſinthii condenſati, in pilulam coacti.

Iam dicta verò eo fine perficientur, ut glutinoſæ, atque tartareæ materiæ noua ſoboles imminuatur, & eiuſdem portio genita, à renibus ad aluum diuertatur. Verùm tandem ad renes mundandos, atque contemperandos deueniendum, aliqua minerali acidula aqua; neque caſu noſtro obſtare debet, quod in ueſica deliteſcere poſſit calculus, iuxta Auicennę monitum; namque, ſi in ea hæſerit, nonniſi paruulus ſaltem fuerit; qui à redundante, & affluente aquarum copia, ad veſicæ collum rapi poteſt, & ſimul cum aqua educi, vt aliàs obſeruaui.

Si uerò adfuerit tantùm uiſcidæ materiæ copia, eò facilius eluetur veſica, ſimul cum renibus, & ab eadem liberabitur. Aquæ autem delectus habeatur, eſſicaciter ualdè attenuantis, atque incidentis, cuius effluxus tutus, & celer ſit, & quæ affatim irruens materiam, tum pituitoſam, tum arenoſam rapiat, atque ſecum ducat. Huiuſmodi verò fuerit aqua uitriolata Vallis Solis, in Agro Tridentino, quæ his caſibus mira præſtat, materias omnis generis, & calculos, uèl grandiores educens, nec quicquam uentriculo nocens, quæ tamen prope fontem haurienda; etenim exportata omnino ſua facultate exuitur. Quare illuc ſe conferat Nobiliſs. Pat. oportet, in Lectica, ineunte menſe Iulio. Quod ſi hoc itinere grauetur, ad aquas Villenſes Sancti Iuliani concedat, quæ licet minus efficaces, ſimili tamen facultate pollent. Quæ renibus, tum curatio, tum præſeruatio debetur, prout ueſicæ curatio; à qua ſtatim præſeruatio repetenda, ad aluum abducendo quotidianas crudirates, quarum neçeſſarius, uèl ratione ipſius ætatis, prouentus, omnino abſtinendo à diureticis, utpote omnem humorum redundantiam ad renes, & ueſicam ducentibus.

Interim, dum prædicta peraguntur, doloribus occurrendum internis, & externis. Interna ſint iniecta, ſerum ſcil. deſtillatum cum opio, & per fiſtulam iniectum. Tutiſſimum fuerit Philonium Rom. recens, ad ʒ i. cum lacte uaccino diſſolutum, & clyſteris loco iniectum; ſi enim horas contineatur, tota illa nocte, & poſtridie dolore uacabit. Extrinſecùs illinatur perinęum, & partes circumpoſitæ unguento maluino, oleo nenupharino ſubacto, uel ung. populeo, uel oleo nenupharino, & uiolaceo.

Aduerſus Iſchiadem proximè futuro autumno erit pugnandum. Clyſteres autem acres ſolent inſigne iuuamentum afferre; uerùm hoc caſu ab affectu ueſicæ prohibentur.

His omnibus congrua addatur uictus ratio. Abſtinear itaque à carnibus bubulis, porcinis, cæteriſque pinguibus, atque annoſis. A piſcibus ſquamis carentibus, & ab oſtreaceis. A leguminibus, exceptis hordeo, & oryza; à laganis, à diureticis omnibus, ut ab aſparagis, à lupulis, à raphano, à ſucco lim. A condimento aromarum, cęparum, & allii. A uinis generoſioribus. Comeſtio non fiat ſupra comeſtionem. Si ſit ad uomitum facilis, aliquando à cœna euomat, & abſinthio, ut diximus, à cibo utatur. Pariter adhibeat uſum pil. maſtic. cum gr. v. aut vi. extract. mechoac. & erecto, ac forti animo uiuat. Quæ pro ſalute Nob. Patientis ſatis, quam nos eidem à ſummo Medicorum Medico enixè precamur.

XVI.

PRÆSERVATIO A VESICÆ Calculo.

a de Aere, Aq. & Loc. 14. b 4. de Morb. 28

CAlculus prægrandis, lutoſus potius, atque tophaceus, quàm marmoreus, ſectione à lithotomo facta, extractus fuit à Puero decimum annum agente; quem ab infantia originem duxiſſe credendum, à lacte Nutricis ualdè calido, & bilioſo, uentrem, & veſicam calefaciente; uel facilius à lacte eiuſdem impuro [b], pituitoſis cibis, ac potibus, alimentiſque impuris vſæ; etenim cùm inſignis molis fuerit, non exiguo tempore, ſed pluribus annis coaluiſſe cenſendum, qui nonniſi tardè, & inopinatè ſui ſigna præbuit; quoniam veſicæ parietibus, uel adnatus, uel mox tenaciter ſemper adhæſit, ut nonnunquam obſeruarunt, tum Aret. tum Fernel. imò & Cardanus ipſe. Sed tandem ponderis ratione excidit in veſicæ vacuum; unde ſymptomata eiuſdem propria illicò ſuperuenere.

c Mercurial. Fonſeca, & alij.

At quoniam diatheſis [c] illa calculoſa, ab ipſa forſan veſica non receſſit; ideo eiuſdem nouam concretionem, non ſine ratione reformidant Parentes, & Conſanguinei Illuſtriſſimi; vnde de præſeruatione nos conſulunt. Quam ut tentemus, & conſequamur, examinandus modus, quo, & cauſæ, à quibus repullulare poſſit, ut iiſdem uitatis, arceatur eadem opera calculi noua concretio.

d de Aer. Aquis, & Loc. 22.

e 1. Aph. 26.

f Gal. in Com.

g Lib. 9. Cap. 7.

Omnia autem nobis elegantiſſimè proponit, & ob oculos ponit Hipp. dicens. [d] *Quorum aluus ardens, & feruida fuerit, ita & veſica; ſicque excalefacta vrinam non dimittit, ſed retinet, & quod craſſiſſimum eſt, & turbidiſſimum coaceruatur, & dum euoluitur, concreſcit*. Quare veſicæ ardor, cum lutulenta, aut craſſa, aut uiſcida materia, ſunt cauſæ efficientes, & materiales calculorum veſicæ. Ideo, cùm dicit Hipp. quod [e] Pueris calculi fiunt, Gal. ait [f]. *Et ſenes humorem crudum aceruant; ſed quia calorem fortem reſoluentem non habent; ideo in veſica calculum non generant*. Tral. verò ſcripſit, quod [g] Pueris magis fiunt in veſica calculi, non tantùm ob caliditatem, ſed ob conditionem craſſæ materiæ.

Atque adeò patent Medicæ intentiones, ut calculi in veſica procreatio in Puero Illuſtriſ. inhibeatur. Primò enim materiæ crudæ, atque craſſæ productio impedienda. Secundò ea, quæ neceſſario generatur, à renibus, & veſica auocanda. Tertiò tandem Iecoris, & Veſicæ calor contemperandus.

Primæ intentioni opitulatur congrua viuendi ratio, & proba, ac perfecta ciborum coctio. Proba verò victus ratio conſiſtit in recto ſex rerum nonnaturalium uſu. Quare

Primò Aerem incolat non paludoſum, non locorum ſtagnantium, ſed purum.

Secundò Victus ſit potius attenuans, licet non tenuis, ingluuies tamen uitetur, ſicut & cibi frequenter ingeſti, nihil enim peius, quàm comeſtio ſupra comeſtionem, dicebat Auic. Ex carnibus, ſuillam uitet, ac bubulam, animalium extrema omnia, & ſylueſtres uolucres, necnon paludum, & lacuum. Ex Piſcibus, abſtineat à ſquamis carentibus, ut eſt Anguilla, Tinca, & alia huiuſmodi, pariter Conchilia, Teſtacea, & oſtreacea omnia uitentur. Ex lactariis, arceantur omnino caſeus, & aſſiduus butyri uſus. Item lagana, & pulmentaria omnia. Ex condimentis, ablegentur aromata omnia, excepto cinnamomo, & modico pipere ruditer contuſo. Acria omnia, & allium, cępe, limonis ſuccus. Omnia ſale condita atque exſiccata. Ex leguminibus, omnia quidem, hordeo, & oryza exceptis. Ex herbis, abſtineat ab omnibus urinam mouentibus, ut raphano, apio, fœniculo, ab aſparagis, lupulis, & præterea à fungis, & tuberibus terræ. Ex fructibus, ab eorum ſola copia ſibi temperet. Ex vinis, abſtineat à dulcibus, auſteris, albis, & generoſis.

Tertiò ſomnus ſit nocturnus, diuturnus autem pueris quammaximè confert; ſomnus enim cruditates, ex uoracitatibus concoquit.

Quartò exercitium maximè laborioſum, ut pilæ ludus, & huiuſmodi, ante cibum, commendatur; calculum enim in veſica procreari ex voracitate, & violento motu poſt ci-

bum

Digitized by Google

bum, aſſeruerunt Trallh. & Paul. i

h lib. d.
i 3. d. Re Med. 45

Quintò Aluus lubrica ſeruanda; namque, ſi uenter benè ſubierit, puriora lotia profluent, atque adeò primo cibo paſſulas comedat, & iuſcula pullæ hauriat. Mitto verò, in hoc Puero, Aetij præceptum, quod calculoſi à cœna aſſiduè euomant. Sed præterea, ut primæ intentioni omnino ſatisfiat, coctio in uentriculo adiuuanda; in quem finem, iubendum, ut frequenter duo grana maſtiches integra deglutiat, ſtatim ante cibum.

Sextò hilari animo conſeruandus Illuſtriſs. Puer, nec ad iram unquam irritandus, & compellendus.

Pro ſecunda intentione, cruditates, quæ produci poſſunt, hac tenella ætate, à renibus, & à ueſica prorſus abducendæ, & ad aluum, imò & ad ambitum corporis auocandæ. Sic frictiones totius corporis, mane, antequam è lecto ſurgat, ſæpè adhibendæ, & totum corpus ueſtibus benè muniendum. Bis uerò menſe, uenter cruditatibus exhauriendus, ne ad hepar, indeque renes, & ueſicam ducantur. Familiare autem medicamentum poterit eſſe, extractum lenit. ad ʒ ii. unica hora ante cibum. Hyeme uerò ſemidrachma pil. maſtic. cum ſemiſcrupulo magiſt. mechoac. Obſeruandum autem, præter cætera omnia, ne cibo, aut medicamento diuretica immiſceat; pernicioſiſſima enim ſunt, ut ſupra quoque dictum fuit.

Tertiæ intentioni explendæ, Iecoris, renum, & ueſicæ feruor contemperandus; in quem finem, aquæ Thermales acidulę, in Valle Solis ſcatutientes, uel Villenſes Sancti Caſſiani opportuniſſimę fuerint, ęſtate proxima aſſumendę. Quo tempore, & Balneum aq. dulcis, malua, uiolis, nenuphare, & plantagine alteratę, erit accommodatiſſimum. Interim tamen in uſum quotidianum ducat, prima menſa, ius endiuia alteratum; &, ſi ſitiat, aſſumat mane conſeruam roſarum, cui ſuperbibat cyathum aquę ſtillatitiæ cich. Extrinſecùs uerò Regio Veſicę oleo roſ. myrtino miſto, uel ung. roſ. illinatur, atque ab adſtantibus diligens adhibeatur cura circa modum meiendi in Illuſtriſs. Puero, ut ſi quidpiam noui contingat, Medicus maturè certior fiat. Quæ omnia, pręſeruationis gratia, à nobis deſcripta fuere, quam eidem ex cordis penetralibus precamur.

XVII.

VESICÆ INFLAMMATIO.

LÆſa actio, in hoc Patiente Illuſtriſſimo, eſt mictio ipſa, & quidem non ſolùm deprauatè, ſed & imminutè. Hoc verò ſymptoma caſu noſtro dependet aut ab obſtructione, aut à facultatis expultricis imbecillitate; a ut ætate ſenili quandoque contingere ſolet; cuius quoniam ex hiſtoria adducta, notitia certa deſideratur; ideo, eadem omiſſa, conſidero, quod mictionis læſio huiuſmodi prouenire poſſit ab obſtructione uaſorum, ex copia materiæ uiſcidæ, & crudæ, à ciborum ingluuie genitæ, quæ facilius ad uias urinarias penetrauit ob iter ſuperioribus diebus peractum. Et quoniam uiſcida quidem, at non craſſa, & iophacea reddita eſt; ideo ſola urinæ diminutio, non autem ſuppreſſio ſecuta eſt. In dubium tamen reuocatur, num obſtructio partes ſupra ueſicam obſideat, cuius anſam nobis præbet, quoniam de dolore circa eandem ſemper coqueſtus eſt Illuſtriſs. Patiens, cùm nihilominus, cathetere immiſſo citra difficultatem, uiſcidæ huiuſmodi materiæ nihil ceſſerint; ſicut plerumq; cõtingit; adeò ut primùm emanare ſoleat, catheteris ope, copioſa urina; deinde, eodem extracto, eadem materia craſſa, & uiſcida ab eo diſgregata; cuius effluxum urina quoque liberius ſequi ſolet; nec tamen interim Pat. Illuſtriſſimus de renum, aut partium ſuperiorum dolore unquam conqueſtus fuit. Quare, his rebus dubiis, exiſtimarem ego, circa ueſicam obicem adeſſe, licet metuam, ne alia accedat cauſa, grauior priori, principium nempe alicuius phlogoſis, aut inflammationis in ipſa veſica, quam coniicere licet ex dolore b, qui ad urethram uſque diffunditur; præterea ex duritie c dolente, in eadem parte, & tandem ex febre d poſtremò accedente. Hæc uerò inflammatio excitata fuit, non ſolùm ex ſanguinis

a 1 de Sympto. Cauſa.

b Aret. 2. Acut. 10.
c 2. Progn. 71.
d Aret. Tet. 3. Serm. 3 Cap. 26.

ad illam

ad illam partem tranſmiſſione, ſed & multò magis attractionē eiuſdem ualidioribus, violentis repetitis frictionibus, pannis calidis; necnon à calidis medicamentis appoſitis à medico illo extero accerſito.

Atque adeò non ſolùm cogitandum de urinæ prouocatione; ſed multò magis de intumeſcentia ueſicæ dolente, à me inflammatoria uocata. Quare intrinſecùs diuretica ſint illegitima, & omnino refrigerantia; licet eadem propria, & genuina indicati uideantur. Extrinſecùs verò Anodyna, ſed quæ refrigerandi, & repellendi quoque ui polleant.

e 6. Aph. 8

In caſu itaque ex ſe grauiſſimo, ſed & prætetea ob Pat. ætatem; Renum [e] enim, & ueſicæ uitia ſenes comitantur ad mortem; accuratè admodum, & omni induſtria iam dictæ intentiones ſunt implendæ.

f de Sang. Miſſ. 18.

Et licet Pat. ætas non multò inferior anno 70. ſit, attamen quoniã ſatis robuſtus, & boni habitus eſt; ideo ad aliquam ſanguinis miſſionem, ex ſaluatella [f] dextera deuenirem; nondum enim perfecta eſt inflammatio, quæ in facta quinetiam repetenda foret, aut ex ſaphena, aut ex hæmorrhoidibus, deriuationis ratione; magnis enim morbis magna conueniunt remedia; prout extremis extrema. Inde, cùm hucuſque primæ uiæ ab Excellentiſs. Viro ſatis expiatæ fuerint, medicamentum præberi poterit, quod & refrigerare, & uias urinarias aperire poſſit, quale erit flos caſs. ad ℥ vi. cum ʒ i. pulu. liquir. cui hora poſt, ſuperbibat ſeri aſinini deſtill. ℔ i. ſ. tribus verò horis ab eo prandeat.

Et licet febris ſymptomatica ſit; in eius tamen uigore ex uſu etit alterans, ex aq. hord. malua, uiol. end. ſem. melon. & alchechengi paratum; cui addi poſſet ſuccus lim. cum ſacch. feruefactus. Neque ad ualidiora diuretica deuenirem, habita inflammationis ratione; prout, eadem abſente, uſui eſſe poſſet ſpir. uitrioli, ſpir. tereb. ſpit. ſalis, ſpir. tatt. rectiſ. in aq. Ononid. & è Thecis fab. capill. Ven. patiet. & huiuſmodi aliis.

Alterantibus uetò iam dictis inhætendum, quibus addi quoque potetit fruſtulum caſs. extractæ, & tandem etiam, ſedata inflammatione, aliquod ex iam propoſitis diureticis.

Extrinſecùs interim demulcendus erit dolor illarum partium ung. roſ. Meſ. & malu. ſuperaddito linteo ol. amygd. & uiolac. imbuto, & quandoque etiam lacte caprino madefacto. Vtilis quoque fuerit uſus elyſt. ex lacte, & butyro, ſiue ex decoct. ſyrup. alterantibus non abſimili, diſſoluto in eadem ung. roſ. Meſ. & malu.

Quibus omnibus addenda cauta victus ratio, abſque uino, ab Excell. Viro præſcribenda, cui cæterorum quinetiam rectum uſum lubens committo.

XVIII.

VESICÆ VLCVS.

a 2. in 3. Epid 8, & 41.
b 1. in 3. Epid. 4.

Licet quandoque per veſicam vniuerſum corpus excrementis exhauriatur, unde Hipp. [a] *Stranguriosæ, non nephriticæ, ſed alia pro alys.* Licet pus ex abſceſſu, in ſuperiotibus partibus diſrupto, nonnunquam per urinam expurgetur, ut contigit Pythloni [b], die 40. qui ideo ſtranguriosus, non nephriticus fuit; nihilominus ſtrangutioſum nephriticum fuiſſe vrinæ ſtillicidium in Nobiliſs. Muliere omnino cenſendum; cùm abſceſſus in collo veſicæ, à perito digito immiſſo, fuerit perceptus, & cathetere tandem abruptus, atque patefactus, cùm pus graueolens, & praui coloris primùm; mox tum colote, tum conſiſtentia laudabile excretum obſeruatum fuerit, cui neceſſariò ſucceſſit ueſicæ ulcus; namq; circa veſicam tumor, & labor [c] fuit, nec pus unica uice minxit ęgra, ſed mingere [d] perſtitit. Hoc autem collum, non ueſicæ corpus exedere exiſtimandum, tum quia, digito in uaginam immiſſo, tumor perceptus fuit, non in pube; tum quia, ſi in alto deliteſceret, [e] ſquamulæ excretæ fuiſſent. Quibus omnino ſic ſe habentibus, non eſt; quod quæramus, num ab urinę [f] acrimonia diututna, an à lotio [g] bilioſo, & acri, an à calculo, qui non fuit deprehenſus, vlcus huiuſmodi ſubortum fuerit; cùm diſrupto abſceſſui neceſſariò ſucceſſerit, à ſanguine quidem non adeò ptobo, ſed calidiori, & copioſiori, ob imminutos menſes producto, atque in eum locum facilè ptolectato, & coacetuato ob irritatam partem, ab arenulis renum, ad ueſicam cum utina præcipitatis.

c 4. Aph. 80.
d 4. Aph. 75.
e 4. Aph. 81 1. de Loc Aff. 1.
f 6. de Loc. Aff. 3.
g 5. de Vſu Patt. 2. & Paul.

Verùm

Verùm quoniam dolores quoque patitur Nob. Pat. in collo, maxillis, brachio, & crure ſiniſtro; hoc ideo a catarrhali fluxione, à capite forſan præhumido ad iam dictas partes decumbente, prouenire credi par eſt; ſiquidẽ de gallici uirus ſuſpicione nulla facta fuit mẽtio.

Affectus equidem ſanabilis, quia abeſt calculus; tunc enim irrita foret omnis curatio, ſine præcedente [h] calculi extractione. Et licet ueſica diſciſſa inſanabilis ab Hipp. [i] cenſeatur; id tamen intelligendum de veſica rota, non de ſimpliciter ulcerata. Ægrè tamen ſanatur veſicæ ulcus, nec niſi diuturno tempore, [k] & multo labore, ob motum, & excrementorum acrimoniam. Sedulò autem tentanda curatio; quia ab indeſinenti dolore, vigiliæ, cruditates, colliquationes, & febres ſuperuenire ſolent, quæ [l] tandem Pat. perimunt.

h 5. in 6. Epi. 26.
i 6. Aph. 18
k 6 Aph. 6 Gal.
l Aet. Tet. 3. Ser. 3. C. 29.

Humores igitur aliò auocandi; urinæ acrimonia contemperanda; Vlcus abſtergendum, mox conſolidandum, & per interualla dolores demulcendi.

Quibus intentionibus ut operam præſtemus, ex Chirurgico fonte depromenda ſanguinis miſſio, ſed parca, & potius repetita, ex ſaphena dextera, ſub finem periodi menſtruæ purgationis, hiantibus adhuc uteri venis.

Ad diuertendos à veſica humores, alicuius Lenientis uſus adhibendus, nulla ui diuretica præditi; quale eſſe poſſet pilul. maſtich. ad ʒ ſ. cum ℈ ſ. extracti mechoac. uel elect. lenit. cum ſenna, ad ℥ ſ. uel ʒ iij. qualibet hebdomada, quod ſi uomitus facilis, ſiue familiaris fuerit, frequenter leui uomitorio ſolicitandus.

Vrinæ acrimonia contemperanda uictus ratione, de qua infrà, & aliquo quotidiano alterante, quale eſſe poterit, modò ius hordei, modò ius endiuia, & lactuca alteratum, mane, ieiunè aſſumendum; & ſi uentriculum, pluribus horis ante cibum aſſumptum, conturbet, ſumatur prima menſa. Quod ſi dolores urgeant, & corpus gracileſcat, adeò ut fabriculæ contingant, præbeatur lac aſininum, cum modico ſaccharo; cui, ſi forſan corrumpatur, uel à Pat. non toleretur, ſubſtitui poterit lac artificiale, ex emulſ. quatuor ſem. frigid. amygd. dulc. & nucleor. pineor. cum iure pullæ expreſſa, cui ſacchari modicum addatur, ad uſum quotidianum, ſummo mane.

Vlceris uerò abſterſio conſolidationem præcedere debet. Et quoniam, ſicut in inteſtina per clyſteres, in uterum per metrenchytas, ita in veſicam, per ſyphonem medicamenta inijcienda ex [m] Gal. præſcripto; ideo ad topica deueniendum, in veſicam infundenda, in muliere potiſſimum, cuius ductus urinarius rectus, & breuis eſt, non anfractuoſus, ut in Viris; quæ enim per os aſſumuntur, præterquãquod nonniſi refractis uiribus ad ueſicam peruadere poſſunt, ad eandem inſuper humores ducunt, ulceris poſtmodum conſolidationi impedimento futura. Iniiciatur autem per ſyphonem rectum aqua Tertuciana, cum melle roſ. & ſi ulcus ſordidum, & depaſcens fuerit, illi addatur portio Ægyptiaci; imò & tunc infundatur uinum, ſcordio, & dictamno cretico alteratum.

m 5 Meth. 5 & 4. Meth. 7.

Vlceri autem conſolidando, iniectio fiat decocto Chalybeato, radic. conſolidæ, flor. roſar. hyperici, fol. plantag. equiſeti, polygoni, & burſæ paſtoris alterato, in quo diſſoluatur ceruſa, pomphol. & lapis hæmatites; quibus efficacior quictiam fuerit aqua vitæ, in qua macerati fuerint flores hyperici, diſſolutis in eadem mumia, & camphora. Verùm omnibus præcellit ſpiritus Mercurij dulcis, huic decocto, aut uino immiſſus, per ſyphonem iniectus; quo ueſicæ ulcera omnino conſolidata uidimus, & de quo mira Pareus, & Fabricius.

Per interualla autem dolores quoque erunt leniendi; in quem finem iniici ſolet lac rec. mulctum; uel emulſ. ſemin. papau. albi, extracta cum aqua lactucæ, uel ſuccus nymphcæ. Quæ tamen, quoniam ulceris conſolidationem retardant; ideo, quoad fieri poterit, erunt uitanda; quorum loco, clyſter niui erit ex lacte uaccino, in quo diſſoluta fuerit phil. Rom. rec. ʒ i. eſt enim efficaciſſimum, & tutiſſimum remedium dolores ſedans.

Hæc autem hyemali hoc tempore adminiſtrari poſſunt, quibus ſi malum non cedat, de uniuerſali diaphoreſi patefacienda cogitandum fuerit, in hypocauſto ſudore prouocato, præmiſſo accommodato decocto exſiccante; ita enim humores à ueſica omnino auocari poterunt, ulcuſque exſiccari; ſiquidem ulceris uera, ac legitima curatio eſt exſiccatio.

Victus rationem quod attinet, ueſica ab aere frigido munienda. Cibi ſint agglutinantes. Vitet amara, acria, ſalſa, aromata, & acida. Oua nuper excluſa cruda, aduerſus urinæ ardores ualidũ præſidium habentur, & præterea uires reſtituũt, ſua mucoſitate diuiſas partes uniunt, & incarnant, fluxionem cohibent, atque leniunt; de quibus hiſtoriam narrat Trall. [n] Vinum ad menſam paretur ſantalo medicatum. Somnus confert diuturnior. Exercitium nocet; nam quę ſanari debent, [o] quieſcere conuenit. Aluus lubrica ſeruetur, diacaſs. uel lenit. ut ſupra,

n Lib. 9. Cap. 5.
o 5. Simpl. 8.

ſupra, & animo fiduciæ pleno uiuat Nobiliſs. Patiens; cui iam dicta omnia à D.O.M. ſalutaria precamur.

XIX.

VESICÆ VLCVS.

QVod carunculam ex prægreſſis gallicis gonorrhœis contraxerit egregius Pat. non eſt quod dubitemus; prout ulcus in capite vrethræ, ſiue, potius veſicæ collo, corroſiuum candela immiſſum excitaſſe, luce clarius patet, ſi ſanguinem tunc ſtatim effuſum, cum ſebre; deinde materiam ſanioſam, & purulentam[a] conſideremus; *Si quis enim ſanguinem, aut pus meiat, aut renum, aut veſicæ exulcerationem ſignificat* ex Hipp. Hanc autem exulcerationem in ueſica nobis ſuader idem Hipp.[b] dicens. *Si ſanguinem, aut pus minxerit, aut ſquamulas, & odor granis adſit, veſicæ exulcerationem ſignificat*. Squamulæ verò obſeruatæ non fuerunt, quia non corpus, ſed veſicæ collum ulcus obſidere diximus. Et quoniam non modò fœtentia, ſed copioſa quinetiam in vrinis apparent; ideo depaſcentem exulcerationem adeſſe exiſtimandum, continuæ modò febris cauſam, namque ueſicæ ulceribus dolores, ſebres[c], uigiliæ, colliquationes, & ni rectè curentur, interitus quoque ſuccedere ſolent.

[a] 4. Aph 75 & Celſus
[b] 4. Aph. 81.
[c] Aet. Tetr 3. Serm. 3 Cap. 29. & Aret. 2. Acut. 10.

Vlceri itaque incumbendum, detergentibus, & cicatrizantibus, dummodò inflammatio, uel etiam ingens phlogoſis non prohibeat; quę tamen præcedere debet accommodata expurgario totius, necnon primarum uiarum; quam quoniam peractam fuiſſe, tum ſanguinis miſſione, tum & medicamentis, ex hiſtoria ſuppono, ſecuta copioſa bilioſi humoris euacuatione, ideo, hac omiſſa, ſtatim ad remedia topica, ut ad meliorem ſtatum redigatur Nob. Pat. tum aſſumenda, tum inijcienda deueniam.

Atque inter aſſumenda, terebinth. noſtram, lotam aqua maluarum, quotidie exhibendam exiſtimo, cui ſupetbibat Pat. aquam hordeaceam liquiritia alteratam; ſiquidem tum ulcus detergere, tum dolorem demulcere poterit.

Iniiciatur autem ſer. depur. cum melle roſ. ſimpl. licet, non urgentibus doloribus, & ardoribus, aqua Tettuc. cum eodem melle roſ. inſigni detergendi, mundificandi, & exſiccandi facultate præcellat, prout, dolore ſæuienre, lac quoque iniiciendum foret, in quo vnguentum populeum fuerit diſſolutum; uel, adhuc magis eodem urgente dolore, philonium quoque lacti immiſtum; quinimò & inſeſsus in lacte, qui anodyni ſunt; mox illitus unguento maluino, populeo permiſto, & oleo nenupharino ſubacto. Deterſo verò iam dictis ulcere, exſiccantibus cicatrix obducenda, aqua ſc. Ficoncellæ, quæ ratione ferri, & aluminis, tum reſrigerandi, tum exſiccandi facultate utiliſſima fuerit, prout maiori procul dubio exſiccatione pollet aqua Magni Balnei, utpote magis aluminoſa, & nonnihil quoque ſalgemmea.

Interim tamen iniecta per rectos ſyphones[d] cicatrizantia non erunt omittenda; cùm catheteris[e] uſus periculo non uacet. Infundatur itaque cum Paulo mulſa, cum pompholyge, qui, depaſcente ulcere, iubet infundi aquã aluminoſam galla, acacia, & hypociſ. alteratam. Verùm inſignis efficaciæ expertus ſum ſpiritum mercurij dulcis, ad gutt. in aqua fabrorum iniectum, uel in aqua vulueraria, à Pareo deſcripta.

[d] 5. Meth. 11.
[e] 4. Meth. 7.

Hæc nune ſatis, in futurum enim, ſi diuina, & remediorum ope, in ſtatum laudabiliorem reducatur Nob. Pat. ad decocti uſum erit perducendus, etiam cum ſudore, ſi uires ferendo fuerint, tum ad vlceris reſiduum exſiccandum, tum ad luem Veneream expugnandam.

Quibus omnibus congrua uictus ratio, media inter exſiccantem, & humectantem, erit addenda, ob ſebris, & maciei preſentiam, à Viris Excell. præſentibus præſcribenda; quibus quoque pauca iam dicta, & adminiſtranda, & corrigenda lubens committo. Faxit Deus, ut ſalutaria illi cedant.

XX.

PENIS FLACCIDITAS.

NOb. Patiens. calidi, & humidi temperamenti, habitus maximè carnoſi, 37 ætatis anno, ex longa ſub feruidiſſimo Cœlo equitatione, calidam uiſcerum naturalium intemperiem contraxit; vnde ex vini nigri ſummè refrigerati, frigidęque vberrimo potu, uentriculi, viſcerumque omnium graui imbecillitate laborauit, plurimamque vrinam ferè per ſeptennium reddidit, cum inſigni carnis conſumptione, totius corporis laſſitudine, oriſque ſiccitate perenni. Grauiſſimi verò affectus detecto diſcrimine, ad Archiatrum longè celeberrimum curandus confugit, à quo longa cum ſapientiſſimis doctoribus, de affectus eſſentia, habita diſceptatione, diabeticam tandem ſpuriā affectionem vnanimes ſtatuerunt, ea potiſſimum ducti ratione, quod aſſumpta concoquebantur, nec (ut in Diabete exquiſito contingit) immutata excernebantur; toto autem curationis tempore, in dies collecta vrina, 15. librarum pondus æquauit, cruda, craſſa, & interdum utcunque oleoſa; quam tamen longè pinguiorem antehac reddidiſſe, probabile eſt, cùm Patiens Nob. valdè carnoſus, & obeſus eſſet.

Inſtituta victus ratione, leuique totius expiatione præmiſſa, quatuor vnciæ ſanguinis ex uenis ſedalibus eductæ fuerunt; mox ad emulſiones amygdal. dulc. & ſem. papau. albi, lactis item bubuli (deſideratur quippe ouillum) chalibeati uſum, necnon dulcis aquæ balneum, & inunctiones ex oleo viol. & amygd. recent. properatum eſt; ſyrupum pariter coral. necnon roſar. tincturam ad viſcerum robur aſſumpſit, quorum remediorum ope, paulatim ſe remiſit affectus, corpuſque inſtaurari cœpit, licet obſeruatum fuerit, lac omnibus præſidis antecellere; quod propterea triennium, toto uerno tempore, maximo cum emolumento ei exhibitum fuit. Obſeruatum præterea, roborantia, calefacientia, ac valdè nutrientia præſentem tuliſſe opem, quod imbecillitatis, & immodicæ naturalium uiſcerum, ex frequenti, largoque gelidæ, ac uini impenſius frigefacti potu, contractæ perfrigerationis certiſſimum præbuit indicium.

Paucis verò à curatione elapſis menſibus, fluxio quædam acris in penis caput decubuit, quæ internam præputii ſuperficiem erodens, ulcus pruriginoſum, ſatis moleſtum excitauit, facilè tamen ſanatum, cùm omnis impuræ Veneris abeſſet ſuſpicio. Verùm ex ipſius præputii cicatrice phymoſis ſatis contumax oborta eſt, quæ ualidis incaſſum tentata præſidiis, ſola chirurgia expugnari, & ſuperari poſſe videtur. Interim Patiens in dies melius habuit, atque in præſens uiribus ſatis conſtat, omniaque negotia ſatis expeditè peragit, licet redintegrari omnino nunquam potuerit; qualibet autem animi paſſione, & ira potiſſimum, aut interturbata concoctione, intra paucas horas, ita extenuatur, & decolor fit, ut hebdomada febre laboraſſe, quis exiſtimauerit, animo uerò pacato, deiectiſque per aluum cruditatibus, pari celeritate priſtino ſtatui reſtituitur.

Antequam verò vlterius progrediar, operę pretium duco pręmonere, ob prauam quandam conſuetudinem hunc patientem, præter uberiorem vini ſummè frigefacti uſum, in frigidæ intempeſtiuo, atque immodico potu, multis abhinc annis, perſtitiſſe.

Secundus autem iam annus agitur, quo de læſa penis erectione conqueri cœpit, cuius cauſa neque in ætatem, nec in virium imbecillitatem, neque in ſeminis defectum referenda; Ætas enim 48. annum vix attingit, uires, vt dictum eſt, ſatis uigent; ſemen uerò non rarò in ſomnis copioſum excernitur, cum titillatione, & uoluptate. Mirum verò profectò uidetur, nobilem patientem, tum ante affectionis diabeticæ, tum ab eiuſdem ſanatione, cùm maraſmo ferè confectus eſſet, uiribus fermè attritis, in caſtris Veneris fortiter militaſſe, nunc uerò, inſtauratis uiribus, mariti debitum minimè perſoluere poſſe; potiſſimum cùm lectiſſimam, ac dilectiſſimam coniugem ſemper proximam habeat.

Mihi verò oculato teſti concreditum eſt negotium, tum prægreſſi, tum præſentis morbi hiſtoriam conſcribendi, ſapientiſſimorum ſapientiſſimo committendam, cui iterum, atque iterum perennem felicitatem precamur.

RESPONSIO.

COndonandum mihi, Vir Excell. ſi tuis humaniſſimis literis ſtatim reſponſum non dederim; ſiquidem præter quotidianos labores huius Academiæ, frequentes quoque conſultationes, tum ore, tum ſcriptis mihi habendæ ſunt, quarum cauſa non raro totam diem ieiunus ducere cogor, nec niſi noctu cibum ſumere.

Hiſtoria genuina, atque accurata ſtatus Nob. Viri, à te diſertiſſimè, atque eruditiſſimè deſcripta, & ad me tranſmiſſa, licet prima fronte ancipitis uideatur iudicii, attamen medullitus conſiderata, ſpero fore, ut nos manuducat in ueram cauſarum huius affectus cognitionem. Ignauia, ſeu impotentia ad Venerem, de qua conqueritur Nob. Patiens, non in deficiente ſeminis eiaculatione, nec uoluptatis defectu ſita eſt, ſiquidem iucundas inſomnis pollutiones nocturnas pluries expertus fuit; ſed in penis denegata erectione duntaxat. Hæc referenda in defectum ſpirituum, aut uitium inſtrumentorum. Spiritus autem deficere poſſunt, aut quia non generentur; aut quia tranſmiſſi, à partibus non exuſcitentur. Vitium verò inſtrumentorum poteſt eſſe morbus aliquis in mala compoſitione, uel in intemperie genitalium partium; quibus mihi liceat addere & ſeminis vitium, quod, caſu noſtro, ſaltem quoad qualitatem concurrere poſſet, licet non quoad quantitatem. Quę omnia breuiter conſideranda, ut inde ueritas elucescat. Et primò quidem ſpiritus non generantur, uel ob deficientem ſanguinem, uel ob eiuſdem frigiditatem, uel ob eundem calidiorem, atque ſicciorem, ex quo pauci ſpiritus generari poſſunt; uel tandem ob cordis refrigerationem. Non tranſmittuntur autem, uel quia aliò diuertantur, ex timore, aut aliis animi paſſionibus; uel quia ob aliquod impedimentum in uia, iidem intercipiantur, qualis foret anguſtia meatuum; uel ex aliquo tumore; uel ab exſiccatis inſtrumentis, & ductibus ab inſuetudine; ſicuti à coitus frequentia ampliores redduntur. Et tandem non exuſcitantur, ob genitalium partium frigiditatem.

a de Aere, Aquis, & Loc. 4.

Diabetica affectione iam fuit correptus Nob. Vir, poſt longam, atque diuturnam [a] equitationem, necnon poſt gelidæ, atque uini niue refrigerari conſuetum potum; ex quibus coniicere facilè eſt, quod non ſolùm renum attractrix facultas fuit culpanda, ſed & eorundem imbecillitas, à potu frigido, copioſo, & diuturno contracta; unde, ſumma prudentia, non modò refrigerantibus contra cauſam primariam; uerùm & denſantibus, ac adſtringentibus, contra ſedundariam pugnatum fuit, adeò ut longo emulſ. ſem. papau. & potiſſimum lactis bubuli uſu, accedente balneo, affectio tandem profligata fuerit. Obſeruatum inſuper, curationis tempore, viſcera omnia, & naturalia potiſſimum, ſemper corroboranti calefactione opus habuiſſe, à quibus forſan quodammodò billioſæ, & acres adauctæ ſeroſitates, abſceſſus modo, ad penem à natura tranſmiſſæ, ulcus, indeque phimoſin excitarunt. Tandem benè, at non pancraticè Vir hic ſe habet; propria namque negotia ſatis commodè obit, niſi quod à qualibet animi paſſione, aut turbata coctione extenuatur, ſpiritibus affatim deſtituitur, atque palleſcit, uèl ſpiritibus vitalibus retrocedentibus, & cruditatibus expulſis; quæ ſicuti cordis debilitatem, ita influentis caloris, tum ad uiſcera naturalia, tum ad cæteras corporis partes, imbecillitatem nobis ſignificant. Demum in penis flacciditatem inopinatam, anno ætatis 46 incidit, de qua, iam dictis conſideratis, ſtatui poſſe mihi uidetur, primò à ſpiritibus deficientibus eam prouenire; defectum uerò ſpituum à cordis imbecillitate, non ſolùm, uerùm & ſanguinis, ſi non inopia, ſaltem cruditate, atque frigiditate, [b] ac proinde à ſemine frigido, utpote ex huius conditionis ſanguine genito. Secundò etiam à laxitate, [c] & frigiditate corporum neruoſorum penis, tum ex influentis caloris defectu, tum à diuturno interno, atque externo refrigerantium, & humectantium uſu contracta, ob quam ſpiritus influentes ab eadem parte nonniſi ægrè viuificari poſſunt. Neque dictorum cauſæ latent, ſi primò conſideretur diuturnus, ac perennis uſus gelidi copioſi potus, qui ſolus, tum ventriculi, tum & Iecoris natiuum calorem obruere, atque tandem extinguere potuiſſet; cui addamus diuturnum medicamentorum frigidorum, & ipſius lactis uſum; à quibus omnibus crudioris ſanguinis productio, indeque cordis imbecillitas, ſpirituum diminutio, & frigidi ſeminis procreatio prouenerunt; accedentibus quinetiam à balneo neruoſarum quoque penis partium frigiditate, & laxitate. Quibus tandem penem erigendi impotentiam ſucceſſiſſe, iure meritò exiſtimari poteſt; hinc Scythæ, ut habemus ex Hipp. [d] ad coitū minimè alacres, ac prompti ſunt, ob corporis laxitatem, mollitiem, & frigiditatem, necnon diuturnas equitationes; genitale namque ſemen [e] copioſum & calidum, imò & acre ſit oportet, ut coitum excitet; materiam autem à ſan-

b Ibid.
c Aet. Tetr. 3. Serm. 3. Cap. 35. & Orib. 6 Collec. 38
d Ibid.
e 6. de San. Tuen. 14.

Digitized by Google

à ſanguine, calorem à corde, acrimoniam à iecore, uaſis, & teſtibus ſuſcipit; hinc in ſomnis, ob caloris concentrationem, tum ſeminis effuſio, tum forſan etiam penis erectio contingere potuit, ut Mileſio ab Aetio, & Orib. deſcripto; atque adeò quodlibet impedimentum in uia, tum à tumore, tum ab exſiccatione obortum omnino excludi debet; ſicuti neque de calore ad huiuſmodi affectum conſpirante ullus rationi, aut ſuſpicioni locus eſt; etenim flaccidus penis factus fuiſſet in diabetica affectione, quo tempore calor magis uigebat; qui modò calori natiuo, & imminuto, ut ita dicam, & quodammodo labefactato ſucceſſit. f Loc. Cit.

Affectus utique huic Viro permoleſtus, cum uxori iuſta perſoluere nequeat, & qui ſpeciei potius, quàm indiuiduo Patienti, hac ætate, uoxæ foret, niſi Ventriculi, hepatis, cordis, uerbo, totius corporis imbecillitatis indicium adeſſet. Quare curandus, ut robore toti reſtituto, uita diuturna frui poſſit Nob. Patiens, quam tamen, ſtatu præſenti, eidem polliceri non poſſumus, ſpe tamen, eam nos conſecuturos, ſi Medicis præſidijs accuratæ victus rationis fundamenta ſolidauerit.

Medicæ verò intentiones iam patent; etenim, cruditatibus euacuatis, uentriculum, & cor caleſacere, ac roborare oportet, ut probus ſanguis, indeque uberiores ſpiritus, & ſemen copioſum, & calidum procreari poſſint; pudendorum quoque roboratione, & calefactione non omiſſa.

Ad medicamenta itaque deueniẽtes, omiſſa qualibet ſanguinis miſſione, primæ viæ cruditatibus emundandæ melle roſ. ſolut. cum manna clariſ. aut elect. lenit. cum hicra; quod opus ut perficiatur, diebus ſequentibus, adhærentes cruditates detergendæ, & incidendæ mel. roſ. ſimpl. oxym. & ſyr. de cort. citr. ſine diluto, à quibus ſi abhorreat, prębeatur quotidie ſemiunc. crem. tart. in iure ſem. citri, uel cinnam. alterato diſſoluti. Inde repetatur ſupra propoſitum medicamentum; quod ſi primum ſitim excitauerit, præbeatur ab eo mulſa diluta ad ℔ i. ſ. vel ii. Hac ſecuta primarum viarum expiatione, aqua Tettuciana, cum vehiculo mel. roſ. ſol. poterit ventriculum, & inteſtina à crudis excrementis omnino liberare, eaſdem partes exſiccando, & roborando; atq; ſi coniectetur, maſſam ſanguineam cruditatibus ſcatere, repetatur infraſcripta præparatio, & expurgatio; ſin minus omittatur, & ad iuris uſum deueniatur. Secunda autem præparatio abſoluatur decoct. cichor. borrag. meliſ. beton. ſalu. abſinth calendulæ, naſturtii; additis oxymel. & ſyrup. de praſſio. Quod ſi dulcia huiuſmodi reſpuat, ſubſtituantur ſucci dep. borrag. betonicæ, fumar. praſſij, ad ℥ ii. aut iii. in decoct. præſcripta. Inde purgans medicamentum præſcribatur, quod quidem cruditates educere, ſed & calorem naturalem eneruare non poſſit; quale poterit eſſe pil. de hiera cum agarico, maſtic. cum gr. x. extract. mechoac. Ialappa enim uentriculo nimis infenſa. Poſt hæc aſſumat ius columbæ 40. dies, ita paratum, ℞. ligni lentiſci è Chio ℥ i. ſ. ſaſſafras, ligni roriſmar. an. ℥ ſ. aquæ meliſs. borrag. an. ℔ i. ſ. m. f. inf. per horas 24. deinde adde dimidiã columbam turricolam, & bul. ad conſump. dimidii, ita ut ſuperſint ℥ xvi. & colat. ſeruetur pro duabus vicibus, mane ſumenda; cui præmittatur pulu. uiperinus ſic paratus. ℞. pulu. uiper. gr. xii. confect. anacard. uel alkermes parum, ita ut ref. b. Nec ad vrinæ uias auderem medicamenta perducere, ob prægreſſam diabeticam diſpoſitionem. Topica tamen interim, tum interna, tum externa pudendis, & genitalibus non ſunt denegãda, calorem, & robur eiſdem partibus præſtantia. Extrinſecùs verò, quoniam præſtò non ſunt aquæ ſulphureæ pro inceſſu, ideo adhibeantur fotus perinæo, & teſtibus, ſpongia magna madefacta in uino, in quo ebulliant folia calament. ſaluiæ, roriſmar. aquileiæ, nux myriſtica, & pyrethrũ; uel paretur ex aqua vitæ, ſem. ſtaphyſag. alterata. Poſt fotum de more fiat inunctio adipe leonis, cum moſcho, & zibetho; uel oleo de ſpica addito zibetho.

A proprietate verò iuuat oleum formicarum alas habentium, inungendo perinæo, & teſtibus. Per os quoque aliqua uſurpari poterunt; non tamen ualdè calefacientia, nec uiolenta, ut ſemen erucæ ſaccharatum, radix eryngii condita, gingiber conditum, confect. amygd. pineorum, piſtaciorum, aliquando uerò primo uini cyatho, in cęna parum croci affundatur.

Et in victus ratione omnium primò mittat gelidum potum, ſicut quoque potum aquæ. Vitet repletiones, & cruditates. Modicè bibat, uinum album, & ſubdulce, ſubgeneroſum, & in omnibus prudentiſſimæ tuæ curæ ſeſe committat, ſine qua irrita euaderent à me quoque adducta, & præſcripta, ut Nobiliſs. Patiens ab hac moleſtia liberetur, & totius corporis robore adepto, uitam feliciter proroget.

XXI.

IGNAVIA AD VENEREM.

NOb. Iuuenis, 28. annum agens, temperamenti fecundum totum, & ſecundum iecur calidi, & humidi, ad obeſum uergens, hirſutus tamen, mediocris ſtaturæ, vegetus, & ad omnes operationes animales promptiſſimus, & ſemen ocyſſime, ac facillimè emittẽs, anno 1657. Venetiis per dies 15 ſcorti conſuetudine maximè oblectatus, non erecto pene ſemen profudit, cum aliàs, eodem rigido, Venereos congreſſus obiret; & redux ita perſtitit uſq; ad hyemem anni 1661. quo, integris noctibus, cum dilecta puella, ad feneſtram uerſatus, oſculis, atque amplexibus, citra congreſſum, iterum, & tertiò, flaccido pene, ſemper ſemen profudit. Venerias poſtea reuerſus, rurſus, erecto pene, Venerem iniuit, à qua gonorrhœam reportauit, & ad priſtinam relapſus eſt ignauiam, cum qualibet etiam fœmina, potius ſolo intuitu pulchræ alicuius mulieris, ſemen, cole non erecto, eiaculatus. A gonorrhœa autem aquarum Maſini, & aliorũ remediorũ ope ſex poſt menſibus liberatus eſt. Modò tandem pudendum frequentius, abſque rei venereæ meditatione, & iucundi obiecti præſentia, renditur perfectè, & arrigitur, noctu potiſſimum, à ſomno expergefacto. Raras verò ex inſomnijs pollutiones patitur. Tantæ verò calamitatis Iuuenis generoſus cauſas quærit, opemque implorat.

Penis flacciditatis, quæ Nob. Iuuenem anxium habet, atque contriſtat, quæque actio eſt imminuta, non ex toto abolita, cauſa ſedulò à nobis perquirenda, ut priſtino robori reſtitui poſſit; non poſthabita cita nimis, & nonnunquam ferè inuoluntaria ſeminis eiaculatione. Primò itaque in ſeminis defectum culpa coniicienda non eſt; genitale enim copioſo, & calido ſemine abundat, quod commodè coitum proritare poteſt; licet nos ſemini, penis arrigendi uim minimè concedamus; ſicuti eam admittimus Veneris excitandæ; deficit enim erectio huic Nob. Iuueni, copioſo adeò ſemine abundanti, quæ Eunuchis conceſſa rigidum penem frequenter habentibus, nec tamen quicquam ſeminis emittentibus. Neque uitium inſtrumentorum criminandum, ut Scythis contingere ſolebat ob mollitiem, ac frigiditatem eorundem; ſiquidem nec a equitationes immodicæ, alijque labores, aut paralyſis præceſſerunt; & præterea habet hirſuta pudenda. Supereſt itaque, quod uitium ſpiritibus inſit, aut quia non producãtur, aut quia producti non tranſmittantur, aut producti, & tranſfuſi, in illis pudendorum partibus non exuſcitentur. Spirituum autem penuria in eorũdem ortu nullo modo admittenda, cùm totum eius corpus calidum, & humidum, ac ſanguine abundet, cui ſpirituum procreatio deficere non poteſt; Genitorum autem influxus intercipitur aliquando; aliquando verò aliò auocatur; noſtro caſu non intercipitur, quia nullus coniici poteſt affectus in uia; neque diuertitur, qnia in uenereis congreſſibus nullus contingit metus, nec adeò corde frigidus eſt. Reliquum eſt igitur, ut ſpiritus geniti, atq; tranſmiſſi in vaſis non excitentur, non quidem ob frigiditatem, quæ inſignis, atque manifeſtiſſima eſſe deberet, ut in frigidis, & maleficiatis; ſed non vegetantur, quia tranſfuſi, à pudendarum partium calore illico attenuantur, & diſſoluuntur, eòque facilius, cùm ob rarefactam ab eodem calore illarum partium ſubſtantiam, ſanguis arterioſus diù cohiberi minimè poſſit; unde immodicum b calidum, tum carnium effœminationem, tum neruorum incontinẽtiam producat, ut dicebat Hipp. Hanc autem veritatem confirmare poſſunt illarum partium hirſuties, copioſum, calidumque ſemen, in Venerem facilis procliuitas, & omniũ maximè impotentia, ſiue flacciditas, quæ tunc potiſſimum contigit, quando cum ſcorto, & puella, obiectis ſibi dilectiſſimis, uerſatus fuit; etenim quò maior eſt oblectatio, & voluptas, eò feruidiores, tenuiores, & ad penis erectionem ineptiores, in huiuſmodi temperamentis, redduntur ſpiritus; abſque uerò huiuſmodi intenta cogitatione noctu expergefacto facilior contingit penis erectio; prout etiam dum illi obiecta non adeò dilecta obiiciuntur. At citam, atque celerem nimis, imò & inuoluntariam ſeminis eiaculationem, partim ab irritata expultrice, ob ſeminis acrimoniam; partim à debilitata retentrice veſicularum ſemen continentium, necnon glandularum proſtatarum prouenire credendum; quæ

a De Aer. Aq. & loc. c. 48.

b 9. Aph. 16. & de Humid. Viu 3.

uala

vaſa ex ſemeſtri gonorrhœa maiorem laxitatem adepta eſſe, minimè dubitandum; cùm ab eadem inuoluntaria, quæ antea non aderat, facta ſit ſeminis profuſio. Pollutio autem inſomnis frequens ei non contingit, deficientibus forſan ſpeciebus, tunc facultatem mouentibus, atque excitantibus; aut circa renes immoderato calore non præſente; uel ipſo forſan etiam ægro haud ſupino dormiente.

Affectus autem huiuſmodi nunquam facilè ſanantur; minoris tamen laboris cenſendus eſt præſens caſus, quo nec ullus morbus inſtrumentalis, nec frigiditas ullo modo concurrit; quæcunque enim ea ſit, ſiue eſſentialis, ſiue per conſenſum, ſiue priuatiua, ſiue poſitiua, caliditate ſemper deterior habetur. Quare optatum finem nos conſecuturos, ſperare iuuat.

Intentiones autem medicæ erunt, vniuerſo corpore prius leniter expurgato, Iecoris, potius, & pudendorum calorem contemperare; eadem pudenda corroborare; & aliqua à proprietate iuuantia, ſed temperata in uſum reuocare. Quibus ſi, hoc anni tempore, omnino ſatisfieri non poterit, ſub finem ſaltem Veris, vel æſtate ineunte perficietur curatio.

In præſens itaque ſat ſit Nob. Pat. omnium primò, aſſumere leniẽs ex ſyr. roſ. ſol. cum lenit. vel flor. caſſ. cum leuit. & tart. ſequentibus uerò decem, aut duodecim diebus, quotidie, quatuor horis ante prandium, ſumat caſs. cum pulp. tamar. Primis uerò quatuor, aut quinque diebus. ℞. flor. caſs. ʒ ii. pulp. Tamarind. ʒ i. m. f. b. reliquis uerò. ℞. pulp. Tamarind. ʒ ij. flor. caſs. ʒ i. m. f. b. ſtatimque ſuperbibat ius, plantag. & rapis alteratum. Duodecim uerò exactis diebus, ſi uenter benè ſubierit, nullo alio ſoluente medicamento opus fuerit, ſin minus, repetat præſcriptum ab initio, à quo hauriat aquam, aut ius hordei, ad ℔ i. & ſubinde in uſum ducat ius ita paratũ. ℞. ſantal. alb. legit. ℥ ii. cort. ſecundi, hoc eſt, ſubcort. ligni frax. ℥ ſ. Aq. com. Chalybeat. ℔ iv. m. f. inf. per horas 24. deinde adde dimidium pedem uitulinum, & bull. ad conſumpt. dimidij, colat. uerò ſeruetur pro tribus vicibus, matutino tempore aſſumenda, cui ſingula uice infundantur gutt. v. tinct. corall. chymicæ; & huius uſui inſiſtat ad dies 40. & ultra, abſque ulla in uiuendi ratione arcta adeò, & rigida cautione; niſi hac ſola, quod ſi mane uentriculus fuerit ex pręterita pleniori cœna repletus, omittatur die illa potio præſcripta. Interim extrinſecùs, deraſis prius pudendorum pilis, fiat de more huiuſmodi illitus. ℞. vng. roſ. Meſ. ℥ ii. Adip. Leonis ℥ ſ. coaguli lepor. ʒ ii. ol. myrt. ℥ ſ. m. ref. linim. quo illinantur pudenda, & perinęum.

Poſt hæc, aliquod à proprietate iuuans, nec operoſæ compoſitionis, nec Nob. Pat. iniucundum remedium præſcribi poterit. Sic parentur teſtes uulpis exſiccati, & in puluerem redacti, quos innoxiam, & minimè uacuam membri tentiginem efficere aſſeruerunt, tum Orib. [c] tum Aetius [d], quibus addi poterunt ſemina erucæ, pauca tamen doſi, ut. ℞. pulu. teſtium Vulpis ℥ ſ. ſem. erucæ pulu. ʒ i. m. cuius doſis ad ʒ i. cum aqua Ononidis, uel ex pulu. reſ. bol. c 4 de Loc. Affect. Cap. 105. d Tetr 3. Serm. 3. Cap 3.

Victus ratio ad frigidum declinet, neque tenuis, neque attenuãs; repletiones [e] tamen, & cruditates fugiendæ; ſanguinem enim corrumpunt, ſemen extinguunt, & calorem naturalem præfocant. Cęna ſit prandio parcior. Venerem excitant, pulli, columbæ, perdices, uerueces, potiſſimum teſtes, oua recentia, Trotta, Legumina, & potiſſimum ſaba, cicer, & piſa, cæpæ coctæ, tubera terræ, oryza ex lacte, oſtreacea. Mitto gallorum teſtes, piſtacia, erucã, horminum, ſatyrij rad. crocum, & cætera aromata, ut calida nimis, caſu noſtro. Vinum ſit mediocre, & ſubſtypticum. Sic ſomno potius indulgendum, quã uigilijs. Conſueta exercitia non omittenda, Venus aliquando, ſed raró uſurpanda, cùm abſtinentia torpidos reddat. Ceterùm alacri, ac præſenti animo uiuat. e Paul. 1. de Re Me l. 15. Aet. Ibid.

Quod ſi iam dictis non cedat affectus, menſe Iunio proximè futuro, ſanguis ex Iecoraria ſemel, aut partitis uicibus educendus; totum pro uſu expurgandum; & primis Iulij diebus, Nob. Pat. ad aquas uitriolatas aſſumendas ſe conferat, aut Engaddinæ S. Mauritij, aut Vallis Solis, in Agro Tridentino; etenim ſi Aquæ Maſini, quæ nitro, ferro, & ſulphure conſtant, iam opem tulerunt, multò magis id illæ præſtare poterunt; cùm & ad contẽperanda uiſcera, ac pudenda, & quammaximè eadem roboranda, egregium ſit hoc medicamentum. Inſeſſus quoque in iiſdem fieri poterunt, balnei uice, ita ut pudenda in ipſis immergantur, uel ſpongia iiſdem aquis imbuta illis applicetur. Et licet earum uis quam facillimè euaneſcat, ac reſoluatur; tepidas tamen extrinſecùs illas admittat Nob. Pat. cui à Summo Deo optatum finem precor.

PENIS

Digitized by Google

XXII.

PENIS DIFFICILIS ERECTIO; ARE-nularum Mictio, & Imminuta Viſio.

Illuſtriſ. & Exc. Marchio, 29. annum agens, temperamenti ſecundum totum, & potiſſimum ſecundum caput calidi & humidi, habitus carnoſi, roſei coloris, longis itineribus & violentis exercitijs aſſuetus, uèl ante ipſam pubertatem in coitum ualdè procliuis, atque adeò 13. ætatis anno Vxori addictus, gonorrhœam ijſdem teneris annis paſſus fuit (cui Excellent. eiuſdem Parens frequenter obnoxius fuerat) ex conſuetudine cum alienis mulieribus, ſorſan etiam gallico infectis; cui & in humido carcere menſes concluſo contigit capillorum defluuium, cum aliquo capitis dolore; licet ſolutus, rurſus capillatus euaſerit; & dum Romæ commoratus eſt, miſſo affatim copioſo ſanguine, nigro, & ſine fibris, ſudore uberiori, à ualidis motibus manante, omnino cōualuerit. Verùm proximè ſuperioribus annis, de penis debilitate, aut difficili erectione, & aliquando de ſeminis in ipſo coitu ſuppreſſione conqueri cœpit; & præterea de arenularum in urina ſubſidentium mictu, cum aliquo ſpinalis medullæ dolore, qui tamen à corporis motu remitteret. Quibus adhucuum perdurantibus, viſioni difficultas acceſſit, in oculo ſiniſtro; dum enim diutius legit, aut ſcribit attentius, oborta lacryma turbatur viſio, ut deſiſtere cogatur, cuius cauſa dextero oculo ferè omnino orbatum ſe cognouit. Modò de agendis leuaminis cauſa conſulit.

Triplici affectu moleſtari Illuſtriſ. & Exc. Iuuenem, ex enarratis colligimus. Penis ſcil. flacciditate reſpectiua, cum ſeminis quandoque in coitu ſuppreſſione. Secundò arenularū mictione. Et tertiò viſione ferè abolita in dextero, & imminuta, atque turbata in ſiniſtro oculo. Et primò quidem penis erectionem imminutam quod attinet, hanc à vitio inſtrumenti, partium uidelicet genitalium, necnon facultatis in eodem inſidentis, procedere credimus, ſi præterita, & præſentia conſideremus; etenim partes genitales ex paterna hæreditate debiles, primò à præmaturo, & immoderato coitu; mox & à longis itineribus, a atque validis exercitijs laxitatem facilè contrahere potuerunt, unde penis flacciditas, cui accedit & uitium facultatis, tum determinatæ, tum communis; imaginationis ſcil. quæ ſicut ab obiecto nouo, ualdè delectabili magis magiſque ad venerem accēditur, ac proinde prōptior euadit penis erectio; ita ab obiecto familiari, & conſueto minus concitatur, & penis flaccidior fit; determinatæ uerò, ob defectum ſpirituum, non quia non generentur, hoc temperamento calido, & humido, ac iuuenili ætate; ſed quia ab illarum partium immodico calore præter naturam diſſoluantur, ac diſſipentur; nec ſuperſtites adeò facilè excitentur à parte, non quidem frigida intemperie (hirſuta enim eſt, & exuperanti calore prædita) verùm laxitate laborante; quarum cauſarum alterutram conſequi quoque ſolet nonnunquam eiaculandi ſeminis difficultas.

a de Aer. Aquis, & Loc. 48.

Huic autem vaſorum ſeminalium imbecillitati hęreditarię facilè ſucceſſit gonorrhœa accedente immoderato, & ſorſan uirulento coitu, à quo tamen liberari potuit copioſa ſanguinis miſſione, affatim Romæ facta, & copioſis ſudoribus, à ualidis motibus ſolicitatis.

Arenulæ ſecundo loco conſiderandæ ueniunt, quibus procreandis, ſicuti cauſam materialem à capite, & uentriculo ad renes decumbere credendum, atque efficientem, eorundē ſcil. æſtum, ipſis ineſſe, ita ad calculi procreationem, cauſam ſine qua non, malam uidelic. tum ipſorum renum, tum uaſorum conformationem deſiderari ſperare iuuat.

Viſio tandem ualdè imminuta, & turbata perpendenda, quæ in oculo dextero iam confirmata, abſque ullo euidenti uitio in tunicis, aut humoribus oculi, ab intercluſo ſpirituum influxu ortum habuiſſe exiſtimamus, ſemiobſtructis, ſiue denſatis opticis neruis, à catarrhali materia in humido capite genita, illucque tranſmiſſa; in oculo uerò ſiniſtro, uiſio in ipſo intuitu turbatur, à tenui catarrhali materia, quæ à capite extra cranium, per pericranium, iuxta adnatam, ad oculum deſcendit, & uiſionem turbat, quouſque facta eiuſdem

materiæ

materiæ expreſſione, per oculi angulum, lacrymæ ſpecie exſtillat, cuius portio aliquando per muſculorum ſpatia, uel parietes ſpinalis medullæ delabens, lumborum dolores excitauit, motibus corporis euaneſcentes, eadem materia à calore reſoluta.

Præſens ad Venerem ignauia, hac iuuenili ætate, licet eò nondum progreſſa ſit, ut ſpeciei detrimento eſſe poſſit; verendum tamen, ne breui temporis ſpatio calore [b] magis inualeſcente, ad impotentiam perducatur, quæ ideo nec in præſens negligenda, ſed ut ſignum quoque conſideranda; calor enim ille, qui ſpiritus diſſoluit, arenulas quoque procreat; quæ glutinoſo humore accedente, diutius concluſæ, conglobari, & in calculos cogi poterunt. Viſio quinetiam imminuta magnifacienda; etenim cùm oculi dextri curationem uix admittere poſſit, nos omnino ſolicitat, ut oculi ſiniſtri, dextero validioris, curam ſuſcipiamus. Quibus iam dictis curationem infra proponendam, quammaximè profuturam ſperamus.

[b] 1. 6 in. Epid. 5.

Totum itaque per partes, & caput euacuandum: Renum, & iecoris calor contemperandus; vaſa ſeminalia roboranda; & capiti, prout hoc tempore licuerit, omni conatu corroboratio concilianda.

In Chirurgico itaque fonte, ſanguinis miſſionem omnino neceſſariam, ex Iecoraria cenſemus, medico præſente; ſi enim [c] niger effluxerit, ex altero brachio repetēda fuerit, eo parcius, prima uice, educto. Cauterium brachio, iuſſu Exc. Pat. inurendum ſubticemus. Frequentes circa dorſum, & occiput frictiones commendamus, ut fluxio ab oculis reuocetur.

[c] 1. de loc. Aff. 7.

Ex Pharmaceutico deſumenda ſunt Lenientia, Præparantia, Purgantia, Alterantia, & Roborantia. Leniens erit ſyr. roſ. ſol. cum lenit. Vel potio ex manna clarif. uel elect. lenit. cum tart. Primum præparans, mel roſ. ſimpl. cum iulap. acet. cortic. citri aromatiz. ad ℥ iij. quinque diebus ſine diluto; mox attenuati humores eodem modo, quo ſupra euacuandi. Secunda præparatio, hoc anni tēpore, perficietur ſuccis, ſyruporum loco, ad ℥ iij. cich. nempe depur. & borrag. quibus, ſi ſanguis extractus niger fuerit, addatur quoque ſuccus fumar. ſin minus, acetoſæ, in decoct. cich. borrag. end. acet. viol. nenuph. & ſeptem poſt diebus, præbeatur purgans ex infuſ. rhab. agar. & ſennę, addito ſyr. roſ. ſol. & elect. de ſucco roſarum. uel elect. diaſebeſten, cum ſcamm. & de ſucco roſar. ſuperhauſto ſer. depur. ad ℔ ii. His peractis, ſi ſanguis eductus niger fuerit, præbeatur tribus, aut quatuor vicibus, tertio, aut quarto quoque die, decoct. epith. Meſ. ad ℥ vi. cum ſer. depur. intermediis uerò diebus, exhibeantur ſucci depur. ſuperius præſcripti. Quod ſi ſanguis niger non apparuerit, loco decoct. epith. exhibeantur pil. totum, & caput purgantes, aggreg. cum aureis, hauſto ſemper ab his, ſero depur. capr. aut alin. Atque interim maſticatoria parentur, ex maſtiche, puluere fœniculi, & cera.

Ita toto, & capite expurgatis, alterantia erunt uſurpanda, ad contemperandum Iecoris, & Renum ſeruorem; in quem finem, ſucci depur. cich. acet. opportuniſſimi fuerint. Quod ſi ſuccum cich. ut amarum reſpuat Exc. Par. illi ſubſtituatur ſuccus end. uiol. nenuph. Interim, aduentante tempore opportuno, in corroborantibus auxiliis, caſu noſtro, principem locum obtinebunt Aquæ Thermales Vitriolatæ, in Valle Solis Agri Tridentini, quæ præterquamquod genitales partes roborare, renes quoque emundare, calorem quinetiam contemperare poterunt, abſque ulla uentriculi noxa.

Capitis quinetiam abſterſiones quotidie adhibēdæ, à pectinatione, ſpongia prius imbuta infuſione ligni uiſci quercini, & roriſmarini in uino albo, mox expreſſa, & exſiccata. Erunt quoque ex uſu capitis aſperſiones, ſub ſomni tempus, pulu. roſ. rubr. cornu ceruini, maioranę, & Ireos. Conſeruæ quoque eodem tempore in uſum reuocentur, quandoque roſarum, quandoque uerò betonicæ, aut euphragiæ.

Et victus ratio iam dictis proportione reſpondeat. Vinum autem paretur medicatum euphragia, & ſantalo. Quæ omnia à ſummo Deo, Nobiliſſ. Iuueni ſalutaria precamur.

VASO.

XXIII.

VASORVM SEMINALIVM Imbecillitas.

VIr Illuſtriſſimus annorum 30. calidioris, & ſiccioris temperamenti, bilioſi ſcil. prædominio, & ſubdominio melancholici, aliàs robuſti, & hirſuti corporis, multis abhinc annis aulicæ vitæ addictus, qua in rebus nonnaturalibus, præſertim potibus frigidiſſimis, comeſſationibus, exercitiis violentiſſimis, ut ludo pilæ, equitationibus, Venereis congreſſibus, plurimos commiſit errores, tribus abhinc menſibus incidit in febrem bilioſam, tertianam duplicem continuam, non tamen exquiſitam, cum ſymptomatibus ab ea non alienis, ut ſiti magna, dolore capitis, animi deliquiis; à qua tamen, facta humoris bilioſi præparatione, obſtructionum reſeratione, & eductione materiæ peccantis, non omiſſis cordialibus, & quæ ſymptomata reprimere poſſent, adhibita quinetiam exacta victus ratione, feliciter conualuit. Quia tamen ſanitate, auro multò pretioſiori diutius frui deſiderat; ideo expetit normam, qua ab his, & huiuſmodi morbis in poſterum præſeruari poſſit. Hic autem, iuuenili florente ętate, decennio abhinc, temperamento ſtimulante, nimium indulſit Veneri, ita ut virulentam contraxerit gonorrhœam, prout alioquin fieri ſolet, cum rentigine, & ardore urinæ, nec tamen exercitia ualida prætermiſit; quæ licet annum perdurauerit, ab ea tamen vtcunque ſanatus eſt, permanentibus tamen capillamentis quandoque, quæ ſubinde cum ardore vrinæ, præſertim dum à Venere abſtinet; modò tamen abſque dolore prodeunt. Vrina inſuper, natura ſtimulante, diutius contineri non potuit, quinimò paucis abhinc menſibus eadem ſat ſegniter, & cunctanter, abſque impetu, more ſenum effluxit. Obſeruatione quoque dignum eſt, quod à biēnio, poſt ſanatam gonorrhęā, ſub finem emiſſionis urinæ, duæ, aut tres guttulæ ſeminis aliquando, primò ſubruſę, mox & albicantes, modò albuminis oui ſimiles, cum titillatione emanarunt. Hic verò fluxus pro exercitii modò magis, uel minus violenti ratione, crebrius, uel rarius recurrit, nec niſi octo abhinc menſibus derepentè ceſſauit, niſi quod in vrina, anno abhinc cum dimidio circiter, prout & illius Parentibus contigit, aliqua apparent ueſtigia. Et licet enarrata mala patientē in uitæ muneribus obeundis nō multùm infeſtent; nihilominus cùm uxorem habeat iuuenem, boni temperamenti, & integra ſanitate gaudentem, nulla tamen prole beatus, prudentiſſimum tuum conſilium Illuſtriſs. Vir enixè efflagitat.

Hiſtoriam accuratam ſtatus Viri Nobiliſs. à doctiſſimo Viro nobis enarratam, tum indiuiduum, tum ſpeciem ſpectare, ac proinde utriuſque curationem à nobis expoſcere videmus; licet, bona ualetudine Nobiliſſimo Viro comparata, ſpeciei quoque à nobis proſpectum fore iure ſperemus; ſiquidem Viro, non uerò Mulieri, utpote quæ iam concepit, ſterilitatem imputandam cenſemus.

Fuit autem Nob. Vir temperamento totius, & iecoris iuſto calidiori, atque ſicciori à natura præditus, quod ſemper in dies ab erroribus, in compotationibus, uiolentis corporis motibus, equitationibus, uenereiſq; congreſſibus, & conuiuijs maius, maiuſque augmentum ſuſcepit; adeoque ad bilis generationem aptiſſimum, bilioſis quoque febribus obnoxium, & ob exuſtionem, ab inſigni calore, ad melancholiam quoque pronum eundem reddidit; quam tamen aduſtionem in ſanguine à tabo celtico nec impreſſam, nec adauctam fuiſſe credimus ex gonorrhœa, qua olim laborauit, quoniam virus vaſa ſpermatica tranſgreſſum non eſſe, nec ad iecur, minuſque ad maſſam ſanguineam peruaſiſſe, ſed in iiſdem hæſiſſe exiſtimamus, quæ ſpatio menſium, imò integri anni ad nihilum redactum, cum ſemine ipſo, foras ab irritata expultrice detruſa fuit. Verùm quoniam tunc temporis liberaliori, ac intemperanti uiuendi rationi indulgere non deſtitit, quæ & immoderatum uiſcerum calorem fouere, & cruditates accumulare potuit; hinc primò à diuturna gonorrhœa laxatis uaſis ſeminalibus, & imbecillitate inducta, ſeminis guttulæ ſtatim in mi-

ctione

ctione, multo tempore poſt ſanatam gonorrhœam ipſam, obſeruatæ fuerunt, copioſę quidem, & frequentiores poſt ualidiora exercitia (laxatæ [a] retentricis, non amplius, vt ab initio, irritatæ expultricis indicio) quæ tamen tandem ſuppreſſæ ſunt omnino, ut propterea ſecundò ob earundem dorſalium, ac renalium partium imbecillitatem, cruditarum portio, à ventriculo, iecore, & forſan etiam à toto, per emulgentes tranſmiſſa, & à renibus ſuſcepra, ac ſuperaſſata, capillamentorum ſpecie, cum ardoris ſenſu, unà cum urina ipſa excreta ſit; adeòque vrinæ ſtranguriosæ, non nephriticæ fuerunt, ſed [b] alia pro aliis, ex Hipp. dum (addidit Gal.) torum corpus per vrinam expurgatum eſt; in quod uitium facilius prolabi potuit Nob. Vir, quoniam diatheſin, & imbecillitatem illarum partium hæreditariam à Parentibus contraxit.

a 3. de Sympto. Cauſ. 4.

b 2. in 1. Epid. 8. 41.

Ex quibus facilè patet, ſemen Viri Nobil. ex impuro, & feruido ſanguine productum, nec perfectè, ob illarum partium laxitatem, atque imbecillitatem elaboratum, ſterilitatis cauſam eſſe. Vnde narrat Hipp. de Aere, Aquis, & Loc. [c] Scytharum gentem ob laxitatem, ex continua equitatione contractam, infœcundam fuiſſe; atque adeò cum triplici ratione à Viro contingere poſſit ſterilitas, nimirum ex teſtibus, pene, & ſemine, nec vlla in teſtibus, aut pene labes obſeruetur; in ſemine verò eadem ſit manifeſta, ab hoc uitiato procedere ſtatuendum; ſi enim, ut conſiderauit Ariſt. agricolæ puriora grana pro ſemine colligunt, & ſedulò eligunt, quid nobis agendum in humana propagatione? Quanquam nos non latet, ſterilitatem ferè ab omnibus in mulieris uitium reiici, cùm uir ſola ſeminis eiaculatione egeat; mulieri uerò ſeminis emiſſione, ſanguinis menſtrui ſubminiſtratione, & laudabili uteri conſtitutione opus ſit.

c num. 48.

Status Nob. huius Viri iure merito ſalubrior deſideratur, cùm enim gonorrhœa ſit propriè inſtrumentorum ſeminis, non verò pudendorum affectio, illa ideo laxata hoc perfectum, atque prolificum reddere minimè poſſunt, potiſſimum ex improbo ſanguine. Quare, ſicut in præſens deficit propagatio, ita Nobiliſs. Viri corpus neutrum ægritudinibus opportunum, atque obnoxium ſemper habendum erit.

Quæ incommoda ut auferantur, atque arceantur, totum corpus expurgandum; maſſa ſanguinea purificanda; iecoris, & uaſorum calida intemperies corrigenda; uaſaque ſeminalia roboranda. Quæ implenda remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

In Chirurgia repetita ex utroque brachio ſanguinis miſſio ex uſu omnino fuerit.

A Pharmacia verò deſumenda Lenientia, Præparantia, Purgantia, intemperiem Corrigentia, & uaſa ſeminalia Roborantia. Lenientia eſſe poterunt, man. clarif. uel ſyrup. roſ. ſol. cum man. uel caſ. cum lenit. & tartaro. Primum præparans ſit iulap. acetoſ. aromatizatum cinnam. ad ℥ iii. cui addatur puluis tenuiſſimus crem. tar. ad ʒ iii. repetendum quotidie, quinque dies. Mox Leniens ſupra propoſitum rurſus præſcribendum. Inde ad validiora præparantia deueniendum, non mellita, nec ſaccharata, utpote quæ bileſcant facilè, & uiſcera inflent. Quare ſucci herbarum depurati præferri poterunt, ut. ℞. ſuc. depur. cichor. borrag. end. an. ℥ i. Decoctionis cichor. borrag. end. viol. plantag. ℥ vi. m. pro ſyr. & ſic pro aliis decem. A quibus ſuccedat talis expurgatio. ℞. rhab. opt. agar. troch. ſol. ſennæ mund. an. ʒ ii. cinnamomi integ. ʒ ſ. aq. cichor. q. ſ. m. f. inf. per horas xii. deinde facta forti expreſſione, colaturæ adde ſyr. roſ. ſol. ℥ v. m. f. p. & tribus horis ab ea bibat ſeri capr. depur. ℔ ii. & duabus horis ab eo prandeat; uel bolo, ſumat elect. lenit. cum diacath. & de ſucco roſ. ſero pariter ſuperhauſto. Hac peracta expurgatione, ut totius ſanguis purificetur, decoct. epith. Meſ. aſſumat Nob. Vir, tribus ſaltem uicibus, quarto quoque die, hac formula. ℞. decoct. epith. Meſ. ℥ vi. aquæ florum citri parum m. pro potu, & incepta euacuatione, ſuperbibat ſerum depur. ad ℔ ii. duabus uerò horis ab eo prandeat, & duobus intermediis diebus, ſumat ſyrupum huiuſmodi, ſanguinem emundantem. ℞. Succi cichor. depurati, fumar. an. ℥ i. ſ. decoct. cich. borrag. end. acet. beton. fumar. agrim. ℥ v. m. pro ſyrup. & ſic pro aliis. Toto expurgato, & emundato ſanguine, iecoris, & uaſorum feruor fuerit contemperandus, & uaſa ſeminalia roboranda, utrumque uerò præſtare poterunt aquæ Therm. acidulæ, in Valle Solis Agri Tridentini ſcaturientes, uitriolatæ; prærogatiua enim ſunt præditæ ſingulari, tum viſcera refrigerandi, tum renes, vaſaque ſeminalia roborandi. Verùm quia nonniſi circa menſis Iulij initium aſſumi ſolent; ideo interim utatur hac potione, quotidie ſummo mane xx. dies, & amplius. ℞. Seri capr. deſtillati, aquæ plantag. deſtill. aquæ deſtill. ex tenerrimis quercus foliis an. ℔ i. ſantal. alborum raſp. ℥ ii. lentiſci è Chio ℥ ſ. m. f. infuſ. per horas xxiv. deinde bulliat ad conſumpt. tertiæ

Ffff partis,

partis, & colatura ſeruetur pro duabus vicibus, cui, ſi placeat, addatur conſerua de acido citri ad lubitum, uel illi inſtillentur gutt. vi. tincturæ coral. chymicè extractæ.

Victus ratio iam dictis omnibus proportione reſpondeat; ſit autem refrigerans, ſed non valdè humectans. Alimenta ſint boni ſucci, & facilis coctionis, ut probus regeneretur ſanguis. In uſum autem reuocet à cibo duo, aut tria integ. maſtich. grana deglutienda. Potus ſit conſueto parcior, & quidem uini nigri, non generoſi, per annum integrum ſantalis rubris, aut lentiſco medicati. Vitetur in ſomno decubitus ſupinus, & à ualidis motibus, atque exercitiis abſtineat. Coitus ſit rarus, & cum propria uxore, potiſſimum recens ſubſiſtentibus menſtruis purgationibus. Et alacriter uiuat, ſed citra comeſſationes, atque compotationes. Quę abundè pro inculpata ſalute Viri Nobiliſs. quam eidem à Deo enixè precamur.

XXIV.

GONORRHOEA GALLICA.

IVuenis 25. annum agens, temperamenti calidi, & ſicci, mediocris habitus, re cum Muliere habita, paucis poſt diebus, materiam ſenſim ex pene, cum aliqua titillatione, & frequenti meiendi libidine effundere cœpit, & quidem conſiſtentia ſemini ſimilem, imò & ipſum ſemen; uerùm colore flauo, & aliquando uiridi; cuius fluxio quotidie magis ſemper adaucta, dolores in canali urinario excitauit, atrocius ſæuientes in erectione penis; imò & in mictione ipſa. Modò agitur decimus quintus dies, quo materia copioſa ualdè colorata manat, & cum cruciatibus, imò penis conuulſione, dum erigitur. Opem itaque medicam expoſcit hic Iuuenis.

a 6 de Loc Aff. 6 & Aret Lib. 2. Cap 5. b 6. de Loc Aff. 6.

Seminis inuoluntaria [a], imò aſſidua excretio, etiam abſque penis erectione, quæ contigit huic Pat. eſt affectio nullo alio nomine, quàm Gonorrhœæ nuncupanda, utpote uocabulo [b] compoſito ex Gonos, quod ſemen, & rheo, quod fluere ſignificat. Hæc autem gallica gonorrhęa eſt, non ut quæ contigit Satyro in Thaſo; illa enim vera, & legitima fuit, non illegitima, ut pollutio in ſomnis, quæ Nicippo occurrit; neque illa ſpuria, qua non ſeminis, ſed aliorum crudorum excrementorum in corpore redundantium effluxio fit, circa quam plerique Medicorum decipiuntur; & de qua locutus fuit Hipp. [c] & elegantiſſimè explicauit Langius Doctiſs. in ſuis epiſtolis.

c 2. de Morb Mul. 9.

d 3. de Sympt. Cauſ 4.

e 6 de Loc Aff. 6.

Symptoma in exeretis immodicè fluentibus, cuius cauſa immediata ſtatui ſolet à [d] Gal. facultatis retentricis uaſorum ſeminalium imbecillitas, quam vnicam agnouit & Celſus; quia de legitima gonorrhœa ſermo illis fuit; caſu tamē noſtro potius facultatem expultricem irritatam, quàm retentricem debilitatam cauſā agnoſcere uidetur; ſiquidem imbecillitas contingere ſolet, uel ex immoderato coitu, uel ex diuturna gonorrhœa, quæ conditiones cùm in noſtro Patiente deſiderentur, probabilius fuerit facultatem expultricem irritatam illius cauſam aſſignare, quam tamen attigit aliquando & Gal. [e] ipſe. Irritata uerò fuit à mediata cauſa, nimirum gallica labe, ex uenereo congreſſu contracta, dum naturales ſpiritus gallico infecti tabo, & per partes ad uaſa ſpermatica influentes, tum continentia ipſa uaſa, tum ſemen concluſum infecerunt, eidemque prauam qualitatem, & corruptelam immiſerunt, à qua irritata facultas expultrix, illud in vaſis continere cùm non potuerit, continuò ſecuta eſt eiuſdem inuoluntaria excretio. Ex quibus facilè patere poteſt cæterorum ſymptomatum cauſa; ſemen enim corruptum irritans mictionem frequentem excitauit; prout idem flauum, & uiridem, à proprio alienum colorem exhibet; & in effluxu membranoſa, & exquiſito ſenſu prædita corpora uellicat; quæ quoniam ob dolorem contrahuntur, & phlogoſi quadam afficiuntur; ideo, arrigente ſe pene, grauius dolent. Partes itaque primariò affectę, in gonorrhœa, ſunt uaſa [f] ſpermatica; quanquam in quibuſdam, & potiſſimum quibus ſupp inuitur excretio corrupti ſeminis, gallicam infectionem, infecta maſſa ſanguinea, uniuerſo quinetiam corpori afficari, & inuri nonnunquam contingat.

f Ibid.

Gonorrhœa uerò, cum ſit effluxus utilis excrementi, quamprimum nobis conceſſum

fuerit

fuerit ſupprimendæ; quia, ut ſcribit Aret.[g] eſt turpis affectus, colliquatiuus, ſterilitatem, g Aret. lib. 2. Cap. 5.
& ſenilem habitum iuuenibus etiam inducens; qui ad tabem etiam [h] nonnunquam inue- h Cel. 4. de Re Med 21.
teratus homines ducit; ſic ſatyrus Grypalopex [i] apud Hipp. cui circa 25. annum incepit, 30
tabidus mortuus eſt; etenim materia ſeminis puſilla, ex multa maſſa materiæ conficitur,
ex Ariſt. unde Auic. credidit, quod ad conficiendam drachmam ſeminis, abſumantur qua- i 8 in 6. Epid. 47.
draginta drachmæ ſanguinis. Et licet Nicippo [k] potius contulerit ſeminis excretio, ipſe k 4. Epid. 130.
tamen tantùm nocturnas pollutiones patiebatur; præterquamquod morbis laborabat ex
tenui pituita, quibus, ex Hipp. [l] coitus conſerre ſolet. Verùm quia hæc, utpote gallica, l 5. in 6. Epid. 23.
ſtatim ſupprimi non debet, ideo ſtato tempore fluere permittēda, donec uirus gallicum ab-
ſumptum, ac eius ope expurgatum fuerit, cuius terminum alii 40. alij 60. aſſignant diem.
Interim tamen proſpiciendum, ne ab acrimonia ſeminis urinaria fiſtula exulceretur, ut fre-
quenter contingit; unde carunculæ, & ab his calli urinæ difficultatem inducentes ſuccre-
ſcere ſolent, quinimò aliquando corroſa glandula ſeminali ex proſtatis, perpetuum, &
inſanabile perdurat ſeminis inuoluntarium effluuium; aut ſaltem, remota cauſa irritante,
& adaucta retentricis uaſorum imbecillitate, habitualis, & legitima ſuccedit gonorrhœa,
difficultet ſuperanda.

Curari autem ſolet refrigerantibus, adſtringentibus, & alexipharmacis, Celticæ quali-
tati aduerſantibus, necnon ſymptomata oppugnantibus. Hoc autem caſu, & tempore,
miſſis adſtringentibus ab initio, ſolis refrigerantibus, ac demulcentibus utendum.

Atque adeò in Chirurgico fonte ſanguinis miſſio nullo modo conuenit, ne gonorrhęa
ſcil. ſiſtatur, & gallica lues intra uaſa trahatur; quod ſi progreſſu temporis, ob aliquem
alium affectum grauem, ſanguinis miſſionem exigentem, cogamur eum educere, prçferan-
tur uenæ inferiores. In hoc fonte extant inunctiones, fotus, iniectiones contemperan-
tes, & demulcentes. Celſus [m] proponit frigidas natationes, quarum loco apud nos ſunt m 4. de Re Med 23.
Balnea aquæ dulcis; quæ tamen cùm laxent, licet refrigerent, admittunt obiectionem, ut
ſuo loco dicemus.

Pharmaciam quod attinet, primæ viæ emundandæ, ut medicamenta contemperantia, &
dolores demulcentia liberè permeare poſſint. Hoc autem præſtandum medicamento ali-
quo, quod neque ſua facultate, neque operandi modo poſſit ſeminis fluxum, diuertendo,
cohibere. Quare neque purgans, neque potu exhibendum. Itaque. ℞. flor. caſs. rec. ℥ i.
pulu. liquit. ʒ i. m. f. b. mox aliquot dies ſyr. ſint huiuſmodi. ℞. emulſ. quatuor. ſem. fri-
gid. extract. cum aqu. plantag. ℥ vii. iulap. uiol. ℥ i. ſyr. de ibiſco ℥ ſ. m. pro ſyr. & ſic pro
aliis; atque interim tertio, aut quarto quoque die, prima menſa aſſumat Pat. flor. caſs. ʒ ij.
& urgentibus doloribus, ac ardoribus iam dictis, addantur conſeruæ malu. & nymphęæ,
ante præſcriptam emulſionem ſumendæ. Inunctiones quoque, tum perinæo, tum peni
adhibendæ. ℞. ung. malu. ℥ i. roſ. Meſ. ℥ ſ. m. & ſęuiſſimis doloribus excruciantibus, adda-
tur ol. ex ſem. iuſquiami expreſſi ℥ ſ. & ref. linim. præcauenda quinetiam in urinario cana-
li aliqua exulceratio, paruo ſyphone iniecto lacte, aut capr. aut uaccino; prius tamen de-
coct. malu. & hord. ut abſtergatur materia illa uirulenta, atque lac ita locum munire poſ-
ſit. Renibus quinetiam æſtuantibus, inunctio fieri poteſt hoc linim. ℞. ung. roſ. Meſ. infri-
gid. Gal. ſucci ſemperuiui an. ℥ i. m. & ref. in mortario plumbeo. Laudat Auic. plum-
beam laminam dorſo applicatam, quam tamen diù detentam ſuſpectam habet. Quare, no-
ſtris temporibus, multis foraminibus peruia parari ſolet, ut calor tranſpirare poſſit. Hoc
autem ordine permitti debet ſeminis infecti effluxio, uſque ad 40. diem, quo ad aliqua
ſubadſtringentia poterit progreſſus fieri, ne nimium laxatis ſeminalibus uaſis, difficilior
tandem euadat ſeminis ſuppreſſio. Et primo quidem exhibenda emulſio ſem. lactucæ, ex-
tracta cum aqua plantag. exemplo tum Gal. [n] tum Orib. ad ℥ vii. præmiſſa ℥ ſ. conſeruæ ro- n 6. Simpl.
ſar. quibus inſiſtat Pat. x. dies. Inde ad paulò ualidiora ſiſtentia progrediendum, atque adeò
paretur aqua ſtill. hoc pacto. ℞. ſeri aſin. aut capr. ℔ ij. aq. plantag. ℔ j. aq. roſ. ℔ ſ. album.
ouor. nu. v. m. agitentur ſimul, & B. M. deſtillentur; cuius doſis ℥ vii. quolibet mane; eſt
enim mirabilis efficaciæ.

Tandem 60. exacto die, ualidiora adſtringentia, & incraſſantia uſurpanda; prout enim
ab initio potius expultrici irritatæ incumbendum fuit, ita hoc tempore potius retentrici
laxatæ medendum. Et primò. ℞. album. ouorum recentium nu. ii. ſacchari fini ℥ ſ. aqu.
roſ. ℥ v. m. & præbeatur mane, ieiuno uentriculo; hoc enim, quinque dierum ſpatio,
ſuum exerere ſolet effectum. Pariter hoc. ℞. aq. roſ. aq. fol. quercus an. ℥ iij. ſucci lini.
℥ j. uel ſpiritus uitrioli gutt. v. album. ouor. rec. nu. i. m. Inter pręcipua uerò medicamen-

ta, eſt pulnis Charabes, ad ʒ i. cum boli arm. orient. ʒ ſ. in aqua roſar. aut plantag. Chymici vero nobis quatuor ſubminiſtrant ualida, nec inſuauia medicamenta, quorum primum eſt tinctura corallor. chymica, ad gutt. vi. in aquis iam dictis. Secundum eſt crocus Martis conſtrictiuus, à ℈ ſ. ad ℈ i. in iiſdem aquis, Tertium eſt magiſt. ex oſſibus ſepiarum, eodem modo aſſumptum. Poſtremum, & hoc caſu præbendum, eſt extractum guaiaci, cum ſpiritu uini tartarizato paratum, ad gr. iij. uel iv. cui immiſcere poſſumus pulu. Charabes ℈ i. ut f. b.

o 7. Simpl. p 5. Simpl. 23. Quibus ſatis non iuuantibus, ſemen quoque extinguentia adminiſtranda. Sic o cannabis ſylueſtris ſemen, lactucæ ſemen, ruta, & nymphæa; ſic mentha, agnus caſtus. Quare ex his parentur iura alterata. Celebris eſt antidotus Actij. ℞. ſem. ſalicis ʒ vij. calamintæ ʒ vi. ſem. viticis ʒ v. Rutæ ʒ iv ſem. cicutæ ʒ i. m. & cum aqua roſar. f. paſtilli. Doſis autem eſt ad nucis auellanæ magnitudinem, aqua plantag. ſuperhauſta.

Vltimo loco, ſi foueatur affectus iſte ab ingenti, tum Iecoris, tum renum feruore, confugiendum ad aquas Thermales Villenſes, aut Calderianas, aut Vitriolatas, Engaddinas ſcil. aut Vallis Solis, de more aſſumendas.

Inter Amuleta, celebrari ſolet Topatius geſtatus.

Victus ratio ad ſiccitatem declinet, ſed ſine calore, imò refrigerans ſit. Nutritio conuenit, ſed modica. Vinum ad menſam paretur medicatum foliis, aut uiticis, aut ſalicis, imò

q Aret. lib. 2. Cap. 5. & ſantalis rubris. Quies valdè conuenit Nihil autem eſt, quod morbum huiuſmodi magis foueat, & augeat, q quàm coitus.

XXV.

GONORRHOEA ILLEGITIMA.

QVadragenarius Vir, temperamenti, ſecundum totum, & iecur, calidi, & humidi, capitis quoque humidioris, liberè uiuens, ſæpè comeſſationibus deditus, & immodicæ Veneri indulgens, arthritidi non valdè dolenti, nec rubeſcenti iam obnoxius, duobus abhinc annis ſanatæ, gonorrhœa tandem correptus eſt, abſque ulla gallicæ luis ſuſpicione, quæ quindecim primis diebus, quoſdam quidem in ductu urinario dolores, & potiſſimum in mictione excitauit, cùm ſcil. materia effluens, ſeminis ſubſtantiam æmularetur, ſubflaueſcentis coloris; poſtea tamen, abſque ullo medico auxilio, dolores euanuerunt, atque materia colore ſubalba, aliquando alba, ſubſtantia verò mucoſa potius fuit, quæ acris, & copioſa, ab ipſomet Par. obſeruatur, a crapulis, & compotationibus. Et licet nullam aliam inde patiatur moleſtiam, benè namque nutritur, uireſque integræ conſtant, liberari tamen optat. Quare de agendis conſulit.

Licet affectus iſte in præſens gonorrhœæ nomen non mereatur; attamen quia ab initio gonorrhœam ſpuriã fuiſſe exiſtimamus; & licet nunc talis non ſit, eius tamen ideam adeò æmulatur, ut quamplures medicinam, tum facientes, tum profitentes eundem gonorrhœam exiſtiment; adeo ut & nos illum illegitimam gonorrhœam appellare non tędeat. Symptoma in excretis, quantitate, qualitate, & in hoc Viro etiam loco peccantibus; cuius origo pendet non ſolum ab alio ſymptomate, imbecillitate ſcil. facultatis retentricis

a 3. de Sympto. Cauſ. 4. vaſorum a ſeminalium; verùm & ab eorundem dilatatione; licet non eamus inficias, etiam primis diebus conſpirare potuiſſe & irritamentum expultricis.

Cauſa verò huius affectus immediata fuit ab initio irritata facultas expultrix, à copia, & acri qualitate ſeminis geniti, & prauis, ac ſalſis humoribus pituitoſis, in toto redundantibus; qui humores, tum à capite calido, & humido ad uentriculum, indeque in vaſa ſe inſinuabant, à libera nimis uiuendi ratione, in toto coaceruati, atque antehac ad articulos tranſmiſſi, unde dolores periodici articulares ſuborti ſunt, cum leui calore, & dolore, quia materia pituitoſa bilem non habuit permiſtam. Verùm via illa derelicta, & ab immodica Venere laxitate, ac imbecillitate contracta, per emulgentes, ad uaſa ſpermatica, cum ſemine eandem detrudere natura cœpit, quæ primis diebus ſalſa fuit; quia diu ſuppreſſa iam computruerat, acrimonia proinde moleſta; quæ mox ſolùm pituitoſa ut pluri-

plurimùm, ac quandoque, ſed rariſſimè, pauco ſemini fortè immiſta, continuò ob retentricis imbecillitatē excernitur; cuius tamen qualitas, & quantitas alterationem ſuſcipiunt, pro mutatione uictus rationis ipſius Pat. vnde uniuerſum corpus, per locum alienum, vaſa ſcilicet ſeminalia modò expurgatur, fitque affectus profluuio [b] muliebri, mulieribus familiari, non abſimilis; qui Viris quinetiam contingit, ut obſeruauit Ariſt. de Somno, & Vigilia; qui uulgò pro gonorrhœa habetur, cùm tamen, maximè propriè loquendo, nullo modo gonorrhœa, neque ſpuria, ex Venere contracta, atque ab expultrice irritata; minuſque legitima, à retentrice laxata, cum probi ſanguinis aſſidua, & inuoluntaria effluxione, præſens fluxus nuncupari poſſit.

b 1. de Morb. Mul. 21

Affectus hic, licet inter mala uideatur habere rationem boni, cùm euacuatio huiuſmodi redundantis materiæ excrementitiæ Virum hunc ab alijs quamplurimis morbis præſeruare poſſit; attamen quia fit per impropria loca, non conferentia, ideo ope medica indiget; progreſſu namque temporis, laxatis uaſis, ſemen quoque continuò effluere poſſet, & Par. ad alterutram tabem, ab [c] Hipp. deſcriptam perduci; etenim, neque Satyro, [d] qui tabidus obiit, purum ſemen effluxiſſe credendum; ſed catarrhali materiæ immiſtum, tandiù namque non duraſſet.

c 2. de Morb. 49
d 8. in 6. Epid. Co. 47.

Ad hanc tamen fluxionem ſupprimendam non eſt adeò feſtinandum; ſed corpus totum ritè, & rectè expurgandum, hoc ordine, ut Primò euacuetur materia peccans in uentriculo, toto, & capite concluſa, per plures uias. Secundò totum calefaciendum moderatè, & ualdè exſiccandum. Tertiò corrigenda intemperies partis mandantis. Quartò partes, tum mandantes, tum ſuſcipientes corroborandæ.

Et in fonte Chirurgico, primò ſi loquamur de ſanguinis miſſione, ſicut in vera gonorrhæa diuturna ſanguinis miſſio maximè ſuſpecta eſt, ob virium iacturam; ita in non uera, qua tum ætas, tum habitus corporis, & vires conſentire uidentur, conuenit ex ſuperioribus partibus; ſed parca, & repetita, ut maior reuulſio fieri poſſit. Cauterium omnino brachio ſiniſtro inuratur, ad diuertendam, ac euacuandam fluxionem.

In fonte Pharmaceutico, primò cogitandum de euacuatione totius per partes, & primò quidem vomitu euacuanda, & quodammodo reuellenda materia, hoc medicamento. ℞. mulſæ ℥ viij. oxymel. ſ. ſucci raphani an. ℥ ij. m. pro uomitorio. Euacuata uerò ſuperna uentriculi parte, inferior ita degrauetur. ℞. elect. lenit. ℥ i. ſpec. hieræ ſ. ʒ i. ſ. m. f. b. Vel. ℞. mel. roſ. ſol. pot. ex manna clarif. an. ℥ iii. elect. lenit. ℥ ſ. decoct. cord. q. ſ. m. f. p. b. Prima præparatio ita fiat. ℞. mel. roſ. colati, oxymel. ſ. an ℥ i. ſyr. de mentha, aq. cinnam. an. ℥ ſ. m. pro ſyr. & ſic pro aliis, ſex diebus. Inde prima expurgatio fiat ſuperius propoſitis medicamentis, ut deuenire poſſimus ad ſecundam præparationem. ℞. decoct. cich. borrag. beton. agrim. meliſſæ, menthæ, ℥ vi. oxymel. ſ. ſyrup. de beton. an. ℥ i. de mentha ℥ ſ. m. pro ſyr. & ſic pro alijs; ſex uerò, aut ſeptem exactis diebus, præbeatur hoc purgans. ℞. elect. lenit. ℥ ſ. diacath. diaphęn. an. ʒ iii. m. f. b. Vel. ℞. agar. trochiſc. ʒ iij. rhab. opt. ʒ i. fol. ſennæ ʒ ij. cinnam. integri ʒ j. decoct. cord. q. ſ. m. f. inf. per horas 12. facta forti expreſſione, colat. adde mel. roſ. ſol. ℥ iij. mannæ elect. ℥ j. ſ. elect. diaphęn. ʒ ii. m. f. p.

Toto uerò utcunque expurgato, caput cum toto quinetiam purgandum, quod utrumque pilul. uſu perfici poterit; verùm prius exhibendæ erunt aquæ Tertucianæ, tribus, aut quatuor uicibus, cum uehiculo mel. roſ. ſolut. ad uentriculi perfectam deterſionem, & exſiccationem, mox præſcribantur pil. huiuſmodi. ℞. pil. aggreg. cochiar. præpar. an. ʒ ſ. maſtich. ℈ i. troch. alhandal. gr. v. m. & cum uino maluatico q. ſ. ref. pil. noctu exhibendæ, primo ſomno peracto; uult enim Trall. quod facilius caput purgent; ab aſſumptis pil. Patiens rurſus ad ſomnum ſe componat. Pil. autem huiuſmodi tribus ſaltem uicibus ſunt exhibendæ, quarto quoque die; diebus uerò intermediis exhibeatur ſyr. huiuſmodi. ℞. decoct. beton. ſtœchados, ſaluiæ, menthæ, rutæ, abſinth. ℥ vi. oxymel. ſ. ſyr. de beton. de ſtœchade an. ℥ ſ. m. Dum uero hæc fiunt, caput errhinis quoque, non maſticatorijs expurgandum, pul. huiuſmodi naribus attracto. ℞. pul. ireos, maioranæ, nigellæ, tabaci an. ʒ ij. m.

Hoc uerò tempore ſunt qui materiam in toto expurgandam, imò & diuertendam cenſent ad uias urinæ, Galeni forſan exemplo, qui in Vxore [e] Boethij, diutiùs, poſt hydragoga, diureticis feliciter uſus fuit, atque adeò præbent terebinthinam noſtram, lotam aqu. maluarum pulu. liquirit. Verùm in praxi ego ex diureticis nihil laudabile ſecutum uidi; nec terebinthinam præbeo, niſi in vaſorum, & penis contractionibus, & conuulſionibus. Quare felicem curationem ſucceſſiſſe uidi, materia ad ambitum corporis deriuata, diaphoreticis, & ſudoribus, decocti alicuius accommodati ope, quod tum frictionibus, tum illitu conatus

e ad Poſth. 8.

tandem

tandem fuit aſſequi Gal. in illa Vxore Boethi. Ita & nos totum, & caput omnino exſiccamus, intemperiei partium mandantium proſpicimus, & articulos corroboramus. Paretur itaque decoctum huiuſmodi. ℞. ligni uiſci quercini ueri, lentiſci è Chio an. ℥ i. guaiaci rec. ſantal. rubr. an. ℥ ſ. aq. comm. ℔ iii. ſ. m. f. inf. per horas 24. deinde bull. ad conſumpt. dimidii, in fine ebull. adde fol. menthæ, rutæ, beton. an. pug. 1. bull. par. & colat. ſeruetur pro tribus diebus, cui præmittatur bol. ita paratus. ℞. theriacæ mediæ ætatis, pulu. oſſium ſeparum an. ℈ i. m. ref. b. Ab aſſumpto ſyr. ſudet Pat. de more, triginta ſalrem diebus.

Sunt, qui ſine ſudore præbent decoctum lentiſci, & ſantal. rub. in aqua plantag. paratum; quod utique ſat fuerit, non uigente capitis deſtillatione, affectum fouente, prout caſu præſenti.

His peractis, ſi obſeruetur continua, & perennis materiæ regeneratio, ſtillicidia partibus mandantibus, capiti ſcil. & uentriculo adminiſtrari poterunt, ex aquis Thermalibus Aponitanis, ut magis exſiccantibus.

Tandem partibus corroboratio concilianda, internis & externis. Intrinſecùs pro capite, uti poterit conſ. beton. roriſmarini, ſaluiæ, magnis antidotis, uel. ℞. aromatic. roſ. ſpicæ an. ℈ ſ. theriacæ q. ſ. m. ref. b. & exhibeatur à cœna, ſub horam ſomni captandi. Extrinſecùs. ℞. aquæ uitæ ℥ i. quintæ eſſentiæ roriſmatini ℈ ſ. m. & ſummo digito madefiat rum occiput, tum ſynciput, mane.

Pro uentriculo, conſeruæ abſinth. mēthæ. Item ℞. ſalis abſinth. mēthæ, an. gr. v. ſucci abſinth. condenſati ℈ i. m. ref. bol. poſt cibum exhibendus. Extrinſecùs uerò paretur ceratum ex maſtiche, olibano, & racamahaca.

Pro uaſis ſeminariis præſtantiſſimus erit, & compertus, puluis huiuſmodi; accipiatur Turtur, exenteretur, impleatur granis maſtiches; mox in furno exſiccetur, adeò ut in puluerem redigi poſſit, & quotidie, ad ʒ i. præbearur in iure ſantalis alterato. Extrinſecùs quoque huinſmodi præſcribi poterit inunctio. ℞. bol. armenæ lotæ ℥ ſ. terræ lemniæ ʒ iij. ſang. draconis, maſtiches an. ʒ i. ſ. nucum cupreſſi ʒ iij. ceræ q. ſ. ut fiat linim. molle.

Victus rationem quod ſpectar, præcipua fiducia in eadem poſita eſt, ut ſcribit Aetius. Sit itaque tenuis, exſiccans, quamminimè bibant, Vinum lentiſcinum paretur. Vitetur coitus, & violentum exercitium. Si naturalem habeat ad vomitum propenſionem, bis menſe prouocetur. A cibo grana duo maſtiches integra deglutiat, & alactiter uiuat.

XXVI.

GONORRHOEA SPVRIA.

VIr Nob. 32. annum agens, temperamenti ſecundum totum calidi, & humidi, habitus carnoſi, non tamen pinguis, fuſci coloris, & ſubmelancholicus, hepatis calidioris, imbecillis uentriculi, & humidioris capitis, duodecim abhinc annis, corripi cępit gonorrhœa, ſiue alba per penem effluxione, quæ immodicæ Veneri ſucceſſit, nec tamen in principio, neque in progreſſu ullum dolorem, ullamue ſtranguriam fuit unquam paſſus, ſed ſolùm ab initio aliquam in coitu imbecillitatem. Quatuor autem annis ante hoc ſymptoma, gallicam contraxit gonorrhœā ab infecta muliere, quæ ſpatio quatuor menſium ceſſauit, & Nob. Virum omnino incolumem reliquit; prout quoque in poſterum, diuturna fluxione non obſtante, ſanus, atque robuſtus ſemper vixit, quinimò hoc tempore Vxorem duxit, quę nullum gallicum ſignum vnquam exhibuit, filioſque peperit ſanos. Et licet in pręſens hæc fluxio leuis valdè ſit, nimirum ad guttulas, quæ etiam uix ſine expreſſione à pene extillant, materiæ ſemen æmulantis, ac proinde ſeminalis exiſtimatæ, ſine vlla moleſtia; nihilominus ab eadem omnino liberari deſiderat, noſque ideo conſulit.

a 6. de loc. Aff 6. Cùm gonorrhœa ſit nomen compoſitum ex Gonos, quod ſemen genitale, & Rheo, quod fluere ſignificat, ideo hanc perpeſſum fuiſſe Nob. Virum certò aſſerendum; quam quidem ab infecta muliere primùm contraxit, dum gallica lues, ſpirituum ope, ad uaſa ſeminaria diffuſa, hæc cum ſemine infecit, illudque quodammodo corrupit; vnde ab eodem

facul-

facultas expultrix [b] irritata, ad eius expulſionem, quouſque huiuſmodi uenefica qualitas in uaſis fouetur, ſemper inſurgit, qui terminus ſolet eſſe quadraginta dierum; quo temporis ſpatio, quotidie uaſa celticam qualitatem ſemini inutentia, ab eadem ſe expediunt, atque uindicant, atque adeò cùm altius illa non irrepat, immunis omnino à gallica labe degit ipſe Patiens, prout hic Nob. qui non modò quadraginta diebus, uerùm & quatuor menſibus fuit expurgatus.

b 6. de Loc. Aff. 6.

Verùm poſtrema duodecim annorum per penem excretio, ſiue potius expurgatio, propriè gonorrhea appellari non debet, quia non ſeminalis, ſed alterius conditionis materiæ fluxionem fuiſſe, & adhuenum eſſe cenſemus; gracilior enim non ſolùm, ſed & antehac tabidus, atque conſumptus interiiſſet Patiens Nob. ut & Grypalopex [c] in Thaſo, cognomento Satyrus dictus, ab anno uigeſimo quinto, ad trigeſimum, ex gonorrhœa tabidus, & reſolutus obiit, quod & celerius quinetiam contigiſſet, niſi genituræ catarrhalis, & cruda quoque materia acceſſiſſet.

c 8. in 6. Epid. 47.

Gonorrhœa igitur nonniſi impropriè nuncupari poterit, quatenus ſcilicet humidæ crudæ, & catarrhalis materiæ effluxio, ſimili omnino prope ratione fit, ac ipſa legitima gonorrhœa. Verùm materia hæc re uera excrementitia eſt, nimirum inutilis cruda, à ventriculo imbecilliori, & ex catarrhali à capite originem ducens, quæ in uaſa totius recepta, & naturæ moleſta, ab eorundem expultrice ad imbecilliorem partem detrudi cœpit. Quoniam uerò ab immodica Venere uaſis ſeminariis laxitas, & imbecillitas olim fuit inducta; ideo per emulgentes ad vaſa ſpermatica ſimul cum ſemine eandem expellere cœpit; cuius continuus affluxus, ni uaſorum imbecillitatem auxerit (quia iuuenis eſt) fouet ſaltem, ſicque uniuerſum corpus per locum alienum, uaſa ſcilicet ſeminaria, humiditatibus fuit olim, & adhucnum exhauſtum; licet veriſimile ſit, dum copioſum ſemen redundat, exiguam nonnunquam einſdem portionem pituitoſæ materię immiſceri.

Eſt autem affectus hic profluuio muliebri, mulieribus familiari, non abſimilis; uiris quoque contingens, & ab Hippoc. deſcriptus [d]; quem etiam elegantiſſimè delineat in ſuis epiſtolis Doctiſs. Langius.

d 2. de Morb. Mul. 9.

Quibus ita ſe habentibus de fluxionis huius ſuppreſſione non eſt, quod ſimus adeò ſoliciti, niſi prius eiuſdem originem, atque fontem exhauriamus, atque exſiccemus. Primò materiam peccantem in uentriculo, toto, & capite hærentem euacuando, & ad loca minus incommoda diuertendo. Secundò totum moderatè calefaciendo, & ualidè exſiccando. Tertiò corrigendo intemperies partium mandantium. Et tandem partes ipſas, tum mandantes, tum ſuſcipientes corroborando.

Quibus intentionibus operam præſtare, in huiuſmodi uaſorum laxitate confirmata, non adeò facilè putamus. Nihilominus omnino tentanda curatio, & omnia agenda, vt fluxio per loca aliena perdurans diuertatur, & prorſus inhibeatur, ne temporis progreſſu, magis magiſque laxatis uiis, ſemen quoque continuò effluat, atque ita Nob. Vir tandem ad alterutram tabem, ab Hipp. deſcriptam [e] pręceps ruat. Modum autem ſuauiorem, & faciliorem, hoc anni tempore, proponemus, hoc non ſufficiente, validiorem ſuis loco, & tempore adminiſtraturi.

e 2. de Morb. 49.

Et in Chirurgico fonte, ſi de ſanguinis miſſione loquamur, ſicut in uera gonorrhœa diuturna maximè ſuſpecta foret, ob uirium iacturam; ita in non uera, qua tum ætas, tum temperamentum totius, & iecoris, habitus corporis, anni tempus, & uires conſentire uidentur, ex uſu erit, ex ſuperioribus partibus; parca tamen, & potius repetita, ut maior reuulſio fieri poſſit. Locum quoque habet cauterium in brachio ſiniſtro, materiæ à capite fluenti diuertendæ, atque euacuandæ.

Præcedat autem primarum uiarum expiatio, potione ex manna clarif. uel elect. lenit. cum tart. & quinque diebus ſequentibus, præparans ſit oxymel ad ℥ iij. cum ℥ ſ. aqu. cinnam. ut mox materiæ iam præparatæ ſuccedat euacuatio, iam præſcripto medicamento. Inde vlterior fiat humorum præparatio decoct. cich. borrag. beton. agrim. meliſſæ, menthæ, cum oxymel. & ſyr. de beton. ſeptem dies. Poſtea catarctico expurgentur humores lenit. diacath. & diaphen. Vel infuſ. agar. rhabarb. ſennæ, addito melle roſat. ſolut. & manna.

His peractis, aquam Tettucianã, tribus diebus aſſumendam neceſſariam cenſemus, cum uehiculo mellis roſ. ſol. aut mannæ. A quibus ipſum quinetiam caput aliqua indigebit expurgatione, pilulis coch. aur. & aggreg. quibus tamen ſuperbibat ſerum depur. aut aquam Nocerianam; prout & poſt reliqua medicamenta purgantia. Expurgetur quoque

per

per nares, puluere maioranæ, & ireos, more tabaci.

Inde inſtituatur decoctum, parùm quidem calefaciens, ſed tamen ualdè exſiccans, ita parandum. ℞. ligni lentiſci è Chio, ſantal. alb. an. ℥ i. radic. roſ. damaſc. ℥ ſ. aq. plantag. ℔ iv. m. f. inf. per horas 24. deinde adde quartam partem pulli iunioris, bull. ad conſumpt. dimidii, & colatura ſeruetur pro tribus vicibus, matutinis horis quotidie aſſumenda; cui tamen præmittatur puluis uiperinus ad ℈ i. utpote qui ualdè exſiccet, citra excalefactionem, & ad cutem citiſſimè protrudat, & à partibus laxatis humores diuertat; ſicque perſiſtat in uſu huius decocti cum pulu. uiperino ſupra menſem; ambientis etenim calor hoc remedium commodè admittere poterit.

A quibus aliqua, tum capitis, tum uentriculi corroboratio non poſthabenda, conſerua ſcil. roſarum, è floribus betonicæ, ſub ingreſſum lecti; ſicut pilula ex ſucco abſinthii condenſato ſtatim à cibo; uel conſeruæ abſinthii portione. Verùm cæteris præſtat, tum uirtute, tum ſuauitate ſal abſinthii, à ſemi ſcrupulo ad integrum ſcrupulum, in hauſtu uini meraci diſſolutus.

Quibus ſi non ceſſerit affectus, uaſis ſeminariis accommodatiſſimus, & expertus habetur puluis huiuſmodi. Accipiatur turtur, exenteretur, atque uino albo ablutus repleatur granis maſtiches, mox in furno exſiccetur, adeò vt in puluerem redigi poſſit, & quotidie ad ʒ i. præbeatur, in aqua è folijs quercus deſtillata; uel in aqua plantaginis, uel in vino ſantalo, & lentiſco medicato; quo ſolo remedio aliqui ex toto liberati fuere.

Iam dictis omnibus congrua victus ratio addatur; præcipua namque fiducia in hac poſita eſt, vt ſcribit Aetius. Victus itaque ſit attenuans, exſiccans. Quamminimè bibat. Vinum lentiſco, & ſantalo rubro, ad menſam, medicatum paretur. Vitetur coitus, & uiolenta exercitia. Si naturalem habeat ad coitum propenſionem, & ſit vxoratus, bis menſe ineatur. A cibo frequenter duo integra grana maſtiches deglutiat, & alacriter uiuat. Quæ omnia optatum finem ſortiri poterunt, à Viri in arte peritiſſimi prudentia adminiſtrata.

XXVII.

GONORRHOEA SPVRIA.

GOnorrhœa affectam eſſe Mulierem Nob. me quinetiã enarratis ex tecùm exiſtimare par eſt, Vir Excell. non tamen, aut gallicam, aut legitimam eſſe puto. Verùm ſicut ab initio utriuſque huius conditionis particeps fuit, ac proinde ab irritata [a] expultrice certè ortum duxit; in præſens à retentrice [b] laxata perdurat; quanquam non amplius corrupti, aut incorrupti ſeminis, ſed materiæ potius crudæ, atque pituitoſæ, à toto per vaſa ſeminalia lubrica, & patentia iam reddita, à natura tranſmiſſæ; quæ quotidie ſemper magis magiſque eaſdem partes laxiores reddendo, ſpuriam gonorrhœam, muliebri profluuio non abſimilem in Pat. Nob. fouet. Luem ſiquidem Celticam ab alexipharmacis ſuperatam, & extinctam ſuppono; prout non amplius materiam ſeminalem manare, coniicere facilè poſſumus; extenuata namque, & macie ferè confecta foret Patiens ipſa, ut obſeruauit [c] Hippoc. in Satyro Grypalope, quinque annorum ſpatio, tabe conſumpto.

[a] 6. de Loc. Aff. 6.
[b] Def. Medic.
[c] 2. in 6. Epid. 47.

Materia autem hæc cruda, atque pituitoſa, à vcutriculo facilè manauit, uel ob propriam aliquam imbecillitatem, uel ob improportionata obiecta, & errores in uiuendi ratione commiſſos, nec forſan etiam ſine aliqua concurrente à capite deſtillatione; quæ tamen materia à iecoris calore liquata, fuſa, & ad motum magis idonea reddita fuerit.

Quibus ita ſe habentibus, Medici munus erit totum expurgare; materiam ab utero reuocare; eiuſdem regenerationem inhibere; iecoris feruorem contemperare; & laxas uias adſtringere, atque roborare.

Quas intentiones implere non adeò facilè fuerit; cùm diuturno tempore laxatæ ſint uiæ & intemperies confirmatæ; nihilominus quoniam difficultas impotentiam non arguit; ideo tentanda remedia, pro anni tempore ſatis efficacia, & accommodata.

Expurgatis autem primis uiis, detractoque ſanguine à baſilica dextera, & toto corpore

ex pur-

expurgato, atque purificato, aut infuſis repetitis agar. rhabar. & ſennæ, addito ſyrup. roſ. ſol. uel manna clarif. aut elect. diacathol. aut diaphen. aut pil. aggreg. & de hiera cum agar. aqua Tettuciana quatuor, aut quinque diebus erit exhibenda, cum uehiculo mellis roſ. ſol.

Inde ad uſum Turturini pulueris erit deueniendũ, cuius doſis à ℨ i. ad ℨ ii. quotidie, ſummo mane, cum cyatho aq. ex tenerrimis quercus foliis deſtill. in cuius uſu erit perſiſtendũ ad dies 40 qui puluis efficacior fuerit, ſi addantur aliquot grana trociſch. de Charabe: efficaciſſimus uerò ex croci Martis conſtrictiui quatuor, aut quinque granis illi immiſtis. Puluis autem hic ſic paratur. Turturem accipias plumis ſpoliatum, & exenteratum, ac uino albo optimè ablutum, cuius venter granis maſtiches impleatur, & filo conſutus in furno includatur, donec exſiccetur, adeò ut in mortario in puluerem tenuiſſimum redigi poſſit.

A cuius uſu, iam his exactis diebus, tota ferè hyeme, ius Pat. Nob. erit exhibendum, ita parandum. ℞. ſantal. alb. ſaſpat. ℥ i. ſ. lentiſci è Chio ℥ ſ. aq. comm. ℔ iv. m. f. inf. per horas 24 deinde adde quartam partem pulli iunioris, & bull. ad conſumpt. dimidij; deinde fiat colat. quę ſeruetur pro tribus uicibus, ſummo mane ſumenda. Interim, prima menſa, de more, ſumat ius endiuia alteratum, quod longo uſu iecoris feruori contemperando par erit. Materiæ uerò diuertendę, bis menſe, ſumat pilulas duas ita præſcribendas. ℞. pil. maſtich. ℈ ſ. magiſt. mechoac. gr. x. m. ref. pil. ii. & aur.

Victus ratio iam dictis proportione reſpondeat, quæ ſit potius exſiccans, quàm humectans, alimentorum boni ſucci, facilis coctionis, & diſtributionis. Vinum paretur medicatum ſantalo rubro, atque lentiſco, adeò ut cuilibet uini ſitulæ infundantur dictorum lignorum ℥ ij. Quæ omnia Nob. Pat. à D.O.M. ſalutaria precamur.

XXVIII.

GONORRHOEA SPVRIA, Cum Macie Totius.

QVerelę de ſtatu tuo pręſenti morboſo rediguntur ad quandam uirium imbecillitatem, cum totius corporis aliqua macie, quæ non reſpondet quotidiano, & uberius aſſumpto alimento; prætereą ad exiguam fluxionem albæ materiæ per penem, cum renum laxitate, & exuperanti calore. Et quoniam ex gallica Gonorrhęa, ſex iam annis moleſta, & mox ſtatim ſuppreſſa, hepar quoque cum maſſa ſanguinea; quinimò & totũ corpus hac labe infectum fuit, prout & nũc eſt, non obſtantibus purgationibus, atque decocto cum ſudore, tardius adminiſtratis; hinc prauam, & deficientem totius corporis nutritionem, cum virium imbecillitate promanare exiſtimo; prout gonorrhϾ reliquias, ſiue albæ materiæ per fiſtulam urinariam fluxionem, potius ab imbecillitate retentricis a facultatis, quàm ab expultricis irritamento, ſiue à gallica lue prouenire crediderim, ſicut imbecillitatem à renum, & vaſorum ſeminalium calore. a 1. de Sympto. Cauſ.

Idcirco, cùm hoc anni tempore incommodo Gallicæ lui non ſit incumbendum, licet omnium malorum origo ſit, & fons; ſed in Vernum tempus potius extirpatio ſit differenda; ideo aliqua hepar, & renes refrigerantia proponam, reneſque ipſos, ac uaſa ſeminaria roborantia; nil enim gallici uirus educi fluxione illa à pene, pro certo habeo.

Primùm itaque aſſumat Pot. ex man. clariſ. ad ℥ vi. Inde ſyr. loco, matutinis horis 15. continuis diebus, ℔ i. Aq. ita paratæ. ℞. ſeri lact. capr. aut Aſin. ℔ iiii. Aq. Plantag. ℔ ii. Aq. roſ. ℔ i. alb. ouor. rec. nu. ii. m. & B. M. deſtillentur; mox. ℞. dictæ aq. deſtill. ℔ i. Tinct. corall. chym. gut. vi. m. pro vna uice, & ſic pro aliis. Verùm intermedio horum dierum aſſumat medicamentum hoc. ℞. flor. caſs. rec. ext. ℨ vi. Pul. Tamar. ℨ ii. m. f. b. & hora exacta, bibat ſer. capr. aut aſin. depur. ℔ i. ſ. tribus uerò horis ab eo prandeat, quod medicamentum repeti poterit, iam dictis exactis diebus; tunc verò totidem 15 dies aſſumat puluerem huiuſmodi. ℞. pul. Charab. ℈ ii. boli arm. orient. ℈ j. m. pro vna vice, & ſic pro alijs, qui puluis uſurpandus in ſemi libra Aq. è folijs tenerrimis quercus, aut Plantag. deſtill.

Tandem matutino tempore in uſum ducat conſ. roſar. & renes illinat hoc linim. ℞. vng. roſ. Meſ. ℥ ii. ſantal. ℥ i. ol. nenuph. ℥ ſ. ſuc. ſemperuiui q. ſ. m. refor. linim. pro renibus.

Quibus omnibus addatur congrua uictus ratio, omiſſis ſalſamentis omnibus, aromatum condimentis, acribus cibis, condimentis allii, cęparum, aceti, verbo, cibis quibuſcunque calefacientibus. Vitet vina generoſa. Caueat ab exercitiis violentis, ab equitationibus, venationibus & à coitu. Hæcque in præſens ſatis; Vere enim proximè futuro, exacta purgatione præmiſſa, Alexipharmacis propriis Gallica lues omnino expugnabitur, & debellabitur.

XXIX.

LVES GALLICA.

ELegantiſſimè quidem deſcribitur nobis Vir 46. annum agens, temperamenti ſecundum rotum, & potiſſimum iecur, calidi, & ſicci, gracilis, & in præſens exuſti habitus, qui libera ſemper, quinimò ſoluta uiuendi ratione uſus, uentri, gulæ, & potiſſimum Veneri indulſit, cuius labe infectus, gonorrhœam, bubones, & ulcera paſſus fuit; indeque ſæua podagra excruciatus, feroſæ quinetiam materiæ, nonnunquam ſalſæ à capite delabentis, praua ſympromata expertus eſt; huius enim aliqua portio faucium muſculos, & uvulam tumefecit; alia verò muſculos quoque tracheæ præterlabens, & in pulmones decumbens, anhelitus difficultatem excitauit; quæ adeò hucuſque inualuit, ut dum corpus mouere conatur, aſthmate facilè corripiatur. Gracileſcit uerò ſemper, ſed febre vacat; & Autumnum proximè præteritum ſine podagra exegit. Cùm autem pro ſalute incaſſum aliqua fuerint hucuſque tentata remedia, modò nos de agendis conſulit.

Tabo gallico infectum Virum hunc Nobil. cenſemus; bubones enim, & ulcera, præter gonorrhœam, hepar; & maſſam ſanguineam coinquinatam facilè produnt; quam labem extinguere non ualuerunt leuia adminiſtrata alexipharmaca.

Qnoniam uerò qualitas hæc praua in ſpiritibus, &, ante ſolidas partes, in humoribus ſedē habere debuit, humorem illum primò attigiſſe pro certo habendum, quem exuperantem natura minus cuſtodit, atque tuetur; qualis in Patiēte Nob. catarrhalis materia fuit, quæ in capite quidem calido, & humido (ut conijcere licet) ortum duxit; verùm & à toto forſan cruda, ſed certè biliosa in caput eleuata, pituitoſa, ſiue potius catarrhalis materia fuit aceruata, ſalſaque reddita: cuius copiæ ſuccumbente capitis facultare retentrice, & facilè à qualitate eiuſdem irritata expultrice, rheumatica affectio neceſſariò ſucceſſit, à qua non ſolùm adenes, & œſophagi muſculi intumuerunt, deglutitione proinde impedita; verùm & in laryngis meatus penetrauit, & ſenſim ad pulmones ſe inſinuauit; cuius materiæ non exigua portio tenuior in canitate concluditur; craſſior verò bronchiis eorundem adhæret. Quare primò ab eiuſdem materiæ quantitate, & qualitate tuſſis concitatur; ab anguſtia bronchiorum dyspnœa, leuis nimirum reſpirandi difficultas fouetur, quæ motu corporis aſthma euadit, à commota nimirum tenui materia in cauo pulmonum concluſa; & ob motum ad bronchia delapſa, ac uias proinde magis magiſque occludente.

Quoniam verò læſa reſpiratione, iuſta, & conſueta cordi deficit uentilatio; hinc calor influens, uiſceribus naturalibus ſuppeditatur infirmus; unde coctiones labefactantur, & totum proinde corpus atrophia paulatim conficitur. Quæ mala, hoc anni tempore frigido, humiditates cogente, & exprimente, multò remiſſiora reddere potuiſſet podagra, ſiue articularis dolor, ſi pro cōſuetudine, proximè præterito Autumno, Ægrum Nob. corripuiſſet. Verùm cùm Celticæ luis proprius characteriſmus ſit exuſtio ipſa, ad totius nutritionem tum deprauatam, tum maximè imminutam, hanc non leuiter, imò principaliter concurrere, dubitari non poteſt.

Quibus omnibus ita ſe habentibus, ſtatum Pat. Nob. cuilibet in arte perito periculi plenum eſſe conſtat; imminet enim perfecta atrophia, & ab ea frigidus maraſmus, abſente febre; torridus verò, eadem accedente, cum phtoe, ſi pulmones, uel à ſalſedine, & gallico viru exulcerentur; uel ſi à copia materiæ humidæ flacciditatem primò, mox & fraciditatē

iidem contrahant. Præterquamquod, perdurante aſthmate, cachexia, indeque hydrops contingere ſolet; dum interim & ulcera in faucibus ſuboriri poſſent; periculum quinetiam augetur, tum à contraindicantibus, tum ab anni tempore, adminiſtrationi remediorum minimè opportuno.

Otium tamen excutiendum, & aliqua in præſens, cætera ineunte Vere erunt agenda; nā ſicuti tunc temporis catarrhi fons erit exſiccandus, & Gallica lues extirpanda, iiſdem alexipharmacis, ſed exſiccantibus medicamentis; ſic interim uiſcera refrigeranda, & humectanda, ut aluus reddatur mollior, ac contemperetur ſalſedo; atque atrophiæ occurrendum humectantibus ſubſtanrificis; deſtillatio uerò pro virili erit diuertenda, intercipienda, & iam fluxa materia expectoranda.

Quibus intentionibus explendis, à Chirurgico fonte venarum ſedalium reſeratio, & ex iiſdem parca ſanguinis miſſio admitti poſſet. Matutinæ frictiones pariter, à nucha incipiēdo, uſque ad extrema inferiora deſcendendo. Ante cœnam uerò pedum lotiones ualdè calentes in uſum quotidianum erunt ducendę, & ad reuocandam podagram, articuli eidem obnoxii, manibus inunctis oleo liliac. cum ſinapi, & nitro fricandi; præterea capilli pulueribus exſiccantibus aſpergendi, & moleſta perdurante deſtillatione, Gal. exemplo, ſi non rubificantia, ſaltem ceratum Montagnanæ, aut Claudini apponendum.

A fonte Pharmaceutico reliqua auxilia depromenda. Sic ſtatim præmittatur leniens ex manna clarif. & ſyr. viol. ſolut. a quo, tribus exactis horis, ebibat aquam hordeaceam, & duabus horis ab ea, prandeat. Mox uſum adhibeat caſſiæ, ad ʒ ij. uel iij. ſummo mane; à qua, hora poſt, hauriat ius maluis alteratum, tribus uerò, aut quatuor horis ab eo, cibum capiat; ſicque decem perſiſtat diebus, quibus exactis, præſcribantur ſucci depur. end. & borrag. ad ℥ iij. in iure cichorac. alterato; poſtridie uerò repetatur caſſia, ad ʒ iij. cū ℈ i. pil. de tribus cum rhab. cui, hora poſt, ſuperbibat ſeri depur. aut aquæ hord. libram; tertia uerò die repetat ſuccos, & ita alternatim procedat, ad decem, uel duodecim dies.

Quo tempore, capitis expurgatio cautè curanda, præbendo per os pil. aureas, & aggreg. cum caſſia; quibus, duabus, uel tribus exactis horis, ſuperbibat aquam hordeaceam, uel ius copioſum, hordeo alteratum; quæ pilulæ quatuor, aut quinque poſt diebus, iterum repetendę forent, ſi macies, & uires id permittere poſſent; ſin minus, ſemel tantùm. Interim per nares diuertenda cotyza, puluere parato ex maiorana, & iride an. contuſis more tabaci, in nares adducto. Neque expectoratio erit negligenda, quin potius ſolicitanda oxymelite, ex melle hiſpanico parato, & ireato; etenim attenuantia ualidiora non permittuntur; atque imbecilliora non ſatis pro uſu prodeſſe poterunt; in quem finem extrinſecùs quoque inunctio quotidiana adhibenda, adipe anſeris, puluere radic. Ireos, cum ol. lil. alb. linimenro reformato.

Peracta hac leui, ſed neceſſaria expurgatione, totum corpus erit ſubſtantificè humectādum; cui rei lac egregiam præſtare ſolet operam; verùm noſtro caſu prohibetur à copia catarrhi, & reſpirandi difficultate; ideo ut finem optatum conſequamur, naturali artificiale erit ſubſtituendum; quod quidem iecur, & maſſam ſanguineam refrigerandi, humectandi, ac nutriendi facultate polleat, nec tamen caput repleat, quale eſſe poterit emulſio ſem. melon. imò & quatuor ſeminum frigidorum, & nucleorum pineorum, cum iure pullæ extracta, addito ſaccharo, ut facilius è ventriculo elabatur; in cuius uſu 40. & plures dies erit perſiſtendum; verùm ut eodem tempore lui Venereæ occurramus, ius emulſioni parandę optima China alterari poterit; ſic enim humiditates ſuperuacuas abſumet.

Et licet de agendis, Vere ineunte quinetiam, deliberare difficillimum fuerit; cùm anceps apud nos ſit iudicium de ſtatu futuro Nob. Patientis; nihilominus explendis intentionibus ad ſalutem collimantibus, præmiſſa accommodata corporis expurgatione, decocto alexipharmaco opus fuerit, ex radice Chinæ, ſalſæ parillæ, ſantal. & lentiſc. parato, in aquis ſtillat. cich. borrag. pulmonariæ, beton. non tamen in aquis Thermalibus, utpote quæ duræ, ut cum Hipp. loquar, & maximè æſtuoſæ ſint;[a] quæ proinde difficulter redduntur, & alui egeſtioni contrariæ ſunt; quas ideo in alimento interdixit ſemper idem [b] Hipp.

[a] de Aere, Aquis, & Loc. 11.
[b] Ibid.

Decocto autem liquanti neceſſariò ſuccedere debet ſudor; ne alioquin liquati, & fuſi humores, nec educti, ad partes imbecilliores ruant, caput repleant, & deſtillationes adaugeant, ideoque hypocauſtum parabitur, in quo quidem ſudorem prolicere incipiat, ſed in lecto eundem perficiat. Quod ſi hypocauſtum, ob maciem inſignem, tolerare nequeat, ſudet in balneo ex aqua dulci parato; ſine ſudore enim nihil boni conſequi poterit.

Secundo loco, Balneum ſimplicis aquæ dulcis opportuniſſimum fuerit, abſoluto deco-

cto cum ſudore. Et tertiò lac aſininum, primis diebus, ut magis refrigerans, quàm nutriens, & tandem caprinum, ut magis nutriens, quàm refrigerans.

Quibus omnibus congrua uictus ratio à Viro Exc. Adſtante accuratè præſcribenda, iam dictis intentionibus reſpondens, neceſſariò addenda erit; illud monentes, quod in decocti, & ſudoris uſu, tum ptiſana, tum oua ſorbilia, & pulli iuniores concedi poſſint, in gratiam gracilitatis totius corporis. Interim uinum, ad menſam, China optima, & ſantalo medicatum paretur. Quæ omnia Viri Sapientiſs. atque Exc. Adſtantis prudenti adminiſtrationi libentiſsimè committimus.

XXX.

VLCVS GVLÆ GALLICVM.

PHlogoſis gulæ cum vlcere, in Excell. Viro Legato, potuit quidem ab acida, ſiue ſalſa capitis deſtillatione prouenire; prout tumor in crure gummatoſus à materia frigida, & craſſa, in ventriculo, necnon capite genita, & ad inferiora decumbente; uerùm nos hæc lue gallica non caruiſſe cenſemus, malo more, ac pertinacia conſideratis. Et quamuis admittamus, perperam fuiſſe ab iuitio curatum, impropria nimirum totius purgatione, necnon repetita mercuriali inunctione; veriſſimum tamen etiam eſt, Mercurium luis gallicæ alexipharmacum non eſſe; præterquamquod intempeſtiuè adhibita fuit. Ideo nil mirum, ſi Excell. Vir ſanitati reſtitutus non fuerit, quin potius & deſtillatio à capite adaucta, tum ad pectus, tum ad crura decubuerit; cui inſuper magis obeſſe, quàm prodeſſe potuit lac aſininum exhibitum, & aquæ dulcis Balneum, fundendo, atque replendo. Minus verò intelligimus, quomodo antimonium gallicum virus debellare valeat, ut propterea varia, & plurima incaſſum adminiſtrata fuerint remedia, cum mali potius incremento; ſiquidem perſtitere ulcera, gummatoſus tumor cruris obfirmatus eſt, & poſtremò nouus in dextero ſupercilio eiuſdem conditionis ſubortus; idque quoniam nunquam propria alexipharmaca uſurpata fuerunt. Neque credat Excell. Pat. ſe à lue gallica immunem, quia forſan diutius venereis congreſſibus abſtinuerit; virus ſiquidem hoc gallicum diutius in corporibus deliteſcere poteſt, exemplo ca-
a 6. de loc. Aff. 5. nini apud Gal.[a] quod aliqua externa, ſiue interna cauſa tandem ſe prodit, cùm ſcil. ſolis medicamentis euacuantibus ſuperari non poſſit, niſi uenefica qualitas proprio medicamento à proprietate iuuante expugnetur, atque eliminetur. Hinc non nihil ceſſiſſe obſeruatum eſt, decocto cum ſudore a Viro Excell. tandem præſcripto, qua methodo quinetiam procedendum fuerit, integræ ſanitati adipiſcendæ.

Interim, graui adeò malo debellando, genuina curatio inſtituenda, proximo autumno, antequam carie corrumpantur oſſa, & ad ferrum, ac ignem confugere cogamur. Quod ſi hucuſque intrepidè, & generosè Vir Excellentiſs. alienas adeò admiſit curationes, cur hilari, & præſenti animo præſentem accommodatiſſimam non ſubibit? qua eodem tempore deſtillationis quoque, & cruditatum fons, & origo expugnabitur.

Quod fieri poterit, primas uias leniter expiando. Secundò totum cautè expurgando. Tertiò caput. Quartò ventriculum roborando, & caput exſiccando. Et demum gallicum virus extirpando.

Quod ſi de remediis Chirurgicis ſermo ſit, parca ſanguinis miſſio conueniret, quidem, ſi uires eandem tolerare poſſent, quod nos Viro Excellentiſſimo adſtanti committimus.

Leniens eſſe poterit caſſia cum tart. Præparans verò quinque, aut ſex dies iulap. acet. cum ſyrup. de cortic. citri. Secundum euacuans ſit lenit. cum caſſia; cui ſuperbibat hauſtum aq. hordeaceæ. Et niſi Viri Excellentiſſimi abdomen ſit ualdè exſiccatum, prædicta præmiſſa purgatione, aqua Tettuciana quinetiam, cum vehiculo deiectorio conueniente poterit.

Efficaciora præparantia ſint quoque aliquo pacto deobſtruentia; impoſſibile quippe nobis videtur obſtructiones, ſi non tactui obuias, in uiſcerum ſaltem cauo, aut uenis lacteis

deli-

deliteſcentes non adeſſe, ſiquidem ab hypochondriaco affectu immunem non eſſe credimus, atque adeò à dulcibus quoque, & ſaccharatis, parum hypochondriacis accommodatis, abſtinendum eſſe cenſemus. Quare huiuſmodi ſit præparans. ℞. aqu. ſtillat. de ſucco cich. ℥ v. de ſucco agrim. ℥ iv. tart. uitriol. gr. x. m. & præbeatur loco ſyr. matutini; poſtridie verò exhibeatur caſſia, ad ʒ iii. ſummo mane, cui ſuperbibat ius borragine, & malua alteratum. Sequenti verò die repetat aquas, atque ita alternatim, tum aquar. tum caſſiæ cum iure, quindecim dies, uſum continuet. Interim ſub cœnam confectiones cardiacas, hyacinthinam ſcilicet, cum conſerua è floribus borraginis ſubactam aſſumat, quibus addantur folia auri, ratione iam adhibiti mercurii; quod aurum ſi caſſiæ quoque iam præſcriptæ immiſceatur, abs re certè non fuerit.

Quindecim uerò exactis diebus, purgans aliquod omnino ex uſu fuerit, cautiſſimè tamen exhibendum, huiuſmodi ſcil. ℞. pil. coch. cum helleb. aggreg. an ʒ ſ. flor. caſſ. rec. extr. ℥ ſ. m. f. b. Quibus hora poſt ſuperbibat Excell. Pat. ſerum capr. depur. ad ℔ ii. Nec metuenda uentriculi imbecillitas, ſiquidem priuatiua potius, quàm poſitiua habenda eſt.

Inde ad decoctum alexipharmacum deueniendum, quod ita concinnari poterit. ℞. medullæ guaiaci rec. ſalſæ parillæ elect. chinæ opt. an. ℥ i. uiſci querc. ueri ℥ ſ. aq ſtillat. cich. ℔ ii. borrag. beton. an. ℔ i. m. f. inf. per 24. horas; deinde bull. ad conſumptionẽ dimidii, & colat. ſeruetur pro tribus vicibus, matutino tempore exhibenda, hora una antequam in hypocauſto includatur; ſudor enim in hoc, ut diximus, prouocandus eſt, non tamen ſupra horæ quadrantem, primis diebus, reliquis uerò horæ dimidium; deinde ſudet in lecto, cuius uſui inſiſtat ad 40. dies, aliquo tamen intermiſſo, ſi opus fuerit.

Nec uictus ratio ſit adeò tenuis, ſed quotidie concedantur, aut ptiſana hordeacea in iure, aut oua recentia, aut caro pullæ iunioris. A uino tamen omnino abſtineat, & huius loco, ſecunda decoctio ita paretur. ℞. reſiduum lignorum, cinnam. integ. ʒ ii. aq. opt. ℔ xv. dimidium pulli iunioris m. & bul. ad conſumpt. tertiæ; deinde B. M. deſtill. omnia, & fiat ſtill. pro potu conſueto, cui addi poterit ſaccharum, ad libitum Excell. Pat.

Quo tempore, niſi aluus rectè reſpondeat, ſolicitetur clyſteribus lenientibus, ex lacte, butyro, & ſaccharo paratis, & decimo quoque die præbeatur potio ex manna clarif. uel ſyr. roſ. ſolut.

Interim tumoribus gummatoſis continuò ceratum mercuriale applicetur, & ſpuma decocti irrorentur; quinimò & lintea fæce decocti imbuta apponantur, & gulæ ulcera igne exſiccentur.

Peracto ſudore, inſtituatur lac arte factum, ne caput à naturali repleatur. Fiat igitur emulſio ex quatuor ſem. frigid. ad ℥ ii. nucleis pineis ad ℥ i. & extrahatur in iure pullæ, addito ſacchari puri cochleari, quæ, vt ſtomacho iucundior euadat, aſpergatur aqua cinnam. in cuius uſu perſiſtat ad menſes. Interim utatur, ad cœnam, ferculo Sax. ſeu ptiſana hordeac. cum emulſ. amygdal. & ſaccharo; & uinum præſcribatur medicatum, in totam hyemem, ad menſam, iiſdem lignis decoctum componentibus, adeò ut quælibet uini ſitula admittat dictorum lignorum ℥ iii.

Atque iam dictis congrua victus ratio addatur, ab Excell. Adſtante Romano præſcribenda, cuius prudentiæ propoſita omnia libenter committimus, & à D. O. M. Illuſtriſſimo, atque Excellentiſſ. Viro optimè de omnibus merito ſalutaria precamur.

GALLI.

XXXI.

GALLICA LVES, ET SPIRANDI difficultas.

QVod Illuſtriſs. Patiens affectu duplici detineatur, quorum alter uniuerſalis continuò totum corpus obſidet, alter verò particularis per uices pectus moleſtat, manifeſtiſſimum eſt. Galliea namque lues olim corpus contaminauit, indeque per ſanguinem corruptum ad totum diffuſa, ſua praua, acri, & exurenti qualitate, dolores modò in capite, modò in brachijs ſuſcitauit; imò & ab eadem crudo ſucco infecto, ſub capitis membrana carnoſa concluſo, tumores ſuborti ſunt; quæ omnia ab imminuta expurgatione tunc temporis remiſſiora quidem fuerunt, non tamen radicitus extirpata Gallica Lues; unde tandem, præterito appetente autumno, dolores in capite recruduerunt, cum aliqua forſan gummatoſa protuberantia. His autem, duobus abhinc menſibus, alter acceſſit principalis affectus anheloſus, noctu potiſſimùm Illuſtriſs. Virum infeſtans, cum ſterni doloribus, à quo, procedentibus ſputis uiſcidæ, & lentæ materiæ, leuari ſolet. Spirandi uerò difficultatis cauſa immediata eſt anguſtia in bronchiis pulmonum, quæ ab obſtructione pendet; ſicut obſtructio à catarrhali materia uiſcida, ac lenta, non quidem in pulmonibus genita (continua enim foret affectio) ſed aliunde tranſmiſſa, nimirum à capite, naturali intemperie calida, & humida donato, atque à hac Celtica adhuc magis intemperato, necnon à toto eodem tabo infecto; non parum quinetiam anhelitum coarctantibus flatibus, à cruda materia, in uentriculo imbecillo producta, eleuatis ad ſeptum tranſuerſum, illudque comprimentibus. Morbum autem oſtendit ſanatio, eiuſdem ſcilicet materiæ viſcidæ per ſputum exeretio, & forſan flatuum manifeſta reſolutio.

Vt autem in priſtinum ſalutis ſtatum redigatur Illuſtriſs. Vir, non ſolùm ſedula, & accurata medica curatione indiget; verùm & opportunum anni tempus deſideratur, ut Quos, Quibus, & Quando Gal. præcipit, & Hipp. quos purgare oportet, & quibus uenam inci-
a 6. Aph. 47. dere, Vere a id faciendum iubet; maſſa namque ſanguinis ualdè gallico tabo inquinata apparuit, vt mitum non ſit, ſi medicamenta hucuſque importuno tempore adminiſtrata, non ſatis contulerint. Quare proximo Vere, nec citius, exacta inſtituta purgatione, ſanitati certò reſtitui poterit, intentionibus ſatisfaciendo, à Viro Excellentiſſimo propoſitis.

Interim, cùm poſt triplicem ſanguinis miſſionem, totius item repetitam purgationem, & alexipharmaci uſum cum ſudore, nihilominus tum capitis dolores, tum eiuſdem tumores, & ſpirandi difficultas contumaces perdurent, ad medicamentum noſtrum, licet methodici Vere præbendi ſuccedaneum, modò nos confugere poſſe cenſeo, quod caſu præſenti parabitur, tum morbis, tum temperamento, ac ſtatui Illuſtriſs. Ægri accommodatum, ex ſalſa, Viſco Quercino, pauco ſaſſafras, rad. Enulæ, Pumice lapide, & Antimonio crudo; cuius rectus uſus ſeorſum deſcribetur, & cum medicamento ipſo tranſmittetur. Mane autem, ante huius ſyrupi uſum, exhiberi poterit bolus ex terebinthina noſtra, cum butyro ſulphuris. Verùm antequam ad dictum alexipharmacum accedat, optimum fore ducerem, ſi bis ſaltem, aut ter, duobus interpoſitis diebus, aſſumat pil. cochias, aureas, & de agar. Meſ. an. ℥ ſ. aut ℈ i. cum ſemiſcrupulo mercurii dulcificati, quibus, hora poſt, ſuperbibat ius Maluæ, uel hordei. Ab uſu uerò noſtri medicamenti, Vinum ſalſa, uiſco querc. & china medicatum, potui quotidiano, tota hac hyeme, parari poterit. Atque ita congrua victus ratione præſcripta, ad meliorem ſtatum redigi poſſe Virum Illuſt. ſperare iuuat; prout proximo Vere optimum conſecuturum; licet reuera aliquando medicamentum huiuſmodi effectus etiam præter noſtram expectationem ediderit. Faxit Deus, ut idem Viro huic Illuſtriſs. feliciter contingat.

Deco-

DECOCTVM SPAGYRICVM

℞. Antim. crudi elect. Lapid. Pumic. albiſs. atque leuiſs. an. ℥ iij. Contund. craſſo modo omnia ſeorſum, & m. in ſacculo reponantur; deinde adde Salſæ Parill. elect. inciſ. Viſc. Querc. ueri an. ℥ i. Rad. En ul. ℥ ſ. Saſſafras ʒ ii. Aq. Font. optim. ℔ v. m. f. inf. per horas 24. ſine ſacculo, poſtea bulliant, & initio ebull. adde ſacculum, ad conſumpt. duarum tertiarum, vt remaneat ℔ i. ſ. Facta autem forti expr. colat. ſeruetur pro duabus vicibus.

PRO POTV CONSVETO

℞. Antim. erud. elect. Lapid. Pum. an. ℥ vi. contund. craſſo modo ſeorſum, & in ſacculo recondantur. Deinde ℞. Salſæ elect. inciſ. Viſci Querc. Veri an. ℥ i. ſ. Aqu. Fontis opt. ℔ xv. fiat infuſio ſine ſacculo, per horas 24. Inde bull. ad conſumpt. dimid. ſed in principio ebullitionis, indatur ſacculus; Colaturæ uerò adhuc feruenti, addatur Sacch. fin. ad lubitum, & fruſtulum Cinnamom. aut Cortices Citri recent. ad ſuauitatem potui comparandam.

XXXII.

GALLICA LVES, ET Affectio Hypochondriaca.

IVuenis annorum 26. temperamenti calidi, & humidi, deſtillationibus obnoxius, iiſque ſæpius ſalſis, quatuor abhinc annis, anno ſcil. 1657. Autumno ineunte, gallicam contraxit gonorrhœam, à qua, accurata purgatione, cum alexipharmacis liberatus fuit; Vere tamen ſequenti 1658. ex eodem concubitu in eandem relapſus eſt; uerùm cum doloribus uagis totius corporis, & potiſſimum articulorum. Verùm iterum, atque iterum expurgatus, decoctum ex ligno, ſalſa, & ſantalis 39. dies, cum ſudore aſſumpſit, mox aquam Beatæ Virginis, quindecim dies; perſtitit tamen gonorrhœa, licet imminuta, cuius cauſa uſus eſt conſerua roſarum menſis ſpatio; cui necdum eadem ceſſit, ad Ver vſque 1659. Atque hyeme ſalſam deſtillationem paſſus eſt, ad fauces, cum eroſione, & vlcere; unde Vere rurſus adhibita purgatio, & præſcriptum ius china, ſalſa, & ſantalis alteratum; à cuius uſu appetentia omnino deiecta eſt, & hyeme 1660. ferro ignito ulcus depaſcens, circa gulam firmatum. Verùm repetito eodem concubitu infecto, inualuit quoque deſtillatio ſalſa, ob quam noua purgatio, cum decocto chinæ, & ſudore præſcripta fuit; quo tempore pleuritide correptus, in 7. remediis liberatus fuit, ſuperſtite tamen moleſtia, cum dolore eiuſdem partis continuo, qui motu, aut alio errore ingraueſcit. Quare hyeme 1661 febre xx. dies, cum dolore eiuſdem partis, & totius thoracis laborauit. & Vere rurſus pleuritide, ſputis adhuc manantibus ſanguine tinctis; qua tamen reſoluta, integra ualetudine uſus eſt, ut ipſe aſſerit. Verùm exhibita aqua Beatę Virginis, cum infuſione ſalſæ per manicam Hipp. traiecta, ſudores excitauit, & tandem febrem cum uocis abolitione, reſtitutæ tamen menſe Aprili, pleuritidis occaſione. Vnde modò perſiſtit dolor in latere ſiniſtro, cum flatibus, & rugitibus per vniuerſum abdomen oberrantibus, nec ſine leuamine aliquando erumpentibus, cum difficili anhelitu, & exhalationibus uires debilitantibus, & deliquia inducentibus, a quibus cordis palpitationes ortum ducunt. Accedunt metus mortis, & mœror continuus, poſt febrem, & pleuritidem. Quare de agendis conſulit.

Quartus iam uoluitur annus, quo Comes Illuſtriſs. Gallica lue, ex concubitu Venereo frequenti contracta conflictatur, quæ primò gonorrhœa; ſecundò eadem cum doloribus totius corporis, ſed potiſſimum articulorum vagis; tertiò faucium, & ipſius columellæ eroſione; & tandem bis, & ter repetita pleuritide ſe nobis prodidit. Quare non ſolùm primum, & ſecundum gradum ſuperaſſe; verùm & tertium ſaltem attigiſſe, cum Hippoc. & forſan etiam cum Galeno aſſerendum eſt; cùm euidentiſſimè impetum facientia, Con-

tenta,

Google

tenta, & Continentia contaminata appareant; non adeò uerò manifeſtè ſpermatica, atque ſolidiora corpora. Medicis autem auxiliis, primo Autumno adminiſtratis ceſiſſe quidem obſeruata eſt hæc lues (licet eo anni tempore rarius id contingat) Vere tamen ſecuto ab eodem concubitu rurſus, inualuit, doloribus articulorum obortis, ab infectis humoribus ad eoſdem influentibus; neque alexipharmacis cum ſudore extinctam omnino fuiſſe, non leue indicium præbet, quòd ab aquæ thermalis potu, non modò deſtillationibus obnoxiis, verùm & multò magis gallico viru inquinatis infeſto, ſecuta hyeme, catarrhalis gallica deſtillatio adeò increuerit, ut fauces exulcerare, & in columellam ſæuire cœperit; ut propterea à medicamentis ad ferrum, & ignem Excell. Adſtans deuenire coactus fuerit. Neque mirum accidit, ſi ſalſedo à Gallica lue ſemper acrior ſit reddita, cùm verus, atque legitimus Gallici characteriſmus ſit, non modò calor, uerùm & ipſa aduſtio. Et quoniam vigente contumaci gallica lue, alexipharmaca non fuere omittenda; ideo iure decoctum habita uirium ratione, ſine ſudore rurſus præſcriptum fuit, à quo liquati, non verò expulſi humores, per atterſas ad pleuram confluentes, eandem inflammarunt, & pleuritidem iterum, atque iterum induxerunt; cui ſanandæ eductus ſanguis, columellæ, & circumpoſitis muſculis, forſan inflammatis, præſenti adeò remedio eſſe potuit, ut uox antea intercluſa reſtituta fuerit. Verùm quia pars affecta imbecillis permanſit, nec ſine aliquo doloris ſenſu, ideo exiſtimandum, inter pleuram, & muſculos intercoſtales, ſpatium aliquod excauatum fuiſſe, à quo nonnunquam cruenta tranſudet materia, unde ſputa quoque cruore tincta reddantur. Deſcribit præterea Illuſtriſs. Patiens familiari epiſtola proprium mortis metum, perpetuum mœrorem, rugitus per hypochondria oberrantes, & eum leuamine nonnunquam erumpentes; difficilem item anhelitum, exhalationes ad caput, viſum ſubitaneam imbecillitatem, & ueluti animi deliquia, cum cordis palpitationibus, ſymptomata eundem melancholicum hypocondriacum indicantia.

Patiens Illuſtriſs. nulla ratione abſque cura deſtituendus; etenim licet Gallicus affectus frequentibus purgationibus obſtitiſſe videatur, dubium tamen, an pertinacius hic renixus ſit, an Patiens potius nouam labem contrahens; quanquam paulò difficiliorem reddere poterit ſanationem hypochondriaca affectio, demum accedeus, cuius ratio erit habenda, ea interim curatione propoſita, quam patientis uires, & anni tempus permittere poſſunt.

Quare omnium primò uentriculus, & primæ viæ expiandæ. Secundò obſtructiones ſiccæ, & melancholicæ ſuperandæ. Tertiò maſſa ſanguinea expurganda. Quartò alexipharmacis gallica lues expugnanda, atque eodem tempore caput, & pectus exſiccanda, ac tandem hypochondriorum uiſcerum, & totius æſtus contemperandus.

Quibus explendis, inter chirurgica remedia, ex uſu eſſe poſſet parca ſanguinis miſſio; potiſſimum ex hæmorrhoidibus, cùm ſupponam nuper ex brachiis, ratione affectus pleuritici, eductum fuiſſe. Cauterium item leue brachio inurendum.

Ex Pharmaceuticis, ptimum Leniens ſit manna clarificata, aut caſſia, cum leuitiuo, & tartaro. Præparans verò ſine diluto iulapium acetoſum, & mel roſ. ſimplex. Purgans eadem mannæ potio clarificata, additis infuſioni conſuetæ Agaric. & rhab. à quibus hauriendum ſerum depuratum, arcendæ exſiccationi à medicamento. Secundi præparantis loco, erunt ſucci potius, quàm ſyrupi in officinis parati, vt ſuccus cichorei depuratus, borraginis, & agrimoniæ, ad exſiccatas obſtructiones reſerandas, ad ℥ iii. in iure cichoraceis, malua, beton. alterato, qua ſecuta præparatione, purgans exhibendum, electuar. ſcil. lenit. cum diaphœn. & confect. hamech. exhibito hora poſt ſero depurato copioſo; uel infuſum agarici, rhabar. ſennæ, epithymi, in aqua meliſſæ, addito ſyrupo roſ. ſolut. & de polypodio, atque tribus horis ab eo, epoto ſero depur. ad ℔ ii.

Hac repetita expurgatione abſoluta, loco decoct. epithym. Meſues, conuenire poterunt pilulæ cochiæ cum helleboro additis aggregatiuis, & de agarico Meſues, cum granis mercurii dulcis, ſemel, aut iterum quarto quoque die præbendæ, cum copioſo ſero depurato; diebus intermediis exhibendo ſuccos depuratos borrag. fumar. & beton. ad ℥ iii. in iure, prædictis alterato, non omiſſis interim leuiotibus naſariis. Ab his verò ad alexipharmacum deueniendum, quale erit aqua ex infuſione ſalſæ, chinæ, uiſc. quercini, ſantalorum, radice rhodia, pumice lapide, & antimonio crudo, quæ hic Patauii optimè paratur, & ad regiones exteras hinc longius tranſmittitur; mirabiles enim, & præter ſpem eiuſdem effectus in pluribus obſeruaui, quibus decoctum cum ſudore, aut à virium imbecillitate, aut ab anni tempore frigido, uel calido, aut à patiente obluctante non admiſſum fuerat. Sumi-

tur

ſur autem ad 30. vel 40. dies, non ſolùm loco ſyrupi matutini, ſed etiam pro potu quotidiano ſine tenui uictu.

Interim victus ſit ex alimentis probi ſucci, uèl abſque mora domi, ſeruata tamen omni à uino, & Venere abſtinentia. Huic autem decocto præmitti poterit bolus ex terebinthina noſtra, cum butyro ſulphuris, ut accuratius deſcribetur. Tandem ad vſum ſucci cichor. & borrag. depurati, in iure cichoraceis, & malua alterato erit perducendus Illuſt. Patiens, ad xx. dies, prout & ad uſum conſeruæ roſarum potiſſimum à cibo. Latus affectum ſtatim illini poterit ung. roſ. tinctura corallorum chymica, & balſamo ſubacto.

Quibus omnibus uictus ratio proportione reſpondeat, quã, prout cætera omnia, ſapientiſſimi viri optimæ adminiſtrationi committo, ut finem optatum conſequi poſſint.

XXXIII.

GALLICA LVES IN Calculoſo.

REuerendiſſimus Patiens annorũm 41. temperamenti ad calidũm & ſiccum vergentis, mediocris habitus, calculis opportunus, poſt uſum aquarum uitriolatarum corripi cœpit doloribus ventriculi, hypochondriorum, atque lumborum, à quibus liberatus eſt copioſis euacuationibus, tum excrementorum, tum flatuum. Menſe uerò Nouembri proximè præterito gonorrhœam contraxit, à qua conualuit, ſebre ſuperueniente, quia caſſiam aſſumpſit, & ſanguis ex pede fuit detractus, quindecim tantùm diebus à gonorrhœę inſultu. Interim ab eadem immunis, vix priſtinas uires inſtaurare potuit menſium ſpatio. Verùm menſe Ianuario, dum rurſus cum eadem muliere concubuit ſemel tantùm, nulla ui, rurſus gonorrhœa illum aggreſſa eſt, & Martio ſequenti dolores acceſſerunt circa noctem mediam inuadentes, in dorſo circa uertebras lumbales, à quibus adeò excruciatus eſt, ut è lecto ſurgere coactus ſit, motu ſiquidem nonnihil leuabatur; mox dolor aliquis manum quinetiam ſiniſtram, in carpo, & digito indice diuexare cœpit, citò tamen euaneſcens. Prodeunt per vrinam arenulæ, & uiſcidę materiæ eandem aliquando intercipientes; nunquam tamen calculi, licet aliquando dolorem in rene, nephriticis non abſimilem, citò tamen difflatum perceperit. De agendis itaque conſulit.

Patiens Reuerendiſs. Calculoſus, ad aquas uitriolatas potandas iam profectus, quoniam ab earum uſu, liberæ omnino vitæ ſe tradidit; ideo uentriculi aliqua imbecillitas inde ſucceſſit, & ſuperſtes fuit, à qua cruditates genitæ, & in meſenterio, atque inteſtinis coaceruatæ fuere, à quibus eleuati copioſi flatus dolores nentriculi, hypochondriorum, atque lumborum, ratione meſenterii, induxerunt, quibus leuabatur copioſa eorundem euacuatione, ut proinde a morbum oſtenderet ſanatio. a 2.Aph.17 Menſe verò Nouembri proximè præterito gonorrhœam contraxit, à qua breui conualuit, accedente febre, dum caſſiam aſſumpſit, & ſanguis ex pede illi fuit eductus, quindecim tantùm diebus à contracta gonorrhœa, unde mox uix priſtinas uires ſpatio menſium recuperare potuit; dum interim menſe Ianuario rurſus ab eadem muliere gonorrhœa inſectus eſt, & menſe Martio ſequenti dolores acceſſerunt, circa noctem midiam inuadentes circa uertebras lumbales, à quibus adeò eruciabatur, ut è lecto ſurgere cogeretur, à motu namque nonnihil leuabatur; unde dolor aliquis manum quoque ſiniſtram in carpo, & digito indice inuadere cœpit, citò tamen tranſiens, qui quidem dolores ſicut à capitis aliqua deſtillatione, gallico tamen infecta; ita & à tota maſſa ſanguinea, eadem praua, & occulta qualitate conſpurcata prouenire poſſunt, cùm poſt primam gonorrhœam nunquam ab hac lue immunem fuiſſe putem, quia nunquam deinceps priſtinas uires, faciei colorem, & conſuetum habitum adipiſci potuit, inſecti, & corrupti ſanguinis, ac proinde ſpirituum manifeſto indicio, accedente inſuper noua eiuſdem contagione Ianuario menſe.

Quare medico auxilio, ſed celeri eget, antequam Gallicum uirus ulterius ſe diffundat,

quod præſtabimus, totum euacuando, ac maſſam ſanguinis depurando; & alexipharmacis gallicam infectionem debellando.

In quem finem conuenire poterit repetita ex brachio ſanguinis miſſio, & tertiò quin-etiam à uenis ſedalibus.

Mox congruis medicamentis primarum uiarum expurgatione facta, quam Viro præſtantiſſimo proponere ſuperuacuum fuerit, efficacior erit procuranda pręparatio, hoc tempore, ſuccis depur. potius, quàm ſyr. ſaccharatis, aut mellitis: quales eſſe poterunt cich. borrag. fumar. beton. an. ℥ i. in decoct. cichorac. additis meliſſa, carduo ſancto, & fumaria, ut poſt aliquot dies præbeatur purgans ex caſſia, confect. hamech. & diaphœn. exhibito ab eo ſero depur. ad ℔ ii. Inde ad maſſam ſanguineam euacuatione emundandam deueniendum, uel decoct. epith. Meſ. ſyr. roſ. ſolut. contemperanda, uel, ſi potionem reſpuat, extracto hellebori, cum caſſia; uel, & forſan melius, uſu pilul. quæ poſſint à toto, & à capite humores educere; quales erunt aggreg. & cochiæ cum helleboro præp. addita quoque portione aurear. quibus, duabus poſt horis, ſuperbibat ſerum copioſum, uel aquam hordeac. aut Nocerianam, ne ſiccitatem, aut caliditatem ab euacuatione relinquant; quibus ter, quarto quoque die, erit utendum, atque intermediis diebus, ſucci prædicti depur. erunt exhibendi. Capite interim, ſi opus fuerit, leui aliquo errhino ex pulu maioranæ, ireos, & nigellæ expurgato; ut demum ad Luem gallicam extirpandam progrediamur, decocto cum ſudore in hypocauſto, cuius baſis erit ſalſa cum exiguo ligno guaiaco, addito uiſco quercino, & lentiſco. Atque, ne iecoris, & renum calorem adaugeat, parari poterit in aqua ſtillat. cich. & beton. addito ſub finem manipulo iuæ; in cuius uſu perſiſtat ſaltem integrum menſem. Quod ſi ſudor non adeò facilè proliciatur, præmittatur illi bolus ex extracto ſalſæ paratus.

Victus autem, qui Viro præſtantiſſimo magis accommodatus uiſus fuerit, ſeruetur. Peracto ſudore, ſuccus aliquis calorem contemperans præſcribi poterit, 20. dies aſſumendus, ad ℥ iii. in iure; qualis erit depur. acetoſæ, vtpote ſuauior. Interim, tempore aduentante renouandi uſum aquarum uitriolatarum, ad illas ſe conferre poterit, tum calculoſæ diſpoſitionis ratione, tum ad iecoris calorem, ab hac curatione adauctum contemperandum, à quarum uſu, cautiorem uiuendi rationem omnino ſeruare debebit, à Viro præſtantiſſimo præſcribendam. Quæ omnia faxit Deus, ut iuxta uota ſuccedant.

XXXIV.

DOLORES ARTICVLARES GALLICI.

SI doloribus articularibus aliàs diuexatus fuit Nob. Patiens, non alterius, ſed eiuſdem ſpeciei potius nouiſſimos in brachio fuiſſe certò credendum. Et quoniam prægreſſa eſt capitis grauitas, præter conſuetum moleſta, quinimò naturalis calida, & humida capitis intemperies, modò ſub cęlo ſubtiliori, ac frigidiori magis adaucta eſt; ideo ab humore pituitoſo, à capite deſtillante, & per muſculorum interſtitia potius, quàm per uaſa ad brachii articulum pertingente promanaſſe credendum, & aſſerendum; per uaſa enim podagram potius, ex ſanguine à bile, & pituita corrupto, quàm Arthritidem, quæ ex bile, & pituita commotis fieri ſolet, excitaſſet, ut diſtinctè magis ipſo Gal. nos docuit Hipp. de Affect. [a]

a Nu.31.& 32.

Hanc verò, ſicuti citra articulorum imbecillitatem, uel naturalem, uel ex bellicis incommodis comparatam, tanquam cauſam ſine qua non concurrentem, minimè fieri poſſe certum eſt; ita gallicos quoq; characteres in ſe continere iure meritò credendum, ſi præteritas gonorrhœas neglectas, malèque curatas conſideremus.

Quod autem Patiens liberari poſſit, nullum dubium eſt; cùm tophos [b] nondum contraxerit; inſanabilis enim euadit affectus, quia principijs [c] non obſtamus. Neque de præſeruatione hæſitandum, dummodò hæreditaria non fuerit. In quem finem, ineunte Vere, purgatio accurata adminiſtranda erit, totum, & caput euacuando, eiuſdem intemperiem corrigendo, uias exſiccando, & articulos roborando.

b 10. per Loca 2
c Aret. 2. Diut. Aff. Cap. 12.

Ideò

Ideo ſanguinis miſſio ex illæſo brachio primò, mox & ex hæmorrhoidibus procuranda. Neque cauterium in brachio ſiniſtro inutile futurum credo.

Ventris expiatio commodè fieri poterit Elect. lenit. cum cremore tart. vel ſyr. roſ. ſolut. melle roſ. ſolut. & manna.

Prima verò præparatio, melle roſ. & oxymel. ad ℥ iij. ſine diluto, quinque dies. Prima expurgatio. lenit. diacathol. & crem. tartari. Secunda præparatio, oxymel. ſyr. de betonica, & de iua, cum decoctione cichor. borrag. end. beton. meliſſæ, hyſſopi, & iuæ. Inde præparati humores expurgandi elect. lenit. diaphœnic. & magiſt. Ialappæ; uel infuſione agar. rhabarb. ſennæ, cinnamomi; additis melle roſ. ſolut. & manna. Hoc verò tempore, ſi adſit uentriculi imbecillitas, aquæ Tettucianæ cum uehiculo mel. roſ. ſolut. tribus diebus exhiberi poterunt; ſin minus, ſtatim ad puluerem hermodac. erit progrediendum, tribus alternis diebus exhibendum, ſi materiæ quidquam adhuc in articulo concludatur; qua non præſente, pilulæ erunt præferendæ cochiæ, aureæ, aggregat. & de hermodactylis, additis ſemper gr. viij. aut x. Mercurij dulcis, alternis diebus, tribus vicibus præcipiendæ; caputpurgiis interim, errhinis potiſſimum non omiſſis.

Toto, & capite expurgatis, capitis intemperies humida corrigenda, articuli roborandi; & uiæ exſiccatione arctaudæ. Quæ omnia præſtare poterit ſudor in hypocauſto prolectus, præmiſſo decocto ex Guaiaco, uiſco querc. lentiſco, & ſantalo, addita iua ſub finem ebullitionis. Sumat tamen antea bolum paratum ex puluere viperino, oſſium combuſtorum, & ſale iuæ, ſucco eiuſdem ſubactum. A terebiuth. uerò abſtinendum, dum ſudorem excitare volumus; urinam enim ciens, eundem auocare poteſt; nec duo motus diuerſi eodem tempore tentandi.

Congruam verò iam dictis addat victus rationem.

XXXV.

DESTILLATIO GALLICA, ET Dolores Articulorum.

ILluſtriſs. & Excellentiſs. Vir, 45. annum agens, temperamenti totius, & iecoris, calidi & ſicci, capitis calidi, & humidi, mediocris habitus, cùm octodecim abhinc annis in Creta moraretur, pati cœpit ſpirandi difficultatem, & fluxionem catarrhalem, à capite in pectus decumbentem, quæ tunc temporis medicamentis quidem utcunque ceſſit; uerùm anno 1658. in Dalmatia degenti recurrit; & tandem 1660. prætetitis longè grauior Venetijs ipſum inuaſit, adeò ut ulcus etiam in lingua excitarit. Et quoniam frigidæ potioni erat aſſuetus, cùm medicorum conſilio ab eadem abſtinuiſſet Excellentiſs. Vir, affectione omnino vacauit; hyemem tamen integram febricitans tranſegit, cum ſudore, à qua liber euaſit anno ſubſequenti, dum ſub finem Veris, præmiſſa potione clarif. totius Mercurialis inunctio adminiſtrata fuit; cui, octauo die, graues, & moleſtiſſimi ſuperuenerunt dolores, tum in genibus, tum in reliquo corpore, tumorque gummatoſus in vertice capitis extuberauit, quorum cauſa, Menſe Auguſto ineunte, repetita fuit eadem inunctio, à qua ſenſit Exc. Pat. vehementem totius corporis caliditatem, & potiſſimum in faucibus, in quibus ulcus ſubortum eſt, cum polypo in nare. Ab eodem ulcere tamen liber euaſit, Chirurgica manu 1664. & hyeme aliquantò melius habuit; verùm paulò poſt inualuit fluxio, ob quam, antimonialem aquam, aut Mercurialem aſſumpſit, nec tamen ceſſit quicquam, prout neque polypus; dolores autem corporis potius moleſtiores ſunt redditi, licet iiſdem ſuperandis puluis quoque ab eodem empyrico, multis diebus, ei exhibitus fuerit. Modò nos pro ſalute, conſulit.

Cui conſequendæ, manu Chirurgica eget Exc. Pat. Et primò quidẽ ad narem curandam, ut oſſa labefactata decidant, aut auferantur; & ut ulcus calloſum, ſeu fiſtuloſum, accommodatis remediis, cicatrice obducatur. Interim tamen, quoniam omnia iam præterita, & præſentia mala duplicem cauſam internam agnoſcunt, quarum altera in manifeſta, altera in occulta qualitate ſita eſt; ideo utraque idoneis, & propriis remediis omnino extirpanda,

ut praui, atque uarij inde emanantes effectus ex toto auferantur.

Sicut igitur ſpirandi difficultatem à materia catarrhali, ex capite calido, & humido ad pectus delabente, & in bronchijs pulmonum anguſtiam efficiente; ita ab eadem, lue gallica infecta, tum ulcera renouata in faucibus, tum in naribus polypos, atque febriculas ueſpertinas excitatas fuiſſe certò credendum; quæ quidem hucuſque debellari non potuerunt, quoniam nec humida capitis intemperies, propriis exſiccantibus curata fuit, nec gallica lues alexipharmacis oppugnata, ut propterea mercurialibus medicamentis, tum internis, tum externis non ceſſerint affectiones; quia ſcil. Mercurius humores contumaces poteſt quidem liquando è corpore deturbare, atque extrudere; luem tamen Celticam viſceribus, partibusque ſolidis inuſtam extinguere minimè poteſt; quinimò, utpote neruoſis partibus infenſus, in iiſdem, uel dolores, uel laxitatem, & imbecillitatem ſaltem inducere ſolet, ut in Excell. hoc Viro, tabo gallico adhucnum inquinato, ad tertium uſq; gradum progreſſo, ut dolores, non ſolùm artus, uerùm & internodia excruciantes, gummatoſus tumor, qui iam euanuit, præterita in faucibus ulcera, & potiſſimum in nare polypus, ulcus, & oſſa carioſa abundè teſtantur.

Status autem Excell. Viri infelix, & ærumnoſus, tuta, ſed cauta ualdè ope medica eget. Tuta quidem, ut medicamenta accommodata, & alexipharmaca, leuioribus omiſſis, adminiſtrentur; cauta autem, habita gracilitatis corporis, uiriumque languentium ratione; quę difficiliorem reddere potuerunt curationem, cùm ualida præſidia poſtulet affectuum pertinacia; quibus tamen uires pares non fuerint. Nihilominus quoniam, ut diximus, nondum adæquata fuit expertus remedia; ideo iiſdem rectè adminiſtratis Excell. Virum, ætate adhucnum uigente gaudentem, hac à nobis in præſens præſcribenda curatione, ad multò meliorem ſtatum redigendum, & tandem conualiturum ſperare iuuat.

Primò itaque primæ uiæ expiandæ. Secundò maſſa ſanguinea, & caput expurganda. Tertiò alexipharmacis Gallicæ lui occurrendum, & capitis intemperies humida exſiccanda. Quartò iecoris, & totius ſanguinis calor contemperandus. Quintò à Chirurgo narium mala perita manu curanda. Et tandem idem caput roborandum.

Et à Chirurgico fonte, licet corpus ſit doloribus, totque malis confectum: nihilominus iecoraria dextera tundenda erit, ut craſſioris, & magis exuſti ſanguinis modica portio effluere permittatur; quinimò, ſi ualdè craſſus, & exuſtus appareat, uenæ quoque ſedales reſerari poterunt, ut ab his pariter pauca ſanguinis quantitas extrahatur. Cerata Mercurialia internodijs, necnon capitis uertici, ſi opus fuerit, admoueantur.

Atque in pharmaceutico manna clarif. lenientis loco præſcripta fuit; prout per quinque dies præparans ex iulap. acet. cortic. citri alterato: à quibus idem poterit repeti leniens; cui ſuperbibat aquam, aut ius hordeaceum, incipiente primùm euacuatione. Inde ad ulteriorem præparationem progrediendum, herbarum ſuccis potius, quàm ſaccharatis, aut mellitis. Quare paretur ſyrupus ex ſuccis depurat. cich. borrag. beton. an. ℥ i. in decoct. endiuiæ, malu. uiolar. meliſſæ. beton. in quorum uſu perſiſtat octo ſaltem dies; mox præbeatur purgans ex eadem manna clarif. addendo infuſioni conſuetæ agar. & rhab. à quo ebibat ſerum capr. depurat. ad ℔ ij. Duobus uerò ſequentibus diebus, repetantur ſucci iam dicti, addito quoque ſucco fumariæ. Mox neceſſaria erit omnino decoctio epith. Meſ. quæ tamen habita caloris, & extenuationis ratione, temperari poterit ſyr. roſ. ſol ad ℥ iii. an. cui omnino ſuperbibat ſer. depur. ut ſupra. Mox ſucci repetantur, & quarto quoque die, bis, aut ad ſummum ter decoctio eadem exhibeatur.

His peractis, ad ſacram anchoram deueniendum, decoctum nimirum cum ſudore, quod ita Excell. Pat. accommodatum fuerit. ℞. ſalſæ electæ, chinæ optimæ an. ℥ i. pulpæ guaiaci ping. & tec. uiſci querc. an. ℥ ſ. aq. deſtill. cich. beton. an. ℔ i. ſ. aq. iuæ arthrit. ℔ i. m. f. inf. per hor. 24. deinde bull. ad conſumpt. dimidij, & facta colat. ſeruetur pro tribus uicibus, matutino tempore, hora una ante hypocauſti uſum aſſumenda; cui præmitti poterit bol. ex ℈ i. extr. ſalſæ, ad faciliorem ſudorem ciendum; hac lege, ut primis diebus parùm admodum in hypocauſto moretur, ſed manante primū ſudore, ad lectum reducatur, ut in eodem ſudet; mox paulatim, progreſſu dierum, paulò diutius ſudet in eodem hypocauſto, ita ut tamen nunquam horæ dimidium excedat.

Decimo autem quoque die, potionem clarif. aſſumat, & quotidie, præter biſcoctum, pineos nucleos, amygdalas, & paſſulas, ſemper aliquod nutriens ipſi concedatur; frequenter autem ptiſana hordeacea, cum ouo recenti; ſic & panatellæ cum emulſ. ſemin. melon. & amygdal. dulc. aliquando uerò pullus iunior, uel aſſus, uel etiam elixus. Verùm omnino à

vino

vino abſtineat, & aqua ſuauior, quoad fieri poterit, ita præſcribatur. ℞. reſiduum, aq. dulc. ℔ xii. m. bull. ad conſumpt. tertiæ; in fine ebul. adde cinnam. integri ʒ ii. bul. par. & in colat. adhuc feruenti diſſolue ſacchari finiſſimi ℥ iiii. ſeruetur pro potu conſueto. In huius uſu perſiſtat toto menſe Iunio, & diutius quinetiam, niſi tempeſtatis feruor immodicus obſtiterit. Ex prædictis verò parari poterit decoctum, ſed efficacius, in nares frequenter adducendum.

Peracto ſudore, iecoris, & ſanguinis calor contemperandus; in quem finem xv. aut xx. dies aſſumere poterit Excell. Pat. ſuccum acet. depur. ad ℥ iii. in iure pullæ iunioris, fiet enim potio acidula, ſed ſuauis, & ſatis iucunda; atque interim, ueſperi ſub tempus decubitus, uſum adhibeat conſeruæ modò roſarum, modò è floribus betonicæ.

Et congrua his omnibus addenda uictus ratio; ab alimentis calidis, uaporoſis, ſale conditis, & à uinis generoſis abſtinendo. Quæ omnia à D. O. M. Viro Excellentiſſimo ſalutaria enixè precamur.

XXXVI.

PRO EODEM
Conſultatio Secunda.

QVod Illuſtriſs. atque Excellentiſs. Pat. à dogmaticis, ac legitimis noſtris auxiliis leuatus quidem; verùm non omnino à lue Celtica, & catarrhali deſtillatione liberatus fuerit, mirum non videbitur Viris, vim huius confirmatæ luis, & naturalis à capite fluxionis intelligentibus, & conſiderantibus, aduerſus quas affectiones, tum tarda, tum empyrica, & ſpagyrica medicamenta importunè adminiſtrata fuere, quæ Virum Excellentiſſimum propriis uiribus priuarunt; adeò ut leui manu poſtea eundem curare, proprijs remedijs, nos coegerint, ut ad meliorem ſtatum ſaltem, ſi non ad ſalutem perfectam redigi poſſet, prout equidem res pro uoto ſucceſſit.

In præſentiarum autem, cùm de capitis, & narium dolore potiſſimum conqueratur, non ſine aliquo doloris quinetiam veſtigio in aliqua alia corporis parte, auxilium poſcit, ne totam hanc hyemem inſomnis ducat, præ doloris vehementia; neue malum altiores radices agat, oſſa corrumpat, & inſanabile euadat. Quod ut aſſequamur, manu chirurgica opus fuerit, ut portio oſſis ethmoidis corrupta, & carioſa ſeparetur, & ſuperſtes aduerſus hanc labem præmuniatur; cùm corruptiones huiuſmodi medicamentis tolli nequeant. Interim quoniam diximus, prædictas affectiones cum ſuis cauſis remiſſas quidem, non verò ex toto ſublatas fuiſſe; ideo repetenda medica auxilia, frigido non obſtante anni tempore, tepidiori in cubiculo ambiente parato, Veris tempus æmulante.

Et quoniam, iam proximis prætetitis diebus, expurgatum utcunque fuit corpus, extractuſque ex hæmorrhoidibus ſanguis; ideo his inhærentes, expiato ventriculo, ſecunda inſtituenda erit præparatio, totiuſque expurgatio; quarum cauſa, præſcripti fuerunt à nobis ſyr. præparantes, ex iulapio acet. ſyr. de beton. de fum. de pomis, cum accommodata decoctione; in quorum uſu perſiſtendum ad octo, uel decem dies. Mox præſcribatur purgans. ℞. decoct. epithymi Meſ. ſyr. roſ. ſol. an. ℥ iii. aq. flor. cit. par. m. pro potu; cui ſuperbibat ſerum depur. ad ℔ i. ſ. aur ii. Et licet eadem decoctio epith. Meſ. repetita conuenire videatur; attamen habita virium ratione, pilulę, eodem tempore, tum totum, tum caput ipſum ſatis commodè expurgare poterunt, hæ ſcil. ℞. pil. aggregat. aurear. an. ʒ ſ. cochiar. præpat. ℈ i. mercur. dulcif. gr. x. m. reſ. pilul. & aur. Præbeantur autem circa noctem mediam, à ſomno, à quibus rurſus dormiat, & ſummo mane exhibeatur ſer. depur. aur aqua hord. uel Nocer. contemperando pil. calori; ſunt autem tribus vicibus repetendæ, tertio, aut quarto quoque die, interpoſitis ſyrupis præparantibus.

Quibus peractis ſudor eſt repetendus, in hypocauſto, ſine quo nihil boni ſperari poterit. Decoctum autem erit quidem cautè parandum; uerùm quod luem quinetiam Gallicam extirpandi facultate polleat, quæ tum feruorem hepatis, tum acrimoniam, atque ſalſedi-

nem

nem materiæ catarrhalis fouere poteſt, quod huiuſmodi fuerit. ℞. ſalſæ parillæ, uiſci quercini an. ℥ i. pulp. guaiaci ping. & rec. ℥ ſ. aq. deſtill. cich. beton. an. ℔ ii. m. f. inf. per horas 24. deinde bull. ad conſumpt. dimidii, & colat. ſeruetur pro tribus uicibus matutinis, ante ſudorem aſſumenda, circa quem obſeruandæ erunt cautiones in ſuperiori conſultatione præſcriptæ. Sic & ſecunda aqua pro conſueta potione erit, ut ſupra, paranda incluſo tamen guaiaco lineo pano, dum decoctum paratur, ut in aqua ad potum omitti poſſit.

Sic pariter uictus ratio, in ſudoris uſu, erit iam præſcripta; prout & topicum decoctum in nares adducendum.

Nec omittenda, peracto ſudote, aliqua calorem iecoris & totius ſanguinis contemperantia, à Viro Excell. Adſtanti pro opportunitate præſcribenda; cuius prudentiæ reliqua quoque omnia adminiſtranda committo. Ita D. O. M. vota noſtra ſecundet.

XXXVII.

PROFLVVIVM MENSIVM.

a Tetr. 4. Serm 4. Cap 65.
b de Nat. Mul. 15.

NON ſine ratione credidit Aetius, a Virgines adoleſcentes à muliebri profluuio immunes eſſe, non ſolùm quia frequenter b à pituitoſo humore ſeroſitatibus permiſto proueniat, quibus non adoleſcens, ſed ſenilis ætas abundat (cuius cauſa contingere ſolet mulieribus, carnes laxas, molleſque habentibus) verùm etiam quia uterus laxior in ſenibus, quàm in iuuenibus, facilius excrementa à toto ſuſcipit; cùm vniuerſum corpus c per uterum ſoleat expurgari; ideo Puellam hoc affectu teneri, ut admiratione dignum, retulit ipſe Fernelius. Hoc autem affectu quinquagenaria hæc Mulier Nobiliſs. capta fuit; temperamenti calidi, & humidi, capitis humidioris, & calidioris hepatis. Verùm quoniam ſanguine quoque affluebat eiuſdem corpus; ideo non alba tantùm, ſed cruenta quoque materia ab utero manaris obſeruata fuit; neque mirum, cùm & ruber fluxus recenſeatur à Paulo, & Aetio, atque etiam Aretæus mille colorum ſpecies huiuſmodi fluxus dari afferat, qui tamen fluxus vltrò proceſſit, & dum ſanguine abundans Nob. Mulier uterum ſatis ſuperque fœcundum habuit; atque adeò à copia, non ſine aliqua acri qualitate eiuſdem ſanguinis, atque ipſius iecotis, & renum immodico calore, facultas expultrix irritata, ad uterum imbecillem redditum à pluribus partibus copioſum ſanguinem expulit, & quidem per circuitus, bis menſe, eiuſdem immodicum profluuium, ſiue uteri hæmorrhagiam excitauit. Hanc uerò ſequi ſolet, tum uentriculi, tum hepatis, & renum, ac totius corporis imbecillitas; unde omnium partium actiones lædi non mirum foret, ſicuti nec quod prope euacuationis tempus, à ſanguine iam ad conſuetum effluxum parato, tum renum, dorſique dolores, tum capitis grauitas, cum calore, & temporum pulſatione excitentur, ac pulſus concitatiori motu adeò agitentur, ut febris adauctæ ſpeciē repræſentent; prout tot febribus affici, & pluries per diem corripi, uix credere poſſumus. Ita ſenſum frigiditatis, ſanitatis quoque ſtatu, ab eadem Matrona, circa lumbos præſertim perceptum, modò adauctum, interni caloris uiſcerum indicium præbuiſſe affirmamus, cui dum linteis calidis proſpicere credidit ipſa, renum, & ipſius uteri per media ligamenta, calidam intempetiem adauxit, & à toto ſanguinem ad partes illas aduocauit.

c 3. de Sympt. Cau. 4.
d Aet. Ibid. Paul. 3. de Re Med. 63. Aret. Libr. 2. Cap. 11.

Status itaque huius Nob. Pat. periculi plenus; namque ſi menſtrua e plura fiant, accidunt morbi, & ſi non fiant, ex utero, imò & in utero, caſu noſtro, morbi contingere poſſunt. Plura verò caloris natiui imbecillitatem, indeque cachexiam, & uitæ diſcrimen minantur; ſi uerò fortè ſupprimantur, ut non rarò fieri ſolet, in uteri uaſis, & ſanguis craſſus in iiſdem diutius hæreat, menſium ſtillicidium contingere ſolet, cum cruciatibus; cui tandem tumorem prauæ conditionis ſuccedere videmus; unde difficilis neceſſariò euadit curatio. Attamen quoniam Muliet Nob. optimo temperamento, & habitu corporis donata eſt; necdum efficaciora temedia fuit experta, ideo ſaluti omnino deſperandum non eſt; ſed Exc. Aſſiſtentis ſolicita maximè diligentia freti, generoſiora Artis præſidia proponemus; quæ ſcilicet intentionibus neceſſariis ſatiſfacere poſſint, reuellendi, refrigerandi, incraſſandi, adſtringendi, calorem natiuum cautè fouendi, & uires conſeruandi.

e 5. Aph. 58.

Pro

Pro reuulſione uerò nullum validius remedium ſanguinis miſſione excogitare potuit ipſe Gal. f parca quidem, parum ante conſuetum circuitum, ex ſuperioribus venis. Pariter f de Sang. Miſſ. 18 non omittenda g cucurbitula magna ſub mammis appoſita, ut & uiſceribus ipſis. Ma- g 5. Apa. 50. nuum quoque calidæ lotiones, & arctæ ligaturæ frequenter adminiſtrandæ.

Ex fonte Pharmaceutico, non Pauci ſanguinis eacochymiam purgantibus medicamentis, præſertim cholagogis, euacuare contendunt; quibus tamen humores in vaſis magis ſemper excaleſiunt, & agitantur, unde profluuium ipſum inualeſcit, non animaduertentes, quod copioſa, & frequenti ſanguinis per uterum euacuatione, praua conditio eiuſdem iam ſit ab initio expulſa, & euacuata, atque adeò electiuè purgantium medicamentorum ceſſet occaſio.

Quare & nos, ad eiuſdem ſanguinis condenſationem, & viſcerum refrigerationem, uaſorumque adſtrictionem ſtatim deueniendum cenſemus; quæ præſtare poterunt Aquæ Brandulenſes, in agro Mutinenſi, ſiue Carpenſi enaſcentes; adeò enim præcellunt cæteris, ſanguini ſiſtendo, ut huic ſoli affectui ſanando dicatæ ſint. Exportantur autem abſque ulla propriæ facultatis diminutione; primis tribus, aut quatuor diebus cum vehiculo deiectorio, mox & diuretico aſſumendæ, qualis eſſe poterit ſpiritus uitrioli; Chalcanthum enim inſignem uim habet uaſa conſtringendi, & ſanguinem ipſum ſiſtendi.

Quæ tamen Aquæ, ſi præſtò non fuerint, effectus mirabiles præſtare uidemus noſtrum Circulatum Adſtringens, ex Sale Scoriæ Martis, & lapidis Hæmatit. mira induſtria D. Hieronymi Rizzetti Venetiis paratum, ad ſemidrachmam, in Aqua de ſucco Plantaginis, uel è tenerrimis quercus foliis deſtill. pluribus vicibus exhibitum.

Poſt hæc lumborum regioni ualida adſtringentia, & intercipientia ſunt apponenda, vt ℞. farinæ uolat. fulig. furni an. ℥ i. gypſi ʒ ii. pulu. conſtrict. ℥ ſ. alb. ouor. nu. iij. acet. roſ. ℥ i. ſucci portul. conſolidæ, plantag. an. q. ſ. m. ref. linim. tepidum applicandum. Tempore autem uſus aquarum refrigerantia quidem, non tamen ualdè adſtringentia ſunt admouenda.

Abſoluto verò aquarum uſu, exhibeatur Nob. Pat. ſuccus plantag. depur. ad ℥ ii. uel iii. in decoct. end. acet. polygoni, portulacæ, hepaticæ, in quo perſiſtat ſupra uiginti dies. Quod ſi aluum ſolicitare opus fuerit, lenit. utatur.

Interim calor natiuus, potiſſimùm uentriculi, erit cautè refocillandus; in quem finem grana maſtic. integra deglutita ex uſu eſſe poterunt; ſic & ſemina citri ſaccharo condita, confectio item Diarrhod. Abb. cum gutt. ol. cinnam. necnon ſal quoque abſinthii, in progreſſu.

Extrinſecùs pro hepate, patetur linim. ex ung. ſantal. oleo de abſinth. affuſo. Ventriculo nil applicandum, cùm ut plurimùm lobus ſuperior iecoris utcunque intercedat.

Atque victus ratio accuratè obſeruanda; parùm ſiquidem, & ſæpè, hiſce caſibus, nutriebat cum h Hipp. Gal. alimentis facilis coctionis, & diſtributionis, uiribus deficientibus, quibus tamen conſtantibus, caſu noſtro, alimenta ipſa ſint ſubſtantiæ craſſioris, & glutinoſæ, h 1. Aph. 17 ut extrema animalium, edulia ex lacte, & ex paſta parata, caſeo condita. Prout uinum lentiſco, & ſantalo medicatum, atque prima menſa ius plantagine alteratum aſſumptum. Quæ omnia D. O. M. ſalutaria reddat.

Digitized by Google

XXXIX.

MVLIEBRE PROFLVVIVM.

PRofluuio muliebri, decem abhinc annis, conflictari Matronam Nobiliſ-
ſimam, pro certo habendum; namque ſi fluor uterinus fuiſſet, malè
affecto utero, non concepiſſet, nec peperiſſet. Conceptum autem pro-
hibere nõ potuit albus ipſe fluor; quoniam ab uteri ceruice, non ab in-
ternis partibus emanauit. Eſt autẽ ſymptoma in excretis, copia, & mala
qualitate peccantibus; atque adeò inter deprauatos motus recenſen-
dum; licet totum corpus per uterum expurgetur. Et licet frequenter à
pituitoſa materia contingere ſoleat; non raro [a] tamen à ſeroſitatibus (a I. de Sympto. Cauſ. 4.)
quoque prouenit. Et quidem, caſu noſtro, ab utraque materia excitatum fuiſſe creden-
dum, ob inæqualem uiſcerum intemperiem, frigiditatem ſcil. Ventriculi, & Iecoris feruo-
rem inſignem, alui quoque ſtypticitatem inducentem; à quibus excrementitios genitos hu-
mo res, & in toto coaceruatos, natura ab eorundem copia, & mala qualitate irritata, per
uteri uaſa externa continuò [b] expellere coacta fuit. Verùm à calore præter naturam ad- (b de Sympt. Diff. 6)
aucto, humorum facta exuſtione, ut ætate conſiſtenti euenire ſolet, & potiſſimum
poſt prægreſſos animi mœrores; frigiditate verò uentriculi inualeſcente, humores craſſi,
exuſti, & atti, necnõ uiſcidi, & lenti, maſſam ſanguineã inquinantes, tandem abundè produ-
cti fuerunt; qui ad uaſa, rum interna, tum externa detruſi, ob craſſitiem, & lento-
rem præterfluere minus idonei, uaſa eadem obſtruxerunt; unde non ſolùm muliebre
ceſſauit profluuium; uerùm & naturalis menſtruorum fluxus, menſe Auguſto proxi-
mè præterito, fuit interceptus, non ſine grauiditatis ſuſpicione, quæ tamen euanuit,
ob ſuperuenientia ſymptomata, quæ ad menſes, motu, euocandos Nobiliſſimam Ma-
tronam impulerunt; quæ & voti compos facta fuit, erumpentibus ſimul, tum menſtruis,
tum muliebri profluuio, cum excretione nigræ materiæ, mox albæ, & per aliquot men-
ſes, etiam cruentæ. Verùm interim à copioſo æquè, ac corrupto menſtruo, ſeminis
uim ſuffocante, uel extinguente, mola in utero concepta fuit; quam oui anſerini mole, me-
dio purgationis tempore, cum doloribus, patientium conſuetis, peperit, ceſſante poſt-
modum eiuſdem materiæ nigræ effluxu; licet recurrentibus menſtruis, ob uaſorum pro-
nectam laxitatem, copioſus affatim eruperit ſanguis, adſtringentibus tamen auxiliis ſup-
preſſus. Verùm quoniam non omnium cruditarum, in uentriculo probam chylificatio-
nem non laborante, prouentus expurgatur; hinc in Meſenterio, necnon in Iecore eædem
concluſæ obſtructiones pariunt, prout in liene, à copioſiori melancholico ſanguine, in eo-
dem præter morem detento, quorum excrementorum aliqua portio in uiis illis infarctis
corrupta, atque putrefacta febriculam tandem excitauit, prout ex probo deficiente
ſanguine, nutritionem tandem imminutam, & forſan etiam deprauatam continge-
re neceſſe fuit, albo profluuio adhucnum per uterum perdurante, cum eiuſdem caloris
ſenſu.

Omnia verò agenda, ut Nobiliſſima Patiens ab hoc ærumnoſo ſtatu vindicetur, licet
ægerrimè, nec niſi perdifficili negotio nos id præſtare poſſe cognoſcamus. Nihilominus
difficilem quidem, non tamen impoſſibilem prouinciam ſuſcipimus, quam ſi deſera-
mus, aut ad atrophiam, aut ad cachexiam perduci poterit; niſi à febribus perincioſè
hic intercipiatur progreſſus. Cautè verò agendum, in huiuſmodi profluuio ſiſtendo;
prius enim ſunt corrigenda uiſcerum producentium uitia, quæ quoniam, tum orga-
nica, tum in intemperie ſita diximus; ideo prius organici morbi, obſtructiones ſci-
licet auferendæ, mox intemperies corrigendæ, & tandem Vtero aliqua corroboratio
concilianda.

Quibus medicis ſcopis ne operam præſtemus, à fonte Chirurgico nulla inſuper depro-
menda ſanguinis miſſio, in huiuſmodi cacochymia, & corporis macie. Cauterium in bra-
chio foret quidem opportunum, ſi ventriculus à capite materiam catarrhalem ſuſci-
peret.

In Pharmacia, quoniam tum ob præſentem febrem, tum forſan ob maciem, aquæ Tettuciana ſuſpecta eſſe poſſet; ideo, præter peracta, magna fiducia Rhab. exhiberem, maſticandum cum paſſulis, ad ʒ ſ. tertio quoque die, epoto hora poſt iure cich. borrag. malu. & agrim. alterato; die verò intermedio, ſuccos præberem, cichor. & borragin. depuratos, ad ℥ ii. atque ita alternatim, uſque ad xv. dies. Quod ſi Rhabarb. maſticare nequear, miſceatur ʒ ii. fl. caſſ. f. b. quibus pariter exacta hora ſuperbibat ius præſcriptum; poſtridie verò ſuccos, quibus, eadem opera, deobſtruemus, alterabimus, febriſque minetam exhautiemus. Inde ad ulteriorem obſtructionum reſerationem deueniri poterit, aliquo præſidio, quod & Iecur contemperare, & materias ab utero ad vrinæ vias diuertere poſſit; quale erit ſerum aſininum deſtillatum, ad ℔ i. cum integro ſcrupulo ſpit. tart. Atque, niſi obſtarent obſtructiones, caloriſue natiui imbecillitas, cogitare poſſemus de exhibendis aquis Lucenſibus. Interim ventriculo opem ferre debemus, hac cautione, ne calidioribus hepati officiamus. Quare ab aſſumpto cibo ſtatim mane, & ueſperi deglutiat Nobiliſſima Patiens pilul. ex ℈ i. ſucc. abſinth. condenſ. uel gr. iii. maſt. integra. Vti quoque poterit aliquando ſale abſint. & ment. à ſemiſcrupulo ad ℈ i. in pauco uino diſſoluto; ita enim, tum uentriculo, tum Iecori prodeſſe poterit. Stillicidium quoque, ex ol. maſtic. & amygd. moderatè calidum; additis tantùm fol. abſinth. & menthæ, cum nucibus myriſticis, feruefactis ad uini conſumptionem, omiſſis cæteris aromatibus. Quod ſi non admittatur, utpote nimis operoſum, eidem ſubſtituatur lanæ purpu-
c 1. Meth. 5. reæ m. i. more Gal. c maſtic. & nard. imbutæ; uel inunctio ex ol. de cort. cit. uel de nuce moſchata.

Tandem paretur puluis, ventriculum corroborans, & ad muliebre profluuium ſiſtendum efficaciſſimus, ex Turture exenterato, uino generoſo abluto, & granis maſtiches repleto, qui in furno exſiccetur, ita ut totus in puluerem redigi poſſit; cuius præbeatur ʒ i. quotidie, in cyatho aquæ ex foliis quercus deſtillatæ, & quidem plures dies. Pluries enim hic à me fuit feliciter expertus.

Dum uerò prædicta adminiſtrabuntur, obſeruandum fuerit, num ab utero aliquando niger ſanguis effluat; uel muliebre profluuinm ex albo flauum, aut magis coloratum euadat, ex quo calidam intemperiem frigidæ dominari, abſque dubio concludi poterit; tunc enim totius macies inualeſcet. Quare lactis uſus negligendus non fuerit, primis diebus aſinini, reliquis uerò caprini exhibendi; reſeratis enim magna parte obſtructionibus, reliquæ contumaciores, quatenus ſiccæ, à lacte humectari, & præter communem opinionem extirpari poterunt.

Circa victus rationem non immorabor diutius; ſiquidem propoſitis proportione reſpondere debet, quæ à prudentiſſimo Excell. Viro Adſtante præſcribetur. Interim approbatur uinum medicatum lentiſco, & ſantalo propoſitum; ſicut omnis aqua, in qua carnes, cæteraque cibaria decoquentur, chalybeari poterit. Quæ omnia à Summo Deo Nobiliſſimæ Matronæ ſalutaria precor.

M V-

XL.

MVLIEBRE PROFLVVIVM.

NVm Muliebri profluuio,an potius uterino fluore laboret Nobiliſsima Patiens,ambigo,cùm pro utraque affectione cauſæ non deſint;ſiquidem tum iecur præcalidum,ſeroſi excrementi ferax habemus;tum uterum poſt partus difficiles labefactatum, à cuius imbecillitate excrementum,licet paucum progigni poteſt. Nihilominus cùm acris, atque mordax percipiatur materia ab utero effluens, maculæ item in cruribus effloruerint; euaporationes inſuper calidæ in faciem obſeruentur; præterea dorſi, & renum dolores, ſiue laxitas, in gutture ſiccitas, & tandem ſeroſa humiditas è manuum digitis erumpat,à toto materiam prædictam promanare,& proinde muliebre profluuium potius,quàm fluorem uterinum appellare licebit. Quod ſicut ab heterogeneis excrementis excitatur, bilioſis nimirum, ſeroſis, necnon renuibus pituitoſis; ita hæc, tum à iecore, tum à capite profluere credendum,cùm hoc ad frigidam,& humidam per accidens intemperiem uergat: prout hepar calida, & ſicca laborat. Ab his autem partibus excrementa gignuntur, quæ dum partim à capite per uenas iugulares deſcendunt, partim à iecore per cauam ad cor aſcendunt, ac inde permiſta (bilioſo tamen, & calido prædominante) per arterias deferuntur, tandem à natura irritata ad uterum, tanquam ad totius corporis ſentinam, & partem à prægreſſis laborioſis partibus debilitatam tranſmittuntur, & per eandem excernuntur; in tranſfluxu tamen dorſo, tum dolores, tum laxitatem inſerendo.

Quibus omnibus occurri poſſe ſperandum,cùm Iuuenis ſit Nob. Mulier,nec mala huiuſmodi altas radices egerint;præterquāquod nondum propria experta fuit remedia. Verùm nec adeò facilè id conſequi dabitur, cùm fluxiones ad uterum, potiſſimum uerò imbecilliorem, difficulter diuertantur, eoque difficilius, cùm Nobiliſſima Mulier medicamenta reſpuat.

Quare, ſpe aliqua concepta bonæ ualetudinis futuræ, medicamenta, pauciora quidem, ſed præſtantiora erunt in uſum reuocanda, quæ à nobis ordine executiuo proponentur, ut intentionibus noſtris medicis ſatisfaciamus; quæ erunt, primas uias mundare; totum euacuare, & ab utero excremēta diuertere, iecoris, & renum calorem contemperare,& uterum nonnihil roborare. Caput autem cùm, ut diximus, per accidens, nimirum per conſenſum à toto, & ab utero laboret, totius, & uteri curatione & ipſum leuabitur.

Primò igitur, quatuor horis ante cibum, alterutrum horum aſſumat. ℞. pot. ex manna clariſ. ℥ vi. aq. flor. citri par. m. pro potu. Vel ℞. flor. caſſ. rec. extr. ʒ vi. elect. lenit. ʒ iii. crem. tart. ʒ ii. m. f. b. Inde, quinque dies, ſummo mane, aſſumat hoc præparans. ℞. iulap. acet. ℥ ii. ſ. aq. cinnam. ℥ ſ. m. pro ſyr. & ſic pro alijs. Inde, exactis quinque diebus, bibat huiuſmodi potionem. ℞. pot. ex mann. clariſ. ℥ vi. addendo inf. conſuetæ rhab. opt. ʒ i. ſ. ſpicæ gr. v. aq. flor. cit. par. m. pro potu. Vel ℞. flor. caſſ. rec. elect. diacath. an. ʒ v. m. f. b. à quibus, tribus exactis horis, ebibat aquæ hordei, vel Noceræ ℔ ii. duabus verò horis ab ea prandeat.

Inde ad ſuccos depuratos aſſumendos progrediatur, quales erunt. ℞. ſucci depur. cich. borrag. agrim. an. ℥ i. decoct. cich. borrag. end. malu. uiolar. capil. Ven. nympheæ ℥ v. m. pro una vice, & ſic pro alijs ſeptem. Atque hoc tempore, educatur ſanguis, tempore ęquè diſtanti à menſtrua purgatione, tum prætetita, tum futura, ex vena iecoraria, aut communi brachij dexteri, ad ℥ vii. vel viii.

Exactis verò his diebus, ſumat hoc medicamentum. ℞. pot. ex manna clariſ. ℥ vi. addendo infuſioni conſuetæ, agar. rhab. an. ʒ ii. aq. flor. cit. par. m. pro potu. Vel bolo. ℞. flor. caſſ. rec. extr. ʒ vi. elect. de ſucco roſar. ʒ iij. m. f. b. quibus ſuperbibat aquam ſuperius pręſcriptam.

Interim menſtruæ purgationis tempus aduentabit, quæ ſi imminuta fuerit, ſub finem ſuppleri poterit, ſaphęnę ſectione, ſanguine educto ad ℥ vi. quod ſi abundè, & pro uſu menſtrua fluant, ab hac inferiori venę ſectione abſtinendum fuerit.

Caput interim capurpurgiis erit euacuandum; in quem finem, inſtituatur uſus pulueris huiuſmodi, aſſumendi more tabaci. ℞. pul. maioranæ, Ireos Florent. nigellæ an. ʒ ii. m. pro naſario.

Et tandem ad iecoris, ſanguinis, & renum contemperationem erit deueniendum, quod commodè præſtare poterit aqua Noceræ, & ualidius quinetiam aqua Villenſis, ut quæ roborandi renes, & partes generationi dicatas, maiori vi prædita ſit, præſertim ordine infraſcripto aſſumpta; verùm, tribus primis diebus, præmittendæ illi erunt aquæ Tettucianæ, ad ſtomachi tutelam, necnon perfectam primarum uiarum ablutionem, ad ℔ iv. uel v. ad ſummùm, cum uehiculo mannæ clarif. aut ſyr. roſ. ſolut. nimirum ad ℥ v. cui hora poſt ſuperbibat cyathum aq. eiuſdem, & exacta hora, reliquum, ad ℔ iv. ſecunda uerò uice ad ℔ v.

Inde præbeantur, primis diebus, aquæ prędictę refrigerantes, ad ℔ vii. uel viii. cum uehiculo mann. aut ſyr. ut ſupra. Sequentibus uerò diebus, omiſſo uehiculo deiectorio, adiiciatur diureticum, quale eſſe poterit, ſpiritus tartari, ad ℈ i. ter rectificatus; uel ſpiritus ſalis ad ℈ ſ. cum ſucco lim. ad ℥ ii. uel iii in primis duobus, aut tribus cyathis; atque poſtremis diebus, ſpiritu uitrioli, ad maiorem corroborationem iam dictis partibus conciliandā; in quarum aquarum uſu erit perſiſtendum ad xv dies, hac lege, ut omnino è corpore effluant, potiſſimum ſi minerales fuerint. Quibus non permeantibus, earum uſu ſtatim ſuperſedendum, & 40. dies lac caprinum, cum ſaccharo, de more, aſſumendum, incipiendo ab ℥ v. & progreſſu facto ad ℥ x. ſummo mane quinque horis ante cibum potandum. Quæ omnia erunt præſtanda, ęſtuante quoque tempeſtate, vtpote horum remediorum adminiſtrationi opportuniſſima.

Interim aliqua uentriculum roborantia præberi poterunt, ſed ſuauia; prout ſtatim abaſſumpto cibo pilula ex ℈ i. ſucci abſinthii condenſ. uel grana duo maſtich. integra deglutita, uel offę panis uino aliquo aromatico imbutæ.

Inſeſſus cum tubulo in aquis ſulphureis, aut nitroſis exſiccantibus accommodatiſſimi quinetiam fuerint; uerùm quoniam non adeò pręſtò ſunt, ideo à nobis omittuntur.

Addenda uerò iam dictis omnibus congrua uictus ratio, refrigerans potius, quàm calefaciens, potuſque ſit moderatus nec uini generoſi; & in cęteris omnibus moderatè ſe gerat. Quæ abundè pro ſalute Nobiliſs. Pat. adipiſcenda. Deus uota noſtra impleat.

XLI.

MVLIEBRE PROFLVVIVM.

DVplici affectu detinetur Illuſtriſsima Com. quorum alter, tum indiuiduo, tum ſpeciei; alter verò ſpeciei tantùm noxius eſt. Prior quidem eſt muliebre profluuium; alter verò infœcunditas, ſiue ad tempus ſterilitas. Et primò, quod muliebri profluuio Illuſtriſſima Com. à teneris annis laborauerit, rarum equidem videtur; unde nec Virginibus, nec Adoleſcentibus poſſe contingere, credidit [a] Aetius; contrà verò Fernel. licet ille de his, quæ ut plurimùm; iſte verò de raròcontingentibus ſint intelligēdi. Quod autē ea ætate hoc affectu correpta ſit [b], à ſtatu naturali non paruum receſsum nobis indicauit; ſiquidem muliebre profluuium excrementorum redundantiam in toto prodidit, non ſine uiſcerum intemperie, uterique laxitate aliqua. Intemperiem autem ipſius iecoris calidiorem fuiſſe, ſignificauit ſeroſa materia, tenuis, & flauo colore tincta, per vterum excreta, prout eandem craſſiorem nunc redditam pituitoſæ, & viſcidæ, ab imbecillitate uentriculi, & capitis productæ immiſceri credendum. Ab hac verò continuò ab utero defluente, & eundem humectante, ſecundum affectum, infœcunditatem ſcilicet, ortum duxiſſe iure merito cum Hipp. [c] creditum fuit. Verùm cur iterum, atque iterum concepit, quinimò ſemel etiam ſtato tempore peperit, eodem perdurante profluuio? An quia tum ab abortu, tum à partu uterus ipſe maiorem, quàm antea imbecillitatem adeptus ſit, & à continuo excrementorum affluxu intemperies forſan contracta fuerit; unde profluuio muliebri fluor quoque uterinus acceſſerit, cuius non leuem ſuſpi-

a Tetr. 4. Serm. 4. Cap. 65.
b 2. Aph. 34.
c 5. Aph. 63.

ſuſpicionem nobis præbet uteri ſenſus quodammodo obtuſus, cuius cauſa à congreſſu potius abhorret Illuſtriſſima Iuuenis, nec niſi diuturna contrectatione, nullo ferè voluptatis ſenſu, ſemen emittit, imbecillis caloris natiui eiuſdem vteri indicio. Prædictis verò tertia facillimè adiungitur cauſa, menſtrui nimirùm ſanguinis impuritas, quem utpote tertium generationis principium, ad conceptionem conſpirare [b] voluit ipſe Gal. cum tota Græcorum ſchola; uitiatus enim idem ſupponitur in toto concluſus, non ſolùm quia ſeroſus, verùm etiam quia craſſus, qui proinde obſtructiones in utero producere potuerit, à quibus forſan etiam menſtrui interuentus intercipiatur. b 1. Aph. Co.14.

Vt autem uoti compotes fiant Illuſtriſ. Coniuges, Medicus priùs indiuiduo, mox & ſpeciei proſpicere tenetur, uèl ipſius naturæ pace, quæ cùm in indiuiduis perennare non poſſit, iiſdem ferè neglectis, de ſpecierum conſeruatione ſolicita ſemper fuit; unde illud Philoſophi, *Naturaliſſimum opus, vnumquodque ſibi ſimile generare in ſpecie*. Niſi & idem forſan indiuiduum benè ualentem ſuppoſuerit.

Quare cùm caſu noſtro Illuſtriſ. Iuuenis ſanguinea maſſa excrementis redundet, unà cum vtero, qui & eſſentiali quineriam affectu facilè laborat, iiſdem nobis incumbendum fuerit, illis enim euacuatis, fœcunditatem quoque rurſus reparandam eſſe ſperandum, utpote naturalem. Hoc autem conſequi difficile quidem, non uerò impoſſibile credimus; etenim licet inueteratum, & penè connaturale ſit muliebre profluuium, non tamen perinde antiqua eſt uteri laxitas, atque imbecillitas; unde profluuio quodammodò imminuto, utero uerò exſiccato, atque corroborato, concipiendi uim exuſcitandam denuò cenſemus.

In quem finem, primis expiatis uiis. Secundò totum excrementis exhauriendum. Tertiò intemperies uiſcerum regenerantium corrigendæ. Quartò uteri viæ aperiendæ. Quintò uterus exſiccandus, atque roborandus. Et tandem, ſi placeat, à proprietate iuuantibus quoque utendum.

Quibus intentionibus ut occurramus, unica forſan non ſufficiet ſanguinis miſſio, ſed repetita, parca tamen, ab utroque brachio.

Expiatis primis viis mannæ clarif. potione, Aqua Tettuciana, tribus diebus, de more exhibita, cum uehiculo ſyr. & mell. roſ. ſol. opportuna à nobis omnino cenſetur.

Inde præparãdis altius humoribus, ſucci potius depur. quàm ſyrupi ſaccharati erunt uſurpandi, cich. nimirum acet. & agrim. in decoctionibus accommodatis, in quibus diſſoluantur gr. x. aut xii. tart. uitriol. continuato eorum uſu ſupra viginti dies; interim tamen quarto, aut quinto quoque die præbeantur pilulæ de tribus cum magiſt. mechoac. bol. reformatis, cum caſſia, aut lenit.

Quibus peractis, uteri obſtructiones erunt reſerandæ; in quam rem exhibeatur quotidie cyathus aquæ ſtill. capill. ven. & artemiſiæ, addita uncia aquæ ſabinæ, decem, aut duodecim dies.

Inde ad Aquas Calderianas ſe conferat Illuſtriſ. Iuuenis, ad potum, & inſeſſum; hæ ſiquidem epotæ, ſi curatæ, & ſuo tempore mundatæ fuerint, inſignem refrigerandi, & exſiccandi facultatem obtinent; etenim, ut Antiquiores, & Celebres Medici Veronenſes, Pedemontius, Bolderius, & Fumanellus ſcriptis obſeruarunt, ex decem partibus, octo ferro conſtant, duabus verò aliis nitro, & ſulphure; quanquam maiori exſiccandi facultate polleant, Balneo, & inſeſſibus deſtinatæ. Quare ſummo mane, potu; horis verò ueſpertinis, inſeſſu, ſed cum tubulo erunt adminiſtrandæ.

Tandem aliqua uentriculum corroborantia erunt prædictis addenda, ut confect. aromat. roſ. uel ſuccus abſinth. condenſ. uel ſal eiuſdem, omnia tamen à cibo.

A proprietate uerò iuuabit ſemen erucæ, ſaccharo incruſtatum. Radix ſatyrii condita. Puluis uteri Leporis aſſati; omnia in aqua ſtill. uel paſtinacæ ſylueſtris, uel ſtellariæ, uel matricariæ.

Hæc verò præſenti anni tempore; Autumno verò aduentante, exhiberi poterit decoctum à Viro Excell. præſcriptum ex ſantalo, China, & lentiſco paratum, cui præmittatur terebinthina noſtra, aqua capill. ven. lota.

Interim congrua uictus ratio his addenda venit, à Viro Excell. præſcribenda, prout reliqua ab eodem melius adminiſtranda.

XLII.

MVLIEBRE PROFLVVIVM, CVM Vteri Ardore.

Licet ad perfectam cognitionem ſtatus Nobiliſs. Patientis aliqua in enarrata hiſtoria deſiderentur; attamen, quod veriſimilius mihi uiſum fuerit, ſtatuam, opportuna remedia propoſiturus.

Muliebri itaque profluuio, eoque non legitimo diuexari Nob. *Mulierem*, ex eo conijci poteſt, quod plura, & heterogenea excrementa continuò per uterum excernuntur, in muliere bilioſa, cum vehementi æſtu in uolis manuum, & frigida appetente, præhumidi inſuper capitis, cui, cùm antea per nares expurgatio copioſa fuerit, nunc, eadem ſuppreſſa, modò craſſa, uiſcida, atque alba; modò tenuis, flaua, citrina, aut uiridis materia ab utero effluens obſeruatur. Verùm de uteri ſtatu equidem ambigo; etenim primò cùm vehementi non ſolùm calore, ſed & doloribus quinetiam torqueatur, menſtruaque imminutè procedant, ipſum proinde eſſentialiter læſum iure meritò aſſerendum, quod in ſolo muliebri profluuio minimè quidem neceſſarium foret. Quo autem affectu laboret, non adeò manifeſtum; quanquam & hoc certum, morbo in mala compoſitione, in uia ſcilicet affici; cùm ab obſtructionibus à craſſa, & uiſcida materia, in uaſis concluſa, productis, menſtrua iam imminuta fuerint. Morbo tamen in intemperie affici non dubito, ob uehementē calorem, à patiente in eodem perceptum; unde & fluorem vterinum profluuio muliebri adiunctum eſſe, exiſtimare par eſt. Verùm de aucta magnitudine, aut ſoluta vnitate dubitari quinetiam poteſt, quia continuò calorem dolores quinetiam comitantur, in mictu inualeſcentes, ob neceſſarium uentriculi cum utero conſenſum, & ad mictionem forſan Patiens frequenter excitatur, cum dyſuria. Pro ulceris uerò præſentia facit fœtor materiæ prodeuntis. Tumorem prodit abſentia ſanguinis, & ipſius puris, quorum nulla omnino mentio in hiſtoria; cùm fœtor materiæ à conditione affectæ partis procedere poſſit. Quod tamen dubium ſenſus ipſe dilucidare poterit, nec ſolùm tactus, digiro ſcil. ſed etiam ipſe uiſus; in uteri namque vagina affectum deliteſcere exiſtimo, non in eiuſdem corpore; tunc enim ſupra pectinem moleſtus foret dolor, nec mictu adeò exaſperaretur. Tumor autem ſuboriri potuiſſet ab humoribus, à toto ad uterum decumbentibus, per arterias uteri ſubſtantiam perreptantes; prout ulcus ab eorundem acrimonia, & morſu, ut totius, & iecoris calida intemperies teſtantur, atque ex flauo, citrino, & uiridi excrementorum prodeuntium colore conijcere par eſt.

Quorum omnium difficilis ualdè, atque operoſa, nec certa futura eſt medela, tum ob morboſum apparatum totius, tum ob uteri uitia, tum etiam ob menſtrua imminuta, quæ contraindicant; cùm interim, temporis progreſſu, in toto atrophiæ, uel cachexiæ, & hydropes; in parte uerò affecta ulcera praua, uel carcinomatoſi tumores ſuboriri poſſint, & ab his interitus.

Quæ mala ut uitentur, omnium primò Nobiliſs. Patienti diuturnam medico obtemperationem indicere oportet. Deinde rectè hucuſque adminiſtratis aliorum inſuper uſum addere, vt propoſitis indicationibus ſatisfieri poſſit; quæ quatuor potiſſimùm. Prima euacuatio materiæ peccantis, tum per deiectoria, tum per diuretica; ſecunda intemperiei partium mandantium correctio, & corroboratio; tertia uteri ab exulceratione, aut tumore, niſi adſint, præſeruatio, & ſi adſint, eorundem affectuum ſanatio; & quarta menſtruorum reuocatio.

Primæ intentioni implendæ, ſanguinis miſſio iterum ex iecoraria prodeſſe poterit, parca tamen, ad iecoris, & totius feruorem contemperandum non enim hic caſus eſt [b] Vxoris Boethi. A uenis verò inferioribus ſanguis tantùm educēdus fuerit, menſtruis apparentibus, & ceſſantibus, orificiis uenarum adhuc hiantibus. Cauteria quoque propoſita opportuna forent. Balneum uniuerſale, tepidum, aquæ dulcis accommodatiſſimum fuerit, & quidem toto

[a] de Nat. Mul. 15.

[b] ad Poſt. h. 8.

toto expurgato, refrigerantibus, & contemperantibus herbis alteratum, non obſtantibus tamen cæteris uteri uitiis; ſiquidem ratione feruoris conuenient quoque uteri lotiones tepidæ, ex decoct. malu. viol. hordei; uel ex lacte, aut ſero aſinino.

Inter pharmaceutica, ſuppono hucuſque repetitam primarum uiarum expurgationem; atque adeò laudo aquas Tettucianas, tribus continuis diebus præbendas, ad ℔ ſaltem v. qualibet uice, cum vehiculo mell. roſ. ſol. mox totum accuratius expurgandum, pil. de tribus & aggreg. duabus, aut tribus vicibus, quarto quoque die deglutiendis, exhibito ab his ſero depurato, ad ℔ ii. quo tempore reuocanda quinetiam conſueta per nares euacuatio, errhinis accommodatis. Ab his per urinam humores ducendi, & eadem opera iecoris, renum, & uteri feruor cõtemperandus, aqua Noceriana pluribus diebus exhibita; primis quidem, cum uehiculo deiectorio; poſtremis uerò diuretico; tunc verò & balneum adhiberi poterit. Quod ſi fortè tantam aquæ copiam aſſumere renuat Nobiliſs. Patiens, illi ſubſtituentur ſucci depur. cich. end. borrag. ad ℥ iii. quolibet mane, in decoct. cichor. borragin. acet. endiu. malu. hepaticæ, ſem. melon. xx. dies ſaltem aſſumendi, non neglectis externis contemperantibus, ut inunctionibus, epithem, & huiuſmodi aliis.

Præter hæc uerò, ad decocta ſudorifica, & diuretica, cum terebinth. noſtra, num ſit deueniendum, proximo autumno, decernere in præſens non audeo; niſi de uteri ſtatu certior factus fuero, & potiſſimum, quod muliebri profluuio prædicto menſium ſtillicidium non adiungatur, quod obſeruabit Excell. Adſtans; illo namque caſu, dolores propagantur ad dorſum, & inguina, cum coxarum ſtupore; ſub ueſperam item augetur, ut ſæpè cruenta & ichoroſa materia utero exſtillet; cuius affectus ſolus Aetius c inter Græcos meminit. His itaque adminiſtratis, in arena conſilium erit capiendum. c Tetr. 4. Serm. 4. Cap. 63.

Congrua uerò prædictis addatur Victus ratio, cauendo ab aromatibus, ſalſis, acribus, à vino generoſo, & valido exercitio. Raro item concubitu utatur, & alacri uiuat animo.

XLIII.

MENSIVM STILLICIDIVM, & muliebre Profluuium.

IVuenis Nobiliſs. 24. annum agens, temperamenti totius, calidi, & ſicci, gracilis habitus, atque melancholici, tardi motus, uitæ ſedentariæ addictus, poſt animi perturbationes, atque mœrores, ante coniugium, in domo propria perpeſſos, iam duobus abhinc annis, uterina vehementi præfocatione correpta, menſtruorum profluuium pati cœpit, cum genuum, atque crurum doloribus, præſertim nocturnis horis, atque totius corporis imbecillitate; quo aliquot menſes immoderatius erumpente, ad medica auxilia confugere coacta, ab iiſdem quoq; leuata fuit. Præſenti uerò rerum ſtatu, menſtruis naturale, & conſuetum tempus præcurrentibus, eadem valdè imminutè prodeunt; à quibus, aliquot diebus, exſtillat ſanguis ſeroſus, & reliquo menſis tempore, pituiroſa materia; ſi uerò menſtrua cũctentur, & tardius procedant, erumpunt copioſa, imò tantùm non immoderata, & mox reliquo toto menſis tempore, eadem exſtillat materia pituiroſa, cum genuum, atque crurum doloribus, totiusq; corporis imbecillitate. Nunc uerò de agendis pro ſalute conſulit.

Niſi me fallit hiſtoria, qua ſtatus Nob. Pat. deſcribitur, unicus non eſt affectus, ſed plures, quibus eadem moleſtatur; etenim menſtruorum profluuio, cum uterina præfocatione, ſuperiori tempore laboraſſe minimè dubitandum. Verùm in præſens, obſeruandum, quod ſi menſtrua naturale, & ſtatum tempus prætergrediantur, copioſiora, & uberiora profluunt, tuncque affectus, Menſium profluuium, nuncupandus; iiſdem uerò præcurrentibus, quia imminutè, & deprauatè, cum dolore ſcilicet exſtillant, Menſium ſtillicidium affectus ille eſt appellandus; prout reliquo toto menſis tempore, quo menſtrua purgatio ceſſat, & pituiroſa materia ab utero effluit, Profluuii muliebris nomen mereri cenſemus.

Omnia tamen ſymptomata habenda in excretis, modò parcius, modò immodicè, modò deprauatè fluentibus; quorum tamen immoderatio, ac deprauatio ab alio ſymptomate pen-

pendent, nimirum ab irritata expultrice uaſorum; prout imminutio à morbo inſtrumentali, uteri ſcil. obſtructione, non ſine vitio ſanguinis, & antehac ipſorum quinetiam uiſcerum; ſanguinem enim craſſum, atque melancholicum, in temperamento calido, & ſicco, animi paſſionibus exagitato, iam genitum fuiſſe omnino credendum; atque inſuper pituitoſum, tum à uita ſedentaria, tum quia eodem melancholici abundare ſolent, uentriculo non perfectè coctionem elabotante; quorum cauſa maſſa ſanguinea craſſis, ac uiſcidis humoribus redundans, naturam, ſeu facultatem expultricem ab initio irritauit, & profluuium menſium excitauit; prout & nunc ab iiſdem cunctantibus irritata. At quoniam quoties menſtruorum ad uterum ſarcina depoſita fuit, aliqua portio craſſioris, ac uiſcidioris ſanguinis, vteri vaſa permeare, aut peruadere minimè potuit; hinc paulatim obſtructiones ſuccreuerunt, à quibus imminuta ſuccedit aliquo menſe expurgatio; uerùm quoniam non omnia uteri uaſa eedem infarciunt, ideo aliquando ualdè irritata facultas, per non obſtructas uias immodicè ſanguinem extrudit; paulatim uerò ſtillat, toto menſe, pituitoſa materia in uentriculo genita, & forſan etiam à capite tranſmiſſa, à qua muliebre profluuium, illudque pituitoſum promanat.

Status itaque huius Nob. Pat. magnifaciendus; etenim ſi obſtructiones inualeſcant, menſtrua imminuentur, eorundem ſtillicidium fouebitur, & continuum euadet; cui alioquin ſuccedere ſolet vteri tumor, cum pectinis coxarum, lumborumque cruciatibus; quod potiſſimum cõtingere poſſet caſu noſtro, quo nonniſi pernicioſiſſimæ conditionis foret. Præterquamquod ſi muliebre profluuium [a] intempeſtiuè ſupprimeretur, Cachexiæ, & Hydropes ſuccedere poſſent. Difficilis autem eſt futura horum affectuum ſanatio, cùm altis radicibus defixi ſint, quarum impoſſibilis extirpatio, hoc anni potiſſimum tempore; cuius tamen Vere proximè futuro aliqua fuerit ſpes. Interim tamen agendum, ne incrementum ſuſcipiant, & ut Pat. Nob. minus moleſtè ægritudines ferat.

[a] Aet. Tetr. 4. Serm. 4. Cap. 67.

Quod præſtare conabimur, primò prauos humores iam genitos expurgando. Secundò uterum deobſtruendo. Tertiò nouum eorum prouentum ad aluum, aut vrinam diuertendo. Quartò eorundem regenerationem inhibendo. Quibus intentionibus, aliqua parte, hoc autumnali tempore ſatisfaciemus, perfectè autem Verè proximè futuro, remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

Et in Chirurgico fonte, omnium primò conſideranda ſanguinis miſſio, quam conuenire procul omni dubio cenſendum, cùm peccet ſanguis ſubſtantia, qualitate, & motu. Locus autem ſit iecoraria dextera. Tempus medium inter utramque menſtruam purgationem. Quantitas ſit moderata. Cætera genera reuulſionum, à Viro Excell. propoſita, & potiſſimum cucurbitula magna mammis appoſita, locum habere poterit, in ipſa menſtrua purgatione, ſi quandoque immoderata contigerit, atque perduret; prout ſaphenæ ſectio, ſi non aliquo tantùm, ſed & altero quoque menſe ualdè imminutè procedat. Cauterium autem in brachio propoſitum, ea conditione admittitur, dum adſit inſignis à capite catarrhalis materiæ deſtillatio.

Ex Pharmaceutico deſumenda medicamenta Lenientia, Præparantia, Purgantia, Aperientia, & intemperies Corrigentia.

Lenientia eſſe poterunt elect. lenit. cum tart. Vel ſyr. roſ. ſol. & de polypod. cum lenit. & decoct. cord. Præparantia primo loco oxymel cum mel. roſ. & ſyr. de cortic. citri ad ℥ iii. pro qualibet doſi, quinque dies aſſumenda. Mox purgans ſit elect. lenit. cum pil. maſtic. & crem. tart. Inde ſecunda ſuccedat præparatio iulap. acet. ſyr. de beton. & de cich. cum rhab. in decoct. cich. borrag. beton. end. agrim. malu. ſeptem dies. Mox ualidius purgans exhibendum ex elect. lenit. diaphœn. & pilul. de tribus cum rhab. ſuperhauſta largius aqua hordeacea.

Ab hac purgatione, niſi hypochondria, & totum abdomen fuerint ualdè compreſſa, & emaciata, accommodatiſſima fuerit aqua Tettuciana, tribus ſaltem diebus exhibenda, cum uehiculo deiectorio mannæ clarif. aut mell. roſ. ſolut. ut pituitoſa materia reuocetur, & uentriculus quodammodò exſiccetur.

Mox præſcribendum ius columbæ Turricolæ, alteratum malua end. capil. ven. artemiſia, ſem. melon. ſem. fęnugræci, & radice liquiritiæ, quotidie, triginta dies aſſumendum; cui præmittatur bol. ex terebinthina noſtra lota aqua capill. ven. cum granis ſalis artemiſię. Verùm tribus, aut quatuor diebus ante naturalem menſtruam purgationem, uice iuris, prębeatur cyathus aquæ ſtill. capill. ven. cum cochleari aquæ ſabinæ, aut tribus gutt. olei ex eadem; apparentibus verò menſtruis, repetat uſum prædicti iuris.

Sic

Sic prioti expurgatione attenuato ſanguine; uſu uerò deſcripti iuris Vteri uaſis laxatis, & peruiis redditis, ſperari poterit conſueta naturalis menſtrua purgatio, ſuo ordine processura, & remoto obice, abſque expultricis irritamento, ac proinde moderata.

Supereſt autem Profluuio Muliebri occurrendum, in quam rem pituitoſæ materiæ regeneratio erit inhibenda, frigidam eiuſdem intemperiem corrigendo, & forſan calidam iecoris contemperando; quod facilius Vere futuro conſequi dabitur. Interim tamen uentriculo ipſi, tanquam viſcidæ cruditatis mineræ propriæ, opem aliquam ferre poterimus, medicamentis nonnullis calidioribus, atque corroborantibus cautè, intrinſecùs, & extrinſecùs adminiſtratis. Intrinſecùs quidem uſu ſucci abſinthii condenſati ad ℈ i. in pil. redacti, & ſtatim à cibo deglutiti, cuius loco pariter quandoque duo, aut tria grana maſtiches integra à cibo deglutiet; ante cibum uerò aſſumat nonnunquam duodecim, aut quindecim ſemina citri, ſaccharo condita; uel in vſu habeat octo, aut decem amygdalas amaras.

Extrinſecùs uerò leuiter inungatur Ventriculus oleo de corticibus citri, uel oleo à Monachis Diuæ Giuſtinæ hìc Patauij parari ſolito.

Ad Iecoris uerò feruorem contemperandum, uſum adhibeat, prima menſa, iuſculi endiuia, aut malua alterati, & quidem quotidie, contemperat quippe humores. Atque ut ab vtero diuertatur materia cruda, atque pituitoſa, qualiber hebdomada, aſſumat pil. maſtichinas ad ʒ ſ. cum gr. viii. magiſt. mechoac. hora ante cibum.

His omnibus congtua addatur victus ratio, temperata potius, quàm nimis calefaciens, & moderatè attenuans. Quæ omnia à Summo omnium bonorum Parente ſalutaria precamur.

XLIV.

MENSIVM STILLICIDIVM, CVM Herpete.

ILluſtrima Comes, ætate quadragenaria, temperamenti quoad totum, & caput calidi, & humidi, iecoris feruidi, debilioris uentriculi, moderatè carnoſi habitus, & proceræ ſtaturæ, in melancholiam aliquando, at ſæpius in iracundiam prona, pulcherrima, ac numeroſa prole felix, ſex abhinc annis, tribus continuis menſibus, perpetuum menſtruorum ſtillicidium paſſa eſt, cum dolore ab umbilico ad pubem, cuius cauſa à Viro præſtantiſ. illius curæ præfecto, totius purgatione præmiſſa, apertaque cubiti vena, ſucci refrigerantes, & humectantes in iure pullæ, ad plures dies fuere præſcripti, poſtmodum uerò & lac caprinum, per menſes, exhibitum, à quibus ſanato ſtillicidio, ſtatis temporibus, iterum, atque iterum menſtrua fluxerunt, prout etiam in præſens, quolibet menſe ex naturæ lege. Tribus verò iam abhinc annis, non modò ſub alis, atque in internis brachiorum partibus; ſed etiam inter mammas expullulauit herpes, qui eryſipelatis modo ſerpens, amplum ſenſim cutis ſpatium obſedit, ſanioſis excrementis continuò, & copioſè undique manantibus, abſque tamen ulla ſebre. Tunc autem Veris tempore accurata purgatione peracta, iiſdem ſuccis iterum repetitis, eodemque lacte, tota æſtate, ſimul cum cibis refrigerantibus, & humectantibus, localibuſque refrigerantibus, & exſiccantibus affectis partibus applicitis, integræ fermè ſanitati reſtitura eſt, inuſto quinetiam dextero interno cruri cauterio, ad reuulſionem; quod ramen ægrę ferens, diù tolerare non potuit. Tandem tribus abhinc menſibus, dum aluum exonerat, ſanguis rubicundus multaque bile perfuſus, & à fæcibus ſecretus per interualla effluit, ad duas, uel tres uncias, per uices, perdurantibus conſuetis menſium periodis. Ex quibus ſpontaneis euacuationibus, licet quoad thoracis partem, melius habere ſibi uideatur, quia tamen aliqua uirium laſſitudine laborat, ideo de ſalute conſulit. Tument uerò hæmorrhoides, & dolent, repreſſo ſanguine, qui quindecim abhinc diebus ab his non effunditur. Huius tamen loco ichor quidam uiſcidus, & ſanioſus manat. Et quamuis nullum, quod ſaltem ſciam, in victu

committat errorem, de uentriculo tamen etiam conqueritur.

Preteritos, & præſentes affectus Matronam Illuſtriſs. moleſtantes, à ſanguine in toto copia, & qualitate peccante originem duxiſſe, à Viro Excell. iudicatum fuit; portio enim eiuſdem deterior, & redundans, quæ prima vice menſium ſtillicidium, ſecunda verò herperem ſerpentem, & tertia tandem hæmorrhoidalem euacuationem excitauit, ſuppreſſa dolorem excitauit, perſiſtente tamen feroſæ, & crudæ materiæ ab iiſdem hæmorrhoidibus parca euacuatione, nec prorſus herpete ceſſante. Huiuſmodi autem uitioſi ſanguinis auctor procul dubio fuit ſemper iecur præcalidum, & humidum, quem proinde exuperantem, & feruidiorem irritata natura eiuſdem copia, & praua qualitate, primò per uterum; poſtremò per hæmorrhoidas expellere conata eſt, & intermedio tempore, ad ambitum corporis effudit. Verùm quoniam copioſus, & craſſior, ob eandem calidam iecoris, & humidam intemperiem, & forſan etiam lentus, ob priuatiuam ventriculi imbecillitatem, redditus eſt; ideo menſium ſtillicidium, non profluuium, herpetem exedentem, & miliarem, & tandem hæmorrhoidalis euacuationis ſuppreſſionem induxit; tenuiori tantùm, ac feroſa eiuſdem ſanguinis portione ab hæmorrhoidibus ſenſim, ac ſenſim ſtillante; craſſiori a uerò eaſdem diſtendente, & lancinante, dolorum proinde hæmorrhoidalium cauſa.

a de Hæmorrh. 1.

Vt igitur Matrona Illuſtriſs. à prædictis malis omnino uindicetur, ac præſeruetur, eorundem radix euellenda, præmiſſa redundantium humorum euacuatione, eorumque contemperatione, necnon morborum, ac ſymptomatum ablatione; feruida enim iecoris intemperies corrigenda, cui conſentit quoque ventriculus, de quo propterea ſolicitos nos eſſe opus non eſt. Et quoniam hæmatoſin uberiorem inhibere, opis non fuerit noſtræ; ideo preſeruationis gratia, copiam frequenter imminuere opus fuerit. Quibus obſeruatis, tum liberari, tum præſeruari poſſe Illuſt. Matronam ſperandum, in poſterum potiſſimum, deferueſcente ob ætatem calore.

Quibus intentionibus implendis, ſanguis ex utroque brachio, tempore à menſtruis diſtanti extrahendus, & quidem ter, aut quater anno. Cauterium uerò omittendum.

Totius verò expurgatio non ſacchararis, aut mellitis, ſed ſuccis, & electiuè purgantibus perficienda. Mox iecoris, & ſanguinis feruor contemperandus aquis acidulis, vel, earum loco, Nocerianis, xv. dies, cum uehiculo primis diebus deiectorio, mox & diuretico, præmiſſa aq. Tettuciana, tribus diebus omnino deiectoria. Quibus peractis, ſi affectus cutaneus interna ope medica egere uidebitur, omiſſo decocto, atque ſudore (abſciſſa namque radice, frondes areſcent, & excident) exhiberi poterit puluis uiperinus, in aqua cardui ſancti, xx. dies. Mox ad uſum lactis diuturnum perducatur; atque interim extrinſecùs locus affectus attingatur ſpongiola madefacta aqua deſtillata ex aurantiis, in qua mercurius ſublimatus fuerit diſſolutus, ut. ℞. aq. aurant. deſtill. ℔ i. mercurii ſublim. ʒ i. m. Ita hæmorrhoidali dolori ſuccurrendum fuerit, vng. popul. ol. nenuph. ſubacto, additis quoque guttulis olei hyoſcyami.

Et quoniam euacuatio ſanguinis per illam partem, nullo modo eſt admittēda, ut pote quæ venæ cauæ, non portæ ſanguinem effundat, ſæpè cum ægrorum diſcrimine; ideo hæmorrhoides exſiccandæ, & prorſus ſupprimendæ, fomentis ex decoct. roſ. plantag. & balauſt. parata, addito ſale, & alumine, uel aqua Montis Ægrotorum.

Neque uentriculi ſollicita cura erit habenda, cùm per conſenſum potius à iecore, quàm eſſentialiter afficiatur. Quare ſtillicidium ex oleis non adeò neceſſarium exiſtimo, eo nomine potiſſimum, quòd in ſtillicidiis non magna ſit fiducia apud nos, cùm lobus ſuperior, imò & interdum hepat dimidium ventriculo incumbat; atque adeò in hepar potius, quàm uentriculum ſtillicidium cadat. Intrinſecùs itaque potius, ſed cautè, aliqua roborantia aſſumenda à cibo, vt confectio ex oleo de cortic. citri, de cinnam. ſemina citri ſaccharo condita, uel ſemina coriand. aut fœniculi, atque præ omnibus, maxime conferre poterunt duo, aut tria grana maſtiches integra, à cibo deglutita.

Congrua tandem victus ratio præſcribatur, & de more, ius acetoſa, uel end. alteratum bibat, prima menſa. Quæ ab adductis à Sapientiſs. Viro non adeò diſcrepant, quin ab his omnibus Matrona Illuſtriſs. optatam ſalutem conſequi poſſit.

HY-

XLV.

HYSTERICA AFFECTIO, EX Suppreſsis Menſtruis.

HYſtericam affectionem, cum uteri aſcenſu, Nobiliſſimam Mulierem, quolibet menſe, ſtato tempore menſtruæ purgationis diuexantem, adiunctam habere hypochondriacam affectionem minimè dubito; quarum affectionum prior, ſicuti præcipuam, atque potiſſimam cauſam, menſtrua ſuppreſſa agnoſcit; ita ſecundariæ loco, forſan utilis excrementi a retentio concurrere poſſet; à quibus corruptis uapor eleuatur, prauæ, ac veneficæ conditionis, ſuperiores partes petẽs, qui ſimul cum ſanguine animales, uitaleſque operationes lædens, difficilem reſpitationem, & in ſomnum procliuitatem, ac mentis, cæterorumque membrorum torporem inducit; & condenſatus lacrymas quinetiam inuoluntarias excitat. Quæ omnia, paucis ab Hipp. b deſcribuntur, his uerbis. *Sanguis detentus per venas reſilit in cor; unde cor fatuum fit, & accedit torpedo; à torpedine verò delirium.* Poſterior uerò affectus ortum duxit ab obſtructionibus, in vaſis viſcerum naturalium, & meſenterio conclusis; à quibus, liber transfluxus imperfecti chyli ad hepar intercipitur, qui à præternaturali circunſtante calore uiſcerum, & hypochondriorum corruptus, in bilioſam conditionem faceſſit, & ab irritata natura per aluum expellitur.

a 6. de loc Aff. 5.

b de Virg morb. 1. & 2.

Audio etiam Nob. Mulierem, ob uiſcerum dyſcraſias, atque obſtructiones, in dies ſemper magis, magiſque cacochymicam euadere. Hæc uerò cacochymia, ſicuti menſtruorum ſuppreſſioni nouam ſemper ſuggerit materiam, atque occaſionem; ita hyſtericam affectionem fouere, ac ſemper augere poteſt; prout & hyſterici affectus uiſcerum naturalium intemperies conſeruare, & prauis halitibus coctiones turbare non deſinunt; unde circularis huiuſmodi conſenſus ſanationem difficillimam reddit.

Vt itaque aliquo pacto leuetur, & ad meliorem ſtatum perducatur Nobiliſ. Mulier, inſtituenda curatio, in qua ordo accommodatus accurratiſſimè obſeruandus, ut per partes auferantur impedimenta. Primò corpus euacuando. Secundò obſtructiones auferendo. Tertiò intemperies corrigendo. Quartò hyſterica medicamenta adminiſtrando.

Et in Chirurgico fonte, medio tempore inter utramque purgationem menſtruam, aperiatur iecoraria dextera, parcè ſanguine educto; & paulò poſt eandem imminentam purgationem, hæmorrhoidalis enacuatio ſolicitetur, ut fiat ab utero deriuatio. Imminentibus uerò menſibus, ad præcauendam præfocationem, præſtantiſſimum fuerit remedium ſinapiſmi, coxis appoſiti, bis, aut ter in die; quo tempore potiſſimum & inunctiones circa pudenda, oleo lil. alb. aptiſſimæ erunt.

Primarum uiarum expiatio fiat manna clarif. aut ſyr. roſ. ſolut. Præparatio uerò cremore tarr. ad ʒ iij. diſſoluto in panco iure ſem. citri. Expurgatio demum porione iam dicta, addita infuſ. rhab. Secunda præparatio fiat ſuccis potius, quàm ſyrupis dulcibus, cichor. ſcil. & agrim. depur. ad ℥ iii. in iure cichor. borrag. malu. agrim. meliſs. & beton. alterato, x. dies. Mox ſuccedat purgatio infuſ. rhab. agarici, & fol. ſen. addito ſyr. roſ. ſol. præbendo ab ea ſerum depur. aut aquam hordeaceam. Quibus peractis, uteri uias reſerare licebit, exhibito quotidie bolo huiuſmodi. ℞. extr. de rhab. tart. vitriol. an. ℈ ſ. ſalis artemiſiæ gr. v. m. ref. b. & aur. cui ſuperbibat ius alteratum malu. capil. Ven. artemiſ. radic. gramin. fœniculi, aſparag. quorum uſui pluribus diebus inſiſtendum. Et ſi calor in iecore, & uaſis exuperans perſiſtat deinceps, ad uſum alicuius ſucci depur. in iure pullæ, plures dies æſtiuos, rurſus deueniendum erit. Ante hyſtericorum verò uſum, aliqua prope tempus hyſtericæ acceſſionis uſurpanda, & exhibenda; quæ tamen temperata, non ualdè calida ſint. Quare ex uſu eſſe poterunt, triphera magna, ad ʒ ſ. cum pauco pulu. ungulæ Alcis. Pariter pulu. rad. zedoariæ, cum eadem ungula. Oleum item ſuccini in aqua tot. citri, & omnium maximè tinctura granorum ſambuci, ad cochlear, in aqua cord. Sax. Sic daucus maſticatus, ante acceſſionem, eandem diuertere poteſt. Neque alia à proprietate iuuantia ſpernenda; ſic inſcia Pat. piſcis

ſtriglia dictus, uino ad potum infundatur, ut tradidit Atheneus. Sic caput uiperæ ſuffocatæ appenſum collo, à præfocatione tutari ſcribit Gal.Lib. de Incant.

Iam dictam uerò propoſui curationem, cùm modò urgentioribus ſit incumbendum, non neglectis tamen Arthritide, & Nephritide; etenim uiſcerum naturalium uitiis ſublatis, & concoctionibus perfectis, ac proba nutritione, iam dictis affectionibus cauſa materialis ſubducitur, atque adeò præſeruatio procuratur.

Victus ratio iam dictis omnibus proportione reſpondeat. Abſtineat Patiens à ualdè acidis, dulcibus, flatulentis, glutinoſis, & impensè calidis, iuxta præſctiptum Excel. Adſtantis. Quæ omnia Pat. Nob. ſalutaria enixè precor.

XLVI.

HYSTERICA AFFECTIO, CVM Hypochondriaca.

MVlier Illuſtriſſima, 21. annum agens, temperamenti calidi, & humidi, roſei, & floridi coloris, mediocris habitus, ſed hepatis calidioris, aliàs non ſemel enixa, cùm preteritis menſibus utero gereret, febre correpta, octauo menſe abortiuit, ſecuta à partu iuſta lochiorum expurgatione; qua tamen minimè obſtante, hypocondriorum doloribus, cum reſpirationis anguſtia, uſque ad animi deliquium, nonnũquam conflictata fuit; perdurantibus interim timore, animi mœrore, atque perturbationibus, cum hypochondriorum rugitibus, & alui ſtypticitate quadam; frequentibus item ad caput euaporationibus. In Meſenterij uerò regione dextera obſtructiones tactu percipiuntur, à quibus nec hepatis lobus ſuperiot omnino eſt immunis. Bonos odores, quibus antea delectabatur, modò potius abhorret, cùm ab iiſdem lædatur. Menſes ſtato tempore, & ſatis copiosè fluunt. De agendis conſulit.

Melancholiam eſſe præcipuam affectionem, qua quinque abhinc menſibus affligi cœpit Illuſtriſs. Iuuenis, ex eo facilè coniici poteſt, quod timet [a], & mœret abſque cauſa manifeſta; quæ paſſiones, licet cordis propriæ, in cerebro tamen potiſſimum ſe produnt, dum à ſpiritibus opacis imaginatio nonnihil deprauatur. Offuſcantur autem hi à tetro, fuliginoſoque uapore, non quidem eſſentialiter in capite genito, nec à toto eleuato, ſed ab hypochondrijs ſurſum expirato; in vaſis enim Meſenterij, necnon ipſius hepatis calidioris, portio ſanguinis [b] craſſeſcit, atque aduritur, à qua, tanquam à minera melancholica, tum cor læditur, tum animales ſpiritus inficiuntur, & deprauatur imaginatio, dum mens ipſa nigredinis, ſiue opacitatis præſentia, mœrorem, atque timorem concipit, ea ratione, qua in tenebris timore affici plerique ſolent. Qui autem in hypochondrijs concluduntur vapores, utpote copioſi, craſſi, & fuliginoſi, ac acres hypochondria diſtendentes, & continuum ſoluentes, dolores iiſdem partibus intulerunt, ſeptumqne attollentes reſpirationem difficilem; prout, antequam diſſoluantur, rugitus ventris excitare nunquam deſinunt.

[a] 6. Aph. 23.

[b] 3. de Loc. aff. 7.

His autem omnibus accedit quoque hyſterica aliqua paſſio; ab utero namque, non quidẽ obſtructo (copioſi enim fluunt menſes) verùm ab octimeſtri abortu imbecillitatem, atque labem perpeſſo, halitus eleuati, reſpirationis anguſtiam, lipothymias, ac animi deliquia induxerunt; quod facilius quinetiam contigit à bonis odoribus, naribus admotis, vterum quodammodo ad ſuperiora allicientibus.

Affectus equidem moleſti, verùm omni periculo vacantes; quinimò, quoniam recentes, remoueri, & debellari poſſunt, congruis à medico adminiſtratis remediis, ſimulque accurata ab Illuſtriſs. Patiente habita eorundem executione.

Expiatis itaque primis uijs, Meſenterii, & hepatis uiæ reſerandæ, & obſtructiones extirpandæ, Iecoris, & ſanguinis ſeruor contemperandus; & Vteri labes corrigenda, remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

Et in Chirurgico fonte conſideratur adminiſtranda ſanguinis miſſio ex iecoraria dextra, & quidem medio vtriuſque menſtrui tempote, quod ſi conſueta non ſuccedat ſufficiens

natu-

Google

naturalis expurgatio, ſub finem eiuſdem, hiantibus adhucnũ uteri vaſis, ſaphena apetiatur. Præterea frequentes pedum lotiones aqua calente, ante cibum, in uſum reuocandæ, & abdominis regio vng.roſ. Meſ. de mote, illinenda.

Ex Pharmacia deſumenda Lenientia, Præparantia, Expurgantia, Aperientia, calorem Contemperantia, & uteti tonum Roborantia. Sic ptimum Leniens ſit ſyrup.roſ.ſol. & de polyp. cum modica aqua fl. citri, vel cinnam.ſicut & ex fl.caſs.& elect.lenit. an. ſi libentius bolos admittat. Inde fiat prima præpatatio iulap. acet.cort.cit.& cinnam.aromatiz.ad ℥ iij. cui ʒ iij. crem.tart.addantur, ſex diebus exhibendo; mox præſcriptum repetatur medicamentum, ſuperhauſto ſero capr. depur.ad ℔ i.ſ.vel ij.

Hinc ad explicandas obſtructiones deueniri poterit; in quem finem, ptincipem locum obtinebit Rhab.matur.ita paratum, ut quidem deobſtruere, & humores educere, calotem tamen adaugere minimè poſſit. Quate eiuſdem ʒ ſ.cum fl.caſs.adeò miſceatur, ut formentur b.n.ij. ſummo mane præbendi, à quibus hora poſt exhibeatur ius cich. & agrim. alteratum, tribuſque, aut quatuor horis ab eo prandeat. Sequenti verò die aſſumat ſuccos depur. cichor. bortag. & agrim.ad ℥ iij. iu iure, endiu. malu. & hepatica alrerato; mox poſtridie repetat bolos, eodem modo, & otdine; inde uerò ſuccos, ſicque alternatim procedendum, ſalteni ad xx.dies; uerùm poſtremis decem, in ſuccis ipſis diſſolui poterunt tart. vitriol.gt.x.

Exactis vero xx. diebus, quatuor, aut quinque ſequentibus aſſumat Illuſtriſs.Pat. ſerum capr.depur.uel, ſi ab illo abhorruerit, bibat aquam Noceræ ad ℔ v. præſumptis, aut ſyr. roſ. ſolut.aut potione ex man.clariſ.uehiculi loco, ut deiectoriè excernatur.

Tandem ad uſum lactis aſinini, cum ſacch. perducenda Illuſtriſs. Patiens, incipiendo à ſemicyatho, uſque ad integrum calycem, per 40.dies. Aſina autem, duobus ſaltem menſibus diſtet à partu, ſitque [c] nigri coloris; atque lac ſtatim mulctum naturali ſuo tepore perfuſum bibatur. Balneum, eodem tempore, aquæ dulcis tepidæ, folijs maluæ, violarum, nymph. & ſalicis alteratæ, præſtãtiſſimum quinetiam auxilium fuerit; quod tamen ſub egreſſum frigidum reddatur, frigida aqua affuſa. e De Nat. Mul. 46.

Et quoniam uteri læſio ualdè leuis cenſetur, ideo ſat erit topicis illum fouere, illitu parato ex ol. lil. alb. cum aromaribus, additis granis moſchi, aut zibetti ℈ i, quo quotidie uterus illinendus mane, dum è lecto ſurgit.

His omnibus addatur congrua uiuendi ratio. Sic aetem natiuum, aut amœna, & iucunda loca incolat. Abſtineat ab alimentis craſſi ſucci, & copioſi excrementi, ſicut & à valdè calefacientibus, & exſiccantibus, ut à carnibus animalium annoſorum, & pinguium; à carne ſuilla, & bubula; ab aquaticis, volatilibus; à piſcibus paluſtribus, & glutinoſis, vt ſunt anguillę, tincæ, & alij huiuſmodi. Abſtineat paritet à caſeo, potiſſimum veteri; à leguminibus, à frequenti olerum uſu, & potiſſimum braſſicæ, apij, ſiue ſelini; à terræ tuberibus, atq; fungis; à fructibus auſteris, & uaporoſis; à condimentis allij, cæparum, & aromatum, excepto modico cinnam.& pipere ruditer cõtuſo. Sibi temperet à ſalitis, & à carnibus, ſiue piſcibus ſale, uel fumo exſiccatis; ab immodico uſu aceti, & ſuccorum acidorum, ut aurantiorum, limonum &c. Potum vini meracioris, aut dulcis viret. Somnus conuenit potius diuturnus, quàm breuis. Exercitia nunquam ſint ſtatim à cibo. Aluum lubricam ſeruet, vſu paſſularum, & ab ijs ſtatim potu iuris maluarum, prima menſa. Quibus non ſufficientibus, ſumat nonnunquam, ante ius, caſs. ʒ ij. Toto verò anni tempore, prima menſa habeat in vſu ius borrag. alteratum. Animi mœrores, curæ, ſolicitudines ablegandę; conuerſatio genialis captanda, & erecto in ſpem animo Pat.Illuſtriſs.habenda. Quæ dicta (fauente Deo) ſat fuerint, pro eiuſdem ſalute, quam eidem enixè feliciſſimam, ac diuturnam augutor.

XLVII.

HYSTERICI AFFECTVS, STERILITAS, CVM Melancholia Hypochondriaca.

IVuenem Nobiliſs. duobus abhinc annis hypochondriaca affectione tor-
queri, luce clarius apparet ex hypochondriorum tenſione, rugitibus
uentris, & flatuum copioſa, tum per ſuperiora, tum per inferiora eru-
a 3 de Loc Aff 7. ptione; quam ideo flatulentam affectionem appellabat Gal.[a] Hanc au-
tem potiſſimùm confirmant acidi ructus, & nonnunquam nidorulenti;
necnon arteriæ magnæ pulſatio. Et quoniam timor, & mœror prædictis
accedunt, cum horrendis inſomniis, & imaginationis aliqua manifeſta
deprauatione; ideo melancholiam quoque affectionem hypochondriacam comitari du-
bio procul aſſerendum. Quibus accedit etiam hyſterica aliqua paſſio, quæ animi deliquio
prope tempus menſtruæ purgationis imminutè procedentis, uertigine, ſiue trepidatione,
dolore capitis grauante, & extendente in occipite, ab infima ueluti ſpinali medulla obte-
pente, ſe ipſam prodit; & tandem, quòd tribus abhinc annis ſir Viro nupta, nec vnquam
conceperit, de ſterilitate, ſaltem ad tempus iure merito conqueritur.

Atque hi ſunt affectus, quibus auxilia medica expetuntur, ordine quinetiam, quo deſcri-
pti fuere, producti. Etenim in ſtatus Nobiliſs. Iuuenis mutatione, tribus abhinc annis, vi-
uendi quoque modum, atque rationem in liberaliorem mutatam fuiſſe credendum, & qui-
dem in omnibus rebus nonnaturalibus; atque adeò cruditates inde primam originem du-
xiſſe, à quibus obſtructiones in lacteis uenis genitę, & in iiſdem à iecoris feruore exſicca-
tæ, hypochondriacæ affectioni ortum præbuerunt; ab iis enim calot concluſus intenſior
redditus, & præternaturalis, in uentriculum quinetiam diffuſus, ciborum corruptiones, &
ab his flatus in dies produxit; prout iiſdem obſtructionibus magnam arteriam compri-
mentibus, eiuſdem pulſatio imputanda. Verùm quoniam, ob infarctus prædictos, ſanguis in
venis meſaraicis ſubſiſtens, & in cæteris portæ ramis, à calore intenſius efferbuit, aduſtio-
nem tandem adeptus, affectioni hypochondriacæ melancholiam ipſam adiunxit, tetris ſcil.
eleuatis per uenas ad cor, & inde per arterias ad caput ab hoc ſanguine uaporibus, aut ex-
halationibus, ſpiritus uitales inficientibus, & animales opacantibus; unde timor, mœror, &
manifeſtæ aliæ deprauatæ imaginationes obſeruatæ fuerunt. Verùm quia hypochondria-
ci excrementis neceſſariò affluere ſolent; cùm & chylificatio, & ſanguificatio corruptè
fiant; hinc iiſdem maſſam ſanguineam conſpurcatam, & infectam natura deſęcare tentans,
craſſiorem, & magis exuſtum ſanguinem ad uterum detruſit, qui eiuſdem uaſa, ob craſſi-
riem, permeare non potis, in iiſdem obſtructiones peperit, à quibus mox imminuta ſucceſ-
b 1. in 6. Epid. 1. ſit menſtrualis expurgatio. Et quoniam vterus repletus[b] contrahitur, & eiuſdem vaſa ſe-
cundum longitudinem tenduntur; hinc dolores tenſiui, & grauantes ſuboriuntur, qui ad
extremam medullam ſpinalem, & per ſpinam ad occiput uſque exporriguntur, iuxta ner-
uorum proceſſum ab eadem ſpina ad uterum pertingentium. Nec mirum, ſi à materia in
utero deliteſcente euaporationes, tum ad ſeptum, tum ad cor impetu ferantur; etenim &
c de Virg. Morb. *Ipſe ſanguis reſilit in cor, & ſeptum*[c], *vnde cor fatuum ſit, & à fatuitate torpedo ſequitur; à torpe-
dine verò delirium apprehendit*, dicebat Hipp. Sic animi deliquia, vertigines, & alii huiuſce-
modi hyſterici affectus ab hoc fonte promanare poſſunt; quinimò & hæc ſtarilitatis iuſta
cauſa eſſe poſſet, niſi, ut ego exiſtimo, exuperans menſtrui ſanguinis, & ipſius uteri caliditas
primo quoque anno conſpiraſſet, quæ moderari non potuit à ſpermate uiri, quinetiam
calidiſſimo, ut ex enarratis accepi; ſterilitatis ſiquidem ſæpè cauſa eſſe ſolet temperamen-
d in Theæteto. torum uiri, & mulieris conſenſus, ut exiſtimauit Plato[d], etenim ſicuti[e] temperati cum
temperatis ſęcundiſſimi euadunt, ita intemperatus cum intemperata, in eodem genere,
e 5. Aph. Com. 62. infœcundi; prout intemperati contrario exceſſu fœcundi habentur.

Quibus omnibus expenſis, tum indiuidui, tum ſpeciei ratio à Medico habenda; quan-
quam neceſſariò prius indiuidui, cuius mala diſpoſitio ſpeciei quoque officere, & ſterilita-
tem

tem inducere valet. Ideò prius melancholiæ hypochondriacæ proſpiciendum; deinde vteri vaſa reſeranda, & tandem iecoris, ſanguinis, & vteri calor contemperandus. Cui poſtremæ intentioni, in Viro quoque, Vere proximè futuro erit danda opera, ſi enim Agricolæ, vt conſiderabat Ariſt. triticum purum ſedulò pro ſemente ſeligunt, quid in gratiam humanæ prolis præſtandum?

Medicæ itaque intentiones erunt, primò primas vias emundare. Secundò obſtructiones portæ ramis infarctas, humectantibus, & aperientibus expedire. Tertiò ſanguinem purificare. Quartò vias vteri aperire. Et tandem Iecoris, ſanguinis, & vteri calidam intemperiem moderare. Ventriculi autem, aut nulla, aut valdè leuis cura habenda eſt, cùm non eſſentialiter, ſed per conſenſum à vicinis partibus immodicum calorem illi impertientibus lædatur.

Quibus ut ſatisfiat, ex Chirurgico fonte deſumenda primò repetita ſanguinis miſſio, ex Iecoraria dextera tempore æquè medio inter præteritam, & futuram menſtruam purgationem; mox & ex ſaphena dextera, ſub finem eiuſdem, hiantibus adhuc vaſorum vteri orificiis; quinimò prope illud tempus frictiones, & lotiones infernarum partium erunt adhibendæ, & vterus eadem opera, oleis laxantibus, & modicè calefacientibus irrigandus, liliorum alborum potiſſimum.

Ex Pharmaceutico fonte depromenda Lenientia, Præparantia, Aperientia, Purgantia, Intemperies Corrigentia, Vterum Spectantia, & à Proprietate iuuantia. Primum itaque Leniens eſſe poterit caſs. & lenir. cum crem. tart. Vel ſyr. roſ. ſol. & de polypod. Præparatio ſit quinque dies huiuſmodi. ℞. iulap. acet. ℥ ii. aq. cinnam. ℥ ſ. m. pro ſyr. & ſic pro aliis. Inde repetatur præſcriptum leniens, à quo ſemper præbeatur ius hordei, vel aqua hordeacea. Hinc ad efficaciora præparantia deueniendum, quæ aperiendi quoque facultatem habeant, neque ſint ſaccharata, aut mellita, hypochondriacis, & hyſtericis ſuſpecta, imò noxia. Quare præbeantur ſucci depurati, hoc pacto. ℞. ſucc. cichor. depur. borragin. an. ℥ i. ſ. decoct. cichor. borrag. end. maluæ, agrim. meliſſæ, rad. graminis, lupul. ℥ v. m. pro ſyr. & ſic pro aliis. Sequenti verò die præbeatur Rhab. ſubſtantia, ita vt tamen nullum calorem viſceribus inurere poſſit, atque interim aperiendo aliquo pacto etiam euacuet, vt ℞. Rhab. opt. ʒ ſ. flor. caſs. rec. extr. ʒ ii. m. f. b. à quibus, hora poſt, bibat hanc potionem. ℞. aq. agrim. deſtill. ℥ iv. cichor. deſtill. ℥ ii. tart. vitriol. gran. x. m. pro potu, & tribus horis ab ea, prandeat. Ita quotidie procedat alternatim, aſſumptis altero die ſuccis depuratis; altero verò Rhabarb. ad xx. & plures dies, vt meſenterium, & caua viſcerum ab obſtructionibus uindicentur; mox aſſumat hoc infuſum. ℞. Rhab. opt. ʒ i. ſennæ recent. mundat. radic. polyp. Epith. an. ʒ ii. cinnamomi integri ʒ i. aq. agrim. q. ſ. m. f. inf. per noctem; deinde facta expreſs. colaturæ adde ſyr. roſ. ſolut. ℥ v. m. f. p. b. & tribus horis ab ea, bibat ſeri caprini, aut aſinini depurati ℔ ii. duabus verò horis ab iis prandeat.

His peractis, totius maſſe ſanguineæ noua purificatio erit curanda, hac ratione. ℞. Decoct. Epith. Meſ. ſyr. roſ. ſolut. an. ℥ iii. aq. flor. citri parum, m. pro potu, cui, tribus tranſactis horis, ſuperbibat ſerum, & prandeat, ut ſupra. Sic tribus vicibus repetatur idem medicamentum, quarto quoque die; duobus verò intermediis præbeatur ſerum caprinum, aut aſininum depuratum ad ℔ i.

Hoc verò tempore, ad vias vteri reſerandas deueniri poterit xii. aut xv. dies, ſummo mane præbendo. ℞. aq. capill. Ven. deſtil. ℥ vi. aq. artemiſiæ ℥ iii. ſpirit. tart. bis, aut ter rectif. gutt. x. ſalis artemiſ. gr. v. m. pro potu, quatuor, aut quinque horis ante cibum exhibendo. Interim, eodem tempore, vtero fotus adhiberi poterunt, magna ſpongia imbuta, mox expreſſa, & calida applicata ex decoctione maluæ, rad. altheæ, liliorum alborum, fol. orig. pulegii, calamenti montani, artemiſiæ, & ſabinæ; mox, remoto fotu, illinatur tota regio vteri oleo liliorum alborum.

Et tandem ad contemperandum Iecoris, ſanguinis, totiuſq; corporis feruorem, duo magna remedia, internum alterum, alterum externum ſunt uſurpanda. Internum erit lac aſininum cum ſaccharo, conſuetis legibus præbendum, ad quadraginta dies, & plures. Externum verò balneum aquæ dulcis, toti corpori adhibendum, ex decoctione foliorum maluæ, violarum, ſalicis, nenupharis, & erucæ; cuius vſui erit inſiſtendum ſaltem ad xx. dies, tempore calidiori ſemel tantùm in die; adeò vt ſummo mane lac præbeatur; hora verò vigeſima prima, aut vigeſima ſecunda, in balneum deſcendat.

Sic ſuperatis obſtructionibus, calidioribus expurgatis humoribus, & intemperie remiſſa, multò meliori ſtatu gaudebit Nobiliſſima Iuuenis, & ad concipiendum erit aptior; nihilo-

minus

minus aliqua quoque à proprietate iuuantia, quæ tamen rurſus caliditatem non augeant, non ſunt omittenda; quorum tria ſelectiora propono, ad arbitrium deligenda, vel ſc. f lac
f Rhaſis.
equinum, inſcia muliere, aſinini loco, aut caprini exhibitum, vel puluerem penis ceruini, qui ſi non adeò facilè præſtò fuerit, paretur puluis ex matrice leporis, in furno aſſata, in aqua matricariæ exhibendus, à ʒ ſ. ad ʒ i. Extrinſecùs quoque regio vteri linienda linim. ex coagulo leporino, cum butyro reformato. Quorum omnium adminiſtratio inchoanda primis Aprilis menſis diebus; vt vſus lactis, & balnei diebus æſtiuis adminiſtrandus ueniat, quo tempore, & Illuſtriſs. Vir aliqua expurgatione, & caloris moderatione opus habuerit, remediis à Viro Excell. adſtanti magis accommodatis deligendis.

Interim vtatur Nobiliſſima Iuuenis, qualibet hebdomada, ℥ ſ. floris caſſiæ, & quotidie prima menſa, tum in prandio, tum in cœna, iuſculo, modò borragine, modò endiuia, modò malua alterato. Quæ omnia vtinam ex voto ſuccedant.

XLVIII.

HYSTERICA, ET HYPOCHONDRIACA Affectio.

MVlier 41. annum agens, ſymptomata patitur, quæ mihi videntur à minera hypochondriaca, & forſan melancholica emanare, eaq; deliteſcente in hypochondrijs, & vtero; dolorem enim capitis, pectoris, ſtomachi, ab hypochondriacis flatibus, & hyſtericis euaporationibus prouenire cenſeo; ſicut & anxietatem à cibo, cuius cauſa inedia gaudet. Alui pariter ſtypticitas, cum arenulis in vrinis, calorem in iecore, renibus, & hypochondriis manifeſtè prodit, ut propterea menſtrua laborioſa ſtato tempore contingant; ob craſſam primùm materiam, feroſitatibus tamen immiſtā, in melancholicis plurimùm redundantibus; quibus enim huiuſmodi menſtrua contingunt, infœcunditas potius ex nimio calore, quàm frigiditate ſuccedit; à Viro namque non prouenire, triplex iam conceptus nos certiores facit.

Proſpiciendum itaque, ne obſtructiones in hypochondriis augeantur; neue calor in hepate, renibus, & toto inualeſcat, vt menſtrua temperatiora, & vterus conceptioni magis idoneus euadat.

Hoc verò præſtabitur Euacuantibus, Aperientibus, Attemperantibus, & vires Conſeruantibus.

Educatur itaque ſanguis primò ex iecoraria, dum diſtat à menſtrua purgatione; & ſtatim ab hac, ſi menſtrua imminuta procedant, etiam ex ſaphena, aut, vt placet Gal. a tribus die-
a de Sang. Miſſ. 18.
bus ante.

Fiat autem accommodata totius expurgatio, & ab hac aqua Tettuciana cum vehiculo, tribus, aut quatuor vicibus, exhibeatur. Mox aquæ Villenſes diureticæ ſumptæ conuenient; quæ ſi præſtò non ſint, ad uſum ſucci cichorei depur. in iure cichoraceis alterato progrediatur, 15. dies; mox ad ſerum capr. cum ſucco limonum, totidem; & externis à Viro Excell. propoſitis, imò & balneo dulcis aquæ vtatur, cum victus ratione his omnibus proportione reſpondente,

XLIX.

HYSTERICI DOLORES, CVM DIABETICA Diſpoſitione.

MAtrona Nobiliſs. 44 annũ agens, Viro iuncta, plethorici eſt habitus, ad obeſum tamen vergentis; tanta enim eſt corporis moles, vt ad motum, potiſſimum per loca accliuia ferè inepta reddita ſit; vnde vitam ſedentariam ducere cogitur, præſertim cùm & ſub vmbilico, & in inguine peritonæum laxatum habeat. Iam verò prolifica fuit, & vſque ad trigeſimum octauum annum, tredecim peperit filios, præter abortus; quo tempore abundè expurgata eſt quolibet menſe, vſque ad octauum, & decimum diem, copioſiſſimè verò in puerperiis. Cùm autem ab aliquo partu parcius expurgata fuiſſet, ſubortus eſt dolor in Vteri fundo ſæuiſſimus, qui sãguinis miſſione fuit ſedatus; licet poſtea recruduerit, potiſſimum menſtruis imminentibus, & quidem cum motibus conuulſiuis in ſomnis, & horripilationibus internis, & externis; quibus ſucceſſit æſtus inſignis internus, cum ſiti adeò moleſta, vt ad frigidæ potum confugere cogeretur; ea tamen neutiquam extincta. Dolores autem perdurant, duobus iam abhinc annis, cum grauiſſimo ponderis ſenſu in vteri regione ſiniſtra, irrepentes per inguen, renem verſus; quibus ingraueſcentibus, dolor primò atrociſſimus excruciat, pungens, & lancinans, potiſſimum imminentibus menſtruis, præcedentibus vigiliis, vomitibus bilioſis, & intenſiſſima ſiti, cum horripilationibus, ſine frigiditatis ſenſu; hoc autem remittente, prout anteà copioſi flatus eruperunt, ita in præſens contingit caloris ad ambitum corporis, & ad extrema inſignis effuſio, cum copioſis vrinis, prout ſemper fuerunt, ſed potiſſimum vigentibus iiſdem doloribus. Vrinas autem ſemper, decem abhinc annis, turbidas reddidit, cum ſubſidentia alba, copioſa, & lactea, potiſſimum verò in dolorum inſultu.

Iuuamentum autem non leue ſuſcepit à copioſa ſanguinis miſſione, indeque ab aquis, ac fructibus niue refrigeratis, adeò vt totam æſtatem doloribus vacuam tranſegerit; quo tamen tempore & menſtrua paulò copioſiora fluebant. Verùm menſe Septembri, rurſus ijdem inualuerunt, imò ferè continui fieri cęperunt, repetita ſanguinis miſſione vtcunq; remiſſi; grauiſſimè tamen inualuerunt Ianuario, Februario, & Martio proximè præteritis, deficientibus omnino menſtruis, & quidem tres continuos dies; mox quinetiam ſedati, effluente per vterum viſcida, & craſſa copioſa materia. Tandem menſe Aprili acerbiſſimus factus eſt dolor, quatuordecim horas perdurans, cùm ſuppreſſione vrinæ; quæ tandem erupit, cum ſedimento non ſolùm albo, verùm & cruento, eodem placato, & ipſis quinetiam menſtruis ſubſecutis, quæ aliquando obſeruata fuere, tum nigra, tum adusta.

Hos tandem dolores comitantur vrina copioſiſſima, ad plures libras, ſitis inextinguibilis, cordis angores, ſputa craſſa, ſed acria, & linguam mordentia, alui ſtypticitas inſueta, ciborum inappetentia, & potiſſimum carnium. Frigida quammaximè appetit, & potulenta præſertim, neque ab horum uſu ventriculus vnquam manifeſtam noxam percepit. Quibus omnibus acceſſit dolor pedis, adhucnum perdurans, necnon hemicrania ſiniſtra; verùm poſtremò dolores tantus ſecutus fuit virium languor, vt triduum decumbere coacta fuerit.

Remedia adminiſtrata fuerunt, repetita ſanguinis miſſio, à qua ſemper ipſa Pat. iuuamentum percepit. Sanguis autem fuit ſemper obſeruatus abſque vlla ſeroſitate, craſſus plurimùm, & nonnihil viſcidus. Cauterium coxæ inuſtum fuit, cruenta materia manans, potiſſimum imminentibus menſtruis. Succus cich. condenſatus, cum aqua cich. fuit diù exhibitus. Aqua item Noceræ, potu. Et præterea conceſſa fuit Aqua Villenſis in cibo, vino permiſta. Sedandis verò doloribus, Triphera magna cum opio ſæpius fuit repetita. Nunc verò medicum expoſcit noſtrum auxilium.

Ratus equidem caſus nobis proponitur conſiderandus, atque curandus; non quidem ratione eſſentiæ, verùm potius cauſarum, morbos, & ſymptomata producentium. Horum autem primum, & pręcipuũ eſt dolor, ſymptoma in actione tactrice depravatè læſa, quod aliud ſequitur ſymptoma in excretis immodicè retentis; ambo verò à morbo in via, obſtructione ſcil. vteri, originem duxerunt, atque ita vterus eſt pars, in his doloribus, eſſentialiter, licet non primariò affecta; quod facilè quilibet colligere poterit ex ſitu doloris, ex qualitate eiuſdem, ex actione læſa, & ab excretis retentis. Et quamuis (vt diximus) eſſentialiter vterus afficiatur; non tamen primariò, cùm materia obſtruens in ipſo non producatur, ſed aliunde, à toto videlicet, tranſmittatur, & à iecore, atque ventriculo generetur: Nobiliſs. ſiquidem Pat. ob propriam iecoris temperiem iuſto calidiorem, calido, multo, & craſſo ſanguine ſemper abundauit. Et quamuis de ventriculo nulla querela præceſſetit; rudem tamen, & imperfectam ſemper chylificationem elaboraſſe, certò credendum, vt ex ſanguine miſſo, craſſo quidem, ſed non ſine lentore, & viſciditate, & multò magis ex alba, & cruda in vrinis ſubſidentia, decem abhinc annis obſeruata; necnon ex copioſis flatibus frequenter erumpentibus coniicere licet.

Humores autem hi craſſi, atque viſcidi, ex prædictis intemperiebus, vita ſedentaria, & forſan etiam ex aſſumptis producti ſunt, concurrẽte quoq; habitu totius carnoſo, & potiſſimum adipoſo, à quo in vaſis magnis calor adaugetur, ſanguiſque ſemper craſſior redditus, quolibet menſe antehac, copioſis menſtruis expurgabatur, ampliſſimis ſemper exiſtentibus vaſis, donec concepit, & peperit, lochiis in puerperio perfectè euacuatis. Verùm poſtquam ab vltimo partu non probè expurgata fuit, craſſiora lochia ſuppreſſa vteri vaſa obſtruxerunt, & ſex abhinc annis ſterilem Nobiliſs. Pat. reddiderunt; vnde vaſa eadem quodammodo adducta, & contracta, non adeò peruia facta ſunt, dum eodem tempore excrementa quoque craſſiora euaſerunt, vèl ipſius quinetiam conſiſtentis ætatis ratione; atque adeò pars eorum craſſior in vteri vaſis læuæ partis concluſa, atque infarcta inſignes obſtructiones produxit; à quibus, dum continuò halitus, atque vapores ab vteri imbecilli calore eaſdem agitante eleuantur, diſtenditur vterus ipſe, cum eiuſdem ligamentis, atque dolor ab eodem, ad inguen, & latus ſiniſtrum propagatur, atque ad os ſacrum frequenter pleriſque extenditur. Inualeſcit autem dolor imminentibus menſtruis, iiſque fluentibus, dum à noua materia obfirmatis obſtructionibus aggeſta, vteri vaſa magis, magiſque diſtenduntur,

Vtero verò dolente, nil mirum, ſi accidant horripilationes, tum internæ, tum externæ, humoribus, aut etiam flatibus per ipſum, & eius ligamenta, tanquam partes neruoſas diſcurrentibus; unde copioſi quinetiam flatus erumpebant. Modò autem magis aſſata materia, obſeruatur caloris ad externa inſignis effuſio.

Et quoniam excrementa in dies ſemper magis magiſq; coaceruantur ex vigilijs, & animi paſſionibus, ex cibis, & potibus alienis; atque adeò quolibet quoque menſe, ex noua materia aggeſta, necnon præſente craſſefacta obſtructiones magis magiſque accumulantur; hinc dolores, tum ſęuiores, tum frequentiores, imò continui facti fuerunt; quod ita ſe habere apparet, quia Ianuario, Februario, & Martio, menſtruis omnino ſuppreſsis, tribus cõtinuis diebus, dolores immanes fuerunt, remiſſiores poſtea facti, erumpente per uterum viſcida, & craſſa materia copioſa. Hinc, ſuperiori quoque menſe, ſæuiſſimus inuaſit dolor, etiam cũ ſuppreſſione urinæ; afflicto namq; utero, atque contracto, ueſica quoque in conſenſum trahitur, contrahitur muſculus, & ſic ad tempus vrina ſupprimitur, quouſque nonnihil ſedato dolore, muſculus quoque laxatus fuerit, profluente vrina, cum ſedimento, non ſolùm albo, verùm & cruore tincto, à menſtruis tunc erumpentibus, & eidem in effluxu immiſtis. Hucuſque autem enarrata, & expoſita cuilibet, licet non adeò exercitato Medico parere poſſunt; prout quoque liquet, cur ſanguis craſſus, & ſeroſitatibus omnino exhauſtus in vaſis reperiatur, ut in educto venæ ſectione obſeruatum eſt; copioſæ namq; vrinæ, toti maſſæ ſanguineæ ſeroſam partem ſubducunt, atque euacuant. Verùm, quomodo id fiat, compertum non video; cùm tamen à vera, atque legitima ſolutione huius quæſiti pẽdeat cauſarum horum affectuum cognitio, atque curatio. Crediderim itaque, ſeroſitates à ſanguine ipſo ad renes non transfundi, ſed ab iiſdem præternaturali violentia, veluti exugentibus attrahi, in quibus adſit diatheſis, atque diabetica diſpoſitio, quæ ſita eſt in vehementi humidi deſiderio, & pendet potiſſimum à calida renum intemperie, cum attractricis robore; prout tum in iecore, tum in toto calidam eandem adeſſe intemperiem exiſtimandum, cuius ope, non modò ſuccedit humiditatis attractio; ſed & aliqua quinetiã

ſolum

ſolùm humorum, non vèrò adipis, aut carnis colliquatio; unde producitur affectus in iſta Nob. Matrona, eadem propemodum ratione, qua deſcribitur à Gal. [a] cuius verba liceat nobis hìc ſubdere, tanquam affectum noſtrum graphicè delineantia; ait itaque. *Renum deſiderium naturale eſt, neque ab ipſo ſenſus noſtri afficiuntur, & ideo, nobis non ſentientibus, paulatim increſcit. In primis enim trahit ſanguinis ſerum ex venis, vèl nihil nobis ſentientibus, quem cùm totum attraxerit, videaturque ſanguis in venis huiuſmodi humiditate ſpoliatus, exſiccata tunc vaſa, humores trahunt ex hepate, deinde hoc ex inteſtinis, inde à ventriculo. Quum itaque exſiccatæ fuerint venæ, quæ os ventriculi perreptant, potum deſiderat Pat. utpote diſpoſitionem ipſam tum primò ſentiens; deinde exhibitam potionem venæ ab hepate ad ventriculum venientes, utpote aridæ, totam rapiunt, atque ex his alia deinceps, donec ad renes perueniat tranſumptio.* Hæc Gal. atque hinc omnia maſſa primùm emanaſſe coniicimus: etenim ſi propria, & cõſueta ſeroſitas in maſſa ſanguinea conſtitiſſet, ſanguis, ut fluidior, in uteri uaſis, natura ſatis amplis, copioſè namque & commodè antea expurgabatur, non hæſiſſet; verùm hic humiditate exhauſtus, craſſus, & lentus redditus, uaſa permeare, neque peruadere potuit; atque adeò hærens obſtructiones, & forſan alicuius tumoris præludium, quem Deus auertat, excitauit; à quibus, modo à nobis ſuperius propoſito, cruciatus huiuſmodi pendent.

[a] 3. de Sympto. Cauſ. 2. & 6. de Loc. Aff. 3.

His verò ſtatutis, tum inappetentiæ, & ſtypticitatis alui, tum acrimoniæ in ſputis, & ventriculi gelidam aquam, & fructus niuatos tolerantis, & prouentus ab eodem cruditatum, quæ in vriuarum fundo iam pridem ſubſidere obſeruatæ fuerunt, rationem reddere facillimum fuerit; prout quomodo & colliquationem humorum ſequantur cordis angores, & tandem virium deiectio, potiſſimum à prægreſſis doloribus; prout in pedem humiditatis decubitus, & demum vaporum in caput eleuatio.

Non eſt autem, qui nõ videat, ſtatum huiuſce Pat. vſquequaque periculi plenum; ſi enim humores in vteri vaſis concluſi, in eiuſdem corpus penetrent, tumor excitabitur prauæ conditionis, & impoſſibilis ſanationis; cùm vltimò craſſus, & niger ſanguis per vterum excretus obſeruatus fuerit; præterquãquod & obſtructiones iam obfirmatæ difficillimè tolli poſſunt; remouenda quippe eſt cauſa illa colliquans, & ſeroſitates à toto ſanguine continuò attrahens, atque è corpore educens; quæ neque facilè tolletur, quoniam multùm prouecta eſt affectio; eiuſdem enim principium, nec augmentum ab ægris vnquam percipitur, utpote opus naturale; unde totius macies tandem ſuccedere ſolet, licet caſu præſenti, longius abſit. Augetur tamen difficultas à contraindicantibus, ſiquidem obſtructiones aperientibus, & attenuantibus egent; vrinæ verò profluuium incraſſantibus, & quodammodo adſtringentibus. Omnia tamen agenda, ut Nob. Pat. opem feramus.

Atque præ omnibus accommodato, & recto ordine in adminiſtratione medicamentorũ procedendum; ita ut, omnium primò, primæ uiæ à cruditatibus mundentur, ut inde ad ſanguinem attenuandum, quo melius fieri poteſt, deueniamus. Tertiò ad uteri obſtructiones reſerandas, ſine Iecoris, Renum, & totius caloris incremento. Quartò, quamprimùm fieri poſſit, ad intemperiem calidam, tum iecoris, tum ſanguinis, & potiſſimum renum contemperandam erit accedendum. Quintò ſeroſitas à Renibus diuertenda, & renes ipſi cautè roborandi.

Quibus intentionibus, ſcriptis ordine executiuo ſatisfacere conabimur. Sic primò exhibeatur caſs. cum tart. à qua hora poſt hauriat ſer. capr. aut aſin. depur. ad ℔ ii. & tribus horis ab eo prandeat. Sequentibus verò tribus diebus, præbeatur iulap. acet cort. citri aromatiz. ad ℥ ii. ſuperhauſto crem. tart. ad ℥ ſ. in modico iure diſſoluto. His peractis, repetatur prædictum medicamentum, vel ſyr. roſ. ſol. cum aqua flor. citri, & ſero depur. ut ſupra, inceptæ potionis euacuatione.

Secundò vlterius progrediendum, exhibito iulap. acet. ſimpl. cum acidi citri portione aliqua, in iure alterato cich. borrag. acet. maluis, in quo diſſoluantur gr. xii. tart. vitriol. in ſcutella, ſeptem, aut octo dies; acida enim huiuſmodi ſanguinem etiam grumoſum attenuare ſolent. Verùm interim aperienda iiſdem diebus vena iecoraria, & ſanguinis ſeptem, aut octo vnciæ educendæ, appoſito ſæpè venæ ſectæ digito, ut craſſior effluat, idq; longius à menſtruis; prædictis verò exactis diebus, præbeatur infuſum rhab. cum ſyrup. roſ. ſolut. vel caſs. cum rhab. ſero depur. ad libras tres epoto.

Tertiò ad uterum deſcendendum, aperientibus quidem, ſed non valdè calefacientibus, imò humectantibus; craſſities enim humorum à calore indita, imò & uiſciditas ipſa, atque lentor, humectantibus egent. Sic autem paretur potio. ℞. aq. ſtill. capil. Ven. ℥ viij. aq. artemiſiæ ℥ iv. ſpiritus tart. ℈ ſ. m. f. pot. mane exhibenda; ſequenti verò die huiuſmodi paretur.

 ℞. decoct.

℞. decoct. in aqua borrag. paratæ. cich. borrag. end. capll. Ven. artemiſiæ, cicer. rubeorum, ℥ vii. ſucci cich. depur. ℥ iii. m. pro potu; quem præcedat talis bolus. ℞. extracti de rhab. ℈ i. ſalis artemiſiæ gr. vi. croci martis aperit. cum acido ſulph. parati gr. i. m. ref. bol. hora ante decoctionem exhibendus. Tertio die repetenda erit aqua, atque ita alternatim progrediendum, ad quindecim ſaltem dies. Interim regio vteri ol. lil. alb. ſimpl. illinenda; & inſtantibus menſtruis, vteri regioni apponatur ſpongia magna madefacta, nec omnino expreſſa, decoct. fol. malu. chamæmeli, meliloti, capil. ven. artemiſiæ, dictamni cretici, calamenti montani, radic. altheæ, lil. alb. & cyclaminis, tepida detineatur, amoueatur, & repetatur, atque decoctoni iam factæ addatur cyathus vini albi ſubdulcis.

Quartò calidam iecoris, ſanguinis, & renum intemperiem corrigentia, erunt interna, & externa. Internè aliqui commendant aquas Thermales acidulas, quas tamen nos, vt exſiccantes, ſuſpectas habemus; quibus propterea ſubſtitui poterit aqua Noceræ; quæ quoniam mineralis non eſt, & terra ſamia plurimùm conſtat, parum exſiccat, valdè refrigerat, & tenuium eſt partium, ita vt non obſtruat; cùm tamen ſubadſtringens ſit, iecori proinde, toto, & renibus potiſſimum valdè profutura. Præbeatur itaque ad quindecim dies, primis quidem vicibus cum vehiculo deiectorio, ſyr. ſcilicet roſ. ſolut. cæteris verò diebus abſque eodem, neque diuretico; immodica quippe adeſt ad vrinam procliuitas. Quantitas verò ſit, primis diebus, ad ſeptem, vel octo libras, vſque ad quindecim, diminuenda postmodum.

Ab hoc remedio ad lactis aſinini uſum perducenda erit Nob. Matrona, cætera namque genera lactis obſtructiones adaugere poſſent, potiſſimum decocta, vt in vrinæ profluuio fieri ſolet. Extrinſecùs verò Balneo aquæ dulcis erit omnino vtendum, eoque potius calente, quàm tepido; hoc enim vteri obſtructiones emollientur, atque, ſi in eodem ſudor prouocetur, ſeroſitates ab vrina ad ambitum corporis prolicientur, quod è re erit, hoc caſu. Et licet, vteri ratione, aqua laxantibus alterari deberet, renibus tamen id obeſſe poſſet. Extra Balneum, adhibeantur iecori epithemata ex ſucco cich. end. inf. roſ. ſucco lim. & aceto roſ. cum ſpeciebus trium ſantalorum. Sic Renibus patetur linim. ex vng. roſ. Meſ. infrigid. Gal. & populeo, reformato cum oleo nenuph.

Vltimò renes roborandi extrinſecùs, addito prædictæ inunctioni ſucco acaciæ, & hypocyſtidis, necnon bolo armena; intrinſecùs verò efficax habetur aqua deſtillata ex quercus tenerrimis foliis.

A proprietate iuuat aqua ranarum, & aſtacorum, cum oxalide deſtillata.

Et quoniam contingit aliquando, dolores adeò vrgere, vt medicum auxilium poſtulent, qui ſi vehementes fuerint, nec ipſis anodynis cedant, cautè narcoticis vtendum; cùm enim ipſi inualeſcere ſoleant, imminentibus, & præſentibus menſtruis, tunc narcotica eadem omnino ſiſtere certiſſimè poſſent; ideo nullo modo iis vtendum, niſi longius ab iiſdem menſtruis. Quia verò humores ſemper craſſiores reddunt, ideo ſufficiat triphera magna, iam experta, vel clyſter ex lacte, in quo philonii Rom. ʒ i. diſſoluta fuerit; ſi enim contineatur, certiſſimè dolores ſopiet.

Victus verò rationem diuerſam exigunt hi duo affectus. Quare deligatur refrigerans omnino, & in qualitatibus ſecundis mediocris. Cibi ſint boni ſucci, nec valdè attenuantes, neque incraſſantes, nunquam verò diuretici. Potus copioſior concedendus, nullo modo verò aqua mineralis in alimentis; omnino enim ab Hipp. [b] prohibetur.

[b] De Aere, Aquis, & Loc. 13.

Aqua Noceræ concedi poteſt, quia mineralis non eſt, aliquando ſola, quandoque miſta. Vitet decubitum ſupinum. Aluo ſoluendæ vtatur clyſt. ex decoct. malu. & mercurialis. addito ol. amygd. vel lil. alb. aut freqenter aſſumat caſſ. ad ʒ ii. cum ʒ i. tamarind. ſub cibi tempus; & præſenti animo viuat. Quæ omnia à Summo Deo Nob. Pat. ſalutaria precamur.

Addimus verò, quod ſi vomitus Nob. Pat. facilis fuerit, ieiuno ventriculo, poſſit aquam copioſam bibere, & eandem ſtatim reuomere.

PRO

Digitized by Google

L.

PRO EADEM,

Conſultatio Secunda.

EX hac poſtrema narratione accepimus, Nob. Pat. dolores ceſſiſſe, à copioſis prodeuntibus menſtruis, permanentibus tamen capitis grauitate, aurium tinnitu, vomitu, inſomnijs moleſtis, cordis angoribus; quodque excreti fuerint grumi ſanguinis, & filamenta pituitoſa ſimul cum vrinis; præterea quod prædicta ſymptomata valdè ſedata fuerint, ſanguine miſſo ex brachio, qui apparuit quidem craſſus, ut vix cultro incidi potuerit; verùm priori educto ualdè ſeroſior. Hoc verò tempore lingua nigra ſemper cõſpecta eſt, cum aliqua ventriculi eroſione. Menſtruorum verò fluxus perſtitit ad dies 17, quibus ceſſantibus, rursùs recruduerunt dolores, prægreſſis puncturis quibuſdam conſuetis. Iiſdem autem ſæuientibus, adeſt frequens ad mictum irritamentum, cum pondere in pube; imò nonnunquam vrina quodammodò ſupprimitur, & in emictione ipſa grumi ſanguinis excreti fuerunt. Vrina autem ſemper copioſa eſt, cum albis ſedimentis, aut ſaltẽ craſſa, & turbida. Semper autem perdurant tremores totius, concuſſiones, ſiue motus conuulſiui, in ſomnis timores, mœrores, animi angores. Quæritur itaque quid deinceps ſtatuendum, & præteritis adijciendum.

Quæ poſt noſtram ſcriptam conſultationem Nob. Pat. contigerunt, nos in eadem ſententia confirmarunt, Vterum nempe, in hiſce doloribus, eſſe partem affectam, & ab eodẽ reliqua omnia, ultima ſcheda enarrata ſymptomata pendere; cum ipſe in Mulieribus morborum omnium fons, & origo eſſe poſſit, iuxta Hipp. [a] & Gal. placita; dolores enim à continui ſolutione immediatè prouenientes, tunc vehementiores euadunt, quando à menſtruis ſuppreſſis uteri vaſa diſtenduntur; remittuntur verò ab excretione eorundem; qui interim ingraueſcunt dum ab ijſdem vapores, & halitus eleuantur, huc illuc peruagantes, uaſa, & ligamenta diſtendentes, & continuum ſoluentes. Verùm ſi contingat, vt craſſior aliqua pars eiuſdem uteri uasa peruadere, & permeare nequeat, pondus inde excitatur, & ex colli veſicæ compreſſione, aut ab utero dolente eiuſdem muſculo contracto, tunc temporis hæret, atque ſupprimitur urina, donec aut ſanguinis trombi eijciantur, aut flatus diſcutiantur; ut propterea credendum non ſit, grumos illos ſanguinis, licet cum vrina effluant, à uijs vrinarijs ullo modo prodire, nec urinam ſupprimi, quòd in vrinariis meatibus infra renes ulla læſio, ullaue obſtructio deliteſcat; ſunt enim omnia ſymptomata in utero hærentia, & ab eodem prouenientia.

[a] de Loc. in Ho. 59

Hæc autem omnia à menſtruorum craſſitie, eaque à iecoris, & totius feruore dependet, ut ſanguis miſſus, linguæ nigredo, & uentriculi eroſiones abundè indicare poſſunt; prout urinarum copia, tum humorum colliquationem, tum ualidam renum attractionem confirmat.

Neque ab hac opinione nos dimouere poteſt ſeroſitas, in ſanguine educto ex brachio nuper obſeruata; ſiquidem contingens quid id potius cenſemus; prætérquamquod ſicut concretio, & craſſities in ſanguine, nonniſi à calore procedere poteſt; ita ab eodem quinetiam fundi, atque liquari neceſſum eſt. Cùm autem vterus pars ſit neruoſa, atque membranoſa, facillimè, eodem læſo, caput quoque in conſenſum adducitur, utpote neruorum principium; atque adeò facilè ſuccedunt capitis grauitates, totius tremores, & motus conuulſiui in ſomnis; cordis item angores, atque pauores, dum forſan Nob. Pat. ab aliquo melancholico affectu, ſaltem per conſenſum ab utero, omnino immunis non fuerit.

Omnia igitur ſtatim agenda, quæ à nobis in præterita conſultatione præſcripta fuerunt, eodemque ordine, antequam menſtrua imminuantur, & deprauatè magis procedant; verendum enim, ne eorundem ſtillicidium ſuccedat, à quo facilè mox ſuboriri poſſet tumor in utero carcinomatoſus, cum perpetuis doloribus, omnino inſanabilis. Quare nihil addentes, nouamque ſanguinis miſſionem, ſuo tempore, admittentes, curationem quamprimùm inſtituendam eſſe conſulimus, quam pro votis feliciſſimam Nob. Pat. ominamur.

VIR.

LI.

VIRGINEVS MORBVS, SEV FEBRIS ALBA, Cum Suppreſſione Menſium:

EPiſtola tua, Vir eruditiſs. Patauiſi perlata eſt, dũ ego Venetiis morarer, vnde nonniſi tardius mihi reddita fuit, & quidem dum hac Epidemica temporis conſtitutione, continuis, & frequentibus Conſultationibus operam dare cogor, integros dies, nullo otio, nullaue quiete, nec per horæ quadrantem mihi conceſſis; adeò ut præ earum frequentia, quibus reſponſa debeo, mihi fuerit neceſſe ab Vrbe diſceſſum tandem ſimulare, ut biduo ſaltem intra domeſticos parietes his ſatisfacere poſſem. Te itaque rogo, vt inuitam hanc cunctationem non ægrè feras, & pro certo habeas, noſtram beneuolentiam ex me perennaturam, atque magni æſtimandam fore. Doleo autem, Sororem tuam clauſtralem, Virginem, 18. annum agentem, temperamenti frigidi, & humidi, hepatis tamen calidioris, ex ſuppreſſione menſium variis morbis, ſymptomatibuſque torqueri; in quibus, vt narras, primum tenet locum Virgineus morbus, ſeu febris alba, quam comitari ſolent color faciei, & labiorum pallidus, ac ſubalbidus, tumor aliquis palpebrarum, & crurum, rugitus in hypochondriis, & frequenter circa lienem, pulſatio temporum, & arteriæ dorſi, capitis grauitas, dolor occipitis, cordis tremores, pauores, ſpirandi difficultates; & licet aliquando recedat febris, ſuperſtites tamen durant virium imbecillitas, pulſus celeritas, & frequentia, non quidem à calore, frigidus enim eſt affectus; ſed à ventilationis defectu, ob ſuffocationem, quæ tandem eò progrediuntur, vt Pat. lubentius mortem, tanquam bonum, exoptent, atque preferant. Graues autem in hac Virgine obſeruantur ſuffocationes, vociferationes, totius corporis palpitationes, & conuulſiones; vt propterea vterinam quoque præſocationem prædicto affectui adiungi non ſit ambigendum, quorum cauſa eſt imminuta, imò ſuppreſſa euacuatio, non ſanioſæ, non ſeminalis, ſed menſtrualis materiæ, in toto, & potiſſimum vtero concluſæ, & ſuppreſſæ ob vitium ſanguinis pituitoſi potius, quàm melancholici, necnon forſan ob vaſorum quinetiam anguſtiam. Menſtrua autem cùm ſuaptè natura prauam obtineant conditionem, in vtero diù hærentia eaudem ſemper deteriorem adipiſcuntur, vterũ intemperie afficiunt, & ſuppreſſa reſiliunt[a] in Septum, & Cor, locum præſenti periculo ad inſaniam paratum; cor enim fatuum fit, & torpedo, ac delirium accedunt; vnde partes illæ repletæ, & forſan etiam viſcera obſtructa horrorem cum febre excitant, quam erroneam quoque appellat Hipp.[b]

Affectus equidem, qui neglectus ſæpè In Scirrhos viſcerum naturalium, Cachexiam, Hydropem, aut inſaniam, & tandem in mortem præcipitare ſolet. Difficilior quinetiam in Virgine ſacra, cui Viro iungi vetitum, vt conſulit Hipp.[c] tunc enim aut menſes fluunt, aut concipiunt, & ſanæ fiunt. Quare ab auxilio medico eſt petenda curatio.

Pro qua triplex eſſe debet medica intentio. Prima quidem totum. Secunda partes obſtructas, & intemperatas. Tertia ſymptomata ſpectare debet. Quibus explendis, alia in acceſſione, alia verò extra acceſſionem agenda. In acceſſione quidem reuellenda aura venefica, & menſtrualis materia à partibus nobilioribus. Secundò facultas excitanda. Tertiò partes principes roborandæ; & cauſa morbifica ſenſibiliter, & inſenſibiliter euacuãda; quos ſcopos, veluti nube velatos propoſuit Hipp.[d] dicens. *Vtero odorata, naribus fœtida, ſternutamentum excitandum, Caſtoreum in vino præbendum*. Extra verò acceſſionem, totum per partes purgandum; ſecundò mẽſenterij, viſcerum, & Vteri vaſa deobſtruenda; tertiò ventriculi, & uteri frigida intemperies auferenda. habita caloris Iecoris ratione; & tandem partes affectę roborandæ.

Sanguinem autem educendum iubet Hipp.[e] quod & ratio ſuadet, ex inferiotibus venis, in acceſſione, prope tempus menſtruæ purgationis, ut idem feciſſe videtur in Stimargi famula; ex ſuperioribus extra acceſſionem, tempore inter utramque medio, parcè[f] tamen;

qui-

a de Virg. Morb.

b Ibid.

c Ibidem.

d 2. De Morb. Mul. 18.

e de Morb Virg. 3.

f 2. Epid. Sect 4.

quinimò, tempore acceſſionis, ſanguinis miſſioni alia reuellentia ſubſtituenda; in quibus ſinapiſmos uidi quammaximè contuliſſe, & ſæpiſſimè acceſſiones intercepiſſe. Parentur autem ex Caric. & Sinap. æquis portionibus, & duabus horis ante acceſſionem coxis, & cruribus applicentur, uſque ad ruborem, & dolorem; mox momento temporis remoueantur, rurſuſque applicentur, quibus ligaturæ arctæ addantur, ſenſim ſoluendæ. Eodem verò tempore nigellam, cum Aſa fœtida in nares adducat, aut eadem inſuffletur. Vtero odorata apponantur, & Tinctura granor. ſambuci, nobis familiare remedium, ad duo cochlearia, in aq. tot. Cit. cum modico vino albo exhibeatur. Suppoſitoria quoque acria, hieram admittentia, in acceſſione, aut paulò ante eandem, non ſunt negligenda.

Extra acceſſionem verò balnea pedibus adhibenda, ex aqua ſalita, aut nitroſa, aut acri lixiuio, addito ſale; & Cauterium coxæ lateris magis affecti inurendum.

Inſtituatur interim purgatio, mel. roſ. ſyr. roſ. ſol. & man. vel lenit. cum Tart. Primum præparans ſit oxym. ad ℥ ii. cum Aq. Cinnam. ℥ i. m. & ſic pro quinque alijs. Inde ſequatur expurgatio ſyr. roſ. ſol. & diacath. uel Lenit. & Diacath. cum granis extr. Mechoac. Hac verò peracta primarum viarum expiatione, ſecunda validior adhibenda præparatio, oxymel. ſyr. Byzant. & de cich. cum rhab. cum decoct. cich. borrag. malu. meliſſ. beton. agrim. cuſc. rad. gram. ſeptem verò, aut octo exactis diebus, præbeatur infuſio Agar. rhab. Sennæ, epith. in aqua cich. parata, cum pauco cinnam. additis, ſyr. roſ. ſol. & elect. diaph. vel bolo, lenit. diacath. & diaph.

His peractis, minimè credendum, omnes obſtructiones ex toto ablatas fuiſſe; atque adeò ad validiora deobſtruentia erit deueniendum, quæ eadem opera euacuandi facultatem habeant; verùm antea aq. Tettuc. tribus diebus de more ſumptas, cum vehiculo mel. roſ. ſol. quammaximè profuturas ſperarem; ut inde ad omnium validiſſimum deobſtruens deueniri poſſit, nempe ad ſyr. Fernel. cachecticum, duodecim dies, aut quindecim aſſumendum, ad ℥ ii. in ſemicyatho vini albi; cuius deſcriptioni ex Fernelio addatur Rhab. in globulo, ut parari ſolet ſyr. de cich. Nic.

Poſt hæc, quia affectus pertinax eſt, neque obſtructiones facilè extirpari poſſunt; ideo Patientem perducerem ad uſum diuturnum huius decoctionis. ℞. ſalſæ elect. ligni ſaſſafras, rad. fœnicul. petroſel. gram. an. ℥ ſ. Aq. agrim. cich. an. ℔ i. ſ. m. f. inf. per 24. horas; deinde addita dimidia columba, aut turture, bull. ad conſumpt. dimidij, & colat. ſeruetur pro duabus vicibus, matutino tempore aſſumenda; cui præmittat bol. ex Tereb. noſtra, lota aqua Capil. Ven. additis granis ſalis Artemiſiæ; nulla enim in chalybe, hoc caſu, mihi fiducia eſt. Interim externa non omittenda, & parandum fomentum ex decoct. malu. melil. orig. calament. leucoij, rad. alth. & lil. alb. mox inungantur pudenda ol. liliac. & Keirino miſtis.

Poſt hæc, ſi menſes adhuc pro uſu non fluxerint, eoſdem prouocantia erunt continuò adhibenda; atque adeò, ineunte hyeme, ius alteratum familiare præſcribatur, ex decoct. Capil. Ven. artem. Calament. mont. borrag. & end. quolibet mane; cui addatur aqua ex allio deſtillata, ad cochlear. vel ol. ſabinæ ad gut. vi. & qualibet hebdomada utatur aliqua pilula ex aloe, aut de tribus, prout hyeme proximè futura aliquando Theriaca.

Hiſque congrua addatur uiuendi ratio; quę omnia felicem poterunt effectum ſortiri à tua prudentiſſima cura. Quibus D. O. M. adſpirare dignetur; ipſe ſiquidem Hipp. ſcripſit, quod quicunque languores mulierum curare aggreditur, à Dijs exordiatur. Cæterùm totum me tibi dico, & abſolutam omnibus numeris, atque diuturnam felicitatem tibi precor. Vale.

LII.

STERILITAS.

CAuſam ſterilitatis Nob. Iuuenis, exiſtimo te(Vir Excell.) in eadem comperiſſe; ſiquidem Viro fœcundo iuncta eſt, & munere venereo ſtrenuè cum eadem fungenti; quamuis nihilominus contigere poſſit quandoque, vt Vir fœcundus cum altera, cum altera verò muliere infœcundus euadat, abſque vllo vtriuſque crimine, prout ſcil. ambo exuperantibus intemperiebus [a], & ſimilibus natura fuerint donati, tunc enim non concipiunt; ideo tempore Platonis, obſtetrices coniungebant inuicem corpora, ad conceptionem apta, vt ſcilicet contrario quidem, ſed remiſſo temperamento prædita forent, quod tuæ prudentiæ expendendum ſubiicio, vtpote qui Viri mihi non cogniti temperamentum calleas. Interim defectus in Nob. Iuuene conſpicuus ad examen reuocandus, vt qui non ab vtero ſolùm, verùm & à toto pendeat; cùm enim tum vtriuſque ſemen, tum menſtrua [b] conſpirare debeant ad conceptionem (pace [c] Ariſtotelis, ſed & aliorum Medicorum, vt Braſauolæ, Fernelii, Nicoli, Rondeletij &c.) ſi totius ſanguis ſeroſior, humidior, & crudior fuerit, nec menſtrua, nec ſemen ipſum conceptioni idonea elaborari poterunt, vt audio hoc caſu, quo menſtruæ purgationes vitiatæ; [d] neque eodem tempore procedere fuere obſeruatæ; atque adeò eiuſdem ventriculum, ad frigidum, & humidum pendere, prout hepar caliditate, cum humiditate exuperare credendum; cruditates namque in ventriculo genitæ, à iecoris calore liquari ſolent, & crudiorem, ſimulque ſeroſiorem totam reddere maſſam ſanguineam. At in vtero vitium quinetiam latere citra omne dubium eſt; num verò frigiditas, ac denſitas, an humiditas potius præpolleat, optimè ſtatutum fuit; humiditatibus enim, forſan etiam mucoſis ſcatere, ex eiuſdem copioſa excretione in coitu, & non percepta voluptate, ab humido ſcil. præpedita corrugatione, & ex totius temperamento facilè colligere eſt, prout & à flatibus ipſa menſtruæ purgationis periodo vteri vaſa extendentibus, & dolores inferentibus confirmatur. Hinc obſeruatum fuit ab Hipp. [e] quod Scytharum Mulieres, ob humiditatem, non concipiunt; earum autem famulæ facilius, quia propter exercitium humiditatem abſumunt, & gracilitatem acquirunt; Quod ſi de vteri denſitate certiores fieri uoluerimus, facillimum id fuerit, ſi Coniux Illumus præcipiat honeſtiſſimæ Iuueni, vt, veſperi ſub decubitum, allium decotticatum ſibi in vterum inſinuet; namque odorem, non in nare ſolùm; verùm & in ore quoque mane percipiet, niſi denſitas adfuerit.

[a] 5. Aph. Co. 63.
[b] 1. Aph. Co. 14.
[c] 1. de Gen Anim. C. 18.
[d] 5. Aph. 36.
[e] De Aere, Aquis, & Loc. 10.

De optato autem fine conſequendo deſperandum non eſt, cùm cauſæ iam nobis innoteſcant; quod ſi concurreret denſitas, vtpote morbus, præter intemperiem, etiam in mala conformatione, euentus multò certè difficilior euaderet.

Primò itaque totius uitium emendandum, ut idonea materia menſtruo, & ſemini conficiendis ſuggeratur; intemperies, tum iecoris, tum ventriculi corrigendæ, & vterus tandem exſiccandus, non omiſſis conceptioni accommodatis præſidiis.

Purgatio autem quamprimùm aggredienda, hoc ordine, ut totum per partes expurgetur, & vterus primus intentione, vltimus executione curetur.

Propoſitam verò ſanguinis miſſionem, eamque repetitam, ex vtroque brachio, ſummoperè laudo; verùm longius à menſtruis purgationibus.

Leniatur aluus pot. ex manna clarif. uel flor. caſs. cum lenit. & tart. Prima præparatio perficiatur ſyr. ſine diluto, oxymel. ſimpl. ſcilicet ad ℥ iii. alterato cortic. citri, & cinnam. Sex uerò poſt diebus, aſſumat uel infuſ. agar. & rhab. cum ſyr. roſ. ſol. & melle roſ. ſol. uel elect. lenit. & diacath. Secunda præpar. fiat deinceps decoct. cich. borrag. end. beton. meliſſæ, agrim. cum oxymel. & ſyr. de cich. Nic. Expurgatio poſtea ſequatur, ſyr. roſ. ſol. elect. diaphœn. vel caſs. & diaphœn. habet enim hoc caſu prærogatiuam ſingularem. Hoc uerò tempore exhiberi poteſt aq. Tettuc. cum vehiculo mel. roſ. ſol. aut mannæ, tres, aut quatuor vices, à ℔ v. ad vi. Poſtea ad ius galli iunioris, hyſtericis alteratum, erit deueniendum,

part-

Digitized by Google

parabitur autem ex china, lentiſco, & ſaſſafras, in aq. cich. artemiſiæ capil. ven. ſtillat. tali pacto. ℞. chinæ inciſæ, lentiſci è Chio inc. an. ℥i. ſaſſafras inc. ʒiii. aq. cich. & artemiſiæ ſtillat. ℔ iij. m. f. infuſ. per horas 24. deinde adde quartam partem galli iunioris, bull. ad conſumpt. dimidii, & colat. ſeruetur pro duabus vicibus, matutinis horis, prolectato blando ſudore ſub ſtragulis, cui iuſculo præmittat quotidie hunc bolum. ℞. triph. magnæ ſine opio ℈i. ſalis theriac. ℈ſ. ſalis artem. gr. vi. m. ref. bol. & aur. In cuius vſu perſiſtat ſaltem 30. dies.

A proprietate ex uſu fuerit conſerua è floribus ſaluiæ. Lac equinum, ſi mulieri inſciæ potandum detur, loco alterius lactis, conceptionem iuuat, vt Rhaſis obſeruauit. Mirabilis quoque eſt puluis matricis leporis, in furno exſiccatæ.

Exrrinſecùs valdè proderit ſuffumigium propoſitum; prout etiam ex ladano, ſtyrace, beniuino, ligno aloes, & troch. de gallia moſchata, per tubulum diligenter exceptum; mox inunctio vteri ex coagulo leporino, cum butyro. Verùm, præter cætera, magni, & præſentis auxilii forent inſeſſus in aquis ſulphureis.

Victus ratio, ſi non tenuis, attenuans ſaltem proderit. Parcè bibat, & vinum maturum. Nec otioſè, nec laborioſè vitam ducat, vt monet Orib. & ex eodem, cum Viro Illuſtriſs. non concumbat per 15. dies, & poſtea, ſtatim ceſſante purgatione, ſuccedat coitus, & inungatur glans balſamo. Neque omittendum, quod monent, tum Orib. tum Paul. nimirum_, præpoſteram Venerem naturalem valdè ad conceptionem conferre, ſuccedente quiete_. Et hæc prudentiſſimo tuo iudicio examinanda propono, vt quæ placeant, uſurpentur.

LIII.

STERILITAS.

SIcut naturale maximè eſt, vnumquodque ſibi ſimile ſpecie generare, ita efficax valdè ſit, oportet cauſa illa, quæ naturæ tantum opus impediat. Hæc autem non vnica, ſed multiplex eſſe poteſt, cuius certè cognitio medicum non tudem, ſed exercitatiſſimum deſiderat, vtpote difficillima. Primò enim à Maris defectu pendere poteſt tripliciter, nimirum vitio teſtium, penis, & ſeminis. Sic tripliciter quoque ex parte mulieris, uitio ſcil. uel menſtrui ſanguinis, uel ſeminis, uel ipſius vteri conſtitutionis; quinimò ſi hæc omnia quoque, tum in mare_, tum in fęmina benè, & ſecundum naturam ſe habere videantur, poteſt nihilominus deficere ipſa conceptio; prout ſi tum mas, tum fęmina eodem gaudeant temperamento, vel intemperati fuerint eadem intemperie, infœcundi euadunt; ſicuti intemperati exceſſu contrario fœcundi ſunt. Vnde ſcripſit Gal.[a] quod *Plato exiſtimauit, hoc fuiſſe* a 5. Aph. 63.
maximum opus obſtetricum, ſcire inuicem coniungere corpora apta ad conceptionem; nam immodicæ intemperaturæ cauſæ ſunt ſterilitatis; modicæ verò ſi ſint, & contrarijs coniungantur, tunc concipiunt mulieres; ſi verò ſimilibus, non concipiunt; neque enim fieri poteſt, vt frigidius ſemen in vtero frigidiori fertile ſit, ſicut neque ſiccius in ſicciori; ſed indiget ſemen frigidius vtero calidiore, humidius ſicciore. Hæc Gal. Quibus omnibus à nobis conſideratis, & cum ijs quæ ex ſcriptis habemus, attentè comparatis, cognoſcimus primò Viri Illuſtriſſimi ſperma iuſto humidius eſſe, & forſan labe Celtica infectum; à qua conditione nec alienum conſidetamus quoque ſemen Illuſtriſſimæ Vxoris, cùm vtriuſque temperamentum, tum corporis, tum habitus ad humidum vergat, & vterum intelligamus fluore, aut profluuio muliebri laborare_, cùm ab humiditatibus profluentibus aut continuò, aut frequentiſſimè madeſcat. Accedit & conſideratio menſtrui ſanguinis, qui ut tertium generationis principium concurrere ſolet, vt expreſsè voluit Gal. [b]cuius cauſa moderatè humidus eſſe debet, atque adeò ſtatutum, & ratum ſit, non vnicam eſſe in hoc Nobiliſs. coniugio ſterilitatis cauſam; ſed b 1. Aph. Co. 14.
vtriuſque temperamentum, & ſeminis ſubſtantiam humiditate peccare; prout & eadem_ quoque vterum perfundi, cum ex Hipp. *Quæcumque præhumidos vteros habent, non concipiant; extinguitur enim in iis* [c]*genitura*.

Quare apparent manifeſtè nobis agenda, ut ſterilitas huiuſmodi in fœcunditatem_ c 5. Aph. 63.

mutetur; quod conſequi nos poſſe ſperamus, cùm eiuſdem cauſa iam nos non lateat.

Erit itaque vtriuſque totum corpus expurgandum, indeque exſiccandum. Et quoniam muliebre profluuium à crudis ſuccis, in mulieris ventriculo potiſſimum genitis prouenire credendum eſt, ipſi quoque robur erit conciliandum, vt vterus tandem ab humiditatibus immunis euadat; qui pariter erit exſiccandus, & ab aliqua frigida, & humida intemperie contracta vindicandus. Quibus intentionibus, iiſdem ferè remedijs, erit incumbendum, ordine executiuo à nobis infrà præſcribendis.

Et primò quidem lenienti medicamento ex caſſia, lenit. & tart. vel ſyrup. roſ. ſolut. mel. roſ. ſol. & manna erit ventriculus exhauriendus. Secundò humores in primis viis concluſi, melle roſ. & oxymel. ad ℥ iii. præparandi; quinque verò exactis diebus, iam præſcriptum medicamentum exhibendum. Inde ad ſecundam præparationem erit progrediendum, ſuccis potius, quàm ſyr. Sic. ℞. ſucci depur. cich. beron. agrim. an. ℥ i. decoct. cich. borrag. acetoſæ, meliſſæ, beton. cortic. citri ℥ v. m. pro ſyr. & ſic pro aliis. Secundo verò, aut tertio die horum ſyrupotum, tundatur Viro vena iecoratia brachii dexteri, educto ſanguine ad ℥ viii. circiter; Mulieri verò eadem pariter vena reſeretur, ſanguine miſſo; verùm tempore medio inter vtramq; menſtruam purgationem, & octo, aut decem exactis diebus, præbeatur vel elect. lenit. cum pil. de hiera cum agarico, & aggreg. vel infuſ. rhab. agar. ſennæ, addito ſyr. & melle roſ. ſolut. vel cum eadem infuſione paretur potio ex manna clariſ. Et quoniam Viri Illuſtriſ. totum corpus, Mulieris verò uentriculum humiditatibus ſcatere ſupponimus; ideo tota maſſa ſanguinea ſeroſitatibus acidis, & liquatis cruditatibus erit electiuè expurganda. Et Viro quidem Illuſtriſ. accommodata eſſe poterit decoct. epith. Meſ. tribus ſaltem uicibus, tertio quoque die exhibenda, intermedijs diebus præbendo ſuccos depur. cich. beton. & fumar. in decoct. cichorac. additis beton. meliſſa, & fumaria; Vxori verò Illuſtriſſimæ conueniret Aqua Tettuciana, quinque uicibus, alternis diebus exhibenda, à ℔ v. ad vi. & vij. cum vehiculo mel. roſ. ſolut. vtpote quæ poſsit ventriculi, & primarum viarum humiditates abſtergere, atque abluere; necnon eiuſdem frigidam, & humidam intemperiem corrigere apta ſit.

His peractis, vix credere poſſumus, fœcunditatem comparari poſſe ſine ſudore in hypocauſto, præmiſſo decocto; atque adeò vtriq; coniugum Illuſtriſsimorum, ut ad ſudorem generosè ſe componant, ſuademus, ad cauſas non ſolùm manifeſtas; verùm & occultas (ſi quæ fuerint) omnino extirpandas. Pro Viro itaque Illuſtriſ. paretur tale decoctum. ℞. ligni guaiaci, ſalſæ, viſci querc. lentiſci an. ℥ i. aq. fontis ℔ iv. m. f. inf. per horas 24. deinde bull. ad conſumpt. dimidij, & colatura ſeruetur pro tribus vicibus, ſummo mane, hora vna ante vſum hypocauſti exhibenda. Deinde ℞. reſiduum, aq. fontis ℔ xii. m. bull. ad conſumpt. tertiæ, ſub finem additis cinnam. integri ʒ ii. & in colar. diſſoluantur ſacchari fini ℥ iv. vel plus ad lubitum, pro potu quotidiano. Poterit etiam alterari hæc aqua cortic. citri, & ſacch. vel paretur aqua, vulgo vocata Cedrata. Pro Illuſtriſsima verò. ℞. chinę opt. lentiſci è Chio, ligni toriſmar. an. ℥ i. ligni ſaſſafras ℥ ſ. aq. ſtillat. cich. ℔ ii. beton. ℔ i. matticariæ, artemiſiæ an. ℔ ſ. m. f. inf. per horas 24. deinde bull. ad conſumptionem dimidij, & colat. ſeruetur pro tribus diebus, pariter matutinis horis, vt ſupra, aſſumenda, aqua pro potu ex reſiduis iam dictis pariter parata.

Aduertendum autem, quod parum in hypocauſto morari debent, & potius in lecto ſudandum erit; neque ſub finem mora in hypocauſto excedat horæ dimidium, vnica vice in die, & quidem per menſem ſaltem, & decimo quoque die præbeatur potio ex man. clariſ. ad educendas aquas potu quotidiano exhibitas. Quotidie autem præter biſcoctum, amygdalas, & pineos nucleos, cum paſſulis, in prandio concedi poterit, vel pullus columbinus, vel iunior gallinaceus, vel vitulina caro aſſa; etenim neceſſaria non eſt tenuiſsima victus ratio conſueta; à vino tamen omnino abſtineant.

Exacto verò per menſem ſudore, vt ex toto corpus vniuerſum exſiccetur, & ſemina vtriuſque quandam veluti balſamicam, & prolificam qualitatem adipiſcantur, conuenientiſs. erit puluis viperinus ad ℈ i. xx. diebus aſſumendus, in iure alterato radice imperatorię, vel foliis ſtellariæ, & erucæ ſeminibus.

Hiſque abſolutis, nil aliud Viro Illuſtriſ. peragendum ſupereſt. Illuſtriſsimæ autem quam maximè prodeſſe poſſet inſeſſus in aquis ſulphureis, & aluminoſis noſtris Aponitanis; ſiue etiam ſulphureis ſalgemmeis, quales ſunt aq. Montis Falconis, cum tubulo, ad vteri perfectam exſiccationem, eiuſdemque robur; languidum olim, & deiectum.

Quibus omnibus congrua erit addenda victus ratio, exſiccans, qua abſtineant à potibus

bus vberioribus, potiſsimum inter prandium & cœnam; à cœna verò ſtatim deglutiat de more duo, aut tria grana maſtiches integra,& obſeruet Vir Illuſtriſs. quod concubitus ſub finem conſuetæ menſtruæ purgationis faciliorem conceptionem efficere poteſt; dũmodò ante purgationes menſtruas decem, aut duodecim diebus à coitu abſtineat. Atque hæc optatum finem conſecutura ſperamus prudentiſsimæ, atque accuratiſsimæ adminiſtrationi Excell. Viri, & in arte Peritiſsimi commiſſa.

LIV.

STERILITAS, ET DESTILLATIO SALSA.

MVlier Nob. 30. annum agens, temperamenti totius ad calidum, & humidum vergentis, hepatis calidioris, capitis verò calidi, & humidi, cùm duobus annis à nuptijs concepiſſet, puero feliciter in lucem edito, ſex ſecutis annis ſterilis facta eſt. Modò autem conqueritur de deſtillatione ſalſa, adeò ut interdum ei linguam erodat; pariter de euaporationibus calidis, à toto ad caput eleuatis. Cibum patum appetit, menſeſq; imminui cœperunt, licet ſtatuto tẽpore appareant, verùm ſanguine impuriori, tum craſſiori, tum nigriori, non ſine uiſcida, atque lenta ſubſtantia manantes, cum doloribus circa pubem, inguina, & dorſum, tum imminentibus, tum præſentibus menſtruis. Liberam alioquin vitam ducit, & potiſſimum acetarijs, & alimentis non adeò boni ſucci oblectatur, proba reſpuens. Nunc verò auxilium poſcit, non modò aduerſus ſalſam à capite deſtillationem; verùm etiam aduerſus ſterilitatem. Vir eiuſdem laudabili alioquin ſatis ſanitate gaudet, temperamenti calidi, & humidi, ad plethoram potius uergentis; niſi quod, quibuſdam tantùm temporibus, de pruritu in ſcroto conqueritur, à quo tamen poſt ſcalptum, emanat quædam materia ſeroſa, & acris.

Duo igitur ſunt affectus, de quibus Nob. Mulier nos conſulit, deſtillatio nimirum à capite ſalſa, & ſterilitas temporaria; qui licet valdè, imò omnino diuerſi, unam tamen, & eandem cauſam agnoſcunt, ſanguinis ſcilicet impuritatem; ſalſa namque deſtillatio, licet capite defluat, hoc tamen fomitem non paucum à toto [a] ſuſcipit; morboſa ſiquidem non adeò intemperie laborat, quæ ſalſam potuerit reddere deſtillationem, niſi biliosæ ſeroſitates, feruidioris hepatis ſoboles, ſanguini non ſolùm bilioſo; verùm & exuſto permiſtæ, catarrhali materiæ adiungerentur, ex qua miſcella ſalſedo materiæ procedit; à qua tum facultas retentrix laxatur, tum expultrix irritatur, ſicque in ſubiectas partes deſtillatio, linguam potiſsimum perfundens, atque corrodens, quæ in ventriculum maiori parte delapſa, & os eiuſdem oblinens, obtuſum reddit ſuctionis ſenſum, atq; ipſum appetitum; ad id conſpirante quinetiam alieno calore, à iecore, & hypochondrijs ad uentriculum eundem diffuſo. Sterilitas autem, in Muliere alioquin fœcunda, quæ ſex abhinc annis contigit, non vteri vitio, qui durior ſit, valdè exquiſito namque ſenſu uiget; non [b] præhumidus, quia profluuio muliebri, neque fluore uterino laborat; non exſiccatus, quia corpus alienum à tabe eſt; non præpinguis [c], aut à pingui omento compreſſus, quia moderatè carnoſa, & pinguis eſt Pat. non [d] diſtortus, quoniam mole ſua continua ab eodem vtero non laborat; ſed ſi aliquo vitio eum affici ſuſpicandum, obſtructio fuerit, à craſsiori, ac denſiori ſanguine, à toto ad ipſum transfuſo, & illi infarcto, vnde imminuta contingunt menſtrua, & deprauata, quia cum doloribus, & torminibus fiunt. Verùm alia, & forſan potior cauſa, ad infœcunditatem conſpirat, praua [e] nimirum ipſius ſanguinis menſtrui conditio, qui tanquam tertium generationis principium à Gal. [f] cum Hipp. neceſſarius habetur; hic enim ſi plus æquo exuſtus, atque craſſus, necnon viſcidus, pituitoſus, & lentus, vel nimis aquoſus fuerit, ad fœtus formationem inepta materia euadit; ac proinde, ut ſuperius innuimus, prauitas ſanguinis in toto concluſi, à feruido iecore potiſsimum, necnon ab alimentis praui ſucci geniti, eſt prima, & potiſsima utriuſque prædicti affectus cauſa.

Quam auferri poſſe, annuente tamen, & obtemperante Nob. Muliere, non dubitamus; ni omnino, hoc anni tempore, purgatione inſtituenda, eadem ſaltem pro uſu repetita.

a de D. E. Feb. 11.
b 5. Aph. 63.
c 5. Aph. 46.
d De Steril. 2.
e De Steril. 3.
f 1. Aph. Com. 14.

In præſens itaquè primæ viæ expiandæ; totum expurgandum; vteri vaſa aperienda, caput euacuandum; iecoris tandem, & totius calor contemperandus.

Quibus ſcopis ut ſatisfaciamus, ſanguis omnino ex iecoraria dextra eſt copioſè educēdus, tempore medio inter vtramque menſtruam purgationem; qua ceſſante, ſi deficiens fuerit, ſub finem eiuſdem, adhucnum hiantibus uteri vaſis, ſupplenda moderata ſanguinis miſsione ex pede.

Ex Pharmaceutico ſonte Lenientia, Præparantia, Purgantia, intemperiem calidam Corrigentia deſumenda. Sic primum leniens erit ſyr. roſ. ſol. cum mannæ portione. Primum præparans, quinque dies iulap. acet. ad ℥ iii. in quo ʒ iii. crem. tart. diſſoluantur. Mox purgentur humores præparati eodem ſyr. roſ. ſolut. cui addatur infuſio agarici, & rhab. & incepta euacuatione, hora poſt ſer. capr. depur. ad ℔ i, ſ. Inde ad ſanguinē depurādum deueniendum; quod commodius fieri poterit ſuccis depur. quàm ſyr. ſaccharatis; namque eadem opera, tum præparationem, tum aliquam contemperationem conſequemur. Quare aſſumat quotidie ſuccos depur. cich. borrag. ad ℥ iij. in decoct. cich. borrag. end. ſonci, malu. hepaticæ; in quorum intermedio, & fine decoct. epith. Mes. cum ſyr. roſ. ſolut. an. ℥ iij. & inchoata euacuatione, ebibat ℔ ij. ſeri capr. aq. Noceræ, aut aq. hord.

Quibus peractis, calida iecoris, & ſanguinis intemperies erit corrigenda, ſuauiori quo poterit modo. Sic quotidie, ſummo mane, bibat libram integram aquarum, de ſucco cich. de cucurbita, cum iulap. de ſucco lim. atque ita perſiſtat ſaltem 20. dies.

Interim aduentante periodo menſtruæ purgationis, tribus, aut quatuor diebus ante eandem, ſumat Nob. Pat. veſperi hora antę cœnam, ℈ ſ. aloes optimæ non lotæ; mox ſequenti mane, bibat cyathum integrum aquæ capil. Vener. deſtillatæ, in qua diſſoluantur ſalis artemiſiæ gr. vi. & ita perſiſtat tribus, quatuor, aut quinque diebus, uſque ad menſtruorum effluxum; quod repetatur duobus quoque menſibus ſubſequentibus. Hæc autem pro præſenti purgatione dicta ſatis.

Congruam addendo victus rationem, qua abſtineat à cibis ſalſis, acribus, calidis, & vaporoſis, ab ijſdem pariter craſsi ſucci, & à carne ſuilla, potiſsimum ſalita, à caſeo, à condimētis aromatum, allij, cæparum, à leguminibus, à vinis generoſis, ac dulcibus. Vſum verò continuum adhibeat, prima menſa, iuſculi acetoſa, vel endiuia alterati. Corpus exerceat, potiſſimum ante cibum, & quolibet menſe ſumat ℥ ſ. flor. caſſ. cum ʒ i. pil. de trib. cum rhabarb. cui medicamento, exacta hora, ſuperbibat ℔ i. aq. hord. & tribus horis ab ea, prandeat.

Vir autem eiuſdem poterit & ipſe aliquam inſtituere purgationem, ut ſanguinis calor contemperetur, & bilioſæ ſeroſitates euacuentur, & quidem ſyr. roſ. ſolut. mox quinque, aut ſex dies, iulap. acet. ad ℥ iii. ut primæ viæ detergeantur; deinde repetito ſyrup. roſ. ſolut. cum infuſ. rhab. cui ſuperbibat aquam Nocerianam, uel ſerum, ad ℔ ij. Inde bibat xv. dies, aquam de ſucco cich. ad libram, ſummo manę, cum conſerua de acido citri, præmiſſo bolo ex conſerua roſarum. Verùm ſecunda die educatur ſanguis ad ℥ viij. ex iecoraria dextera, mox in uſu aquæ perſiſtat. Scrotum verò de more madefiat quotidie infuſione roſarum ſolutiua; &, moleſto pruritu, in eadem diſſoluantur grana camphoræ. Abſtineat autem & ipſe à calidioribus cibis, & generoſioribus vinis. Quæ omnia ex uoto ſuccedant.

STE-

LV.

STERILITAS AD TEMPVS.

DVM de ſterilitate conqueſti ſunt Nobiliſs. coniuges, hanc non ex Viro, ſed muliere potius prouenire, iam à nobis conſideratum, ac decretum fuit; etenim, ſicut Virum ætate florentem, & inculpata ſanitate gaudentem vidimus; ita Mulierem, licet Iuuenem, duplici affectione laborantem deprehendimus, nimirum muliebri profluuio, & imminutis menſtruis; quarum primam ab excrementis in toto redundantibus, à capitis, ventriculi, & iecoris intemperie genitis, & per vterum excretis, ortum habere cenſemus; prout alteram ex obſtructionibus, ab iiſdem craſſioribus in vteri vaſis conclusis, & infarctis procedere aſſerimus; quæ excrementa quoniam partim pituitoſa, ac lenta; partim exuſta, & craſſa ſunt; ideo ventriculo, capiti, & iecori eorũdem productionis cauſam iure merito imputamus; cùm improportionatum obiectum, praua ſcilicet viuendi ratio, hìc nullum locum habeat,

Quibus ita ſe habentibus, nulli non palam fuerit, ſterilitatis cauſam in vteri humiditatem [a], ac lubricitatem, necnon menſtrui ſanguinis uitium eſſe prorſus referendam; atque adeò accidentalem, atque contingentem, & temporariam, non naturalem, ſiue perennem eſſe affectionem ipſam, in hac Nob. Muliere ſtatuendum. [a] 5. Aph. 63.

Quæ vt auferatur, & Mulier Nob. fœcunditate rurſus gaudere poſſit, mala prædicta remouenda; corpus iterum expurgando; vteri vaſa aperiendo; intemperies corrigendo; & partes affectas roborando.

Atque adeò in Chirurgico fonte aperienda rurſus brachii vena, & parcè ſanguis educendus, tempore inter vtramque menſtruam purgationem medio, vt ſub finem eiuſdem, ſaphena, aut dextera, aut ſiniſtra incidatur, & parciſſimè ſanguis educatur.

A fonte Pharmaceutico reliqua ſunt depromenda remedia. Sic primò Leniens præmittatur ex manna clarif. inde ſequatur primarum viarum præparatio ℥ iii. iulap. acet. cum ʒ iij. pulu. crem, tart. & pauca aqua cinnam. Sex verò exactis diebus, repetatur præſcriptum medicamentum, ex manna clarif. addendo infuſioni conſuetæ rhab. optimi ʒ i. ſ. agarici trochiſc. ʒ ii. f. p. tribus autem horis ab ea, bibat ſeri depur. aut aquæ hord. aut Iuris hordeo alterati ℔ i. duabus verò horis ab hac potione prandeat.

Sequatur deinde noua humorum præparatio, & caloris Iecoris, atque ſanguinis moderatio, ac eiuſdem purificatio; atque hæc omnia primò ſuccis depuratis cich. borrag. end. ad ℥ iij. in decoct. cich. borrag. end. malu. acetoſæ, agrim. ſeptem, aut octo continuis diebus; à quibus aſſumat ʒ i. pil. de tribus cum rhab. cum caſſia, & ſuperbibat pariter aquam, aut ius hordei,

Sequentibus verò diebus præbeatur bolus ita paratus. ℞. extracti de rhabarb. ℈ i. tart. vitriol. ſalis artemiſiæ an. gr. vi. m. ref. b. & aur. à quo ſtatim bibat hanc potionem. ℞. aqu. capil. ven. artemiſiæ an. ℥ iv. m. ad 15. dies.

Sed interim ſemel, aut bis in die foueatur vterus ſpongia magna, decoctione calente imbuta, nec omnino expreſſa, ex fol. malu. capill. vener. origani, pulegij, calamenti, ſabinæ, radic. altheæ, lil. alb. iridis, & à fotu inungatur eiuſdem regio ol. lil. alb. cum aromatibus.

His peractis, obſeruanda erit noua menſtrua purgatio, an copioſior fuerit; tunc enim ius aliquod viſcera corroborans, in uſu quotidiano fuerit ita parandum. ℞. ſantal. citrin. inciſ. ℥ i. lentiſci è Chio ℥ ſ. aq. comm. ℔ iij. m. f. inf. p. horas 24. deinde adde dimidium Turturem, & bull. ad conſumpt. dimidii; colat. verò pro tribus vicibus ſeruetur, matutinis horis ſumenda, in qua diſſoluantur quotidie ſalis ſatyrionis gr. vi. & quidem per 40. dies.

At ſi menſtrua purgatio adhuc imminuta appareat, cætera omnia agenda in proximè futurum Ver differenda. Interim puluis tota proxima hyeme uſurpandus, qui ita parari poterit. Accipiatur Turtur exenteratus, & vino benè ablutus; mox granis maſtich. impleatur,

tur, & conſutus in furno reponatur, & exſiccetur, ita vt in puluerem redigi poſſit. Item Matrix, ſiue Vulua Leporis vino abluatur, & pariter exſiccetur, & in puluerem redigatur, deinde. ℞. pulu. turt. ℈ ii, matricis lepor, ℈ i. m. & exhibeantur in decoct. radic. imperatoriæ, aut ſem. erucæ, mane, tribus ſaltem horis ante prandium, ad lubitum.

Atq; interim, quolibet menſe, quatuor, uel quinque dies ante conſuetam menſtruam purgationem, aſſumat Illuſtriſs. Mulier hora ante cœnam pil. ex granis x. aloes ſuccotr. non lotæ; ſummo verò mane, bibat cyathum aq. capil. Ven. ſtillat. & ita pergat, donec mẽſtrua apparuerint; tunc verò omittatur pil. uſus, aquam tamen mane bibere perſeueret; menſtruis perdurantibus, coxis, & cruribus frequentes frictiones adhibendo, necnon vteri illitu, & fomentis præſcriptis vtendo.

Quibus iam dictis congrua uictus ratio, præterita conſultatione propoſita, erit addenda. Erucam, horminum, eryſimum, & cibos menſtrua ducentes frequenter uſurpet, nec otioſam, nec laborioſam vitam ducat, & concubitum differat, ſtatim ceſſantibus menſtruis; donec vernum proximè futurum tempus meliora, & efficaciora admittat medica auxilia, ad optatum finem conſequendum.

LVI.

INFOECVNDITAS.

ILluſtriſs. Mulier, annum agens 27. temperamenti totius calidi, & humidi, iecoris tamen calidioris, habitus olim mediocris, nunc verò carnoſi admodum, & obeſi, de ſterilitate conqueritur. Decimo tertio autem ætatis anno, quo menſtrua effloruerunt, Nob. Iuueni, omnibus corporis partibus benè omnino conſtituto fuit iuncta; mox fœcunda reddita, anno 14. marẽ enixa eſt, quo partu optimè quidẽ primùm fluxere puerperia; verùm menſe poſt, tanto impetu ſanguis ab vtero erupit, vt vitæ non leue diſcrimen ſubierit; quamuis remediis ex arte adhibitis conualeſcere cœpit. Obeſior verò ſubinde in dies facta fuit, & infœcunda euaſit. Ventri, & gulæ non parum indulſit; licet nunc parco vtatur cibo, frequentiſſimè tamen praui ſucci. Moderatè bibit, ſed meraciori vino oblectatur; ſomno longiori indulgens, otioſam, & ſedentariam uitam ducit. Nullo ventriculi dolore unquam vexatur, quanquam materias bilioſas, porraceas, & flauas ſæpè vomitu reiiciat. Rubet intensè facies, labia ferè ſunt ſicca. Ad cutim effuſa bile, ictero quandoque fœdatur. Menſtrua ſtatis temporibus fluunt, ſed pauciora, quàm primis annis. Humiditates ab vtero deſtillant, ante potiſſimum, & poſt menſtruas purgationes, prout à concubitu, Verè tamen, & Autumno liberalius, materiæ modò flauæ, modò pallidæ, modò viridis, calidæ ſemper, acris, & erodentis. Dolore capitis per vices afficitur, lumborum, & dorſi ſæpiſſimè; unde & in coitu facillimè langueſcit. Medica igitur auxilia poſtulat, vt concipere poſſit.

Sterilitatem temporariam, ſiue potius infœcunditatem, in Excell. Matrona, non ex Viro optimè, & perfectè ad generationem ſe habente, ſed ex proprio vitio prouenire, nulli dubium eſſe poteſt; nec quidem à ſolius vteri labe, ſed & à noxa quinetiam totius pendere. Etenim quatuor ob cauſas fruſtrata cenſetur conceptrix facultas vteri. Primò quia virile ſemen non ſuſcipitur. Secundò quia receptum non continetur. Tertiò ſi à proprio, ac naturali vteri temperamento ad actum non reducatur. Quartò deficiente, aut uitiato valdè menſtruo ſanguine. In hac autem Excellentiſſima Matrona, omnia prædicta conſpirare uitia, iure merito ſuſpicari licet; etenim cùm ſuperioribus annis mediocri habitu prædita concepiſſet, atque peperiſſet, inde poſtea pinguior, & vtcunque obeſa concipere deſierit, non abſque ratione ſuſpicãdum, aut vteri os [a] præ pinguedine occludi, præſertim ex otioſa, & ſedentaria uita, ut Scythis [b] quoque contigit; uel omentum craſſum, & pingue [c] idem os comprimere; atque adeò uirile ſemen intercipi, nec ab utero admitti. Quod ſi huiuſmodi non concurreret cauſa; ſecunda tamen in promptu eſſe poteſt; ſiquidem ex continua humiditate, à toto ad uterum confluente, hic lubricus [d] redditus, ſe-

a 5. Aph. 46.
b De Aere, Aquis, & Loc. x.
c 5. Aph. 46. & de Steril. lib. 2
d 5. Aph. 63.

men

men uirile facilè dimittere, nec continere poteſt. Nec deeſt tertiæ cauſæ ſuſpicio; cùm enim feruida [e] ſit ipſius vteri tēperies, ſemen ab eodem vix, aut ne uix quidem exuſcitari poteſt, vt videre eſt, ſi æſtate ſub cane in terram effundatur. Et tandem quarta quoque cauſa accedere poteſt, corruptus [f] nimirum ſanguis menſtruus, qui non ſolùm vt fœtus alimentum; uerùm etiam vt tertium generationis principium [g] ad conceptionē affluere ſolet. Ex his tamen omnibus cauſis ſi prima concurrat, reliquæ quidem conſidetandæ, non tamen accuſandæ; etenim ſi ſemen virile vterum non ſubeat, nec in lubricitatem vteri, neque in caliditatem, nec in menſtrui ſanguinis prauam conditionem infœcunditatis cauſa referenda, ſi verò cauſa prior deſideretur, reliquarum omnium concurſus omnino admittendus erit.

e Ibidem.
f de Steril. 3.
g 1. Aph. Com. 14.

Dubium autem dilucidare poterit obſeruatio, in coitu neceſſariò facienda, & ab Excellentiſſima Matrona referenda, num ſcilicet [h] ſtatim ab eo ſemen totum pudendo effluat; dico autem (ſtatim) namque tardius etiam ab eodem lubrico, ob humiditatem, elabi poſſet. Quanquam, hac abſente cauſa, reliquas omnes præſentes concurrere liquidò patet; de vteri namque feruore certò nobis ex relatis conſtat; eiuſdem verò lubricitatem humiditates continuò manantes ſupponunt; prout ex iiſdem, varijs coloribus infectis, & erodenti acrimonia præditis, frequenti item variæ materiæ vomitu, necnon totius auriginoſo colore, vitiatus ſanguis manifeſtiſſimè ſe prodit, ſecut enim impensè calidum eſſe exiſtimamus, non ſolùm natura, vt ex immodico olim, atque periculoſo ſanguinis per uterum profluuio in puerperio colligere eſt; uerùm etiam calorem eundem mox inualuiſſe cenſemus, ex uini meracioris vſu; necnon ex corporis obeſitate, ob quam, tum iecoris, tum renum calorem intrinſecùs intenſiorem reddi, ratio dictat, & obſeruatio confirmat. Renum autem, & iecoris calidam intemperiem nobis pateſaciunt abundè lumborum, & dorſi dolor, & in ipſo coitu facilis laxitas: hepatis verò rubor faciei, labiorum ſiccitas, bilis ad cutim frequens effuſio, & bilioſorum per ſuperiora, & inferiora expurgatio; ab hoc autem calore in uentriculo, tum deprauatas, tum imminutas concoctiones fieri pro certo habendum; hic enim nec poſitiuè, nec eſſentialiter aſficitur.

h 1. de Morb. Mul. 11.

Praui autem, & crudi ſucci, non omnes uomitu educti, in iecur, atque uaſa recepti, totam maſſam ſanguineam coinquinantes, obeſitatis uitioſæ, & icteritiæ cauſæ euadunt; quinimò, tum muliebris profluuij, tum imminutæ menſtruæ purgationis, dum natura ab iiſdem prauis ſuccis irritata, totam maſſam ſanguineam defæcare nunquam deſinit, ſicque cruda, & potiſſimum bilioſa excrementa ad vterum detrudere, & per eundem expurgare continuò tentat, à quibus humidioribus quidem, ſed calidioribus quoque, non ſolùm in utero lubricitas; uerùm & eiuſdem calida intemperies non leue incrementum ſuſcipit; prout à craſſiori eorundem portione utcunque obſtruuntur uteri uiæ, ſicque imminuuntur menſtrua.

Fœcunditatem autem deperditam inſtaurare, in hac Nobiliſſima Matrona, difficillimum fore putamus, non tamen omnino impoſſibile, quia naturalis non eſt, cùm iam conceperit, atque adeò, his caſibus, ſuperuacaneum fuerit experimentum. Difficillimum tamen, namque ſi os uteri, aut craſſitie corporis, & eiuſdem [i] uteri, aut omenti pinguedine occludatur, uel comprimatur non concipiunt, antequam gracileſcant. Quod ſi ab alijs cauſis procedat infœcunditas, non concipiunt, niſi primæ viæ diligenter expientur. Secundò tota maſſa ſanguinea excrementis defæcetur. Tertiò calida iecoris, & vteri intemperies corrigatur, & quodammodo uentriculo proſpiciatur. Quartò uteri naſa aperiantur. Et vltimò uterus ipſe exſiccantibus humiditatibus exhauriatur, & corrugetur.

i 5. Aph. 46.

Quibus intentionibus ſatisfacere, non penes ſolum Medicum eſt; Nob. namque Mulier viuendi rationem omnino mutare tenetur, exemplo Scytharum mulierum, quarum ſamulæ, ob multa exercitia, validoſque corporis motus, atque labores, cum non adeò lauto, & copioſo cibo facilè concipiebant; prout ſtériles erant Dominæ, otio, ventri, atque gulæ indulgentes.

Omnino tamen Nobiliſſimæ Mulieri eſt inſtituenda curatio, habita prius indiuidui ratione, quo grauiter adeò laborante, nec ſpeciei propagatio ſpetari poteſt; præterquam quod facilè temporis ſpatio ad cachexiam prolabi poſſet.

In hunc itaque finem, à fonte Chirurgico non vnica, ſed repetita eſt depromenda ſanguinis miſſio, ex utroque brachio, aut manu, ſi illius venæ non ſint conſpicuæ, tempore

æquè

æquè medio inter vtramque menſtruam purgationem, ſub cuius finem, hiantibus adhuc uteri vaſis, ſaphena quoque erit reſeranda.

A fonte vero Pharmaceutico deſumenda Lenientia, Præparantia, Purgantia, Alterantia, Aperientia, & nonnulla à Proprietate iuuantia. Lenientia eſſe poterunt mel roſ. ſol. cum ſyr. roſ. vel cum manna clarif. uel elect. lenit. cum tart. Præparantia verò oxymel, & mel roſac. ad ℥ iij. aut quatuor ſine diluto; aut oxymel cum crem. tart. & aqua cinnam. & ſex exactis diebus, idem leniens repetendum. Inde ad validiora præparantia deueniendum, quales erunt ſucci depur. cich. & agrim. cum tart. vitriolato, in decoctione aperienti, & hepatica. Et quoniam inſtabit temporis æſtus, ſeptem tantùm diebus in his erit perſiſtendum, & mox purgans ex inſuſ. rhab. agar. & ſennæ, cum ſyr. roſ. ſolut. exhibendum; vel lenit. cum pil. de tribus cum rhab. à quibus ad primarum viarum, atque ventriculi deterſionem, roborationem, atque exſiccationem, continuo triduo, aqua Tettuciana præberi poterit, cum vehiculo mellis roſ. ſolut. vt poſtea maſſa ſanguinea defæcetur uſu ſyr. Fernel. ad xii. vel xv. dies, in vino albo. Tandem purgans rurſus exhibendum ex lenit. diacath. & diaph. paratum; aut decoct. epith. Mes. quibus ſuperbibat Exc. Matrona aquam hordeac. aut Nocerianam ad ℔ ij.

His peractis, nullum præſtantius excogitari poteſt remedium aquis acidulis vitriolatis, in Valle Solis enaſcentibus, utpote quæ iecur, & uterum refrigerandi, eiuſdem vaſa aperiendi, & humiditatem ſummoperè exſiccandi facultate polleant. Quod ſi ob incommodum iter illuc ſeſe conferre renuat Excellentiſſima Marchio, ſubſtituantur illis Villenſes; quibus potu, & inſeſſu cum tubulo erit vtendum; iecur enim, & uterum refrigerare, & exſiccare ipſæ etiam poterunt.

Poſt harum uſum, ab exſiccandi intentione nondum recedendum fuerit; atque adeò præſcribi poterit ius ſantalis albis, ligno roriſmarini, & pauco lentiſco alteratum, prima menſa quotidie exhibendum.

Tandem neque aliqua à proprietate iuuantia erunt omittenda, in quibus prærogatiuam ſingularem habet Matrix Leporis aſſata, & pulueriʒata; necnō ſal Satyrionis ad ℈ ſ. in vino præſertim, ſtatim à menſtrua purgatione, quo tempore concubitus faciliorem quoque reddit conceptionem; Penis item ceruinus. Ex quibus parari poſſunt tabellæ, & electuaria, prout in doctiſſima conſultatione; ſicut neque præſcripta periapta, ſiue amuleta ſunt poſthabenda.

Quibus omnibus addatur extenuans victus ratio, non tamen ualdè calefaciens, vinumque bibat oligophorum album, obſeruatis præſcriptis in conſultatione, à Viris Excellentiſſimis habita, ut propriam ſalutem ſibi comparet Excellentiſſima Mulier, & conceptioni idonea magis euadat; cùm vnica purgatione hanc omnino conſequi poſſe non ſit ſperandum.

I N-

LVII.

INFOECVNDITAS, ET ALIA ſymptomata.

MVlier Nobiliſs. 30. annum agens, tribus abhinc annis, Viro Iuueni, ſano, atque robuſto iuncta, temperamenti ſecundum totum, & iecur, calidi & humidi, habitus carnoſi, nec valdè pinguis, victus ratione libera uſa, & potiſſimum vberiori vini generoſi potu, non ſolùm mane, & ueſperi ad menſam; verùm & extra prandium, ac cœnam, ientaculis enim indulget. Modò conqueritur de ardore non leui, tum abdominis, tum renum moleſtiſſimo, cum exhalationibus calidis in caput; quo tempore venæ hæmorrhoidales intumeſcũt, effunduntque ſanguinem, à quo leuamen ſibi percipere videtur. Menſtruis tamen gaudet purgationibus, ſtatis temporibus, & naturali, atque conſueta copia, & quidem ſanguinis tenuioris in principio, mox & craſſioris, ac calidioris in progreſſu, & fine earundem; non tamen abſque doloribus circa ſeptum, atq; torminibus propè pubem, in regione Vteri. Prærerea ab vtero, intermedio ipſo menſtruæ purgationis tempore, exſtillat aquoſa quædam materia, pauca quidem, ſed acris adeò, ut titillationem effluens excitet, quam facillimam in concubiru eadem percipit, nec tamen hucuſque concepit: ſemen enim ab vtero paulò poſt concubitum effluit. Modò nos conſulit, ut à prædictis moleſtijs omnino vindicetur, atque adeò conceptioni quoque idonea reddatur.

Nobiliſs. Mulier, optimè alioqui valens, de hypochondriorum æſtu, atque renum conqueritur, necnon dolore hæmorrhoidali, cum ſanguinis ab ijſdem effuſione, atque inſuper de torminibus, tempore, quo menſes erumpunt, circa vteri regionem, non ſine tædio ſe hucuſque ſterilem fuiſſe. Quorum omnium affectuum, atque ſymptomatum vnicam cauſam, eamque in vitioſo [a] ſanguine ſitam comperimus, cuius vitium, tum in copia, [a de Steril. 3.] tum acri qualitate conſiſtit, dum à iecore natura calido, & humido, copioſus; ab eodem verò per accidens feruefacto, nimirum ob copioſum, & meracum potum, necnon inualeſcente [b] ætate, bilioſus, acris, & mordax non ſolum; ſed & craſſus, melancholicus, & exuſtus euadere cœpit; [b 3. in 6. Epid 5.] à cruditatibus etiam fortaſſe non immunis, ob intempeſtiuas comeſſationes, & ciborum frequentes ingeſtiones; cùm tamen nil deterius exiſtimauerit Auicennas, quàm comeſtionem ſupra comeſtionem. Hinc æſtuationes in hypochondrijs, & renibus; hinc calidæ exhalationes in faciem; hinc venarum ſedalium intumeſcentia, & calidioris ſanguinis, facultatem irritantis effuſio; ac tandem dolores, ac tormina in vteri regione, quòd ſcilicet craſſioris, & forſan etiam crudioris ſanguinis portio, ad vteri vaſa à natura transfuſa, ſibi ipſi præcludat vias, quominus liberè permeare poſſit; vnde vaſa diſtendens, & continuum ſoluens dolores in vtero excitat. Et quoniam ab exuperanti calore liquantur humores, hinc exrra tempus quoque ſtillant quandoque per vterum humiditates, quæ vt nonnihil acres, titillationem facilè pariunt; interim ramen vterum laxantes ſeminis celerem effluxum efficiunt; præterquamquod ſanguis menſtruus, tertium [c] generationis principium, non laudabilis, [c 3. Aph. Co. 14.] & ad conceptionem ineptus, infœcundam Nobiliſſimam Mulierem reddere potis eſt; nihil enim Viro imputandum videtur; cùm ſanus probum eiaculetur ſemen, atque inſtrumentis idoneis à natura donatus, officio non deſit.

Quare vt fœcunda reddatur, & prole gaudeat Patiens Nobiliſs. indiuiduum prius integræ ſanitari reſtituendum; quod vtrumque nos ope medica conſecuturos ſperamus, ſanguinem copioſum diminuendo, eundem attenuando, & electiuè educentibus defæcando, iecur, renes, totam maſſam ſanguineã conrempetando; vterumque exſiccando, ac roboxando: etenim obſtructiones inſignes in eodem hucuſque productas vt credamus, nondum adduci poſſumus.

Quibus intentionibus ut ſatisfaciamus, à Chirurgico fonte omnium primò repetita ſan-

guinis miſſio elicienda, ex vtroque brachio, tempore inter utramque menſtruam purgationem æquè medio; ac tandem ſub finem eiuſdem deficientis, hiantibus adhuc vaſis, uel ſi magis Viro Excell. placuerit, parum antè, ſaphena quoque aperiatur, ſed parcè ſanguine miſſo, ne natura ob opere ſuo auocetur. Reliqua ex hoc fonte deſumenda infrà deſcribentur.

Ex Pharmaceutico depromenda Lonientia, Præparantia, Purgantia, intemperies Corrigentia, vterum Exſiccantia, ac Roborantia. Primum itaque leniens erit pot. ex manna clarif. ſicut primum præparans iulap. acet. ad ℥ iii. cortic. citri alteratum, & gutt. aq. cinnam. aromatiz. quinque diebus repetitum. Inde leniens iam præſcriptum erit rurſus exhibendum, caſſia ſcil. cum lenit. & tart. quibus ſuperbibat aquam hordeac. Mox ad alia deinceps præparantia erit progrediendum, quæ neque mellita, neque ſaccharata ſint; vnde ſucci herbarum depur. potius uſurpandi fuerint, cich. nimirum end. borragin. an. ℥ i. in decoct. cich. end. borrag. acet. malu. viol. ſonci, hepaticę, per viginti dies aſſumendi; verùm quarto quoque die ſumat Nob. Pat. caſs. ℥ ſ. cum ʒ ſ. rhabarb. à quibus hora poſt bibat ſer. capr. depur. ℔ i. & tribus horis ab eo prandeat. Tranſactis autem his diebus, præbeatur infuſum rhab. agar. ſennæ, & cinnam. addito ſyr. roſ. ſol. à quo hauriat ſer. depur. ad ℔ ii. Inde aquæ Tettucianæ, tribus continuis diebus, cum vehiculo deiectorio, exhibeantur.

Quibus peractis, vteri uiæ ſunt patefaciendæ, in quem finem præbeatur quotidie cyathus aq. deſtill. capil. Ven. & artemiſiæ deſtill. cum gutt. xii. ſpir. tart. ter, quaterue rectiſ. præmiſſo bolo ex troch. de myrrha, cum gr. ſalis artemiſiæ, xx. dies, in quorum medio præbeatur caſs. cum ℈ i. ſpec. hieræ ſimpl. à qua bibat ſer. deſtill. libram. Hoc uerò tempore, quotidie utero fomenta admoueantur, ſpongia magna, madefacta & expreſſa, in decoct. malu. radic. altheæ, lil. alb. folior. pulegii, ſabinæ, calamenti montani, & dictamni cretici, cum aqua parata, addita aliqua portione uini albi generoſi, atque à fotu illinatur uterus ol. lil. alb. Tandem uterus topicis internis erit exſiccandus. Quare inſtrumento idoneo, metrenchyte à Gal. nuncupato, inijciatur aqua Tettuc. cum melle roſ. ſimpl. primis diebus; mox decoct. ex radic. bryoniæ, lilior. alb. cyperi, imperatoriæ, angelicæ, fol. artemiſiæ, capil. Ven. ſabinæ, dictamni cretici, calamenti montani, in aqua parata, addito tamen vino albo generoſo, ad dimidium ferè, ſub finem ebullitionis, in qua diſſoluantur troch. de myrrha, & de gallia moſchata, vel parum mithridaticæ confect. quæ iniectio pluries in dies, & diutius infundenda.

His omnibus congrua addatur viuendi ratio, potiſſimum in cibo, potu, & exercitijs. *Vitandæ* namque ſunt omnino ingluuies, & bis die tantùm cibus ſumendus, nec inter *prandiū* & cœnam bibendum. Vitanda pariter acria, ſalſa, & calida, tum alimenta, tum condimenta. Abſtinendum à lactuca, ruta, mentha, menthaſtro. Vinum ſit modicè generoſum, & prima menſa de more ius endiuia, aut acetoſa alterarum ſorbeat. A coitu dormiat, coxis iunctis, & collectis, non diſtractis. Ieiuno uentriculo corpus exerceat, ac fatiget; etenim otium, & quies[d] Scytharum fœminas ſteriles efficiebant, prout motus, & labores, ancillas earundem fœcundas. Viro concumbat ſtatim poſt menſtruas purgationes, quo tempore Viri ſemen facilius utero adhæret, & affigitur. Alacriter interim animi paſſionibus uacua degat, ira potiſſimum.

[d] De Aere, Aquis, & Loc. 10.

LVIII.

DVBIVM DE FOECVNDITATE.

Deciſio potius confirmanda, quàm quæſitum ſoluendum nobis proponitur à Sapientiſſimo Viro, de futura inſœcunditate, in Illuſtriſs.& vſquequaque Nobiliſs.duobus infantibus; quorum alter penis foramen, in ſumma alioquin, & extrema glandis parte natura peruij, ſub eadem prope frænum, à naturæ primordijs ſortitus eſt, quo ſicut vrina excernitur, & effluit; ita adultiori ætate ſperma eiaculandum neceſſariò fuerit. Cui morboſæ diſpoſitioni acceſſit prauus totius corporis habitus melancholicus, & tantùm non atrabilaris, qui medicatione, iiſdem tenellis annis proximè præteritis opus habuit.

Alter verò Infans,deliteſcentibus teſtibus natus eſt,& adhuc decimoquarto ætatis menſem ita perſiſtit;quam noxam ab ipſo ortu comitata fuit adeò arida cutis, circa genitalia,ut ab igne proximo exſiccata videretur; quæ pariter praua diſpoſitio nutricis expurgatione, & alteratione ſanari debuit.

Primum quod attinet,ſemen, ut prolificum,& fœcundum foueatur, neceſſe eſt,ut in uteri corpus eiaculetur, propriis perfuſum ſpiritibus, propriaque ſeruata aerea ſubſtantia, non pauca, ut conſiderabat Gal. a ut propterea dubitatum fuerit ab Ariſt. b de penis nimia longitudine, ſicuti & de breuitate. Quoniam verò hoc foraminis ſitu mutato,ſeminis eiaculatio neceſſariò manca futura eſt; ita proinde ominanda videtur futura inſœcunditas. Et licet rarum olim exemplum obſeruatum fuerit c, & nunc quoque hiſce temporibus adhuc num obſeruetur, quo ſemen in vaginam proiectum, ab utero præcalido, auido,atque fœcundo, ſtatim, & illico rapitur; hęc tamen, prætetquamquod rara ſunt, non à penis, ſed ab uteri conditione pendere manifeſtum eſt; ut propterea inſœcunditas ferè certò prænunciari iure merito poſſit.

a 1. Aph. 14.
b 7. de Hiſt. Anim. 7.
c Sauonarola.

De altero verò, cui teſtes nondum extuberarunt, dubium eſſe poteſt, non quidem de fœcunditate; licet modò lateant, neque in poſterum eſſent erupturi; utroque namque modo, ſiue extuberent, ſiue non,prolificum nihilominus ſemen progignere poſſunt, atq;fęcundũ; neque ſi ſeptimo, aut facilius decimoquarto anno tantùm in ſcrotum prolaberentur, neceſſaria ſequeretur hernia, aut inteſtini prolapſus; quod tamen ſi contingeret, fœcunditatẽ nihilominus non tolleret;ſed iure dubitari poteſt de integra teſtium priuatione;cùm ſit pars non indiuiduo, ſed ſpeciei neceſſaria, & abſque cuius ope viuere poteſt homo; in qua deficere potuit natura, ob materiæ penuriam, ab exuperante forſan caliditate, & ſiccitate, caſu noſtro abſumente. Et licet aliqui ægrè conſenſerint, teſtes à natiuitate homini deficere poſſe; non deſunt tamen hiſtoriæ, ab Hollerio, à Cardano, & Euſebio relatæ de Dorotheo,& alijs traditæ. Sed præterea hoc confirmatur in Sacris literis, his verbis. *Et ſunt Eunuchi, qui de vtero matris ita nati ſunt; & ſunt Eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus; & ſunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum Cælorum*. Quare non eſt, quod de teſticulis natura deficientibus dubitemus; ac proinde de futura fœcunditate,etiam in hoc Illuſtriſs. Infante, nil certi affirmari poteſt.

Quibus in ſitu,& in numero morbis addenda, nec ullo modo prætereunda, tum uniuerſi corporis, tum genitalium partium conſideratio; ſiquidem,ut prudenter à Viro Excell.conſideratum fuit, & in materia, ex qua ſemen eſt producendum, & forſan in cæteris præparantibus, aut deferentibus eiuſdem ſeminis inſtrumentis, labes aliqua inſtrumentalis latere poſſet; & pręterea earundem partium, generationi dicatarum non leuis aliqua intemperies; cuius ratione fœcunditas prohiberi, & auferri poſſet; ut propterea apud nos ratum ſit, & decretum, tutiorem uiam, iam à D. O. M. huic familiæ Nobiliſs. conceſſam, eligendam eſſe, ut beata prole perennet, & pro meritis floreat.

LIX.

ABORTVS, ET PARTVS non Vitales.

ILluſtriſs. Matrona, 34. annum agens, temperamenti totius, calidi, valdè que humidi, humidioris quoque ventriculi, tardam concoctionem elaborantis, ſtaturæ proceræ, mediocriter carnoſa, pallens, obſtructionibus & nõnunquam cephaleæ obnoxia, cum uentris torpore; cuius item ſanguis ex vena miſſus, ſeroſus fuit obſeruatus, 25. ſuæ ętatis anno, Viro nupta, ſtatim autumno 1659. concepit, commodè geſtauit, peperitq; puellam; rurſus anno 1661. concepit, & tertio menſe, rheda uecta abortiuit; uerùm eodem anno concepit iterum, & maſculum vitalem quidem edidit, qui tamen nono vitæ menſe, ſoporoſus, imò lethargicus ſuffocatus obijt; in cuius capite diſſecto apparuit copioſa humiditas, ſeroſa potius. Iterum verò 1662. concepit, & fœmellam peperit, quæ bimula apoplectica periit. Denuò 1663. concepit, & puellam peperit. Inde ad Balnea Corſenæ perducta eſt Nob. Mulier, ut illis inſeſſu vterũ excalefacientibus uteretur, iure quoq; Chinæ præſcripto. Poſtmodum verò maſculum concepit, non ſine abortionis metu, ob uteri madorem, imò materiam ſeroſam ab eodem ſtillantem; proſperè tamen uterum geſſit, ac peperit; niſi quod, tertio vitæ menſe, Infans, tumore in œſophago ſuborto, ſuffocatus periit. Rurſus tamen maſculum anno 1666. concepit, ſed quarto menſe abortiuit, ſeroſitatibus ex cute, capiteque copioſè manantibus. Autumno 1667. rurſus concepit, & magna adhibita cautione geſſit uterum, adeò ut, febre non obſtante tertiana duplici, nono menſe pepererit uiuam puellam, lochiis tamen profluentibus pallidis; ſicut pallidiores ſecundæ fuere, atque flaccidiores, placenta gracilis, decolor, & die ſequenti, mola ex ſanguine, & membranis conſtans, aliàs quoque obſeruata.

Vir autem eius, 33. annum agens, ſtaturæ proceræ, vegetus, carnoſus, ſubplethoricus, de dolore tantùm ventriculi, cordiſque oppreſſione nonnunquam conqueritur; à quibus phlebotomia liberatur, liberè alioquin viuens, & præſertim frigidiori, atque largiori potui indulgens. Et licet bis gallica gonorrhœa cum ulcuſculis gulæ fuerit correptus; duobus tamen ab hinc annis, immunis ab omni gallicę luis indicio degit; nullum verò vnquam apparuit ſymptoma gallicum in Matrona Illuſtriſs. nec in eiuſdem filijs, licet præter neceſſitatem, tum pil. mercuriales, tum chinæ, ſalſæque decoctum aſſumpſerit.

Modò Aquarum Villenſium potum exoptat, quærens ab ope medica prolis maſculæ conceptionem, atque vitalitatem.

Iure merito itaque exoptant, & expoſcunt ab ope medica maſculæ prolis cõceptionem, ab abortibus præſeruationem, & fœtuum in lucem editorum vitalitatem, atque conſeruationem Illuſtriſs. Coniuges; ſiquidem ſæpius concepit Matrona Illuſtriſs. pluries abortiuit, molas edidit; & conceptus morboſi, quinimò breuiſſimi æui fuerunt.

Horum autem omnium cauſa, aut in mulierem, aut in Virum, aut in utrumque referenda eſt; cùm mulierem quoque ad conceptionem, tũ ſemine, tum potiſſimum ſanguine mẽſtruo concurrere ſemper exiſtimauerim. Et quidem primò Viro cauſa imputari poſſe videtur; ex impuro namque ſemine potatorum, & morbidorum hominum fœtus ſanos pro-
a 5. Probl. 4. gigni non poſſe, prout ex impuro, & graui fermento vitioſus redditur panis, ſcripſit Ariſt^a. quibus addi poſſet virulentæ, & gallicæ corruptionis in ſemine ſuſpicio. Attamen ſicut hanc non admitto, ita potus errores, in Nobiliſſimo Viro, graues adeò non eſſe puro, qui tot malorum auctores eſſe poſſint, quandoquidẽ non ad plethoram; verùm potius ad obeſitatem, & cachexiam eiuſdem habitus propenderet, nec à ſanguinis miſſione adeò præſens leuamen, cordis, ac uentriculi affectionibus uigentibus, perciperet. Vnicam itaque huius affectus cauſam agnoſco, redundantem ſcilicet humiditatem, à deficienti, ac debili calore moderatam, & potiſſimum in Nob. Muliere, ob totius, & ventriculi eiuſdem humidum valdè temperamentum, à quo tardæ coctiones; quinimò quotidianus cruditatum prouentus emanant, quæ à iecoris calore liquatæ, & fuſæ, ac ſanguini immiſtæ, eundem ſe-

roſum,

roſum, & caloris inopem reddunt; verùm & hoc atteſtantur pallens totius color, albeſcēs, & ſeroſus ſanguis eductus, nec forſan à capitis deſtillatione eſt omnino immunis; cùm iam cephaleæ fuerit obnoxia. Expendo itaque primò cum Auic. & Alberto, quod à Matronæ ſemine, non quidem pauco; ſed debili, & humido, ligamenta, & vaſa umbilicalia mollia, tenuia, & omnino imbecilla b efformentur; quibus ſi accederet ſeroſa humiditas, ad uterum decumbens, & extillans, vt aliquando fuit obſeruata, facilis, & frequens abortus ab eadem contingere poſſet. A menſtruo verò ſanguine, utpote tertio c generationis principio, copioſiori quidem, ſed humidiori, & utrumque ſemen quodammodo ſuffocante, & obruente, fœtus fęminini potius, quàm maſculini, ob caloris inopiã cum humidi redundantia, hiq; morbidi, & cacochymi progignuntur; quorum humiditate diffluentium aliqui lethargici, aliqui verò apoplectici, & aliqui à tumoribus præfocati, primis menſibus perierũt; cuius humiditatis quinetiam ſoboles habetur mola, non ſemel edita; quæ Hippocr. necnon Ariſt. teſtimonio, fit, dum multi menſes morboſum ſemen conceperiut, atque reddiderint. Signum præterea redundantis humiditatis, cum debili calore, poſtremò exhibuerunt lochia pallentia, albidiores ſecundinæ, atque flaccidiores. Quare apud me ſtatutum, & ratum habetur, quod in Viri quidem ſemine melior aliqua conditio deſiderari poſſit; verùm mulieris potiſſimum ſemen, & ſanguinem humidiora eſſe, cum naturalis caloris inopia, non ſine aliqua vteri labe, & imbecillitate; à quibus omnia iam dicta mala, & incommoda ortum ducant.

b 3. Aph. 22.
c 1. Aph. Com. 14.

Quibus ut ſuccurramus omnia agenda, ut Illuſtriſ. Mulier probum ſanguinem, bonumque habitum adipiſcatur, & Illuſtriſſimi genitura purior euadat. Quæ ut aſſequamur, præmittenda, in muliere, primarum uiarum, & totius expurgatio, deinde ventriculi intemperies calefacientibus, & exſiccantibus corrigenda; totum exſiccandum; & Vtero, atque ligamentis calidioribus ſubadſtringentibus robur indendum. Vir autem Illuſtriſ. leui eget purgatione; nec niſi ut gelidis, & copioſis potibus, tum aquæ, tum meri parcat, neceſſarium ducimus. Medela autem, Vere proximè futuro adhibenda, ea ſpe, vt & Matri, & Proli leuamen non leue ſit allatura. Interim concubitus vitandus, ne conceptus eidem ſit impedimento.

Tunc autem ex fonte Chirurgico ſola, & parca depromenda venit ſanguinis miſſio ex uenis ſuperioribus, & quidem non ſine cautione. Sub finem verò purgationis, inſeſſus vteri gratia, cum tubulo erunt repetendi, vel in Balneo Corſenæ, cuius aqua, vt aluminoſa, & ſalgemmea, humido vtero confert; quod ſi ſulphuris quoque particeps foret, calorem quoque eiuſdem fouere poſſet, noſtræ Aponitanæ Sulphureæ ſimilis ſaltem.

Ex Pharmaceutico, præmiſſa primarum viarum expiatione, totius quoque expurgatio tentanda, vt à ſeroſitatibus etiam uindicentur. Quod præſtabit primò hiera picra, cum magiſt. mechoac. aut ialappæ; inde & hiera tuta Alexandri, iiſdem additis, atque repetitis. Nec aquæ Tetruc. deiectoriæ, tribus ſaltem vicibus, vllo modo omittendæ; prout ab iis porum ſuaderem Porretanatum diureticarum, quæ cùm pauco nitro, ſale, & modico ſulphure conſtent, moderatè calefaciendi, & exſiccandi facultate pollent, prolificumque ſanguinem, ac proinde ſemen, necnon uterum reddunt. Villenſibus verò Aquis, utpote ferreis, & refrigerantibus ſubſcribere nequeo, ne forſan corpus totum ad obeſum perducant.

Neque in re tanti momenti, adeòque difficili, longus uſus medicorum præſidiorum quicquam perturbare debet Matronam Illuſtriſſimam; quandoquidem primò ſui, deinde & ſpeciei ſanitatem atque conſeruationem ſpectant. Itaque ab aquis præſcribendendum erit decoctum huiuſmodi, in iure. ℞. ligni lentiſci è Chio, ligni roriſmar. an. ℥ i. ſaſſafras ʒ ii. aq. comm. ℔ iij. m. f. inf. per hor. 24. deinde adde quartam partem Galli, & bull. vſque ad conſumpt. dimidij, in fine ebull. addendo fol. pulegij, calamenti mont. an. pug. i. bul. par. & colat. ſeruetur pro duabus vicibus, matutino tempore aſſumenda; cui præmittantur hi bol. ℞. terebinth. cypr. lotæ aq. capil. ven. ℈ ij. ſalis attem. gr. vi. ol. ſabinæ gutt. i. ref. bol. ii. aur. & ante decoctum exhibeantur. Perſiſtat autem in huius uſu, integrum menſem, & decimo quoque die, præbeatur hiera cum magiſt. iam dictis, bol. ref. cum lenit.

Quo tempore victus loco, concedantur pulli iuniores, columbæ Turricolæ, caro vitulina tenella, ſed omnia aſſa. Conceditur quoque uinum album, tenue, non dulce, lentiſco tamen alteratum, & medicatum, ea proportione, vt ligni lentiſcini inciſi ℥ ii. quælibet Vini ſitula admittat.

Extrinſecùs quoque frigidæ, & humidæ uentriculi intemperiei corrigendæ, ſtillicidium

aqua-

Digitized by Google

aquarum Thermalium, non olei, caſu noſtro, proponi poſſet, Corſenæ potiſſimum, additis aromatibus, aut ſpiritu vini; hoc tamen miſſum facio, vt operoſum valdè, Patientique moleſtum, & præſertim quia in eodem pauca, aut nulla fiducia apud me eſt; cùm intercedat iecur, nentriculo incumbens. Quare illi ſubſtitui poſſunt illitus parum ſupra vmbilicum, ad læuam, vbi ſitus fundi ventriculi; in quem finem oprimum erit ol. M. D. E. Ita & Gal. lanam purpuream, oleo irino, & maſtic. imbutam Magnatibus apponebat. Corroborantium uerò uſus non eſt poſthabendus, vt ſalis abſinth. menthæ, gran. maſtic. integra deglutita, confect. ex ol. legit. cinnam. Ventriculus enim, ut dicebat Auic. quammaximè gaudet aromatizatione; & tepido, ac frigido anni tempore, magnæ antidoti præſtantiſſimæ omnino fuerint.

Et quanquam potiſſima ſpes in humiditatis exſiccatione, & calore vegetiori ſita ſit, aliqua tamen à propriet. iuuantia ſunt permittenda. Sic intrinſecùs ſal ſatyrionis, in aqua artemiſiæ, aut matricariæ, vim prolificam obtinet; ſicut & ol. croci, aut ſuccini, ad gutt. i. uel ii. Tinctur. item corall. uſus, geſtationis vteri tempore, ab Hartm. commendatur.

Atque iam dictis viuendi ratio proportione reſpondeat, ita vt vitetur aeris inclementia, & ambientis exuperantiæ, Alimenta ſint boni ſucci, Parca ſit cœna. Vino meraciori, ſed parco vtatur. Ieiuno ventriculo, corpus exerceat. Caueat à ſomno diurno. A quibuſdam autem obſeruatum fuit, quod Mulier dormiens ſuper latus dexterum, tarò concipiat fęminas. Aluum officioſam ſeruet, aliqua pil. maſtic. Alacri interim præſenti, ac forti animo viuat, & mecum prædicta omnia à D. O. M. ſalutaria ſperet.

LX.

A B O R T V S.

TRiplicem abortum, qui prope pariendi tempus, nimirùm octauo mēſe ſemper contigit, unicam ſemper, & eandem habuiſſe cauſam internam iure meritò credendum; quæ nec in Rhedam, aliumuè motum referenda eſt; cùm prima vice tantùm uix in eo peccauerit Nob. Patiens. Hæc autem cauſa proxima, poteſt eſſe, vel expultrix vteri facultas irritata, vel laxata retentrix, quæ licet neceſſariò ſequatur irritamentum expultricis, nonnunquàm tamen & ipſa primariò concurrit. Expultrix verò irritatur, uel uitio fœtus, uel uitio Matris, uel ab externa cauſa, quam iam à noſtro caſu ablegauimus; prout nec in fœtu vitium vllum obſeruari potuit, nec ab immodica mole, nec ab imbecillitate. Quare hoc in matre eſt indagandum, & neceſſariò inueniendum, idque uel ab eadem, uel ab utero, uel à toto. A matre [a] quidem, ut ſi ægrotauerit, debilis fuerit, cibum faſtidierit, immodicè nutrita ſit, vel potum hauſerit. Ab vtero, nimirum ſi flatulentus, denſus, magnus, paruus, & præterea [b] humidior, unde laxata fuerit retentrix. Tandem à toto, ut ſi mulier [c] nimis extenuata fuerit, ita ut ſanguis, fętus alimento deſtinatus, ad matris nutritionem concurrat; uel totum [d] copioſiori ſanguine abundet, ita ut à nimio alimento fœtus offendatur, & corrumpatur. De matris uerò uitio, aut errore, nulla nobis in relatis facta fuit mentio. De uitio uteri, ex mucoſitatibus, non eſt quod cogitemus; cùm nulla ab eodem antea ſtillauerit humiditas; præterquamquod, ob hanc cauſam, [e] tertio, aut quarto menſe abortire ſoleant. Quare inter cætera vteri uitia paruitas, & anguſtia eiuſdem eſt à nobis hoc caſu, non ſine ratione, conſideranda; nam licet ab Ariſt. & Rhaſi non concedatur, ut abortus cauſa, ſed ſolùm ut cauſa parui, & puſilli fœtus; attamen ab Hipp. [f] adducitur, & pręſertim quia, caſu noſtro, pluries, & ſemper eodē ſtato tempore, & fœtu grandiori, abortus contiugit. Nihilominus non leues obiectiones & hæc cauſa admittere uidetur; quarum prima eſt, quod fœtus tempore, quo naturalem, & integram molem, ac magnitudinem iam aſſecutus eſt, octauo nimirum menſe, non inſignis, & immodicæ ſtaturæ ſit unquam obſeruatus, quæ capacitatem, & amplitudinem uteri Matronæ, non humilis ſtaturæ, ſed optimæ potius, & elegantis conformationis ſuperare potuerit. Verùm altera, & validior obiectio, ab Hipp. [g] & ab ipſa natura rei elicitur; quod nimirum vteri

parui-

a 1. de Morb. Mul 41.
b Ibidem.
c 5. Aph. 45. & 6. de Loc. Aff. 5.
d 5. Aph. 44. & Gal in Com.
e 6. de Loc. Aff. 5. & Aet
f 1 de Morb. Mul. 41.
g de Sterilibus.

paruitas, atque anguſtia tunc ſolùm abortum inducere deberet, quando fœtus in molem excreſcit, non autem quando iam adauctus eſt, atque adeò tertij, quarti, & quinti menſis mentionem fecit loco citato idem Hipp. Quibus addi poteſt obſeruatio Mercurialis, quod in uteri anguſtia dolores extendentes abortum præcedere ſoleant, de quibus nihil.

Quare à ſufficienti cauſarum excluſione, vitium in toto nobis conſiderandum ſupereſt, quod cùm alimenti defectus eſſe non poſſit, vt patet ſi matrem, & fœtum ſpectemus, copiam eiuſdem, & exuperantiam eſſe poſſe ſuſpicandum, quæ in plethora illius partis, niſi adfuerit in toto, conſiſtere poſſet; ſorſan non ſine irritante caliditate, & vteri aliqua ex prægreſſis abortibus imbecillitate. Ideo dicebat Hipp.[h] *Mirari non oportet, quod mulieres inuitè corrumpant; nam cuſtodia, & ſcientia multa opus eſt, vt in vteris geſtent, puerum enutriant, & ab ipſo partu euadant.*

h 1. de Morb. Mul. 41.

Nec nos latet obiectio, quod ſcilicet primis, aut mediis menſibus, ab huiuſmodi cauſa abortus contingere deberet; cùm fetus puſillus alimenti copiam abſumere non potis, iure ab eodem facilius obruatur, atque ſuffocetur, non uerò grandior factus. Soluitur ſiquidem, tiam inedia primis menſibus, matri conſueta, & ciborum corruptio, quæ diutius perdurat cum uomitibus, affecto ventriculo per conſenſum ab vtero, non modò alimenti, & ſanguinis abundantiam aceruari non permittunt; verùm potius totum matris corpus exhauriunt, quæ exinanitio quotidianis ſedatis uomitibus, vt reſarciatur, menſium ſpatium poſtulat, adeò ut ſeptimum, & octauum menſem fetus attingat, antequàm copioſo, & uberiori alimento prematur, & cauſæ nocentis fuga, iuſto ualidior[i] factus manibus pedibuſque calcitrans, ad exitum quærendum concitetur.

i 1. in 6. Epid. 2.

Modò cùm quarti conceptus quartus quoque ſit menſis, à quarto abortu omni induſtria tentanda præſeruatio, in gratiam quidem ſpeciei, ſed & potiſsimum Nob. Matronæ, quæ in abortibus nullo fructu grauius laborauit. Et licet feliciter illi ceſſerint,[k] infelix tamen eſt ſemper eorundem partus.

K 1. de Morb. Mul. 98.

Quod vt conſequamur, plethora deplenda, & uterus roborandus. Quare quinto, aut ſexto menſe, ſanguis erit educendus ex ſaluatella dextera, etiam nullo præmiſſo medicamento, niſi aliàs caſſiam, cum pulpa tamarind. felici tolerantia experta fuerit; tutius enim eſt grauidas euacuare ſanguinis miſſione, quàm purgatione; ita enim tum plethora imminui poterit, tum ſanguis, totumque contemperari.

l 2. Acut.

Verùm quoniam,[m] *Mulier vtero gerens, ſanguine miſſo ex vena, abortit; & eò magis ſi fœtus ſit grandior.* Ideo diuidenda ſanguinis miſſio, ut ſuppleatur quantitas, quæ tanta ſit, vt plethoram ſatis minuere poſſit; vnica namque vice euacuari non debet, ne affatim alimento fœtui ſubtracto, deficiat, & abortus ſuccedat, quod parcius, ſed bis ſanguine educto uitari certè poterit. Vnde ſexto, aut ſeptimo ſequenti menſe, rurſus eadem ſaluatella aperiatur, & ad ſex vncias, qualibet uice, ſanguis mittatur. Nec uomitus corrupti cibi aliorumuè humorum, ſanguinis miſſionem prohibere poterit, cùm ipſa ſit vomitus remedium; præterquàmquod tunc temporis facilè ſedatus fuerit.

m 5 Aph. 31.

Vterum uerò, & ligamenta roborantia erunt, ſeptimo menſe, uſque ad finem, in uſum reuocanda, interna, & externa. Externa erunt primò ceratum ſupra regionem oſſis ſacri apponendum, vſque ad noni menſis principium. ℞. lapidis hæmatitis, ætitis an. ℥ ſ. thuris maſtiches, ladani an. ℥ i. ſem. ſumach. galbani an. ℥ ſ. reſinæ pini, abietinæ an. q. ſ. m. f. cerat. alutæ pertuſæ inducendum, ad caloris uentilationem.

Nec amuleta, & periapta negligenda, ut quæ certè non noceant, & à magnis Viris celebrata, & adhibita fuerint. Sic ab Aet. extollitur lapis ætites, ſiue aquilinus, brachio alligatus. Iaſpis viridis collo appenſus, ut efficaciſſimum pariter cohibens, proponitur à Marcello, & Sexto. Magnes vmbilico applicatus, ſiue lapis lazuli à Nicolo. Ex internis ſemper aliquid, ſi non quotidie, ſaltem frequenter, à ſeptimo, uſque ad nonum menſem exhibendum, quod tamen inſuaue non ſit, ne tædio, & nauſea afficiatur Nob. Mulier. Sic magiſt. corall. à ſemiſcrup. ad ℈ 1. magiſt. item perlarum, & grana tinctor aliquando, hoc pacto. ℞. gran. tinct. ʒ i. pulu. maſtic. ʒ ſ. m. & detur, acie cultelli, in ouo ſorbili. Suauius autem, & efficax medicamentum erit tinctura corallorum chymica, ad gutt. vi. in ſemicyatho aq. deſtill. è tenerrimis quercus foliis; omnibus quidem ieiunè exhibendis.

De vomitu nihil in præſens, cautè namque agendum in vomitu grauidarum ſiſtendo, & cum præmeditatione, nonniſi ſcil. euidentiſſima vrgente neceſſitate, ob uirium defectum.

Victus ratio ſit quidem boni ſucci, & per menſem à ſedato uomitu, quæ uires augere poſſit; ſicut poſtea reliquo tempore, quæ tantùm eaſdem conſeruare ſit apta. A diureti-

cis ab-

cis abſtineat, vt à lupulis, aſparagis, ab amaris, & acribus, & à multo potu. Viro ſuo iuſtum officium negari interim non poſſe, imò deberi aſſerimus, & in cæteris alacri, ac forti animo uiuat. Quæ omnia Matronæ Nob. D. O. M. vtilia reddat.

LXI.

AD ABORTVM PRÆCAVENDVM.

QVamuis ſit ſupponendum, Matronam Illuſtriſs. à lue Celtica non omnino immunem eſſe, & quod ab eadem capitis intemperies, atq; imbecillitas adaucta fuerit; attamen, hoc ſtatu, nec lui, nec intemperiei incumbendum; ſed differendum in tempus magis opportunum huic curationi cenſemus. Quod autem in præſens nobis faceſſit negotium, eſt Abortum prohibere, quinto menſe contingentem. Et quoniam eiuſdem cauſæ quamplures eſſe poſſunt, nimirum vteri [a] anguſtia, de qua nonnulla ſuſpicio, cùm bis quinto menſe contigerit, grandeſcente fœtu, ſed præter hanc, mucores [b] quinetiam in vtero, à perenni, & copioſa capitis in Ventriculum deſtillatione delabentes, & ſubinde ad totum, & uteri vaſa transfluentes; atque tandem concurrere potuit ligamentorum imbecillitas, forſan etiam cum aliquo alimenti defectu. Cùm verò in præſens nonniſi ligamentorũ imbecillitati, alimentiq; inopiæ proſpici poſſit; idcirco infraſcripta uſurpanda ſtatuimus. Et primò quidem, ut contineat Cerarum dorſo appoſitum. Secundò ut obducantur duo Cauteria, nuperrimè coxis inuſta, utpote quæ moleſtiam, atque dolores, ut ex relatis habemus, continuos inferant, & Abortum facilius concitare poſſint.

[a] 1. de Morb. Mul. 41.
[b] 6 de Loc Aff. 5. & 5. Aph. 45

Per os verò aſſumat quotidie, matutino tempore, quinque, aut ſex guttulas Tinct. Corall. quandoque etiam ſemidrachmam margar. præparat. nonnunquam & ∋ i. pul. maſtic. & gran. Tinctor. omnia diſſoluta in Aq. aut iure Plantag. aut in Aq. Folior. Quercus. Aliquod quoque à proprietate iuuans in vſum reuocandum, tum internum, tum externum. Internum quidem, puluis ex matrice leporis paratus, ſiue internæ membranæ ventriculorum Gallinarum. Externum, Lapis Aquilinus brachio alligatus; ſicut & lapis magnes vmbilico appoſitus.

Cauta autem admodum, atq; accurata eſse debet victus ratio, & potiſſimum in cibi, & potus quantitate, & qualitate; quantitas enim parca nimis mihi videtur, cùm gracilis valdè ſit Matrona Illuſtriſs. & præterea in præſens, & Mater, & Fœtus nutriendi ſint; quamuis ciborum qualitate illi ſuppleri poſsit, vt nempe ſint facilis coctionis, facilis diſtributionis, & optimi nutrimenti, & ut quidem nutriant, at non grauent. Sic, prima menſa, hauriat cochlear pulli inſtaurantis, in iure, tum in prandio, tum in cęna. Et quoniam nox hoc tempore longior eſt, mane diluculò, cùm iam dictis pulueribus, vel ſine iiſdem, idem inſtaurans erit repetendum. Oua autem recentia, ſorbilia, duplici nomine aptiſſima fuerint. Sed præterea non minor eſſe debet motus cura, cauendo Rhedã, & domi hærendo. A Viro ſuo ſeiuncta dormiat, nec unquam ipſum admittat; atque domeſticis omnes occaſiones præcauendæ, quæ eiuſdem animum turbare, aut commouere poſſint. Quæ pauca, pro ſtatu præſenti, ſatis.

VTERI

Digitized by Google

LXII.

VTERI SCIRRHVS.

Licet occaſio ſcribendi tibi oblata, moleſta mihi ſit, ob ſummam, qua Virum Perilluſt. N.N. proſequor, beneuolentiam; literæ tamen tuæ periucundæ mihi fuerunt, non quia ex ipſis tuus in me amor illuceſcat, cuius iam certior ſum factus; verùm quia te benè valere intelligo; necnon quia te iuuenem, in Arte tamen Medica conſenuiſſe, ex ipſis cognoſco, dum accommodatis præſidijs nobilem ægram ab interitu reuocaſti. Hãc verò in longè meliorem ſtatum à te redactam, maximo mihi ſolatio fuit. Modò tamen, ne in alium fortaſse, licet non acutum, pernicioſum tamen incidat morbum, de quo iure dubitas, cauendum, præſentis mali reliquias omnino extirpando; in quem finem, paucis, quid ſentiam, libenter propono.

Sæpiſſimè in praxi obſeruatio illa Hipp. a uſu venit, quod ſcil. pars laborans ante morbum, fiat ſedes morbi ſuperuenientis, unde cùm Vterus fuerit affectus, par fuit nouo a 4 Aph 33.
morbo occaſionem præbuiſſe; ſuppreſſi enim, ab eiuſdem vitijs, lochiis, ſi febris ſuborta ſit, eaque acuta, mirum non eſt; nam & iecoris inflammationes, & pleuritides, anginas, phrenitides, & manias frequentiſſimè ſubſecutas vidimus. Sic febris, cum prauis ſymptomatibus contigit mulieri illi in Thaſo, b ab Hipp. 3. in 3. Epid. deſcriptæ. Hæc verò lochia, in nobili muliere ſuppreſſa, menſtruis multò deteriora, partim in utero concluſa, partim ad b 3. in 3. Epid 73.
iecoris cauam, & forſan etiam, in febre adeò acuta, ſupra ipsã gibbam, per venas tranſmiſſa, maſſam ſanguineam impuram reddiderunt, atque putreſcentia, febrem bilioſam concitarunt. Et quia putridum tangens non putridum, putridum illud reddit; inde accidit, ut eadem lochia ſuppreſſa cacochymiam produxerint, humores ſcil excrementitios, à ſanguine etiam alienos, quos natura per Diarrhœam, ut in illa Ancilla, c & ars opportuno c 4. Ep 92.
medicamento, per aluum, cum ægrotantis leuamine expulerunt.

Remanent in præſentiarũ obſtructiones auferendæ, ex humoribus calidis quidem, & bilioſis, ſed & craſſiuſculis, ab aſſatione potius, quàm à frigiditate condenſatis. Hæ verò tollendæ alterantibus potius calidis, & humidis, quàm ſiccis, moderatis attenuantibus, incidentibus, aperientibus, & euacuantibus benignioribus, vt fixa febris arceatur, neue incidamus in Scyllam, cupientes uitare Charybdim. In quem finem doloris non parua cura eſt habenda, cùm uires deijciat, & corpus exſiccet; atque nutritione quoque erit opus mediocri, non tenui, non plena, non attenuante, ſed potius humectante.

In Chirurgicis autem, ſicuti ſanguis ex inferioribus uenis, ſtatim poſt ſuppreſſionem, mirificam opem ferre ſolet, ut tu quoque prudenter expertus es; ſic temporis progreſſu, cacochymo reddito corpore, potius obeſſe, quàm prodeſſe opinor. Quare in poſterum à ſanguinis miſſione abſtinendum, niſi forſan uteri vaſa oppleta caput feriant; tunc enim hirudines ſedi admotæ, tum reuellerent à capite, tum ab utero deriuarent; parcè tamen miſſo ſanguine.

Laudo verò repetitam minorationem materiæ, flor. caſs. rec. extr. cui, ſi adſit ſuſpicio aliqua materiæ viſcidæ, addi poteſt cremor tarr. Abſtinerem in poſterum à potionibus; euacuando enim humiditates, & ſua uehementia, ſpiritus nimis exſiccant. Interim alterantium uſui inſiſtendum erit; hæc uerò erunt ex cichoraceis parata, addito aliquo deobſtruẽte, rad. pentaph. & uiridi adianto, mirabili certè, quibus ſemper addatur iulap. acetoſ. ad ℥ i. temperatum ℥ ſ. iulap. viol. uel ſyr. de capil. Ven. qualibet vice. Si his non ceſſerit febris, ad duo paulò ualidiora deueniendum, quæ deobſtruendi, euacuandi, calorem natiuum roborandi, nec febrilem augendi uim habeant; quas omnes conditiones poſſidet rhabar. ſi infuſum. ad ʒ i. ſ. cum ſpica, per horas xii, in ℥ vi. ſeri caprini deſtil. mane, uel die etiam minoris afflictionis exhibeatur. Succus pariter cich. depurat. ad ℥ ii. in iure alterato, uigente quinetiam calore febrili, præbendus, eſt altera materia præſidii; quotidie verò alterutro remedio uti poterimus, prudentia tua opportunè adminiſtrando, non omiſſis alterna-

tis euacuationibus modò clyſt. modò caſſia. Quod ſi adhuc perduraret diarrhœa, cichoraceis, ſucco cichor. & ſero deſtill. eſſet inſiſtendum; & ſi dolores recrudeſcerent, admittimus uerum laudanum Nepenthes Querc. quod omnibus præcellere exiſtimamus, ad gr. i. ſ. uel ii. exhibitum.

De uictus ratione nihil habeo quod dicam. Pauca hæc ſubſcripſi, ut, ſi non ab antiquo, ſaltem ab affectu recenti liberetur Nobiliſs. Mulier. Deus vota ſecundet. Tu interim me amare pergas, & certò ſcias, meam in te beneuolentiam nunquam perituram. Diù Vale.

LXIII.

TVMOR SCIRRHOSVS VTERI.

ILluſtriſs. Comes, annum agens 26. temperamenti ſecundum totum calidi, & humidi, carnoſi habitus, roſei coloris, poſt quintum partum, poſtremò, quinto menſe, æſtiuo tempore, febre acuta fuit correpta, cuius cauſa ſtillatitias aquas refrigerantes potauit largius; nihilominus decima quarta iudicata eſt, verùm trigeſima tantùm à febre immunis fuit; ſplen tamen intumeſcere cœpit, & quidem à pueri partu feliciſſimo, nono menſe editi, in ingentem molem, medicis tamen auxilijs omnino ſanatus. A partu autem lochia cõſueto parciora fluxere; verùm tumor alter in eadem parte ſiniſtra, ſed inferius, in vteri regione apparere cœpit, magnitudine parui oui, qui tamen quotidie ſemper adeò in molẽ increuit, vt ſpatio menſium, totum ferè abdomen, tum in hypogaſtrica, tum in epigaſtrica regione obſederit, libera tantùm vtriuſque viſceris, hepatis ſcil. & ſplenis regione. Acuminatus autem eſt hic tumor, adeò vt in medio abdominis promineat, ac protendatur ad regionem ventriculi, vbi protuberat, & ventriculo ipſi non parùm incommodat. Durus autem eſt, tactui renitens, cum aliquo tamen dolore. Si verò in latus ſe conuertat Mulier, deuoluitur præceps totus ipſe tumor, prout pariter ſi in latus oppoſitum decumbat; percipit tamen moleſtos quoſdam in latere ſuperiori ſubſultus Patiens ipſa, quocunque ſitu. A partu Virum nunquam admiſit, nec deſiderat. Obſtetrix, digitis vteri oſculo explorato, aſſerit ſe percepiſſe maſſam quandam carneam, & compreſſioni cedentem, quæ vnguibus ſcalpta indolens ſit, effluxiſſe verò, eductis ſtatim digitis, ſanioſum quoddam, & ſordidum purgamentum, vnde de molæ præſentia dubitatum, & quidem potiſſimum cùm aſſerat mulier ipſa, quod grauida cùm eſſet, duos gemellos in vtero habere ſe crediderit. Interim tumor, cum pondere non mediocri, moleſtior quotidie euadit, & paulatim motum quoque eidem Patienti præpedire incipit; quare de agendis conſulit.

Non adeò facilis, imò obſcura valdè nobis videtur intumeſcentis ventris, in Nob. Muliere, cognitio, non rudi certè, & perfunctoria, ſed matura conſideratione digna. Sicut enim cum Viro Doctiſſimo, vterum partem affectam & nos exiſtimamus, ex ſitu, eiuſque læſis operationibus; ita, quo affectu laboret, cum eodem, non parum dubitandum, & quidem iure; hinc enim venter plenus, veluti prægnantis, ſine ullo motu [a], cum gracilitate, decoloratione, menſium ſuppreſſione, molæ præſentiam nobis ſignificare videntur; hinc vero, quoniam mammarum turgentiam (nullo tamen lacte) non habemus; & quia inſignem, ac inæqualem, durumque nimis tumorem obſeruamus, qui temporis proceſſu punctionis ſenſum, nec immobilitatem adeptus eſt [b]; idcirco non omnia adeſſe ſigna molæ, atq; adeò eius præſentiam dubiam, & ancipitem cenſemus. Quibus adde, quod mola in hac muliere ſi adeſſet, quatuordecim menſium foret; cùm tamen à partu, primo menſe, tumor exiguus in latere ſiniſtro obſeruatus fuerit, qui ſpatio quinque iam menſium præteritorum, ad præſentem uſque, in immodicam molem excreuit; unde ſimul cum fœtu, nec nutrimentum, nec augmentũ ſuſcepit in utero mola ipſa. Et quia non ſine Viro nec ipſa cõcipi poteſt, nec à partu cum viro concubuit Mulier, nullo modo concipi potuit; ſed præterea tanta duritie molam prædictam eſſe minimè credendum, ſiue ſit aquoſa, quam vidit Veſalius, ſiue pulmenti ſpecie, quam obſeruauit Arculan. ſiue mẽbranoſa, quã refert Holler. ſiue ſanguinea, quam uidit, & curauit Aet. ſiue carnoſa, quam deſcripſit Ariſt. Aet. & Rhaſ. ſola autem vẽ-

a de Steril. lib 20. Paul. & Aet.
b Aet.

toria,

toſa, quam viderunt Auic. & Paræus, & Matth. de Grad. in propria muliere ſanauit, duritiem inſignem tactui renitentem præſeſerre poſſet; quam tamen non adeſſe, ſatis nobis demonſtrat eius leuis origo, & paulatim facta eiuſdem in molem extuberantia; vnde mola ab hoc affectu iure excludi poſſe videtur. Tumorem autem durum, [e] inæqualem, non ſine ſenſu, & cum aliquo dolore, ſcirrhoſum potius ſtatui poſſe credimus, non quidem ſcirrhum, quia ſenſus, ac doloris expers foret; quibus tumoribus uterus alioqui obnoxius eſſe ſolet, tum quia eius ſubſtantia craſſa, tum quia ſemel admiſſas fluxiones tenaciter fouet, & quidem in mulieribus potiſſimum melancholico ſanguine redundantibus, aut ſaturato rubore perfuſis.

e 14. Meth. 6.

Hic autem tumor ſanguinis cacochymiam cauſam agnouit, dum grauida Nobiliſſima Mulier, febre, cum æſtu inſigni, æſtiuo tempore, correpta, immodico potui aquæ continuò indulſit, ob quam, tum cruditates copioſæ genitæ fuere, tum perfrigerata viſcera naturalia, indeque obſtructa, vnde conſpicuus lienis tumor ſe exeruit, qui ope medica mox euanuit. Cruditates autem in toto collectæ, & à calore iecoris immodico exuſtæ, necnon ſanguis ater, & aduſtus in puerperio non ſatis expurgatus, quanquam à natura ad uterum eo fine tranſmiſſus, cùm prius eiuſdem vaſa repleuerit, ex iiſdem deinde effuſus in tumorem ſaceſsere potuit, qui ab eodem quotidie ſemper maius augmentum ſuſcipiens, in adeò amplam molem excreuit, craſſo quidem, ac melancholico [a] potius ſanguine, ſed & aduſta pituita conſtantem.

d 5. Simp. 9.

Alia tamen circa hunc affectum inſurgit non leuis dubitatio, num ſcilicet tumor hic ſcirrhoſus, in carne, & uteri ſubſtantia fixus deliteſcat; an forſan in eiuſdem cauitate, proprio folliculo concluſus hæreat; etenim Paulus nonnunquam Scleroma in utero fieri obſeruauit. Verùm nos ſcirrhoſam potius ſubſtantiam uteri eſſe exiſtimamus; atque adeò quando ad latera ſe conuertit, veluti per filamenta, moleſtas factas attractiones in latere oppoſito percipit Nob. Mulier, quoniam ligamenta ab uteri pondere extenduntur; ſed præterea, ſi in uteri cauitate hæreret tumor, ſupina eadem decumbente, non adeò acuminatus protuberaret, ſed concideret potius.

Præterquamquod tumor ipſe, ſicuti in ſui primordijs ſiniſtro lateri ſemper adhærere debuit, ita grandior factus, non amplius utero affigi, ſed hinc inde per vterum oberrare debuit; cùm tamen nuſquam ſeiunctus ab eodem obſeruari poſſit. Ob huius autem molem urinæ copia in veſica vix admitti poteſt, ſed frequens fit mictio, & alui excrementa cum aliqua difficultate excernuntur; & ſi maior euadet, non ſolùm hæ operationes quotidie magis magiſque lædentur; verùm & motus crurum, atque totius ſegnior fiet, & dolores ad coxas, ac dorſum diffundentur; quem caſum narrat ſe vidiſse Parçus; uteri nempe ſubſtantiam in ſcirrhum magnitudine capitis humani obduruiſse, quæ molæ ſpecie plures medicos deceperat.

Tumores autem huiuſmodi, ſi ſenſu careant [e], curationem omnino impoſſibilem; prout ſi aliquo præditi ſint, admodum difficilem habent; nam plurimùm [f] obdurara plurimùm inſanabilia ſunt; ſpatio uerò temporis, ſuccedunt fœdus oris [g] odor, eiuſdem exulceratio, genuum impotentia, pedum tumores, Cachexia, & Hydrops; quod ſi immodicè humectantibus, atque laxantibus, necnon calefacientibus curentur, tandem etiam in cancrum [h] deſciſcunt. Quanquam verò non ſcirrhum exquiſitum, ſed ſcirrhoſum tumorem hunc eſſe diximus; non propterea tamen Aetius audiendus, qui Medicos monet, vt magni tumoris curationem detrectare debeant; ſed ſelectiora potius, & validiora à nobis erunt uſurpanda præſidia, ut tumoris huius augmentum præuettamus, & Nobiliſs. Matronam ad meliorem ſtatum reducamus.

e 2. ad Glauc. 4.
f 7 per Gener. 9.
g Aet. & Paul.
h Auic.

Noſtrum itaque erit, frigidum, & ſiccum humorem parti impactum moderatè [i] calefacientibus, & humectantibus præparare, & euacuare, præmiſsa tamen accommodata reuulſione, & primarum viarum, ac totius neceſsaria expurgatione, ſanguiniſque defæcatione, & calidæ iecoris intemperiei correctione. Quibus intentionibus ſatisfacere tentandum, remedijs Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

i 2. ad Glauc. 4.

A fonte itaque Chirurgico ter repetita ſanguinis miſſio deſumpta, & hucuſque à Viro Excellentiſſimo adminiſtrata fuit, qui niger, ac parum fibroſus, valdèque ſeroſus obſeruatus eſt. Cauterium verò coxæ, ſeroſitatibus melancholicis educendis inuri ſolet; quod tamen nos in caſu præſenti paruifacimus, & nonniſi doloribus ſuperuenientibus admittimus.

In Pharmaceutico fonte Lenientia, Præparantia, Expurgantia, & ſanguinem Depu-

rantia accommodatiſſima à Doctiſsimo Viro præſcripta fuere; ſed quoniam ſanguis recens eductus, niger, & ferè fibris carere viſus fuit; ideo eiuſdem defæcationi parumper adhuc inhærendum, & iecoris feruor contemperandus, ut mox tandem ad tumorem obduratum emolliendum, atque diſcutiendum deueniamus.

Repetatur itaque decoctio epith. Meſ. vel, quoniam Nobili Patienti ingratiſſima fuit, illi ſubſtituatur extr. helleb. nigri, ad ʒ ſ. cum ℈ ſ. magiſt. mechoac. & ℥ ſ. elect. lenit. bolos reformando; à quibus, hora exacta, ebibat ſeri capr. depurat. ℔ ii. & tribus horis ab eo prandeat; quod medicamentum ter, aut quater repetat, quarto quoque die. Intermediis verò diebus, aſſumat ſuccos depur. cich. borrag. & fumariæ ad ℥ iij. in decoct. end. malu. meliſſæ, ſonci, heparicæ, agrim.

Quibus peractis, ad topica, tum interna, tum externa erit deſcendendum. Et quidem intrinſecùs, nullum medicamentum emolliens ſalſa præſtantius habetur, ut quæ duriſſimos, atque tophaceos tumores emollire, atque diſcutere poſſit, cùm tenuiſſimis partibus conſtet, citra calefactionem. Paretur autem decoctum in aqua ſtillatitia malu. artemiſiæ, capil. Ven. additis radic. altheæ, & lil. alb. & inſtillatis ipſi decocto gutt. x. ſpiritus tart. rectif. præmiſſo ſemper bolo ex ammoniaco, cum ſale artemiſiæ, & vnico grano ſalis martis; atque tempore vſus eiuſdem decocti, matutinis horis, in cubiculo deambulet, & ſe ipſam exerceat Nob. Patiens.

Dum verò hæc intrinſecùs fiunt, extrinſecùs quoque medica auxilia ſunt adhibenda, quæ ab initio valdè emollientia conueniunt; atque adeò luta Diui Bartholomæi in agro Patauino, principem locum in his obtinebunt. Secundò verò ſtillicidium paratum ex pingui lotura lanarum, addito aceto, ad penetrationem, quod ex alto deffluat, commoto utcunque vaſe ipſo, ut totum tumorem attingere poſſit; quod ſaltem ſemel in die, integra hora, erit adminiſtrandum, ueſpertino tempore; horis verò matutinis, ante prandium, foueatur pars affecta ſpongia magna, prius madeſacta decoctione, malu. meliloti, radic. altheæ, lilor. alb. cucum. ſilueſtris, ſem. lini, fœnugr. à quo fomento, pluries horæ ſpatio repetito, applicetur ceratum ex diachil. cum pinguedinibus, ammoniaco, adipe anſeris, anatis, & medulla ceruina reformatum.

Quibus omnibus congrua uictus ratio erit addenda, Sapientiſſimo Viro, quam notiſſima. Vinum interim ſalſa, & pauco ligno ſaſſafras medicatum, ad menſam, parari poterit; & ter in menſe exhibendum erit magiſt. mechoac. ad gr. xii. cum ʒ ſ. pil. de trib. aur ʒ ſ. elect. lenit. Clyſteres emollientes, ex oleo comm. cum butyro; vel ex lacte, & butyro iniici poterunt; aut inſtituatur quotidianus vſus prunorum damaſcenorum, in infuſione ſennæ, aur roſar. macerat. in vino dulci. Atq; interim alacrem, & fortem animum præſtare Nob. Pat. iubeatur.

CAN-

LXIV.

CANCER VTERI.

MVlier Nobiliſs. licet laudabili totius temperamento calido, & humido, proboque habitu corporis carnoſo, roſeique coloris, à natura fuerit donata, & Viro iuncta, primis duobus annis, fœcunda fuerit; attamen quoniam menſtrua expurgatio ab ordine conſueto aberrauit, & à iuſta quantitate declinauit: hinc accidit, ut, ſanguinea maſſa conſpurcata, atque infecta, roſeus color in pallidum, & carnoſa corporis conſtiturio in maciem conuerſa fuerint; dum enim [a] *Menſtrua plura fiunt, accidunt morbi, & ſi non fiunt, ex vtero morbi contingunt*. Cur autem conſueta menſtrua, à partu, tum imminuta, tum deprauata euaſerint, decernere in præſens nobis non adeò facile eſt, cùm forſan aliqua vteri contorſio præceſſerit, quam tamen certò vaſorum vteri obſtructiones ſecutæ fuerint, dum guttatim per eaſdem, tãquam per ſetaceum, extillare cœpit tenuis, & aquoſa materia, à toto ad vterum transfuſa; vnde muliebre profluuium tunc temporis ſubortum fuit, quod tandem iiſdem accumulatis in vtero obſtructionibus, in menſium ſtillicidium deſciuit, quod non ſine [b] vehementibus doloribus fieri poteſt. Neq; hìc malũ ſubſtitiſſe credendum, etenim ab humoribus heterogeneis quidem, prædominio tamen valdè calidis, repletis vteri vaſis, in eiuſdem ſubſtantiam penetraſſe, & ſe inſinuaſſe non dubitamus, & tumorem in eadem excitaſſe; cuius indicia ſunt dolor incipiens in inguine, & mox ad renes, os ſacrum, & coxas propagatus; præterea deſiderium illud, tum fœces egerendi, tum vrinam effundendi, & potiſſimum durities inæqualis, atque conſtrictio in vtero, ab obſtetrice obſeruata, quod ſignum proponitur ab Hipp. dicente, quod [c], *Vteri duri fiunt, cum ardore in inguinibus*; & ſubdit quod, [d] *Vteri modico tempore fortiter contrahuntur*. Cuius tumoris conditionem cancroſam eſſe valdè ſuſpicamur, conſideratis tum præteritis, tum præſentibus. Præteritis quidem, cùm ſcribat Gal. quod [e], *Menſtrua deficiunt, quia venæ comprimuntur, aut obſtruuntur à craſſitie, aut frigiditate ſanguinis; quare proceſſu temporis, & ipſum vterum pati neceſſe eſt, aut ſimilem inflammationi diſpoſitionem, aut eryſipelati, aut duro tumori, aut cancro, quibus denuò totum compatitur corpus*. Et præterea [f] *Menſes decolores, nec per idem tempus venientes purgationem indicare neceſſariam*, dicebat Hipp. idque quoniam excrementorum colluuie totum corpus redundare ſupponebat. Quæ excrementa in Nob. hac Pat. feruidiora fuiſſe, & ideo non ſolùm calida, verùm & aduſta, atteſtari poſſunt iecoris, cordis, & renum calidum temperamentum, necnon ætas conſiſtens, & feroſa humiditas, quæ non à frigiditate congelante, ſed à caliditate colliquante copioſa in toto producta eſt, & per vterum excreta; vbi enim aduſti, & melancholici humoris copia, ibi & aquæ redundantia reperitur. Quibus accedit læſio à calidis medicamentis adhibitis, ab eadem ſemper percepta. Et tandem præſentia ſymptomata, tumorem atrabilarem nobis ſignificant; cùm dolores acutos, & lancinantes patiatur, qui horis matutinis magis recrudeſcunt; quibus vigentibus, effundi ſolet ab utero materia aquoſa quidem, ſed nonnunquam cruore tincta; præterea feruores, & ardores in utero ipſo, & circuniacentibus quoque partibus, cum moleſtiſſimo ad coitum irritamento; unde dicebat Hipp. quod, [g] *Vteri duri, & ad pudenda exeuntes, cum duritie, & ardore in inguinibus, cancerantur*. Cuius tandem tumoris canceroſi comes eſſe ſolet totius corporis macies, tum propter ſæuam, atque diuturnam doloris conditionem, tum propter humoris peccantis indolem, nutriendo corpori minimè idoneam.

[a 5. Aph. 58.] [b Aet Tet. 4. Serm. 4 Cap. 63.] [c 2. de Morb. Mul. 48.] [d 2. de Morb. Mul. 23.] [e 5. Aph. Com. 58.] [f 5. aph 36] [g 2. de Morb. Mul. 48.]

Hunc autem occultum, nondum exulceratum eſſe exiſtimamus; tunc enim non purè aquoſa materia, & nonnunquam ſanguine tincta ab utero, uerùm ſanioſa, limoſa, atquè fœtens, continuò, & uberrimè emanat.

Huius autem mali veram ſanationem tentandam non eſſe, in ſinu muliebri, iuſſit [h] Hippoc. vnde, [i] *Carnifices* appellabat Gal. *Medicos illos, qui ſectionem, aut uſtionem, quæ vera ſunt cancrorum remedia, adminiſtrandum proponunt*. Atque adeò, vt incrementum eius intercipiatur, & iam factus tumor mitior reddatur, medicas intentiones proponit Gal. [k] nempe, ut

humor

[h 6. aph 38.] [i In Com] [k 14. Meth. 9.]

humor atrabilaris euacuetur, eiuſdem regeneratio prohibeatur, genitus diuertatur; atque tandem, ſi ita tulerit occaſio, pars ipſa firmetur, quibus addamus, dolores eſſe leniendos.

l 4. de Re Med. 26. His autem ſcopis ſatisfacere ſaltem conandum, licet Paul. l inſanabilem omnino pronunciauerit; quia, *Ob craſſitudinem humoris, neque repelli, neque diſcuti poteſt, nec purgationi cedit, & impoſita medicamenta, ſi mitiora, contemnit; ſi fortiora, exaſperatur.*

Et in fonte Chirurgico, non eſt, quod ſanguinis miſſionem per venam ſectam depromamus, ob totius maciem, & quia vires non ſolùm præſentes, verùm & futuræ ſunt proſpiciendæ;

m 2. ad Glauc. 10 licet hoc genus remedij magnoperè ab ipſo Gal.[m] commendetur. Conferre tamē, & forſan tolerari poſſet aliqua ſanguinis eductio per venas ſedales, tum ad deriuationem, tum ad vteri, & vaſorum ſeminalium refrigerationem.

Aliquod autem Leniens præmitti poterit ex caſſia, & diaſebeſten ſimplici paratum, prout præparantia, & ſimul alterantia eſſe poterunt decoct. cichor. additis violis, & maluis, cū ſuccis depur. borrag. end. atque maluæ; quinimò & ſer. capr. aut aſininum depur. accommodatiſſimum fuerit, vel aqua ſtill. malu. & borrag. addito iulap. violac. & de ibiſco. Neq; flatus formidare oportet; ſiquidem exhalationum potiùs, quàm vaporum conditionem ſeruant. Aliquod quoque medicamentum electiuè purgans in vſum eſſet reuocandum, dummodò Nobiliſs. Pat. illud perferre poſſit, quod prudenti iudicio Exc. Aſſiſtentium cōmittendum eſt. Et niſi hellebori extractum, cum caſsia tolerare poſsit, quo Orib. mulierem quandam ab vlcere canceroſo liberatam vidit, in Inſula Coo: illi ſaltem ſubſtituatur extractum ſennæ, vel polypod. cum caſsia, ſuperhauſto ſemper ſero depur. Atque ita alterando, & expurgando, indicationibus ſatisfaciendum fuerit.

Quoniam verò dolores, vigilias inducendo, & vires proſternendo, & ipſi Anodyna, imò

n 12 Meth. 1. Narcotica indicant, cùm dicat Gal. quod, n *Crudelis hominis officium facit Medicus ille, qui vnà cum morbo, vitam quoque homini aufert*; ideo & ipſi leniendi, leuioribus tamen, ne calor natiuus labefactetur, atque extinguatur. Itaque ſat conferre poterit ſyr. de papau. ad ℥ i. nonnunquam & granum vnicum Nep. Querc. Verùm quoniam frequens debet eſſe narcoticorum uſus, ut eorum euitetur noxa, infundantur frequenter clyſteres ex lacte vaccino in anum, in quibus diſſoluta fuerit drach. i. phil. Rom. non antiqui; contineantur autem à Nob. Pat. ad tres, vel quatuor horas, mox excernantur, ita enim certiſsimè dolor integra nocte, & ultrà ſedabitur.

Interim aliqua à proprietate iuuantia erunt in vſum ducenda, per os quidem aqua Virgæ aureæ, cum puluere cancrorum fluuiatilium; & ad venerea irritamenta compeſcenda, aſſumat quandoque emulſionem ſeminum lactucæ, extractam cum aqua nymphex. *In vterum* verò iniiciatur lac, in mortario plumbeo agitatum: quandoque & ſuccus ſolani.

Atque tandem ad viſcerum, atque humorum calorem contemperandum, totumque corpus alendum, ad uſum lactis, primò quidē aſinini; mox & caprini perducenda erit Nob. Pat. atque interim, opportuno tempore, de balneo aquæ dulcis, folijs malu. viol. nymphex, brancæ urſinæ, & lactucæ, alteratæ adminiſtrando, in arena à Viris iſtis Exc. erit conſilium capiendum; cui in præſens ſubſtituātur totius corporis inunctiones quotidianæ, oleo amygdal. recenti.

Atque congrua victus ratio iam dictis omnibus addenda, refrigerans, & humectans. Atque adeò lactaria conceduntur, pariter & fructus, piſces ſaxatiles. Vinum quoque, ſed tenue, aquoſum, & modicum; ſiti verò extinguendæ, paretur aqua ſtillat. ex borrag. & pomis dulcibus. Omniaque reliqua iam dictis proportione reſpondeant, à Viris Excell. præſcribenda; prout iiſdem præſcripta omnia corrigenda committimus.

PRO

Digitized by Google

LXV.

PRO EADEM

Conſultatio Secunda.

DOlores, imò erueiatus Nobiliſs. Matronam continuò affligentes, potiſſimum circa veſperam, noctuque atrociores, pubem, inguina, & os ſacrum obſidentes, & ad coxas diffuſos, à carcinomate in vtero hærente ortum ducere, iam in ſuperiori conſultatione facilè iudicauimus; quod & modò, cùm eadem ad nos peruenerit, confirmatum deprehendimus; prout enim in principio menſtrua a ſuppreſſa, obſtetricis contactus b, ætas c inclinãs, patientis d temperamentum, tempus e exacerbationis, cauſæ prægreſſæ, ſuſpecta f pars dolens, & corporis habitus, atque diſpoſitio in incipientis cancri cognitionem nos manuducere poterant, ita modò hic adauctus, inexpertis quoque Medicis innoteſcit; vnde Gal. ſcripſit g *Vbi ſymptomata vehementia, magna & cunctiſ euidentia ſunt, omnes cancrum cognoſcunt; cùm verò adhuc incipit, nihil mirum eſt, ſi vulgus lateat; non ſecus profectò, ac ſtirpes, quæ à terra exeunt, quandoquidem hæ quoque peritis tantùm agricolis cognoſcuntur.*

Incepit autem tumor hic in vteri ceruice, vt ex ſymptomatibus in emictione, & præſertim ex alui difficili purgatione coniici poterat; qui tamen in maiorem molem extuberans, vteri corpus penetrauit, tactu namque percipitur in parte eiuſdem dextera, ſupra pubis os. Neque tamen hucuſque exulcerationis vllum prodidit indicium; primò enim in vtero vt plurimùm h ſine vlcere contingunt; ſed præterea exulcerati cancri comes perpetuus eſt fœtor, cui accedere ſolet febris, atque tandem tabes. Seroſitas autem, quæ copioſa vtero effluere continuò ſolet, non à tumore, ſed ab eiuſdem vaſis ſemiobſtructis emanat, ob torum atro humore refertum, à calida iecoris intemperie producto, à qua liquati, & fuſi humores, in ſeroſitates faceſſunt; quæ modò per vteri vaſa, vt diximus, modò per vrinam copioſam effunduntur, cum ſubſidente albidiori materia, ventriculi malè concoquentis ſobole, atque indicio. Cùm vero neque ſeroſitates, neque crudus, aut craſſus ſanguis in vaſis ſuperſtes corpori nutriendo ſint apta; hinc idem contabeſcere eſt neceſſe. Verum tamen eſt, quod temporis diuturnitate omnino corrumperetur humor iſte, cùm eo ſtatu perſiſtere non poſſit, vt dicebat i Gal. qualis ab initio fuerit; tunc verò ulcus excitatur, prout iam euenisſet, ſi humor verè, & præter naturam k atrabilaris eſſet.

Cancri uerò inter initia ſanari poſſunt, antequam in partem altas agant radices; prout nos in praxi obſeruauimus, repetitis ſanguinis miſſionibus, reuellentibus; validis item electiuè purgantibus frequentatis, & continuò refrigerantibus, & humectantibus adhibitis. Ita & Gal. l ſe ab initio plures ſæpè ſanaſſe aſſerit; vnde medici m quidam eundem odio proſequi cœperunt, cùm viderent, ſola purgatione carcinomata incipientia, & elephantiaſin eum ſanaſſe. Quinimò idem narrat, ſe mulierem quandam cancro in mamilla olim laborantem, purgatione Vere facta, & ualidis nigram bilem ſubducentibus præſeruaſſe; pariter & aliam n, quæ, neglecta nonnunquam, Veris tempore, purgatione, dolorem profundum patiebatur, quę tunc Gal. vocabat, vt euacuaretur; tanta enim ui pollet atri humoris purgatio, ut Mulieri cuidam o, cui vnà cum cancro mamilla amputata fuerat, neglecta poſtmodum purgatione, cancer in altera fuerit ſubortus.

Sed nec cancris leuioribus ſanandis fruſtra proponit medicas intentiones idem Gal. Primo atræ bilis è toto corpore euacuationem tentando. Secundò eiuſdem regenerationem inhibendo. Tertiò partem affectam euacuando, & roborando.

Quæ certè caſu noſtro, cancro iam in molem eleuato, & confirmato, locum non habent, nec à viribus permittuntur. Quare palliatiuam tantùm, non Methodicam ſtatus Nobiliſs. Par. curationem admittit, calorem contemperantibus, dolores demulcentibus, & ſubſtantificè

a 5. Aph. Com 57.
b 2. de Morb. Mul 48.
c 3. Prog. 28.
d de Atra bile 4.
e 1. in 6. Epid. 15.
f Introd. 17
g 14 Meth. 2.
h Deff. Med.
i 2. de diff. Feb 5.
k de Atra Bile 4. & de Tum. P.n. 9.
l 2. ad Glauc 2.
m de Purg Medic. Fac. 5.
n 6. Aph. 47.
o Aute 3.4 Tract. 2. Cap. 16.

tificè humectantibus, totum ſcilicet nutrientibus, perficiendam; vt ſaltem longiorem, & minus moleſtam vitam protrahat.

Pro prima intentione, quotidie ſummo manè hauriat cyathum aq. ſtill. acetoſæ, borrag. malu. addito ſucco modò marenarum, inde ex pyris recentibus expreſſo. Et vt potionem mutet, aſſumat nonnunquam ſetum aſininum deſtillat. addita conſerua de acido citri, vel iulap. violac. aut roſ. Quandoque verò paretur emulſ. quatuor ſem. frigid. amygdal. rec. & pineor. nucl. cum aqua cucurbitæ, aut end. vt caloris commoderationem, & ſimul, ſecundæ intentionis gratia, corporis aliquam nutritionem conſequatur; in quem finem, lac aſininum, ſtatim mulctum, cum ſaccharo, ab omnibus celebratur. Præterea totum abdomen quotidie vng. roſ. Meſ. illinatur; ſicut & corpus vniuerſum ol. amygd. recenti. In menſa edulia ex lacte parata, & fructus concedantur; lactuca quinetiam, quæ iam tenerrima habetur.

Atque vt ventriculus aliquo pacto roboretur, in vſu ſint ſtatim à cibo duo, aut tria grana maſtich. integra deglutita, ſiue pil. ex ℈ i. ſucci abſinth. condenſati, vel rotula ex ol. legit. cinnam. diſſoluto ſaccharo cum aqua eiuſdem. Opus tamen habuerit alimentis ſucci laudabilioris, quibus frequenter veſci debet, vt ſunt oua recentia, inſtaurantia ex pulla iuniori, imò & vitulina carne, pullæ contuſis, aliis additis; Pulpulis item, eduliis ſic dictis; Priſana frequenter vtatur. Potus verò loco vinum tenue, etiam ſubdulce concedatur.

Tertia tandem reſtat intentio implenda internis, & externis. Interna alia aſſumenda, alia iniicienda, eorumque alia non ſolùm ſymptomati, nimirum doloribus, verùm & ipſi morbo accommodata, alia verò doloribus tantùm.

Priora aſſumenda, ſunt cancrorum fluuiatilium, atque horum inopia, cammarorum, noſtrorum ſcilicet aſtacorum decoctio, in lacte aſinino, per quinque dies epota, atque per alios quinque eorundem caro comeſta, remedium quidem ab Aetio propoſitum, dicente,

p Tetr. 4. Ser. 4. Cap. 47. quod [p], *Hoc placidiores redduntur cancri, vt poſtea per aliorum medicamentorum vſum tolli, & debellari quoque poſſint*. Alij tanquam remedium à proprietate iuuans proponunt puluerem cancrorum fluuiat. quotidie plures dies, cum aqua virgæ aureæ. Horum autem primum ſaltem experiri poterit Nobiliſs. Pat.

Iniicienda verò in vterum ſunt, Lac in mortario plumbeo agitatum. Succi malu. portulacæ, ſolani, ſemperuiui, agitati pariter. Decoct. item altheæ, & fraxini, cui immiſtum ſit lutum, quod excidit ferramenta acuentibus.

His addunt Ranarum oleum, Serpentum ſenectas. Agitentur autem omnia in mortario plumbeo, ad Solem, [q] vt multùm ſubſtantiæ plumbeæ inde eliciatur. Succus autem ex viuis aſtacis expreſſus, & iniectus valdè refrigerat, & à proprietate iuuat.

q 9. Simp.

Poſteriora verò aduerſus dolores dirigenda erunt; primò quidem per os, ante cibum caſu noſtro præbenda. Syrupus de pap. ad ℥ i. vel ℥ i. ſ. exhibendus in pauca aqua lactucæ. Pariter & ſem. papau. ad ʒ iij. facta emulſ. cum aqua lactucæ. Panis martius, ex amygdalis, & ſacch. de more paratus; cui addantur contundenda ſemina papau. albi, ad ℥ ij. pro qualibet libra; cuius veſperi duæ, aut tres vnciæ præbeantur comedendę. Quibus non ſufficientibus, ad laudan. Nep. deueniendum, at non ultra duo grana eiuſdē. Verùm clyſter ex lacte vaccino, in quo Philon. quinque, aut ſex menſium, ad ʒ i. ſ. vel ij. fuerit diſſolutum, paratus, & iniectus, atque per horas detentus, ſolet ſedare dolores, nec adeò officere viſcerum natiuo calori, ut per os aſſumpta.

Iniicienda in vterum, doloribus ſedandis, eſſe poterunt ol. nenuph. in mortario plumbeo agitatum, cui, ſæuiſſimis vrgentibus doloribus, gutt. ol. hyoſcyami immiſceri poterunt. Emulſ. ſem. malu. & papau. extracta cum aqua portulacæ, aut ſemperuiui. Lac item aſininum, in quo ſit diſſolutum vng. popul. Et tandem inſeſſus, & Balneum, vtraque cum tubulo. Inſeſſus quidem in lacte vaccino, cui immiſceatur emulſ. ſem. papau. albi, extracta cum aqua lactucæ. Balneum verò vniuerſale totius corporis, tepidum aq. dulcis, alteratæ fol. malu. viol. lactucæ, ſalicis, fraxini, altheæ, primis diebus dimidia, in progreſſu verò ad integram horam, à quo totum linteis leuiter abſtergatur, ſine frictionibus; mox ol. copioſo amygd. rec. illinendum, in cuius vſu integrum menſem perſiſtat.

In reliquis quoque victus ratio accommodata accedat, ita vt aer ſit frigidus, & humidus. Quare cubiculum ſit vel Septentrioni, vel ſaltem Orienti obuerſum; obſeruatum enim eſt, in Germania, rarum, in Aſia verò frequens eſſe id mali genus, ob aeris conditionem. Somnus permittatur diutnus, cum à doloribus intercipiatur nocturnus. Quies omnino

niuo

Digitized by Google

nino neceſſaria. Aluus Clyſteribus ex lacte, butyro, & ſaccharo paratis, ſolicitetur, quibus non ſufficientibus, flos.caſs.quoque rec.in lacte diſſoluatur, & fortem animum præſtet Nobilis. Pat. quæ pro qualicunque leuamine ſcripta ſatis.

LXVI.

ARTHRITIS.

IVuenis 35. annum agens, Patre ortus, qui eodem ætatis tempore Arthritidem paſſus eſt, ad poſtremum vſque vitæ annum ſexageſimum, quolibet Vere, & autũno, 30, aut 40. dies, & aliquãdo pauciores acceſſione perdurante; nullo tamen vnquam topho in quolibet articulo ſuperſtite. Modò Filius eiuſdem præſcas, temperamenti calidi, & ſicci, gracilioris habitus, & rari, ſudoribus obnoxius, comeſſationibus, & compotationibus frigidis, atque Veneri maximè indulgens, quinque abhinc annis, iiſdem ſuppreſſis, nauſeabundus, ad famem inſtaurãdam, animumque recreandum, tribus integris diebus, Rheda iter fecit, à quo dolor ſtatim corripere cœpit articulũ genu dexteri, noctu ad pedis pollicẽ diffuſus, cum ingenti æſtu, & ſubflauo rubore, primò quidem ſine tumore, mox, tertio die, eodem, licet paruo, ſuborto; inde, quarto die, ad ſiniſtrum quoque pollicẽ propagatus, eodem modo, eum afflixit, non recedente primo, cum cruciatibus indeſinentibus, uſque ad 20. diem perdurantibus, cum ſiti, inappetentia, & capitis calore, ſine dolore tamen, ac ſine febre; mox remiſſiora omnia fuerunt, & paulatim euanuerunt, accommodatis adhibitis medicis, leuioribus tamen præſidiis, perſeuerante licet pedum imbecillitate, pluribus quoque ſecutis diebus. Tota verò hyeme benè habuit, & liberè vixit, vſque ad Menſem Maium, quo tempore ferè eodem modo eadem mala paſſus eſt, à quibus medicis auxilijs rurſus, toto Menſe Iulio, conualuit; ſed ingruente autumno, recidiuam paſſus, quo vtrumque genu dolores corripuerunt, leui rubore, & tumore, trium, aut quatuor dierum ſpatio, ſecuta ad pedes metaſtaſi euaneſcentes. Verùm vtriuſque pedis digitus pollex parum intumuit, cum intenſo calore, & leui rubore, ſed cum doloribus ſæuiſsimis, aliquot diebus perdurantibus; mox iterum conualuit, & totam hyemem incolumis tranſegit; verùm rurſus, quolibet anno, iterum, & tertiò iiſdem doloribus conflictatus eſt, modò vehementioribus, modò remiſſioribus; modò tardius, modò celerius recedentibus: nullo tamen ſuperſtite in articulis materiæ veſtigio, ſed ſola tantùm imbecillitate. Autumno autem nuper præterito, iidem dolores, manum quoque ſiniſtram inuadere cœperunt; & ideo modò, principio ſcil. Menſis Martij, Pat. Nob. de agendis conſulit, ut à nouis inſultibus poſſit præſeruari.

Articulares dolores, qui quinque abhinc annis affligere cœperunt Nob. Iuuenem, plurieſque hoc temporis ſpatio recruduerunt, Arthriticos [a] eſſe exiſtimamus, tum quia plures articulos, modò vnum, modò alium obſederunt cum calore, & dolore, tum quia breui tempore acceſſiones diſparuerunt. De nominibus autem parum eſſe curandum frequenter nos monuit Galen. [b] atque etymologia, & denominatione poſthabita, illi nomini acquieſcendum, quod ſub ſe cauſæ notitiam, euentus præſagium, & rectæ curationis modum cõtinere poteſt; ut, caſu noſtro, conſiderantibus maniſeſtum euadet, & noſtra ratiocinatione palam fiet. Ex humorum autem fluxione [c] ſemper originem duxiſſe, nulli dubium eſſe poteſt; qui non à capite, quia nulla præceſſit eiuſdem querela, ſed à toto ad articulos tranſmiſſi fuerunt, non modò crudi, ſed potiſſimumillioſi, ex libera, ſiue potius ſoluta [d] viuendi ratione, in cibis, & potibus generoſis, niue refrigeratis; necnon à iecoris calida Intemperie, & ventriculi quadã frigiditate progeniti, in vaſis prius coaceruati, & ad ambitum corporis tranſfuſi; at non, vt anteà, ſudoribus expulſi, partim circa viſcera naturalia concluſi, primò ſaturitatem, & nauſeam Pat. induxerunt, ventriculum oblinentes, atque laxantes; mox maiori copia coaceruati, occaſione motus in Rheda [f] agitati, ad articulos, paterna hæreditate inualidos tranſmiſſi fuere, quorum cauitatem, extra vaſa, replendo, ligamentum [g] extendendo, tendines, cæteraſque partes neruoſas vellicando, atque continuum ſoluendo, dolores articulares excitauere; non quidem ſtatim, ſed poſtquam affatim humores

[a] De Aff. 31.

[b] 14. Meth. 9.

[c] 10. per Loc. 2.

[d] 6. de Sa. Tuen. 7.
[e] de Succ. Bon. & Vit. 13.

[f] de Aff. 31 & Paul. 3 de Re Med. 78.
[g] Aet Tet. 3. Ser. 4. Cap. 9.

ad articulos decubuerunt, qui tumores cum multo quidem æſtu, ſed modico tamen rubore, imò potius flaueſcente colore apparuerunt; utpote à bile flaua exuperante, humori crudo immiſta, at ſine puttedine, extuberarunt; atque adeò, ſine putrida febre, licet ex doloribus, ab accenſione ſpirituum, ephemeræ non raro excitentur. Iterum [h] autem, atq; iterum, Vere, [i] & Autumno inualuerunt ex nouo apparatu vtriuſque excrementi, tum ab intemperiebus, tum à praua, & continua victus ratione congeſto; quibus noua commotione opus non fuit, vt ad articulos, poſtremis vicibus, præcipitarentur; quoniam iam primò viæ patentes, & laxę redditæ fuerunt, atque articuli maiorem ſemper imbecillitatem contraxerunt. Hinc patet, Hipp. vulgares illas denominationes Podagræ, Chiragræ, Gonagræ, & alias huiuſmodi, contempſiſſe, & ſolidiori doctrina, dolores omnes articulares, ab humorum fluxione productos, ad quatuor capita [k] redegiſſe, Articularem ſcil. morbum, Podagram, Iſchiadē, & ad Cedmata, ſiue fluidas circa articulos fluxiones, & potiſſimum circa Iſchium, qui à nobis improprius, & illegitimus Iſchiadicus dolor appellari ſolet. Cæteros autem dolores articulares, aut ex [l] ſiccitatibus, aut ex leguminum uſu [m], uel articulorum imbecillitatem, vel dolorem, vel, poſt febres [n] longas, laborem nominare licebit.

h 1 de Diſ. Feb. 11.
i 3. Aph. 20 Gal. in Com.
k 1. de Morb. nu. 3.
l 3. Aph. 26 & Gal.
m 3. Aph. 26.
n 4. Aph. 44.

Vt autem præſeruetur Nob. hic Pat. primò materia iam genita, quę quantitate, modò & qualitate, & motu quinetiam peccare poteſt, euacuanda, alteranda, & aliò diuertenda. Secundò partium mandantium intemperies corrigendæ. Tertiò viæ conſtringendæ, atque exſiccandæ. Et quattò pars recipiens, articuli ſcilicet roborandi.

Quibus intentionibus nos, magna parte, ſatisfacturos ſpetamus, quia ab impotentia deambulandi præſeruari poſſe credimus Pat. ſi [o] liberam emendet viuendi rationem, & Medicis mandatis obtemperet [p]. Sic purgatione, ineunte Vere, peracta [q] Gal. plurimos, ad annos præſeruauit. Et quoniam dempto cruditatum nouo prouentu accommodata victus ratione adhibita, materia calidior permanebit, dolorum inualeſcentium futura, cauſa; ideo prouectior accedens ætas remedio illi eſſe poterit; eſt enim ex illis morbis, qui ætatis mutatione ſanantur. Quare ob ipſo Pat. animati, firma freti fiducia ad præſeruationem accedamus, remedijs Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

o Obſ. 42. de Loc. Aff. 118.
p Aetius.
q Quos, Quibus, & Quando.
r 5. in 6. Epid 6.
ſ 2. per Loc. 2. & Trall. Libr. 11. Cap. 1.

Et in Chirurgico fonte, vena aperiatur Gal. [r] & Trall. exemplo, & quidem iecoraria dextera. Nec hæmorrhoidalis euacuatio ſecundò inutilis fuerit; vbi enim ingens calor, facilis & aduſtio. Cauteria non adeò facilè inurenda, cùm materia peccans potius ad ambitum corporis ſit perducenda, & euacuanda.

Ex Pharmaceutico Lenientia, Præparantia, Purgantia, Alterantia, ſenſibiliter, & inſenſibiliter per ambitum corporis Reſoluentia; ſicque ab articulis Diuertētia, vias Exſiccantia, & articulos Roborantia ſunt depromenda. Leniens verò eſſe poterit manna clarif. cum tart. & melle roſ. ſolut. Vel elect. lenit. cum crem. tart. Primum Præparans ſit oxymel ad ℥ iij. quolibet mane, ſine diluto. Quinque verò exactis diebus, præbeatur leniens præſcriptum, cui ſuperbibat Pat. mulſam dilutam, ex aqua hordei paratam, ad ℔ ii. Inde ad validiora præparantia deueniendum; quæ tamen totum ſpectent, non autem articulos, quorum præſeruationi modò incumbimus, cùm nullam in præſens materiam concludant; alioquin enim materiam potius ad eoſdem perduceremus; parentur itaque ex decoct. cich. borrag. end. acet. hepaticæ, violar. beton. agrim. & abſinth. additis iulap. acet. ſyr. de cich. ſ. de beton. ſ. decem autem ab hac præparatione diebus, ſequatur expurgatio infuſ. rhab. ſennæ, agar. addito ſyr. roſ. ſol. & elect, diacathol. Vel parentur boli ex elect. lenit. diacathol. diaphęn. epota ab his aqua hordeac. aut ſer. capr. præp. ad ℔ ii. vel iij. Et quia totum nondum fuerit omnino expurgatum, ideo exhiberi poterit decoct. epith. Meſ. ſyr. roſ. ſol. miſta, ſuperhauſto ſer. capr. iam dicto, aut aſin. Exhibeatur autē decoctio huiuſmodi tribus vicibus, quarto quoque die; & diebus intermediis, præbeantur ſucci depur. cich. & borrag. ad ℥ iij. in decoct. cich. borrag. end. acet. hepaticæ, & fumariæ. Hoc verò loco plurimi Medicinam facientium ad uſum hermodactylatæ deueniunt, curationem cum præſeruatione confundentes; dum enim materia in articulis non hæret, hermodactylata nihil educere ab articulis, ſed potius perducere ad eoſdem poſſet.

His autem peractis, iecoris feruor erit contemperandus, quod ſuccis iam dictis, aut ſero deſtill. aſinino conſequi poterimus, ſi diureticum paretur, non aliquo alimentali medicamento, qualis eſt emulſ. ſem. melon. ventriculo enim potius noxæ fuerit; ſed aliquo, quod celeriter è ventriculo elabatur; hoc autem poterit eſſe, ſyr. de ſucco lim. vel ſpir. vitr. nec à ſpiritu ſalis abhorrerem; ſed ſpiritus tart. ad ℈ i. in primo cyatho, primum locum obtinebit,

Digitized by Google

bit; exhibeatur autem ſet. ſaltem ad ℔ iii. 15. dies. Mox reliquiæ humorum, tum in vaſis, tum potiſſimum in ſpatijs totius ſunt diſcutiendæ, vel ſenſibiliter, prouocato ſudore; vel ſaltem inſenſibiliter. Hoc autem caſu, pugnant inter ſe duo magna remedia, quorum alterum eſt decoctum cum ſudore, alterum puluis viperinus. Et quidem, hac prima vice, leuius, ac minus moleſtum præferrem, puluerem ſcil. viperinum, quo non ſufficiente, proximè futuro anno, ad alterum accederem.

Puluis autem viperinus exhibeatur cum decoct. iuæ arthrit. cui tantum tribuit Trallian. ſaltem per menſem, quo mane aſſumpto, ſudorem prouocet in lecto, operimentis tantùm; cùm enim ad cutem celeriter ille peruadat, facilè forſan prolicietur, potiſſimum ſi frictiones uniuerſi corporis præcedant, exceptis articulis.

Interim articulorum roboratio adhibenda lutis Thermalibus, potiſſimum aluminoſis, nitroſis, & ferreis; ſulphur enim potius reſoluendi, & emolliendi, quàm roborandi facultate pollet. Vtatur itaque lutis Montis Ægrotorum, ſaltem 15. dies. Reliquo vero tempore, illinantur articuli oleo ex fauo mellis, cum ſpiritu ſalis.

Aliqua quoque conſerua in uſu ſit, quandoque abſinthij, quandoque roſar. imò & ſuccus quoque abſinthii denſatus. Ineunte verò futuro autumno, leuiorem rurſus inſtituat purgationem, à qua, niſi ſudor rurſus ſpontaneus eruperit, ad uſum terebint. cum ſale iuç deueniat Pat. cum decoct. chamæpit, & tandem articulis vinacea, de more, plures dies applicanda.

Victus ratio moderatè quidem attenuetur, ſed ualdè extenuans non ſit. Fames enim c 6. de Sanit. Tu. 11
primò confert pituitoſis, ſed bilioſos ſummoperè lædit; extenuans verò bilioſis inimiciſſima. Loca, Cœlum, Cibus, ſępe mutanda, Celſi conſilio. Vnico verò cibo ſit contentus. Vinum ſantalo medicatum paretur, & niue refrigeratum omittatur. Laboris ſit amans, & ante Cibum, ut monet Hipp. repletis enim inutilis non ſolùm eſt motus, ſed & ualdè noxius; unde Gal. dicebat, *Vere euacua, poſtea ad exercitia, & ſalubrem diætam ægros ducito.* Aluum ſolutam ſeruet crem. tart. ſi non natura. Venus ſit ualdè moderata; non enim articularis dolor eſt ex illis, qui coitu ſedantur, Statim à cibo quælibet applicatio nocet. Et hæc ſatis, præſeruando Nob. huic Pat.

LXVII.

A R T H R I T I S.

EX accuratiſſima hiſtoria à Viro Excellentiſs. ad nos tranſmiſſa, non ſolùm idea morbi, Baronem Illuſtriſs. diuexantis; verùm etiam cauſæ eiuſdem unicuique facilè patefiunt; quinimò & præcipua remedia in eadem propoſita. Noſtrum autem fuerit omnia prolixiori explicatione comprobare, & modum præſcribere, quo Pat. Illuſtriſs. à progreſſiui motus impotentia præſeruari poſſit.

Inſultus itaque dolorum, quolibet anno Baronem Illuſtriſs. confligtãtium, arthriticos hucuſque fuiſſe, nondum verò podagricos aſſerendum, licet pedes obſideant, quoniam breuis temporis fuerunt, citòque ab uno ad alium articulum peruagantes,
& facilè cum acuto dolore, atque rubore; quibus omnibus diſtinxit Hippoc.[a] arthritidem a de Affec. 31.
à podagra, quæ diuturna eſt, ſine rubore, & acuto dolore, adultos, non autem adoleſcentes b Ibid.
inuadens; atque adeò non à ſanguine, à bile, & pituita corrupto, ſed à bile potius, & pituita commotis prouenire cenſendum. Nec quidem à toto, ſed à capite per ſpatia, ut Fernel. ſemper fieri tradidit, materiam ad articulos genuum, & pedum decumbere credēdum; vt præcedens capitis dolor, & grauitas, & facilè eiuſdem calida & valdè humida intemperies atteſtari poterunt, vnde ſomni diuturni. Capiti nihilominus maſſam quoque ſanguineam, & cruditates, & bilioſas ſeroſitates impertire putamus; vitam enim ducit Baro Illuſtriſſimus, conſeruandę ſanitati omnino cōtrariam, dum cibis ſatiatur nec ad labores impiger eſt, ſomnoque nimio indulget; unde neceſſariò cruditates coaceruantur, prout à compotationibus, illis Regionibus conſuetis, ſeroſitates accumulantur, eæque bilioſæ, ob meraci, ac generoſioris uini uſum. Humores autem huiuſmodi in toto redundantes, ad caput

forſan debile tranſmiſſi, vel ab eodem calido attracti, facultate retentrice cedente, ad partes infernas præcipitantur, inter quas articuli cæteris imbecilliores, vel ab ipſo Paterno ſemine, ac proinde humoribus ſuſcipiendis magis idonei ſunt; qui circunſitas neruoſas particulas replentes, & extendentes, continuumque adeò ſoluentes, dolores arthriticos annuos olim excitarunt, atque in præſens potiſſimum excitant.

Eſt equidem hic affectus non ſemel inuadens, & qui magis inueteraſcens, frequentiores habet recidiuas; tandemque tophaceus, ſicque continuus euadit, eòque facilius, ſi fuerit
c 2. Præd.c. 15. hæreditarius, vt caſu noſtro. Nihilominus Hipp.[c] omnibus præſeruationem pollicetur, dummodò nondum tophos contraxerint, Patiens iuuenis ſit, laboris amans, aluum lubricam ſeruet, Medicum nactus ſit intelligentem, & accurata vtatur viuendi ratione. Vnde
d 4. in 6. Epid. 9. Gal.[d] dicebat, turpiſſimum eſſe, Medicum vehementi podagra laborare, hoc eſt, ad motus impotentiam perduci; ſignum enim eſt, aut ignorantiæ, aut incontinentiæ. Et licet inſanabilis nomen adepta fuerit podagra; id tamen, vt notat Tral. contingit, ob Medicorum inſcitiam, cauſam eiuſdem ignorantium; & quia, cum Aretæo, principijs non obſtamus.

Licet itaque Baro Illuſtriſſimus neceſſariò podagram paſſurus ſit; cùm eandem congenitam, & innatam habeat; ne tamen motu priuetur, penes eundem fuerit, ſi præceptis medicis obtemperare voluerit.

Quare nos parti præſeruatiuæ inſiſtemus; eſt enim affectus, qui abſens auxilia medica poſtulat. Totum itaque erit purgandum, deinde caput. Tertiò intemperies tum humida capitis, tum calida iecoris corrigendæ. Quartò fluxio diuertenda ab articulis. Quintò articuli roborandi.

Quibus intentionibus vt ſatisfaciamus, à fonte Chirurgico depromēda ſanguinis miſſio,
e de Sang. Miſſ. 8 & 12. à Gal.[e] commendata, etiam citra plenitudinem; quinimò & à Paulo etiam, in pituitoſioribus, & atrabilaribus. Quare, caſu noſtro, ex vtroque brachio conueniet; cùm habitus corporis ad plethoricum uergat. Cauterium ſiniſtro brachio inuſtum poterit materiam delabentem diuertere, ac deriuare; at quoniam purgatio eradicans, & generoſa proponitur, ſi illud renuat, differri poterit. Reliqua remedia Chirurgica ordine executiuo proponentur.

A Pharmaceutico deſumenda Lenientia, Præparantia, totum, & caput Purgantia, intemperies Corrigentia, & articulos Roborantia.

Leniens eſſe poterit potio ex manna clarif. addita aqua flor. citri; vel elect. lenit. cum tart. Primum præparans, ſine diluto, oxymel ſimpl. ad ℥ iii. additis ʒ iij. crem. tart. & aq. cinnam. cochleari. Quinque verò, aut ſex exactis diebus, præparati humores euacuentur præſcripto medicamento, vt inde efficacior curetur humorum præparatio oxymel. ſimpl. ſyr. de beton. & de iua, in decoct. cichorac. additis beton. calendula, & iua. Septem verò, aut octo exactis diebus, purgentur humores in vaſis iam præparati, potione iam dicta clarificata; addendo infuſioni conſuetæ, rhab. & agar. cum cinnam. integro. Vel bolo, elect. lenit. cum diaphen. & elect. de ſucco roſar. quibus ſuperbibat ſeri capr. depur. aut aq. hordeac. ℔ ii. tribus ſcilicet horis ab aſſumpto medicamento, & duabus aliis à ſero prandeat.

Purgato toto, & caput purgandum; in quem finem, tribus ſaltem vicibus tertio, aut quarto quoque die, præberi poterunt pilul. cochiæ, aur. & aggreg. poſtrema tamen cochiæ, & de hermodact. Diebus autem intermediis, aſſumat ſuccos depur. cich. betonic. & iuæ, ad ℥ iii. in iure cichorac. Per nares quoque expurgabitur, addendo quotidie, ieiuno ventriculo, puluerem ex maiorana, & iride Florent. paratum, inſtar tabaci.

Tertia fuit intentio, intemperies corrigere; ſic vt caput, & muſculorum ſpatia, ſimul cum articulis exſiccentur, ad decoctum cum ſudore in hypocauſto, eſt neceſſariò deueniendum, quod ita parari poterit. ℞. chinæ opt. ſalſæ elect. viſci querc. veri, lentiſci è Chio an. ℥ i. aqu. ſtillat. cich. ℔ i. ſ. beton. iuæ an. ℔ i. m. f. inf. per horas 24. deinde bull. ad conſumpt. dimidij, & colat. ſer. pro tribus diebus, hora ante hypocauſti vſum, aſſumenda. Atque vt facilius ſudor eliciatur, præmitti poterit bol. ex ℈ ſ. pulu. viper. & ℈ i. cornu C. philoſoph. In cuius remedij vſu perſiſtat ad 40. dies, & decimo quoque die præbenda erit potio ex manna clarif. ad ℥ vi. Victus interim erit quidem attenuans; at non adeò tenuis, prorſus abſque vino; atque aqua ſecunda, potus conſueti loco, ita paranda. ℞. reſiduum, aquę fontis ℔ xii. m. bull. ad conſumpt. tertiæ, & in fine ebull. adde cinnam. integ.

Google

ſeg.ʒ ſl.bull.parum, & in eadem adhuc calente diſſoluantur ſacch.fini ℥ iij.ſeu ad arbitrium Illuſtriſs. Patientis bibatur.

Iecori quoque aliqua refrigeratio erit hoc tempore concilianda, & quidem ſucco cich. depur.ad ℥ iij.in iure cich. alterato, quotidie, xv. uel xx.dies.

Poſtrema intentio fuit, articulos roborare, quod præſtare poterit ſpiritus ſalis, quo uola manus inuncta, frequenter articuli fricentur. Ad validiora verò roborantia progredi non licet, ſine [f] vitæ diſcrimine Baronis Illuſtriſs. f 2. de Nat. Human. 5.

Verùm quoniam impoſſibilis fuerit tam rigida, atque diuturna continentia, quin in Illuſtriſsimo Viro excrementa, licet pauciora producantur; ideo præſeruatiuum modum, ferè tutum proponimus, vinum ſcilicet medicatum ſolutiuum, quod bis anno aſſumi debet ad 40. dies, Vere nimirum, & Autumno, primis Martij diebus, uſque ad dimidium Aprilis, & Auguſti poſtremis, totoque Septembri. Primus itaque cyathus, ad prandium, & cœnam, ſit huius vini, reliquum ſit conſuetum, non medicatum.

Deſcriptio autem eiuſdem talis eſt. ℞. chinæ optimæ, lentiſci è chio, uiſci querc.veri. ligni ror.mar.an.℥ i.baccar.iunip.m.i.hermodactylor.℥ iv.fol.ſennæ mundat.℥ v. turbith ℥ ii. radic.polyp.℥ iij. cinnam.integ. zinzib. an.ʒ ii. Vini conſueti ad menſam ſitulam j. m. omnia in doliolo, & poſt tres dies, in uſum ueniat, vt ſupra; quo exhauſto, repetatur infuſio,ut ſufficiat pro 40.diebus,mane, & veſperi.

Congrua autem uictus ratio eſt his addenda, quæ cùm diuturno tempore obſeruari debeat, non adeò rigida erit præſcribenda. Quare pauciora, & potiſſima attingamus.

Et primò quidem omnis ambientis exuperantia, tum caloris,tum frigoris repentina erit vitanda; in omnibus enim plurimùm, [g] atque derepentè calefacere, vel refrigerare periculoſum; quod verò paulatim fit, tutum eſt. g 2. Aph. 51.

Secundò circa alimenta, omnino vitandæ ſunt carnes annoſæ, pingues, paludoſæ, extrema animalium. Piſces glutinoſi, & ſquamis carentes, conchilia omnia, & oſtreacea. Caſeus, potiſſimum vetus, Lagana omnia; pariter quælibet legumina,præter oryzam, & hordeum. Frequens, & immodicus fructuum uſus, tubera terræ, fungi. Vitetur condimentum ſuillæ pinguedinis aromatum pulueriz.allij.& cæparum. Vinum non ſit album, tenuis ſubſtantiæ, non dulce; pareturque medicatum ligno lentiſco, & ſantalo, ad ℥ ii. pro qualibet ſitula, etenim nullo ingrato ſapore moleſtum eſt. A cibo ſtatim deglutiat duo, aut tria integra grana maſtiches.

Tertiò ſomnus ſit moderatus, ſed nocturnus, ut coctiones perficiantur, & cruditates arceantur, non tamen diuturnior æquo, ut excrementa commota attenuentur, & inſenſibiliter digerantur.

Quartò exercitium omnino neceſſarium;dicebat enim Aetius,quod ingruit affectus iſte, ex intermiſſis exercitiis, & liberiori victus ratione. Et Paulus præſeruationem promittit, ciborum detractione, & exercitio.

Quintò Aluus lubrica ſeruanda, alimentis, aut leui aliquo familiari medicamento, ut pil. maſtic. aut ex aloe, pauca doſi. Nullo modò verò omittat uſum uini deiectorij, ſupra deſcripti, bis anno, præmiſſa tantùm potione ex manna clarif. abſque vlla alia corporis expurgatione. Venus ſummoperè lædit, cum Podagra ſit Bacchi, & Veneris filia, pauperibus inimica.

Tandem alacri animo uiuat, & ſodalitiis, ſed non compotationibus, aut comeſſationibus det operam. Quæ omnia Viro Illuſtriſs.à D. O. M. ſalutaria precamur.

D O.

LXVIII.

DOLORES ARTICVLARES, MACIES, & alij Affectus.

INter morbos, atque ſymptomata, quæ Ducem Sereniſs. infeſtant, alia vt principalia, alia verò ut ſuperuenientia à nobis conſideranda. Principalia autem erunt imminuta, ac tarda concoctio, hypochondriaca affectio, Articulares dolores, Vrinæ exuberantes, ſiue earum profluuium, Macies totius, & Renum affectio morboſa. Cætera omnia ſuperuenientia, & conſequentia ſunt.

Et primò quidem imminuta, ac tarda ventriculi concoctio, ab imbecillitate natiui caloris, cum frigiditate poſitiua Viro Sereniſs. ingenita eſt, concurrente forſan & naturali tunicarum mala conformatione; ſicut enim concoctio à natiuo [a] calore perficitur, ita ad eiuſdem perfectionem non parum conducit ventriculi ſubſtantia [b] benè comparata, atque carnoſa; ut propterea alibi [c] Gal. aſſeruerit, tenuitatem tunicarum ventriculi, calidum innatum exoluendo, quammaximè coctionibus officere; vnde fruſtula carnis, poſt diem quinetiam naturalem ferè immutata eiecta, nõ parùm ad id conſpirantibus rudi, ac imperfecta in ore ciborum attritione, necnon circunſtantium uiſcerum naturalium [d] feruore, priuatiuè natiuum ventriculi calidum adhuc magis labefactante.

a 4. in 6. Epid. 14.
b 2. Aph. Com. 15.
c 1. de Vit. Rat. 22.
d. 1. de loc. Aff. 4.

Hinc potiſſimum originem habuere cruditates, meſẽtericas, & lacteas venas ſimul cũ caua iecoris obſtruentes, quæ caloris natiui viſcerum naturalium motũ, & ventilationem intercipientes, iecur ipſum, forſan natura non adeò calidum, accenderunt quammaximè, à quo iam bilis copioſus prouentus, non modò flauæ, ſed porraceæ quoque, atque æruginoſæ. Quæ bilis ſpecies, & ſitim, & oris amaritudinem excitarunt, uomitu iam reiectæ, abſque tamen cholidochi uaſis mala compoſitione, quia multo tempore iam ab acidularum uſu hic ſedatus eſt; mox tantùm ſemel per hebdomadam recurrit, nec in præſens adeò bilioſus ualdè infeſtat.

Interim caput natura ſatis humidum, ut ex longo ſomno coniicere poſſumus, à uentriculo ſuſcipit calidas euaporationes, continuum ſoluentes, ac dolorem inducentes. Verùm calor in obſtructiones huiuſmodi agens, continuò ab iiſdem iam exſiccatis exhalationes potius, quàm uapores exſuſcitat, quæ erumpere tentantes, nec adeò facilè (quia craſſæ, & fuliginoſæ) id conſequentes, in abdomine rugitus ſæpè copioſos excitauerunt, & quandoque eructationes, hypochondriacæ affectionis ſymptomata, accedentibus potiſſimum pryaliſmo, & ex ſiccitate aluo adſtricta; quæ omnia ingraueſcunt, dum Patiens Sereniſs. rebus arduis incumbit, melancholici affectus (licet in hiſtoria non enarrati) indicio, à quartana quoque præterita confirmati, necnon à cordis palpitatione, affectu ſoporoſo, viſus imbecillitate, & memoriæ labe, omnibus autumnali tempore apparentibus, & breui diſparentibus.

Quoniam verò cruditatum quotidiana procreatio, ab hypochondriorum calore, coctionibus improportionato cõtinuo fouetur; ideo ad hepar, inde ad uaſa totius deductæ, ab eiuſdem feruore modò quotidiè liquantur, & in copioſam ſeroſitatem tranſmutantur; hinc ſanguis adeò ſeroſus obſeruatus, ex quo uix carnoſa, minùs uerò adipoſa ſubſtantia produci potuit; unde nutritio imminuta, deprauata quoque futura, niſi exulcerantes ſeroſitates quoque quotidie urinæ profluuio educerentur; & ſicuti nondum ad diabeticam diſpoſitionem perueniſſe credendum, cùm de celeri [e] ſeroſitatum effluxu liquamento urinis ſupernatante, nec de inextinguibili ſiti mentio ſit; ita ad eandem delabi poſſe, metuendum eſt, humorum enim colliquatio hucuſque adeſt, & renum imbecillitas ab ineunte ætate fuit obſeruata. Supereſt autem, ut eadem colliquatio ad adipem, & carnes diffundatur, & in renibus, cæteriſque partibus uiolenta, & perennis attractio ſuctione inducatur, Diabeticæ affectioni conſtituendæ.

e 4. de Loc. Aff. 3.

Nec mirum, in tanta humiditatum colluuie, portionem aliquam ab arteriis ad articulos, tanquam ad ignobiliores partes fuiſſe à natura detruſam, quæ articulares dolores

exci-

excitauerit, ſicut & fieri quoque potuit, quod ab humido capite pituita tenuis per occiput, & muſculorum interſtitia ad articulos decubuerit, non enim tophacei, vt ex enarratis patet, redditi ſunt.

De renum verò affectione, ex relatis nil certi decerni poteſt, niſi ex ſuppoſitis referenti credatur, adeſſe calculum in rene ſiniſtro; etenim quod dolor grauis in rene percipiatur, quod que poſt exercitium cruenta excernatur vrina, renum tum imbecillitati, tum laxitati tribui poteſt, potiſſimum verò ſanguine tenui, ſeroſo, & acri exiſtenre, qui facilè, actimonia irritante, vaſorum orificia recludere, & tenuitate eadem peruadere poteſt. Quare certiores huius nos facere potuiſſent, antehac, arenoſa in vrinis f ſubſidentia, calculus alter antea excretus, cum nephriticis cruciatibus; in præſens verò anatrope illa, & ventriculi ſubuerſio, à diaphragmate orta, intenſio doloris ab aſſumpto cibo, ſtupor femoris è regione poſiti, omnia ab Hipp. g graui dolori, & mictioni cruentæ addita; præterquamquod grandiori lapide concreto, ſequitur vt plurimùm teſticuli retractio, lumborum dolor, ad coſtas uſque pertingens, dorſum ægrè incuruatur, decubitus, qui poſſit renem comprimere, incommodus, gracileſcunt tandem, & febriculæ accedunt. Quare huius rei iudicio ſuperſedemus.

f 2 de Nat. Hum. 18.

g 1. in 6. Epid. 6.

Vt autem Patiens Sereniſs. ab Atrophia, & Tabe; aut Cachexia, & Hydrope præſeruetur, & hiſce morbis minus torqueatur, omnia tentanda, quæ tolerantiam cum conferentia coniunctam habeant.

Totum itaque, recto ordine, per partes, leuioribus euacuãdum; cruditatum reproductio, quoad fieri poterit, intercipienda, idque congrua victus ratione, & ventriculi corroboratione; cauſa colliquans auferenda, hypochondriorum, & Iecoris contemperatione; cui non parum conducere poterit obſtructionum reſeratio, aperientibus moderatis, non diureticis, & tandem renibus aliquod robur conciliandum, aduerſus arthritidem parum, aut nihil molientes, cùm fiat per modum decubitus ab irritata natura; prout & ſeroſitatis ad cutem diuerſionem parum profuturam credendum, ob virium iacturam ex ſpirituum reſolutione; & ideo tutior, & facilior ad aluum futura eſt. Quibus Intentionibus vt ſatisfiat.

Ex Chirurgico primò fonte parca aliqua ex hæmorrhoidibus ſanguinis miſſio deſumenda, hypochondriis, hepati, & renibus vtilis futura. Et licet facilis reſolutionis ſit Sereniſs. Dux, vt ex ſcammoneatis exhibitis obſeruari potuit, ex hac paulatim facta ſanguinis euacuatione ab ignobili loco, ſine ſpirituum diſſipatione, multò minor, aut nulla reſolutio metuenda. Cauterium in coxa dextra, ſeroſitatibus educendis idoneum eſſe poterit. Expurgatione ſecuta, ventriculo ſtillicidium erit accommodariſſimum, ex oleo amygdal. & maſtich. cum uino generoſo, non tamen Cretico, in quo ſolùm abſinthium, & nux myriſtica ebullierint, cauendo ab aromatibus, & nimis exſiccantibus, vt ventriculi calor innatus foueatur, nec humidum eiuſdem fomes abſumatur. Balneum opportuno tempore, ex aqua dulci conuenire poterit; ſed vix tepidum, ne alioquin maciem augeat, &, ſpiritibus reſolutis, animi deliquium inducat. Statim tamen à balneo illinantur renes vng. roſ. Meſ. & ſantal. miſtis. Sic totum abdomen continuò quotidie illinite vng. roſ. Meſ. quammaximè proderit.

Ex Pharmaceutico deſumenda Lenientia, Præparantia, Expurgantia, Aperientia, Intemperies Corrigentia, ad aluum Diuertentia, & gracilitatem, ſeu atrophiam Prohibentia. Lenientia eſſe poterunt caſſia, cum lenit. & tart. vel ſyr. roſ. ſolut. clarif. cum manna clarif. & pauca aqua cinnam. Præparantia prima ſint mel. roſ. ſimpl. cum inf. o. acet. cort. citri aromat. & cinnam. ſed ſine diluto, quinque dies. Mox reperatur præſcriptum medicamentum exhibito ab eo iure hordeo alterato. Aperientia, me iudice, eſſe poterunt ſuccus, cichor. depur. ad ℥ iii. in decoct. cichor. borrag. end. ſonci, & agrim. in qua diſſoluantur quoque tartari uitriolati gr. x. Sequenti verò die aſſumat bolos duos, paratos ex ℈ i. rhab. cum elect. lenit. q. ſ. quatuor horis ante cibum, epoto ab iis, hora poſt, iuſculo end. aut cichor. alterato, his alternatis ſaltem ad xv. dies; quibus tranſactis, ſi euacuatione opus fuerit, præbeatur caſſia, cum pil. de trib. cum rhab. uel infuſ. rhab. cum ſyr. roſ. ſol. exhibito ab his ſero aſin. aut caprin. depur.

Interim ventriculi cura habenda, pro cuius interna corroboratione, hoc caſu, medicamenta ſemper à cibo ſtatim aſſumenda. Sic poſtrema menſa, aliquando duo, aut tria grana maſtic. deglutiat, quandoque ℈ j. abſinthii condenſ. Interdum gran. x. ſalis eiuſdem, aut menthæ, uel hauſtum aquæ cinnam. ducat, & à cœna nonnunquam cochlear aquæ theriacalis.

Iecoris verò feruori contemperando, ac toti inſtaurando vſus lactis aſinini, aliàs etiam adhibitus, præſtantiſſimus fuerit, tantùm enim abeſt, ut obſtructiones adaugeat, quin potius ſuperſtites, & exſiccatas obterere poterit, citra ullam renum offenſam; pro præſeruatione ſiquidem à renali calculo, illud exhibuit Aetius[h]. Atque hoc tempore diuerſio ſeroſæ materiæ ad aluum tentari poterit, adhibitis frequenter gr. xii. aut xv. extr. mechoac. cum lenit. bolos duos reformando, duabus horis ante prandium, aut cœnam exhibendos.

h Tetr. 3. Ser. 3. Cap. 8.

Tandem licet internorum medicamentorum vſus, in renibus, difficultatibus non careat, poterit tamen innoxiè aliquot dies, matutino tempore, exhiberi cyathus aquæ deſtil. ex tenerrimis quercus foliis, cum guttulis tincturæ corallorum chymicè extr. non omiſſo externo illitu, aut præſcriptis vnguentis, aut oleis, roſ. myrtino, nenuph. & de plumbo. Quę tamen omnia adſtringentia, & renes roborantia, tum interna, tum externa, locum non habebunt ſi conſtiterit de calculo renibus impacto.

Victus ratio medicis intentionibus reſpondeat, circa quam aliqua tantùm notatu digna indicabo. Aeri nocturno non ſe exponat Sereniſs. Patiens, & crepuſculum vtrumque fugiat. Cibus nec tenuis ſit, nec attenuans, ſed in vtroque mediocris. Pulli nutriantur carne viperina, & ex iure eiuſdem parentur pultes, iiſdem alendis. Pro potu uinum Moſellanum paulatim dimittatur, ſicuti omnia alia uina alba; eorum enim tenuitas, & vis aperiens ſecum ducit alimenta adhuc cruda ad venas, & colliquata ad renes ipſos, nec adeò ventriculum roborant, ut vina rubra. Pariter omittenda aqua cinnam. & ſi opus fuerit, uino aquæ aliqua portio infundatur, cortice citri potius alteratæ. Et licet vinum Moſellanum conſuetum ſit, mutatio tamen eius omnino neceſſaria eſt; id itaque paulatim fiat. Dormiat, quantum fieri poteſt, in latus ſanum. Moderatè ſe exerceat, equitatione omiſſa. Iter autem faciat breue, in Rheda, longum in lectica. In Cęlibatu perſiſtat, & quoad fieri poteſt, alacri uiuat animo.

LXIX.

ARTHRITIS, ET ALII AFFECTVS.

a 6. de Sanit. Tu. 7.

INtemperantes, vitamque liberam ducentes, in diutinos morbos facilè incidunt, à quibus tota vita ſeſe explicare nequeunt, dicebat *Gal.*[a] cuiuſmodi ſunt Arthritis, Nephritis, melancholici affectus, & huiuſmodi alij. Vnde mirum non ſit, ſi Illuſtriſs. Comes, tot annis caſtra ſecutus, totque incommoda paſſus, partium principalium non ſolùm, ſed & inſeruientium quoque intemperiem fuerit adeptus, & in totius corporis laſſitudinem, atq; imbecillitatem prolapſus; adeò ut cruditates à ventriculo emanantes, modò in flatus conuerſæ, Colicos quandoque dolores; modò ad renes delatæ, ibidemque arefactæ, arenulas, & tophacea corpuſcula produxerint, atque tandem, biliosis excrementis à feruidiore iecore genitis immiſtę maſſam ſanguineam impuram, atque cacochymam reddiderint; unde frequentes febres, decubitus ad partes inferiores, & præſertim ad coxam ſiniſtram, cruſque ſubiectum; quinimò, conſpirante quoq; capitis deſtillatione per ſpatia, ſubiectas ferè omnes partes madefaciente, uniuerſales prope dolores, muſculorum quidem, ſed potiſſimum articulorum, ſimulque perennes totius laſſitudines inde originē duxerunt, quæ dū inualeſcunt, febrem comitem habent, cùm non à ſolo capite, ſed multò magis à toto prauis humiditatibus ſcatente procedant; à quibus dum natura exonerare ſe tentat, ſubiectam imbecilliorem partē, crus nimirum frequenter in tumorem attulit. Iam dictas autem intemperies omnes cum articulorum imbecillitate, tum inducere, tum fouere potuerſit præteriti labores immodici, equitationes[b], praui, & copioſi potus, multi, & mali cibi, externæ læſiones, curæ, vigiliæ, intemperata Venus, quamuis à naturæ primordijs contractæ non fuerint.

b De Aere, Aquis, & Loc.

Neque mirandum, hucuſque Virum Illuſtriſs. à ſtatu huiuſmodi valetudinario ſeſe expedire non potuiſſe; ſiquidem nondum audio generoſiora adhibita fuiſſe remedia, nec forſan liberam vitam adhuc dimiſit, congruæque viuendi rationi ſe tradidit. Quæ duo iam dicta omnino neceſſaria exiſtimo, alioquin tumores articulos occupabunt, qui tophaceam tan-

dem

dem naturam adepti, Virum Illuſtriſs. ad motus impotentiam perducere poſſent. Præterquamquod calculorum procreatio frequentior euaderet, ſæpiuſque inuaderent febres, quibus tandem malus corporis habitus ſuccedere poſſet.

Vt igitur à præſentibus moleſtiis uindicetur, & ab imminentibus præſeruetur Illuſtriſs. Comes, Medici intentiones eſſe debent, primas vias mundare, ſanguinem depurare, Ventriculi, & Capitis humidam intemperiem corrigere, mox iecoris feruorem contemperare, ſpatia exſiccare, atque tandem iam dictas partes ſimul cum articulis roborare.

Quibus explendis intentionibus, plura hucuſq; exiſtimo adminiſtrata fuiſſe remedia, iuſtã ſcil. ſanguinis eductionem, & primarum uiarum expiationem, ac forſan etiam totius expurgationem; quæ ſi peracta non fuerint, iteratis purgationibus perficiantur, diebus intermediis, ſuccis herbar. depur. exhibitis. Interim tamen Aqu. Tettucianæ, à Viro præſtantiſs. propoſitæ mihi magnoperè arrident, ſtatim offerendæ, etiam ante ſuccorum, atque electiuè purgantium uſum, vt inde ad humidam partium intemperiem corrigendam, & ſpatia muſculorum, & articulorum exſiccanda deueniatur, decocto ſudorifico ex Guaiaci medulla, Ligno Lentiſc. Viſco Querc. & Salſa parato, facta infuſ. in Aq. ſtillat. Cich. End. Beton. præmiſſo puluere Viper. vt qui valeat ſudorem facilè prouocare, & humores in ambitu corporis, atque in articulis hærentes, laſſitudinis cauſam, attenuare, atque diſcutere. Sudori autem in hypocauſto proliciendo vltra 30. dies inſiſtendum, & niſi ambientis calor vrgeat, vſque ad 40.

Terminato ſudore, aperiri poterit iecoraria ſiniſtra, ad uentilandum ſanguinis calorem, & ſtatim quotidie ſummo mane Aq. ſtill. de ſucco Cich. cum Syr. de ſucco Lim. cyathus erit propinandus; quouſque ad thermales aquas B. V. aſſumendas Pat. perducatur; quæ cùm cæteris acidulis temperatiores ſint, ideo nec Ventriculo infenſæ ſunt, cùm ferro careant, ſed pauci ſalis participes ſint; nec caput tentent, quia minimum ſulphuris habent, & viſcera, reneſque mundando roborent, ob aluminis copiam; atque adeò experientia obſeruatum eſt, has Podagram, aut articulares dolores non excitare, ſicut reliquæ acidulæ facilè ſolent.

Poſt hæc, Ventriculo, ex abundanti tamen, robur aliquod addi poterit, ſi ab aſſumpto cibo, duo, aut tria grana Maſtiches integra deuoret, aut Salem Abſinth. exiguo vino diſſolutum bibat.

Quoniam verò intemperies diuturno tempore contractę fuerunt, diuturno quoq; egent, vt corrigantur, ne noua ex iiſdem ſoboleſcant excrementa; ideo Vinum conſuetum pro menſa, medicatum parandum eſſe exiſtimo; medicamentum enim in cibo valdè bonum, dicebat Hipp. Quare in vnaquaque vini ſitula infundantur ℥ iii. ligni Roriſmar. Lentiſci è Chio, & Santal. hæc enim ligna nullum inſuauem ſaporem, aut odorem eidem conciliare poterunt.

Quibus omnibus congrua omnino addatur viuendi ratio, adeò vt, præſertim poſt ſudorem, corpus diu, noctuque veſtibus, & ſtragulis munitum ſeruet. Aerem frigidum, atque ventoſum euiter. Alimentis boni ſucci, facilis coctionis, & exigui excrementi veſcatur, atque corpus renutriat. Parca ſit cœna, nam dimidium cibi, & potus conſueti circumcidendum eſſe iubet Fernelius. Nocturnus ſomnus diuturnus ſit, breuis verò diurnus. Corpus exerceat ieiuno ventriculo; labores enim ante cibum præcipiebat Hipp.[d] ſemel Menſe pilulam Maſtich. cum granis Magiſt. Mechoac. in uſum ducat. A coitu omnino abſtineat, nã Venus extremè lædit, ſicuti & omnis voluptas, dicebat Aetius. Articulis robur concilietur, inunctionibus frequenter factis, manibus calidis, ſpiritu ſalis inunctis. Atque tandem amicorum conſortio fruatur, at ſine compotationibus, & comeſſationibus; & alacri animo viuat.

c Fernel.

d 4. in 6. Epid. tx. 1

LXX.

ARTHRITIS, ET HYSTERICÆ Paſſiones.

a 5. Aph. 58.

MVlierem hanc Nobiliſs. tum in uterinas præfocationes, tum in podagricos dolores incidiſſe, mirum non eſt, menſtruis deficientibus; quo caſu, ex vtero morbos contingere dicebat Hipp. a rariſſimè namque incolumes degere poſſunt mulieres huiuſmodi.

Vterinæ autem præfocationis duæ ſunt potiſſimæ cauſæ, menſtruus ſanguis, & ſemen; quibus tertiã addidit Fernel. ſanioſam ſcil. materiam in utero corruptam. Sanguinem verò menſtruum huius iam auctorem fuiſſe, nemini dubium; ſuppreſſus enim, præ multitudine, reſiliebat in cor, & ſeptum, & ab utero vapores corrupti, & venefici per venas eleuabantur, & lipothymiam, ac forſan etiam ſyncopen uterinam inducebant, à qua liberabatur, pituita ad os uteri defluente, ut monuit Hipp. b

b 1. de Morb. Mul. 16.

Dubium autem eſt, cùm iam, recurrentibus menſtruis, rariſſimè hyſtericis affectionibus capiatur Matrona Illuſtriſs. num à ſemine corrupto modò hæ proueniant, an potiùs ab iiſdem menſtruis adhucnum imminutè profluentibus, quod mihi veriſimilius videtur; à ſemine namque vehementiores contingunt uterinæ præfocationes, omnium conſenſu; cùm tamen in præſentiarum, tum leuiores, tum rariores fiant; ſed prætereà non raro cum Viro concumbit. Verùm de hac ſatis. Ad dolores progrediamur, qui podagrici, gonagrici, & tandem chiragrici appellari poſſunt; quia tamen plures articulos implicant, melius dolores articulares nuncupabimus; ab initio autẽ podagrici propriè dicendi erant, quia à menſtruis ſuppreſſis ortũ habuerunt, ex ſanguine ſc. à bile, & pituita corrupto, per arterias ad articulos adeò confertim, & copioſè trãſmiſſo, ut & tibiam, & coxam, cum pede, ędematoſo tumore affecerint. Quoniam verò, prodeuntibus menſtruis, adhucnum tamen perdurant dolores, cũ leuibus tumoribus, & multò minori fluxione, hos propriè articulares potius, quàm podagricos dicamus; qui non à ſanguine per vaſa, à bile, & pituita corrupto; ſed à bile, & pituita commotis, per ſpatia potius, quàm per arterias ad articulos tranſmiſſis, modò ortũ ducunt; quam diſtinctionem non adeò cognouit Gal. qui ſemper omnes huiuſmodi dolores, à ſucco crudo per vaſa ad articulos transfuſo fieri exiſtimauit; quam doctrinam pauci ex Antiquioribus, paucíſsimi verò ex Recentioribus cognouerunt, cùm tamen ſit ipſius Hipp. de Aff. n. 31. & 32. vnde Fernel. ſuam argutè deſumpſit opinionem, quæ ſicut in doloribus articularibus vera eſt, ita falſa in podagricis.

Hac facta conſideratione, ſoluitur obiurgatio, præter rationem Hippocrati impoſita, dum ſcribit, Mulierem podagra non laborare, niſi menſtrua defecerint. De vera ſiquidem podagra ab arterijs perpetuò verùm eſt; non autem de articularibus doloribus, qui à tenui pituita, bile commiſta, à capite intemperato tranſmiſſa, ut in Nob. hac Muliere, prouenire ſolent; quæ deſtillatio à pulmonibus olim ſuſcepta, anhelandi difficultatem inferens, modò ad articulos conuerſa eſt. Atque hinc quoque patebit cauſa, ob quam etiam prodeuntibus menſibus, in Nob. hac Pat. nihilominus articulares inuadant dolores. Verùm quoniam portio aliqua illius glutinoſi ſucci, in ſanguine ab imminutis menſibus ſuperſtitis, à ventriculo producti, & à iecore craſsioris redditi, ad renes per emulgentes aliquando tranſmittitur, mala in iiſdem renibus cõformatione, cũ igneo calore præſente, in arenulas, indeq; in calculos ideo cõuertitur; gemelli namq; podagricus, & nephriticus dolor eſſe solẽt.

c 10. per Loc. 2.

Sunt quidem ambo affectus moleſtiſsimi; vterinam tamen præfocationem, ſperare iuuat, breui ſanandam. Dolores autem articulares poſsunt retundi; & eorum incrementum inhiberi, ut præſeruetur Pat. ab impotentia pedum, vel manuum. etenim tophi nondum concreuerunt; quo caſu, ex Galeno c, articulum ad priſtinum ſtatum reſtitui poſſe, nunquam ſperandum; imò ego forſan perfectam ſanitatem eidem polliceri non dubitarem, ſi Patiens obtemperans eſſe voluerit, Hipp. nixus fundamento, quo & ego iandiù, tum podagricus, tum arthriticus, ſanitati omnino meipſum reſtitui. Habet autem Hipp. d hæc ſo-

d 2. Prædic. 15.

lemnia

lemnia verba. *De Podagricis autem hoc dico: ſi tophi non fuerint, Patiens ſenex non ſit, Ventrem apertum detineat, & ærumnosè non viuat, vtique arte ſanari poterit.*

Et quoniam podagra inſanabilis nomen adepta eſt, ob imperitiam medicorum eiuſdem cauſam veram ignorantium, ut Trall. viſum eſt; ideo curatio cautè aggredienda, totum euacuando, partes mandantes exſiccando, materiam in articulis concluſam diſſoluendo, & partes recipientes roborando.

Pro totius expurgatione, ſanguinis miſſio ex brachio illæſo accommodata erit, ut placuit etiam Celſo, imò & cæteris Medicinæ Principibus; ſed fiat id medio tempore inter menſtruas purgationes. Cauteria foueantur.

Primis viis expiandis, & ſanguini defæcando, medicamenta, vt Excellentiſs. Viro quam notiſſima omitto. Capiti poſtea ſuccurrendum, naſariis, paratis ex pulu. ireos, & maioranæ an. à maſticatorijs omnino abſtinendo; pilul. inde capitalibus repetitis expurgandum fuerit, coch. aureis, & maſtic. aliquo ſemper humectante poſt purgantia exhibito; quale fuerit ius hord. vel aq. hord. vel ſer. depur. Diebus verò intermediis, ſucci præbendi depur. ex cich. & borrag. mox ad vſum hermodact. repetitū deueniendum; ut tandem per 40. dies, ad uſum terebint. Venet. ad ʒ i. vel ℈ ij. progrediatur cum ſale artemiſiæ, & iuæ, ad gr. x. cui ſuperbibat ius alteratum chamępit. hoc eſt, eadem iua.

Topica verò cautè apponenda, ſæpè namque affectum confirmant; præſenti verò caſu, admirabilis erit hæc inunctio. ℞. adipis anſeris puriſs. vulgo dictum (Deſtrutto d'Occa) ℥ ij. pingu. Cati ℥ i. ſalis ʒ iij. aq. vitæ iunip. ℥ i. m. bul. ad conſumpt. aq. vitæ, & illinantur partes. Vinum medicatum parari debebit ex viſco querc. lentiſco, & ſantalo, tota hyeme, ad menſam exhibendum.

Quæ hoc tempore uſurpanda. Et quia pars mandans, caput ſcil. exſiccandum eſt, & partes recipientes roborandæ, hoc tutius præſtabitur Vere proximo, tum decocto, tum ſudoribus in hypocauſto, & Thermalibus lutis; quo tempore etiam de iecore, & renibus refrigerandis cogitandum fuerit.

Quæ omnia licet accommodata, & optima; irrita tamen, & fruſtrà fuerint, ſine congrua victus ratione.

LXXI.

DOLORES ARTHRITICI, & Podagrici.

EXactiſſima quidem, ac disertiſſima ad me peruenit ſtatus præteriti, ac præſentis Eminentiſſimi Principis delineatio, doloribus arthriticis, atque Podagricis, necnon hypochondriacis affectionibus obnoxii, à quibus, ſumma cum prudentia, ac dexteritate, à Viro Excellentiſſimo Adſtante tandem fuit vindicatus, nec profectò uulgari induſtria, atq; ſolertia, in utroque affectu expugnando, & potiſſimum hypochondriaco curando; qui licet ab ea fluxione, non modò tenui, & ſeroſa, à iecore, & toto; verùm & cruda, ac pituitoſa, à capite, & ventriculo, arthritidem excitante, augmentum ſuſceperint; nihilominus in contemperantium medicamentorum vſu ſeſe continuit, & non obſtantibus doloribus, atque torminibus, ab exhalationibus potius, quàm à vaporibus excitatis, à calidioribus reſoluentibus abſtinendum eſſe cognouit. Quod verò magnifaciendum, eſt, Virum eundem Excellentiſs. vires affectuum, & artis callentem, curationem ideò non eradicatiuam, ſed minoratiuam, & præſeruationem poſſibilem, atque facilem, non autem impoſſibilem, atq; tædioſam propoſuiſſe, cui & ego libentiſsimè ſubſcribo, vèl ipſa ratione coactus; quandoquidem, cùm præcedentes excrementitios humores iam regenitos ſupponamus, ratio docet, ut antequam euadant cauſa coniuncta malorum, è corpore educantur, ut in eundem finem tandem aliquod familiare medicamentum inſtituatur, per interualla exhibendum, quod tutò, & iucundè hoc idem præſtare valeat; non enim tempus permittit, ut de intemperiebus corrigendis cogitemus.

Quare ex venis ſedalibus ſanguinis eductionem laudo, brachij vena, hoc anni tempore, intacta, maximè verò ob cubitorum tumores ſuperſtites. Cauterium in coxa dextera ualdè conferre poterit.

Potionem præſcriptam probo, & alterantia iura, cichoraceis alterata; quibus addi poterit ſemiſcrupulus tart. vitriol. ſecundo verò loco conueniet potio ex man. clariſ. addendo infuſ. conſuetæ rhab. & modicum agar. cui ſuperbibat Emin. Dominus, tribus exactis horis, ℥ ii. aut ſeri dep. aut aquę Nocerianæ. Regione abdominis expiata, libenter per vrinæ vias, totum ſanguinem, tum à ſeroſitatibus, tum à crudis ſuccis expurgarem, ſuaui aliquo diuretico, pluribus diebus uſurpato, quale eſſe poſſet, ſpiritus tartari perfectè rectificatus, in iure pullæ chamæpit. alterato; cuius operatio felicior euadet, ſi potioni præmittatur bolus ex tereb. noſtra, cum ſale ſuæ, & agrimon. reformatus, niſi calor hypochondriorum ab eo efferueſcat; tunc enim & iuri malua, ac ſemina melon. & bolo ſuccus cichor. depur. immiſceri poſſent. Nec deerit Viro Eximio modus, quo tolerantiam, & conferentiam ſimul cõiungat. Quoniam verò, ſicut in hypochondriacis omnibus, ita in Eminentiſſ. Domino iugiter excrementa, tum gigni, tum aceruari ſolent; ideo bis, aut ſemel ſaltem Menſe, aliquo familiari medicamento minui, & è corpore educi debent; quale eſſe poterit magiſt. mechoac. paratum apud nos. Præbetur autem ad ℈ i. cum ʒ ii. elect. lenit. purgat enim placidiſſimè ſeroſitates, fluxionum vehicula, abſque vlla ventriculi noxa. Ad contemperandum autem iecoris, & hypochondriorum æſtum, prima menſa, bibat ius, Endiuia, & borrag. alteratum, hyemali tempore. A cibo aliquod ventriculum corroborans deglutiat, ut duo, aut tria integra grana maſtic. vel pil. i. ex ſcrupulo ſucci abſinthij condenſ. Atque vinum paretur, lentiſco. & ſantalo medicatum: niſi obſtiterit meſenterij, & hypochondriorum ſiccitas. Quæ optatum finem conſequi poterunt, fauente Deo, & certa, ac prudenti adminiſtratione Viri Excell. cui lubens omnia committo.

LXXII.

PODAGRICI DOLORES.

DOlores non vnius, ſed plurium articulorum, à quibus, multis abhinc annis Nob. Pat. malè torquetur, Articulares, à communi Galenicorum ſchola vocitari ſolent; licet reuera propriè magis, cum
a 2. Meth. 2. & 3. Aph 16. b de Affec. 31.
Hipp. b de Affect. curioſis omiſſis Recentiorum nominibus, podagricos illos appellare non diſplicear. Hi verò, ſicuti non vnicam, nec ſinceram habent cauſam materialem, ita plurimas habent efficientes, & efficacem cauſam ſine qua non, ab hydrargyro quoque iam adauctam; cęperunt enim dolores articulares à tenui pituita, à capite, per muſculorum ſpatia, cum Fernelio, & ante eum, cum Hipp. de Int. Affect. ad articulos, natura inualidos decumbeute;
c de Affec. 32.
ſed temporis proceſſu cruditates, per arterias, ab ichoribus bilioſis deuectæ fuere, & podagricos affectus conſtituere; qua ratione, ex Hipp. c a ſanguine à bile, & pituita corrupto fiunt; quod contigit potius ex liberaliori victus ratione, & improportionatis uentriculi, & iecoris obiectis, quàm ab earundem partium intemperiebus; proprio namque, & naturali robore abuſus eſt Patiens. Quare ex intemperantia cauſæ effectrices, intemperiem tandem & ipſæ adeptæ, miſcellam humorum a lue celtica non immunem produxerunt, qui
d 10. per Loca 2. e de Affec. 31.
ab articulorum imbecillitate ſuſcepti, circumſitas neruorum particulas, cum Gal. d cum Hipp. e verò & ipſas neruoſas extendentes, ac eaſdem in tumorem attollentes, continui ſolutione, dolores immanes olim, & nunc quoque excitant, & in dies parte eorundem tenuiori conſumpta, in tumores duriores, & magis tophaceos ſemper concreſcunt, eòque faciliùs, poſtquam articuli non per affluxum ſolùm; verùm & per congeſtionem pati cęperunt.

f 10. per Loca 2. g uu. 15.
Quia igitur tophacea facta eſt affectio, articulos ad priſtinum ſtatum redigi poſſe nunquam ſperandum, vt Gal. f Oribaſ. & experientia ipſa confirmant; ita & Hipp. g Prædict. ait, *Humana arte ſanari non poſſe, ſi tophacea ſit, in ſene, ærumnosè viuente, aluum ſiccam habente.*

te. Quare progreſſum vlteriorem inhibendo, melior ſtatus procurandus, euacuantibus, diuertentibus, corrigentibus, diſcutientibus, dolores lenientibus. De topicis roborantibus ne cogitandum quidem.

Sanguinis miſſio, ſicut ab initio à Gal. [h] probatur, &, vt ait Paulus [i], circa primam morbi tentationem, quæ ex Celſo [k] ſtatim facta annuam, & interdum perpetuam valetudinem præſtat, ita in antiqua calorem patiuum debilitat; ideo præter euacuationem hæmorrhoidalem, niſi adſit aliquod impediens, nullam aliam admittere poſſum.

h de Sang. Miſs 8.& 19.
i 3. de Re Med 78.
K 4 de Re Med 24.

Totius verò expurgario inſtituenda Lenientibus, Præparantibus ſine diluto, leni Purgante medicamento, Topicis alterantibus internis, vt ſyr. de betonica comp. de iua, oxymel. compoſ. cum decoct. cichor. borrag. betonic. meliſ. iuæ, ſthœcados, calendulæ, herbæ paralyſis; mox validius purgans exhibendum, ex infuſ. hermodact. ſen. agar. rhab, cinnam. in aqu. betonicæ, addito ſyr. roſ. ſol.& elect.diaphen. His peractis, quarto quoque die pilul. præberem cochias, aureas, aggreg. & de hermodact. quatuor, & quinque vicibus, quarto, vt dixi, quoq;die. Poſt hæc, vſum pulu. viper. ſummopere laudo, 30. ſaltem dies, quotidie, quatuor horis ante cibum; eſt enim [l] attenuantis facultatis, properat ad cutim, & vehementer digerit; à quo hauriat Patiens decoct. ſol. origani, chamædr. & chamæpyteos, à Tral. [m] tantoperè commendatam.

l 11. Simpl.

Sudorē in ſtuphis non propono, namque podagram antiquatam magis confirmat, partes tenuiores tumoris abſumendo; ſicut & alia decocta fundentia, & non reſoluentia. Dum verò hæc omnia fiunt, topica adminiſtranda, & primò quidē ad dolores, caſu præſenti, quo valdè refrigerantia, & opiata vitanda. Conueniunt itaque emplaſtra ex braſſica cocta, cum luteis ouorum, & ol. roſato. Flor. & Fol. Chamæm. viridis contuſa, & applicata. Omenta in ol. roſ. & lumbric. terreſt. Quoad reſolutionem, ſi tumores laxi fuerit, expertus ſum Empl. ex loliacea farina, cum aceto, quod eſt Trallian. ſicut & adeps ſuillus, cum calce viua. Valet & caſeus, cum adipe ſalito, vt Oribaſius [n], & Gal. At ſi duri tumores, diachylon cum gummis. Laudat Aetius [o] ex Dioſcor. ammoniac. cum pice arida, & Celſus picem, ceram, & alumen. Optimum tandem, tum ex Gal. tum ex Oribaſ. oleum ex vulpibus. Valet & tereb. cum uino illita, ex Tral. & Gal. ad Piſ. Summoperè quinetiam commendatur à Paulo, & Tral. decoc. thymi, origani, ſatureiæ, calament. mont. in aceto, fomenti loco, quam & ego feliciter pluries expertus ſum.

m Lib. 11. Cap. 1.
n 4. de Loc Aff. 118.
o Tetr. 3. Sermo 4. Cap 45.

Victus ratio inueteratæ podagræ eſt præcipuum remedium, uèl ex eo, quod eſt Veneris, & Bacchi filia, pauperibus inimica. Vnico itaque cibo ſit contentus, & parcè uiuat, namque vt & Fernel. famem interdum tolerare bonum. Vinum ſit tenue, lentiſco, & iunipero medicatum, & pilul. aggregat. in uſu habeat. Pro tempore, non diſplicet vſus uini antipodagrici Paracelſi, quod ita ab ipſo paratur. ℞. radic. caryophyllatæ, acori an. ℥ iii. fol. maioranæ m. ii. fl. ſambuci P. ii. Vini ℔ i. f. f. infuſ. per octo dies, & mane ieiunè ſumatur hauſtus. Quæ ideo profutura ſpero, quia prudenti, & opportunæ adminiſtrationi Viri Doctiſſimi ſunt committenda, cui me commendatum volo. Deus vota ſecundet.

PO-

LXXIII.

PODAGRA.

Podagricum eſſe affectum nunc Ducem Sereniſsimum diuexantem, motumque eiuſdem progreſſiuum impedientem, vnicuique in arte perito luculentiſſimè patere poteſt; non ſolùm quia obſidet pedes, verùm etiam quia dolor acutus a non eſt, ſed diuturnus, & à ſanguine à bile, & pituita corrupto; qui potiſſimum à ventriculo, atque iecore ortum duxit, & per venam cauam ad cor traductus, inde per arterias ad alendos articulos natura imbecilles transfuſus, & utpote corruptus, hoc eſt, ad nutriendum ineptus, non abſumptus, nec à venis, tum ob eiuſdem copiam, tum craſſitiem, ac viſciditatem attractus, in iiſdē articulis ſtabulans, & circunſitas neruoſas particulas replens, atq; extendens, continuumque ſoluēs, dolores podagricos parit; à quibus, inflammatis ſpiritibus, febriculæ quoque ſubortæ fuerunt; quibus conditionibus ab arthritico hunc diſtinguebat Hipp. in quo b dolor acutus eſt, ab vno ad alium articulum citò migrans, plureſque quandoque infeſtans, cum rubore, & breuitate.

Dolor autem præſens remiſſior quodammodo percipitur, quoniam crudus, & pituitoſus præpollet humor, non tenuis, vt antea, ſed craſſior, atque adeò ægrius quinetiam cedens, qui partes infernas affligit, & in iiſdem concluſus eſt, non per congeſtionem, ſed per influxum; à toto namque (ut dictum eſt) impuro, & uitiato ſanguine ſcatente, fuit ab expultrice facultate tranſmiſſus; in eodem verò genitus, atque coaceruatus ex cruditatibus productis, non ſolùm à naturali ventriculi intemperie frigida, & humida, ſomnoque imminuto, & aliqua exuperantia caloris in iecore; verùm, & potiſſimum forſan, ab obiectis improportionatis, à caſeo nimirum pingui, frequenti fructuum uſu, à potu uini d meracioris, necnon ab intermiſſis e exercitiis, à quorum concurſu pituitoſi præcipuè, mox & bilioſi geniti humores ab irritata natura fuerunt ad pedes, tanquam ad partes imbecilliores detruſi, & prærerea ab vnguibus diù affectis quodammodò ſolicitati, & attracti. Pedum autem imbecillitas, f ſi non naturalis, & hereditaria, fuit ſaltem accidentalis, & contracta à corpore diutius erecto conſiſtente, ualidis motibus, uiolentis exercitiis, & à frequentibus equitationibus: hæc enim omnia primò tumorem, tanquam podagræ nuncium præmiſerunt, & continuata tandem podagram ipſam induxerunt; quæ cum Hipp. h hyeme, & Æſtate fit, Vere, & Autumno mouetur.

Ab hoc autem affectu uindicari poſſe, necnon præſeruari Ducem Sereniſs. non hæſitamus, quia tophos nondum contraxit podagra, iuuenis eſt, & Medico utitur omnino intelligenti, & perito, atque accuratæ uiuendi rationi operam dabit; laboris amans eſt, & aluum lubricam, ac obſequentem habet; his enim ſimul concurrentibus conditionibus, ſanitatem, & præſeruationem nobis promiſit Hipp. oraculum, à nobis pluries experientia confirmatum, & obſeruatum; atque adeò iure merito dicebat Gal. k Medicum vehementiorem podagram pati turpiſſimum eſſe, vtpote ſignum incontinentiæ, vel ignorantiæ; adeò vt, ſi hereditaria quoque medico foret, turpe tamen ſit, eundem ad motus impotentiam perduci. Et licet inſanabilis nomen adepta fuerit podagra, id tamen, ut conſiderabat Tral. accidit ob imperitiam Medicorum, cauſam eiuſdem ignorantium; & ex m Aretæo *Inſanabilis euadit, quia principijs non obſtamus*.

Vt igitur conſequamur, quod intendimus. Primò materia peccans quantitate, qualitate, & motu euacuanda, alteranda, quodammodo reuellenda, & à parte diſcutienda. Partis mandantis, uentriculi ſcilicet, & iecoris intemperies corrigenda; ita enim prohibebitur materiæ nouus prouentus. Articuli tandem cautè roborandi, & dolores, ſi opus fuerit, leniendi.

Quibus intentionibus ut ſatisfaciamus, à fonte Chirurgico primò eſt depromenda ſanguinis miſſio, quæ etiam citra plenitudinem n commendatur à Gal. imò à Paulo o etiam, in pituitoſioribus, & atrabilaribus, eaque ex mediana, aut Iecoraria dextera. Reliqua ex hoc fonte depromenda ordine executiuo proponemus.

a de Affec. 32.
b de Affec. 31
c 2 per Loca 2.
d 6 Aph. Com. 28.
e Act. Tetr. 3 Serm. 4 Cap. 6
f 2. de Nat. Hum 5.
g de Aere, Aquis, & Loc.
h 6. Aph. 55.
i Libr. 2. Prædic. 15
k 4. in 6. Epid. 9.
l Libr. xi. Cap 1
m Libr. 2. Cap. 12.
n de Sang. Miſs. & x.
o 3. de Re Med. 78.

A Fonte Pharmaceutico medicamenta deſumantur, & primò Lenientia, à Viro Excell. propoſita. Sic & Præparantia, oxymel cum tart. addito cochleari aq. cinnam. repetito eodem Lenientie, quinque, aut ſex poſt diebus; cui ſuccedat noua præparatio oxymel. & ſyr. de iua, in decoct. cichorac. additis betonica, meliſſa, & iua. Inde ſequatur humorum præparatorum expurgatio ſyr. roſ. ſolut. cum diaphen. aut potione ex man. clarif. additis, agarico, & rhab. infuſis.

His peractis, ad ventriculi, & primarum viarum etiam abſterſionem, calefactionem, & exſiccationem, aqua Tettuciana efficaciſſima fuerit, tribus diebus, cum vehiculo deiectorio aſſumenda; niſi tamen continuò perdurauerint podagrici dolores, ſiue tumores.

Et quoniam à toto ad partes affectas, ut diximus, tranſmittuntur humores, ideo totius maſſæ ſanguineæ purificationi inſiſtendum; quod præſtari poterit decoct. epithymi Mes. ſi ſanguis eductus ex brachio niger, & craſſus apparuerit; ſi verò lentus, & potius pituitoſus, pilulis aggreg. cochijs, & de hermodact. Vel præbeatur hermodactylata, tribus vicibus, tertio, aut quarto quoque die, pro virium tolerantia.

Toto ita expurgato, frigida & humida ventriculi intemperies erit corrigenda, & totum exſiccandum; in quem finem, nullum medicamentum decocto cum ſudore in hypocauſto præſtantius, ut valida, & tuta euadat noſtra curatio. Parabitur autem decoctum ex China, lentiſco, rore marino, & ſantalo albo, in aquis ſtill. cich. beron. & iuæ; cui præmitti poterit bolus ex puluere Cornu Cer. & viperino compoſitus. In cuius uſu perſiſtat ad dies quadraginta, extenuante quidem, at non adeò tenui victus ratione adhibita, & obſeruatis cæteris à Viro Excell. adductis.

Quod ſi renuat Dux Sereniſs. & adeò operoſam, licet tutam curationem reſpuat, ſubſtituatur Vinum ſolutiuum, quo ſumma felicitate plures à podagra vidimus præſeruatos; eadem enim ratione, qua podagra paulatim fit, eadem prorſus, vſu huiuſmodi vini, eliminatur, & extirpatur. Deſcriptio verò eiuſdem talis erit. ℞. Chinæ optimæ ℥ iij. Lentiſci è Chio ℥ ij. radic. caryophyl. ℥ j. baccarum iuniperi m. j. Hermodactylorum ℥ iij. fol. ſennæ rec. ℥ v. polypod. ℥ iij. turbith elect. agarici an. ℥ ij. cinnam. integri ℥ ſ. Vini conſueti, pro menſæ vſu, ſitulam vnam, m. omnia, & fiat infuſio per tres dies; cuius vini bibatur cyathus primus ad menſam mane, & ſerò, quo deficiente, repetatur eadem infuſio, ut ſufficiat 40. diebus. Sumitur autem bis in anno, Vere, & Autumno, incipiendo primis menſis Martij diebus, ſicut & Septembris, ut excrementa hyeme, & æſtate in vaſis congeſta, maturè quotidie paulatim è corpore educantur, antequam à natura ad articulos tranſmittantur. Verùm hac vice, peracta præſcripta expurgatione, aſſumi poterit, ut non ſolùm præſeruationis, ſed & curationis quoque nobis loco ſit.

Iecori quoque aliqua, licet moderata refrigeratio erit adhibenda, cui propterea abundè futurum putamus ſuccum cich. depur. ad ℥ iij. in iure hepatica alterato, in eodem diſſoluendo ſal. abſinth. ℈ ſ. vt refrigerationi accedat quoque corroboratio.

Tabaci vſum ſicuti reprobamus, ita conſuetudinem illam nares expurgandi diuturnam deſerendam non eſſe exiſtimamus. Quare ſubſtitui poterit puluis ex maiorana, & iride paratus, tabaci inſtar adducendus.

Articuli tandem pedum erunt roborandi, quod ſatis ſuauiter præſtare poterit ſpiritus ſalis, ſi manu eodem madefacta, articuli contrectentur, atque fricentur; nec ad validiora roborantia, & adſtringentia tutò deueniri poſſe credimus; cùm ſcopus præcipuus debeat eſſe, excrementorum regenerationem inhibere; ut propterea animaduertenda ſit aurea Gal. obſeruatio, ꝑ dicentis. *Semper melius eſt contriſtantes ſuccos à nobilioribus ad ignobiliores partes detrudere: vidimus enim ipſos repulſos ab articulis ad principem partem, hominem occidiſſe; tunc itaque vnica ſpes eſt ipſos ad artus reuocare.* p. 2. de Nat. Hu. 5.

At ſi portio humoris articulos pedum adhucnum obſideat, eoſq; laxos reddat, cuius rei ſignum, dolor in motu perdurans, cùm ſimplex imbecillitas impotentiam quidem, at non dolorem inferat; reſolutio propterea eiuſdem humoris partis roborationem præcedere debet; atque adeò huiuſmodi fiat inunctio. ℞. ol. è nuce moſc. expreſſi ʒ ij. quintæ eſſentiæ ror. mar. ℈ i. ſpir. ſalis ℈ ſ. m. ref. balſamum; cuius doſis ad piſi molem, in vola manus articulis confricandis.

Dolores verò lenientibus parum, aut nihil opus fuerit; pauciora tamen, & hoc caſu præſtantiora erunt, ol. ex vitel. ouor. cum roſac. an. miſtum; vel ſuccus chamæmeli tenuiſſimo panno lineo eo imbuto applicatus; vel aqua caſſiæ, pariter illita; vel lac parti affectæ à muliere immulctum.

Victus rationem quod attinet, aeris inclementia, quæ tum in frigiditate, & humiditate; tum immodica caliditate ſita eſt, vitanda. Alimenta ſint boni ſucci, & facilis coctionis, abſtinendo à nonnullis, vt pote caſu noſtro ueneficis, qualia ſunt, carnes omnes annoſæ, & pingues, atque animalium extrema, piſces ſquamis carentes, conchilia, & oſtreacea omnia, caſeus potiſſimum vetus, lagana omnia, legumina, præter oryzam, & hordeum, tubera terrę, & fungi. Condimenta ex aromatibus puluerizatis, necnon ex allio, & cępis. Iuber autem Fernelius conſueti cibi, & potus dimidium ſubtrahendum. Quare cœna, aut nulla, aut parciſſima fuerit, A cibo duo, aut tria grana maſtiches integra deglutiat, vel pil. ex ℈ i. ſucci abſinthii condenſati, vel rotulam ex aromatico roſato, ſacchato diſſoluto cum aqua cinnam. atque intercedant ſaltem horæ decem inter prandium, & parcam cœnam. Vinum ad menſam conſuetum, ſit rubrum, nullo modo albū, nec generoſum, & ſi ſubdulce, ſit quoque ſubſtypticum, ſubſtantiæ tenuis, paretutque medicatum lentiſco, & ſantalo an. ʒ i. pro qualibet ſitula; nullus enim in eodem alienus ſapor percipitur. Somnus arte diuturnior concilietur, præbendo ſtatim à cœna panis martii rec. ʒ ii. circiter. Ambulet per cubiculum ſaltem, licet motus dolore non careat; motui enim ſuccedit calor partis, & materiæ attenuatio, atque reſolutio, Ita conueniet exercitium, præſeruationis loco, ſed moderatum; Paulus [q] quippe dicebat, quod *Præcauet ciborum detractio, & exercitium quantum ſufficit*. Circa inanitionem, repetendus erit vſus vini delectorii ſupra propoſiti, bis anno, modo, & tempore iam præſcriptis; cuius vſum præcedat tantùm potio ex manna clarif. citra aliam deinceps corporis expurgationem. Nec omittendum, quod Venus ſummoperè lædit, ut credidit [t] Aet. & experientia compertum eſt, cùm podagra ſit Bacchi, & Veneris filia, pauperibus inimica. In reliquis, alacri, & præſenti animo viuat Dux Sereniſs. cùm ab hoc affectu præſeruatio in ipſius arbitrio ſita ſit, quam cum uita diuturniſſima nos à D. O. M. enixè illi precamur.

[q] 3 de Re Med 78.
[t] Tetr. 3. Serm 4. Cap 20.

Ad quæſita verò de Lactis vſu aduerſus podagram, necnon de Aqua cinnam. alterata, vini loco, pauca mihi ſunt dicenda.

Ad primum enim dico, non eſſe nouum podagricorum remedium Lac, ſed ab Hipp[ſ]. fuiſſe propoſitum. Præterea neque Gal. [t] reprobat aſininum, ad tophos diſſoluendos, cui Aet. [u] quoque adſtipulatus eſt. Sed accedit experientia [x] rationibus, & auctoritatibus preferenda. Liceat itaque huiuſmodi adducere ſolutionem. Pro podagrę medela, conſideranda veniūt Curatio, & Præſeruatio, Curatio, uigēte podagra; Præſeruatio imminente. Pro curatione Lac propoſuerunt magni iam dicti Viri, ut quod poſſit tumores duros, atque tophaceos propria pinguedine, humectando, emollire, & ita præſentem podagram forſan abolere, ut obſeruari ſolet in ſiccis obſtructionibus, cæteriſque tumoribus duris, eòque facilius, cùm tophi cauſa efficiens, ſit qualitas calida, & ſicca, vt uoluit Aetius; ſicut materialis humor lentus, & glutinoſus, uel craſſus; vnde nil mirum, ſi aſſeruerit Gal. [y] quod calida arthritis, ſeniori adueniente ætate, reſolui poſſit.

[ſ] de Affect. 30. & 31.
[t] 3. de Alim. Fac. 15
[u] Tetr. 3. Serm. 3. Cap 5
[x] 1. de Nat Fac. 3. & 4 Simpl. 18.
[y] 5. in 6. Epid. 6.

At ſi de præſeruatione loquamur, cùm cauſa materialis, humor ſcilicet lentus, uel craſſus à lactis uſu produci, & adaugeri poſſit, nec adſit tumoris tophacei præſentia, qui à lacte humectationem, & emollitionem deſideret, noxam abſque beneficio ne afferat, metuēdum. Quare Sereniſs. Duci calida, & humida totius intemperie prædito, cum ventriculi imbecillitate, absque tophaceis tumoribus, non uidetur conuenire.

Vini uerò uſum ablegandum quod attinet, dico, & hoc antiquitùs obſeruatum fuiſſe; Ægineta namque dicebat, [z] quod, *Si per totam vitam à vino abſtineant, liberantur*. Et Rhaſis hæc habet. *Ego vidi relinquentes potum vini ſanatos*. Quod contingere putamus, quia tophi à materia tartarea fiunt, vt multi crediderunt, cum Paracelso; quæ materia à vino, maximè generoſo manat. Nihilominus diſtinguere nos oportet podagræ differentias, à cauſa deſumptas, & à ſubiecto; etenim licet podagra quæcunque ex ſanguine à pituita, & bile corrupto producatur; attamen modò pituita, modò bilis prædominari poteſt; & quidē ſi bilis, aqua; ſi pituita, vinum potius conueniet. Præterea ſi Patientis, totius, & iecoris temperies ad calidum & ſiccum vergat, habituſque corporis gracilior fuerit, cum ventriculi robore, aqua potius, quàm vinum ex uſu videbitur; at ſi contra pituita prædominetur, totiuſque temperamentum ad humidum vergat, & podagræ minera in ventriculo deliteſcat, vinum erit aqua præſtantius, potiſſimum in his Regionibus. In Hiſpania ſiquidem aquæ potus facilius, quàm vini ab omnibus, ne dum à ſolis podagricis, toleratur, atque magis expetitur. Omitto, quod aqua longè magis, quàm vinum excrementitia ſit. Quare cùm ratio hęc duo remedia Sereniſs. Duci non concedat, atque experimentum periculoſum ſit, in adeò inſigni, atque ſublimi Heroe, periclitandum non eſſe concludimus.

[z] Loc. Cit.

P O-

LXXIV.

P O D A G R A.

VT notiſſimam Clariſs. & Excellentiſs. Viris hiſtoriam præſtantiſſimi, ac Excellentiſs. Senatoris, quoad eiuſdem temperamentum, vitam exactam, & morboſas corporis diſpoſitiones contractas ſupponam, & quidem ut, tædioſis digreſſionibus uitatis, medullitùs graue adeò hoc negotium ſtatim enucleem, Excellentiſſimus Pat. iam doloribus articulorum, iiſque podagricis correptus fuit, qui eò progreſsi ſunt, ut alteram manum, & pedem inualidos effecerint. Verùm, quod obſeruatione dignum, materia in articulis concluſa, non tophacea, ſed mollis, & tactui cedens eſt, doloresq; licet ab initio acceſsionū aliquo caloris ſenſu percipiantur; attamen hic citò remittitur, prout & illi miteſcunt; diutius autem perdurantes, producti à ſanguine à bile a, & pituita corrupto cenſendi, tum à catarrhali materia, tum à crudo ſucco; illa quidem à capite humidiori, hic verò à ventriculo, & potius ex libera viuendi ratione, ac intermiſſo b exercitio, quàm proprio eiuſdem vitio genitus, & per arterias ad articulos, paucæ ſeroſitatis ope, tranſfuſus, ligamenta potiſsimū perfundens, necnon in ſpatijs hærens; ex quo extendentes dolores excitantur, inualeſcentes ab initio, antè bilioſæ materiæ reſolutionem, qui poſtea mitiores euadunt; à calidiſsimis enim humoribus acuti dolores proueniunt, quia continui ſolutionem confeſtim inducunt; non autem adeò ab humida materia, ut à Gal. traditum fuit 12. Meth. 8. & Artis Medic. 95. Ideo Trall. ſcribit, quod ſi à pituita fiant, adeſt tumor, & tenſio, ſine rubore, & feruore; verùm quia in præſens potius grauitatem, quàm dolorem infert, à partium natiuo calore imbecilliori reddito etiam per congeſtionem in partibus ipſis productum eſſe credendum; cui num aliqua quinetiam celtica lues accedat, ad veritatis examen reuocandum relinquo.

a de Affec. 32.
b Aet. Tet. 3 Ser. 4. Cap. 6.
c de Motu Muſc. 2.

Affectus equidem longus, & moleſtus, & quia inueteratus difficillimus, d ætate potiſſimum in ſenium vergente, in viro locupletiſſimo, & delitijs dedito; attamen quia tophi nondum concreti ſunt; quo caſu habet Gal. 10. per Loc. 2. articulum ad priſtinum ſtatum reſtitui poſſe nunquam ſperandum; ideo ſanitatem forſan, motum verò ſaltem progreſſiuum recuperaturum Nob. Pat. non dubitarem; namque nec ſenex eſt, nec tophacei tumores, nec aluum ſiccam habet, ſupereſt itaque, ne ærumnoſè uiuat, quibus conditionibus, ex Hipp. 2. Prædict. 15. ſanari poterit.

d de Affec. 32.

Vt itaque curationem aggrediamur, totum primò euacuandum; partes mandantes exſiccandæ; & materia in articulis concluſa cautè diſſoluenda; roboratione nunc omiſſa.

Sanguinis autem miſſio, ſicut incipienti malo valdè accommodata, ex Celſo, ita iuxta Paulum, in antiqua, calorem debilitat. Quare aut omittenda, aut hæmorrhoidalis euacuatio eligenda.

Purgato iterum, & iterum toto, capiti quoque naſariis ſuccurrendum; & pilulis repetitis, tum capiti, tum articulis proſpiciendum; iiſque cochiis, aureis, & aggreg. atque de hermodac. Mox ad ſudorem tutò perducatur Excellentiſſimus Patiens, decoct. ex ligno Guaiac. Viſco querc. lentiſc. roremar. cum chamæpith. quod tamen leue parabitur; ante cuius uſum quotidie ſumat bolum ex puln. viper. oſſibus human. crematis, & quidem ſupra 30. dies, cum victu attenuante quidem, & exſiccante, ſed non valdè tenui. Poſt hæc, aliquandiu viſcera erunt corroboranda. Vnde in habitu obeſo, podagraque frigida, nil erit præſtantius theriaca, tertio, aut quarto quoque die aſſumenda, ad ʒ ſ. qua etiam extrinſecùs, cum vino generoſo illita vtebantur, tum Gal. ad Piſon. 15, tum Trall. Et licet tunc temporis, æſtate ſcilicet, vſus terebinthinę cum iua, menſis ſpatio præſtantiſſimus foret; attamen ſi tædio capiatur, longiori vſu medicamentorum per os, parabitur vinum lentiſco, ligno Iuniper. & roremarino medicatum, ad menſam; quibus curationem abſoluemus.

e Trall & 11. Simp.

Superſunt autem Topica externa diù adhibenda, ad medelam cauſæ coniunctæ, ſicut huc uſq; antecedenti incubuimus. Hæc itaque quamplurima, tum ab Auctoribus proponuntur, tum quotidie à Medicis adhibentur; verùm alia duris, alia verò laxioribus accommodanda; duris quidem luta D. Barthol. Ammoniacum, cum pice arida, ex Dioſcoride, & Aetio. Pix, cera, & alumen, ex Celſo. Sal torrefactum, [f] ex Trallian. Ad laxos verò tumores, loliacea farina, cum aceto. Caſeus antiquus, cum adipe ſalito ſuillo. Adeps ſuillus, cum calce uiua. A Matthiolo extollitur Balneum ex decoct. ligni Iunip. quo multos uidir ſanatos in Boemia. Summoperè quoque contuliſſe vidi fotum ex aceto, cum ſulphure. Verùm à me præ ceteris, caſu præſenti, laudatur fomentum, ſpongijs adhibitum, ex decoct. thymi, origani, ſatur. calamenthi mont. in aceto imbutis, quo uri ſolebant, tum Trall. tum Paul. Adhiberi autem debet mane, & ſerò, ſaltem per horam; mox partes affectæ, linteis calidis abſterſæ, & exſiccatæ, inungendæ hoc mirabili linimento. ℞. adip. anſer. illius ſcil. qui vulgò dicitur (Colato d'Occa) ℥ iv. pingued. cati rubri ℥ ii. ſalis ʒ iij. aquę vitæ iuniper. ℥ i. m. Bulliant lento igne, ad conſumptionem aquæ, continuò agitando, & ſeruetur ad uſum quotidianum per menſes, progreſſu temporis, etiam ſine præſcripto fomento. Quæ cuncta prædicta, licet adæquata, & optima; irrita tamen, & fruſtra fuerint, ſine congrua victus ratione diuturna; Podagræ namque confirmatæ viuendi ratio potiſſimum habetur remedium.

f Tral. Lib. xi Cap 1.
g Orib. 4. de Loc. Aff. 118.

Quam & ego paucis quinetiam præſcribam. Atque in primis meminiſſe iuuabit, podagram eſſe Bacchi, & Veneris filiam, pauperibus inimicam; mox totius diaphoreſis peruia conſeruanda, totum corpus diu, noctuque probè munitum fouendum. Deinde circa cibum, & potum, interdum famem tolerare bonum, ut ait Fernelius; potiſſimum verò, quia fames confert pituitoſis, ut notat Aetius; prout lædit bilioſos. Vnico prandio ſine cœna ſit contentus Excell. Pat. & ſi fieri poſſit, etiam vnico cibo, & quidem per annum integrum. Abſtineat omnino ab omnibus lactariis, & laganis omnibus, ab oſtreaceis, à carnibus ſuillis, pinguibus, & vetuſtioribus; à leguminibus prorſus, à fructibus, à vinis generoſioribus, & à quolibet potu extra prandium.

Quamminimùm diu dormiat, ſi tamen fuerit diurno ſomno aſſuetus. Se ſe exerceat quantùm fieri poteſt; vel decumbens ſaltem, pedibus fulcro laborioſè, & velùti impingendo innixis, quod & ego iam facere conſueui.

Frictiones dorſi mane, linteis calidis, gerunt vicem exercitij. Aliquam pilulam maſtich. familiarem habeat, ſerò ſub tempus ſomni.

Venus ſummoperè lædit, imò omnis voluptas; quia non eſt ex illis morbis, qui *coitu* ſedantur. [h] Meditari, legere, & ſcribere à cibo, malum. Si hæc omnia à *Senatore* Præſtantiſſimo obſeruata fuerint, certò ſanitati reſtituetur; alioqui ſolùm *meliorem* ſaltem ſtatum conſequetur; quem optimum Excellentiſſimo Viro à ſummo *Medicorum* Medico enixè precor.

h 5. in 6. Epid. 26.

PO.

LXXV.

P O D A G R A.

Podagrico affectu, tot abhinc annis, affligi Nob. Pat. non modò apud uulgares, verùm etiam apud Medicos eſt aſſerendum; non quidem quòd pedes ut plurimùm implicuerit, ſed quia diuturnus, [a] & ægre cedit dolor ad differentiam arthritidis, [b] quæ facilè cedit, atque ab vuo facilè, & celeriter in alium articulum diuagatur. Et licet huic [c] ætati non adeò familiaris ſit, vim tamen non leuem ſuſcepit à ſemine ipſo; Patre namque podagrico natus eſt, unde primis annis, vigeſimo ſcil. vſque ad hunc trigeſimum ſecundum ſæpius repetiit, & quidem in præſens frequentius, adeò ut [d] Vere, & Autumno ſaltem inuadat. Articulorum itaque imbecillitas, tanquam cauſa [e] ſine qua non Nob. Pat. inuata fuit. Et quamuis materialis contrahi ſoleat à rerum non naturalium abuſu, & quidem, ut caſu noſtro, à libera viuendi ratione, ſimul cum iecoris calida, imò feruida intemperie; necnon ventriculi, & capitis humida, cuius effectus tenella quoque ætate expertus eſt; nihilominus & ipſi materiæ neſcio quam diatheſin, quam ego in mucilaginoſa quadam qualitate ſitam puto, à natura impertiri credendum. Hæc verò materialis cauſa à toto potiſſimum ad articulos, caſu noſtro, tranſmittitur, licet tum à ventriculo, tum à capite originem ducat; dum enim cruditatibus ſeroſitates bilioſæ commiſcentur, ſanguinem ipſum non modò exagitant, atque turbant, ſed & corrumpunt, ſicque podagra, ex Hipp. de Affect. ab eodem [f] corrupto, nutritioni nimirum inepto excitatur.

[a] de Aff. 32.
[b] Ibid. 31.
[c] Ibid. 32.
[d] 6. Aph. 55.
[e] 2. de Nat. Hu. 5.
[f] de Aff. 32

Mali huius curatio non adeò difficilis eſt, ac præſeruatio, dum nondum nodoſam factam podagram conijcere licet; verùm præſeruatio difficillima futura eſt, cùm ualdè importunè inuadere cœperit, atque altiſſimas, naturales nimirum habeat radices. Attamen cùm Hippoc. [g] iuuenibus præſeruationem pollicitus ſit, qui lubricam aluum habuerint, Medico obtemperauerint, laboris amantes fuerint, nec ærumnoſam vitam duxerint, ideo deſperandum ſaluti non eſt; vnde ipſe Gal. ſcripſit, [h] turpiſſimum eſſe medicum vehementi podagra laborare; dixit autem, vehementi, hoc eſt, ad motum voluntarium impotentem omnino fieri; ſignum enim eſſe ſubdit, aut ignorantiæ, aut incontinentiæ.

[g] 2. Prædict. 15.
[h] 4. in 6. Epid. 9.

Omnia igitur, hoc anni tempore, agenda, ut in longè meliorem ſtatum perducatur Nob. hic Patiens, quod quidem aſſequetur accurata purgatione; deinceps enim paucioribus multò, multòque minus operoſis, ſemel anno, ſat fuerit. Statim itaque primæ viæ mundandæ; maſſa ſanguinea purificanda; caput expurgandum; ventriculi, & eiuſdem capitis humida intemperies corrigenda; mox iecoris calida contemperanda; & tandem cautè articuli roborandi.

Quibus intentionibus ut ſatisfiat, ſanguis ex brachio dextero erit educēdus, qui ſi craſſior, & niger effluxerit, è ſiniſtro quoque repetenda eiuſdem miſsio, etenim hanc commendant Gal. [i] & Paul. [k] etiam in pituitoſis, & atrabilariis. Cauteria verò duo in cruribus, peracta, & abſoluta præſenti purgatione, libenter ſupprimerem, & potius alterum brachio ſiniſtro inurerem.

[i] de Sang. Miſſ. 2. 8. & 19
[k] 3. de Re Med 78.

Primæ autem viæ erunt expiandæ leniente, ex manna clariſ. cum crem. tart. vel caſſ. lenit. & tart. Primum præparans erit oxymel dilutum, aqua cinnam. aſperſum, ad ℥ iij. Quinque verò poſt diebus, repetendum alterum ex præſcriptis lenientibus; ut deinceps humorum vlterior fiat præparatio, oxymel. ad ℥ ij. ſuperhauſtis ſuccis depur. cich. & beton. an ℥ i. in decoct. cich. borrag. acet. end. meliſſæ, agrim. duodecim dies, in quorum intermedio præbeatur minoratiuum medicamentum, ex lenit. diaphœn. & pauca hiera paratum; quod pariter ſub finem ſuccorum erit repetendum.

His peractis, ſi Excell. Adſtanti, à ventriculo non leuem fomitem accedere viſum fuerit, aqua Tettuciana, tribus diebus, de more aſſumenda, cum vehiculo mellis, & ſyr. roſ. ſolut. accommodatiſsima fuerit.

Caput inde purgandum fuerit hoc modo. ℞. pil. coch. de hermodact. aggreg. an. ʒ ſ. m.

ref.pil.& aur.ſummo mane deglutiendæ; à quibus, duabus, aut tribus exactis horis, hauriat aquæ Nocerianæ libram. Repetantur autem pil. ter, quarto quoque die, & diebus intermediis, aſſumat ſyr.huiuſmodi. ℞. ſucci depur.cich.beton.iuæ arthrit.an.℥ i.in decoct.cich. borrag.end. meliſsæ, maioranæ, chamædryos ad ℥ v.pro una vice, & ſic pro aliis. Interim quolibet mane, errhino utatur, ex puluere maioranæ, ireos, & nigellæ parato, tabaci ritu.

A quibus, citra ullam cunctationem, ad ſudorem proliciendum deueniendum, præmiſſo decocto, ita parando. ℞.ſalſæ parillæ, ligni viſci quercini, lentiſci è Chio, ligni ror. marini an.℥ i.aq.ſtill.de ſucco cich.℔ ij.iuæ arthrit.beton. an.℔ i.m.f. inf.per hor. 24. deinde bull.ad conſumpt.dimidii, & colat. ſeruetur ad vſum, tribus vicibus aſſumenda; cui decocto præmitti poterit puluis viperinus, ad gr.xii.aut xv.ſudori in hypocauſto facilius eliciendo. Aqua autem ſecunda, pro potu conſueto, paretur, addendo iam dictis lignis aq. comm.℔ xii. quæ bull.ad conſumpt.tertiæ; in fine verò ebull.addantur cinnam.integ. ʒ ij. & colat. adhuc feruenti ſacchari fini ℥ iv. ut ad lubitum dulceſcat. In huius autem uſu perſiſtendum quadraginta dies, ſed decimo quoque die aſſumat pot.ex manna clariſ. Decem autem poſtremis alteretur Aqua hypocauſti manipulo maioranæ, & ſaluiæ, ut ab harum halitu caput roboretur.

Atque interim uictus ratio ſit quidem attenuans, non tamen adeò tenuis; etenim tertio, aut quarto quoque die, præter amygdalas, pineos nucleos, & biſcoctum, concedi poterit pullus iunior aſſus, vel columba turricola. Et quoniam pedes non ſine aliqua actuali læſione obſeruantur, ideo noctis tēpore ol.amygd.& liliac.inungendi, ne à ſudoribus materia exſiccetur; quinimò & mane ſub prandium in labello detinendi, decoct.emollienti ex rad.Altheæ. & lil. alb.parata repleto. In hypocauſto autem altiores & eleuati ſunt habendi, ut ſudare poſſint.

Abſoluto ſudore, humidaque, tum capitis, tum ventriculi emendata intemperie, iecoris, & ſanguinis feruor contemperādus fuerit; in quem finem, refrigerantia nullo modo in corpore hærere debent, præſertim copioſè exhibita. Sic aqua Noceræ è re eſſe poſſet, ſi tota è corpore educatur; ſin minus, mittenda eſt, & illi ſubſtituenda quæ pauca copia magna vi refrigerandi polleat, qualis fuerit aqua ſtillat. de ſuccō cich. ad cyathum unum, cum ſyr.de ſucco lim. aut de acido citri; præmiſſa quoque conſerua roſ.ad quindecim dies circiter aſſumenda.

Nec aliqua articulorum corroboratio eſt omnino negligenda, licet de hac non adeò ſolicitos nos eſſe oporteat, cùm huius cauſa viderit Gal. [l] excrementitios humores nobiliores partes obſediſſe, & quam plurimos occidiſſe. Sat itaque fuerit aliquando manibus ſpiritu ſalis perfuſis articulos perfricare, vel teſor. linim.ex ol.nucis moſch. & ſpir. ſalis; cùm cenſuerit [m] Aret. nil aliud eſſe articulorum imbecillitatem, quàm inſitam in iiſdem frigiditatē.

[l] 1. de Nat. Hum. 5.

[m] Lib. 2. Cap. 12.

Quæ hoc Vere præſtanda, nec ulterius; ſequentibus enim annis modum faciliorem ad præſeruationem inſtituam, cùm de præſentis purgationis operatione, deque ſtatu Nobil. Par. certior factus fuero.

Congrua interim uictus ratio erit, hiſce primis annis, accuratè obſeruanda. Et primò quidem moneo, ut peracto ſudore, Pat. veſtibus diu, noctuque ſtragulis ſit benè munitus, ut frequenter ſudor proliciatur, nec ventis, nec radijs ſolaribus, nec aeris inclementię ullo modo ſe exponat.

Secundò caueat omnino à carnibus annoſis, pinguibus, ſuilla potiſſimū, bubula, volucrum lacuſtrium, & ab extremis animaliū. A piſcibus item glutinoſis, ſquamis carētibus, teſtaceis, & oſtreaceis; à lactariis, & præſertim caſeo; à leguminibus, hordeo, & oryza exceptis; ab eduliis ex paſta paratis, à copia fructuum, & uſu quotidiano eorundem; herbarum verò uſus ſit moderatus; à terræ item tuberibus, à fungis; ab aromatum pariter copioſo vſu; ac à vino meraciori, & albo cauendum.

Tertiò ſomnus ſit nocturnus, & ſi diurnus conſuetus, ſit breuis.

Quartò exercitium quammaximè prodeſt, ſed ante cibum.

Quintò Venus ſummoperè [n] lædit. Sit itaq; rara, cum decubitu, & ventriculo non repleto. Vſum adhibeat quolibet menſe harum pilul. ℞. pil. maſtic. ʒ ſ. magiſt. mechoac. gr.xv. m.ref.pil.& aur.

[n] Aet. Tetr. 3. Serm. 4 Cap. 10.

Vltimò animi paſſiones arceantur, & alacriter uiuat, ſed abſque compotationibus, & comeſſationibus. Quæ optatum finem conſequi poterunt, ſub prudentiſſima adminiſtratione Excell. Viri.

PODA-

LXXVI.

PODAGRA.

CLariſs. Vir Patre podagtico ortus, annum 54. agens, habitus ad plethoricum vergentis, temperamenti ſecundum totum calidi, & humidi, calidi hepatis, capitis verò calidioris, atque humidioris, decem abhinc annis doloribus variorum articulorum huc illuc peruagantibus, & pedis ſiniſtri poriſſimum, atque genu diuturnioribus corripi cœpit, modò cum vehementi calore, & acutiſſimo dolore; modò cum calore, doloreque remiſſioribus, diutius tamen perdurātibus; imò multis abhinc menſibus, fixus hæret dolor, cum aliquo tumore in prædicto pede, necnon genu ſiniſtro.

Ex quibus Virum Nobiliſs. tum arthritide, tum podagra laborare conijcimus; arthritici namque ſunt dolores illi, qui cum maximo calore, acutiſſimo dolore, breui temporis ſpatio, a ab uno in alium articulum peruagantur, ſicque plures articulos infeſtant; ſicuti podagrici b ſunt diuturniores, remiſſiori calore, atque dolore diutius, tum pedem, tum genu ipſum ſiniſtrum excruciantes, qui ſicut iuxta ideam, & eſſentiam varij ſunt, ita neque in cauſis conueniunt; arthritici namque à tenui pituita, & ſeroſis humiditatibus à capite, vel à toto ad varios articulos inualidiores delabentibus proueniunt, prout padagrici c ex ſanguine à bile, & pituita corrupto, ac inquinato, à toto ad peculiarem articulum, genu nimirum, & ſiniſtri pedis, cæteris imbecilliorem transfuſo ortum ducunt, ad quorum humorum procreationem, multarum partium intemperies conſpirant, calida nimirum, & humidior capitis, prout & iecoris humidior, & uentriculi frigidior, non ſine tamen libera uiuendi ratione, à quibus accumulata, atque commota excrementa iam dicta in capite per ſpatia potius, quàm per arterias ad articulos decurrunt, & arthriticos dolores pariunt; ſicut & cruditates in ventriculo genitæ, ac in vaſis collectæ, ac bilioſæ ſeroſitates à iecore productæ, & iiſdem permiſtæ, ſanguinem inquinantes, & facultatem expultricem irritantes, ad genu, & pedis articulum præcipitantur, & dolores podagricos inducunt.

a de Affec. 11.
b Ibid. 32.
c Ibid.

Virum autem Clariſſimum ab his affectibus omnino immunem præſtare, impoſſibile videtur, cùm cauſam ſine qua non à ſemine ipſo contraxerit. Nihilominus omnia agenda, ne tophacea euadat podagra, ſicque motus progreſſiuus intercipiatur, quod nos conſequi poſſe innuere videtur Gal. d dum 4. in 6. Epid. Medicum vehementiorem arthritidem pati, turpiſſimum exiſtimauit, cùm aut ignorantiæ, aut incontinentiæ indicium præbeat, quanquam enim natus patre podagrico facultatem non habeat eandem affectionem à ſe propulſandi, poteſt tamen incolumem ab ea ſe præſtare, propria, & accommodata viuendi ratione, ac medicis auxiliis eiuſdem augmentum, & ne in tophaceam accreſcat præuertere.

d 4. in 6. Epid. 9.

Quare, in hunc finem, aliqua in præſens, alia verò alio tempore erunt peragenda, vt à graui adeò incommodo præſeruetur Nob. hic Patiens. Primò primas uias emundando. Secundò ſanguinem defæcando. Tertiò intemperies corrigendo. Quartò materiam in articulis hærentem attenuando, & reſoluendo. Quintò, & tandem articulos roborando. Quibus, prout nobis concedere poterit anni tempus, ſatisfaciemus.

Et quidem ex Chirurgico ſonte elicienda ſanguinis miſſio, ex utroque brachio; dum tamen primus ſanguis prauus, atque impurus appatuerit. Cauterium brachio ſiniſtro pariter inurendum.

In Pharmaceutico verò primum Leniens erit potio ex manna clariſ. ac primum Præparans iulap. acet. cum portiuncula aquæ cinnam. quinque dies. Inde repetatur eadem potio, infuſioni conſuetæ agarico, & rhab. additis. Mox aqua Tettuciana, tribus continuis diebus, de more præbenda, cum vehiculo mellis roſ. ſolut. aut mannæ clarif.

Inde ad humorum præparationem ſanguini defæcando erit deueniendum, cui ſufficient ſucci depur. cùm ſanguis eductus nigrior quidem, atque calidior; ſed non ualdè uiſcidus, aut lentus fuerit obſeruatus; quare præbeatur ſuccus depur. cich. & agrim. ad ℥ iii. in decoct.

cich.

Digitized by Google

cich. borrag. meliſſæ, beton. acet. agrim. ſeptem, aut octo dies. Deinceps verò purgandi humores præparati, ſyr. roſ. ſol. cum elect. diacarth. & de ſucco roſarum; uel infuſ. rhab. ſennæ, & agar. addito ſyr. roſ. ſol. ſuperhauſta aqua Nocer. aut ſero ad ℔ ii.

Qua peracta expurgatione, præſcribatur naſarium, more tabaci, ex pulu. maioranæ, iridis Florent. & nigellæ, matutinis horis, in nares adducendum, atque eodem tempore, quindecim, aut viginti dies, præbeatur ſuccus cich. depur. ad ℥ iii. in iure pullæ iunioris, ſummo mane, à quo dormiat Nob. Pat. ſi poſſibile fuerit; in quorum ſuccorum medio uſu præbeatur puluis hermodactyl. poſtea verò in promptu ſit vinum ſolutiuum medicatum, vt tota maſſa ſanguinea paulatim deſæcetur, prout paulatim quoque impurior facta eſt; cuius in prandio, & cœna primus cyath. erit bibendus, donec totum aſſumptum ſit. paretur autem ſic. ℞. lentiſ. è Chio, chinæ an. ℥ i. radic. caryophylatæ ℥ ſ. baccar. iunip. contuſ. m. ſ. ſennæ rec. mund. hermodactyl. an. ℥ iv. turbith. radic. polypod. an. ℥ l. ſ. zingib. cinnam. an. ʒ i. vini nigri ad menſam conſueti ſitulam i. m. & ſex poſt diebus eius uſus inchoetur.

Sic autumnali tempore idem vinum repetendum erit, præmiſſa leui octo, aut decem dierum expurgatione.

Verùm duplicanda eiuſdem doſis, nam prima ſitula exhauſta, nouum erit parandum, vt quadraginta, vel quinquaginta diebus perduret, incipiendo à Septembris initio; prout Vere proximè futuro, ab initio Aprilis, quo modo præſeruari poterit Clariſ. Patiens à vera podagra. Quod ſi fortè arthritici dolores rurſus inuadant, eo caſu, capitis exſiccatio erit, decocto accommodato, & ſudoribus procuranda.

Interim materia in pede, & genu concluſa, omnino attenuanda, atque diſcutienda, ne diuturna mora tophacea fiat, & reſolui non poſſit; in quem finem, efficaciſſima erit huiuſmodi inunctio. ℞. pingued. anſeris, felis an. ℥ i. ſ. ſpir. ſalis ʒ i. m. ref. ad ignem, & bis die inungantur, & fricentur partes affectæ, quæ pelle agnina, genu potiſſimum, muniantur.

Reſoluta verò materia, roborandi erunt articuli balſamo hoc. ℞. ol. de nuce moſchata expreſſi ℥ ſ. ſpir. ſalis ʒ ſ. m. ref. & exigua eius portione manu inuncta fricentur articuli. Vinacea quoque, autumnali tempore, ſi opus fuerit, conuenire maximè poterunt.

His omnibus congrua victus ratio addatur, uitando aerem matutinum nocturnum, atque impurum; alimenta pariter craſſæ, & glutinoſæ ſubſtantiæ arcēda, vt carnes omnes annoſæ, & pingues, ac potiſſimum ſuillæ, bubulæ, agninæ, extrema omnium animalium, anſerinæ anatinæ, volucres paludum, & lacuum, piſces paludoſi, & ſquamis carentes, ut Anguilla Tinca, & huiuſmodi alii. Caſeus potiſſimum antiquus, lagana, legumina omnia, frequens, & copioſus uſus fructuum, gelidi potus, prout & vini meracioris. Somnus ſit nocturnus, modicus autem diurnus. Exercitia quam maximè prodeſſe poſſunt, ſed ieiuno ventriculo. Venus [a] ſummè lędit; quare ſit rara, commoda, & ſemel menſe. Quammaximè verò conferre poterit harum pilul. uſus, ante cibum. ℞. pilul. maſtich. ʒ ſ. magiſt. mechoac. gr. xv. m. f. pil. & aur. Et tandem alacri, ac præſenti animo uiuat. Quæ omnia Viro Clariſſ. atque optimè merito à Deo ſalutaria enixè precamur.

a Act. Tetr 3. Serm. 4 Cap. 20.

P O.

LXXVII.

PODAGRICI DOLORES.

DOlores Gonagrici, quibus paulò poſt podagrici quoque ſucceſſerũt, magnum ádeò augmentum ſuſceperunt, vt motus impotentiam induxerint. Hi verò ortum ducentes ab humorum influxu, & quidem à prædominio crudorum, atque pituitoſorum, cum aliqua bilioſorum miſtura, vehiculi loco. Qui humores non à ſolo capite, verùm multò magis à toto tranſmiſſi fuere; quorum productio haud difficilis fuit in Excell. Patiente, totius præhumido temperamento prædito, abſtemio, & copioſo aquæ potui frequentiſſimè, paucis horis à prandio, aſſueto, à qua cibus incoctus in vaſa peruadens, ſpatio temporis, totum corpus cruditatibus coinquinauit, quibus natura maſſam ſanguineam tandem exhaurire coactæ, atque conata, eaſdem ad articulos detruſit; quorum cauitates quoniam adeò copioſam, & exuperantem materiæ molem capere non potuere; ideo muſculorum quoque ſpatia, atque carnes eadẽ repletæ ſunt, & œdematoſi tumores, foueas admittentes, ſuborti: à qua fluxione nec articuli manuum immunes fuerunt.

Eſt equidem hic affectus non paruifaciendus, non modò quia motus progreſſiui interceptionem minetur; ſed multò magis quia ex eiuſdem radice alia mala expullulare poſſunt, vt Cachexiæ, & Hydropes; atque adeò, reſtituto motu, ad intemperies, tum ventriculi, tum iecoris contemperandas ſedulò deueniendum fuerit, vt Excellentiſſimus Patiens ab imminentibus affectibus præſeruari, & à præſentibus liberari poſſit.

Quare primò materia antecedens euacuanda, & ab articulis diuertenda, iam fluxa ſenſibiliter, & inſenſibiliter reſoluenda; intemperies partium mandantium corrigendæ, & articuli roborandi.

Et ſi remedia Chirurgica conſideremus, ſanguinis miſſio, præſenti caſu, admittenda non eſt; licet Paulus, a & alii ex Medicinæ Principibus aſſerant, ſanguinem mittendum, etiam in pituitoſioribus, & atrabilaribus; etenim corpus obeſum, & ad Cachexiam valdè propenſum. Cauteria parum, aut nihil prodeſſe poterunt; cùm humores ad articulos potius trahant.

a 3. de Re Med. 78.

Petantur itaque à fonte pharmaceutico remedia Euacuantia, Præparantia, Intemperies Corrigentia, & articulos Roborantia.

Et primò quidem de euacuantibus dubitatur, num ab initio purgantia conuenire poſſint, non præcedente coctione. Verùm in caſu noſtro, dilucidatur dubium, quia materia turget, ideoque ſtatim purganda, antequam tota in articulos irruat, & in iiſdem defigatur; hinc Tral. b Hermodactylatam laudat in principio, & fine; in principio quidem, turgente materia; in fine verò, eadem concocta. Expiatis itaque primis uiis, aut Clyſtere, aut Potione ex Man. clarif. interpoſito diei ſpatio, præbeatur hermo dactyl. ad ℥ ii. & duobus ſequentibus diebus præparentur humores craſſiores Mel. roſ. & oxymel. addita pauca aqua cinnamom. uel Iulap. acetoſ. Cinnam. & Cort. Citri aromatizato. Deinde iterum hermodac. repetatur, eodem ordine, tribus ſaltem, aut quatuor vicibus. Inde ad materiam ad articulos iam confluxam præparandam deueniendum, Oxymel. ſimp. Syr. de beton. & de Iua, cum decoct. beton. ſt œch. Iuæ, borragin. cichor. & abſint. & quidem ſeptem, aut octo dies; mox expurgandi forent humores Pilul. Aggreg. Coch. & Maſtic. verùm quoniam bolos aſſumere nequit, ideo exhiberi poterit Magiſt. Ialap. & Mechoac. correctum Sale Abſint. quod medicamentum quarto quoque die, aut quinto bis, aut ter repeti poterit, & intermediis diebus, Theriacæ ʒ ſ. cum ℈ ſ. ſalis Abſint. aſſumat Excellentiſſimus Patiens.

b Lib. 11 Cap. 1

Ita purgato iterum, atque iterum corpore, Capitis etiam expurgatio per naturales ductus erit matutino tempore curanda, leui aliquo Naſario; quale eſſe poterit, puluis maior. & rad. Iridis, in nares adductus, inſtar Tabaci. Et demum frigida, atque humida ventriculi intem-

intemperies erit emendanda, & natiuus calor hepatis fouendus, vt proba perficiatur hæmatoſis. Id autem commodè præſtare poterit ius quotidianum.40. dies, mane ſumptum ex ligno Lentiſc. Roremar. & Saſſafras paratum; cui præmitti debet bolus ex Tereb. Cypria, cum Sale Iuæ, & Abſint. A cuius uſu, magnæ Antidoti, & potiſſimum Theriaca antiqua, ad natiuum calorem recreandum principem locum obtinebit, tota hyeme, bis hebdomada, aſſumenda. Succus quoque Abſint. condenſatus, à cibo ſumptus uentriculo, & iecori inſignem roborationem addere poterit.

Extrinſecùs quoque auxilia admouenda ad tumores œdematoſos diſſoluendos, tum ad articulos roborandos; ſic diſcutiendæ frigidæ materiæ emollientia ſemper reſoluentibus immiſcenda, ne tenuiori parte reſoluta, craſſior obdureſcat, & quodammodo lapideſcat. Perfricentur itaque partes manibus inunctis ol. lil. alb. cum aromatibus, in quo ebullierit, vſque ad conſumptionem, exigua aquæ vitæ portio, quæ poſtea muniantur pellibus agninis. Balnea quoque parari poterunt ex lixiuio forti, alterato rad. Alth. Lil. alb. foliiſque Chamæmel. & Melil. cui tandem addatur Salis, & Alum. portio; ſicque adhibeantur quotidie cruribus, pedibuſque lauacra, à quibus inunctiones præſcriptę uſurpandæ. Roborandis verò articulis præſtans erit remedium, nec naribus iniucundum, Oleum è Nuce Moſc. expreſs. & Spir. Salis reformatum, quo manibus illitis articuli quotidie perfricentur.

Victus ratio iam dictis proportione reſpondens prorſus neceſſaria eſt, vt Excellentiſſimus Patiens præſeruari poſſit, non modò à Podagra, verùm & à grauioribus malis. Quare, quantùm fieri poteſt, fugiat aerem Auſtrinum, nubiloſum, & Crepuſculum matutinum. Ignis in cubiculo ſi accendatur, paretur ex lignis, ut vocant, dulcibus, neque diutius prope ipſum moretur. Sæpè verò mutentur induſia, veſtes quotidie ad ignem exſiccentur. Ex cibis abſtineat omnino à carne ſuilla, Agnina, paluſtrium volatilium, à pinguibus, ab extremis animalium. Ex piſcibus à Conchilijs, oſtreaceis, & ſquamis carentibus, qui condiantur Menthaſtro, Apio, Petroſel. Abſtineat prorſus à lactarijs, à laganis, à leguminibus, exceptis oryza, hordeo, lenticula, & ciceribus rubris, iure potiſſimum. Inter olera, concedantur braſſica, ſelinum, fœniculum, cæteris omnibus damnatis. Inter fructus, Amygdalæ, Piſtacia, Oliuæ, aliquando & Pyra cocta. Cœna ſit prandio parcior, nouemque horæ ſaltem utrumque intercedant. A cibo frequens ſit uſus Maſtiches, cuius grana duo, uel tria integra deglutiantur. Aquæ cruditas, potu quotidiano, ſi fieri poſſit, corrigatur ſola infuſ. aut Cinnam. integri, aut cort. Citri, cum ſacch. Somnus ſit nocturnus, moderatus, coctionibus tamen par. Exercitium quammaximè prodeſt; etenim ex [c] Hippoc. *Labor articulis, & carnibus; cibus, ſomnus viſceribus.* Verùm ante cibum, ex eodem [d] enim, *labores ante cibum*. Aluus lubrica ſeruetur, imò ſemel menſe, conſuetam habeat humiditatum excretionem, arte ſolicitatam, Magiſt. iam dictis, tum Ialap. tum Mechoac. addito ſale, tum menthæ, tum abſint. ratione uentriculi, & hepatis. Animi paſſiones arceantur, præter iram. Quæ omnia Viri prudentiſs. tutiſſimæ adminiſtrationi commiſſa, optatum finem conſequi poterunt, quem nos feliciſſimum à Deo enixè precamur.

c 5. in 6. Epid. 10.
d 4. in 6. Epid. VI.

P O-

LXXVIII.

PODAGRA, CVM NEPHRITIDE.

VIr annorum 66. temperamenti, ſecundum totum, & iecur, calidi & humidi, carnoſi habitus, poſt immodica exercitia, tum ambulationis, tum equitationis, necnon poſt vſum Veneris immoderatum, decem abhinc annis, doloribus articularibus obnoxius, derepentè dolore circa ſpinæ vertebras lumbales correptus fuit, adeò atroci, & ſæuo, vt vix ambulare potuerit, quo leuatus, non verò liberatus fuit, validis medicamentis adhibitis, quo tempore metu quodam abſque vlla cauſa perculſus eſt.

Quatuor autem abhinc annis occaſione cuiuſdam prolapſus, dolor inſignis, in pedis ſiniſtri calcaneo eum diuexauit, à quo, nec medicamentis purgantibus, neque ſudorificis ſanari potuit, niſi quod, poſt hæc adhibita, & adminiſtrata æſtiui temporis beneficio, tribus, aut quatuor poſt menſibus, leuamen aliquod percepit; & tandem uſu vinaceorum, dolore omnino vacauit, priſtinæ ſanitati reſtitutus, atque adeo, quatuor integris annis inculpata valetudine gaudere potuit. Verùm ante dictum tempus præſcriptum, dum calcanei dolore affligebatur, ſuperuenit illi renum dolor nephriticus, à quo excreto calculo tophaceo, omnino conualuit, non amplius hucuſque recurrente; Tandem menſe Decembri proximè præterito dolore eiuſdem pedis iterum correptus fuit, qui motum omnino prohibuit, & Patientem domi manere coegit, duos menſes, abſque tamen medicis præſidiis perdurans, qui paulatim receſſit; quo tempore dolores nephritici recruduerunt, ad latera abdominis obliquo deſcenſu, inualeſcentes à motu, quiete verò ceſſantes. Quibus accedit conſiderandum, quod ſcil. in motu, non ſolùm dolores ingraueſcunt, verùm & urina funditur obſcura, turbata, & veluti cruenta, quæ omnia augentur, ex vehementiori, diuturniori, & concitatiori motu. Antehac tamen ex conſuetudine obſeruatæ fuerunt arenulæ ſubſidentes, in vrinis potius albis, & crudis, quàm nimis coloratis, & cruentis. Præterea obſeruauit Patiens, ſe melius habere poſt prandium, per aliquot horas, non ſolùm ex doloribus, ſed & ex vrinarum conditione. Dicti autem dolores in vtraque quidem, ſed in dextera potius, quàm ſiniſtra parte regionis renus percipiuntur.

Podagræ obnoxium eſſe, & nephritide præſenti premi Nobiliſſimum Patientem, ſatis ſuperque manifeſtum eſt, licet cauſa non adeò innoteſcat; dolores enim diuerſo tempore recurrentes, modò pedis ſiniſtri articulos diutius obſederunt, prout tribus abhinc menſibus, nephriticis affligi cœpit circa renes, & ad latera abdominis obliquo deſcenſu, recrudeſcentibus à motu, quiete verò ſedatis, quibus accedit conſiderandum, quod ex motu, non ſolùm dolores inualeſcunt, verùm & vrina funditur obſcura, turbata, & veluti cruenta; quæ omnia ingraueſcunt, quò maior, diuturnior, & concitatior præceſſerit motus, quæ nobis præſentis alicuius calculi certum indicium præbent. Primò quòd arthritis, & nephritis ſunt morbi [a] gemelli, partus eiuſdem matris, qui & ab eadem nutrice fouentur. Secundo quia præteritis annis, dum calcanei dolore excruciabatur, ſucceſſit nephriticus, cum tophacei calculi excretione. Tertiò quia toto præterito tempore [b] arenulæ in vrina ſubſidentes obſeruatæ fuerunt; ex quibus omnibus rationi omnino conſentaneum eſt colligere, in dextro rene calculum latitare; uel in aliqua eiuſdem papillarum, qui propterea motu corporis impingat in vas aliquod ad eandem pertingens, unde effluat ſanguis, vrinam cruentans, uel quod facilius ſupra papillas, in ipſa renis ſubſtantia hæreat, quòd non ſemper cruenta, verùm ex alia cauſa obſcura, & turbata eadem urina appareat, potiuſque ex motu, ob eandem alliſionē tophacei corporis, ad ipſam renis ſubſtantiam; uix enim credere eſt, quod illa vrinarum perturbatio, obſcuratio, atque cruor, à papillarum laxitate, urinæ depurationem non permittente, prouenire poſſint, cùm proximos præteritos errores, quorum occaſione id contingere potuerit, non audiamus; prout vitam liberam prægreſſam, & cauſam efficientem excitare, ac materialem accumulare potuiſſe dubitandum

a Mercur.

b 6 de Loc Aff. 3.

non eſt; naturalem verò vaſorum [c] malam conformationem, tanquam cauſam ſine qua non, præfatis omnibus accedere omnino aſſerere neceſſe eſt.

c 1. de Alim. Fac. 6. & 1. in 6. Ep. Co. 6.

Ex dictis autem duobus affectibus, prius curandus à nobis eſt, qui magis urget, & præſens eſt;alter enim rautùm præſeruationem poſtulat. Quare renali dolori incumbendum,altero non neglecto, idque antequam excreſcat calculus, ita vt egreſſum ſibimet ipſi intercludat, non ſine vitæ periculo.

In quem finem, curatiuæ ſunt proponendæ,& adminiſtrandæ Medicæ intentiones; ita vt primæ viæ mundentur, expurgetur totum, renes emolliantur, & laxentur, humores verò attenuentur, & meatus expediantur, uel expulſione, uel attritione calculi; inflammationem ſemper arcendo, &,ſi opus fuerit, dolores demulcendo. Quæ omnia elegantiſſimè nobis tradit Hippoc. [d] remediis à Chirurgia, Pharmacia, & Diæta depromendis perficienda.

d 2. in 6. Epid. 6.

Et primò quidem cùm totum ſanguine redundet, ex brachio, ſeruata rectitudine, educendus; mox in progreſſu ex pede.

Prima verò regio expianda potione ex manna clariſ. deinde præparatio fiat,ſine diluto, oxymel. cort. citr. & cinnam. aromatiz. ad ℥ iii. ut ſex poſt diebus, purgentur humores eadem potione,addito melle roſ. ſolur. Inde efficacior repetatur præp. oxymel. cum ſyr. de cich. cum rhab. in decoct. cich. borrag. meliſſæ, end, agrim.& ab ea,noua expurgatio infuſ. agar. rhab. ſennæ, addito ſyr. roſ. ſol. & manna.

His peractis, ut primæ uiæ abluantur, abſtergeantur,& uentriculus roboretur, aqua Tettuciana, cum uehiculo mell. roſ. ſol. tribus diebus exhibenda, ut inde ad diuretica, renes laxantia, & calculum impellentia,ac deturbantia tutò deueniri poſſit. Paretur itaque potio quotidiana, ad libram, ex aqua capil. Ven.& Ononidis, cum ſpiritus tart. ter rectif. ℈ i. cui potioni præmittatur ʒ i. terebinth. cum pulu. oſs. oculor. cancri reformatæ. In horum verò vſu perſiſtendum, eodemque tempore, duabus horis ab aſſumpto diuretico, in balneum deſcendat, quod tepidum paretur, ex aqua dulci,alterata malua,meliloto, parietaria, radic.altheæ, lil. alb. & liquiritiæ. Mox verò à Balneo illinatur renum regio, obliquo ad veſicam ductu, manibus inunctis oleo lil.alb. & de ſcorpionibus, & hora poſt, deambulet, aſcenſu,& deſcenſu per ſcalas repetito.

Interim aduentāte tempore uſus aquarum vitriolatarum acidularum, in Valle Solis erūpentium, eò ſe conferat Par. etiam ſi calculus excretus, & renes omnino expediti fuerint, cùm ad curationem non ſolùm, verùm & præſeruationem eædem aquæ efficaciſſimæ ſint, vt quæ non ſolùm materiam à renibus deturbare, atque detrudere, verùm etiam refrigerare,& renes roborare,ac ſanguinem ſiſtere ſint aptæ. Quare uèl abſque calculi quinetiam præſentia, laxatis renibus, quam maximè prodeſſe poterunt; neque formidandum, ſi nonnunquam dolores articulares exuſcitent.

Quibus omnibus congrua victus ratio nephriticis, & arthriticis accommodara, à Viro Excellentiſs. Adſtante præſcribenda,addenda erit,ut Nob. Par. iuxta vota noſtra, priſtinam ſalutem adipiſcatur.

Digitized by Google

LXXIX.

PODAGRA, ET ISCHIADICVS DOLOR.

DOlores articulares, propriè magis Podagrici, & Iſchiadici denominandi, Illuſtriſs. Comitem torquentes, ut cauſam materialem agnoſcunt cruditates, non quidem in partibus affectis genitas; verùm à capite, & potiſſimum à toto tranſmiſſas, & à copioſis ſeroſitatibus ad partes affectas transfuſis; quarum causa efficiens, non modò viſcerum diſcraſia inæqualis, capitisque humida intemperies cenſenda eſt; ſed multò magis errores in viuendi ratione vſquequaque de more commiſſi, & in uini potiſſimum, tabaci, & immodicæ, atque intempeſtiuæ equitationis vſu; vt à cauſa verò ſine qua non, à natiua ſcil. articulorum imbecillitate, genita in toto excrementa articuli facilè ſuſceperunt. Et quia per arterias magis, quàm per ſpatia, tenues cruditates, bilioſis ſeroſitatibus permiſtæ, ad partes affectas decubuerunt, ideo in molem pars non eleuatur; ſed ligamentis [a] infarcta materia motus impedimentum, & tenſiuos dolores fouet,

a de Motu Muſc. 2

Horum autem affectuum curatio difficilis, præſeruatio impoſſibilis à nobis cẽſetur; ægrè namque Patiens Illuſtriſs. tum medicamenta attenuantia, tum victum extenuantem tolerare, & ægerrimè neceſſariam omnino viuendi rationem ſeruare poterit; quibus adde hæreditariam conditionem, quæ nulla arte auferri poteſt; ac tandem anni tempus, ſanitati conſequendæ quammaximè aduerſum; nihilominùs difficultas nos deterrere, nec à curatione inſtituenda flectere debet, ne interim tophaceus, & omnino inſanabilis euadat affectus. Quamquam hoc anni tempore importuno, ſolam curationem tentandam eſſe, & præſeruationem in proximè futurum Ver, quoad fieri poteſt, differendam, ex vſu exiſtimemus.

Atque adeò totum quidem euacuandum, & caput. Nouus excrementorum prouentus, congrua victus ratione, inhibendus, & frequenter imminuendus; materia verò in partibus reſoluenda, & quantùm permiſſum fuerit, eædem roborandæ.

In quem finem, commendatur utraque ſanguinis miſſio propoſita, tum ex manu, tum ab hæmorrhoidibus. Et quoniam habemus ex Hipp. [b] *Coxendicum fieri, cùm ſanguis à bile, & pituita ægrotauerit, & in ſanguifluam venam incubuerit*; ideo libenter, toto benè expurgato, tandem ad Iſchiadicæ venæ [c] apertionem deueniemus; niſi tamen cucurbitulæ [d] ſiccæ, cum multa flamma affixæ, & rubificantibus applicatis ceſſerit affectus. Cauterium quoque probamus in ſiniſtro brachio.

b de aff. 10

c de Sang. Miſſ. 18.

d 10 per Loca 2.

Pharmaceutica remedia propoſita, toti expurgando, ſunt exhibenda, à quibus ſerum, aut aquam hordeaceam hauriat. Inde ad topica euacuantia, eaque repetita deueniendum, aut hermodactylatam, aut pil. aggreg. & de hermodact. Nec interim capitis expurgatio negligenda, placido errhino, ex puluere iridis, maioranæ, & nigellæ parato, manè tantùm. Quibus peractis, ius lentiſco è Chio, ſantalo, & roremarino alteratum, cum chamæpit. omnino erit præſcribendum. Et quia hyemali tempore humores ad centrum facilius mouentur; ideo præmittatur bolus, ex terebint. Veneta, cum ſale iuæ; & quidem per menſem, non cũ tenui, ſed cum mediocri victus ratione. Mox vinum ſantalo rubro, & lentiſco medicatum tota hyeme bibat. Ad reliquias verò, tum humoris, tum doloris abſumendas, in pede fiat inunctio, ex adipe anſeris, & felis, addito ſale, & aquæ vitæ portione, quæ per ebullitionem conſumi debet. Coxæ verò applicetur ceratum oxycroceum, alutæ inductum, cùm luta, & Balnea Montis Falconis, alioquin præſtantiſſima, ob anni tempus inopportunum, adhibere non liceat,

His addatur accommodata uictus ratio, quæ à Viro Exc. Adſtanti ſumma cautione erit præſcribenda & opportunè mutanda. Interim prima menſa ius Endiuia, aut borragine alteratum in vſu erit; & menſa poſtrema duo, aut tria grana maſtiches integra deglutita. Bis verò menſe aſſumat magiſt. Mechoac. ad gr. xv. vel ad ſummũ, xx. pauco elect. lenit. ſubactũ, etenim citra vllam ventriculi noxam, ſeroſitates cuiuſcunque generis expurgare ſolet. Quę omnia Illuſtriſ. Viro à Deo ſalutaria precamur.

LXXX.

I S C H I A S.

Licet vtcunque manca, nec accurata ad nos peruenerit hiſtoria ſtatus Nobiliſſimi Patientis; imò neque capitis eiuſdem temperamenti, vitæ prægreſſæ, & præteritorum forſan affectuum, ſiue aliorum dolorum; nihilominus quamaccuratiſſima, quò fieri poterit, coniectura, paucis dolorem ipſum affligentem, eiuſque cauſas indagabimus, & curationem eiuſdem aſſignabimus.

Affectus itaque, qui ſex abhinc menſibus in articulo coxæ affligit Nobiliſs. Pat. adeò vt motum progreſſiuum eiuſdem intercipiat, à parte affecta,[a] Iſchiadicus dolor appellari ſolet; atque à Plinio Coxendicus; qui tandem à Gal.[b] ſub genere arthriridis fuit collocatus, licet diù Græci iſchiadicum[c] dolorem, arthriticum nominare cõſueuerint. Eſt autem ratione loci affecti legitimus iſchias, quoniam in articulo ipſo, non autem in gluteis muſculis, os Iſchium, & Ileum extrinſecùs obducentibus, dolor percipitur.

[a] 2. Meth. 2. [b] 2. Per Loc. 2. [c] 4. in 6. Epid. 3.

Cauſam verò communẽ agnoſcere ſolet dolor hic humorũ[d] redundantiam, cum ipſius articuli imbecillitate. Et licet humor eſſe poſſit aliquando ſanguineus; vnde[e] Polemarchi Vxori dolor contigit, quia ipſi menſes non fluebant, ſicuti alteri cuidam mulieri[f] ceſſabat dolor idem in conceptu; nihilominus, habita ætatis ratione, ab humore crudo prædominante, accedentibus tamen bile, aut melancholico ichore, vehiculi loco, originem habuiſſe exiſtimamus, Patiente ad melancholiam procliui, gracili, calidiorique iecore, à nobis conſideratis. Dubium autem apud nos, quænam ſit pars ipſa mandans, num ſcilicet cruda, & pituitoſa materia, à capite per muſculorum ſpatia, aut medullæ ſpinalis parietes decurrens, quæ in cauo, vbi os femoris cõnectitur cum oſſe iſchij, hærens, eundem replens, & partes neruoſas, ſiue tendinoſas vellicans, & forſan ligamentum nonnihil diſtendens, circunſitas iam dictas partes comprimat, & vtroque modo continuum ſoluens dolorem inferat, & ad motus impotentiam Patientem Nobiliſs. perducat; an potius bilis, & pituita in ſanguifluam venam incubuerint; atque ita, cum Hipp.[g] ſanguis à bile, & pituita corruptus ægrotauerit; unde à toto, non à capite ipſius origo ſit deriuanda, quo caſu, ventris inferioris potius, quàm ſuperioris ratio foret habenda, cùm à uentriculo pituitoſos, & crudos humores, non à capite prouenire; prout ab hepate bilioſos, foret omnino ſtatuendum; quarum partium imbecillitatem (niſi ab improportionatis obiectis procedat) priuatiuam potius, quàm poſitiuam eſſe cenſebimus, diſtracto nimirum ab ipſo ventriculo calore ex cõtinuis, nec leuioribus ſtudijs, & negotiis, à quibus, tum iecur efferueſcere, tum ad melancholicos ichores producendos aptum reddi, nemo dubitare poteſt.

[d] 10. per Loc. 2. [e] 5. Ep. 35. [f] 2. Ep. 2. [g] de Affec. 30.

Quibus ita ſe habentibus, licet inter articulares dolores deteriorem, & ſanationis difficilioris locum præſens obtinear, ſeneſque ad mortem comitari ſoleat; attamen quoniam recens eſt, nec dum confirmatus, nec ætas ſenilis eſt, qua inſanabilis obſeruari ſolet; & præterea, quia efficaciora, & ſelectiora præſidia medica adhibita fuiſſe non intelligimus, ideo ſperanda ſalus. Quare in eum finem, curationem modò inſtituemus, donec plenius innoteſcat nobis ſtatus Patientis, cui præſeruationem adhibeamus, cùm recidiuas huiuſmodi affectus pati ſoleat.

Quare Medicæ intentiones erunt, primò dolorem mitigare, ſi urgeat. Secundò materiã redundantem expurgare, reuellere, intercipere, atque diuertere, & ſub finem ſolùm reſoluere, nunquam autem repellere. Tertiò eiuſdem productionem inhibere. Quartò articulum roborare.

Et à Chirurgia primò remedia deſumentes, ſanguinis miſſionem omnino conuenire credimus, ex brachio lateris laborantis; parcam tamen, ut ab hæmorrhoidibus tandem repeti poſſit; ab iſchiadica namque pedis affecti ſanguinis miſſionẽ rariſſimè profuiſſe obſeruauimus, cùm tenuior ſolùm, & calidior effluat; craſſiores verò, & frigidiores humores hæreant in vaſis partis affectæ: & præterea quia pars ipſa, ad crudos attenuandos humores,

calore

calore indiget, ut propterea iuuenibus tantùm, & plurimo ſanguine abundantibus ex uſu eſſe ſoleat. In progreſſu verò, & corpore perfectè expurgato, cucurbitulæ cum multa flãma, coxæ apponendæ, ex Paul. & Celſ. denſatis enim humoribus quammaximè conferre obſeruauit quoque Gal.[h] Frictiones quoque aſperæ, quinimò & ſinapiſmi uſurpati à Celſo, cum vtilitate quoque à nobis experti.

Et quoniam dolores quandoque adeò vrgent, ut ſubeant rationem cauſæ; ideo mitigantibus in principio utendum[k], præcipiebat Galen. in quem finem emplaſtrum parabat Celſus[l] ex farina hordeac.cum decoct.cort.cappar. & caricarum. Nos verò ex farina quidem hordeac. ſed cum decoct. cap. papau. albi, in mulſa, coxæ dolenti apponendum cenſemus.

- h 10. per Loc.2.
- i 4. de Re Med. 22.
- k 10. per Loc.2.
- l Loc.Cit.

Ex Pharmaceutico fonte reliqua ſunt depromenda remedia. Sic, præmiſſa primarum viarũ expiatione, lenienti aliquo ab aſſiſtenti medico præſcribẽdo, prima præparatio erit inſtituenda oxymel.& melle roſac.ad ℥ iii. aut iv. quolibet mane, quinque dies; inde verò aliquod leue purgans erit exhibendum; & deinceps noua præparatio decoct. cich. borrag. end. meliſſæ, beton. chamædryos, & chamepityos, cum oxymel. ſyr. de beton. & de iua; quibus inſiſtendum ad octo, uel decem dies; ſed interim tertio quoq; die clyſter acris eſt iniiciendus, ex decoct. utriuſque centaur. chamæmeli, mercurialis, betarum, & pulpæ colocynth. paratus. A qua præparatione conueniet expurgatio elect. lenit. diaphœn. & troch. alhand. uel pil. aggreg. fœtid. aur. & de nitro Alexandri.

Sic toto expurgato, ſi à capire defluat catarrhalis materia, id quoque erit expurgandum, bis ſaltem, quarto quoque die, præbendo pil. capitales cochias & aureas, atque interim matutinis horis errhinum uſurpandum, tabaci ritu, ex pulu. ireos Florent. maioranæ, & nigellæ paratum.

Quod ſi cruditates à ventriculo potius, quàm à capite originem ducant, quatuor, aut quinque continuis diebus, ſummo mane, bibat aquas nitroſas & ſalitas, cum vehiculo mel. roſ. ſol. aut alio huiuſmodi deiectorio.

Et tandem ad topica, tum interna, tum externa erit deueniendum. Internum erit pulnis hermodactyl. præp. tribus, aut quatuor vicibus, tertio, aut quarto quoque die aſſumendus. Poſtmodum ad materiæ inſenſibilem reſolutionem, præſcribatur decoctum guaiaci, ſalſæ, lentiſci, & iuæ, ſemel die, ſummo mane exhibendum, cum terebinth. Cypria, & iua. At ſi ſudor proliciatur, quod præſtantiſſimum fuerit remedium, omittẽda terebinthina, & ſubſtituendus bolus ex pulu. viperino conflatus, iam dicto decocto præmittendus; in cuius remedii uſu perſiſtat Pat. Nob. 40. dies, ſemel tantùm die, matutinis horis, ut diximus, decoctũ aſſumendo, & ſudorem prouocando, cum victu attenuante quidem, at non valdè tenui, ſed abſque vino; ſecunda namque aqua potus conſueti loco fuerit.

Mox topica externa ſunt applicanda. Et licet Paul. ex Gal. emplaſtrum de Iberide cæteris anteponat, & Trall. cum Celſo, ſalem torrefactum; nihilominus commodum, & efficax à nobis expertum eſt ceratum ex ammoniaco, tacamahaca, & ſucco herbæ reginæ confectum; ſicut ultimò tandem oxycroceum mirabilia operari ſolet, alutæ inductum, & toti coxæ applicitum.

His omnibus congrua victus ratio reſpondeat, humida alimenta omittendo, mulſam pro potu exhibendo, aut ſaltem vinum tenue, nec uaporoſum. Fugiat ſomnum meridianum. Corpus exerceat, ſi poſſibile fuerit; ſalubria namque in hoc affectu ſunt exercitia, deambulationes, aſſidui flexus, ſaltus, & curſus, ut monet Paul. & quidem ad materiæ attenuationem, & reſolutionem.

Pro præſeruatione verò uomitus bis menſe excitatus quammaximè conducere poterit. Habeatq; in uſu bis menſe, ʒ ſ. pilul. de tribus cum ℈ i. extrac. mechoac. Venus vitanda, & omnes animi paſſiones arcendæ. Quæ Nob. Pat. à Deo ſalutaria precamur.

DE

LXXXI.

DE PODAGRA, QVÆSITA.

Præſtantiſſime Vir,

ETſi viſu hucuſque mihi haud innotueris, Vir Celeberrime, doctrinæ tamen fama iamdudum te cognoſcere, admirariq; debui, adeò quidem, vt à te mirificè me recreatum ſentiam, qui ſcilicet lectione diſputationis, De Podagra, à te habitæ ſummoperè delectatus, literis tecum verſari deſiderio diu flagrarim; licet metu, ne importunus ad te accederem, hoc officium diſtulerim. Verùm tandem ſingulari tua humanitate in primis fretus, calamo diutius parcere deſtiti, ratus fore, vt ignoſcas audaciæ meæ, vtpote qui humaniſſimus, ex uberrimo fonte penitioris tuæ doctrinæ latices in me corriuare non facilè ſis dedignaturus.

Cùm autem perluſtrarem oculis mutuas illas inter Viros eximios diſquiſitiones, eas certè mihi componere, & conciliare uiſus ſum, quod ſcil. tibi, utpote Hippocrati addicto quammaximè, meritò debeatur palma; Alium verò tueri Galenum, æqui bonique conſulamus.

Duo tamen præ cæteris, circa illas, mihi negotium plurimum faceſſebant, quorum alterum fuit; Quo modo diſtinguere liceat podagram, ex propria cauſa, ab Hipp. propoſita; quod ſcil. podagra ideo ſit, quia ex ſanguine à bile, & pituita corrupro fiat, uel alioqui eo nomine ſit indigna, ſed arthritidis potius, quoniam à commoto, nequaquam corrupto ſanguine ortum ducat. Non enim ex febricula, podagram comitante, corruptionem prænoſcere licet, vtpote quæ non minus huic, quàm arthritidi accedat. Nec ex doloris aliqua diuerſitate, cùm uterque dolor, modò ſæuius, modò blandius diuexet; ſimulque uerißimum ſit, pleroſque podagricos torqueri dolore plurium articulorum, præterquam pedum, atque horum paucos admodum de pedum dumtaxar articulis conqueri, omnibus in confeſſo ſit. Neque mihi interim ſatisfactum puto, dignoſci ſcil. podagricos quibuſuis aliis ſignis, e. g. ex periodica inuaſione, utpote qui cognitionem differentiæ, ex propria cauſa eſſentiali, etiam à prima acceſſione podagrica dignoſcenda, nunc quæram, & expetam. Peto, inquam, quibus indiciis iſta corruptio à commotione diſtinguatur, & quale diſcrimen interſit; niſi enim huiuſmodi differentia innoteſcat, ita ut conſtet, eſſe talem corruptionem, non commotionem, uel eſſe commotionem, non corruptionem, nil planè docuiſſe Hippoc. per dictum cauſæ diſcrimen videtur. Aquam inſuper mihi hærere ſentio animaduertens, differentiam inter podagram, & arthritidem, in eſſentia perueſtiganda, ad mentem Hippocratis proponi, cùm in intentionibus poſtea recenſendis, remediſue adminiſtrandis, eiuſdem Hipp. conſulta penè flocci fiant; ſiquidem ad extirpationem podagræ, Hippocrati lactis, & ſeri cocti vſum perplacere, prout intentiones refrigerandi, humectandique cum incraſſatione ipſi probari compertum eſt; ſecus ac medica ferè hodierna communis praxis profiteatur, quæ potius contraria methodo utitur, attenuandi ſcil. exſiccandi, & calefaciendi (potiſſimum decoctis Chinæ, ſaſſæ, Guaiaci, & huiuſmodi) quam doctrinam, ex fonte Hippocratico minime hauſtam conijciens, ueram methodum medendi peruerti maximè ſum ſuſpicatus, an immeritò, abs Te, Vir Sapientiſſ. intelligere exopto; certum enim eſt, podagricæ affectionis originem, ſiccam, & calidam dyſcraſiam ſapere, quam proinde uera curatio eradicans, ſeu accurrata præſeruatio oppugnare debet, ſin minus, repullulet certè neceſſe eſt. Decoctis autem humoris, excrementiue podagrici geniti, nequaquam verò originis, uel generationis ejuſdem ratio habetur; abſumunt, inquam, hæc ſuccos podagram mox excitaturos; verùm eorundem generationem, nedum prohibent, quin potius promouent, & augent. Nec me later, prædicta decocta naturam aſſuefacere, & quaſi docere, ut abſumat, & diſcutiat per habitum corporis, quæ aliàs congeri, ad podagricos excitandos dolores ſolent; verùm ubi intemperies ſicca, & calida

eſt

Digitized by Google

eſt effectrix, calidis, & ſiccis velle naturam docere, ut euacuet; cùm cogenda potius ſit, frigidis, & humidis, vt non generet, irrationabile videtur. Neque obſtat, quod quædam frigida decoctis præmittantur, ab his enim longè ſuperantur. Hæc præter cætera, quæ ex controuerſiæ præſtantiſſimorum Virorum lectione mihi ſuppetunt, maximè digna, & dubia, ceu ſcrupulos diſſoluendos obtruderem, quibus nimirum quæro, in diuitum, & magnatum morbo profligando, quæ ratio, methodus, & remediorum materia magno Hippocrati uſui fuerit, cui communis praxis minus accommoda, & contraria habetur. Vale.

VIR PRÆCLARISSIME.

DVm tuam epiſtolam, Vir Eruditiſſime, lego, atque expendo, reipſum video, quia locutus es, animique tui præſtantiam, ingenij acumen, & ſummum in rebus Medicis iudicium ſumma cum voluptate admiror, atque ueneror; humaniſſimæ verò tuæ erga me beneuolentiæ multùm debere profiteor, non ſolùm verbis, ſed reipſa, animum gratum tibi exhibere exoptans, & contendens. Interim tuis quæſitis duobus de Podagra ſatisfacere conabor, quorum alterum ſpectat cognitionem, imò diſtinctionem arthritici doloris à podagrico, alterum verò curationem eorundem.

De primo itaque dico, quod ſigna diſtinguentia hos affectus inter ſe, deſumi poſſunt,
cum Hippocr. [a] ab eſſentia, à parte affecta, & à cauſa, necnon à ſymptomatibus. A do- a de Affec. 32.
loris quidem eſſentia, quoniam ſicuti in arthritide [b], *Dolores ſunt acutiores, & molliores*, hoc
eſt, breuioris durationis, & remiſſiores; ita in podagra, *Violentiores ſunt cæteris omnibus circa* b de Affec. 31.
articulos morbis, & diuturniſſimi. Quare tum dolor acutus, tum eiuſdem duratio eſſentialem
inter arthritidem, & podagram differentiam conſtituunt.

A parte affecta præterea deſumi poteſt differentia, quia dolor in arthritide, ab alio in
alium articulum migrat, quod rariſſimè in podagra contingit, licet & ipſa quandoque
plures corporis articulos implicare poſſit; quod ex Hippocrat. [c] Textu facillimè collige- c Ibid.
re eſt.

Sed tertiò cauſas quoque diſtinguere, cum eodem Hipp. [d] nobis, abſque vlla difficultate d Ibid.
licebit, conſiderata ætate, obſeruata diuturnitate, atque renitentia; Iunioribus enim facilius bilis, & pituitæ commotio, quàm corruptio contingit; ſicuti Senioribus corruptio magis, quàm ſola commotio; quoniam in illis calor viget magis, in his uerò excrementa plura generantur, eaque cruda magis, & corruptioni idonea, unde diuturno tempore durat podagra, & medicis auxilijs magis magiſque reluctatur.

Tandem ab ipſa febre peti poteſt differentia arthritidis à podagra; ſiquidem in arthritide ſola fit febris ephemera, ſpiritibus ex doloribus accenſis; in podagra uerò, uel eſt putrida, uel ſaltem inflammatoria, quæ non uno, aut altero die ceſſat, ſed multò diutius pro-
tenditur; unde [e] *Quibuſcunque morbi (podagrici) fiunt, ij ſedata quadraginta diebus inflammatio-* e 6. Aph. 49.
ne conquieſcunt. Sed inſuper addit Gal. niſi Medicus, aut æger aberrauerit; atque adeò Hipp. omnino addicti, facilè poſſumus differentiam arthritidis à podagra ſimul elicere, tum ab eſſentia doloris, tum à parte affecta, & à cauſis, necnon à concomitante ſymptomate, nimirum febre. Quibus conſiderationem nos addere ſolemus temperamenti totius, & partium, habitus corporis, anni temporis, tempeſtatis, regionis, vitæ anteactæ; omnia ab eodem Hipp. nobis examinanda alibi propoſita.

Alterum quæſitum fuit circa podagræ, & arthritidis curationem. Præcipiebat quidem Hipp. extrinſecùs refrigerantia, & repellentia, prout & noſtris temporibus fieri ſolet; intrinſecùs uerò medicamenta purgantia, à quibus præbebat lac aſininum, aut ſerum depur. ad ſiccitatem nimirum ex medicamento purgante uitandam; quibus & nos Hippoc. exemplo, uti ſolemus; unde, verbo, in curatione parum, imò nihil ab Hipp. intentione diſcedimus; ſicut etiam in præſeruatione cum eodem facilè conueniremus, ſi liber de medicamentis, ab ipſo conſcriptus, & citatus non perijſſet, vt notauit Gal. Nos itaque hoc tempore, habita bilis, & pituitæ ratione, ijſdem prius expurgatis, intemperiebus huiuſmodi humorum cauſis incumbimus, humiditati nimirum, tum capitis, tum ventriculi, iecoriſque caliditati; verùm nonniſi poſt humores iam productos expurgatos; atque adeò etiam herbarum decoct. refrigerantes, tum ſucci ex iiſdem expreſſi, & depur. tum ſerum, & aquæ ſtillat. refrig. ad iecoris calorem contemperandum, ac proinde bilis generationem inhibendam, à nobis præſcribuntur; ac tandem, ad cuiuslibet humiditatis è corpore eductionem, ſudores prouocantur, præmiſſo decocto, eoque procul dubio exſiccante, ut humi-

dæ in-

dæ intemperies emendari poſſint, & reliquiæ humiditatum abſumi; verùm in æſtiuis temperato, ne iecoris calor rurſus augeſcat. Et licet verum non ſit, originem podagricæ affectionis calidam, & ſiccam eſſe; id tamen lubens quoque concederem, prout & febrem ſemper eſſe intemperiem calidam, & ſiccam; cùm tamen pro præſeruatione, & ad cauſam tollendam, ſæpè attenuantibus, incidentibus, detergentibus calidioribus, atque exſiccantibus opus ſit, quibus tamen uti non licet in curatione, & præſente podagra; ſi quis enim non diſtinguens curationem à præſeruatione eadem vigente, calidis attenuantibus, & exſiccantibus, atque, verbo, decocto, & ſudoribus vtatur, tophaceam eandem reddet, unde miſeri Patientes, ad motum impotentes euadunt. Hæc pauca, ut tibi Viro ſapienti morem geram, atque obſequar, ſatis. Vale.

LXXXII.

SCABIES SICCA, HYPOCHONDRIACA, & Stranguria.

MArchionis Excell. ſtatus, tum naturalis, tum præter naturam, non minus doctè, quàm eleganter delineatus nobis proponitur, qui nos manu ducit in cognitionem ſymptomatum eundem moleſtantium, prout & morborum, & cauſarum, quæ curationem, & præſeruationem poſtulant. Malo itaque cutaneo, quatuordecim abhinc menſibus, affligitur Excellentiſs. Patiens, quod quidem pruritus primò eſſe potuit; verùm quod mox in ſcabiem deſciuit, dum prauus ſuccus, copioſior, & craſſior redditus, non modò inter cuticulam, & cutem; verùm & profundiùs penetrauit, & hæſit, cutemque, tactus organum inæqualiter eleuauit, & cum pruritu inæqualitatem, & aſperitatem induxit; cui quoniam ſiccitas accedit, ideo ſcabiem non vulgarem, ſed ſiccam, illamque non ploram tantùm, & pruriginem, ſed impetiginem, a & lichenem omnia produnt. Symptoma deprauati tactus, quod ſolutionem continui, cauſam immediatam agnoſcit; hæc verò præſentiam praui humoris, acris, & ſalſi, qui à capite, deſtillationibus obnoxio, & à feruidiſſimo Iecore originem duxit. Siquidem ab aeris inclementia, à cibis praui ſucci, & à validis, tum animi, tum corporis motibus diuturnis, in militari exercitio, harum partium naturales intemperies inſigne incrementum ſuſceperunt; vnde, tum caput ad catarrhalis materiæ, tum Iecur ad bilioſi humoris productionem vim adeò prolificam adepti ſunt, vt copioſi huiuſmodi humores ſimul miſti, ſalſi, & acres, tanquam inutiles, imò naturæ moleſti per arterias ad ambitum corporis, & partes cutaneas detruſi fuerint; qui cùm, utpote copioſi, craſſi, nec ſine aliquo lentore, inſenſibiliter digeri nequiuerint, ibidem hærentes, pruritum, & ſcabiem excitarunt, hancque ſiccam, ob calidam, & ſiccam iecoris, & ipſius cutis intemperiem; paulò verò humidiorem in cruribus, imò & manibus, tum ratione ponderis humoris, tum ratione ſitus, ac decliuitatis ipſarum partium. Et quoniam adeò copioſus eſt quotidianus bilioſorum humorum prouentus, ideo ad cutem omnes prorumpere, & peruadere cùm non poſſint, inter muſculorum ſpatia fixi, & putredinem nacti; Tertianas febres, cum rigore, ambitum corporis perreptantes, non ſemel excitarunt. Moleſtus equidem affectus, quia ſomnum interturbat, cruditatum cauſa euadit, quarum portio craſſior, atque tenacior, in meſenterio hærens, obſtructiones tactui obuias procreauit, quæ à feruore Iecoris exſiccatæ, & terreæ redditæ, hypochondriacam, ſiue flatulentã b affectionem produxerunt, hucuſque quidem abſque melancholia, nondum exuſto in illis vaſis ſanguine concluſo.

Quibus omnibus accedit frequentiſſima, nec ſine aliqua difficultate, meiendi cupiditas; c actio nimirum deprauata veſicæ, quæ primo intuitu, ſcabiei etiam in veſica præſentis ſuſpicionem nobis fecit. Verùm quia nec ſquamulæ e furfuraceæ vnquam cum vrina obſeruatæ fuerunt, nec dolor inſignis d in pectine perceptus, nec in urinis ulla e graueolentia; ſed potius in colore cruditas, & in ſedimento quandoque arenulæ, frequenter verò mucoſa, & alba materia; ideo eandem crudam, modò areſactam, & in arenulas coactam; modò

ſalſam

a 6 per Gē. 2 & 3. per Loca 7.

b 3. de Loc. Aff. 7.

c 4. Aph. 71. & De Nat. Hu. 16.

d 4. Aph. 81.

e ibid. 81.

ſalſam, huiuſmodi ſtranguriæ cauſam decernimus. Ita Hipp. in Epid. [f] *Stranguriosæ, non nephriticæ, ſed alia pro alijs*: dum ſcilicet uniuerſum corpus per renes expurgabatur. f 2. in 1. Epid. 8. & 41.

Sunt equidem affectus iſti non adeò facilè ſanabiles, quinimò difficiliores, hac Viri Excellentiſs. ætate [g] ſenili, & potiſſimum toto vitæ curriculo tot, tantaſque, tum animi, tum corporis ærumnas perpeſſi; unde radices altiſſimas egiſſe, non modò coniici poteſt, ſed vèl oculis apertiſſimè patent partium inſignes, & immodicæ intēperies, quæ ægrè corrigi poterunt. Nihilominùs omnia agenda, ne Vir adeò vita dignus, tabidus fiat, & in ueſicæ ſcabiem, imò & ulcus prolabatur. In quem finem, licet pro autumnali, vernum tempus optandum foret; attamē, ſi hoc etiam præſente, remiſſionem aliquam conſequi datum fuerit, eiuſdem ualetudini integræ, proximè futuro Vere, operam dare poterimus. g 6. Aph. 6

Medicæ itaque intentiones erunt, primas vias cruditatibus emundare; inde totum, & caput ab iiſdem, & ab humoribus bilioſis, quantùm fieri poterit, expurgare; Meſenterij obſtructiones aperire; cruditates à veſica diuertere: Iecoris, ſanguinis, & totius calidam intemperiem obtundere; cutem laxare; & pruritum ſedare.

Et in fonte Chirurgico, ſanguinis miſſionem, ſed parcam, per Iecorariam ſectam, neceſſariam cenſemus, prout opportuno tempore paruas, & plurimas cucurbitulas toti applicandas, cum ſolius ſubcutanei, & corrupti ſanguinis extractione; ante cuius tamen vſum laxandæ erunt totius poroſitates, & ſubcutanei humores attenuandi, balneo aquæ dulcis calentis; adeò ut moderatus ſudor prouocetur. Totius quoque illitus erunt parandi, de quibus ſigillatim ſuo loco dicemus.

Ex Pharmacia Leniens ſit conſuetum, ſyr. roſ. aur. vel potio aurea clarific. Inde, ſex dies, ſequatur prima præparatio iulap. acet. ex aqua agrim. parato, cort. citri, & fruſtulo cinnamom. aromatiz. ad ℥ iij. quod efficacius reddi poterit, additis ʒ iii. crem. tart. Inde idem repeti poterit medicamentum, exiguo addito rhab. cui tamen, inchoata euacuatione, ſuperbibat ſerum depur. ad ℔ ii. Hac autem primarum viarum euacuatione ſecuta, ſecunda erit inſtituenda præparatio ſuccis potius, quàm ſyrupis ſaccharatis, aut mellitis, hypochondriacis, atque bilioſis infenſis; atque adeò exhiberi poterunt ſucci depur. cichor. End. & borrag. ad ℥ iij. in decoct. cichor. borrag. end. acetoſæ, meliſs. viol ſumat. pomorum, & ſiliquarum, & quidem ſeptem, aut octo dies.

Inde fiat purgatio infuſ. rhab. agar. ſen. & polyp. in aqua borrag. expreſs. add. ſyr. roſ. ſol. & ſuperhauſto ſer. dep. ut ſupra. His peractis, ad maſſæ ſanguineæ defœcationem, bis, aut ter exhiberi poterit decoct. Epith. Mes. cum nigra rad. parata; quæ, ut temperatior euadat, immiſceri poterit ſyr. roſ. ſol. an. ℥ iij. cui potioni ſuperbibat, vel ſer. capr. vel aſin. copioſum, uel aquam Nocerianam. Et quoniam præberi non poterit, niſi tertio, aut quarto quoque die; ideo intermedijs repeti poterunt ſucci depur. in eadem decoct. addito quoque ſucco fumariæ. Hoc verò eodem tempore, caput per nares expurgandum, puluere inſtar tabaci mane per nares attracto, ex maiorana, iride Florent. & nigella parato. Quibus peractis, ad topica remedia, toti corpori adminiſtranda deueniendum; atque omnium primo, ſummo mane, aſſumat Excellent. Patiens puluerem viper. ad gr. xx. à quo bibat ius ex ſalſa paril. ita paratum. ℞. ſalſæ opt. inciſæ ℥ i. ſ. aqu. ſtil. acetoſæ. cichor. card. ſancti an. ℔ i. m. f. inf. per horas 24. dein. adde quartam partem pullæ iunioris, & bull. ad conſumpt. dimidij, fiatque col. pro tribus diebus, cum pulu. viper. aſſumenda, hora autem ab aſſumpto pulu. deſcendat in balneum paratum ex aqua dulci, alterata fol. malu. melil. lapat. & ſem. ſenugr. in quo moderatè calente maneat ad ſemihoram, ita ut prouocetur ſudor; inde ad lectum reducatur, in quo parum ſudet, & leuiter totum corpus detergeatur, quieſcat, & poſt duas horas prandeat. In huius autem balnei uſu perſiſtat ad ſeptem, vel octo dies; mox omittatur, & cucurbitulæ plurimæ paruæ, cum exigua flamma, toti apponantur, & citò amoueantur, ut ſanguis tantùm ſubcutaneus educatur, adeò ut totus non excedat ſemilibram. Perſiſtat deinde in uſu pulu. cum ſalſæ decocto, uſque ad dies xx. Quibus exactis, progrediatur Illuſtriſs. Pat. ad Iecoris, & ſanguinis Intemperiem calidam corrigendam, cùm huic intentioni quammaximè ſit inſiſtendum. Sed quoniam id agendum refrigerantibus, & humectantibus ſubſtantificis, non excrementitijs; ideo ſucci depur. cich. & borrag. repeti poterunt, in iure, herbis refrigerantibus alterato, ut ſonco, viol. hepatica, nenuphare, & huiuſmodi alijs. Quod ſi ex prægreſſa purgatione, totum corpus plus æquo extenuatum videatur, lac conuenientiſſimum eſſe poterit. Verùm quoniam naturale, licet aſininum, capiti intemperie humida affecto obeſſe poterit, ideo artificiale ſic parabitur. ℞. quatuor ſem. frigid. nucleorum pineorum, amyg. dulc. an. ℥ i. iuris pullæ endiu. alterati ℥ vij. m. f. emulſ. cui adde

ſacchari fini pugillum, & aqua roſac. aſpergatur, ut fiat potio quotidiana, primis horis matutinis ſumenda, ad dies 40. Hoc verò tempore balneum aquæ dulcis ex fol. malu. uiol. tepidum tantùm, locum haberet, niſi ab ambiente frigido prohiberetur; ideo, ſi omittendum uideatur, talis illitus diligenter paretur, & inſtituatur. ℞. aquæ ſtillat. lapat. ℔ ii. aquæ plantag. ℔ ſ. aquæ roſ. ℥ iij. ſucci limon. ℥ ſ. litharg. ℥ vi. ceruſæ ℥ ſ. ſublim. dulcis, ſalis, an. ℥ ſ. ſulphuris uiui ʒ iij. m. & miſta omnia permaneant ad horas 24. deinde lento igne B. M. deſtillentur, & hoc liquore ſpongiola attingantur partes ſcabioſæ, excepto capite, ventre, & thorace. Dum autem iam dicta adminiſtrantur, ad pruritum ſedandum, parari poterit aqua hoc pacto. ℞. aquę ex aurantiis deſtil. ℔ i. mercurii dulcif. ʒ ſ. m. & ad lentum ignem diſſoluatur, pro illitu partium prurientium, quo medicamento toto hyberno tempore uti poterit.

Congrua uictus ratio iam dictis omnibus addenda, & primò quidem ab ambiente frigido totum corpus diu, noctuque optimè munitum ſeruet, ut ſubcutanei humores inſenſibiliter diſſolui poſſint. Cibi ſint potius reſrigerantes, & prorſus humectantes, optimi ſucci, facilis coctionis, atque diſtributionis, verbo, ſeruetur regimen hucuſque præſcriptum. Solùm abſtineat à diureticis, etiam non legitimis, ne cruditates ad veſicam perducantur. In iure cum carnibus teſtudines bulliant, tanquam à proprietate iuuantes. Pulli pariter nutriantur viperis montanis, capite, & cauda abſciſſis, & exenteratis, vinoque optimè ablutis, conciſis, & in aqua decoctis, qua decoctione, cum carne earundem, atque farina aliqua, parentur pullis alimenta per xv. dies, quibus uti poterit Illuſtriſs. Patiens toto purgationis tempore,

Vinum quoniam rubrum renuit, ſit album, tenue, non dulce. Suppleat Vigilias nocturnas ſomnus diurnus. Quies motu laudabilior, aliquando tamen corpus exerceat in Rheda, aut Lectica. Aliquod etiam medicamentum familiare habeat, ſemel hebdomada, vt cruditates à ueſica diuertantur; conſtabit autem ex ſemidrach. pilul. de trib. cum rhab. additis gr. viij. magiſt. mechoac. vt f. pil. iv. aut v. erunt enim paruæ, & in ptiſana ſumi poterunt. Prima menſa, in uſum reuocet ius tenue, Endiuia alteratum, paſſulis nonnũquam antea maſticatis. A cibo aliquando deglutiat duo grana maſtich. integra. Societates geniales captet, & alacri, ac erecto animo uiuat. Atque hæc omnia Excell. Viro à D. O. M. ſalutaria enixè precamur,

LXXXIII.

SCABIES CVM FEBRICVLA.

DVM praua viuendi ratio, potiſſimùm in meri potibus, & immoderatis, ac violentis exercitiis, Nob. Iuuenis hepar, ac totum corpus (natura calidum) calidius ſemper, & ad ſebres procliue, atque diſpoſitum reddidit, mirum non eſt, ſi in iiſdem erroribus perſiſtens, iterum, atq; iterum febri correptus fuerit, & acutæ tandem per abſceſſum quartana ſucceſſerit, quæ ab arte medica non ſine admiratione ſublata fuit, permanentibus nimirum viſcerum primò lienis, tum & meſenterij, ac tandem hepatis obſtructionibus, nec defæcato ab impuritatibus ſanguine, quas natura à medico leuata, ad cutem detrudere, atque ita abſceſſum excitare fuit conata. Verùm quoniam ſufficiens non fuit huiuſmodi ad ambitum vniuerſalis tranſmiſſio, cùm adhucnũ maſſa ſanguinea non parum inquinata conijciatur, & conſpiciatur, & præterea cùm viſcera concoctionibus, atque defæcationibus deſtinata, affectu organico, atque intemperie adhucnum laborent; hinc ex aliqua cruditatum corruptela febriculæ quandoque procedunt; præterquamquod ex labore eorundem viſcerum naturalium, in ſuſcipiendis, conficiendis, atque elaborandis ipſis alimentis, inſignis affluat ſpirituum, & caloris copia, ſicque augeatur pulſus uſus, cuius cauſa Pat. ipſe ab aſſumpto cibo plures horas febricitans videtur; & potiſſimum cùm ex prauo ſanguine, nec ſpiritus, prout opus eſt, procreari, neque carnes produci poſſint; ideo nec priſtinas vires, nec priſtinum corporis habitum recuperare poteſt.

Ex

Ex quibus emergunt Medici ſcopi, uiſcerum obſtructiones reſerandi, maſſam ſanguineam defæcandi; hepatis, & hypochondriorum calorem contemperandi; & totum corpus nutriendi.

Quibus intentionibus, quin ſatisfacere poſſimus, non foret dubitandum, niſi anni tempus obſtaret. Quare differri quidem, at non auferri debere credimus. Neque vllum nobis faceſſat negotium Phthiſicus ſtatus, & mors ipſa fratris, ſiquidem deſtillatio ſalſa, & inde ſputum ſanguinis præceſſerunt, tabem in illo, quæ abſunt à caſu noſtro; neque corpus totum ad maraſmum frigidum, ſiue calidum, ſine Phthoe, adeò paratum, ſiue propenſum obſeruamus.

Aliqua igitur ſunt, etiam hoc anni tempore calido agenda; ſicut alia in autumnum proximum protrahenda. Et licet inhærere debeamus pluribus medicamentis à Viro Doctiſs. poſtremò adminiſtratis; nihilominus quoniam plures dies ijſdem omnino vacauit ipſe Pat. primæ viæ ideo rurſus ſunt expiandæ lenit. primò; inde præparandæ cruditates aliquæ in uentriculo, & primis viis crem. tart. quotidie, quinque diebus exhibito, in pauco iure cortic. citri alterato, diſſoluto. Mox repetendum medicamentum iam dictum, additis pilulis de tribus cum rhab. A quibus ſuccorum uſus erit inſtituendus, qui tum aperiendi, tum humores vaſorum præparandi facultate polleant, ſine inſigni tamen calore. Quare hoc præparans præſcribi poterit. ℞. ſucc. depur. cich. borrag. agrim. an. ℥ i. decoct. end. ſonci, malu. meliſſæ, ſcolopendrii ℥ iv. m. pro ſyr. & ſic pro aliis. Septem verò poſt diebus paretur infuſum rhab. & ſennæ, addito ſyr. roſ. ſolut. & de polyp. Vel exhibeantur boli ex elect. lenit. & conſect. hamech. cum pil. de tribus, à quibus hauriat Pat. ſer. depur. ad ℔ i. ſ.

Quoniam verò, tum obſtructionum reſeratio, tum ſanguinis defæcatio paulatim, & per epicraſin eſt tentanda; ideo opportuniſſimus erit uſus ſyr. Fernel. cuius deſcriptionem patienti accommodatam annexam dabimus. Præbeatur autem tertio quoque die, ad ℥ ii. in pauco iure cich. & malu. alterato; cui hora poſt ſuperbibat ſer. capr. depur. libram; & die intermedio ſumat ſuccos depur. cum decoct. iam præſcriptos, quibus addatur quoque ſucci fumar. depur. ℥ i. quinimò & ſuccis ipſis tart. uitriol. aliquot grana infundi poterunt. In his verò erit perſiſtendum, ad uiginti, imò triginta dies; à quibus ad uſum lactis aſinini erit perducendus æger, vtpote quod non ſolùm totum corpus nutriat, & ſubſtantificè humectet; uerùm & iecoris feruorem, atque ſanguinis contemperet, necnon ſicciores, atque contumaciores obſtructiones, humectando, ſuperet, incipiendo ab ℥ v. cum ſemicochleari ſacchari fini, & progrediendo uſque ad ℥ viii. & x. addito integro cochleari eiuſdem ſacchari, ſummo mane, quinque horis ante cibum aſſumendi, & quidem ad 40. dies; dummodò cum conſerentia, & tolerantia Viri Præclariſs. fieri poſſit. Quo tempore ueſpertinis horis, Balneum aquæ dulcis 15. ſaltem diebus erit adhibendum, alteratum maluis violis, foliis ſalicis, borraginis, vniuerſi interim corporis leuibus frictionibus, manibus oleo amygdal. cum igne parato inunctis, adhibitis. Atque tandem poſt præſcriptam ſanguinis depurationem, & Balneum (vniuerſali ſcabie non cedente) leuis aliqua exſiccans, atque detergens inunctio inſtitui poterit, & tandem lieni quoque ceratum compoſitum ex diachyl. & ammoniaco, applicandum.

Hiſque omnibus congrua erit addenda victus ratio, ſubſtantificè humectans, ab Excell. Viro præſcribenda, uinumque tamariſcatum, ad menſam, erit parandum, non dulce, non meracum. De agendis uero futuro ineunte autumno, in arena conſilium capiendum.

LXXXIV.

P S O R A.

Diuturnum affectum, & contumacem, qui Nobiliſs. Patientem, tot abhinc annis, affligere nunquam deſinit, libenter ſolo impetiginis nomine inſignitum uiderem; tunc enim ſola cutis aſperitas, cum pruritu Nobiliſs. Virum diuexaret; verùm quoniam præter iam dicta, cutis depaſcitur, & furfures à toto qualibet nocte decidunt; ideo impetiginem in Pſoram migraſſe cenſemus, & potiſſimum quia ſcalptu ſeroſitas non exigua à toto corpore manat; quinimò & ab eadem ſanguis ipſe; quæ non cutis ſolam aſperitatem, ſeu vitiatam læuitatem; ſed morbum in aucta magnitudine, & ſoluta vnitate nobis iudicant; quod ſi ulcuſcula à ſcalptu excitata altiora, & depaſcentia fierent, non ſolùm Pſoram, verùm & Lepram, Græcorum ſaltem, niſi Arabum conſtiruerent, à qua parùm diſtare præſentem minimè dubitamus; cuius [a] cauſa

[a] s. per Loc.6.

Gal. falſitatis non conuincimus, dum ſcripſit, quod ſi Lichenes, ſiue Impetigines diù perdurauerint, in Pſoram facilè tranſire ſoleant, addimus nos, Pſora verò diutius perſiſtens in Leptam quinetiam; in quam certè hucuſque prolapſus eſſet Pat. ſi habitus atrabilaris fuiſſet, & niſi alterantibus ſaltem medicamentis, & congrua victus ratione curatus fuiſſet.

In affectum autem impetiginoſum incidit Nob. Pat. ab intio, licet ad eundem nullam naturalem diſpoſitionem habuerit, quam adſcititiam contraxit, tum in viſceribus, tum in cute vniuerſa, ni cauſarum procatarcticarum, uiolenter agentium, piſcium ſcil. ſalitorum [b], & carnium immoderato vſu; ſicut cutis immodicè madefacta, atque laxata fuit, tum à ſudoribus non deterſis, tum ab humiditatibus roridis, in aurora admiſſis, tum à ſpontanea demerſione in aqua frigida, uerbo, ob omnium rerum nonnaturalium, necnon natiuæ optimæ corporis conſtitutionis abuſum.

[b] de Succ. Bon. Vit. 6.

Hinc iecur propriam calidam, & humidam temperiem, in calidiorem, atque ſicciorem mutauit, & partes cutaneæ totius corporis, præter laxitatem à prauæ conditionis excrementis, tot abhinc annis ad eaſdem expulſis, uitioſam quandam diatheſin corruptiuam adeptæ ſunt: unde genita varii generis excrementa, primò & potiſſimum exuſta, quorum ratione ſanguis eductus craſſus, liuens, & valdè ſeroſus obſeruatus fuit; prout igneus, & floridus in ſuperficie, ac proinde ſecundo loco bilioſa; & quoniam tenacitas in eodem ſanguine, imò eiuſdem ſero obſeruata fuit, mucoſa etiam, & glutinoſa, hanc tertiò peccate aſſerendum; quorum officina, tum iecur, tum caput, non ſine aliquo uentriculi fomite iure meritò à Viro Excell. ſtatuta fuit. Quæ excrementa niſi ab expultrice ualida ad ambitum corporis detruſa fuiſſent, lethalem aliquem affectum procul dubio Nob. Pat. hucuſque attuliſſent; prout ad cutem tranſmiſſa, commune totius emunctorium, cùm craſſior eorundem portio reſolui non potuerit, ibi coercita deteriorem conditionem adepta eſt, non quidem adeò exedentem, ut ſolutam vnitatem, ac proinde vlcera potuerit excitare; ſed eam tamen, quæ pruritum intolerabilem induxerit, & Patientem ipſum ad ſcalpendum compulerit; unguibus autem abrupta cuticula, ſeroſitas acida potiſſimum, ſed & acris emanat, nonnunquam ſanguine tincta; craſſior verò, & tenacior, humiditatibus exhauſta in ſuperficie exſiccatur, & in materiam furfuraceam excidentem conuertitur, atque ita affectum hunc conſtituit.

Qui ut ſanetur, exigit primò primarum viarum expiationem. Secundò totius ſanguinis purificationem. Tertiò intemperiei calidæ iecoris commoderationem. Quartò & vltimò partium ſubcutanearum [c] uitij, quod in laxitate, & putri humiditate ſitum eſt, correctionem.

[c] s. per Loc.7.

Quibus intentionibus ſatisfacere arduum equidem, & operoſum opus cenſemus, & niſi ſanetur, in Lepram affectum hunc breui deſciſcere poſſe credimus; attamen quia iuuenis, & boni habitus Nob. Pat. eſt, & quia nondum generoſiora, nec ſelectiora fuit expertus remedia; ideo deſperandum ſaluti non eſt, Nec ab ætatis mutatione beneficium eſt expectandum

Digitized by Google

dum, quoniam procedẽtibus pluribus proximis annis, calor temperamenti inualeſcens, ad Lepram non ſolùm, ſed & ad Elephantiaſin Virum Nob. perducere poſſet.

Hoc igitur fauente Veris tempore, generoſa eſt inſtituenda purgatio, repetita ſanguinis miſſione ex utroque brachio, & tertia vice ex hæmorrhoidibus. Cauteria ſi geſter foueantur. Reliqua ad hunc finem ſpectantia ordine executiuo proponentur.

Ex Pharmaceutico fonte primas vias expedientia deſumenda ſunt, primò caſs. lenit. cum tart. Præparans ſit iulap. acet. ad ℥ iij. cum ʒ iij. pollinis tart. aliquot gutt. aq. cinnam. aſperſi. Quinque verò, aut ſex poſt diebus, lenit. cum tart. repetatur, aqua hord. ſuperhauſta.

Inde vlterior procuretur præparatio, ſuccis depur. potius, quàm ſaccharatis, aut mellitis, vt. ℞. ſucci depur. cich. borrag. agrim. an. ℥ i. decoct. cich. borrag. end. ſonci, meliſſæ, acet. ſcabioſæ ℥ vi. ſucci lim. ℥ i. m. pro ſyr. & ſic pro aliis, octo dies; quibus abſolutis, præbeatur huiuſmodi purgans. ℞. elect. lenit. diacath. an. ℥ ſ. pil. de tribus ʒ i. m. f. b. & hora poſt bibat ſeri capr. ℔ ii. tribus verò horis ab eo prandeat.

His peractis, ad nouam deinceps, tum præparationem, tum expurgationem deuenire neceſſe eſt, ut ſanguis fœcibus expurgetur, & purior reddatur, in quam rem, diutius immorandum ualidioribus quoque electiuè purgantibus, quod hucuſque factum non video; cùm tamen niſi hic ſcopus impleatur, alteratio parum, aut nihil prodeſſe poſſit, vt ipſa experientia compertum eſt. Ita poſtridie ab exhibito medicamento, rurſus reuocetur ſuccorum depur. uſus hac ratione, ℞. ſucci depur. cich. borrag fumar. meliſſæ an. ℥ i. decoct. utriuſque bugloſſi, fumariæ, linguæ Ceruinæ, rutæ capr. card. ſancti ℥ vi. m. pro ſyr. & ſic pro aliis; ſequenti verò die, præbeatur ſyr. Fernel, iuxta noſtram deſcriptionem paratus, ad ℥ ij. in pauco pullæ iure, cui hora poſt, ſuperbibat ſeri capr. libram, alternatis ſuccis iam dictis, & ſyr. Fernel. per tres hebdomadas; verùm primis ſeptem exactis diebus, exhibeatur extractum hellebori nigri, hac forma. ℞. extr. helleb. nigri ℈ i. extract. ſennæ ʒ ſ. pulu. griſei gr. vii. flor. caſs. rec. ℥ ſ. m. ref. bol. quibus hora poſt ſuperbibat ſer. capr. ℔ ij. aut iij, quod genus medicamenti erit qualibet hebdomada repetendum.

His iam dictis, necdum huic intentioni, nimirum ſanguinis purificationi, omnino ſatiſfactum fuerit, ſine qua nihil. Quare tribus ſaltem alternis diebus, decoct. epith. Mes. cum radice nigra paratam, hoc opus abſoluere poſſe ſperamus, ad ℥ vi. à qua duabus, vel tribus poſt horis, hauriat ſeri depur. ℔ iij. & duabus horis ab eo prandeat; diebus verò intermediis, aſſumat pariter ſeri depur. ℔ i. ſ. vel ſuccos iam dictos depur. cum decoct.

His peractis, quoniam putredo, in partibus ſubcutaneis deliteſcens, purgantibus iam adhibitis procul dubio educi non potuit; ideo per poroſitates, nimirum per ambitum corporis, diaphoreticis erit diſcurienda; quod ſi aliquæ excrementorum reliquiæ in ſanguine adhucnum ſuperſtites fuerint, eaſdem per totius corporis ſuperficiem expellere licebit; prout excrementorum, & impuritatum copiam diaphoreticis ad cutem protrudere, & per eandẽ euacuare non licuit, minus verò eandem cucurbitulis ante iuſtum tempus attrahere. Quare omiſſis, & commiſſis affectum ſemper deteriorem, & ferè inſanabilem euaſiſſe nil mirum.

Subcutaneam itaque prauam diſpoſitionem ita nunc curandam eſſe cenſemus. Aſſumat Pat. quotidie, ſummo mane decoct. ita parandum. ℞. ſalſæ parillæ opt. inciſ. ℥ j. radic. Imperat. ℥ ſ. aq. ſtillat. acet. cich. card ſancti an. ℔ j. m. f. inf. per horas 24. deinde bull. ad conſumpt. dimidij, & colat. ſeruetur pro duabus vicibus; cui præmittatur pulu. viper. ad ℈ i. in pauca iam dicta decoctione diſſolutus, cui ſuperbibat ſtatim decoctionis reſiduum; in lecto autem ſe contineat, ſomnumque captet; & duabus, vel tribus poſt horis, in balneum deſcendat aquæ dulcis, alteratæ foliis malu. borrag. viol. ſalicis, brancæ Vrſinæ, lapatij, & ſatureiæ. Aqua autem ſit calida, & labellum linteis coopertum, ut in eodem balneo ſudor, licet non copioſus, ſaltem per horæ dimidium proliciatur, inde ad ſtratum calefactum perducatur, & pannis lineis abſtergeatur, atque exſiccetur; & tandem uniuerſum corpus ol. amygd. in quo vinum maluaticum ebullierit, manibus inungatur; ſurgat poſtea, prandeat, & veſtibus benè munitus corpus totum calens foueat, & ita quidem decem continuos dies; quibus cibis facilis coctionis, & exigui excrementi parcè veſcatur.

Decem verò exactis diebus, decoctum cum puluere viperino eodem modo aſſumere nõ deſiſtat, in balneum deſcendat; ſed ab eo egreſſus, cucurbitulæ paruæ quamplurimæ, ſiccæ, (quæ Cornetti vocantur) toti corpori applicentur; & ſtatim remoueantur, ne diù affixæ cutem uniuerſam magis obſtruant, nec excrementa educant. Ab his verò linteis calidis totum

tum

tum corpus abſtergeatur, & fricetur, eodem ordine, quinque dies; quibus præteritis, uſum adhucnum continuet, tum decocti, tum pulueris, & pariter balnei; à quo in lecto, poſt deterſionem linteis calidis, applicentur iterum quamplures paruæ cucurbitulæ vniuerſo corpori, ſed potiſſimum dorſo, natibus, & coxis, & quidem diutius, & inciſionibus factis ſcarificentur, nec amplius eidem loco affigantur, adeò ut primus ſanguis tantummodò extrahatur, cuius ſumma quantitas ℥ vi. vel vii. non excedat. Sequenti verò die, repetatur decoctio, cum puluere, & balneo, miſſis cucurbitulis; tertia die omnibus eodem ordine repetitis, rurſus cucurbitulæ, ſiue (Cornetti) applicentur, extra inciſiones præteritas, educto ſanguine, ut ſupra.

Sequentibus verò aliis duobus diebus, omnia repetantur, cucurbitulis, & ſudore exceptis, & totum corpus leuiter fricetur, manibus huiuſmodi aqua madefactis. ℞. aquæ ſtillat. autant. ℔ i. mercur. dulcif. ʒ i. m. & leui ebull. diſſoluatur.

Viginti verò præteritis diebus, poſt uſum ſc. tum decoctionis, tum balnei, & pulueris cum ſudore, ſi Excellentiſs. Adſtanti è re viſum fuerit, medicamentum exhibeatur, ſolutiuum quidem, at non purgans, quale fuerit pot. ex manna clarif. & ita ſoluentia medicamenta abſoluantur. Quotidie autem, mane, & veſperi, corpus vniuerſum iam dicta aqua, ſpongiola, aut manibus madefactis, illinendum, qua niſi ſuperficies emundetur, & mundata conſeruetur, alia infraſcripta in vſum reuocetur. ℞. aq. ſcab. plantag. roſar. an. ℔ j. alum. crudi ℥ ij. ſublim. dulc. ʒ j. m. & perfectè diſſol. omnia ad vſum. Tepida autem admoueatur; quibuſdam enim altera, aliis altera profuit.

Interim ut iecoris calida intemperies refringatur, & obtundatur, Aquę acidulæ vitriolatæ, in Valle Solis ſcaturiẽtes, opportuniſſimæ erunt, utpote frigidiſſimæ, tum actu, tum virtute, omnique ſulphurea qualitate exutæ, ad quas accedere opus fuerit Nob. Pat. circa Iulij menſis dimidium. Quibus aſſumptis, ſi reliquiæ aliquæ forſan in cute repullulauerint, ad Balneum Sancti Petri, vel Aponenſe ſe conferat, quo omnino cutis, tum exſiccabitur, tum roborabitur.

Et quoniam corporis habitus ſatis carnoſus, ne dicam obeſus nobis uidetur; ideo lactis uſui ſubſtitui poterit cyathus aquæ ſtill. de ſucco cich. cum conſerua de acido citri, 15. dies, Auguſto Menſe, matutinis horis aſſumendæ.

Hiſque omnibus congrua uictus ratio, à Viro Doctiſſimo iam inſtituta erit addenda, hoc ſolùm monentes, quod mane, & ueſperi, prima menſa, toto anno in uſum reuocet ius, intybo, uel oxalide alteratum. Quæ omnia D. O. M. ſalutaria præſtet.

LXXXV.

CANCER MAMILLÆ, ſine exulceratione.

a 6. Aph. 23. TRiſtitia, & metus a Nob. Patientem olim, & in præſentiarum affligentes, eandem melancholicam produnt; pulſatio autem arteriæ, & alui ſtypticitas, ab hypochondriis; ſicut & gracilitas corporis, & color totius ſubliuidus, conſenſum à toto nobis euidentiſſimè palam faciunt; quod magis confirmat tumor durus, rotundus, inæqualis, qui, anno elapſo, in dextera mamma extuberare cœpit, & in dies ſemper augmẽtum ſuſcepit, cum venula ſupra eundem oberrante, & ſerpente; qui nouiſſimè dolens factus eſt, utpote qui naturam canceroſam omnino ſapiat; ad cuius augmentum, Cancri conditiones omnes ſemper magis

b 3. de Sympt. Cauſ. 8 innoteſcent. Hic autem à ſanguine [b] atrabilari procul dubio ortum duxit, eoque ab intemperie iecoris calidiori producto; qui quoniam ſua craſſitie uteri vias anguſtiores permeare, & effundi omnino non potuit, & ad uaſa hæmorrhoidalia [c] decumbens, adſtricta eadem

c 4. ad Glauc. 10 habuit (quo caſu Eudemus [d] in Lariſsa interiit) neceſſe ei fuit, tum per alia, tum maximè

d 6. Epid. Num. 10 per epigaſtrica vaſa, quæ ſurſum aſcendentia mammariis iunguntur, ad mammas transfundi, & ab ijsdem in mammæ ſubſtantiam penetrare, vbi hærens durum tumorem atrabilarem,

rem, cancerosum ſcilicet excitauit, non parum ad id conſpirante ætate inclinante, quæ cineres, & aduſtiones iuuenilis caloris, ut notauit Hipp. [e] prædominari ſolent. Quod ſi humor hic atrabilaris ad bilioſam potius, quàm ad ſanguineam aduſtionem inclinauerit, dolores inualeſcent ſæuius, ac tumor facilè, & breui [f] exulcerationem inducere poterit.

e 3 Progn. 28.
f de Tum. p. n. 7 & de Atrabil. 4.

Affectus equidem ſui natura inſanabilis, ob humoris craſſitiem; namque, ut ait Paulus, neque repelli, neque diſcuti poteſt, purgationi non cedit, medicamenta ſpernit, ſi mitiora, exaſperatur ſi ualidiora. Et licet Gal. 2. ad Glauc. [h] profiteatur, ſe cancros ſanaſſe, erant tamen, ut ipſe fatetur, omnino incipientes, inueteratos enim, & in amplam molem eleuatos, nemo, ait ipſe, ſine manus opera potuit ſanare, quo caſu, purgationibus affirmat [i] ſe fęminas quaſdam à doloribus præſeruaſſe, quibus omiſſis, tum dolores, tum tumores excreſcebant. Hiſce autem purgationibus tantùm confiſus eſt, & profecit, ut de Purg. Med. Fac. [k] aſſerat, Medicos ſui temporis odio illum proſequi cœpiſſe, cùm uiderent, ſola purgatione incipientia Carcinomata, & Elephantiaſin eum ſanaſſe.

g 4. de Re Med. 26.
h Cap. 10
i Quos, Quib. & Quando, & 6. Aph 47
K Cap. 5.

Quare ad progreſſum eiuſdem inhibendum, & dolores arcendos potius, quàm ad integram ſanitatem conſequendam curatione collimandum eſt, tribus ſcopis à Gal. [l] propoſitis. Primò enim atrabilis à toto euacuanda. Secundò generatio eiuſdem inhibenda. Tandem pars affecta euacuanda, roboranda; dolores ſemper demulcendo.

l 14. Meth. 9.

Primò itaque educendus eſt ſanguis ex vtroque brachio, longius à tempore menſtruorũ, quibus procedentibus, ſub eorundem finem ſaphena pedis aperienda erit. Quantitas verò ſit, habita virium, & conditionis [m] ſanguinis ratione. Cauterium coxæ dexteræ inurendum. Interim menſtruis omnino deficientibus, frequenter prolectanda natura, ſanguifluis [n] euacuationibus per hirudinum applicationem.

m 3. de loc. Aff. 7.
n 6. Aph. 21.

Interea purgatio humoris inſtituenda primò Lenientibus, & Præparantibus, ab Excell. Viro propoſitis; mox deinceps progrediendum ad uſum Syr. Ferneliani, alternis diebus, cum ſuccis, aut ſero depurat. propoſitis, intermediis diebus; poterit enim etiam uiis vteri obſtructis aliquo pacto conducere. Decoctiones tandem Epithymi Meſues, cum ſero omnino laudo.

Secundum ſcopum quod ſpectat, internæ, & externæ cauſæ auferendæ cibis refrigerantibus, & humectantibus, atque calidam iecoris intemperiem contemperantibus, longo ſeru ſu ſeri depurati; ſed potiſſimum Lactis Aſinini, & cordialium medicamentorum, & familiari aliquo medicamento expurgante.

Tandem de parte affecta cogitandum, quæ quoniam ſanari non poteſt, niſi manuum opera, ad hoc deſideratur primùm Patientis obfirmata voluntas; quæ diuina indiget inſpiratione; mox Artifex alias in hoc opere exercitatus, vt audacter difficilem huiuſmodi, & periculi plenam prouinciam ſuſcipere poſſit; tunc autem adminiſtranda foret operatio hęc modo Aetij, [o] ex Leonida, candentibus inciſorijs ferramentis, ad largam, & copioſam ſanguinis effuſionem intercipiendam.

o Tetr 4. Serm. 4. Cap. 45.

Conſiderandum tamen eſt, quod Hippocrates ſcribit nempe, *Cancros occultos omnes melius eſt non curare, curati [p] enim citò interficiuntur, non curati verò longius tempus perdurant.* Et Gal. in Com. ait per occultos cancros, intelligere non modò eos, qui in alto corporis latent, ſed etiam non vlceratos; per curare autem, intelligere partem ferramentis excidere; namque perfecta Cancri curatio, eſt eiuſdem cum parte amputatio, ad quam deueniunt multi magnæ auctoritatis Medici tantummodò in vlceratis. Monet præterea nos Celſus [q], quod quandoque neque medicamentis adurentibus, neque ferreis inſtrumentis excidentibus ulli vnquam medicina profuit; exciſa enim parte, poſt inductam cicatricem, tandem recruduerunt, & cauſam mortis attulerunt. Ideo nos hortatur, vt lenia medicamenta, quæ quaſi abblandiantur, adhibeamus, quibus plures vidit ad ultimam ſenectutem perueniſſe.

p 6. Aph. 38.
q 6. de Re Med. 28.

Quare ego his nixus fundamentis, niſi tumor quotidie euidens augmentum ſuſcipiat, & valdè dolens ſit, ſectionem differo, & medicamenta potius ſeligo minimè irritantia, ſed dolores demulcentia, & repellentia abſque valida adſtrictione; cuiuſmodi erunt, lac humanum, aut aſininum, in mortario plumbeo agitatum, & linteo madefacto applicitum; item ſuccus Solani, & Plantaginis, eodem modo adhibitus; efficax eſt & illitus ex pinguedine Ranarum, quæ ex earundem ebullitione colligi poterit. Poteſt etiam uſurpari oleum roſaceum, cum violaceo, & portiuncula olei de Vitellis ouorum, in mortario plumbeo itidem agitatis, urgentibus doloribus; nec ad validiora deſcenderem, præter Alexipharmaca quædam, aliàs etiam à me non inutili opera experta, non proinde omittenda. Sunt autem

primò

Digitized by Google

primò. Aqua ſtillatitia è tenertimis, & nuper natis catellis extracta, ad ℥ v. quindecim dies inſciç Patienti exhibita. Secundò Aqua ſtillatitia ex ſanguine Anſetis, aut Anatis, recens iugulatorum, eadem doſi, vel ad ℥ iv. Tertiò ſerum deſtillatum, extractum à leni ebullitione lactis aſinini, cum Cancris fluuiatilibus in puluerem redactis; cuius doſis erit ad ℥ vi. & vii. per menſem ſaltem. Prædictarum etiam aquarum uſus poterit eſſe topicus parti, linteis ipſis madefactis appoſitis. Quæ abundè, in confirmationem eorum, quæ doctè ab Excellentiſſimo Viro propoſita ſunt; cuius prudentiſſimæ curæ omnia libenter committo.

LXXXVI.

CANCER IN MAMILLA.

MVlier Illuſtriſ. quinquagenaria, totius, iecoris, & cordis calido temperamento à natura donata, ac propterea ad actiones obeundas prōptiſſima, quibus virilem potius, quàm fœmineum animum prodit; cuius cauſa, parcè ſemper per uterum expurgata eſt, calidiorē primò, poſtea aduſtiorem ſanguinem in toto ſibi accumulauit, cuius portionem ſtimulata natura in mammam ſiniſtram per arterias effundens, non ſolùm natura laxiorem, ſed fortaſſe etiam ob veſtes, & zonas muliebres arctiores, imbecilliorem factam, tumorem, ab initio quidem puſillum cum leui doloris ſenſu excitauit; qui tamen fomite ab iiſdem vaſis, duorum annorum ſpatio, maior multò, durior, fixus, inæqualis, & per interualla dolens euaſit, cum feruore interno, & nonnunquam externo rubore, exuſtionis inchoantis, necdum abſolutæ indicio, cuius ratione nec liueſcit, nec nigreſcit, neque tandem circumpoſitas venas nigras, & turgidas exhibet; fortè etiam quia in alto deliteſcar, necdum ad ſuperficiem peruaſerit. Vtinam autem tumor hic à nigra tantùm bile naturali ortum haberet, ſcirrhoſus [a] enim nuncupandus foret; ſicuti Carcinomatoſum occultum eundem exiſtimamus, quia ab atra bile præter naturam procedit, quç ſicut in toto [b], Elephantiaſin, ita in particula Cancrum procreat.

Affectus equidem Mulieribus calidioribus, parcius expurgatis familiaris; ſicuti quoque ætati [d] inclinanti, cui cum Autumno proportio intercedit, niſi ab hæmorroidibus, [c] aut varicibus ſubortis præuertatur.

Cancros occultos melius eſſe nō curare, quàm curare, vulgare Hippocraticum prçceptum habetur, quod tamen ritè, & rectè intelligendū; melius enim eſt occultos ad ſuperficiem non attrahere, neque exulcerando curationem tentare; prout neque occultis, in penitioribus [g] partibus latitantibus, aut ferro, aut partis amputatione, curatio vera, & legitima adhibenda. Verùm incipientes [h] non modò curabat, ſed etiam ſanabat Gal. potiſſimum humore melancholico non admodum craſſo; quò enim craſſior fuerit, ac nigrior ſanguis, in vaſis cancri concluſus, eò deterior eſt paſſio, ut idem ſcripſit.

a de Tum. p n 9.
b 1 de Sym pt. Cau. 2
c 5. Aph. Com 57.
d 1. Progn 28.
e 2. ad Glauc. 10
f 6. Aph. 38.
g Gal in Co...
h 2. ad Glauc. 10
i Ibid.

Quod ſi perfectam curationem, & ſanationem conſequi non dabitur, augmentum ſaltem [k] eiuſdem inhibere, aut remouere tentandum; prout, atra bile contemperata, exulcerationem diuertere.

Quibus intentionibus ſatisfaciendum, atrabilarem humorem [l] euacuando; eiuſdem nouum prouentum prohibendo; feruorem iecoris, & ſanguinis contemperando, ſanguinem à parte affecta reuellendo; & aliqua à proprietate iuuantia in uſum reuocando. Præter quç eidem læſæ parti repellentia admouenda, quibus leuia etiam digerentia Gal. immiſcet, ſi reſoluendi ſpes aliqua nobis illuceſcat.

K 6. Aph. Co 38. & de Atra bil. 6.
l 14 Meth. 9.

Et in fonte Chirurgico, non eſt quod dubitemus de ſanguinis miſſione, iterum, atque iterum repetenda; adeſt enim vitium in ſanguine, & ab eodem vitiato tumor dependet. Et licet Cacochymia electiuè purgātibus potius expurgetur; ubi tamē ſanguis craſſus, exuſtus, melancholicus in toto adeſt, placuit ſemper Gal. [m] imò & Hipp. eiuſdem copiam per venam ſectam imminuere; vnde iure merito in Cancri curatione, omnium primò, præcipit [n] venæ ſectionem; quæ eò magis caſu noſtro, conuenit, cùm feruor frequenter, & rubor quandoque in mamilla obſeruetur, ignis accenſi, nondum tamen cineris iudicio. Quare-

m 3 de loc Aff 7. & 1 ad Glauc 11.
n 2. ad Glauc. 10

tum

Digitized by Google

tum Vere bis, tum Autumno ſemel ſanguinem educendum cenſemus, ex latere oppoſito (o 6. Aph 11.) prima vice, ſecunda verò ex affecto. Præterea hirudine venis [o] ſedalibus frequenter appoſita, natura ad illam euacuationem ſpontè proliciatur. Neque Cauterium ſiniſtræ coxæ inurendum negligere oportet; varicum enim vicem gerens, ſeroſitates acres, & acidas atrabilares à mamma affecta diuertere, & tumoris exulcerationem protrahere, & inhibere poſſet.

Inde ſtatim atram bilem educentibus vtitur idem Gal. ante quorum tamen vſum, primæ viæ expiandæ Lenienti aliquo medicamento, quale fuerit ſyr. roſ. ſol. & de polyp. vel caſſia cum lenitiuo, ſuperhauſto ſero depurato.

Primum præparans eſſe poterit Inlap. acet. cortic. Cit. alteratum, ad ℥ iii. ſine diluto, vt quinque poſt diebus idem Leniens reperatur. Nec tamen ſtatim ab iis, electiuè educentia ſunt exhibenda, ſed præmittenda ſanguinem melancholicum alterantia, atque præparantia; in quem finem ſucci depur. prærogatiuam obtinent ſingularem, Cich. nimirum, Borrag. & Maluæ, ad ℥ iij. per arenam percolati, vt citius ad hepar, & venas permeare poſſint; & quidem in decoct. Malu. Viol. Bugloſ. Meliſ. Pentaph. & Hepaticæ; & decem poſt diebus præbeatur purgans, Elect. ſcil. Lenit. cum Confect. Hamech, ſuperhauſtis Seri ℔ ii. Deinde perſiſtendum in uſu Succor. Cich. Borrag. & Fumar. cum decoct. præſcripta, vt aliis præteritis octo, aut decem diebus, validius purgans exhibeatur, quale eſſe poterit Extract. Verat. p nig. ad ʒ ſ. cum Caſſia, epoto pariter ab eo, ſero optimè depurato, ut ſupra; quod (b De Atra B. k 9.) medicamentum ter ſaltem erit repetendum, quarto, aut quinto quoque die, cui ſemper ſerum ſuccedere debebit; diebus verò intermediis, ſuccis præſcriptis exhibitis.

His peractis, à proprietate iuuantia, & quaſi huiuſmodi veneno aduerſantia ad uſũ reuocanda. Hinc aliqui magnas Antidotos [b], Aetius ſanguinem calidum Anſeris, aut Anatis, & Trifolii bitumen olentis cochleare exhibebat, in Maluæ decocto, Verùm inter cætera extollit Lac Aſininum, in quo Cancri fluuiatiles decocti fuerint quinque dies, & totidem eoſdem Cancros comeſtos. Nos autem Lac Aſininum, cum Sacch. de more exhibemus; poſtridiè verò puluerem Cancrorum fluuiatilium, ad ʒ i. in Aq. ſtillat. Rutæ Capr. & Virgæ aureæ; poſtero verò die rurſus Lac, his alternatis ad 40. vel 50. dies.

Interim parti affectæ, primis ſecutis purgationibus, repellentia conueniunt, vt ſuccus Solani, in Mortario plumbeo agitatus; vel eidem addatur Oleum Saturni, &, vrgente dolore, immiſceantur Vng. Roſ. Meſ. & Populeon, in mortario plumbeo agitata. Ad emollientia, & digerentia non adeò facilè accedere ſolemus; ſæpè [q] namque his exaſperantur Cancri. (q 5. Simpl. 9.)

Quibus omnibus congrua addenda uictus ratio. Vitentur itaque alimenta calidiora, acria, craſſi ſucci, vina generoſa. Veſcatur Lacte frequenter, & cibis ex Lacte paratis; item piſcibus delicatioribus, & ſaxatilibus; fructibus item, herbiſque refrigerantibus, & ſemel, aut bis quolibet menſe Extr. Sennæ cum Lenit. in vſum reuocet, alacrique animo uiuat. Quæ dicta præſeruationis gratia Mulieris Illuſtriſs. quam eidem à Deo enixè precamur.

Verùm ſi res ex uoto non ſucceſſerit, Morbos [r], quos medicamentũ non ſanat, ſanat ferrum, & ignis, quæ vera eſt, atque legitima Cancri curatio, pluries à nobis obſeruata, & feliciter experta; dummodò tamen hic altioribus radicibus infiltratus non fuerit. (r 8. Aph. 6.)

LXXXVII.

LVXATIO CVBITI.

MOrbum, quo Illuſtriſſimus Patiens diuexatur, cubiti dexteri manifeſtiſſimam luxationem iudicamus; etenim ob oſſium vitioſam articulationem, naturalis impeditur motus, illis extra cauum humeri valdè prominentibus; cuius cauſam non internam, ſed externam, & manifeſtam cognoſcit; quoniam in terram prolapſu oſſa ſuo ſitu deturbata ſunt; hinc nec extendi, flectique, nec rotari legitimè poſſunt. Itaque, ſicut facilè cognoſcitur, & ſenſui obuius affectus eſt; ita oſſium repoſitionem ligamentorum duriries impedire videtur, tum quia cauitates oſſium, ob temporis diuturnitatem, muco replentur, qui durior euadens oſſa etiam validiſſima diſtenſione ad eaſdem compulſa non admitteret. Attamen Patiens Nobiliſs. iuuenis eſt, remediiſque commodiorem extenſionem, flexionemue meritò ſperare licet. Antequam tamen parti ſuccurratur, corpus expiandum eſt, iuxta Galeni monitum, eaque poſtea emollienda, & pauca eidem materia impacta reſoluenda; ac denique roborandum.

Vnde, inter Chirurgica præſidia, ſanguinis miſſio commendatur, ex vena communi ſiniſtri brachij; ante tamen lenienda aluus, ſyrup. roſ. manna, & decoct. cord. Alterantia erunt decoct. in iure, ex cichor. borrag. end. ſonco, pentaph. & ſeminibus citri; à quibus exhibeatur prædictum medicamentum, additis rhabarb. agaric. cum correctiuis, infuſione.

Parti verò affectæ, menſis ſpatio, duabus vicibus, qualibet die, applicandi ventres veruecini per horam, quibus amotis, ex uſu erunt omenta eorundem oleo amygdalar. liliorum albor. chamæmel. lumbricis, & pinguedine humana nouiſſima imbuta. Et demum luta Diui Barthol. per xv. ſaltem dies. Hoc interim parabitur inſtrumentum ferreum, quod ſenſim, ac ſenſim extenſionem promoueat. Tandem, facta pro virili extenſione, corroborandæ parti, luta primò Aponitana, deinde D. Petri negligenda non ſunt.

Quibus accommoda victus ratio ſuccedat, Viris Excellentiſsimis notiſſima. Et hæc proponenda duximus, pro affectu Nobiliſs. Patientis. Faxit Deus, vt ex voto ſuccedant.

Digitized by Google

LXXXVIII.

SPINÆ AD ANTERIORA Contorſio.

COlli dolor, nō ſine aliquo eiuſdem tumore, ſpinæq; non quidem luxatio, ſed ad anteriora cōtorſio, ſeu à ſua rectitudine receſſus, nō aliunde ortum duxerunt, quàm à materia catarrhali illuc defluxa, per modum, non ſolùm tranſmiſſionis, à capite nimirum calida, & humida intemperie prædito; verùm & per modum attractionis, ſpinali medulla in partu imbeciliori reddita, & poſt partum ex difficili, & incompoſito ſitu diuturniori in ludis; craſſa namque cartilago intra vertebras, & ligamenta humiditate imbuta ſpinam laxarunt; & quia ad anteriora, Pancreas, qui ventriculo ſubſternitur, hunc eleuauit; vnde tumor quidam moleſtiæ non expers.

Quod ſi affectio in dies augeſcet, neceſſariò brachia, quæ ab illis vertebris motum ſuſcipiunt, multo magis læſa obſeruabimus & ventriculi munus non leuem offenſam percipere poſſet, non ſine ſpirandi difficultate.

Quare ad hæc mala arcenda, & progreſſum eorundem inhibendum, ſpina in ſitum priſtinum reſtituenda, ligamenta roboranda; quod ut conſequamur, materia antecedens, tum exſiccanda, tum diuertenda; cerebri intemperies corrigenda, toto priùs expurgato: Id autem conſequi non ita facile; receſſus enim iſte ad anteriora, ſicuti rarior, ita difficilior.

Inſtituatur itaque totius expurgatio, quæ conſtabit ſanguinis miſſione, vel ex illæſo brachio, vel ex ſaphena, ſi imminuti menſes. Cauterium quoque eidem brachio peropportunū erit. Lamina ferrea, faſcia alligata, quæ à primis vertebris ad os ſacrum perueniat, procuranda rectitudo, appoſito cauitati aliquo cerato oxelæo, citrino, & huiuſmodi. Ex uſu quinetiam inde puluinar noctu durum, ventriculo appoſitum; die verò laminam ferream aut ligneam, ut moris eſt, ventriculum comprimentem geſtandam cenſeo, potiſſimum ieiuno ventriculo. Topicis tandem purgantibus perficietur expurgatio, ut pil. cochijs, aureis, aggregat. pulu. hermodact. hiera tuta Alex. & errhinis. Poſt hæc laudatur à nobis decoctum, ab Excell. Viro deſcriptum, cum ſudore, cui adiici poterit bolus ex pulu. viper. cuius vſu poterit inſiſtere etiam abſoluto ſudore; parato etiam vino medicato in totam hyemem.

Diæta ſit quidem ſemper attenuans, ſed in curatione ſolùm; mediocriter verò tenuis extra eandem iuxta ſcopos propoſitos.

LXXXIX.

RAMEX INCIPIENS.

AFfectus tibi moleſtus, quem mihi ore tenus expoſuiſti, quemque etiam vidi, atque contrectaui, eſt laxitas quædam, ſiue dilatatio Peritonæi, in illa parte, vbi exporrigitur tunica vaginalis, quæ admittit uaſa ſpermarica; unde rumor quidem extuberat, ſed ſubſidens; tunica enim dilatata plus æquo ſuſcipit flatuoſam potiſſimum materiam, à qua frequenter ſcrotum quoque intumeſcit, quod licet poſtea facilè ad natutalem, & priſtinum ſtatum recurrat; nihilominus diem integrum nonnunquam extuberat aliquis tumor leuis, ob facilem cuiusdam humiditatis, per eandem viam, in ſcrorum decubitum. Cuius dilatationis cauſa, dubitandum minimè eſt, quin fuerit motus ille violentus; quinimò & conatus cum inſigni crurum diſtractione, in gladiatoria palæſtra, necnon frequenti in equum ſaltu; quandoquidem ex multò leuioribus motibus, atque conatibus huiuſmodi, & grauiora quinetiam mala contingete ſolent. Et licet in adultis irrita ſoleant euadere adminiſtrata remedia, nihilominus quoniam nonnunquam profuiſſe obſeruatum fuit; idcirco proſpiciendum, ne Hernia abſoluta euadat. Quare illico cingulum accommodari debet vtrique inguini, etenim ſi alterutri tantùm, tumefacere facit proximum; unde Bubonocele facilè excitatur.

Interim paraudum quamprimùm ceratum deſcriptum, appoſito interea ex pelle Arietina in Officinis compoſito. Et quoniam dubitari poteſt, ne in Scroto vena Varicoſa forſan euadat, & fiat hernia Varicoſa; ideo ſcrotum ipſum illinatur ol. ſaturni.

In uſum verò ducat per menſes ius alteratum herba he niaria, Polygonum dicta, necnon perforara, hypericon nuncupara, addita quoque conſolida, & niſi tres omnes iam dictæ plantæ haberi poſſint, ſat ſint duæ, uel etiam vna.

Ad flatus diſcutiendos, á cibo utatur Fœniculo ſacch. incruſtato, aut rotulis, ad calcem deſcriptis.

Circa victus rationem abſtineat Vir præſtantiſſimus à labotibus, à pōderum eleuatione, nec unquam die cingulo careat. Abſtineat à cibis flatulentis, & præ cæteris à *legumini*bus, uinis dulcibus, copioſis fructibus, à potibus niue, & glacie refrigeratis. *In vſum* verò reuocet pil. aliquam maſtichinam, ſub cœnæ tempus aſſumendam; poterit *enim* crudirates educere, à quibus flatus eleuantur. Et hæc pauca quidem, ſed præſtantiora, quæ in præſens pto præſeruatione à grauiori malo, & præſentis diminutione, mihi ſuppetunt proponenda.

Ceratum optimum Amati Luſitani, expertum.

℞. Gummi Tragacanthi } an. ʒij.
Arabici
Karabes

Bdellij aceto diſſol.	Sang. Drac.
Acaciæ	Lap. hæmat.
Maſtiches	Mucilag. Veſic. Vlmi an. ℥ ſ.
Hypocyſt.	Viſci-querc. ℥ j.
Thuris	Glutinis Taur. acet. diſſol. ʒ vi.
Sandaracæ	Ceræ
Boli Arm.	Reſinæ an. ℥ ij.
Sarcocollæ an. ʒ ij. ſ	

Terantur terenda, & S. A. M. ad ignem, fiat ceratum alutæ inducendum.

Rotulæ.

℞. ſpecier. Aromat. roſ. ʒ j.
Pulu. cinnam. ʒ ſ.
Sacch. fini diſſol. cum aq. cinnam. q. ſ.
M. f. rotulæ ad ignem.

A B-

Digitized by Google

XC.

ABSCESSVS MVSCVLORVM ABDOMINIS.

EXcrementitia materia corpus Illuſtriſſimi Com. antehac redundaſſe, ſat nobis atteſtari poſſunt arthritici, ſeu podagrici dolores, quibus fuit obnoxius, qui quoniam hiſce poſtremis annis, rarius, & mitius inuadere cœperũ (cùm veriſimile non ſit, eiuſdem nouum prouentum deſiiſſe) ideo eandem iterum productam, intra vaſa delituiſſe, ac tandem ab expultrice ad aliquam aliam partem detruſam eſſe, dextri ſcil. hypochondrii regionem exiſtimandum. Verùm quoniam materia huiuſmodi non purè ſanguinea, ſed ualdè excrementitia fuit; hinc non verum, & legitimum apoſtema, ſed abſceſſum excitauit, qui non adeò celeriter ſuppuratus, pus verum, album, læue, & æquale non habuit, prout in verò apoſtemate ſtatim obſeruatur; atque adeò in Progn. poſtquam Hipp. dixit a *Dolores, quos neque ſoluta aluus, neque ſanguinis miſſio, neque medicamentum, neque victus ratio ſedare potuit, ſcire licet, eos ad ſuppurationem tendere*; Et alibi b. *A ventris dolore diuturno, ſuppuratio*. Mox diſtinctè magis pronunciauit, quod c *Si intra ſexaginta dies, neque febris deſinit, neque tumor reſedit, ſuppurationem expectare oportet*. Sed ſi hæc omnia, vtpote præterita, ſenſui obuia, & notiſſima obſeruata fuere, cur non ita præſentia? Iam enim ceſſit ad partem externam ope ferri ſuppuratus abſceſſus; nec tamen affectam partem adamuſſim dignoſcere licet, quo deficiente, fruſtra omnia. Intrinſecùs verò antea abſceſſum erupiſſe, nobis perſuadere non poteſt excretio illa fœtentis materiæ ſanioſæ ab aquæ Tettuc. vſu; quia in cauitatem abdominis illapſa foret, vnde non adeò facilè per inteſtina excreta fuiſſet; & præterea totus tumor concidiſſet, nec poſtea ad exteriorem partem extuberaſſet.

a 2. Progn. 12.
b 7. Aph. 21.
c 1 Progn. 38.

Extrinſecùs itaque, & ſupra peritonæum collecta fuit materia, à toto tranſmiſſa. Num verò inter muſculos, & integumenta tantùm, an ſub iiſdem ad peritonæum uſque pertingat, ex relatis coniicere mihi non licet; cùm nihilominus inde pendere poſſit curationis difficultas, abſceſſus enim partes diuellunt, & ſinus facilè ſibi parant, qui difficilem, imò quandoque impoſſibilem curationem reddunt. De his autem occaſionem dubitandi nobis præbet ipſa febris, quam ego ſymptomaticam ſuſpicor; quæ prius remiſſa rurſus inualuit, cùm potiſſimum tantam d anorexiam, & apoſitiam ſibi habeat annexam.

Si itaque res ita ſe haberet, irrita foret quælibet vniuerſalis prouidentia, vitæque ſpes in anguſto uerſaretur. d 2. Progn. 63.

Tactu itaque, ſtylo, & uiſu abſceſſus patens diligentiſſimè explorandus, qui, ſi fuerit opus, dilatandus. Et interim de Viperino puluere exhibendo cogitarem, in aqua de ſucco acetoſæ; continet enim uim quandam balſamicam, natiuo calori amicam, & ventriculo valdè utilem e, exſiccat, digerit, & ad cutem propellit; quare tum appetentiam iuuare, & excrementitias humiditates exſiccare; necnon humores ab abſceſſu ad cutem diuertere poterit, neque calorem, ut aliqui falsò exiſtimant, exuperantem habet. e xi. Simpl

Interim Cordialia conſueta ſunt exhibenda, non omiſſis clyſteribus, nec cæteris à Viris prudentiſſimis hucuſque rectè adminiſtratis; cùm tamen chirurgica erudita, & petita manu magis, quàm ope phyſica Virum Illuſtriſs. indigere cenſeam.

Digitized by Google

XCI.

VLCERA HERPETICA GALLICA.

a 6. de loc. Aff. 5.

VEnena in humano corpore produci, idemque contagione inquinare, & diuturno tempore foueri, ac latere poſſe, nobis tradidit ipſe Gal. 6. illo de Loc. Aff. [a] de uiru canino locutus, quod & nos in virulentia Gallica non ſemel obſeruauimus, & à Viris fide dignis obſeruatum audiuimus, quod & in hoc Patiente contigiſſe pro certo habemus; dum enim ætate iuuenili celticam contraxit luem, propriis alexipharmacis nunquàm expugnatam (decoctum enim aſſumpſit quidem, at ſine ſudore, & ſine accommodata neceſſaria victus ratione) latuit proinde ad hunc vſque diem, quo tum uehementiſſimæ fluxiones catarrhales concitatæ, tũ à iecore natura præcalido exuſti humores fuere producti; etenim cùm gallica lues ſit qualitas quædam, ſubiecto opus habet, fundamenti, ac fomitis loco, quod poſt ſpiritus eſt redundans in corpore excrementum; quod, vtpote exuperans, non adeò natura tutari, aut cuſtodire poteſt. Hic autem exuberans humor, in hoc Patiente, fuit catarrhalis, & crudus, à capite frigido, & humido, necnon ab imbecillo ventriculo genitus; cuius tenuior portio, ad artus ab initio tranſmiſſa, dolorem ſine tumore excitauit, qui mox aliquot poſt annis recurrens, tumorem quoque inuexit, facilè tamen euaneſcentem, craſſioris quidem, ſed calidioris materiæ indicio; & tandem idem humor craſſior, adhuc ſanguine miſtus, infra genu ſiniſtrum prolapſus ſuppurauit, & vlcus ſordidum poſt ſe reliquit, quod tamen tũc externis accommodatis adhibitis remediis, ſolidatum fuit, & obductum. Verùm inualeſcente denuò fluxione, abſque vllo præcedente tumore, vlcus profundum in poſteriori tibiæ parte, dolens, pruriginoſũ, atque calloſum apparuit, quo tempore in ſiniſtro brachio vlcuſcula expullularunt, non modò catarrhalis, verùm & bilioſi, acris, atque exuſti humoris, lue celtica infecti luculenta indicia, qui humor in toto à feruido iecore coaceruatus, & lue infectus, atque inde ad ſuperficiem transfuſus, ſtatim vlcera excitare potuit exedẽtia, in tibia quidem profundiora, in brachio verò ſuperficialia, & ampliora, quę

b 1. per Gen. a 18.
c 4. Meth. 5.

tamen propriis remediis exſiccata fuere; cruris autem vlcus [b] dyſepulotum cenſeri debet, quia menſium ſpatio ad cicatricem duci minimè potuit, licet nondum cacoethe [c] ob renitentiam, quoniam nondum generoſiora, & propria adhibita fuere remedia.

Quibus adminiſtratis, ſalutem ſperare iuuat; ſi primæ viæ expientur; maſſa ſanguinea purificetur; Celtica lues alexipharmacis expugnetur; iecoris feruor contemperetur; & tandem ulcus topicis opportunè curetur.

Quibus intentionibus vt ſatisfaciamus, repetita ex utroque brachio neceſſaria erit ſanguinis miſſio, & cauterij iam affectæ parti inuſti perfecta obductio.

Primarum verò viarum expiatio, Lenientibus, & Præparantibus ſine diluto eſt perficienda; quam ſequatur humorum ſecunda præparatio, ſuccis herbarum depuratis, ut ſucco cich. borrag. & endiuiæ, in decoctione hepaticis herbis alterata. Mox præparati humores expurgandi, infuſione agar. rhab. ſennæ, addito ſyr. roſ. ſolut. & de polyp. Vel elect. de ſucco roſat. confect. hamech. cum caſſia, ſuperhauſto ſero depur. ad libras.

Tandem ſanguini defæcando decoctio Epith. Meſ. ad ℥ vi. tribus ſaltem vicibus, tertio quoque die eſt exhibenda, cui ſerum copioſum eſt ſuperbibendum. Diebus verò intermediis, ſucci depur. cichor. borragin. & fumariæ, in decoctione iam propoſita ſunt præbendi.

His peractis, lues alexipharmacis extirpanda uenit, ſine quorum ope nihil. Id autem præſtari poterit decocto cum ſudore in hypocauſto prolectato, cuius baſis erit ſalſa parilla, cum minori quantitate pulpæ guaiaci, additis ſantalis, & facta eorundem infuſione in aquis ſtillatitiis cich. borrag. atque beton. Cuius uſui ſaltem per menſem inſiſtendum, cum tenuiori uictu, & aqua ſecunda pro potu conſueto; ſubductis qualibet hebdomada ſeroſitatibus, potione magiſtr. ex manna clarif.

Abſoluto ſudoris, & decocti uſu, iecori, & ſanguini refrigerandis, præſtantiſſimæ erunt

aquæ

Digitized by Google

aquæ Thermales acidulæ B. V. Lucenſes, vel Nocerianæ; ſed præſertim vitriolatæ in Valle Solis ſcaturientes, iam ab Excell. Viro propoſitæ, ut quæ non ſolùm refrigerare, verùm & humores tenues cogere, fluxiones ſiſtere, atque cohibere ualeant. Hæ tamen exportari nequeunt, cùm facilis euaporationis ſint, utpote tenuiſſimarum partium, atque adeò facultatem prorſus amittant.

Dùm verò iam dicta adminiſtrantur, topicis opportunis vlceris curatio erit perficienda, quæ non facilis fuerit, cùm à copioſis, calidis, acribus, atque occulta uenefica qualitate humoribus præditis, non ſolùm originem duxerit vlcus; ſed continuò quoque ab iiſdem fomitem olim, & nunc ſuſcipiat. Præſcriptis verò adminiſtratis, non ſolùm à malo præſenti vindicabitur, ſed & à deterioribus imminentibus Patiens præſeruabitur.

Cui congrua uiuendi ratio erit ab Excell. Adſtante præſcribenda, atque præcipienda, ut optatam ſanitatem conſequatur, & diuturna incolumitate gaudere poſſit.

XCII.

HERPES EXEDENS.

FEruidis, atque bilioſis humoribus Adoleſcentis Nobiliſs. totum redundaſſe, Iſchuria iam præterita ſat nobis ſignificauit; quæ nonniſi ab excalefacta veſica, ob vrinæ ardorem in vaſis acquiſitum, pendebat, Hipp. ſcribente, [a] quod, *Veſica excalefacta vrinam non dimittit, ſed in ſe retinet*. Cuius retentionis cauſa facilè aſſignari poteſt, muſculi nimirum contractio, à calore, & ab vrinæ ardore excitata; cuius cauſa ab Iſchuria fuit liberatus, abſque vlla inſigni materiæ per vrinam excretione.

a de Aere, Aq. & Locis 22.

Feruidi verò humores in eodem Adoleſcente producti fuerunt, aliqua quidem parte à iecoris temperamento calido, ſed multò magis à vini dulcis, & forſan generoſi copioſo uſu; qui tandem ab expultrice vaſorum facultate irritata ad poſticam muſculoſam amborum crurum partem transfuſi, puſtulas pruriginoſas excitarunt; quæ ſcalptu vnguium exulceratæ in vlcuſcula exedentia, atque ſerpentia, non tamen valdè profunda migrarunt, non quidem ab vnguibus ſolùm, verùm etiam quia iidē bilioſi humores, ſicut ſi tenues [b] fuiſſent, herpetem miliarem; ita craſſiores cùm ſint (non quidem ob exuſtionem, hac tenella ætate, ſed ob pituitæ ſalſæ commiſtionem) ideo ſub cute hærentes, exedentem herpetem, & ulcuſcula depaſcentia, atque ſerpentia introduxerunt; quæ quoniam ſpatio 19. menſium, ad cicatricem perduci non potuerūt, dyſepulota, [c] & eſthiomena omnino nominari debēt, acrium, & copioſorum humorum influxu ad illam partem perdurante. Cacoethica verò eadem, & mali moris non adeò facilè nuncuparem, tum quia humorum influxus nunquam interceptus fuit, vnde probos quoque vitio partis [d] corrumpi non adeò liquido patet, tum quia cacoethica peruicacia vlceribus ipſis tribui non poteſt; cùm nulla methodo aduerſus eadem hucuſque fuerint adminiſtrata præſidia.

b 2. ad Glauc. 2. & 14. Meth. 17.

c 2. ad Glauc. 2.

d 1. per Gen. 18.

Quod ſi curationis difficultas non ex toto auferre, minuere ſaltem affectum poterit; potiſſimum quidem quoniam in parte carnoſa, & procul ab oſſibus ſunt ulcera ipſa.

Quæ ut ſanentur, & ex toto obducantur, proptia generoſiora expetunt medica præſidia, quibus totum à vitioſis humoribus expurgetur, atque purificetur. Secundò feruida iecoris intemperies corrigatur. Tandem ulceribus congrua topicis curatio adhibeatur.

Quibus intentionibus ut operam præſtemus, repetenda erit parca ſanguinis miſſio ex utroque brachio, ut fiat hepatis, & ſanguinis reſrigeratio, & humorum ab inferioribus partibus reuulſio. Et quoniam intemperies auferre, & bilioſi humoris nouam ſobolem inhibere contendimus; ideo cauteria omittimus, quę vèl partibus inferioribus, affectis proximis inuſta, nobis ſuſpecta.

Toto verò expurgando, primæ viæ ſunt primò expiandæ, caſs. lenit. & tart. vel ſyrup. roſ. ſolut. ſuperhauſta aqua hordeac. vel Noceriana. Inde humores præparandi decoct. ex cichorac. parata, addito iulap. acet. ut quod cum Auic. bilem in pituitam, & pituitam in bilem vertere poſſit; & quinque poſt diebus, repetatur medicamentum præſcriptum.

Vt noua deinceps fiat humorum præparatio, ſuccis potius herbarum refrigerantibus,

quàm

quàm ſyrupis ſaccharatis, aut mellitis, facilè bileſcentibus, vt. ℞. ſucci depur. cich. end. violar. an. ℥ i. decoct. end. acet. ſonci, hepaticæ ℥ iv. aut v. m. pro ſyr, & ſic pro alijs octo, aut decem. A quibus humores erunt expurgandi, hac ratione. ℞. flor. caſs. recent. elect. diacathol. de ſucco roſar. an. ʒ iij. m f. b. & hora poſt exhibeatur ſer. cap. deput. ad ℔ i. ſ. tribuſque horis ab eo prandeat. Vel potu. ℞. rhab. opt. cort. myrob. citr. an. ʒ i. fol. ſennæ mundat. ʒ ij, cinnam. integri ʒ ſ. aq. end q. ſ. m. f. infuſ. per hor. 12, & expreſs. adde ſyr. roſ. ſolut. ℥ iv. m. f. p. à qua pariter, duabus poſt horis, ebibat ſerum iam dictum.

Hac verò humorum expurgatione nondum totum fuerit bilioſis ichoribus exhauſtum; atque adeò quotidie, octo dies, præbeatur rhab. hoc modo. ℞. rhab. optimi maturi ʒ ſ. flor. caſs. rec. ʒ ii, m. f. b. & exhibeantur ſummo mane; à quibus, hora poſt, bibat ſeri capr. aut aſin. deputat. libram, & tribus horis ab eo prandeat. Quod ſi in euacuationibus obſeruati fuerint pituitoſi quoque humores, vice rhab. præberi poterunt pil. de tribus ad ʒ ſ. ſimul cum caſſia, modo præſcripto, octo ſaltem diebus, quotidie, niſi euacuatio procedat vno, aut altero die, nimis abundans.

Sic à bilioſis ichoribus ſanguine puriori reddito, iecoris calida intemperies erit corrigenda; in quem finem, aquæ Ficoncellæ à Viro Excell. propoſitæ, quammaximè commendantur; quarum vice, donec tempus æſtiuum opportunum adueniat, in uſu ſuccorum depurat. acetoſæ, & ſonci, in præſcripta decoctione, erit perſiſtendum. Atque tandem, ut totius maſſæ ſanguineæ acrimonia, & ſalſedo, ſi quæ fuerit, demulceatur, & ad moderationem, quoad ſecundas quoque qualitates, atque dulcedinem quandam redigatur, lactis aſinini vſum præſtantiſſimum fore exiſtimamus, ad 40. ſaltem dies, cum modico ſacch. aſſumendi.

Puluerem verò viperinum omitti poſſe cenſemus, tum quia affectum cutaneum vniuerſalem non habemus; tum quia, ſi Gal. credimus, [c] *Extenuantis eſt facultatis; valdè enim exſiccans, & digerens eſt, & ad cutem properans*; cùm tamen diuerſio à cute nobis ſit in primis procuranda.

[c] xi Simpl. de Cat. Vip.

Interim, dum iam dicta adminiſtrantur, topica ſemper ſunt uſurpanda, frigida, & ſicca [f], cùm ulcera cruenta obſeruentur, non tamen aſpera, non irritantia; & potiſſimum cùm vlcera putrida, tumida, dura, aut calloſa non ſint; tunc enim in noſtro Adoleſcente vſurpari poſſent, quæ in illa Muliere à Fonſeca ſanata, & à Viro Excell. obſeruata, uſurpata fuerunt. Quare omnium primò detergenda (ſi opus fuerit) aqua hord. cum melle roſ. vel aqua Tertuciana, pariter cum eodem melle; inde abluenda aqua Chalybeata, & aluminoſa, qualis eſſe poterit Thermalis, ab Excell. Viro propoſita, in qua immerſio quoque crurum, ad horæ dimidium præcipi poterit, quæ ſi præſtò non ſit, eidem ſubſtituatur aqua *Fabrorum*, in qua alumen diſſolutum fuerit. A qua ablutione, & immerſione, aſpergi poterit puluis tuthiæ, & plumbi vſti, ſuperaddito linteo ſucco plantaginis, & oleo plumbi imbuto.

[f] 6. Simpl. de Gra[illegible]

Quibus, paucis quidem, ſed ſelectioribus à nobis propoſitis, vel ſimul omnibus, vel ſeorſum adminiſtratis, ulcerum exſiccationem, & conſolidationem ſucceſſuram ſperamus; quia cauſa antecedens, & continuò fouens iam fuerit ſublata; in cuius potiſſimum ſcopi executione ſpes ſalutis collocata eſt; addita tamen iam dictis congrua uictus ratione, à Prudentiſs. Viro Adſtante præſcribenda, ut res pro voto ſuccedat.

HER-

XCIII.

HERPES EXEDENS IN Crure.

CRuſtaceus affectus, quo quatuor abhinc annis diuexatur Reuerendiſſimus Patiens, in coxa ſiniſtra primùm, deinde in ſiniſtro quoque brachio apparens, in magnam partem exterioris coxæ, & brachij ſerpens, eſt Herpes exedens, à craſſa [a] bile excitatus, non ſine aliqua pituitæ ſalſę ſubdominantis permiſtione; vnde cruſtæ flaueſcentes, & nonnihil etiam albicantes, cum aliqua exuſtione ſunt conſpicuæ; quæ quidem nonnunquam decidunt, verùm paulò poſt rurſus efflorescunt, & priſtinam formam induunt. Qua occaſione portio ſanguinea ad partes affectas affluens, rubram cutem, & variegatam efficiens, flauo ſcilicet, albo, & rubro colore, partem affectam nobis repræſentat.

a 2. ad Glauc. 2

Quoniam verò contumax eſt affectus, non ſolùm Herpes exedens Eſthiomenos [b], ſiue Phagedænicus cenſetur, verùm, cùm etiam à prædictorum humorum influxu fiat, & foueatur, Dyſepulotos quoque vocari poteſt. Præterea, quia diuturnus, ſupponendum etiam, quod interrupto quoque humorum [c] influxu, accommodatis expurgationibus inſtituendis; in parte tamen affecta praua diatheſis, & putrefaciens, bonum quoque alimentum, ad partem ipſam nutritionis cauſa tranſmiſſum, corrumpat, ſicque Cachectici quoque nomen herpes hic cruſtaceus mereatur, à nobis quinetiam contumax, [d] atque rebellis appellandus.

b 14 Meth 17.

c 1. per Gen. 18.

d 4. Meth. 5.

Ad bilis autem, & pituitæ ſalſæ productionem, licet iecoris temperamentum quodammodo calidius concurrat; attamen impar fuiſſet, niſi errores quoque externi conſpiraſſent. Romam ſiquidem Pat. profectus, uina generoſiora, nulla Aqua diluta, copioſius potauit, atque inde diſcedens, Syrio ardente, ſub radiis Solaribus iter fecit, quibus iecur magis magiſque incaluit; vnde copioſæ bilis, ſed craſſæ prouentus (temperamentum enim totius calidum, & humidum illi eſt) cuius portio pituitæ ob eandem occaſionem in capite liquatæ immiſta, ſalſam in vaſis eandem reddidit. Hi autem exuperantes humores, à ualida facultate expultrice ad partes ignobiliores detruſi, non quidem affatim, ſed paulatim, ſiquidem ab initio anguſto ſpatio circunſcriptus fuit pruritus, & cruſta; quæ ſenſim, ac ſenſim augmentum ſuſceperunt, partim attractione, partim tranſmiſſione.

Affectus equidem, qui, licet vt cauſa parui momenti videatur, vt ſignum tamen magni faciendus eſt; prauorum enim humorum apparatus, non remiſſa iecoris, & ſanguinis feruida intemperie, adaugeri, atque adeò Herpes ad plures corporis partes propagari, & diffundi poſſet; quinimò humoribus magis magiſque exuſtis, in affectum cutaneum deterioris conditionis facilè deſciſcere. Quare Pat. Reuerendiſs. à præſenti liberari, & ab imminentibus præſeruari optans, medicam noſtram opem implorat.

Noſtrum igitur erit, præmiſſa primarum viarum euacuatione, ſanguinem ab impuritatibus vindicare; calidam iecoris, & ſanguinis intemperiem contemperare; humores excrementitios, qui mox adhuc adaugeri poſſent, aliò auocare, atque educere; & tandem ablatis cruſtis, prauam diſpoſitionem corruptiuam ab ipſa parte remouere, & eandem roborare.

Quibus intentionibus vt ſatisfiat, repetita opus erit ex ſuperioribus venis ſanguinis miſſione, & Cauterii in oppoſita coxa inuſtione. Reliqua verò ab hoc fonte deſumenda ſuo loco proponemus.

Et licet primarum viarum expiatio à Viris Excell. adhibita fuerit, attamen quoniam aliquot dies omni medicamento uacui præterierunt; imò non ſine libera quadam viuendi ratione, ideo tali ordine procedendum erit.

Sumat primò Pot. ex Mau. clarif. Inde iura Cichorac. alterata, præmiſſo Iulap. acet. ad ℥ ii.

Xxxx & quin-

& quinque poſt diebus repetat potionem præſeriptam. Mox progrediatur ad uſum Succor. depur. Cich. Borrag. & Acet. ad ℥ iii. in decoct. Cichorac. additis foliis Sonci. & Viol. Sex verò exactis diebus, aſſumat Elect. de ſucco Roſ. ʒ iii. Confec. Hamech. ʒ i. Caſſ. ʒ vi. f. b. quibus hora poſt ſuperbibat Serum Capr. depur. ad ℔ ii. & tribus horis ab eo prandeat. Sequentibus verò diebus, ad uſum redeat Succor. depur. Cich. Borrag. Fumariæ ad ℥ iii. in decoct. Cichorae. cum foliis Meliſſæ, Hepat. & Lactucæ. At ſecunda die repetat eoſdem ſuccos, in Aq. ſtillat. de ſucco Cieh. End. & Cucurb. decoctionis loco, in qua tota nocte infuſum fuerit Rhab. ad ʒ i. ſ. Tertia verò reſumat ſuccos, in iure alterato, ut ſupra; & quarta Infuſionem Rhab. in Aquis, cum ſuccis, atque ita alternatim procedat, ad 20. dies. Verùm horum intermedio, præbeatur potio ex Syr. Roſ. ſol. & decoct. Epith. Meſ. an. ℥. iii. à qua hauriat Serum, ut ſupra; uel bol. ℞. Elect. de ſucco Roſat. ʒ iii. Roſ. Meſ. ʒ ii. Flor. Caſs. ʒ v. m. ſ. b. quibus ſuperbibat Serum, aut Aquam Nocerianam, ad ℔ iii.

Deinde pergat in uſu præſcripto ſuccorum, ſcopus namque noſter eſt, humores per centrum educere, cùm tempus æſtiuum præſens, nec ſalſæ decoctum, cum pulu. viper. neque ſudorem permittat; præterquamqnod totius corporis humores excrementitios ad circunferentiam ducere, in hoc particulari, non uniuerſali affectu cutaneo, non adeò è re nobis videtur; facilè namque affectus cruſtaceus, qui modò peculiarem, & ignobilem partem obſidet, uniuerſalis totius corporis euadere poſſet.

Viginti verò his abſolutis diebus, ad hypochondriorum, iecoris, & ſanguinis calorem contemperandum erit deueniendum; in quem finem omnium primò præbeatur Serum depur. aut Aq. Nocer. ad ℔ iv. præmiſſo uehiculo deiectorio Syr. Roſ. ſol. cum drachma Rhab. Infuſione, cuius ſecunda vice augeatur doſis, ad ℔ v. eum eodem uehiculo; ſic & tertia, ad ℔ vi. uel quotidie, uel alternis diebus, pro Pat. toletantia. Inde præſcribenda emulſio diluta ſem. Melon. hac formula. ℞. Sem. mel. mund. ℥ i. Ser. Capr. aut Aſin. deſtill. ℔ i. f. Emulſio, cui adde Sacch. fini cochlear, pro potu matutino. Quod ſi fortaſſe ſtomachus Emulſionem auerſaretur, præſcribatur idem ſerum deſtill. addito Syr. de acido Cit. & de ſueco Lim. ad ℥ ii.

Dum uerò hæc aſſumet Reuerendiſs. Pat. topica parti ſunt adhibenda, & omnium primò ut decidant cruſtæ, danda eſt opera, quod facilè ſuccedere poterit tali Vng. ℞. Vng. Roſ. Meſ. ℥ ii. Litharg. aur. ſupra porphyritem læuigat. ℥ ſ. m. refor. & applicetur. Quod ſi duorum dierum ſpatio non decidant, aliud paretur. ℞. Vng. Popul. Roſ. Meſ. an. ℥ i. Sulph. viui ʒ ſ. Præcipit. ſupra porphyritem læuig. Litharg. aur. an. ʒ i. Aceti q. ſ. m. & *in Mortario* plumbeo agitando fiat Vng. quo procul dubio recedent cruſtæ; quibus ablatis, pars ipſa fouenda ſpongia, Aqua ſulphurea primò, mox & Montis Orthonis imbuta, & appoſita bis die; quæ Aquæ quoniam Venetiis præſtò non ſunt, ideo adhiberi poterunt ad fontem earundem, quò ſe conferre debet, ad Aq. B. V. potandas. Pergat autem *in* uſu ſeri diuretici iam dicti, quouſque ad fontem Aquarum peruenerit, quas ſaltem 15. dies hauriat, quo tempore localia quoque iam dicta uſurpari poterunt. Quibus ſi praua illa diſpoſitio partis non ceſſerit, paucæ ſcarificationes ſupplere poterunt, appoſito mox Cerato Roſato Gal. ex Oleo Roſac. Succo Plautag. & Cera parato.

Tandem ab Aquæ B. V. potione, aliquot dies, matutinis horis, comedat Conſeruam Roſar. cui ſuperbibat calycem Aq. ſtill. de ſucco Cich. aut End. & cautam annum integrum uitæ rationem obſeruet, quoad res nonnaturales. Quare abſtineat à ſalitis, & à calidioribus quibuſcumque cibis, & potibus. Cruditates pro uirili præuertat, & refrigerantibus cibis, & potibus frequenter vtatur, ut huiuſce mali radix funditùs extirpetur.

XCIV.

VARICES EX SANGVINE Melancholico.

PRimarius huius Vrbis Mercator, 40. annum agens, temperamenti ſecundum totum, & potiſſimum ſecundum iecur, calidi, & ſicci, gracilis, & hirſuti habitus, intentis, & continuis curis, & ſtudijs deditus, multis abhinc annis hypochondriacæ melancholiæ obnoxius; tandem poſtremò, quolibet Autumno, in eam melancholiam incidit, ut domi continuò ſe contineret, metu carceris, cùm de infelici ſuorum negotiorum euentu ſemper immodicè timeret, propriamque conditionem ita deploraret, ac ſi proximè exiſtimationis periculum immineret. Curatus autem fuit repetita ſanguinis miſſione, ac frequentibus melanagogis; quo tempore, quinque ſcil. abhinc annis, crurum venæ, ſiniſtri primùm, mox etiam dextri lateris intumeſcere, atque nigreſcere cœperunt; quarum, quolibet anno, dilatatio amplior ſemper, nigredo verò obſcurior reddita eſt, cum affectus melancholici maiori in dies decremẽto, adeò ut conſueti timores, atque mœrores ferè omnino euanuerint; non enim amplius Autumno domi ſe continet, ſed res ſuas prudentiſſimè curat, ſolo hoc metu excepto, ne hæmorrhoidalis ſanguis, qui quolibet ferè menſe ad aliquot vncias effluit, adeò copioſè erumpat, ut vitæ periculum afferat, vt cuidam conſanguineo ſuo contigiſſe teſtatur. Quare tum de hâc menſtrua hæmorrhoidali euacuatione, tum verò potiſſimum de venarum dilatatione, atque intumeſcentia conſilium petit; cùm illa interitus metum incutiat, hæc verò dolorem inferat, præſertim ſi diutius ſtet, aut deambulet, vel equo iter faciat. Quid igitur de ſtatu generoſi Viri, Vir Sapientiſs. ſentias, quidque agendum ſit, certiſſimum tuum iudicium imploramus, & exposcimus.

Affectu melancholico, multis abhinc annis, Egregium hunc Virum fuiſſe correptum, luce clarius demonſtrant res naturales, nonnaturales, & præter naturam; ætas enim humorum combuſtionem ſat indicare poteſt; accedente præſertim totius, & iecoris calido, & ſicco temperamento, cum gracili, atque hirſuto habitu; quibus accedunt immodicæ, ac aſſiduæ negotiis mentis applicationes, atque tandem affectus hypochondriacus, cùm timore, non timendorum, & mœrore citra ullam cauſam, adeò ut præter rationem domo non egrederetur, [a] autumnali [b] præſertim tempore, quo magis melancholicus humor vigere ſolet; omnia, verbo, melancholiam non ſolùm ab hypochondrijs, ſed & à toto, [c] ne dicam quodammodo quoque interdum eſſentialem ſignificantia.

a 6. Aph. 23.
b 3 aph. 22
c 3. de loc. Aff. 7

Remedia equidem à Viris præſtantiſſimis fuerunt adhibita, quæ ideo non parum profuiſſe exiſtimamus, cùm leuata ab eiſdem onere natura, reliquum melancholicum humorem Egregio Viro antea moleſtũ, per modum abſceſſus, [d] tum ad hęmorrhoidas, unde menſtrualis euacuatio; tum ad venas utriuſque cruris depoſuerit, quibus [e] dilatatis, Varices ſuborti ſunt, melancholico affectu non ſolùm remiſſo, ſed omnino ferè ſublato; namque ex Hipp. [f] *Inſanientibus ſi varices, aut hæmorrhoides ſuperueniant, fit inſaniæ ſolutio*; cuius rei rationem reddens Gal. in Com. ait; [g] *Pellente natura ad partes ignobiliores eos, qui inſaniam faciebant, melancholicos, & craßos humores, qui tantò deteriorem efficiunt varicoſam huiuſmodi paſſionẽ, quantò craſſiores, atque nigriores fuerint*. Quare, ſicut clauus clauo pellitur, ita melancholicus affectus euacuatione hæmorrhoidali pulſus, & ad varices per abſceſſum à natura detruſus fuit.

d 2. in 6. Epid. 14.
e Paul. 6. de Re Med. 82
f 5. Aph. 21
g 2. ad Glauc. 10

Quibus dubio procul ita ſe habentibus, nullus erit in arte verſatus, qui non videat, mala hæc habere rationem boni; quod licet confirmet experientia, ac ratio ipſa dictet, habemus tamen & ipſum Hipp. [h] dicentem, ſanguifluis venis laborantibus medelam importunè adhibitam, pernicioſam eſſe; vnde multi ſanati inſanierunt, vt Alcyppus; [i] Quare concludebat Gal. [k] quod *Euacuatio hæmorrhoidalis ſi tempeſtiuè fiat, non ſit toto genere præter naturam; tunc verò tempeſtiuè fit, quando id, quod contriſtat, expellitur*. Verùm, noſtro caſu, tempeſtiuè fit, tum iuxta quantitatem, tum iuxta qualitatem: & temporis menſuram; quia quoli-

h 3. in 6. Epid. 38.
i 4. Ep. 30.
k de Symp. D. K. 6.

bet menſe moderatè melancholicus ſanguis excernitur; quare non eſt toto genere præter naturam, ac proinde permittenda, nec ullo modo cohibenda; quinimò naturæ rectè operanti totum opus committendum.

Quod ſi Varices ſecundò conſideremus, cum Gal.[l] dicamus, quod, *Sæpè natura ſanguinem craſſiorem, & nigriorem in crurum venas deponit, & relegat; à quo diſtentæ, atque ampliatæ, varicoſæ redduntur; in quibus periculum eſt, ne ſi affectas reſecueris venas; melancholia corripiantur*. Ideo repetebat[m]. *Quando varices immaturè, & præproperè Medicorum imperitia, cohibitæ fuere, vidi ego atra bile, & inſania vexatos; imò & intercoſtali inflammatione, & renali dolore, ſanguinis ſputo, attonito morbo, & intercutanea aqua eoſdem detentos*. Quare veram, legitimam, atque abſolutam Varicum curationem, quæ ferro, & igne à Celſo;[n] ferro tantùm à Paulo[o] inſtitui ſolet, in hoc Viro valdè ſuſpectam habemus; non ſolùm ob prægreſſum melancholicum affectum; verùm etiam ob altas radices in naturali calido, & ſicco totius, & iecoris temperamento, necnon habitu gracili, ac hirſuto fixas, atque ſeruatas, à quibus facillimè, ne dicam certiſſimè melancholicus affectus germinare iterum, & inualeſcere poterit.

l de Atra bil. 4.
m Adu. Eraſiſt. 6.
n 7. de Re Med. 31.
o 6. de Re Med. 82.

Quibus ideo expenſis, de agendis ita ſentimus; totius ſcil. magis, quàm crurum curam habendam eſſe, maſſam ſanguineam humore melancholico defæcando, & iecoris feruidam intemperiem corrigendo, non neglectis hypochondriorum obſtructionibus; ita enim id, quod naturam contriſtat, per aliam partem excernemus, eiuſdemque nouum prouentū inhibebimus, & naturæ non amplius irritatæ, melancholicum ſanguinem, tum ad venas ſedales, tum ad crurales transfundendi occaſio præripietur. Interim aliqua tum adſtringentia, tum repellentia varicoſis venis, iam dictis præmiſſis, tutò apponi poterunt, & tandem emollientia, atque reſoluentia.

Quas intentiones ut impleamus, à fonte Chirurgico repetita[p] erit depromenda ſanguinis miſſio, ex utroque brachio; Stratonicus enim, Gal. præceptor, ter, & quater, parcè tamen, in humore melancholico in toto redundante, ſanguinem extraxit, quia niger profluebat; qualis certò fuerit caſu noſtro.

p de Atra Bil. 4.

Ex Pharmaceutico depromenda medicamenta, tum Lenientia, tum præparantia primas vias. Inde ad aperientia temperata deueniendum, qualia eſſe poterunt, ſuccus cichor. depur. & per arenam percolatus ad ℥ iii. in iure Cichorac. alterato, 15. aut 20. diebus exhibitus; quorum intermedio, Pilul. de tribus cum Caſs. præberi poterunt, ſuperhauſto ſero depur. ad ℔ ii. Poſtremis verò decem diebus, addi poterit Tart. Vitriol. vel Rhab. nocte *infuſum*; vt inde purgans exhibeatur, ex Sennæ extract. pil. de trib. & Caſs. concinnatum. Antequam autem ad intemperies corrigendas deueniatur, melancholicus humor erit *electiuè* expurgandus extr. Verat. ad ʒ ſ. cum Caſs. cui ſuperbibat ſeri capr. aut aſin. depur. *libras*; hoc medicamento ter, quarto quoque die, eodem modo repetito.

Quibus peractis, Acidularum uſus locum habere poterit, quæ ſi ob ſiccitatem ſuſpectæ viderentur, Nocerianæ ſubſtituantur; vt inde ad diuturnum lactis Aſinini *vſum*, & balneum Aquæ dulcis perduci poſſit Pat. ipſe.

Tandem topica erunt adhibenda; & primò quidem exſiccantia, atque repellentia; quare confici poterit medicamentum ex puluer. adſtringentibus, bolo arm. ſang. Drac. terra ſigill. & ſucco hypociſt. atque acaciæ; omnia cum tragacant. vino granat. & aqua roſac. diſſoluto reformata; adeò ut paretur veluti paſta, quæ applicanda iuxta longitudinem venæ varicoſæ. ſuperaddita canna per medium diſſecta, ut ſua concauitate applicitum medicamentum in ſitu contineat; quæ canna poſtea faſciis firmiter obliganda. Vel ſpongia Vino granat. Cydonior. Omphac. imbuta, eidem varicoſæ venæ apponatur, & eodem modo ſupradicta canna firmetur; ita enim ſat benè, & tutò exſiccatur, & contabeſcit ipſa vena. In hanc quoque rem Marcellus,[q] Medicinæ Principibus accerſitus, huiuſmodi vtitur medicamento. ℞. ſeui hircini, ſapon. an. ℥ i. m. & linteolo apponatur. Proponit quoque adipem gallinaceum, cum cæpa trita. Item urticam nouellam, cum aceto tritam; & tandem Aet.[r] balnea aluminoſa commendat; ſicut & noſtra Patauina Montis Ægrotorum optima forent.

q Lib. de medicam. Cap. 34.
r Tetr. 1. Serm. 3. Cap. 167.

Quibus omnibus addenda erit conueniens victus ratio, refrigerans, & potiſſimum humectans, ab Excell. Viris adſtantibus præſcribenda, quibus libentiſſimè cætera quoque deliberanda committimus.

VARI-

XCV.

VARICES EX SANGVINE crudo.

EQues Illuſtriſs. 50. annum agens, temperamenti totius calidi, & humidi, hepatis calidioris, habitus carnoſi, equeſtribus exercitiis deditus, & venationibus aſſuetus, comeſſationibus item, & compotationibus frequenter indulgens, tribus abhinc annis conqueri cœpit de crurum dolore diſtendente, cui ſucceſſit exiguus tumor; atque tandem, duobus abhinc annis, venæ laxari, ac dilatari cœperunt, magis magiſque ſemper in dies, ad digiti vſque magnitudinem, cum doloris augmento, qui tum deambulationem, tum equitationem, præſertim diuturnam impedit; quæ dilatatio tandem etiam ſupra genu propagata eſt. Color autem uenarum ut plurimùm albeſcit, quandoque, & à motu potiſſimum, liuet, nunquam tamen nigreſcit. Quare cùm huiuſmodi moleſtia eò prouecta ſit, vt iam Pat. motu carere cogatur; cùm deambulatione, & equitatione dolores atrocius ſęuiant, quorum cauſa plures noctes inſomnes ducit; ideo Patauinorum Medicorum implorat auxilium, vt à tam graui malo uindicetur.

Venas omnes dilatatas [a], Varices Antiqui appellabant; quare varicoſam eſſe affectionem Virum Illuſtriſs. diuexantem, non eſt quod dubitemus; licet nigræ non appareant venæ, nec ſanguinem melancholicum contineant; interdum enim à ſolo [b] ſanguine copioſo, nec melancholico; nonnunquam verò à crudis [c] aliis humoribus laxantur eędem, & varicoſæ euadunt; præſertim verò in cruribus, ubi ob craſſitiem, & viſciditatem ſanguis non adeò facilè mouetur, ſed cunctanter potius, cùm propter pondus difficilior aſcenſus reddatur; unde ſtagnans tandem, & reliquo ſanguini craſſo viam intercipiens, ac tenuiori tantùm transfluxum permittens, tumidiores venas reddidit, dilatatione nimirum in dies ampliori facta, & ad uenas ſupra genu diffuſa. Verùm quoniam non melancholico; ſed crudo ſanguine ſcatent Illuſtriſſimi Viri venæ, ac arteriæ, ob liberam in cibo, & potu viuendi rationem, quę ætatis mutatione mutari debuiſſet; ideo non atri, ſed albi coloris eædem uenæ laxatæ apparent, poſt motum quodammodo liueſcentes, excalefacto ſcilicet ſanguine, ac proinde colore mutato. Cruditatum verò portionem ab initio per ſpatia ad crura depoſuit irritata natura, tanquam ad partem ſuſcipiendo magis idoneam, tum ratione ſitus, tum ex aſſiduis equitationibus [d] imbecilliorem redditam, quas omnes cùm non potuerit ad ſpatia detrudere vnà cum ſanguine, in vaſis ſtagnantes, uenis dilatatis, uarices excitarunt.

a de Tum. 16.
b De Atra bil. 4.
c de Attic. Com. 4.
d 2. ad Glauc. 10

Huius autem varicoſæ affectionis [e] curatio reformidanda non eſt; ſicuti valdè ſuſpecta, & periculi [f] plena foret nigricantis, & ab humore melancholico prouenientis. Difficilis tamen eſt eiuſdem uera, & abſoluta curatio, chirurgia perficienda; nam licet Celſus ſpem faciat non difficilis ſanationis, non tamen promiſſis reſpondet euentus, dum ferro, & igne barbaram operationem proponit, quam intrepidè quidem abſque vlla querela, & conſtanti animo pertulit magnus ille Marius, toties Romanorum Conſul, at poſt primam unius cruris extractionem, ſecundam alterius detrectauit, dicens, longè peius eſſe remedium, quàm ipſum malum.

e De Atra B. l. 4.
f Adu Eraſiſt. 6.

Attamen uera, atque legitima curatio eſt Varicum extirpatio, quæ nonniſi Chirurgia & manuali operatione perfici poteſt, igne ſcil. vel ferro ex Celſo, ſolo ferro ex Paulo, ferro pariter, ſed diuerſo modo, ex Hipp.

Primò itaque, ait Celſus [g], quod *Omnis vena noxia, aut aduſta tabeſcit, aut manu exciditur. Recta, tranſuerſa ſimplex, modica melius aduritur, curua, & implicata eximitur.*

g 7. de Re Med. 31.

Aduſtio verò fit, cute ſuperinciſa, patefacta vena, ſi tenui, & retuſo ferramento candente modicè prematur, per quatuor digitorum ſpatium, ſuperaddito mox medicamento, quo aduſta ſanantur.

Exciſio verò fit, cute ſuperinciſa & hamulis diducta; diducitur verò uena à corpore ſcalpello, cui retuſus hamulus ſubiicitur, & eodem interpoſito ſpatio, uno loco præciditur; deinde, quà proximus hamus eſt, attrahitur, & euellitur, ibique rurſus abſcinditur.

h 6. de Re Med. 82. Paulus [h] autem ſolo ferro vtitur. Et primò quidem laqueo ſupernam femoris partem circundat, deinde Pat. ambulare iubet; mox atramento ſcriptorio ſignat uenam, per trium, aut quatuor digitorum longitudinem. Reclinato poſtea Pat. alterum laqueum ſupra genu circundat, & ſcalpello cutem diuidit, hamuliſque labia hiantia conſeruat; nudata verò undequaque vena, femoris vincula ſoluit, &, eadem per cæcum hamulum eleuata, acum cum duplici filo ſubiicit, atque diuiſa in medio eadem vena, ſcalpello uenam ſecante, euacuat ſanguinis quantum fuerit opus; deinde ſimplici filo ſuperiorem venæ partem couſtringit, & manuum expreſſione, ſanguinem, qui eſt in crure, educit, & poſtea rurſus infernè vas conſtringit, & portionem uenæ inter uincula præſcindit, & aufert; atque tandem, ſiccis linamentis inditis, ſplenium uino, ac oleo imbutum imponit, ac deligat.

i De Vlcer. n. 16. Hipp. [i] verò compunctionibus utitur, ad magnum vlcus uitandum, dicens. *Verùm Varicem ipſum aliàs, atque aliàs compungere oportet, vbi opportunum eſſe viſum fuerit*. Mox euacuata paulatim uena, adſtringentia, & agglutinantia apponuntur, ut tragacanthum uino granat. diſſolutum, additis puluer. boli arm. Sangu. Drac. &c. facta tandem forti ligatura, ex pelle canina.

Ex quibus omnibus operationibus, Pauli præferenda, vt tutior; Hipp. enim compunctio Varicem minuit, at penitus non tollit. Vſtio verò Celſi ſi ferramentis candentibus fiat, vlcera excitantur vix ſanabilia; ſi calentibus rantùm, uarix non tabeſcit.

Quod ſi Eques Illuſtriſs. præmonitus de difficili, atque dolente Chirurgia, operationem eandem renuat, atque reſpuat, ad topica adſtringentia, & exſiccantia erit confugiendum, pulu. ſcil. adſtringentes, addito Croco Martis conſtrictiuo; ad vinum herbis vulnerariis alteratum, ſpongia iam dictis imbuta indita, & obuoluta per longitudinem uaricis appoſita, & canna per medium diſſecta ſuperimpoſita, arcta ligatura firmata, ex Aquapendente.

Quæ tamen omnia præcedat omnino totius accurata, atque repetita expurgatio, ſanguinea maſſa cruditatibus defæcata, Aqua quoque Tetruciana exhibita.

Hiſque addatur accommoda uiuendi ratio, ab equitationibus, & laboribus abſtinendo, cruditatum nouam ſobolem inhibendo, & tandem omnia adminiſtrando, quæ à conſummatiſſimo Viri adſtantis iudicio præſcripta fuerint, ut Vir Illuſtriſs. priſtinæ ſanitati reſtitui, & in poſterum ab eadem moleſtia præſeruari poſſit.

XCVI.

CRVRIS TVMOR OEDEMATOSVS.

TVmorem crus totum, atque pedem dextrum Illuſtriſs. atque Excellentiſs. Senatoris obſidentem uidimus, atque obſeruauimus, qui in molem inſignem crus iam dictum, & pedem eleuauit, & potiſſimum veſpertinis horis, paulò verò minus matutinis; ſiquidem veſpere cutis adeò diſtenditur, ut minimè corrugari poſſit, quod mane non parum ſuccedit.

Tumor autem eſt mollis, & cedens adeò, ut materiæ præſentiam prodat aquoſæ; prout craſſa, atque lenta liquidò patet ex foueis, quæ à digito comprimente impreſſæ permanent; vnde œdematoſum tumorem eſſe, non tamen omnino legitimum credendum eſt. Nec dubium eundem facit rubedo quædam, in determinata parte apparens; ſugillationem enim quandam hanc credimus, à ſanguine ad illius partis ſuperficiem à canina pelle nimis conſtringente attracto.

Extuberauit autem hic tumor, non per congeſtionem; ſed per influxum crudæ materiæ, in ventriculo genitæ, & à feruore iecoris partim liquatæ; ventriculus autem non ſuaptè natura adeò imbecillis foret, nec ad eaſdem cruditates producendas procliuis, niſi errores in viuendi ratione accederent, & potiſſimum in ſtudiis intentis, ac curis continuis, necnon à deficiente ſomno; ab illis enim diſtrahitur calor natiuus à ventriculo, unde neceſſariò diminutæ

nutæ fiunt concoctiones, quibus ſi addatur parcior ſomnus, cùm hic concoquat, vigiliæ digerant, eo deficiente, concoctiones quoque deficere neceſſe eſt; unde cruditates, quæ ſuperioribus annis, ſimul cum ſeroſitatibus bilioſis, ad ambitum corporis transfuſæ, tum in coxa ſiniſtra corroſiones, & exulcerationes excitabant; feruidior enim tunc fuit iecoris calor, qui modo remiſſus, eaſdem cruditates fundere quidem, at iiſdem acrem, & corrodentem qualitatem impertire minimè valet, potiſsimum verò quoniam, ſicut progreſſu ætatis retunditur calor, & bilioſæ ſeroſitatis noua ſoboles; ita augetur frigiditas, & crudæ, atque pituitoſæ materiæ generatio, quæ ab atteriis è directo ad infernam partem, non parum opitulante eiuſdem materiæ pondere, tranſmiſſæ, neque in venas amplius receptæ, tumorem iam dictum conſtituerunt, qui in poſterum ab humida copioſa materia, partis natiuo labefactato calore, eſſentiale adipiſci poſſet ſui algoris principium.

Cuius affectionis perfectam eradicationem polliceri, ut non licet, tum ob inſignem materiæ copiam, tum ob caloris eiuſdem partis inopiam; ita diminutionem non leuem ex accommodatis, & generoſis medicamentis, huculque non adhibitis conſequi nos poſſe ſperandum; cùm alioquin Senator Exc. florido, & roſeo colore totius corporis, & integra ſanitate fruatur, probæ nutritionis indicio; quæ omnia paucìſsimum excrementorum in affectam partem influxum ominantur.

Ideo Medici intentio debet eſſe partim præſeruatiua, partim curatiua. Præſeruatiua quidem ratione materiæ antecedentis, curatiua ratione coniunctæ. Pars præſeruatiua poſtulat, vt primò materia iam genita in ſuperioribus partibus hærens expurgetur. Secundò, vt noua non generetur, nec ad partem affectam tranſmittatur. Tertiò, ut ſi aliqua eiuſdem portio repullulet, aliò à parte affecta auocetur. Pars verò curatiua exigit, ut euocetur materia cruri infarcta, tum ſenſibiliter, tum inſenſibiliter, craſſiori, & viſcida attenuata, dum ſubtilior, & aquoſior euacuatur.

Vt autem parti præſeruatiuæ ſatisfaciamus, aliqua eſt inſtituenda primarum viarum expiatio, leuiùs quidem, pro anni tempore, & quia floridus color totius ſanguinem cruditatibus vacare nobis indicat. Sat itaque erit, ſi Exc. Senator aſſumat gr. x. magiſt. mechoac. cũ ℥ ſ. elect. lenit. Mox 5. dies ſummo mane, ℥ iii. iulap. acet. cort. citr. aromatiz. Quibus exactis diebus, repetatur iam præſcriptum medicamentum, & inde ad partem curatiuam progrediatur. Verùm interim reliquis duabus intentionibus præſeruatiuis operam det, nouam materiæ ſobolem inhibendo, congrua victus ratione, iam Sapientiſs. Viro notiſsima. Et vt calor natiuus ventriculi foueatur, à cibo ſtatim deglutiat grana duo, aut tria integra maſtiches, vel pil. ex ℈ i. ſucci abſinth. condenſati, & quidem familiari uſu. Sicut tandem, vt tertiò materia aliò diuertatur, bis ſaltem menſe, ad aluum erit abducenda, præſcripto medicamento, aut pilulis maſtichinis, ad ʒ ſ. cum ℈ ſ. magiſt. mechoac.

Curatiuus verò ſcopus erit ſecundo loco implendus, in quem finem cùm neceſſaria ſit materiæ, tum ſeroſæ, tum pituitoſæ euacuatio, nos cum Hipp. prius medicamentis, quàm ferro id tentandum putamus, ob metum ulceris, quod ob humidæ materiæ præſentiam, patens, nobis quoque inuitis, foueri poſſet. a 5. Aph. 6.

Et quoniam ſeroſitates redundare ſimul cum materia pituitoſa, tactu percipimus; ideo eaſdem euacuare, & pituitoſam materiam attenuare, atque liquare nobis opus eſt. Sudor itaque ex illa parte proliciatur, doliolis ligneis, non cucurbitis, iiſque repletis lixiuio ex cinere ſarmentorum vitis parato, aqua ſalita, & aceto, in quibus ebullierint folia chamæmeli, meliloti, origani, pulegij, calamenti, ſaluiæ, lauri, radic. lil. alb. bryoniæ, cucum. aſinini, & iuniperi baccæ, idq; matutino tẽpore, ſaltem integræ horæ ſpatio. Deterſo autem crure, inuoluatur ſtupa cannabina, aqua vitæ iuniperina pluries aſperſa, & in vmbra exſiccata, renouata eadem quotidie. In hoc autem remedii vſu xv. & xx. dies perſiſtat, totoque mane quieti ſe tradat; poſt prandium verò negotijs incumbat.

Poſt hanc ſenſibilem, atque inſenſibilem euacuationem, & materiæ reſolutionem, craſſioris attenuatio, & reſolutio tentari poterit, immerſione in aquis ſulphureis Aponenſibus, & ſtatim ab ea lutis iiſdem ſulphureis, ut quæ attenuante, & reſoluente facultate polleant, citra validam exſiccationem. Quibus remediis ad multò meliorem ſtatum redigi poſſe Ampliſs. Senatorem ſperamus, vt poſtea, tempore accommodato, ab immerſionibus in muſto efferueſcente, affecti cruris calori natiuo robur addatur, non ſine ſuperſtitis materiæ attenuatione, & inſenſibili reſolutione. Ita D. O. M. uota noſtra ſecundet.

PLA-

Digitized by Google

XCVII.

PLAGA IN CRVRE.

NOdus equidem non adeò facilè ſoluendus à Viro Doctiſsimo in relatione tranſmiſſa nobis offertur, quam difficultatem & cognouit, & teti git ipſe, & ſumma prudentia conſilium poſtulat, non quia eo indigeat; verùm quia Illuſt. Pat. petitioni repugnat eius opinio, qui rogar, & ſummoperè optat, vlcus, ſiue plagam non modò annuam, ſed annoſam in crure dextero ſibi ſupprimi, & ſanari; cuius curationem non adeò facilè admittendam eſſe, & nos cum Viro Sapientiſs. res naturales, non naturales, & p. n. perpendentes exiſtimamus; Viri namque Illuſtriſs. ætas quadragenaria eſt, temperamentum totius, & iecoris calidum, & ſiccum, habitus potius gracilis, & hirſutus, liberæ uiuendi rationi aſſuetus, & præſertim uinis generoſioribus, & aromaticis condimentis antehac uſus, dum hypochondriacæ affectioni obnoxius, flatus ita diſcutere credidit. Perſeuerat autem modò hypochondriaca affectio, verùm longè remiſſior, poſtquam, pruritu in utraque tibia ſuborto, vnguibus ſcalpendo excoriationem in dextero crure Illuſtriſſimus ſibi excitauit, ex qua ſtatim aquoſa quædam humiditas emanare cœpit, & paucis diebus copioſa, & acris adeò, vt ægrè ab eodem tolerari potuerit, cùm pro doloribus demulcendis ad Medicum confugere fuerit coactus.

Quintus modò voluitur annus, quo iam dicta Viro Illuſtriſs. acciderunt, & uſque adhuc continuò ex plaga grãdiori quidem, & latiori, non autem profundiori facta, emanat aquoſa, & copioſa humiditas, ſæpè acris, & acida, moleſtiam ideo non rarò inſerens; ſed interim, toto hoc tempore, affectus hypochondriacus, antea melancholicus quoque redditus, valdè remiſſus eſt, & ſatis bona ualetudine gaudet, quam quoniam integram deſiderat, ideo pro plagæ ſanatione inſtat, cùm tamen nullum in arte uerſatum latere poſſit, leuamen, quo gaudet, ab hac aperta plaga proficiſci; cùm eius uiſcera, iecur præſertim, & cor ipſum *ſint* ab ortu feruidam intemperiem ſortita, ac proinde ſanguinem iuſto calidiorem primò *iecur* generet, qui mox ad cor tranſmiſſus, & attractus pro nutritia facultate acquirenda, *calidior* adhuc redditur, & per aortam ad ſubiectas corporis partes nutriendas *tranſmittitur*, cuius ſeroſiorem portionem non modò acrem, bilioſam; verùm & acidam *melancholicam*, vtpote nutritioni ineptam, arteriolæ ad ſummam, & cutaneam cruris partem deponunt, ſicque maſſam ſanguineam ab impuritate continuò uindicare non deſinunt, & *Pat.* Illuſtriſs. ab affectu melancholico, abſque imminentibus malis, uaricum, uel hæmorrhoidum adinſtar præſeruant; & ideo non ſecus, ac ſi varices adeſſent, ſeroſam materiam expurgantes, huiuſmodi plagam conſiderandam eſſe cenſemus.

a 6. Aph. 21.
b 6. Aph. 11.
c 6. Aph. 12.

Quare ſicuti uarices [a], & hæmorrhoides [b] melancholicis ſuperuenientes bonum, ita plagam præſentem, licet malam, boni tamen rationem habere, pro certo habendum. Et ſicut hæmorrhoidas diuturnas ſanare nõ licet, niſi vna [c] adſeruetur aperta, ita ab huiuſmodi plaga euacuationem omnino ſupprimere, ſine vitæ periculo nequimus. Nec adeò facilè ſupplere poterit cauterium coxæ, vel tibiæ inuſtum, quia non adeò facile naturæ erit diuturnam, & conſuetam viam deſerere, ut nouam, & inuſitatam eligat.

Verùm ſi Viro Illuſtriſs. morem gerere uelimus, proximè venturo Vere totius expurgatio erit perficienda, repetita ſanguinis miſſione, alteratione ſuccis depur. præparatione, & ſeroſum, ac melancholicum humorem electiuè purgantibus; mox intemperiem iecoris, cordis, & totius calidam, aquis acidulis, lacte aſinino, & aquæ dulcis Balneo remittendo; omnibus iam Viro Doctiſs. notis.

Et ſi his omnibus exactè adminiſtratis, ſpontè omnino ſupprimatur, aut ſaltem magna ex parte imminuatur ex plaga conſueta ſeroſitatum euacuatio, inſtitui poterit aliquod familiare purgans, quod hydragogum, ſimulque cholagogum ſit, quale erit elect. lenit. cum magiſt. mechoac. quibus addi quoque poterit ʒ i. extracti ſennæ. Cauterium quinetiam inuri poterit cruri ſano, ne rurſus humores ad partem affectam alliciantur.

Quibus quoque addenda erit cauta victus ratio, & ſingulo Vere, ſinguloque Autumno

totius

totius expurgatio. At ſi poſt exactam, & abſolutam ſuperius dictam expurgationem, & partium, atque ſanguinis alterationem, euacuatio ex plaga non cedat, nil aliud tentandum eſſe pro eiuſdem ſuppreſſione, & cicatrizatione omnino decernimus; plures enim ita intempeſtiuè [d] ſanatos ante annum defunctos uidimus. Quare iuditio Prudentiſſ. Viri Adſtantis in ſalutem Viri Illuſtriſſ. ſubſcribere cogimur, cui uitam diuturnam optamus. d 3. in 6. Epid. 38.

XCVIII.

PLAGA IN PEDE.

PLaga, ſiue Vlcus, Illuſtriſſ. Vir, multis abhinc annis tibi moleſtũ, à uaricibus excitatum (qui ab irritata natura, varia excrementa à toto ad crus detrudente, non quidem omnino aduſta, & atra; non enim adeò nigricantes apparent, ortum habuere) hoc, inquam, vlcus, neque poteſt, neque, ſi liceret, adeò facilè ſupprimi, & ſanari deberet, perdurantibus, feruida Iecoris intemperie, & uiuendi liberiori uſu, quæ duæ cauſæ potiſſimæ fuerunt, à quibus prædicta praua, & copioſa excrementa originem duxerunt, quæ ideo genita, & per vlcus non amplius euacuata, grauiora mala, quinimò & vitæ diſcrimen minari poſſent; licet, vt dixi, non adeò facilis ſuccedere poſſet ſanatio abſoluta, ob varicum præſentiam, qui ad crus continuò materiam alliciunt. Quare Illuſtriſſ. ſat ſit copiam excrementorum in toto imminuere, eorundem acrimoniã demulcere, & Iecoris feruorem, ac ſanguinis contemperare, quę omnia præſtabit leuis, & blanda purgatio, ordine executiuo præſcribenda.

Et primò quidem aſſumat ℥ vi. Pot. ex man. clariſ. cum crem. tart. quatuor horis ante cibum; mox ℥ iij. Iulap. acet. corr. cit. aromat. cui addantur ʒ iij. pollin. crem. tart. pro ſyr. matut. & ita pro ſex aliis. Quibus aſſumptis, reperi debet potio iam dicta, cuius infuſ. conſuetæ addatur Rhab. ad ʒ i. ſ. & tribus horis ab ea bibat ſeri capr. depur. ℔ ii. & duabus horis ab hoc prandeat. Inde ad ſucc. depur. uſum deueniat, tum ad ſecundam humorum præparationem, tum eorundem alterationem, hac formula. ℞. ſucc. cich. depur. aut ſonci, ſi amarorem reſpuat ℥ ii. borrag. ℥ i. & diſſoluantur in iure pullæ tenui, End. Acet. Viol. & Hepat. alterato; in quorum uſu perſiſtat 12. aut 15. continuos dies; atque alternis diebus, in dicto iure, tota nocte infundatur Rhab. drachma; verùm die ſecunda ſuccorum tundatur vena iecoraria, ſeruata rectitudine partis affectæ, & educatur ſanguis ad ℥ viij. circiter. Abſoluto ſuccorum uſu, repetatur iam dicta clariſ. Potio, addendo infuſ. conſuetæ, non modò Rhab. verùm etiam agaric. ſuperhauſto ſer. depur. vt ſupra. Sicque abſoluetur purgatio. Verùm tibi conſulo, Illuſtriſsime Vir, vt ſaltem per menſem aſſumats ius, ſantalo alteratum, cui immiſceantur ſucci Acet. depur. ℥ iij. contemperando iecoris feruori, humorum fluxioni nonnihil cohibendæ, & ſeroſitatibus quodammodo abſumendis, & exſiccandis. Decimo interim quoq; die in uſum ducantur Pil. maſtich. aut de trib. cum Rhab. cum ſemiſcrup. Magiſt. Mechoac. cuius medicamenti uſus continuus, ſemel ſaltem in menſe, vtiliſſimus fuerit, prout uinum ad menſam, ſantalo rubro medicatum.

Quibus omnibus cautio aliqua in uiuendi ratione erit addenda, ab Excellentiſſ. Viris pręſentibus præſcribenda.

XCIX.

QVÆSITVM DE DEFVNCTO EX SCLOPI Vulnere.

IVuenis 24 annotum, habitus carnoſi, quinimò potius obeſi, atque pituitoſi, poſt diuturnam tertianam notham, adhucnum valetudinarius, atque cacochymus, ſclopo vulneratus fuit, ferè ſuperficialiter, in ambabus natibus, & coxa, citra tamen vllam oſſis fracturam; in Cauponæ verò cubiculum ſtatim receptus, nullis feneſtris clauſum, imò aere ex quodam monte contiguo afflante, necnon ab atriolo, & impluuio domus, fœtido exhalante; ab Excell. Medico, atque Chirurgo ad rem, & opportunè curatus cùm fuiſſet, materia in vulnere ſtatim concoqui cępit, quæ purulenta, non ſanioſa, non ichoroſa emanauit, labiis eiuſdem non liuidis, ſed rubicundis, citra graues dolores, adeò ut quinta die à febre immunis fuerit ab Excell. obſeruatus; cuius cauſa placidè dormiuit, & non ſine uigente appetentia comedit; nihilominus nona die præcipiti virium lapſu irreparabili correptus, decima obiit, accedēte poſt obitum coxæ œdematoſo tumore.

Caſus hic tum rarus, tum mirabilis videri poteſt omnibus in Arte Medica non exercitatis; minimè verò nobis hæc omnia conſiderantibus, vulnus nempe, licet in ignobili parte, atque adeò propria natuta, & ex ſe periculo vacans, per accidens tamen, & ob aliud, lethale euaſiſſe, uèl eo etiam tempore, quo ab inflammatione quoque immune redditum eſt, quæ alioquin in vulneribus quinta die vigere ſolet, ut tradidit [a] Celſus, uel non vltra ſeptimam ex Gal. Fato autem ceſſit Pat. ſiquidem mortis cauſam ante illatum vulnus ſecum geſtauit, quæ ex qualibet alia, etiam diuerſa leui occaſione, eidem interitum inferre potuiſſet; obeſum enim, & cacochymum eiuſdem corpus fuit, adeòque humorum, atque ſpirituum inopia, & impuritate laborans, cui maximum incrementum accedere potuit ab impuro cubiculi aere, tum à Monte afflante, tum ab atriolo expirante, cùm ſpiritus vitæ tutela, ex puriſſima parte aeris inſpirati, & tenuiſſima ſanguinis portione procreentur. Corporis autem cacochymiam adeò reformidauit Gal. [b] ut parti affectæ localia remedia adhibere prohibuerit in cacochymicis corporibus, niſi prius purgationibus, & clyſteribus, atque inedia corrupti humores expurgati fuerint, ne in partem, licet leuiter affectam irruentes, calorem innatum eiuſdem ſuffocent, & morbus partis, alioqui ſalutaris, *lethalis* euadat.

a 5. de Re Med. 26.

b 6. per Loc. 4

Præſenti verò caſu ſtatim parti remedia adhibere oportuit, cùm adeò breui temporis interuallo, totius cacochymia, humana arte auferri non potuerit, atque adeò primò ex defectu uitalium ſpirituum in toto, mox & natiuo calore ab humorum prauitate extincto, & à copia in intima parte ſuffocato, mors inopinata ſubſequuta eſt.

Alia quoque mala lethalia, licet diuturniora, ut ulcera Phagedęnica, Chironia, Telephia, & cancros ipſos à cacochymia ortum habere, nos docuit [c] Gal. quod nos quoque in praxi frequenter confirmatum uidimus. Quare concludentes, credimus, quod ſi defunctus boni habitus fuiſſet, neque cacochymis, atque copioſis humoribus redundaſſet, à vulnere ſuperſtes perſtitiſſet.

c 3. de temperam. 3.

DE

C.

DE SYRVPO ROSATO SOLVTIVO.
Contra Septalium.

OPinionem perlegi Septalii, qui præterquamquod malè ſentit de facultate ſyr.roſ.ſolut.& quoquopacto à Galenica doctrina recedit, in propria etiam opinione, in libello eodem, ad abſurda nimis deflectere deprehenditur; namque nulli dubium, quod nomen hoc, *Soluere*, eſt quid commune omnibus medicamentis, tum lenientibus, tum purgantibus, imò & cibis ipſis medicinalibus; vnde ſoluere, & laxare idem exiſtimauit Gal. [a] Ipſe tamen modò conſtituere conatur, hoc vocabulo, quandam tertiam facultatem, atque ita recedit à Galenica doctrina; modò vult ſoluentem qualitatem eſſe purgantem, ſicq; ſibi ipſi contradicit, vel in abſurdum impingit; quare inconſtans proditur, quod ex ipſius contradictione facilè coniicere, imò clarè videre poteris, ſi obſerues ipſum *Lib. 7.* Animadu.205. vbi medicamenta ſoluentia enumerat, Sennam, Turpethum, Hermodact. Veratrum nigrum; cùm tamen ſint medicamenta omnino purgantia, in quorum ſerie, & paritate ſyr. roſ. ſolut. reponere, eſt omnino à ratione, & experientia alienum. Quare ſic poſſumus argumentari, iuxta ipſum. Si ſyrup. roſ. eſſet ſoluens, ſequeretur, quod eſſet purgans medicamentum, at conſequens eſt falſum, ergo & antecedens. Conſequentia probatur, quia Lib.7.205. appellat medicamenta ſoluentia, Turpethum, Hermodact.& Veratrum nigrum, quæ ſunt omnino medicamenta catarctica, & purgantia. Falſitas conſequentiæ licet non indigeat probatione, probatur tamen, quia medicamentum purgans illud eſt, quod educit humores qualitate moleſtantes, ut aſſerit Gal.[b] At ſyr.roſ.ſolut.educit humores copia,& quantitate peccantes,ut docet experiētia, & aſſerit Septalius hiſce verbis, *Totam humorum copiam euacuare.* Ergo ſyr.roſ.ſol. nullo modo eſt dicendus medicamentum purgans. Quare hanc ſequi opinionem, eſt micare in tenebris; mihi namque hæc videtur tertia pars ſermocinationis Plebani Arlotti.

a 5. per Gen. 2.

b 1. Aph. Com. 2.

Eſt præterea irridendus (quod mihi exciderat) credidit enim, vocando ipſum ſoluentē, ſe nouum nomen impoſuiſſe ſyr.roſ. qui ſoluens,& ſolutiuus non ſolùm à Medicis; verùm à lippis, & tonſoribus quoque nuncupatur.

Prudenter igitur agendum in aſſequenda huius Viri de hac re ſententia, animaduertentes, quod purgantium natura, ſemper non leui caloris excitandi facultate polleat, ut nos monet Gal.[c] quod eſt alienum à natura medicamenti huius, quinimò ferè aſſerere poſſumus, ſyr.roſ. ſol. eſſe contrarium medicamento purganti, cùm vim quandam corroborantem, & adſtringentem contineat, quæ ex mente Gal.[d] eſt purganti contraria. Mea igitur opinio eſt, quod ſyr.roſ.ſol. ſit verè medicamentū leniens, in omnibus morbis; quod enim eſt tale, ſemper eſt tale; niſi fiat purgans ab Aromatariis, qui ob inopiam roſat. diagrydio, plerique ſaltem ipſorum, eundem purgans validum efficiunt; quem dolum aliquando deprehendi, tum ex immodico amarore medicamenti, tum ex præcipiti, copioſa,& qualitate peccante alui deiectione, minima etiam doſi ipſo exhibito.

c Quos, Quib.,& Quand. Purg. Opt.

d 3. Simpl. 15.

Quod iudicium, etiam ſine experientia, licet temerè, facere coacti ſumus; ſubductis enim omnibus expenſis, etiam citra Aromatariorum laborem, inuenimus, quod ſuperabit lucrum impenſa, ſi nouies, & decies fiat, ut fieri debet, infuſio roſarum; quæ eſt cauſa illarum immoderatarum euacuationum, quæ aliquando obſeruantur, & materierum, non ſolùm copia peccantium, vt ſcribit Septalius; ſed etiam qualitate, dum conſpiciuntur ſpumoſæ, & omnino bilioſæ, non ſolùm eductæ, ſed & electiuè attractæ à diagrydio, ſyrup. roſ. immiſto; quarum copiam non poſſe ventrem continere, non medicis ſolum, ſed vnicuique patere poteſt. Res autem ita ſe habet, vtinam non foret.

Et ſi cum Septalio, ex ſyr.roſ.ſol.etiam ritè, & probè parato, in bilioſis febribus, & naturis, ac in ueris morbis acutis, ut ipſe ait, ſuccedant immodicæ euacuationes; non tamen ſequitur, quod medicamentum non ſit leniens. Atque reuera miror, tantum Virum, in tot animaduerſionibus, cauſam huius effectus non animaduertiſſe; namque nil mirum, quod

in

in his febribus, naturis, & veris morbis acutis, in quibus vt plurimùm humores, præcipuè verò bilioſi turgent, mirum, inquam, eſſe non debet, ſi vel ex minimo medicamento, naturæ via ſolummodò monſtrata, & patefacta ſequatur copioſa excretio eorundem, etiam è longinquioribus partibus, quæ euacuatio, licet inchoata à natura, à leui medicamento ſolicitata, ſuccedit tamen in fine aliquando p.n. & extra eiuſdem naturæ ſcopum, non valentis moderari tantam humorum turgentiam, qui aliquando ſuperata natura, non ſolùm aluum, verùm aliquando partem principem impetu petunt, & citiſſimè mortem inferunt; quod notauit Gal. in Comm. illius Aph. *Medicari in acutis eadem die, &c.*

Quare nullo modo apud me eſt admittenda opinio Septalij, coniectura intellecta; quoniam adhuc magis improbaretur deſcripta natura ſyr. roſ. ſolut. aliis rationibus adducendis, quod nec tempus concedit, breui enim diſceſſurus es, neque occaſio poſtulat.

Hæc ſuperficie tenus, & in tranſcurſu delibaui, vt te, Vir Excell. certiorem faciam de lectione Septalii, heri veſperi à te mihi enixè commendata. Vale.

Finis Quartæ Centuriæ.

Digitized by Google

Digitized by Google

G.21.

Digitized by Google

Digitized by Google